

Ambroise (saint ; 0340?-0397). Sancti Ambrosii,... Opera omnia.... 1845.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :

*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.

*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer [ici](#) pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.

*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE
ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA
FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ
EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM
PRIORA ECCLESIAE SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM
DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS
DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI
SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM
DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM
ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID
UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO
SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIUM QUINAM PATRES ET IN
QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ
TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS,
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARI
TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTAN ER
SIMILIS, PRETI EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGIC.
SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM
AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS
FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINÆ
A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, *Cursuum Completorum* IN SINGULOS SCIENTIÆ
ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.


PATROLOGIÆ TOMUS XIV.

S. AMBROSII TOMI PRIMI PARS PRIOR.

VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, JUXTA PORTAM, GALLICÈ, D'ENFER, IN VICO
PETIT-MONTRUGE.

1845.





SANCTI

AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA.

EDITIO PRÆ ALIIS OMNIBUS COMPLETA, QUARUM INSTAR HABERI POTEST;

**AD MANUSCRIPTOS CODICES VATICANOS, GALLICANOS, BELGICOS, ETC., NECNON AD VETERES
EDITIONES, MAXIME VERO AD BENEDICTINIANAM RECENSITA ET EMENDATA;**

NOTIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS, TEXTUI SUBJACENTIBUS, CONTINENTER ILLUSTRATA;

**VARIIS INSUPER OPUSCULIS QUÆ VEL OMISERE VEL NE MEMORAVERE QUIDEM ERUDITI
BENEDICTINI, LOCUPLETATA.**

TOMI PRIMI PARS PRIOR.

MIGNE, SUCCURSALISTE A MONTROUGE,

DE VRAYET DE SURCY, IMPRIMEUR

A PARIS.

1845.

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HAC PRIORIS TOMI PARTE CONTINENTUR.

Hexaemeron libri sex, scripti circa annum 389.	col.	123
De Paradiso liber unus, script. circ. an. 375.		275
De Cain et Abel libri duo, script. circ. an. 375.		315
De Noe et Arca liber unus, script. circ. an. 379.		361
De Abraham libri duo, script. circ. an. 387.		417
De Isaac et Anima liber unus, script. circ. an. 387.		501
De Bono Mortis liber unus, script. circ. an. 387.		539
De Fuga Sæculi liber unus, script. circ. an. 387.		569
De Jacob et Vita beata libri duo, script. circ. an. 387.		597
De Joseph patriarcha liber unus, script. circ. an. 387.		641
De Benedictionibus patriarcharum liber unus, script. an. 387.		673
De Elia et Jejunio liber unus, script. circ. an. 390.		697
De Nabuthe Jezraelita liber unus, script. forte circ. an. 395.		731
De Tobia liber unus, script. circ. an. 377.		759
De interpretatione Job et David libri quatuor, script. forte circ. an. 383.		797
Apologia prophetæ David script. forte circ. an. 384.		851
Apologia altera prophetæ David.		887
Enarrationes in psalmos duodecim: quarum prior non ultra annum 390; quinque sequentes, non nisi post VIII idus Sept. anni 393, scriptæ sunt; in psalmum vero XLIII anno 397; quatuor ultimæ circ. annum 390.		921

ERRATA.

Col. 275, lin. 4 : *ad mysterium* ; leg. *ad mysticum*.

Col. 789, lin. 12 (ascendendo) : *obligandam* ; leg. *obliganda*.

Col. 834, lin. 22 : *optandam* ; leg. *optandum*.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Illustrissimo Ecclesiae principi D. D. Francisco de A Harlay, archiepiscopo Parisiensi, regionum ordinum commendatori, duci ac Pari Franciae, Sorbonae et Navarrae provisorio, etc.

Perfectis quam potuimus accuratissime, quae in adoranda hac operum Ambrosianorum editione exspectare visus es, illustrissime Ecclesiae Princeps, ea res ad supremum decus sola restabat, ut frontem operis splendore clarissimi alicujus nominis illustraremus, qui totum opus luce sua perfunderet, adscisceremusque patronum qui pro sua humanitate vellet, pro sua auctoritate posset vim et impetum obrectatorum amoliri. Tu nobis illico occurrebas in quo quae vel ad securitatem vel ornamentum valere possunt, miro fulgore universa emicant; et quo nemo alter aut gloria clarior, aut auctoritate gravior, aut quae imprimis allexit, humanitate facilius inveniretur.

Neque enim, quod proclive factu fuerat, Harlae hic familiae dignitas ex ultima antiquitate repetenda, maximis Europae principibus jam olim licet affinitate et consanguinitate conjunctae, summorumque virorum semper feracis, quorum in praecipuis Ecclesiae et Reipublicae muneribus virtus mirabiliter enituit: tu enim omnium ornamenta in te complexus et praecipuum familiae tuae decus, aliis potius splendorem tuum affundis, quam aliunde dignitatis quidquam amplitudinisque, in te refundatur.

Apertus hic ingens immensusque campus ad excurrendum in laudes ingenii excelsi, subtilis, acris; acuti ad excogitandum, maturi ad judicandum, ad explicandum facilis, ad memoriam firmi atque diuturni, eo tibi concessi divinitus, ut par ad maxima quaeque fores, quibus a propitio Gallis Numine destinaberis. Comoda nihilominus occasio praeclearae tuae eruditionis et doctrinae praedicandae, cui nihil in historia incomperatum, in dogmatibus arduum, in juribus anceps ambiguumve, obscurum nihil in factis, quamque nihil aut effugiat aut fallat.

At certe rerum a te gestarum, praesul illustrissime, celebratissima fama longe splendidius emicat. Vidit olim te tua tum Rothomagus jam inde a primis annis, quibus fauste fortunateque sacram praesulis et primatis iniisti dignitatem patruo tuo viro et pietate et doctrina, et pastoralis labore immortalitatem memoriae promerito successor datus, in tuis publicis concionibus privatisque colloctionibus, quam prompta et extemporali tam felici eloquentia, sanctissima quaeque infundentem auditoribus, reconditissima eruentem, obscurissima illustrantem, intricatissima non minus erudite quam dilucide reserantem. Audiverunt et te tui Parisii; audiverunt advenae frequentissimi illuc confluentes; audivimus et nos obstupuimusque vehementer, cum in doctissimis

quae publice tuis in aedibus habebantur disceptationibus de moribus, de fide, de disciplina, tantum exhiberes prudentiae in declinandis duobus scopulis, ad quos fere caeteri omnes alliduntur, intensiore scilicet severitate, vel remissiore indulgentia, rerumque pondus et dicendi vim sic eloquentiae lepore temperares; ut pronis auribus excepta veritas omnium sibi conciliaret assensum, et nulli quantumvis contumaci aut liceret, aut liberet refragari.

His gloriae tuae fontibus novus et ille largior clariorque lucis rivus accedit, quod in augustissimis cleri Gallicani concessibus, cum tu insulorum patrum, aliorumque ex toto imperio selectorum comitiis ex omnium voto de more praesideres, Ecclesiae et religioni tanto studio consulisti; agenda tam sapienti arte digessisti, ut nullus non intelligat, nusquam feliciori consensu imperium cum sacerdotio, sacerdotium cum imperio conspirasse, quam te sacerdotii praeside; Ludovico Magno moderatore imperii: nempe magnus Harlaeus cleri praeses regum maximo debebatur; magno Harlaeo cleri praesidi, absit verbo invidia, Ludovicus; ambo communi sacerdotii et imperii cum felicitati tum gloriae.

Haec ut peculiaris et rara ad laudem sunt, ita summa; neque enim ad laudem commendationemque Nominis accidere ulli quidquam gloriosius potest, quam si Ludovico regi post memoriam hominum sapientissimo probetur. Porro sibi probatum, et quidem abunde quo potuit luculentiori clariorive testimonio palam, Ludovicus ipse largus fons luminis sol, quae cum ad primariae Galliarum urbis sedem e metropolitana Neustriacae translatum voluit; ad arctiorem sacrorum consistorii societatem assumpsit; ad frequentissimam comitatus et colloquii arcani consuetudinem advocavit. His in omnibus non tam praemia meritorum quam merita ipsa miramur.

Illa sunt, illustrissime Ecclesiae princeps, propter quae nostro huic licet non tenui, tamen ex conditione nostra subobscuri labori te tutorem imo patrem, lumen et columnam advocamus; confisi magnum, si favens susceperis, illius pretium, magnamque existimationem apud omnes fore, qui comprobatione tua, tuoque nominis inscriptione quadam velut face praevia illustrati, infinitos propemodum Ambrosii locos pristinae suae integritati restitutos et reparatos gratulabuntur.

Nec certe timendum nobis, dubitandumve fuit ne non satis humaniter a te maximo praesule occupatissimoque exciperemur: occupato, scimus, tibi occurrunt omnes, at nullus impedito, qui ad multo plura plenissime sufficias: aperit alioquin tuas fores et ad palatii tui limina invitat inimitabilis affabilitatis gratia et comitas, quae cujuslibet ordinis, et conditionis homines sic excipis, ut nemo a te dimissus umquam fuerit, nisi quadam ju-

cunditate atque solatio perfusus, et vel humillimæ sortis hominibus audacem accedendi et obtinendi fiduciam inspires. Tua est illa singularis aut dos aut virtus, aut dotum virtutumque non tam una, quam longe suavissimum omnium condimentum, quæ te non prius oculis exhibeat, quam animis præpotenti quadam virtute reddat imperantem: illa est quæ nos securos esse jubet, efficitque ut quod operi nostro decus et patrocinium volumus, id a te exspectemus, quod ut tam certo tamque confidenter sperare, et nostro quasi jure reposcere audeamus, præter humanissimum illum animum tuum, faciunt insuper et summa auctoris dignitas, et eximium excellentis hujusce operis auctoritas, et mira quædam opportunitas temporis.

Ambrosius est quem tibi redivivum sistimus, archipræsul maxime, quod si nondum ea cura, iis ex-cultum vigiliis, ea tota forma totaque majestate spectabilem qua semetipsum olim exhibuit Valentinianis, Gratianis, Theodosiis Augustis; Ambrosius tamen est integritati et nitore pristinis, quo valuimus studio restitutus. Quas porro ædes archiepiscopum ecclesiasticæ disciplinæ tenacissimum adire prius oportebat, quam archiepiscopales? Quem ante omnes convenire congruebat doctorem Ecclesiæ celeberrimum, nisi meritissimum sapientissimæ Sorbonæ, eruditissimæque Navarræ provisorem, et ipsum doctorem eximium in Ecclesia Dei? Quem denique lubentius alloquio suo dignaretur orator vere ἀρεστικός, quam te cujus ex ore docentis exundat ambrosia?

At vero quam a te gratiam reportaturos nos illo sic præeunte non speremus, observantissimos præsertim tui, qui ipsi vidimus, cum difficultas annonæ, hyemisque inclementia ex æquo sævirent, pauperrimos quosque in archiepiscopales ædes turmatim irruentes, sola miseria duce, per quam amanter exceptos, per quam humaniter resectos, minus tamen donis ipsis tuis, quam ea quæ tibi propria est donandi ac demerendi ratione recreatos? Vel eo solo nostrum, crede nobis, ad te Ambrosium alléxisses, qui cum ipse pater pauperum studiosissimus; sacra etiam vasa frangere et conflare, ut eorum inopiæ difficillimo tempore succurreret, minime dubitarit: non amare singulariter non potest, quem viderit regia hac charitatis via suis inhærentem vestigiis; sua exempla renovantem.

Et istud ad te festinantibus opportunissimum; antistes illustrissime, quod ipsa Ambrosianorum operum ratio cito jam utroque currentes exstimulet: divina nimirum doctrina quæ, ut digni tanto magistro Augustini utamur verbis, de tam sancto oraculo, pectore illius emanavit. Qua quidem ut nullum ad curanda corruptæ Ethicæ vulnera remedium præsentius, sic nullum ad propellendum hæreseos et schismatis venenum, efficacius; nullum quo promptius certiusque curentur, coeant et consolidentur redeuntium ad sanam fidem vulnera et cicatrices; nullum quo plenius et perfectius adusque intimos pietatis Christianæ sensus Catholicæ cum antiqui tum Neophyti convalescant.

Summæ tuæ sapientiæ consultissimique zeli fuit quod e manibus hæreticorum arma, id est, perni-

ciosissimos omnes quibus sibi ipsis necem inferebant, libros auferendos prudentissime providisti. Nec fuit tibi satis ipso cum Ambrosio dixisse: Legimus ne legantur; illisque venenata pocula, amœna quadam suavitate specie et quasi mellis stillicidio hominibus ægrotis, suumque morbum adamantibus blandientia eripuisse: nisi insuper iisdem amica manu porrigeres divinos, aliosque pios libros, quibus possent tamquam ex alveo quodam saluberrimo plenissimam haurire sanitatem. Ecce igitur votis tuis Ambrosius adjutor et fautor accurrit, sine quo invalida fere quælibet debilisque medicina. Ecce illum et limpidissimum aquæ vivæ fontem, qui de salutari monte Christo profluens exsilit in vitam æternam, ut lætificet civitatem Dei: et epotus sanet omne genus languentium et ægrotorum: fontem ex cujus vena ut haurire possent sapientissimi potentissimique Persarum, de remotissimis Orientis finibus sitibundi olim accurrerunt; quique vel paucis guttulis perfectam fidei sanitatem regi, reginæ, gentique Marcomannorum instillavit. Ecce denique strenuissimum, invictumque adversus Religionis et Ecclesiæ hostes sacri verbi ducem, assuetum victoriis, qui instructissimam panopliam offert, in qua ille quem toti Galliæ collegisti et formasti operariorum evangelicorum exercitus cuilibet et singulis inveniat habeatque æternæ salutis galeam, fidei scutum inexpugnabile, ancipitem divini Verbi gladium, et

Quidquid habent telorum armamentaria cœli.

Sed quorsum ista de evangelico etiamnum ad bellum apparatus? Potitur jam Ecclesia belli successu: pacem ac tranquillitatem nobis reduxit ejusmodi victoria, quæ ut tota victis ad utilitatem, sic tibi ex multo maxima parte ad gloriam cessit. Plurimum tamen contulisse cæteros Ecclesiæ proceres, et pro sua quemque pietate ac vigilantia strenue gnaviterque laborasse fatendum est: sed quis te inter illos primas egisse vel invidus neget; quem non ignoret illis omnibus pro tua omnium Ecclesiarum amica sollicitudine idoneos operi tanto viros tua informatos doctrina, tuis studiis et laboribus excultos amantissime ministrasse, quod nemo alius; quem sciat propensissimam alioquin Christianissimi Regis ad opitulandum subditorum salutis voluntatem, mirum sane quo ardore, qua pietate magis ac magis accendisse, quod viæ alter; quem demum consideret indefesso labore, omnique arte magistrâ, tam felici exitu manum pio operi frequentissimam admoveere, ut bene multos diebus singulis ad ejurandos errores admittas, nec non inaudita facilitate, atque affectu totum te devoveas effundasque convertendis, excipiendis, instituendis, adjuvandis?

Hæc dum dicimus, absit ut immensæ regis religiosissimi gloriæ quidquam velimus esse detractum. Totum illius est quod Ecclesia nostra vicit. At reges imperando, principes Ecclesiæ persuadendo cum vincant, nihil est quod Regis gloriæ detractum quidquam aut imminutum ad tuam commendandam, censeat aliquis aut doleat; cum utraque sit in suo quæque genere summa. Quod Cæsaris, Cæsari; tibi modo, illustrissime Eccle-

sic princeps, quod tuum est in tanto hoc opere tota Gallia gratulatur; quamquam et in ipsa Cæsaris parte, tibi qui dux et par Franciæ es, quod sub rege optimo Maximo administris fidissimis potest, censemus esse quoque gratulandum. Probe scit imperator omnium longe perspicacissimus; ut illud beatissimum in principatu, facere quod libuerit; ita istud miserrimum esse, nolle sibi suggeri quod debuerit: qua æquissima modestissimaque sua mente secretioribus suis consiliis dignissimos quosque accenset, in quos proinde nonnulla regiæ gloriæ portio consilii nomine merito derivetur. Inde fit ut qui profligatum hæreseos monstrum regibus ipsis paulo ante non mediocriter formidandum stupent, miranturque in tanto regno, tam brevi intervallo temporis, feliciter et sine ulla cæde penitus extinctum; te in partem tantæ laudis evocent, non ut divinum modo, sed ut regium etiam administrum, quem norunt initi tam ingentis et supra fidem posterorum ardui propositi, consiliarium et auctorem fuisse a rege præcipuum.

Commode opportuneque festis eam ob rem omnium vocibus, et congeminitis plausibus publicis Ambrosius advenit Chori nostri dux; cujus ore et lætius et dignius accinatur: Factus est unus populus, ex hæreticis . . . repleta est Ecclesia; et non sine maxima voluptate hoc subjungatur: Sedata tempestas est, con-

A cordia navigat, fides spirat, certatim nautæ repetunt fidei quos reliquere portus, et dulcia patriis oscula littoribus figunt, liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes: quique tibi totique clero Gallicano suppeditet et suggerat istas ad Ludovicum Magnum voces, antiquæ adversus hæresim disciplinæ testes et novi interpretes gaudii. Reddidisti mihi quietem Ecclesiæ, perfidorum ora, atque utinam corda, clausisti: et hoc non minore fidei quam potestatis auctoritate.

Felices nos fortunatosque, illustrissime Ecclesiæ princeps, si non secus atque operibus suis Ambrosius in musæo tuo locum obtinuit, ita quem nobis ipsorum emendatoribus in animo tuo concessisti, diutissime conservet in dies magis intimum et auctiorem: felices, si nostris votis et precibus annuens præsul sanctissimus Religioni, Ecclesiæ, Galliæ; nobis et omnibus te diutissime salvum et incolumem a Deo comprecetur atque impetret; felices denique, si qui nostræ erga te observantiæ testis est veracissimus Ecclesiæ doctor, a te etiam Obses suscipiatur et fidejussor devinctissimæ voluntatis qua sumus

Celsitudini tuæ

Addictissimi et obsequentissimi Monachi
Benedictini Congregationis S. Mauri.

PRÆFATIO.

Cum nova cura nec minimo labore purgatas Ambrosii commentationes exhibemus, nihil necesse nobis fuerit catholici lectoris animum, ut ei nostram hanc editionem commendemus, affectatis Auctoris operumve ipsius laudibus pellicere. Quis enim eorum, qui vel primoribus labris ecclesiasticam delibaverint historiam, inficiaturus est omnia in Ambrosio maxima exstitisse ac plane singularia? Sane quidem in confesso est illius ad episcopatum vocationem, in episcopatu sollicitudinem atque constantiam, in omni vita integritatem, humanitatem, religionem, aliasque virtutes splendore fulsisse non usitato; solaque illius magnanimitate adeo percussum fuisse Theodosium Magnum, ut eruperit in hæc verba: *Episcopum vidi neminem præter Ambrosium.* (*Theod. Hist. lib. v, c. 17.*) Quod vero ad doctrinam ejus, illam non modo sancti Patres, summi Pontifices, œcumenica Concilia certatim exquisitis elogiis prædicarunt, verum etiam ipsimet hæretici. Sed nec aliud quidquam magis declarat, quanta doctrinæ ac eloquentiæ vis fuerit in Ambrosio, quam Augustinus ab errore ad veram fidem Doctores nostri opera et concionibus revocatus. Hac quippe una victoria sibi trophæum ac monumentum æræ perennius erexit sanctus hic Præsul. Utinam vero neotericis etiam heterodoxis magni Augustini exemplum imitari libeat! Illud profecto jure affirmare possumus, de Christi præ-

C sentia in Sacramento, de potestate atque clavibus Ecclesiæ, de necessitate bonorum operum, veneratione reliquiarum, beatorum cœlitum invocatione, tam disertis verbis locutum esse Ambrosium, ut nihil apertius æquo prudentique lectori expetendum sit. Cæterum cum inter alia isti refractarii codicum editorum depravationem eriminentur quam invidiosissime, editionem nostram hoc tempore quo regis pietas omnem suam auctoritatem ad hæreticorum conversionem confert, speramus non sine fructu exituram. In qua exornanda quid a nobis præstitum fuerit, explicabitur, postquam nonnulla de veteribus editionibus quæ in variis Europæ locis emissæ sunt, præmiserimus.

Nullam porro videre nobis contigit antiquiorem eam quam Maffellus Venia monachus Augustinianus Ambrosio Corano ejusdem ordinis generali dedicavit. In illa quidem neque loci, neque temporis certam aliquam notam deprehendas: sed inde forsitan conicere liceat eandem et in Italia, et ante annum 1485 vulgatam esse; tum quod forma codicis et characterum cum alia, de qua jam dicemus, plane convenit, tum quod Coranus ille seu Coriolanus memorato anno diem suum Romæ obiit. Altera illa editio, curante Cribellio presbytero, Mediolani anno 1490 prodiit apud magistrum Leonardum Pachel: quæ simul cum superiore servatur apud RR. PP. canonicos regu-

lares sanctæ Genovesæ Parisiensis. Utraque autem A
valde imperfecta est, ac paucos admodum tractatus
comprehendit.

Post duos annos non mediocrem laudem retulit
Joannes Amerbachius, civis Basileensis, quod
conquisitis congregatisque undecumque plurimorum
ac præcipuorum Ambrosii operum exemplaribus,
eadem opera in tres partes distributa totidem volu-
minibus complexus est. Atque etiam quo editionem
suam utiliore efficeret, rogavit Joannem de La-
pide Carthusianum Parisiensem, ut singulis libris in
certum capitum numerum divisus, suum cuique ca-
piti aptaret argumentum: quod et factum est. Op-
tandum vero illud fuerat, ut quemadmodum plures
tractatus nobis edidit, ita etiam illos edidisset emen-
dationes. Sed in hoc industriam diligentissimi biblio-
polæ agnoscimus, quod tam multos reperit: quod
tam depravatos, injuriæ temporum tribuimus. Hanc
autem editionem anno 1506 iterum prælo subjecit
Joannes Petri de Langendorf, typographus quoque
Basileensis: a quo nihil aliud priori illi adjectum
fuit præter indicem admodum copiosum, quod *Re-
gistrum florigerum* inscripsit. Cujus quidem registri
utilitas Conrado Leontorio ex ordine Cisterciensi
tanta visa est, ut illud versu et prosa celebrare non
sit gravatus.

Novam adorsus editionem Erasmus unum aut al-
terum tractatum iis qui jam publicæ luci dati fuerant,
adjecit: ad bina volumina totum Ambrosianorum
operum corpus redegit, illudque partitus est in qua-
tuor tomos; ita ut primus Ethica; secundus Pole-
mica; Orationes, Epistolas, et Conciones tertius;
quartus denique Novi ac Veteris Testamenti Expla-
nationes contineret. Ad hæc præmisit singulis tomis
ac libris nonnullis quasdam censuras, sed quæ non
satis existimationi illius responderunt, nec doctorum
expectationi. Porro tametsi multum sudoris exha-
ustum prædicet in hoc opere (*Epist. edit. suæ præfixa*)
*Dum collatione veterum codicum, inquit, emendantur
depravata, restituantur amputata, resecantur assuta,
reponuntur græca, quæ vel aberant prorsus, vel figuris
nihil significantibus fuerant addita; non tamen tan-
tum fidei habitum est ipsius verbis, ut eum magis
auctoritati manuscriptorum, quam proprio judicio
deferre quisquam crederet. Hoc certe superioris sæ-
culi constat fuisse ingenium, ut eruditi omnes con-
jecturis plurimum tribuerent, sed Erasmus impri-
mis famæ suæ atque doctrinæ fiducia paulo audacio-
rem exstitisse nullus ambigat. Quapropter adeo non
visa est legitimam attingisse perfectionem ejus editio,
ut duobus post annis, nimirum anno 1529, cum typis
Chevallonii Parisiis exprimeretur, multa commutata
fuerint in textu, et ad marginem annotata nonnulla,
quemadmodum ex collatione aliquot opellarum de-
prehendimus. At non Lutetiæ solum, sed et Basileæ
ubi prima ejusdem Erasmi editio ex Frobenii officina
prodierat, hoc ipsum in secutis editionibus factum
reperitur: in quibus etiam tractatus aliquot qui in
superioribus desiderabantur, subinde adjecti sunt.*

Nihilominus tamen editionis tam sæpe ac tot di-
versis locis recusæ, nec non Gelenii aliorumque doc-
torum hominum diligentia recognitæ auctoritas Joan-
nem Costerium regularem canonicum e monaste-
rio sancti Martini Lovaniensis non deterruit, quin
ad aliam concinnandam exornandamque animum
appelleret. Qua vero occasione inductus hoc laboris
sibi proposuerit, ita explicat (*Epist. in limine edit.
suæ posita*): *Cum ego igitur, ait, ante biennium D.
Ambrosii epistolas antiquis et elegantioribus caracte-
ribus conscriptas, ex bibliotheca cœnobii D. Laurentii
quod Leodiensis oppidi muris adhæret, nactus essem,
cœpissetque meo more cum excusis libris eas conferre,
mirum dictu quantum hic erat dissidii, quantum varietatis;
ut statim non potuerim non destomachari in eos,
B qui editis libris, speciosis quidem sed inanibus ac
mendacibus titulis, omnia castigatissima, et tanquam
feliciore παλιγγενεσία renata pollicentur: cum nihil
plerumque sit depravatus, et antiquis sordibus omnia
sint convoluta. His itaque permotus, quod in episto-
lis Ambrosianis cœperat, statuit in reliquis ejusdem
Doctoris operibus efficere; cumque mutuatus esset
e tribus aut quatuor viciniorum monasteriorum bi-
bliothecis aliquot exemplaria, hoc subsidio fretus
atque in primis uno codice pereleganti, qui in Bel-
gium allatus fuerat e Magna Britannia, castigationem
suam absolvit. Edita fuit illa Basileæ anno 1555
typis atque impensis Episcopii. Egregiam sane ope-
ram in hac sua editione præstitit Costerius, neque
ipsum lectoribus imposuisse arbitramur, cum affir-
mavit a se plusquam duo millia errorum ex Ambro-
sio sublata esse, præter viginti aut plures versus
quos cum deessent in prioribus editionibus, ipse
primus suis quemque locis restituit. Verumtamen
non sibi satis auxilii fuisse in memoratis exemplari-
bus idem non obscure indicat, ubi fatetur se quan-
doque in eas incidisse difficultates, quibus ad judi-
cium doctorum hominum confugere coactus fuerit,
hoc est, ut simplicius loquamur, ad conjecturas.*

Quam ob rem cum Joannes Gillotius animad-
vertisset Costerium ob mss. codicum paucitatem
editionem suam omni ex parte perfectam reddere
nequaquam potuisse, laudavit quidem ejus laborem
atque industriam, sed tamen Ambrosianis operibus
aliquid perfectionis accessurum putavit, si ea denuo
D aliis adhibitis exemplaribus recognosceret. Congre-
gavit igitur non exiguam manuscriptorum multitudi-
nem e præcipuis hujusce urbis bibliothecis, ut putâ
e Regia, Sorbonica, Germanensi, Victorina, quibus
annumeremus licet Dionysianam, sive abbatix sancti
Dionysii in Francia, in qua sola viginti et amplius
codices Ambrosianorum operum manu exaratos
exstitisse idem auctor est. Verum cum tot codicibus
inter se conferendis componendisque vix plures ho-
mines, nedum unum aliquem, sufficere animadver-
teret, ex eo tanto numero, ut ipse in præfatione sua
non dissimulat, paucos quibus excutiendis par esset,
deligere ac retinere necessum habuit. Ejus editio
Parisiis apud Guillelmum Merlinum ejusque socios in

lucem prodiit anno 1568. Quamvis autem omnium quæ prius publici juris factæ fuerant, merito prædicari possit absolutissima; nihilominus tamen, quæ rerum humanarum sæpe conditio est, remansit omnium prope modum maxime ignota: eam videlicet oppressit Romanæ, quæ proxime illam secuta est, editionis fama.

Ad hanc suscipiendam Felix cardinalis de Monte-Alto, et postea sub nomine Xysti V pontifex maximus decessorum suorum Pii IV ac Pii V auctoritate atque mandatis se, dum Romæ in Minorum conventu generalem ordinis sui ageret, inductum esse profiteatur. Quocirca ut mandatam provinciam obiret, cœpit rimari celebriores bibliothecas, manuscriptos veteres conferre cum editionibus emendatioribus, et sic ubi tractatus aliquis nondum editus deliteret, investigare: insuperque sedulo præparare alia omnia, quæ ad operis perfectionem conducibilia existimabat. At vero diversis itinerum aliarumque curarum distractionibus præpeditus id imperfectum, uti fatetur, deserere coactus fuit. Factus postea cardinalis intermissum laborem repeliit, sed jam non solus; sic enim Gregorium XIII, cui editionem suam dicatam voluit, alloquitur (*Epistola nuncupatoria*): *Qualemcumque postea nactus quietem, hortatu jussuque S. V. inchoatum opus repetens, præclaros doctores, viros doctrina et pietate graves, ac linguarum intelligentia, et historiarum cognitione insignes, præterea in scholastica theologia et Patrum lectione admodum versatos delegi, mihi que laboris socios adscivi. Itaque onus alacriter subeuntes, munerique plures annos strenue una incumbentes, tandem multis vigiliis, plurimoque impendio, Deo bonorum omnium largitore nobis propitio, absolvimus, etc.* Deinde explicato quemadmodum ad perfectam Ambrosianorum operum emendationem non solum codices scriptos cum editis contulissent, sed et veteres illos auctores a quibus aliquid mutuatus esset Ambrosius, consulissent: nec non etiam posteriores, apud quos ex ejusdem Patris lucubrationibus citatum aliquid invenitur, examinassent; tanti laboris ac diligentiae fructus recenset in hæc verba: *Quorum ope, atque adminiculo, inquit (Ibidem), obscura explicuimus, manca supplevimus, adjecta rejecimus, transposita reposuimus, depravata emendavimus, omnia demum ut germanam Ambrosii phrasim redolerent, ejusque dignitati atque gravitati responderent, sedulo curavimus: et ut ipsemet Auctor loqui videretur, supposititiis quibuscumque abscissis, pro viribus studuimus.* Ad postremum, ut clarius suam in hac ornanda editione diligentiam patefaciat, narrat tractatus aliquot quibus aliæ carerent editiones a se additos, institutam novam commodioremque universi operis partitionem, ac denique contextum Scripturæ in tribus prioribus tomis ad lectorum utilitatem appositum.

Quatuor ex ejus tomis Romæ apud Dominicum Bassam vulgati sunt annis 1580, 1581 et 1582, quintus autem anno 1585, cum jam sederet in B. Petri cathedra Xystus V, cui eundem tomum Johan. Bapt. Bandinius nuncupavit. Postquam vero semel hæc ea-

dem editio publici juris facta est, illico neglectis cæteris, omnis ad eam transiit auctoritas; ita ut ubique locorum, saltem in quibus viget catholice religionis professio, typis sola recuderetur. Certe ab anno 1585, quo primum ea Lutetiæ prodiit, singulis fere decenniis ibidem prælo subjecta est, nulla, quæ momenti alicujus esse videretur, inducta mutatione.

Dolendum tamen est in eadem hac editione reperiri non pauca, quæ non ab hæreticis modo, verum etiam ab orthodoxis haud sine causa minus probentur. Nam primum omnium longi illi Scripturæ textus qui non solum initio certorum tractatum præfiguntur, sed etiam mediis inseruntur capitibus, nimium auctoris orationem intersecant atque seriem, voluminis molem ac pondus gravant, nec ab ullo fere unquam leguntur. Deinde quinque partita illa divisio non satis concinna est; ut enim prætermittamus multo plus affinitatis duobus primis tractatibus secundi tomii cum ultimis primi intercedere, quam cum sequentibus ejusdem secundi tomii explanationibus, non conveniebat epistolas atque conciones aliquot ex ordine proprio exemptas a tomio quinto in primum sub annotationum nomine revocare, multo etiam minus avulsas nonnullorum librorum partes alio relegare. Hoc præterea ibidem reprehenditur, quod tractatus quosdam valde dubios, receptis ac legitimis quasi indubitatos inseruerint; cum e contrario in iis etiam commentationibus quas editionum superiorum consensus admiserat, ad secernendas veras a falsis, certas ab ambiguis, delectu et censura opus fuisset. Sed nihil in his omnibus magis offendi, quam quod multa in ipso textu sibi permiserunt ii, quos eidem corrigendo adhibuit eminentissimus cardinalis; neque enim istic aliter ab ipso peccatum esse existimamus, nisi quia forte plus æquo eorum diligentiae ac prudentiae credidit. Immo vero neque horum dampnandum tanta cum severitate consilium, quippe qui nihil aliud sibi proposuerint, nisi voces quasdam quæ paulo duriores ipsis videbantur emollire, vel quæ obscuriores, mutare clarioribus, vel denique ad Scripturæ seriem auctoris expositiones revocare.

Interim heterodoxi, qui omnem lapidem movent, quo Patrum auctoritatem valeant declinare, magno strepitu ac tumultu nobis, ut diximus, corruptionem Ambrosianarum editionum oggerunt. Neque tamen recens est ista importunorum hominum criminatio; etenim sæculo superiori Franciscus Junius, ut persuaderet non esse catholicis typographis liberum in excudendis Patrum operibus bona fide versari, sed eos vexari a nescio quibus exploratoribus quos inquisitores occulti summitterent, talem orsus aut commentus est narrationem (*Præfat. in Ind. expurgat.*) Refert itaque cum Lugduni anno 1555 Ludovicum Saurium inviseret, operarum in officina Fresloniana correctorem, ab eo sibi commonstrata esse aliquot folia scriptorum divi Ambrosii, elegantia quidem illa, quod ad chartæ nitorem, concinnitatem characterum, nec non orthographiæ accurationem pertinet: at in ipso sensu atque contextu scede a

Franciscanis duobus interpolata et cancellata. Hanc porro accusationem cum videremus non solum a Riveto (*Crit. sacr. lib. III, c. 6*) et similibus ejusdem aut supparis ævi scriptoribus cupidissime ad conflandum Ecclesiæ odium arreptam atque contortam; verum etiam nuperrime a ministro quodam summa cum stomachatione repetitam, hoc nobis cupiditatem injecit de illa editione certius aliquid cognoscendi. Quó circa celebriores hujusce urbis bibliothecas perlustravimus, editos aliquot exterarum catalogos consulimus, denique ut Lugduni si quod illius exemplar ibidem superesset, exploraretur, operam dedimus; neque tamen ullum ejusdem vestigium licuit uspiam deprehendere. Unde colligas ipsam vel statim suppressam fuisse, vel forte omnino suppositam.

Si vero de re tam parum certa tantas illi excitant tragoedias, quis credat eosdem nævis ac vitii parcituros earum editionum, quæ nunc publice prostant et eunctorum catholicorum atque acatholicorum manibus teruntur? Non pepercit profecto memoratus Rivetus, cum memoratam de Lugdunensi editione narrationem ita concludit: *Quid in similibus Romæ actum sit, aut quotidie agatur, divinare promptum est. (Lib. et cap. cit.)* Non pepercit Dallæus Charentonianus olim minister; hic enim in eo libro quem *de Usu Patrum* gallice scripsit, capitis 4 paginam 93 integram consumit in eadem Romana editione tradenda. Sed in hoc ejus aliorumque similium injuria manifesta est, quod Erasmi, Gelenii ac cæterorum qui Basileensi editioni ante Costerium manum admovent, peccata et summam in sequendis conjecturis licentiam caute dissimulant.

Cæterum illud nos confidimus hac nostra editione assecutos, ut ea tela quæ perpetuo contra Ambrosii auctoritatem torquebant catholicæ Ecclesiæ adversarii, jam in posterum ex eorum manibus eripiantur. Primum enim hanc legem nobis inviolabilem esse volumus, nullam in textum conjecturam unquam admittere. Nam quemadmodum a Costerio videmus prudentissime observatum (*Epist. jam laudata*): *Qui ingenio dumtaxat suo judicioque plusquam debeant, fidunt, neque præsidium omne in antiquorum exemplarium collatione constituunt, fieri quidem potest, ut quandoque nonnulla quæ contra grammaticorum canones depugnent, restituant: at voces male commutatas, sententias aut omnino omissas, aut in alienum locum rejectas eo modo persanare neutiquam possunt.* Ne quis vero nos putet promissis illis fucum facere, non solum manuscriptorum quibus ad singulos tractatus recognoscendos usi sumus, catalogum ad calcem voluminis exhibuimus, verum etiam singulis paginis in inferiori margine quid et qua auctoritate commutatum fuerit, submonuimus. Ubi etiam cujusque codicis tum scripti tum editi varias curavimus adjici lectiones; eo tamen delectu, ut quas levioris ducemus momenti, rejicerentur in finem voluminis,^a quas

^a Nos ex utrisque unum annotationum corpus effecimus, ne inter legendum aliquid desiderari possit quod non oculis subiaceat. Epp.

A vero nullius, omitterentur. Hac videlicet ratione providimus, ut et lectori quam potissimum lectionem amplectatur, eligere liberum sit: nec tamen pagina levibus inutilibusve notis oppleantur. At in Scripturæ locis qui passim citantur ab Ambrosio, diligentiam ac religionem adhuc majorem adhibuimus; eorundem enim locorum varietates interdum etiam haud ita graves non solum ex Ambrosii codicibus, sed e diversis quoque Bibliorum idiomatis placuit annotare.

Submovimus autem longiores illos contextus, quibus, ut dictum est, in editione Romana cum libri ab invicem, tum etiam non raro media ipsa capita dividebantur; eo quod illa divisio operum Ambrosianorum corpus, quod unum esse, quoad ejus fieri potest, debet, quasi membratim distrahat et discerpat. De librorum vero sectione in capita, nec non eorum argumentis, sive summarijs, ut vocant, sententiis tantisper certatum est; cum non deessent qui ea omnia quæ non haberentur in manuscriptis, ex editionibus tollenda esse contenderent: alii contra retinenda quidem existimarent, sed quia vetera illa argumenta Auctoris sensum atque consilium, vel minus perspicue, vel minus latine repræsentarent, corrigenda. Potior horum visa est opinio; constat siquidem animum lectoris defatigari, nisi subinde quasi variis stationibus requiescat. Sed in hoc maxima illius instituti videtur utilitas; quod eundem lectorem antequam ad novam transeat materiam, præparet, quo facilius legenda intelligat. Et hoc sane nullus negabit magis necessarium esse in eo scriptore, ad cujus lectionem atque intelligentiam, quemadmodum animadvertit (*Hist. Eccl. an. 397*) Antonius Godellus, magnum Ecclesiæ Gallicanæ decus et ornamentum, opus est eruditione plusquam mediocri.

Ut igitur hac in re potissimum junioribus theologis pro modulo nostro consuleremus, receptam jam olim tractatum in capita divisionem retinuimus, ipsa capita in numeros seu sectiones distribuimus, explicuimus voces obscuras aut parum usitatas, eorum etiam quæ ad historiam, disciplinam, atque doctrinam spectant, ubi res ita postulare visa est, brevem subnotavimus expositionem. Ad hæc veterum quoque illorum locos indicavimus, quos Ambrosius noster sibi proposuerat imitandos. In quibus omnibus non famam eruditionis aucupari consilium fuit, sed lectorum ac eorum præcipue qui, ut diximus, recentes a theologiæ scholis, se ad evolvenda Doctoris nostri monumenta comparant, unice spectavimus utilitatem. Quapropter doctores viri, quibus eruditum hoc nostrum sæculum abundat, nullo dispendio notulas nostras omittant licet; nec tamen illas tyronibus atque in hujusmodi studio candidatis invideant; quibus eo magis necessarias esse illud ostendit, quod in multis locis Rom. editores, viros alioquin eruditos, Auctoris sensum non assecutos inductæ in textum mutationes patefaciant. Hi vero dum qualicumque hoc nostro juvabuntur labore, quod pauciora exposuerimus, non expostulent; cum nihil quod

valde necessarium fuerit, neglexerimus, nec fusiores annotationes facile admissurus fuerit voluminis modus.

Quod porro ad universi operis partitionem attinet, nobis neque Romana neque Erasmiensis satis probata est; utrobique enim cum bene multa sunt proprio suo loco non posita, tum nulla exstat legitimorum adulterinorumve foetuum discretio. Itaque nihil commodius esse duximus, quam ut opera omnia quæ nomine Ambrosii reperiuntur inscripta, in tres duntaxat tomos divideremus, quorum priores duo vera, tertius supposititia comprehenderet: in quo a Romana distributione, cui longo usu nunc omnes assueti sunt, quam minimum potuit, recessimus. Igitur hoc primo volumine quidquid ad Scripturæ expositionem refertur, complexi sumus: de cuius quidem tractatibus non est cur hoc loco plura dicantur, cum præmissæ ad singulos admonitiones eorum ætatem, propositum Auctoris, et alia quæ necessaria iudicavimus, abunde prodant edisserantque. Nam de recognitis Augustini, Gratiani, nec non et citatæ Scripturæ testimoniis, additis ejusdem versiculis, variis indicibus in fine collocatis, ut sileamus, ipse lector usu proprio, quantum utilitatis habeant, satis agnoscat.

Neque vero ea videntur hoc loco prætermittenda, quorum ope ac subsidio usi sumus in hac Ambrosiana castigatione. Certe quidem manifestum est ad operum cujuscumque auctoris restitutionem non sufficere, ut unus aut alter codex manu exaratus cum editione aliqua conferatur, sed multis opus esse, ut quod in uno vitiosum est, adjumento corrigi possit alterius. Immo vero nec etiam satis est multos suppetere, nisi varijs in regionibus fuerint scripti; cum sæpe sæpius contingat, ut in omnibus unius provincie manuscriptis iidem plane errores offendantur, quod nempe ab uno et eodem exemplari tamquam ab uno fonte illi profecti sint. Quapropter ut undecumque licuit manuscripti congregarentur, operam dedimus. Et primum cura fuit ut opellæ nonnullæ quarum pauciora suppetebant in Galliis exemplaria, ad aliquot Vaticanæ bibliothecæ codices exigenter, insuperque describerentur illæ variæ lectiones, quibus usus fuerat ipse cardinalis de Monte-Alto. Erant inter eas observationes nonnullæ quæ nobis non omnino fuerunt inutiles; erant præterea conjecturæ plurimæ quas a Latino Latino postea editas comperimus. Deinde manuscriptos bibliothecarum Congregationis nostræ aut in provinciis ubi asservantur conferendos, aut in monasterium hoc Sanctigermanense afferendos curavimus. Hoc ipsum etiam factum est in codicibus aliquot Flandricis bibliothecarum Ordinis nostri, et in pluribus Gallicis ordinis Cisterciensis, quos nobis summa cum benevolentia commodaverunt multorum ejusdem ordinis monasteriorum præpositi: ubi prætermittendum non fuerit, quantum debeamus labori R. P. Joh. Baptistæ de Noyville, Prioris abbatie Vallis-Claræ prope Laudunum, qui et plures tractatus cum monasterii sui codicibus officiosissime contulit, et sermones quosdam

non dum editos manu propria describere gravatus non est. Postremo celebriores hujusce urbis bibliothecas, ut puta Regiam, Sorbonicam, Victorinam, Colbertinam aliasque diligenter perlustravimus; unde nobis humanissime necessarios codices præbuerunt ii quibus eorundem manuscriptorum cura custodiaque demandata est. Comprimis vero illud prædicemus oportet, D. Tonnellerium, can. Vict., nobis quaterniones aliquot, quibus varias lectiones ad editionem Ambrosii abs se destinatam colligere cœperat, lubentissimo animo dedisse; ac similiter eruditissimum Baluzium non solum codices e ditissima D. Colberti bibliotheca nobis affatim suppeditasse, verum etiam varias lectiones Sermonum Ambrosianorum atque Epistolarum ad opus quod ipse designabat, ex optimæ notæ manuscriptis collectas, quæ sua in nos benevolentia est, ultro detulisse. Quod porro eosdem codices subinde, ut fieri solet, consulere non satis habuerimus, sed ipsorum editorumque versus cum versibus, voces cum vocibus, syllabas cum syllabis religiose contenderimus, ex variantibus lectionibus quivis intelligat.

Quocirca nihil addendum hic videretur, nisi essent nonnulli, qui paucis Ambrosii nostri locis, quos aut obscuros aut nimis allegoricos putant, tamquam præjudicio quodam offensi, minus æquos illius operibus sese ostendunt. Horum igitur ut medeamur fastidio, non pigebit illud quo delectatus reperitur sanctus Antistes, scribendi atque interpretandi genus paulo accuratiori libra expendere. Ac primo Ambrosianum stylum constat grandem, nobilem, et copiosum esse; qualis videlicet patricii ordinis virum decebat, ac diligenter in urbana forensique eloquentia exercitatum. Sed nihil in ejus sublimitate turgidum inest, nihil turbidum in ubertate; cum utraque res suavitate quadam ac modestia temperetur. Neque tamen putes eum vi sua vehementiaque destitui. Habet siquidem affectus suos, atque aculeos, sed tanta conditos festivitate, ut nullam morosioris agrestiorisve ingenii speciem præ se ferant. Observant quoque in ejusdem elocutione adeo miram sententiarum densitatem, ut non facile majorem apud alium ullum reperire sit. Huc adde brevitatem periodi concinnam ac modulatam, sed in primis tam felici varietate distinctam, ut nullum tædio relinquat locum. Inde est quod Magnus Augustinus Doctoris nostri oratione captum se esse non uno loco testificatur (*S. Aug. Conf. lib. v, cap. 12, 13, 14. atque alibi*), nec non specimina trium elocutionis generum propositurus Cyprianum atque Ambrosium solos eligit (*Idem de Doctr. Christ. lib. iv, cap. 21*), quorum e lucubrationibus varia illa eloquentiæ exempla decerpit ac depromat. Sed nec minus apte quam breviter etiam a Cassiodoro designatur ea, qua sanctum Præsulem scripsisse observamus, orationis forma; sic enim ille: *Sanctus quoque Ambrosius lactei sermonis emanator, cum gravitate acutus, perviolenta persuasionem dulcissimus* (*Cassiod. divin. Lection. cap. 20*). Et hinc abunde intelligas ab omni obscuritate

Ambrosianum stylum per se abhorrere : utrum vero quam secutus est, interpretandi ratio jure hujusce vitii argui possit, inspiciendum.

Triplicem in sacris paginis intellectum esse passim agnoscit, naturalem, moralem, spiritualem; sive quod idem est, historicum, ethicum, mysticum : sed in hoc ultimo enucleando tam multum, quam brevem in primo sese exhibet. Quin etiam ipsum interdum putes, ut spiritualem sensum constituat, historiæ veritatem prorsus negare: quod tamen secus habere comperies, modo singula perpendas in serie orationis atque contextu, sicuti nos suis locis observabimus. Cæterum non alibi magis urgere solet mysticum sensum, quam in exponendo Veteri Testamento, idque maxime ubi factorum historia quidpiam quod contra morum probitatem honestatemque pugnet, præ se ferat. Tunc enim veritus ne istinc vel fideles delinquendi, vel pagani ac Manichæi Ecclesiæ insultandi occasionem arripiant, apte confugit ad allegoriam: quemadmodum quæ de ebrietate Noe, concubitu Abrahamæ cum ancilla, Loth ebrietate atque incestu, nec non Davidis adulterio disputat, planum faciunt. Et hujus quidem methodi utilitatem nemo melius exponere valeat, quam qui eam tanto Ecclesiæ bono expertus fuit magnus Augustinus. Ita igitur ille: *Gaudebam etiam, inquit, quod vetera scripta Legis et prophetarum jam non illo oculo legenda proponerentur, quo antea videbantur absurda.... sæpe in popularibus sermonibus dicentem Ambrosium lætus audiebam*: Littera occidit, spiritus autem vivificat; cum ea quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamine, spiritaliter aperiret (S. August. Conf. l. vi, cap. 4). Sed non solum ubi occurrit quidpiam quod a probis moribus abhorreat, ad mystici sensus amoenitatem se convertit; memor enim apostolici hujusce dicti: *Omnia in figuris contingebant illis* (I Cor., x, 11); ibi pulcherrima religionis mysteria sub litteræ involucri latere demonstrat, ubi nihil contineri nisi simplex rei factive narratio videbatur. Expende quos sensus et quam nobiles eruat e structura arcæ Noachi, e benedictionibus filiorum ejus, e conjugio Isaac, e diversis casibus vitæ Joseph, atque ad postremum e fratrum ac filiorum ejusdem benedictionibus; fateberis profecto nihil aliud quam frigere atque humi repere illos interpretes, qui quasi Judaicam servitutem in Ecclesiam referre decreverint, toti sunt in apicibus et syllabis examinandis: quique si vel unius sententiæ grammaticam intelligentiam Hebraicæ cujusdam etymologiæ beneficio detexisse sibi videantur, tum serio exsultant ac triumphant. Nihilominus tamen nolumus a nobis hoc ita dictum, quasi naturalem sensum, in quo duorum aliorum fundamentum est, aspernemur. Ejus usum ultro fatemur non esse nisi laudabilem, dummodo non serviliter ac judaice illi hæreamus. Hunc porro sanctus Doctor maxime secutus est in libris Hexaemeron, de Paradiso, de Noe et Arca, et in Expositione Evangelii secundum Lucam. Quod vero ad sensum moralem; cum nihil ad pastoralem curam magis proprie pertinere in con-

A fesso sit quam informandorum gregis sui morum sollicitudinem, mirum utique foret, si tam gravem episcopatus partem tantus episcopus non implevisset. Sed tametsi quantam illius rationem habuerit, singulæ propemodum paginae contestentur (is enim sensus omnibus ferme operibus Ambrosianis velut inspersus est) reperitur tamen in quibusdam magis ex proposito explicatus. Tales sunt libri de sacrificio Cain et Abel, de Abraham, de Bono mortis, de Fuga sæculi, de Jacob et Vita beata, de Elia et Jejunio, de Nabuthe Jesraelita, de Tobia, de Interpellationibus, et in Enarrationibus Psalmorum.

Sed non ductu proprio ad rimandam quæ in Libris divinis recondita est, scientiam accessit; quamvis enim non vulgarem linguarum tum Latinæ tum etiam Græcæ cognitionem esset adeptus, et in lectione omne genus librorum, poetarum, historicorum, philosophorum, atque imprimis Platoniorum oppido versatus: quamvis præterea eloquentiam quam ipsi natura indiderat haud mediocrem, diligenter in orandis causis excoluisset; non tamen putavit sibi a tribunalibus ad sacrum pulpitem sine peritorum ductorum præsidio esse transeundum. Maluit igitur se antiquiorum præbere discipulum, quam aliorum magistrum profiteri. Quapropter cum Origenes in Scripturis interpretandis aliorum omnium tanquam dux atque antesignanus haberetur, nec non ex eo quasi e publico penu pleraque suarum expositionum hausissent superiores Patres; Ambrosius quoque communi se usurum jure arbitratus est, si ex ejusdem libris quæ in rem suam putabat congruere, mutaretur. In quo quidem summa utebatur cautione et judicio; cum enim plurima in illius auctoris commentationibus legerentur, quæ non probarentur ab Ecclesia, his diligentissime vitatis, providebat ne pabulum ullum ovibus suis minus sanum aut sincerum apponeret. Nonnulla quoque reperimus in ejus scriptis quæ petita fuerint ex Basilio, sed illud amicitiae quam inter utrumque mutua virtutis opinio coierat, Ambrosium dedisse autumamus, ut præeuntem illum, sicubi occasio ita ferret, non illibenter sequeretur. Duobus memoratis Patribus insuper alios duos addit Hieronymus, Didymum de quo in admonitione ad libros de Spiritu sancto, et Hippolytum martyrem, sed cum hujus opera temporum iniquitate perierint, quod Hieronymi adjiciamus testimonio, nihil habemus. (Vide admonit. nostram in Hexaem.)

Secundum Ecclesiæ Patres nominandum censemus Philonem Judæum, virum multæ eruditionis, quem allegoricis interpretationibus indulgentem satis frequenter imitatus est sanctus Doctor. Inde est quod loci nonnulli Ambrosianorum operum obscuri videantur iis, qui ejusdem Philonis ex quo desumpti sunt, methodum non satis norunt. Quod ibi potissimum contingit, ubi vel proprium aliquod vocabulum vel occurrentes numeri ad subtiliorem allegoriam transferuntur. Sic Erasmus ipse cuidam loco censoriam hanc inussit notam: *Hic videtur, inquit, aliquis ad-*

suisse suas nugas (*Lib. II de Abrah. in marg. cap. 11*); cum tamen eandem sententiam eisdem fere verbis apud Philonem invenire sit. Sed non eo nomine privatim accusandus fuerit sanctus Doctor, cum id satis familiare alii quoque Patres habuerint, ut allegoricos tropologicosque sensus indagarent; inque numeris includi tegique magna mysteria existimarent, quæ populis suis putabant candide retegenda. Et hinc sane colligi potest multa quæ nobis quamdam obscuritatis caliginem obtendant, antiquis illis temporibus aperta etiam populo exstitisse, ut potest talibus audiendis assuefacto. Sed etsi quædam offenderentur, quæ numquam plebeculæ captum non superaverint, minime tamen id oratoris tribuendum esset obscuritati; nam hodieque inter eos qui vernaculo sermone verba faciunt, multi laudantur ob perspicuitatem, quorum in concionibus artificium vulgus multa non capiat.

Est præterea quoddam non ita vulgare interpretandi genus, quod Ambrosius in eodem Philone imitandum sibi proposuit, thematica scilicet interpretatio. Hanc autem definit Sixtus Sen. in hunc modum (*Lib. III Biblioth. Sanctæ. Meth. 22*): *Thematica explanandi methodus est, quæ peculiare divinæ Scripturæ partes una cum earum expositionibus applicat ad alicujus particularis argumenti tractationem, ostendens totum suscepti argumenti corpus, membra, partesque singulas in propositis Scripturæ sanctæ locis veluti in tabella depictas inveniri.* Quam definitionem captu difficilem non judicabit, qui voluerit considerare quemadmodum quæ de patriarchis Abraham, Isaac, et Jacob narrat Scriptura, eo Doctor sanctus referat, ut in primo debitam mandatis divinis obedientiam, in altero sinceram animi puritatem, laborum tolerantiam in tertio, tamquam in totidem vivis imaginibus expressas atque omnium imitationi propositas esse palam faciat. Sed qui plura de hac re voluerit, adeat eundem Sinensem loco citato.

Hic forte lectorum quempiam moveat, quod cum non pauca, uti dictum est, petierit ex Græcis Ambrosius, ab eis tamen citandis nominandisque ferme abstineat. Sed præterquam quod hæud infrequenter suppresso nomine auctorum, alienam sententiam a se proponi clare testatur, Erasmus geminam ejus rei rationem affert, nimirum quod eosdem imitari voluerit, non interpretari, quodque per id temporis Scriptores græci male audiebant apud Latinos. *Nec Ciceroni, ait ille (Epist. edit. suæ præfixa.), quisquam vitio vertit, quod in philosophicis argumentis Græcos sequeretur non ut interpres, sed ut imitator: nec erat corniculæ furtum, quod Græcorum nomina, quæ pleraque tum apud Latinos magna laborabant dogmatum improbatorum invidia, pressit; sed cauti pastoris, omnem offendiculi, dissidiique materiam excludentis.* Non parum probabiliter id quidem; nemo enim est qui nesciat quas turbas, quæ jurgia illis temporibus doctrina Origenis inter ejus fautores atque adversarios concierit. Quin etiam


A forte suspicari possit aliquis Ambrosium non alio nomine, quam quod Origenianorum operum studiosus esset, alicubi Hieronymo displicuisse. Rufinus certe auctor est (*Apol. 2*) eundem Hieronymum duobus tribusve librorum suorum locis de Ambrosianis libris locutum esse petulantius, quam tanti viri sanctitas atque dignitas paterentur. Et hoc isti accusationi vim quamdam addit, non modo quod eam tacitus in Apologia sua præterit Hieronymus, neque Rufino calumniæ nomen impingit: sed maxime quod in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* Ambrosianarum commentationum catalogum texere, ac suam de illis sententiam proferre detrectaverit; *ne in alterutram partem, inquit, aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.* Unde non absurde colligi possit ei quædam in iisdem illis operibus occurrisse quæ non probaret, suum tamen judicium propter insignem viri auctoritatem proferre subveritum.

Minime tamen putamus unicam ejus rei causam fuisse ipsius contra Origenianos offensionem; ibidem enim alios ille hæud paulo honorificentius tractat; quos probe norat non minus quam Ambrosium, Origenis imitationi addictos esse: immo vero ipse Doctorem nostrum et in superioribus suis libris ante laudaverat, et postea quoque in propria contra Rufinum Apologia non semel laudat: quo etiam loco non dubitat, nomen suum inter Origenianos imitatores profiteri. Quo circa si vera est Rufini objectio, forte sententiam suam ideo proferre noluerit, ne si de libris a se prius, incertum qua causa, vituperatis cum laude loqueretur, argueretur levitatis; sin autem eosdem contemptui habere pergeret, offenderet omnium animos, a quibus sanctus Præsul maximo honore ac reverentia colebatur. Quod si falsum adversario, ut eum vocaret in invidiam, Rufinus imposuit, non facile fuerit divinare quam potissimum ob causam sanctus ille doctor de tanti doctoris operibus non sine quodam fastidio silere voluerit. *Nec scire fas est omnia, inquit ille: neque hoc magnopere ad rem credimus pertinere.* Ut sit, Ambrosio nostro non potest honorificum non esse, quod cum sententiæ de singulis quibusque rebus semper tam diversæ abeant, solus repertus fuerit Hieronymus qui unum alterumve illius librum minus probaret. Sane pleni sunt codices omnes cum Græcorum, tum Latinorum laudibus sancti Ambrosii, sed etiamsi de illo cæteri tacerent scriptores, instar omnium esset unus Augustinus. Hic enim nullam elabi sibi patitur occasionem, quin Ambrosium et quasi parentem colat, et quasi doctorem ac magistrum sequatur. Contende utriusque doctrinam, et fateberis non temere dictum a doctissimis quibusdam viris, fere omnium quæ docet sanctus Augustinus, semina reperiri apud Ambrosium (*Anton. Godell. loco jam laudato*), cujus ille brevius atque strictius dicta, fusius dilatare amplificareque passim consuevit.

VITA SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

A PAULINO EJUS NOTARIO AD BEATUM AUGUSTINUM CONSCRIPTA.



1. Hortaris, venerabilis pater Augustine, ut sicut A initium sumam, ut gratia viri ab incunabulis quæ beati viri Athanasius episcopus et Hieronymus presbyter stylo prosecuti sunt vitas sanctorum Pauli et Antonii in eremo positorum, sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonensis Ecclesiæ Severus servus Dei luculento sermone contexit; sic etiam ego beatissimi Ambrosii episcopi Mediolanensis Ecclesiæ meo prosequar stylo. Sed ego ut meritis tantorum virorum, qui muri Ecclesiarum sunt, et eloquentiæ fontes; ita etiam sermone me imparem novi. Tamen quia absurdum esse opinor, quod præcipis, declinare, ea quæ a probatissimis viris, qui illi ante me astiterunt, et maxime ab sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quæ ipse vidi, cum illi astarem, vel quæ ab iis cognovi, qui illum in diversis provinciis post obitum ipsius se vidisse narrarunt, vel quæ ad illum scripta sunt, cum adhuc obiisse nesciretur: adjutus orationibus tuis, et meritis tanti viri, licet inculto sermone, breviter strictimque describam; ut lectoris animum etsi sermo offenderit, brevis tamen ad legendum provocet: nec verborum fucis veritatem obducam, ne dum scriptor elegantiae pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam, quem non magis phaleras, pompasque verborum, quam virtutem rerum; gratiamque Spiritus sancti spectare conveniat. Siquidem noverimus viatores gratiorem habere aquam brevi vena stillantem, forte cum sitiunt, quam profluentis fontis rivus, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et hordeaceus panis dulcis solet esse etiam his qui centenis vicibus ferculorum quotidiani convivii copias ructare consuerunt. Sed et hortorum amœna mirantibus herbae agrestes placere consueverunt.

2. Quamobrem obsecro vos omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, ut credalis vera esse, quæ scripsimus: nec putet me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat, posuisse; quando quidem melius sit penitus nihil dicere, quam aliquid falsi proferre, cum sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem (*Matth.*, xii, 16). Nec dubitem et si non ab omnibus omnia, tamen a diversis diversa sciri, et ea cognita nonnullis esse, quæ etiam minus ipse aut audire aut videre potui. Unde a die nativitatis ejus narrandi

^a Codex Mich., patre beati Ambrosii, nomine Ambrosio, natus ipse beatus Ambrosius est.

^b Idem codex. finem rei præstolabatur, quo scilicet ordine illud miraculum clauderetur.

^c Omnes edit. ac mss., nonnulli, sacerdotis a dome-

stica sorore vel matre manus osculari.... ab eis fieri oportere; alii mss. plures ac potiores, ut nos in textu.

3. Igitur posito in administratione præfecturæ Galliarum^a patre ejus Ambrosio, natus est Ambrosius. Qui infans in area prætorii in cuna positus, cum dormiret aperto ore, subito examen apum adveniens, faciem ejus atque ora complevit; ita ut ingrediendi in os, egrediendique vices frequentarent. Quæ pater, qui propter cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibens (sollicita enim erat ne infanti nocerent)^b exspectabat patrio affectu, quo sine illud miraculum clauderetur. At illæ post aliquamdiu evolantes, in tantam aeris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Operabatur enim jam tunc Dominus in servili sui infantia, ut impleretur quod dictum est: *Favi mellis sermones boni* (*Prov.*, xvi, 24); illud enim examen apum scriptorum ipsius nobis generabat favos, qui coelestia dona annuntiarent, et mentes hominum de terrenis ad cælum erigerent.

4. Postea vero cum adolevisset, et esset in urbe Roma constitutus cum matre vidua et sorore, quæ virginitatem jam fuerat professa, comite alia virgine, cujus virginis soror Candida, et ipsa ejusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit jam anus; cum videret^c sacerdotibus a domestica, sorore, vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dexteram, dicens et sibi id ab ea fieri oportere, siquidem episcopum se futurum esse memorabat; loquebatur enim in illo Spiritus Domini, qui illum ad sacerdotium nutrebat: illa vero ut adolescentem et nescientem quid diceret, respuebat.

5. Sed postquam edoctus liberalibus disciplinis, ex Urbe egressus est, professusque in auditorio præfecturæ prætorii, ita splendide causas peroravit; ut eligeretur a viro illustri Probo, tunc præfecto prætorii, ad consilium tribuendum. Post hæc consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam, Æmiliamque provincias, venitque Mediolanum.

6. Per idem tempus, mortuo Auxentio Arianæ perfidiæ episcopo (qui Dionysio beatæ memoriæ confessore ad exilium destinato, ^d incubabat

^d Nonnulli mss., *incursabat Ecclesiam*; cæteri, *incubabat Ecclesiam*, edit., *Ecclesiæ*.

Ecclesiam) cum populus ad seditionem surgeret in A petendo episcopo, essetque illi cura sedandæ seditionis, ne populus civitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad Ecclesiam: ibique cum allequeretur plebem, subito vox fertur^a infantis in populo sonuisse Ambrosium episcopum. Ad cuius vocis sonum totius populi ora conversa sunt, acclamantis Ambrosium episcopum; ita qui antea turbulentissime dissidebant, quia et Ariani sibi et Catholici sibi episcopum cupiebant, superatis alterutris, ordinari, repente in hunc unum mirabili et incredibili concordia consenserunt.^b

7. Quo ille cognito, egressus Ecclesiam, tribunal sibi parari fecit; quippe mox futurus episcopus, altiora conscendit: tunc contra consuetudinem suam tormenta iussit personis adhiberi. Quod cum faceret, B populus nihilominus acclamabat: Peccatum tuum super nos. Sed non similiter is populus tunc clamavit, sicut populus Judæorum; illi enim vocibus suis sanguinem Dominicum effuderunt, dicentes: *Sanguis hujus super nos (Matth., xxvii, 25)*: isti vero catechumeni scientes, fideli voce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiam promittebant. Tunc ille turbatus revertens domum, philosophiam profiteri voluit, futurus sed verus philosophus Christi, qui contemptis sæcularibus pompis, piscatorum secuturus esset vestigia, qui Christo populos congregarunt non fucis verborum, sed simplici sermone, et veræ fidei ratione, missi sine pera, sine virga, etiam ipsos philosophos converterunt. Quod ubi ne faceret, revocatus C est; publicas mulieres publice ad se ingredi fecit, ad hoc tantum, ut visis his, populi intentio revocaretur. At vero populus magis magisque clamabat: Peccatum tuum super nos.

8. At ille cum videret nihil intentionem suam posse proficere, fugam paravit: egressusque noctis medio civitatem, cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur; Deus enim qui Ecclesiæ suæ catholicæ murum parabat adversus inimicos suos, et turrem erigebat David^e contra faciem Damasci, hoc est, contra perfidiam hæreticorum, fugam illius impedivit. Qui inventus, cum custodiretur a populo, missa relatio est ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum, qui summo D gaudio accepit quod iudex a se directus ad sacerdotium peteretur. Lætabatur etiam Probus præfectus, quod verbum ejus impleteretur in Ambrosio; dixerat enim proficiscenti, cum mandata ab eodem darentur, ut moris est: Vade, age non ut iudex, sed ut episcopus.

^a Cod. Fisc. atque Becc., *infantis ter in populo sonuisse*. At post paulo solus Fisc., *per ter acclamantis*: in Becc. autem et paucis aliis hic voces aliquot prætermittuntur.

^b Fisc. cod. immani hiatu istie fatiscit; etenim post consenserunt statim subjungit: *Igitur Ambrosius populi in sua electione agnito assensu, cum videret contra votum suum rem ad profectum venire, fugam paravit.*

9. Pendente itaque relatione, iterum fugam paravit, atque in possessione cujusdam Leontii clarissimi viri aliquamdiu delimit. Sed ubi relationi responsum est, ab eodem Leontio proditur; præceptum enim erat vicario ut insisteret rebus perficiendis: qui injuncta sibi cum vellet implere, proposito edicto, convenit omnes, ut si vellent sibi consulere, rebusque suis, proderent virum. Proditus itaque et adductus Mediolanum, cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, postulavit non se nisi a catholico episcopo baptizari; ^d sollicite enim cavebat perfidiam Arianorum. Baptizatus itaque fertur omnia ecclesiastica officia implese, atque octava die episcopus ordinatus est summa cum gratia et lætitia cunctorum. Igitur post annos aliquot ordinationis suæ ad urbem Romam, hoc est, ad proprium solum perrexit, ibique sanctam puellam, de qua supra memoravimus, cui manum offerre solitus erat, in domo propria cum germana, sicut reliquerat, invenit, jam matre defuncta. Atque cum illa dexteram illius oscularetur, subridens ait illi: Ecce ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis.

10. Per idem tempus cum trans Tiberim apud quamdam clarissimam invitatus, sacrificium in domo offerret, quædam balnearix quæ paralytica in lecto jacebat, cum cognovisset ibidem esse Domini Sacerdotem, in sellula se ad eandem domum, ad quam ille invitatus venerat, portari fecit, atque orantis et imponentis manus vestimenta at- C tigit. Quæ cum exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare cepit; ut impleteretur illud Dominicum dictum ad apostolos: *Etiam majora his facietis, credentes in nomine meo (Joan., xiv, 12)*. Quod tamen signum sanitatis ut mirabile fuit, ita etiam nec occultum; nam ego hoc ^e in eadem regione post annos plurimos, sanctis viris referentibus, positus in Urbe cognovi.

11. Sirmium vero cum ad ordinandum episcopum Anemium perrexisset, ibique Justinæ tunc temporis reginæ potentia et multitudine coadunata de Ecclesia pelleretur; ut non ab ipso, sed ab hæreticis arianus episcopus in eadem ecclesia ordinaretur: essetque constitutus in tribunali, nihil curans eorum, quæ a muliere excitabantur; una de virginibus Arianorum impudentior cæteris, tribunal conscendens, apprehenso vestimento Sacerdotis, cum illum attrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis cæsus de ecclesia pelleretur; ait ei, ut ipse solitus erat referre: Etsi ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non convenit vel professionem

^e Rursus in eodem cod. Fisc. lacuna hic est ad eum modum, *contra faciem Damasci*. Hoc igitur ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum relatum est, qui summo gaudio accepit quod iudex a se directi ad sacerdotium peterentur.

^d Mss. aliquot, *sollicitam enim habebat perfidiam Arianorum*.

^e Aberat ab edit. et mss. quibusdam, *in eadem regione*; sed in aliis mss. probatoribus reperitur.

tuam in qualemcumque sacerdotem manus injicere; unde deberes vereri Dei iudicium, ne tibi aliquid mali eveniret. Quod dictum exitus confirmavit; nam alio die mortuam ad sepulcrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non levem adversariis incussit metum, pacemque magnam Ecclesiae catholicae in ordinando episcopo tribuit.

12. Ordinato itaque catholico sacerdote, Mediolanum revertitur, ibique supradictae Justinæ mulieris innumeras insidias sustinuit, quæ muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis, populum excitabat. Sed infirmorum animi talibus promissis decipiebantur; promittebat enim tribunatus, et diversas alias dignitates iis, qui illum de ecclesia raptum, ad exilium perduxissent. Quod cum multi conarentur, sed Deo præsule, perficere non valerent, unus infeliciores cæteris, nomine Euthymius, in tantum furorem excitatus est, ut juxta ecclesiam sibi domum pararet, atque in eadem carrum constitueret, quo facilius raptum, a superpositum carpento ad exilium perduceret. Sed iniquitas ejus in verticem ipsius descendit (Psal. vii, 17); post annum etenim eodem die quo illum rapere se arbitrabatur, in eodem carpento impositus, de eadem domo ipse ad exilium destinatus est, reputans sibi justo iudicio Dei id in se esse conversum; ut in eo carpento dirigeretur ad exilium, quod ipse paraverat Sacerdoti. Cui non minimum solatii Sacerdos præbuit, dando sumptus, vel alia quæ erant necessaria.

13. Sed hæc confessio hominis nec mulieris furorem, nec vasanorum Arianorum dementiam repressit; majore etenim accensi amentia, basilicam Portianam invadere nitentur: exercitus etiam armatus ad custodiendas fores ecclesiae est directus, ut nemo auderet catholicam ecclesiam ingredi. Sed Dominus qui de adversariis suis Ecclesiae suae triumphos donare consuevit, ad Ecclesiae suae munimentum militum corda convertit; b ut aversis scutis ecclesiae fores servarent, nec egredi dimitterent, sed ingredi ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent. Sed nec hoc satis erat missis militibus, nisi etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent. Hoc in tempore primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem ecclesia, verum per omnes pene Occidentis provincias manet.

14. Per idem tempus sancti martyres Protasius et Gervasius se Sacerdoti revelaverunt. Erant enim in basilica positi, in qua sunt hodie corpora Naboris et Felicis martyrum: sed sancti martyres Nabor et Felix celeberrime frequentabantur, Protasii vero et Gervasii martyrum ut nomina, ita etiam sepulcra

^a Restituitur etiam e mss. prope omnibus, *superpositum carpento*.

^b Nonnulli mss., *ut aversis scutis.... nec ingrediendi licentiam dimitterent, sed egrediendi*.

A incognita erant, in tantum ut supra ipsorum sepulcra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos pervenire, quibus sanctorum Naboris et Felicis martyrum ab injuria sepulcra defendebantur. Sed ubi sanctorum martyrum corpora sunt levata, et in lecticis posita, multorum ibi satanæ ægritudines perdocentur. Cæcus etiam Severus nomine, qui nunc usque in eadem basilica quæ dicitur Ambrosiana, in quam Martyrum corpora sunt translata, religiose servit; ubi vestem martyrum attigit, statim lumen recepit. Obsessa etiam corpora a spiritibus immundis curata, summa cum gratia domum repetebant. Sed iis beneficiis martyrum in quantum crescebat fides Ecclesiae catholicae, in tantum Arianorum perfidia minuebatur.

B 15. Denique ex hoc tempore sedari cœpit persecutio, quæ Justinæ furore accendebatur; ut Sacerdos de Ecclesia pelleretur. Tamen intra palatium multitudo Arianorum cum Justina constituta deridebat tantam Dei gratiam, quam Ecclesiae catholicae Dominus Jesus meritis martyrum suorum conferre dignatus est: venerabilemque virum Ambrosium narrabat pecunia comparasse homines, qui se vexari ab immundis spiritibus mentirentur; atque ita ab illo, sicut et a martyribus se torqueri dicerent. Sed hoc Judaico ore loquebantur Ariani, suppares scilicet eorum; illi enim de Domino dicebant, quoniam *in Beelzebuth principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (Luc., xi, 15): isti de martyribus, vel de Domini Sacerdote loquebantur, quod non Dei gratia, quæ per ipsos operabatur, immundi spiritus pellerentur; sed accepta pecunia se torqueri mentirentur. Clamabant enim dæmones: Scimus vos martyres; et Ariani dicebant: Nescimus esse martyres. Jam hoc et in Evangelio legimus, ubi dixerunt dæmones ad Dominum Jesum: Scimus te, quia sis Dei Filius (Marc., i, 24); et Judæi dicebant: *Hic autem unde sit, nescimus* (Joan., ix, 29). Sed non hic testimonium accipitur dæmonum, sed confessio; unde miseres Ariani vel Judæi, ut quod confitentur dæmones, illi negent.

C 16. Deus tamen qui gratiam Ecclesiae suae augere consuevit, non passus est diu insultari a perfidis sanctis suis. Unus itaque ex ipsa multitudine subito arreptus a spiritu immundo, clamare cœpit e ita torqueri eos, ut ipse torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non crederent in Trinitatis unitatem, quam docet Ambrosius. At illi hac voce confusi, qui converti debuerant, et dignam tali confessione agere poenitentiam, in piscinam demersum hominem necaverunt, perfidiae homicidium adjunctes; deduxit enim illos ad hunc finem digna necessitas. Sanctus vero Ambrosius episcopus majoris humilitatis vir factus, donatam sibi a Domino gratiam reservabat, crescebatque quotidie fide et amore coram Deo et hominibus.

D 17. Per idem tempus erat quidam vir de hæresi

^e Omnes edit. cum codice uno vel altero, *ita optare se torqueri eos: cæteri mss. summo consensu repudiant, optare se.*

Arianorum, acerrimus nimium disputator, et durus atque inconvertibilis ad fidem catholicam. Is constitutus in Ecclesia, tractante Episcopo, vidit (ut ipse postmodum loquebatur) Angelum ad aures Episcopi tractantis loquentem; ut verba angeli populo Episcopus renuntiare videretur. Quo viso conversus, fidem quam expugnabat, cepit ipse defendere.

18. Fuerunt etiam duo cubicularii tunc temporis Gratiani imperatoris de hæresi Arianorum, ^a qui tractanti Episcopo quæstionem proponerent, ad quam audiendam altero die ad basilicam Portianam se adfuturos promiserant; erat enim quæstio de incarnatione Domini. Sed alio die miserandi homines superbiam tumore completi, nec memores promissorum, contemnentes Deum in Sacerdote ipsius, nec plebis expectantis considerantes injuriam, immemores etiam dictorum Dominicorum, quoniam *qui scandalizaverit unum ex minimis istis, oportet ut mola asinaria collo ejus alligetur, et demergatur in profundum maris (Matth., xviii, 6)*, ascendentes in rhedam, quasi gratia gestandi, civitatem egressi sunt, expectante Sacerdote et plebe in Ecclesia constituta. Sed hujus contumaciæ quis finis fuerit, horresco referens; subito enim præcipitati de rheda, animas emisissent, atque corpora illorum sepulturæ sunt tradita. Sanctus vero Ambrosius cum ignoraret quid factum esset, nec diutius posset plebem tenere, ascendens pro tribunali, de eadem quæstione quæ fuerat proposita, sermonem adorsus est, dicens: *Debitum, fratres, cupio solvendum, sed hesternos meos non invenio creditores, et reliqua quæ scripta sunt in libro, qui de Incarnatione Domini intitulatur (Tom. II, pag. 703)*.

19. Occiso itaque Gratiano imperatore, recipiendi corporis ejus causa secundam ad Maximum suscepit legationem. Apud quem quam constanter egerit, qui voluerit cognoscere, ipsius legationis epistolam ad Valentinianum juniorem datam cum legerit (*Epist. 24*), approbabit; nobis enim alienum a promissione visum est illam inserere, ne adjunctæ epistolæ prolixitas fastidium legenti afferret. Ipsum vero Maximum a communionis consortio segregavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui, et quod est gravius, innocentis, ageret poenitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum poenitentiam declinat superbo spiritu, non solum futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, regnumque quod male arripuerat, femineo quodam modo, timore deposuit, ut procuratorem ^b se reipublicæ, non imperatorem fuisse confiteretur.

20. Mortua vero Justina, quidam haruspex Innocentius nomine, ^c non tamen opere, cum in causa maleficiorum a iudice torqueretur aliud quam interrogabatur fateri cepit; clamabat enim ab angelo majora tormenta sibi adhiberi eo qui custodiret Ambrosium; quoniam temporibus Justinæ ad excitanda odia populorum in Episcopum cacumen tecti

ecclesiæ conscendens, medio noctis sacrificaverit. Sed quanto instantius et sollicitius opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem catholicam et Domini Sacerdotem convalescebat. Mississe se etiam et dæmones, qui illum internecarent, fatebatur: sed dæmones renuntiasse se non solum ad ipsum appropinquare minime posse, verum etiam nec ad fores domus, in qua manebat Episcopus; quia ignis insuperabilis omne illud ædificium communiret, ut etiam longe positi urerentur: atque ita cessasse artes suas, quibus adversus Domini Sacerdotem se aliquid posse arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cubiculum usque pervenit, ut interficeret Sacerdotem: sed cum elevasset manum, districto gladio, dextera exerta in aera obrigente remansit. Tunc se missum a Justina postquam confessus est, brachium quod inique cum extenderetur, obriguerat, sanatum est confessione.

21. Per idem tempus cum vir illustris Probus puerum suum notarium, qui spiritu immundo graviter vexabatur, direxisset ad Episcopum, egressum ex Urbe dimisit diabolus, timens ad virum sanctum perducere. Atque ita puer quamdiu Mediolani apud Episcopum fuit, nulla in illo diaboli dominatio apparuit: sed ubi egressus Mediolano est, et prope Urbem pervenit, idem spiritus qui illum antea habuerat, vexare eum cepit. Qui cum interrogaretur ab exorcistis, cur quamdiu Mediolani fuisset, non in illo apparuisset; confessus est diabolus timuisse se Ambrosium, et ideo recessisse ad tempus, atque expectasse in illo loco, ubi ab illo recesserat, donec revertetur: quo revertente, vas quod deseruerat, repetisset.

22. Exstineto Maximo, posito Theodosio imperatore Mediolani, Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiæ, in partibus Orientis in quodam castello a christianis viris synagoga Judæorum et lucus Valentinianorum incendio concremata sunt, propterea quod Judæi vel Valentiniani insultarent monachis christianis; Valentinianorum enim hæresis triginta deos colit. Sed de hujusmodi facto comes Orientis ad imperatorem relationem direxit: qua accepta, imperator præceperat ut synagoga ab episcopo loci reedificaretur, in monachos vero vindicaretur. Sed hujus præcepti tenor cum ad aures pervenisset venerabilis viri Ambrosii episcopi, direxit ad imperatorem epistolam (*Epist. 40*), quia ipse in tempore excurrere non poterat, qua illum convenit, ut id quod ab eodem statutum fuerat, revocaretur, servarique sibi debere ab eo audientiam; quia si dignus non esset, qui ab illo audiretur, dignus etiam non esset, qui pro illo a Domino audiretur, vel cui suas preces, aut cui sua vota committeret: paratum etiam se esse pro tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui prævaricatorem faceret imperatorem, qui tam injusta contra Ecclesiam præcepisset.

23. Postea vero quam Mediolanum reversus est, mss. ut in contextu.

^c Mss. nonnulli, *sed opere crudelissimus*.

^a Ita mss. edit. e contrario, *qui tractandam episcopo, etc.*

^b Omnes edit., *se reipublicæ nomine præfuisse; omnes*

posito imperatore in Ecclesia, de eadem causa tractavit in populo. In quo tractatu introduxit Domini personam loquentis imperatori : Ego te ex ultimo imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego tibi copias quas ille adversum te exercitui suo præparaverat, dedi, ego inimicum tuum in potestatem tuam redegei, ego de semine tuo supra solum regni constitui, ego te triumphare sine labore feci : et tu de me inimicis meis donas triumphos ! Cui descendenti de exhedra imperator ait : Contra nos proposuisti hodie, Episcopo. At ille respondit non se contra ipsum, sed pro ipso fuisse locutum. Tunc imperator : Re vera, inquit, dure præceperam contra episcopum de synagoga reparanda : in monachos vero ^a vindicandum esse. Ita et a comitibus qui in tempore aderant, dicebatur. Quibus Episcopus : Ego quidem cum imperatore nunc ago, vobiscum vero mihi aliter agendum est. Atque ita obtinuit ut illa quæ statuta fuerant, revocarentur : nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua imperator illum agere debere testaretur. Cui Episcopus : *Ergo ago fide tua.* Respondit imperator : *Age fide mea.* Qua sponsione iterata, jam securus peregit Sacerdos divina mysteria. Hæc autem scripta sunt in epistola, quam ad germanam suam fecit (*Epist.* 41) : in qua tractatum inseruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo, qui a propheta Hieremia visus esse describitur.

24. Per idem tempus causa Thessalonicensis civitatis non minima successit tribulatio Sacerdoti, cum civitatem pene deletam comperisset ; promiserat enim illi imperator se veniam daturum civibus supradictæ civitatis : sed agentibus comitibus occulte cum imperatore, ignorante Sacerdote, usque ^b in horam tertiam gladio civitas est donata, atque plurimi interempti innocentes. Quod factum ubi cognovit Sacerdos, copiam imperatori ingrediendi Ecclesiam denegavit : nec prius dignum iudicavit cœtu ecclesiæ, vel sacramentorum communione, quam publicam ageret pœnitentiam. Cui imperator contra asserebat David adulterium simul et homicidium perpetrasse. Sed responsum illico est : *Qui secutus es errantem, sequere corrigentem.* Quod ubi audivit clementissimus imperator, ita suscepit animo, ut publicam pœnitentiam non abhorreret : cujus correctionis profectus secundam illi paravit victoriam.

25. Per idem tempus duo potentissimi et sapientissimi viri Persarum ad famam Sacerdotis venire Mediolanum, deferentes secum plurimas quæstiones, ut ex his probarent sapientiam viri : cum quo ab hora diei prima usque in horam tertiam noctis per interpretem disputaverunt, admirantesque discesserunt ab eo. Et ut se probarent non ob aliam causam venisse, nisi ut certo certius nossent virum, quem fama compererant ; alia die valefacientes imperatori, profecti sunt ad urbem Romam, illic volentes cogno-

^a Ita mss.; edit. vero, *vindicandum esse a comitibus.* Minus concinne.

^b Mss. aliquot, *in horam tertiam eis civitas, etc.*

scere potentiam illustris viri Probi, qua cognita, ad propria remearunt.

26. Sed egresso Theodosio de Italia et Constanti-nopoli constituto, Valentiniano Augusto intra Gallias posito, directa ^c legatio est sub nomine senatus a Symmacho tunc præfecto Urbis de repetenda ara Victoriæ et sumptibus cæremoniarum. Sed ubi comperit Sacerdos, misso libello ad imperatorem (*Epist.* 17 et 18), postulavit ut ad se relationis exemplariâ dirigerentur, quibus ipse pro partibus suis responsurus esset. Qua relatione accepta, præclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil unquam aude-ret Symmachus vir eloquentissimus respondere : sed postquam augustæ memoriæ Valentinianus in Viennensi civitate (quæ est Galliarum civitas) vitam

finivit; Eugenius suscepit imperium, qui ubi imperare cœpit, non multo post, petentibus Flaviano tunc præfecto et Arbogaste comite, aram Victoriæ et sumptus cæremoniarum, quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in junioribus annis constitutus, petentibus denegaverat, oblitus fidei suæ concessit.

27. Hoc ubi cognovit Sacerdos, derelicta civitate Mediolanensi, ad quam ille festinato veniebat, ad Bononiensem civitatem emigravit, atque inde Faventiam usque perrexit. Ubi cum aliquantis degeret diebus, invitatus a Florentinis, ad Tusciam usque descendit, declinans magis sacrilegi viri aspectum, non formidans imperantis injuriam ; nam et epistolam ad eundem dedit (*Epist.* 57), in quâ convenit conscientiam illius, de qua pauca de multis pœnenda duxi. *Et si imperatoria potestas magna sit, tamen considera, Imperator, quantum sit Deus. Corda hominum videt, conscientiam interiorum interrogat, novit omnia antequam fiant, novit interna pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, et Deum vultis celare? Non cecidit in animum tuum quidquam? Si illi agebant tam perseveranter, nonne tuum fuit, Imperator, pro Dei summi et veri et vivi veneratione perseverantius obsistere, et negare quod erat in injuriam sacræ legis (Num. 7)? Et iterum: Quoniam igitur meis vobis et apud Deum et apud omnes homines teneor: aliud mihi non licere intellexi; aliud non oportere, nisi ut consulerem mihi, quia non potui tibi.*

28. In supradicta itaque civitate Florentinorum, cum in domo clarissimi quondam viri Decentis, et quod est amplius, christiani, maneret, filius ipsius, Pansophius nomine, admodum parvulus, cui spiritum immundo laboraret, frequenti oratione et impositione manus Sacerdotis ipsius est sanatus : sed post aliquantos dies subita infirmitate correptus infantulus exhalavit spiritum. Cujus mater valde religiosa, et plena fide ac timore Dei, ablato illo de superiore parte domus, ad inferiora descendit, ac in lecto Sacerdotis, ipso absente, composuit. Quem cum revertens Sacerdos in lectulo invenisset, erat enim illo in tempore extra domum positus, miseratus matrem

^c Omnes edit.; *directa relatio est*; omnes mss. *directa legatio est*; quæ relationem scilicet offerret Cæsari.

et fidem ipsius contemplatus, Elisæo similis supra A corpus infantis se ipse composuit, atque orando meruit ut vivum redderet matri, quem mortuum invenerat: ad quem etiam infantulum libellum conscripsit, ut quod per ætatis infantiam scire non poterat, legendo cognosceret. Verumtamen factum scriptis suis non commemoravit: sed quo affectu declinaverit commemorare, non est nostrum iudicare.

29. In eadem etiam civitate basilicam constituit, in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis et Agricolaë, quorum corpora in Bononiensi civitate levaverat (*Exhort. Virg. pag. 277*); posita enim erant corpora Martyrum inter corpora Judæorum: nec erat cognitum populo christiano, nisi se sancti martyres^a sacerdoti ipsius Ecclesiæ revelassent. Quæ cum deponerentur sub altari, quod est in eadem basilica B constitutum, magna illic totius plebis sanctæ lætitia atque exultatio fuit, pœna dæmonum confitentium martyrum merita.

30. Per idem tempus Arbogastes comes adversum gentem suam, hoc est, Francorum, bellum paravit, atque pugnando non parvam multitudinem manu fudit, cum residuis vero pacem firmavit. Sed cum in convivio a regibus gentis suæ interrogaretur, utrum sciret Ambrosium; et respondisset nosse se virum, et diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari solitum, audivit: Ideo vincis, Comes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit soli: Sta, et stat. Quod ego ideo posui, ut cuius famæ fuerit vir sanctus etiam apud barbaras gentes, legentes agnoscant. Nam et nos, referente juvene quodam Arbogastis admodum C religioso, cognovimus, qui tunc interfuit; erat enim in tempore,^b quo hæc loquebantur, vini minister.

31. Profectus itaque Sacerdos de Tusciæ partibus Mediolanum revertitur, jam inde egresso Eugenio contra Theodosium; ibi christiani imperatoris præstolabatur adventum, securus de Dei potentia quod non traderet credentem in se hominibus injustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem justorum, ne extenderent iustis iniquitates manus suas (*Psal. cxxiv, 5*). Promiserat enim Arbogastes tunc comes, et Flavianus præfectus Mediolano egredientes, cum victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica ecclesiæ Mediolanensis atque clericos sub armis probaturos: sed miserandi homines cum dæmonibus suis male creduli sunt, D et aperiunt os suum in blasphemiam^c apud Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia munera imperatoris qui se sacrilegio miscuerat, ab Ecclesia respuebatur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus qui Ecclesiam suam tueri consuevit, de cœlo jaculatus est iudicium, atque omnem victoriam ad religiosum imperatorem transtulit Theodosium.

^a Eadem edit. cum cod. uno Germ., sacerdoti ipsi revelassent, cæteri mss. ut in contextu.

^b Ita mss. uno excepto: edit. autem cum eodem, quo hæc loquebatur.

^c Omnes edit., contra Deum; omnes mss., apud

Extincto itaque Eugenio satellitibusque ejus, cum scripta acciperet imperatoris, non illi alia cura major fuit quam ut pro iis interveniret, quos reatus invenerat. Obsecratus est primo scriptis imperatorem misso diacono (*Epist. 61 et 62*): post ea vero quam directus est Johannes tunc tribunus et notarius, qui nunc præfectus est, ad tuitionem eorum qui ad Ecclesiam confugerant, etiam ipse Aquileiam perrexit precaturus pro eis, quibus facile venia impetrata est; quia ipse christianus imperator provolutus pedibus Sacerdotis testabatur meritis et orationibus ejus se esse servatum.

32. Revertens itaque de Urbe Aquileiensi, uno die præcessit imperatorem: nec diu clementissimæ memoriæ Theodosius imperator susceptis filiis in Ecclesia et traditis Sacerdoti, in hac luce fuit: post cuius obitum fere triennium supervixit. Quo in tempore sancti Nazarii martyris corpus, quod erat in horto positum extra civitatem, levatum ad basilicam Apostolorum^d quæ est in Romana, transtulit. Vidimus autem in sepulcro, quo jacebat corpus martyris (qui quando sit passus, usque in hodiernum scire non possumus) sanguinem martyris ita recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, ut nobis videretur eodem tempore quo levabatur, lotum atque compositum in sepulcro. Et quid mirum, quandoquidem Dominus in Evangelio ante promisit, quod capillus de capite eorum non peribit (*Luc. xxi, 18*)? Etiam odore tanto repleti sumus, ut omnium aromatum vinceret suavitatem.

33. Quo levato corpore martyris, et in lectica composito, statim ad sanctum Celsum martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto Sacerdote ad orationem perreximus. Numquam tamen illum antea orasse in eodem loco compertum habemus: sed hoc erat signum revelati corporis martyris, si sanctus Sacerdos ad locum, ad quem nunquam antea fuerat, oratum isset. Cognovimus tamen a custodibus loci ipsius, quod a parentibus suis illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem et progeniem suorum; eo quod thesauri magni in eodem loco positi essent. Et vere magni thesauri, quos non ærugo, neque tineæ exterminat, neque fures effodiunt et furantur (*Matth., vi, 19*); quia custos eorum Christus est, et locus eorum aula cœlestis, quibus *Vivere Christus fuit, et mori lucrum* (*Philip. i, 21*). Translato itaque corpore Martyris ad basilicam Apostolorum^e ubi pridem sanctorum Apostolorum reliquiæ summa omnium devotione depositæ fuerant, cum tractaret Episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo, clamare cœpit se torqueri ab Ambrosio. At ille conversus ad

Deum.

^d Omnes edit., quæ est Romana; mss. e contrario, quæ est in Romana, regione scilicet; id est, prope portam Romanam urbis Mediolani.

^e Mss. aliquot, ubi pridie sanctorum apostolorum.

eum ait : Obmutesce, diabole; quia non te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum et invidia tua; quoniam illuc vides ascendere homines, unde tu dejectus es; nam Ambrosius nescit inflari. Quo dicto, ille qui clamabat, obmutuit, prostratusque in terram est, nec amplius vocem qua obstrepere posset, emisit.

34. Per idem tempus cum consulatus sui tempore imperator Honorius in urbe Mediolanensium, Lybicarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, ^a data copia est missis militibus tunc ab Stilicone comite hortatu Eusebii præfecti, ut Cresconius quidam de ecclesia raperetur; quem confugientem ad altare Domini sanctus Episcopus cum clericis, qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, ^b quæ duces suos habebat de perfidia Arianorum, prævaluit adversum paucos; atque, ablato Cresconio, exsultantes ad amphitheatrum reverterunt, Ecclesiæ luctum non modicum relinquentes; nam Sacerdos prostratus ante altare Domini factum diu flevit. Sed in tempore cum revertissent, et renuntiassent iis, a quibus fuerant destinati milites, dimissi leopardi saltu celeri ad eundem locum, in quo sederant qui de Ecclesia triumphabant, ascendentes graviter laniatos reliquerunt. Quod ubi vidit tunc Stilico comes, poenitentia motus est, ita ut per multos dies satisfaceret Sacerdoti, et illæsum quidem illum qui ablatum fuerat, dimisit: sed quia gravissimorum criminum erat reus, et aliter emendari non poterat, ad exilium destinavit, non multo post indulgentia prosequente.

35. Per idem tempus cum ad palatium pergeret, eumque pro loco officii nostri sequeremur, ^c Theodulo tunc notario, qui postea summa cum gratia Mutinensem rexit ecclesiam, cum casu quidam pedes esset lapsus, atque prostratus jaceret in terra, ridenti factum conversus Sacerdos ait: Et tu qui stas, vide ne cadas (I Cor., x, 12). Quo dicto, statim is qui alienum lapsum riserat, suum doluit.

36. Per idem tempus Frigilil quædam regina Marcomannorum, cum a quodam Christiano viro, qui ad illam forte de Italiæ partibus advenerat, referente sibi audiret famam viri, Christo credidit, cujus illum servulum recognoverat, missisque Mediolanum muneribus ad Ecclesiam per legatos postulavit, ut scriptis ipsius qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catechismi, in qua etiam admonuit ut suaderet viro Romanis pacem servare: qua accepta epistola, mulier suasit viro, ut cum populo suo se Romanis traderet. Quæ cum venisset Mediolanum, plurimum doluit quod sanctum Sacerdotem, ad quem festinarat, minime reperisset; jam enim de hac luce migraverat.

^a Ita edit. Gill. ac plures mss. alii nonnulli, *data copia est injustis militibus*; Rom. edit., *data copia est militibus*.

^b Mss. aliquot, *quæ duos duces habebat*.

^c Quidam mss., *Theodoro tunc notario*; unus, *Theodorus tunc notarius*, non bene.

edit. cum uno cod. Colb., *quam nec tu in-*

A 37. Temporibus vero Gratiani, ut retro redeam, cum ad prætorium Macedonii tunc magistri officiorum pro quodam intercedendum perrexisset, atque ex præcepto supradicti viri fores invenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait: Et tu quidem venies ^d ad ecclesiam nec clausis januis invenies, qua ingrediaris. Quod factum est; mortuo enim Gratiano, confugiens Macedonius ad ecclesiam, patentibus januis, aditum reperire non poterat.

38. Vir autem ipse venerabilis Episcopus multæ abstinentiæ, et vigiliarum multarum et laborum, quotidiano jejunio macerans corpus, cui prandendi nunquam consuetudo fuit, nisi die sabbati, et Dominico, vel cum natalitia celeberrimorum martyrum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte: nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate ^e corpus ejus attineretur. Erat etiam in illo sollicitudo omnium Ecclesiarum, interveniendi etiam magna assiduitas et constantia. In rebus etiam divinis implendis fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiam nimium pro pauperibus et captivis; nam in tempore quo episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum quod habere poterat, Ecclesiæ vel pauperibus contulit. Prædia etiam quæ habebat, reservato usufructuario germanæ suæ, donavit Ecclesiæ, nihil sibi quod hic suum diceret, derelinquens; ut nudus atque expeditus miles Christum dominum sequeretur: *Qui cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur* (II Cor., viii, 9).

39. Erat etiam gaudens cum gaudentibus, et flens cum flentibus (Rom., xii, 15); siquidem quotiescumque illi aliquis ob percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum quæ illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines. Nam et secundum Apostolum (II Cor., ii, 8), circa hujusmodi hominem confirmanda charitas est; quia ipse sui accusator est, nec exspectat accusatorem, sed prævenit; ut confitendo suum ^f allevet ipse delictum; ne habeat quod adversarius criminetur. Ideoque Scriptura dicit: *Justus in principio sermonis accusator est sui* (Prov., xviii, 17). Vocem enim eripit adversario, et quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ peccatorum suorum confessione confringit, dans honorem Deo, cui nuda sunt omnia (Hebr., iv, 13), et qui vult vitam magis peccatoris quam mor-

grediere, januis licet non clausis; cod. unus Germ., *apertisque januis, non invenies qua ingrediaris*; cæteri mss. ut in contextu.

^e Ita mss. septem; Germ. vero unus, ac edit., *corpus ejus attenuaretur*.

^f Mss. quatuor, *ut absolvat*; unus, *ut abluat*; alius, *ut alliget*; duo reliqui, et edit., *ut allevet*.

tem (*Ezech.* xviii, 52). Nam et ipsi pœnitenti non A sufficit sola confessio, nisi subsequatur emendatio facti; ut pœnitens non faciat pœnitenda, humiliet etiam animam suam sicut David sanctus, qui postquam audivit a propheta: *Dimissum est peccatum tuum* (*II Reg.* xii, 14); humilior factus est in emendatione peccati, ita ut cinerem sicut panem manducaret et potum suum cum fletu misceret (*Psal.*, cii, 10).

40. Flebat etiam amarissime quotiescumque forte nuntiatum illi fuerat de cujuscumque sancti obitu sacerdotis, in tantum ut nos illum ^a consolari nitermur, ignorantes pium affectum viri, nec qua ratione ita fleret intelligentes. Quibus ille hujusmodi responsum reddebat: Non se flere, quia recesserat, qui fuerat mortuus nuntiat: sed quia præcesserat, vel quia difficile esset invenire virum, qui summo sacerdotio dignus haberetur. Ipse autem de sua morte ante prædixit quod usque ad pascha nobiscum futurus esset: quod quidem meruit Dominum obsecrando, quo maturius hinc liberaretur.

41. Ingemiscebat enim vehementer cum videret radicem omnium malorum avaritiam pullulare, quæ neque copia neque inopia minui potest, magis magisque increscere in hominibus, et maxime in iis qui in potestatibus erant constituti; ita ut interveniendi illi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia pretio distrahebantur. Quæ res primo omne malum invexit Italiæ, et exinde omnia verguntur in pejus. Et quid dicam, si in hujusmodi personis ita rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum aut propinquorum causas prætere: *Ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* cxl, 4); quandoquidem plerosque ceperit etiam cœlibes sacerdotes vel levitas, quibus portio Deus est, ut etiam ipsi illam appetant (*Deut.* xviii, 2)? Et vae nobis miseris! quia nec fine mundi provocamur, ut tam gravi jugo servitutis liberari velimus, quod demergit ad profundum inferni; ut faciamus nobis *amicos de iniquo mammona, qui nos recipiant in æterna tabernacula* (*Luc.* xvi, 9). Attamen beatus ille qui quandoque conversus, diruptis vinculis, atque projecto jugo hujusmodi dominationis, *tenebit, et allidet parvulos ejus ad petram* (*Psal.* cxxxvi, 9), hoc est, omnes intentiones ejus allidet ad Christum, qui secundum Apostolum petra est, quæ omnes ad se allisos interimit, ipsa inviolabilis manens, nec reum faciens eum, qui ad se alliserit nequissimi D uteri deteriores partus, sed innocentem; ita ut securus possit dicere: *Portio mea Dominus* (*Psal.* cxviii, 57). Quia cui nihil in sæculo est, illi vere portio est Christus: Et qui contempserit parva, multa percipiet, insuper et vitam æternam possidebit (*Matth.* xix, 29).

42. Ante paucos vero dies quam lectulo detineretur, cum quadragesimum tertium psalmum dicta-

ret, me et excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipsius tamquam in domum habitator ingressus est: post quod facta est facies ejus velut nix, et postea reversus est vultus ejus ad speciem suam. Quod cum fieret, stupore percussus obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, nisi posteaquam visio ipsa transivit; dicebat enim in eo tempore testimonium Scripturæ divinæ, quod ego optime retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit; siquidem ipsum psalmum explere non potuit. Ego vero id quod visum a me fuerat, honorabili viro Casto diacono, sub cujus cura degebam, statim retuli: at ille repletus gratia Dei, Spiritus sancti adventum me in illo vidisse edocuit lectione Actuum apostolorum.

43. Superioribus autem diebus cum Stiliconis tunc comitis servus, qui dæmonio laboraverat, in Ambrosiana basilica jam sanus maneret, commendatus a domino suo; ferebatur enim quod libenter ab eodem haberetur: faceretque ^b falsas epistolas tribunatus, in tantum ut tenerentur homines, qui ad ministrandum pergebant: sed ubi ad personam servi sui pervenit comes Stilico, noluit in eum vindicare. Homines etiam qui decepti fuerant, interventu Sacerdotis dimisit, de ipso vero servo Sacerdoti questus est. Quem vir sanctus cum de basilica Ambrosiana egrederetur, requiri fecit, atque ad se perducit. Quem cum interrogasset, et deprehendisset auctorem tanti flagitii, ait: Oportet illum tradi satanæ in interitum carnis, ne talia aliquis in posterum audeat admittere (*I Cor.* v, 5). Quem eodem momento cum adhuc sermo esset in ore Sacerdotis, spiritus immundus arreptum discerpere cœpit: quo viso, non minimo timore repleti sumus et admiratione. Multos etiam diebus illis, imponente illo manus, et imperante ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

44. Per idem tempus ^c Nicentius quidam ex tribuno et notario, qui ita pedum dolore tenebatur, ut raro in publico videretur; cum ad altare accessisset, ut sacramenta perciperet, calcatusque casu a Sacerdote exclamasset, audivit: *Vade, et amodo salvus eris.* Nec se amplius doluisse pedes, tempore quo sanctus Sacerdos de hac luce migravit, lacrymis testabatur.

45. Sed post dies hos, ordinato sacerdote Ecclesiæ Ticinensi, incidit in infirmitatem, qua cum plurimis diebus detineretur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur quod, tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ. Unde convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis, quos diligere a sancto Sacerdote cognoverat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, ut pergerent ad sanctum Sacerdotem, suaderentque illi, ut sibi vivendi peteret a Domino com meatum. Quod ille ubi ab illis

^a Omnes edit., *consolari niteremur*; omnes mss. *consolari videremur*.

^b Ita mss. Edit. vero, *facere epistolas tribunatus compertum est*.

^c Eras. et Gill. cum parte mss. ita hoc nomen

scribunt; edit. autem Rom. cum aliis mss., *Nicentius quidam*. Continuo vero post pro *ex tribuno et notario*, habet cod. Becc. *extribunus et notarius*. Unus Germ., *ex tribuno notarius*.

audivit, respondit : Non ita inter vos vixi, ut pudeat a me vivere : nec timeo mori ; quia Dominum bonum habemus.

46. Per idem tempus cum in extrema parte porticus in qua jacebat in uno positi Castus, Polemius, Venerius et Felix tunc diaconi secum tractarent voce ita pressa, ut vix se invicem audirent, quis post obitum illius episcopus ordinandus esset, atque cum de nomine sancti loquerentur Simpliciani, tamquam interesset tractatui, cum longe positus ab ipsis jaceret, approbans exclamavit tertio : Senex, sed bonus. Erat enim Simplicianus ævi maturus. Qua voce audita, expavescentes fugerunt ; defuncto tamen eo, non alius illi successit in sacerdotium, nisi is quem ille bonum senem trina voce signaverat. Cui Simpliciano Venerius, quem supra memoravimus, successor fuit : Felix vero nunc usque Bononiensem regit Ecclesiam ; Castus autem et Polemius nutriti ab Ambrosio bonæ arboris boni fructus, in Ecclesia Mediolanensi diaconii funguntur officio.

47. In eodem tamen loco in quo jacebat (sicut referente sancto Bassiano episcopo Laudensis Ecclesiæ, qui ab eodem audierat, didicimus) cum oraret una cum supradicto sacerdote, viderat Dominum Jesum advenisse ad se, et arridentem sibi : nec multos post dies nobis ablatum est. Sed eodem tempore quo migravit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam, in qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit : nos vero labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus etiam sacerdos Ecclesiæ Vercellis cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi : Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus : a quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens ; ut in virtute escae anima refector, angelorum nunc consortio, quorum vita vixit in terris, et Eliæ societate laetetur ; quia ut Elias nunquam regibus vel ullis potestatibus, ita nec iste pro Dei timore loqui veritus est.

48. Atque inde ad Ecclesiam majorem^b antelucana hora qua defunctus est, corpus ipsius portatum est ; ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in pascha : quem plurimi infantes baptizati cum a fonte venirent, viderunt, ita ut aliqui sedentem in cathedra in tribunali dicerent, c alii vero ambulantiem suis parentibus digito ostenderent : sed illi videntes videre non poterant, quia mundatos oculos non habebant : plurimi autem stellam supra corpus ejus se vidisse narrabant. Sed lucescente die Dominico, cum corpus ipsius, peractis sacramentis divinis, de Ecclesia levaretur, portandum ad basilicam Ambrosianam, in

^a Omnes edit., *Quod ubi accepit, emisit spiritum ; omnes mss. ut nros in textu.*

^b Omnes edit., *ante lucana hora corpus ipsius : plures mss., ante lucanam horam : omnes vero restituunt, qua defunctus est.*

^c Mss. aliquot, *alii vero ascendentem.... ostenderent : sed nulli præter noviter baptizatos videre pote-*

qua positus est, ita ibi dæmonum turba clamabat se ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non possent. Quæ gratia Sacerdotis non solum in illo loco, verum etiam in plurimis provinciis usque in hodiernum manet : jactabant etiam turbæ virorum ac mulierum oraria, vel semicinctia sua, ut corpus Sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exsequiarum turba innumeralis totius dignitatis, totiusque sexus, omniumque pene ætatum non solum christianorum, sed etiam Judæorum et paganorum ; majore tamen gratia ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati.

49. Eadem vero qua obiit die (sicut textus epistolæ loquitur, quæ a successore ejus venerabili viro Simpliciano suscepta est de partibus Orientis ad ipsum tamquam adhuc nobiscum viventem directa, quæ nunc usque Mediolani habetur^d in monasterio) quibusdam sanctis viris apparuit, orans cum illis, et imponens illis manus ; habet enim diem epistolæ quæ directa est, qua lecta, invenimus illum diem esse, quo ille defunctus est.

50. Intra Tusciam etiam in civitate Florentina, ubi nunc vir sanctus Zenobius episcopus est, e quia promiserat petentibus illis eos se sæpius visiturum, frequenter ad altare quod est in basilicâ Ambrosiana, quæ ibidem ab ipso constituta est, visum orare, ipso sancto viro sacerdote Zenobio referente, didicimus. In eadem etiam domo, in qua declinans Eugenium mansit, tempore quo Radagaisus supradictam civitatem obsidebat, cum jam de se penitus desperassent viri civitatis ipsius, per visum quidam apparuit, et promisit alio die salutem illis adfuturam. Quo referente, civium animi sunt erecti ; nam altero die, adveniente Stilicone tunc comite cum exercitu, facta est de hostibus victoria. Hæc Pausophia religio-a femina, matre pueri Pansophii referente, cognovimus.

51. Mascezele etiam desperanti de salute sua, vel exercitus quem ductabat contra Gildonem, baculum tenens manu in visu noctis apparuit, atque cum pro- volveretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens terram senex baculo quo regebatur, tertio (hac enim illi specie apparuerat) ait : Hic, hic, hic, signans locum ; deditque intellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitratus, ut agnosceret se in ipso loco in quo sanctum Domini viderat Sacerdotem, die tertia victoriam adepturum : atque ita securus bellum inchoavit et consummavit. Nos tamen^f ea Mediolani positi ipso Mascezele referente, cognovimus ; nam et in hac provincia, in qua nunc positi hæc scribimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus, quibus etiam referentibus, securius hæc nobis cognita huic libro ad- jungere arbitrati sumus.

52. Sisinnii etiam et Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitum sancti Am- rant ; quia tam mundos oculos, etc.

^d Ita edit. ac mss. non pauci : cæteri vero, *in monasterio cujusdam sancti viri apparuit.*

^e Omnes edit., *quia promiserat illos se sæpius visiturum.... visus est orare, sicut ipso, etc. ; omnes mss. ut in contextu.*

^f Cod. Germ. unus, *ea die Mediolani.*

brozii in Anaunia partibus, ^a persequentibus gentilibus viris martyrii coronam adepti sunt, cum reliquias Mediolani summa cum devotione suscipere, adveniente quodam caeco et referente cognovimus, qui eodem die tacto loculo, in quo sanctorum reliquiae portabantur, lumen recepit, quod per visum noctis vidisset navem appropinquantem littori, in qua erat multitudo albatum virorum; quibus descendentes ad terram, cum unum de turba precaretur, ut sciret qui essent ii viri, audierit, Ambrosium ejusque consortes. Quo audito nomine, cum deprecaretur ut lumen reciperet, audivit ab eo: Perge Mediolanum, et occurre fratribus meis, qui illo venturi sunt, designans diem, et recipies lumen. Erat enim vir, ut ipse asserebat, de littore Dalmatino, nec se ante venisse in civitatem asserebat priusquam recto itinerereliquis sanctorum occurrisset, nondum videns: sed tacto loculo, videre coepisse.

53. His itaque decursis, non arbitror grave videri, si paululum promissi nostri metas excesserimus, ut Domini dictum quod per eos sanctorum prophetarum locutus est, completum esse doceamus: *Sedentem adversus fratrem suum et detrahentem occulte, persequer (Ps. c, 5); et alibi: Noli diligere detrahere, ne eradicemini (Prov. xx, 15);* ut quicumque forte hujusmodi captus est consuetudine, cum legerit qualiter in iis qui sancto viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in aliis emendetur.

54. Igitur Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen Ecclesiae Mediolanensis, cum in convivio positus, in quo erant ^b nonnulli militares viri religiosi, ^C detraheret memoriae Sacerdotis, adspersantibus illis

^a Edit., *persequentibus gentilibus, martyrii*, quaedam Paris. cum uno ms., *veri martyrii*: caeteri mss. nobis suffragantur.

^b Eadem edit., *nonnulli religiosi viri*: mss. vero, *nonnulli militares*, etc.

^c Ita mss. plures, potioresque: at edit. cum aliis nonnullis, *manibus sublevatus*.

^d Mss. aliquot, *Vincentio Colossitano*: unus, *Colitano*.

^e Non defuerunt qui decepti Paulini vocabulo, hunc a Paulino Nolano episcopo minime distinguerent, nec dubitarent hanc vitam Ambrosii in mss. nonnullis ita praenotare: *Incipit Prologus Paulini episcopi*; quo etiam titulo in limine Erasmatianae edit. inscripta fuit. Verum praeterquam quod in mss. multo pluribus nomen scriptoris aut Vitae fronti non praefigitur, aut

^A et deserentibus linguam nequam, subito vulnere percussus gravi, de eodem loco in quo jacebat, ^c alienis manibus sublatus, in lectulum positus est, atque inde ad sepulcrum usque perductus. In urbe etiam Carthaginensi, cum apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelii episcopi, ad convivium convenissem una cum ^d Vincentio Colossitano episcopo, Murano etiam episcopo Bolitano, sed et aliis episcopis et diaconibus; tunc Murano episcopo detrahenti Sancto viro retuli exitum presbyteri superius memorati: quod ille de alio dictum, de se oraculum maturo sui exitu comprobavit. Nam de eodem loco in quo jacebat, cum subito vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum usque portatus est, atque inde ad domum in qua hospitabatur deductus, diem clausit extremum. Is finis virorum illi detrahentium fuit, quem videntes qui tunc aderant, admirati sunt.

55. Unde hortor et obsecro omnem hominem, qui hunc librum legerit, ut imitetur vitam sancti viri, laudet Dei gratiam, et declinet detrahentium linguas; si vult magis consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitae, quam cum detrahentibus illis subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat.

56. Tuam etiam precor beatitudinem, pater Augustine, ut pro me humillimo peccatore ^e Paulino cum omnibus sanctis qui tecum invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in veritate, orare digneris; ut quia in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere consortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi praemium fugisse supplicium.

eidem non episcopi, sed notarii tantum Ambrosiani titulus adjungitur; extra controversiam est nostrum hunc Paulinum prorsus a Nolano diversum esse. Ex iis enim quae supra num. 42, de se ipse dicit, cum paucis diebus ante felicem Ambrosii mortem adhuc inferioris ordinis clericum fuisse intelligimus, cum ante mortem Ambrosianam Paulinus Nolanus factum se episcopum testetur in epist. ad Alypium. Hunc tamen Paulinum postea pervenisse ad gradum presbyterii ex Isidoro *de Viris illustr.*, cap. 4. vulgo colligunt. Haec si maturius Erasmus perpendisset, et qui eum secuti sunt, quidam heterodoxi, censuram tulissent de hoc auctore minus iniquam; sed illi displicuit miraculorum aliquot inserta narratio, hos vero loci nonnulli erroribus suis plane contrarii quin offenderent, non potuerunt.

VITA ET INSTITUTUM

SANCTI PATRIS NOSTRI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI ^a.

1. Οὐαλεντινιανὸς μετὰ τελευτῆν Ἰοβιανοῦ τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας διαδεξάμενος, τὸν ἴδιον ἀδελφὸν Οὐάλεντα

^a Haec Ambrosii Vita exstat in pluribus Colbertinae bibliothecae membranaceis codicibus eleganter exarata, ex quibus eam hic exhibemus. Non est accurata illa quidem, cum ea tantum Ambrosii facta commemoret quae referuntur a Theodoro, ex quo eadem auctor anonymus, nec alius forsan a Meta-

1. Cum Valentinianus post Joviani mortem sceptrum imperii suscepisset, fratrem suum Valentem ex

phraste totidem fere verbis compilavit. Verumtamen cum eadem Vita nondum, quod sciamus, in lucem prodierit, publici juris non pignit illam facere, ut post Latinam Ambrosianae Vitae historiam a Paulino scriptam, quanam fuerit de antistite nostro Graecorum veterum opinio, velut uno intuitu lector cognoscat.

Pannonia accersens, summæ potestatis consortem fecit: et sceptro Asiæ atque etiam Ægypti in eum transcripto, Europam sibi retinuit, et Romam petens, universos Occidentis populos ad veram adduxit Dei cognitionem a pietatis prædicatione ante omnia regnum auspiciatus.

2. Etenim Auxentio, qui Arii schisma fuerat amplexus, et Ecclesiam Mediolanensem commissam habens, in multis synodis abdicatus est, vita defuncto, imperator Valentinianus cum episcopos ad se vocasset, apud eos usus est his sermonibus: Aperte notis, quemadmodum homines decet innutritos divinis verbis, qualem esse hunc conveniat, qui ad honorem episcopatus promoveatur; et qua ratione subditos non verbo tantum, verum et vita regere debeat, et exemplar omnis virtutis seipsum proponere, ac demum doctrinæ suæ testem habere vitæ institutionem. Talem igitur et nunc in episcopali throno collocatæ, ut nos a quibus imperium gubernatur, sincere inclinemus ei capita nostra, et factas ab eo reprehensiones tamquam medicam curationem excipiamus; cum enim simus homines, etiam offendamus omnino necesse est.

3. Religiosum imperatorem Valentinianum ita locutum rogabat conventus, ut ipse suffragium ferret, quippe qui sapientia et pietate ornatus esset. Ille vero: Vires meas, inquit, longe superat talis conatus: at vos qui divina gratia decorati, et hoc eodem splendore donati estis, magis congrue feretis suffragium. Isti igitur hinc exeuntes apud se deliberaverunt. Cives porro illius urbis seditioem inter se commovebant, hi quidem illum, illi autem hunc præponi contendentes. Qui enim Auxentii lue erant infecti, secum sentientibus suffragabantur: illi ex adverso, qui saniori a parte stabant, expetebant fidei consortem habere antistitem.

Itaque divinus Ambrosius in Romanorum clarus senatu, post alia multa honorum fastigia, per id temporis præfecturam Italiæ a piis imperatoribus Constantino et Constante obtinuerat. Is erat sane vir vita purus, et virtutis amator, probatus autem et verbis et opere; sapientia vero quæ hauritur e sacris litteris, enutritus, tametsi necdum initiatus esset. Quin etiam eloquentia græcanica et poetica facultate exercitatus erat, æquus pariter et sanus rerum arbiter, nec non omnis actionis pravæ quæsitur accuratus.

4. Idem certior factus harum turbarum, et ne quid novi accideret veritus, multa cum celeritate Ecclesiam petiit, ambarumque partium motus sopivit. Illi vero, deposita contentione, communem emiserunt vocem, ipsummet beatum Ambrosium ordinari sibi pastorem simul poscentes. Quæ imperator cum cognovisset, statim edixit laudabilem eundem virum et initiari, et consecrari; noverat enim illius mentem magis rectam esse qualibet libra, ejusque suffragium omni regula accuratius. Suspiciatus autem est non etiam sine Dei calculo id contigisse, rem conjiciens ex eorum consensione, qui sentiis ante dissidebant.

ἐκ Παιονίας ἀγαγὼν κοινωνὸν ποιεῖται τῆς βασιλείας καὶ τῆς Ἀσίας αὐτῷ παραδοὺς τὰ σκῆπτρα καὶ μέντοι καὶ τῆς Αἰγύπτου, ἑαυτῷ τὴν Εὐρώπην ἀπένειμε, καὶ τὴν Ῥώμην καταλαβὼν, τοὺς ἐσπερίους πάντας ἐπὶ τὴν ἀληθῆ θεογνωσίαν ἐνήγευ, ἀπὸ τῶν τῆς εὐσεβείας κηρυγμάτων πρῶτον ἀρξάμενος.

2. Αὐξεντίου γὰρ ὃς τὴν Ἀρείου μὲν εἰσεδέξατο λώβην, Μεδιολάνων δὲ τὴν ἐκκλησίαν πεπιστευμένος ἐν πλείσταις ἀπεκηρύχθη συνόδοις, τὸν βίον ὑπεξελθόντος, μεταπεμφάμενος τοὺς τῆς ἐπισκοπῆς Οὐαλεντινιανὸς, τοιοῖσδε λόγοις πρὸς αὐτοὺς ἐχρήσατο· ἵστε σαφῶς ἅτε δεῖ τοῖς θείοις λόγοις ἐντετραμμένοι, ὅποιον εἶναι προσήκει τὸν ἀρχιερωσύνης ἡξιωμένον· καὶ ὡς οὐ χρὴ λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ βίῳ τοὺς ἀρχομένους ρυθμίζειν, καὶ πάσης ἀρετῆς ἀρχέτυπον ἑαυτὸν προτιθέναι, καὶ μαρτυρίαν ἔχειν τῆς διδασκαλίας, τὴν πολιτείαν· τοιοῦτον οὖν καὶ νῦν τοῖς ἀρχιερατικοῖς ἐγκαθιδρύσατε θρόνοις, ὅπως ἂν καὶ ἡμεῖς οἱ τὴν βασιλείαν ἰθύνοντες εἰλικρινῶς αὐτῷ τὰς ἡμετέρας ὑποκλινώμεν τὰς κεφαλὰς καὶ παρ' ἐκείνου γενομένους ἐλέγχους, ὡς ἰατρικὴν ἀσπαζώμεθα θεραπείαν· ἀνθρώπους γὰρ ἡμᾶς ὄντας καὶ προσπταίειν πάντως ἀνάγκη.

3. Ταῦτα τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως Οὐαλεντινιανοῦ εἰρηκότος, ἡ σύνοδος αὐτὸν ἡξίου ψηφίσασθαι, σοφόντε ὄντα καὶ εὐσεβεῖα κοσμούμενον· ὁ δὲ, μείζον ἢ καθ' ἡμᾶς, ἔφησεν, τὸ ἐγχείρημα· ὑμεῖς γὰρ τῆς θείας ἡξιωμένοι χάριτος, καὶ τὴν αἴγλην ἐκείνην εἰσδεδεγμένοι, ἄμεινον ψηφιεῖσθε· οὗτοι μὲν οὖν ἐξελθόντες καθ' ἑαυτοὺς ἐβουλεύοντο· οἱ δὲ τὴν πόλιν ἐκείνην οἰκοῦντες κατεστασίαζον, οἱ μὲν τοῦτον, οἱ δὲ ἐκεῖνον προβληθῆναι φιλονεικοῦντες· οἱ μὲν γὰρ τὰ Αὐξεντίου νοσοῦντες τοὺς ὁμόφρονας ἐψηφίζοντο· οἱ δὲ ὑγαινούσης μοίρας, ὁμογνώμονα πάλιν ἐζήτουσαν ἔχειν ἀρχιερέα.

Ὁ θεῖος τοίνυν Ἀμβρόσιος ἐν τῇ Ῥωμαίων διαπρέπων συγκλήτῳ, μετὰ πολλὰς καὶ ἄλλας ἀξιομάτων ἀρχὰς, τὴν Ἰταλῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἡγεμονίαν, παρὰ Κωνσταντίνου καὶ Κωνσταντος τῶν εὐσεβῶν βασιλέων πεπιστευτο, ἀνὴρ καθαρὸς μὲν τὸν βίον, καὶ ἀρετῆς ἐραστῆς, εὐδόκιμος δὲ καὶ λόγοις καὶ ἔργῳ· σοφίας δὲ τῆς τῶν θείων γραφῶν τρόφιμος, εἰ καὶ ἀμύητος ἦν ἔτι, ἀλλὰ καὶ πειθοῖ τῇ ἑλληνικῇ καὶ μούσῃ γεγυμνασμένος, δικαίως τε κρίνων καὶ ὑγιῶς, καὶ πράξεως πονηρᾶς ἀπάσης ἀκριδῆς ἔλεγχος.

4. Οὗτος ταύτην μαθὼν τὴν στάσιν, καὶ δείσας μὴ τι νεώτερον γένηται, σὺν τάχει πολλῶ τὴν ἐκκλησίαν καταλαβὼν, ἀμφοτέροις τὰς ταραχὰς κομίζει τοῖς μέρεσιν· οἱ δὲ, τῆς φιλονεικίας ἐκείνης παυσάμενοι, κοινήν ἀφῆκαν φωνήν, αὐτὸν τὸν μακάριον Ἀμβρόσιον προχειρισθῆναι ποιμένα ἑαυτοῖς ἐξαιτοῦντες· ὃν ὁ βασιλεὺς ἀκούσας, προσέταξεν αὐτίκα καὶ χειροτονηθῆναι τοῦτον τὸν ἀξιεπαῖνον ἄνδρα· ἦδει γὰρ αὐτοῦ πάσης μὲν στάθμης εὐθυτέραν τὴν γνώμην· παντὸς δὲ κανόνος ἀκριβεστέρως τὰς ψήφους· ὑπέλαβε δὲ καὶ θεῖαν εἶναι τὴν ψῆφον, ἐκ τῆς τῶν τάναντία φρονοῦντων τοῦτο τεκμαιρόμενος συμφωνίας.

5. Ἐπειδὴ δὲ καὶ τῆς τοῦ παναγίου βαπτίσματος ὁ Ἄμ- **A**
 βρόσιος ἀπέλαυσε δωρεῆς, καὶ τὴν ἀρχιερατικὴν ἐδέξατο
 χάριν, τοῦτον ὁ πάντα ἄριστος βασιλεὺς προσενηνοχέ-
 ναι λέγεται τῷ σωτῆρι καὶ δεσπότη τὸν ὕμνον· καὶ γὰρ
 τοῖς γεγεννημένοις παρῆν· χάρις σοι δεσποτα παντοκρά-
 τωρ καὶ σωτὴρ ἡμέτερε, ὅτι τῷδε τῷ ἀνδρὶ ἐγὼ μὲν ἐνε-
 χείρησα σώματα, σὺ δὲ ψυχὰς· καὶ τὰς ἐμὰς ψήφους
 δικαίας ἀπέφηνας·

6. Ἐπειδὴ δὲ ὀλίγων διελθουσῶν ἡμερῶν ὁ θεὸς τοῦτος
 Ἄμβρόσιος σὺν παρρησίᾳ μείζονι τῷ βασιλεῖ διαλεγόμε-
 νος, ἐμέμψατο τοῦτον, οἷα μὴ καλῶς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων
 πραγμάτων τινῶν γεγεννημένων· ὁ βασιλεὺς· ἔγωγε,
 ἔφη, ταύτην σου καὶ πάλαι ἤδειν τὴν παρρησίαν· καὶ
 σαφῶς ἐπιστάμενος, οὐ μόνον οὐκ ἀντεῖπον, ἀλλὰ καὶ
 σύμφηφος τῇ χειροτονίᾳ γεγένημαι· ἰάτρειε γοῦν, ὡς
 ὁ θεὸς ὑπαγορεύει νόμος, τὰ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν πλημ- **B**
 μελήματα.

7. Ταῦτα μὲν οὖν ἐν Μεδιολάνῳ Οὐαλεντινιανὸς ὁ μέγας
 καὶ εὐσεβὴς βασιλεὺς καὶ εἰπὼν καὶ δράσας, καλῶς τὴν
 διαθέμενος τὴν βασιλείαν, καὶ ὀρθοδοξίᾳ διαλάμψας, ἐπὶ
 ἕκτῳ καὶ δεκάτῳ ἐνιαυτῷ τῆς ἀρχῆς, καταλύει τὸν βίον·
 διαδόχους δὲ τοὺς παῖδας, Γρατιανὸν καὶ Οὐαλεντινιανὸν
 καταλείπει τὸν νέον· Οὐαλεντος ἤδη τῆς ἀνατολῆς τοῦ
 ἀδελφοῦ βασιλεύοντος· ὃς δὴπου καὶ τῆς αἰρέσεως Ἀρειαν-
 νοῖς ἐκοινωνεῖ· συμβαλὼν δὲ μετὰ τῶν Γότθων πόλεμον,
 καὶ ἠττηθεὶς, ὁ μὲν, εἰς ἀχυρῶνα καταφυγὼν, ὑπὸ πυρὸς
 ἐν αὐτῷ ἀνῆλώθη· εἰς Γρατιανὸν δὲ, Οὐαλεντινιανοῦ μὲν
 υἱὸν, Οὐαλεντος δὲ ἀνεψιὸν, πᾶσα ἡ Ῥωμαίων ἡγεμονία
 μετέπεσε· πρῶτα μὲν γὰρ τὰ τῆς Εὐρώπης, ἀλλὰ μὴν καὶ
 τὰ τῆς δύσεως ἀπάσης σκῆπτρα ὑπὸ τοῦ πατρὸς παρε- **C**
 λήφει· ἔπειτα καὶ τὴν Ἀσίαν καὶ τὰ λειπόμενα τῆς Λιβύης,
 ἄπαιδος τοῦ Οὐαλεντος ἀναιρεθέντος· εὐσεβὴς δὲ ὢν κατὰ
 τὸν πατέρα, τοὺς ἐπισκόπους ἐκ τῆς φυγῆς ἀνεκαλέσατο
 πάντας ὅσους Οὐάλης διὰ τὴν Ἀρειανῶν αἵρεσιν ὑπερο-
 ρίους ἐποίησατο, καὶ τῆς πατρίδος ἀπεληλάκει· Γρατια-
 νὸς δὲ τὴν Θράκην ληϊζομένην ὑπὸ τὸν Οὐαλεντα κατα-
 γωνισαμένων βαρβάρων μαθὼν, τὴν Ἰταλίαν ἀπολιπὼν,
 εἰς τὴν Παιονίαν ἀφίκετο.

8. Ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον καὶ Θεοδοσίος ἀπὸ τε
 τῆς τῶν προγόνων περιφανείας, ἀπὸ τε τῆς αὐτοῦ γεν-
 ναιότητος, ὀνομαστότατος ἦν, καὶ ὑπὸ τοῦ φθόνου τῶν **D**
 ὁμοτίμων βαλλόμενος, ἐν ταῖς Ἰσπανίαις διέτριβεν· ἐν
 ἐκείναις γὰρ ἔφυ τε καὶ ἐτράφη· ἀπορῶν δὴ οὖν ὁ βασι-
 λεὺς Γρατιανὸς ὅ τι χρῆθῃ δράσαι· φουσηθέντες γὰρ ἐκ
 τῆς νίκης οἱ βάρβαροι δύσμαχοί τε ἦσαν καὶ ἐνομίζοντο·
 τὴν Θεοδοσίου στρατηγίαν λύσιν ὑπέλαβε τῶν κακῶν·
 καὶ παραυτίκα ἐκ τῆς Ἰβηρίας, ἣ καὶ Ἰσπανία καλεῖται,
 τὸν ἄνδρα μεταπεμψάμενος, στρατηγὸν τε χειροτονήσας,
 μετὰ στρατιᾶς τῆς συνειλεγμένης ἐκπέμπει· ὁ δὲ ἀμάχῳ
 ὄπλῳ, τῇ ὀρθοδοξίᾳ πεφραγμένος, τεθαρρήκτως ἐπὶ τοὺς
 ἀντιπάλους ἐχώρει· καὶ τῆς Θράκης ἐπιβὰς, καὶ πόλεμον
 ὁ μὲν ἀνακράτως ἐνίκα· οἱ βάρβαροι δὲ, οὐδὲ τὴν πρώτην
 εὐθὺς ἐνεγκόντες, ἐφυγόντο ὁμοῦ πάντες· καὶ πολὺς αὐτῶν
 ἐγένετο φόνος, οὐκ ὑπὸ Ῥωμαίων μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ ὑπὸ

5. Postquam vero sacratissimi baptismi donum
 Ambrosius adeptus fuit, et gratiam accepit episcō-
 palem, Salvatori atque Domino hujusmodi hymnum
 optimus imperator, his enim rebus aderat præsens,
 dicitur obtulisse : Gratia tibi, Domine omnipotens et
 Salvator noster, quod huic eidem viro ego quidem
 corpora commisi, tu vero animas ; et iudicium meum
 ostendisti justum fuisse.

6. Elapsis porro paucis diebus, cum majori usus
 libertate idem hic divus Ambrosius imperatorem al-
 loqueretur, eum arguebat, ut puta ob negotia quæ-
 dam a præfectis ejus haud recte facta ; imperator,
 Equidem, ait, hanc tuam libertatem pridem nove-
 ram, et sciens prudensque non modo non sum re-
 fragatus, sed etiam calculum meum una contuli tuæ
 ordinationi. Medicare igitur, sicuti divina lex præ-
 cipit, vulnera animarum nostrarum.

7. Hæc itaque cum Valentinianus magnus et pius
 imperator Mediolani dixisset atque fecisset, et pul-
 chre quidem constituisset imperium, rectæ vero fidei
 professione refulsisset ; sexto decimo imperii anno
 vita decedit : successores autem relinquit filios suos
 Gratianum junioremque Valentinianum, Valente fra-
 tre in Orientis regionibus rerum potente, eo scilicet
 qui Arianis in perfidia sese conjunxit. Hic qui-
 dem cum Gothis pugna congressus atque devictus,
 in paleariam casam confugiens, igne ibidem interiit :
 in Gratianum autem Valentiniani quidem filium,
 Valentis vero ex fratre nepotem recidit universa Ro-
 manæ ditionis potentia ; primum enim a patre non
 modo sceptrum Europæ, verum etiam totius Occi-
 dentis relictum cepit : deinde vero, cum sine libe-
 ris Valens e medio sublatus esset, Asiam quoque,
 et quidquid in Africa reliqui erat, is obtinuit. Quo-
 niam autem patris exemplo colebat pietatem, epi-
 scopos omnes, quos Valens in gratiam Arianæ hæ-
 resis patria ejectos extorres fecerat, ab exsilio ipse
 revocavit. Idem etiam cum a barbaris, dum Valens
 imperaret, bello victoribus devastatam esse Thra-
 ciam comperisset, relicta Italia, in Pannoniam
 venit.

8. Sub idem tempus Theodosius quoque, cum ob
 majorum nobilitatem, tum ob propriam generosita-
 tem celeberrimus erat : et æqualium suorum invi-
 dentia pulsus, in Hispaniis agebat, ubi et natus fue-
 rat et educatus. Ignorans igitur imperator Gratianus
 quid facto opus esset ; inflati enim ex victoria bar-
 bari propemodum invicti erant et habebantur : mili-
 tarem Theodosii peritiam malorum fore depulsio-
 nem arbitratus est. Et confestim ex Iberia, quæ Hi-
 spania etiam nominatur, hominem accersens, ac
 bello præficiens, cum exercitu collecto misit. Hic
 autem invictis armis, orthodoxa nimirum fide cir-
 cummunitus, magna cum fiducia adversus hostilem
 aciem procedit. Et Thraciam ingressus, is quidem
 per vim prælio vicit : barbari vero ne vel primum
 sustinentes impetum, statim omnes simul terga de-
 derunt ; et multa eorum non solum a Romanis cædes
 facta est, verum etiam jam a se ipsis : quanto enim

maiores erant horum copiae, tanto magis sibi potius quam hostibus damnum inferebant.

9. His itaque prope omnibus ita deletis, pauci admodum, qui potuerunt se occultare, Danubium trajiciunt. Lotus igitur Gratianus quod belli summam credidisset Theodosio, imperatorem eum statim declarat, et ei dittonis, qua Valens ante potiebatur, sceptrum committit. Et ipse quidem ad Italiae administrationem transivit, illum autem ad concessum dimittit imperium. Regalem igitur Theodosius capescens dignitatem, concordiae Ecclesiarum, quam maxime poterat, curam gerebat, et episcopos propriae dittonis, ut convenirent Constantinopolim, exhortatus est; haec enim sola referta fuerat ariana peste, cum illae partes quae ad occasum erant positae, ab isto morbo liberae essent. Nam Constantino atque Constante Constantini Magni filiis paternam fidem intemeratam conservantibus, et rursus Valentiniano pietatem domesticam nequam prodente, Orientalis portio variis locis hanc luem admisit, quae cum Alexandriae prius coepisset, in ultiores plagas progrediebatur.

10. Haec quidem Gratiano adhuc supersite agebantur. Postea vero cum ipse indolem suam in rebus bellicis jam ostenderet, ac civitates cum modestia atque justitia regeret, per insidias vita excessit, filios quidem qui regno succederent, nullos relinquens, fratrem vero admodum juvenem, et patri cognominem, successorem imperii faciens. Tum vero quidam Maximus, spreta Valentiniani pueritia, Occidentalis imperii thronum usurpavit.

11. Per id etiam temporis Justina, magni quidem Valentiniani conjux, mater autem junioris, quae doctrinae Arianae semen dudum exceperat, illud filio manifestavit. Zelum enim mariti sui erga fidem orthodoxam perspectum habens, quoad ille in vivis fuit, latere conata est: cum vero mentem filii teneram esse atque mobilem non ignoraret, fraudem suam in medium proferre non dubitavit. Hic vero suggestiones matris utiles putans; et propter aetatem escam illecebrosam naturae intuitus, derepente incidit in laqueum. Quapropter magnus Ambrosius, qui omnem quidem arianam fallaciam ex Italia jam pridem expulerat, cum acciperet puerum quoque Valentinianum in ipsam incidere, juvenis animam ab ea liberare, quantum in ipso erat, satagebat. Hic autem virum illum suspectum habebat quasi adversarium, et adversus eum perinde ac professum hostem paratus erat.

12. Hic porro in memoriam ei revocabat paternam pietatem, et ut quam acceperat haereditatem, integram conservaret, obtestabatur: docebat autem quodnam dogmatum discrimen esset, et quemadmodum haec quidem omnia Christi doctrinae, apostolorumque praedicationi apte congruerent, illa e contrario spirituales oppugnarent legislationem. At vero puer, utpote qui puer esset, et a matre decepta blanditiis illectus; et verbis amabatur, et militibus armatis Ecclesiae ambitus circumcingebat.

σφῶν αὐτῶν· ὅσω γὰρ πλείους ἦσαν, τοσούτω βλάπτοντες ἑαυτοὺς μᾶλλον ἢ τοὺς πολεμίους ἐφαίνοντο·

9. Οὕτω τοίνυν ἀπάντων τῶν σχεδὸν ἀνηρημένων ὀλίγοι λαθεῖν δυνηθέντες διαβαίνουσι τὸν Ἰστρον· ἤσθεις δὲ ὁ βασιλεὺς Γρατιανὸς ὡς ἄριστα Θεοδοσίον στρατηγὸν ψηφισάμενος, βασιλεῖα τε αὐτὸν εὐθύς ἀποδεικνύσει, καὶ τὰ σκῆπτρα τῆς Θυάλεντος ἀρχῆς ἐγχειρίζει· καὶ αὐτὸς μὲν ἐπὶ τὴν Ἰταλῶν διαβαίνει, ἐκεῖνον δὲ εἰς τὴν δοθεῖσαν ἡγεμονίαν ἐκπέμπει· τὴν βασιλείαν τοίνυν παραλαβὼν Θεοδοσίος, τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ὡς ἐνὶ μάλιστα ἐπεμέλετο συμφωνίας, καὶ τοὺς τῆς οἰκείας ἡγεμονίας ἐπισκόπους, εἰς τὴν Κωνσταντίνου συνδραμεῖν παραγγύησεν· αὕτη γὰρ μὲν τῆς ἀρειανικῆς ἐμπέπληστο λώβης. τὰ γὰρ πρὸς ἐσπέραν τῆς νόσου ἐλεύθερα ἦν· Κωνσταντίνου γὰρ καὶ Κωνσταντος τῶν Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου υἱῶν τὴν πατρῶαν πίστιν ἀκῆρατον διασωσαμένων, καὶ Θυάλεντινιανοῦ πάλιν τὴν οἰκείαν μὴ προδόντος εὐσεβείαν, τὸ ἕξον τμήμα πολλαχόθεν τὴν λώβην ταύτην ἐδέξατο ἀπὸ Ἀλεξανδρείας πρότερον ἀρξαμένην, καὶ ἐπὶ τὰ πρόσω χωρήσασαν.

10. Ταῦτα μὲν ἐτι Γρατιανοῦ περιόντος ἐγένετο· ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνος ἐν τε πολέμοις ἀριστεύων, καὶ τὰς πόλεις σωφρόνως τε καὶ δικαίως ἰθύων, ἐξ ἐπιβουλῆς ἐτελεύτησε, παῖδας μὲν οὐ καταλιπὼν κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἀδελφὸν δὲ κομιδῇ νέον ὁμόνυμον τοῦ πατρὸς διάδοχον τῆς ἀρχῆς ἀποφῆνας· Μάξιμος τις τῆς Θυάλεντινιανοῦ καταφρονήσας ἡλικίας, αὐτὴν ἀρπάξει τὴν τῆς ἐσπέρας ἡγεμονίαν.

11. Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν χρόνον Ἰουστίνα, Θυάλεντινιανοῦ μὲν σύζυγος τοῦ μεγάλου, τοῦ δὲ νέου μήτηρ, ἢ πάλαι τῆς ἀρειανικῆς διδασκαλίας ἐδέξατο σπέρματα, δῆλα τῷ παιδί πεποιήκει. τοῦ μὲν γὰρ ὁμοζύγου τὸ θερμὸν περὶ τὴν ὁρθόδοξον πίστιν ἐπισταμένη, λαθεῖν ἅπαντα τὸν χρόνον ἐσπούδασεν· τοῦ δὲ παιδὸς τὸ τῶν φρενῶν ἀπαλὸν εἶδυα καὶ εὐπαράγωγον, προσενεγκεῖν τὴν ἐξάπατην ἐθάρρῆσεν· ὁ δὲ τῆς μητρὸς τὰς ὑποθήκας ὀνησιφόρους ὑπολαβὼν, καὶ πρὸς τὸ τῆς φύσεως ἀπιδὼν δέλεαρ, ἀθρόον ἐμπίπτει τῇ πάγῃ· ὁ μέγας τοίνυν Ἀμβρόσιος πᾶσαν μὲν καὶ πρώην ἀρειανικὴν πλάνην ἐκ μέσης Ἰταλίας ποιήσας, ἐπειδὴ καὶ τὸν νέον Θυάλεντινιανὸν περιπεσεῖν αὐτῇ μάθοι, ἐσπευδεν, ὡς οἶόντε, τὴν τοῦ νέου ψυχὴν αὐτῆς ἀπαλλάξαι· καὶ ὡς τὸν ἄνδρα ὅσα καὶ ἀντίπαλον ὑπεβλέπετο, καὶ ὡς περ ἂν εἰ πρὸς ὁμολογούμενον πολέμιον παρεσκεύαστο.

12. Ὁ δὲ, τῆς τοῦ πατρὸς αὐτὸν ἀνεμίμνησκεν εὐσεβείας, καὶ ὃν παρελήφει κληρὸν, ἄσυλον φυλάττειν ἤξίου· ἐδίδασκε δὲ καὶ τὴν τῶν θυγμάτων διαφορὰν, καὶ ὅπως πάντα μὲν τῇ τοῦ κυρίου διδασκαλίᾳ καὶ τοῖς τῶν ἀποστόλων συμβαίνει κηρύγμασι· τὰ δὲ ἀντικρὺς ἐστὶ τῆς πνεύματικῆς νομοθεσίας μαχόμενα· ὁ δὲ νέος οἶα δὴ νέος, καὶ παρὰ μητρὸς ἠπατημένης θελγόμενος, οὐ μόνον οὐ προσέειπε τὰ λεγόμενα παρὰ τοῦ ἀρχιερέως, ἀλλὰ καὶ θυμοῦ πλήρης ἐγένετο, καὶ λόγοις ὠπλίζετο, καὶ πελτασταῖς τοὺς ἐκκλησιαστικὸς περιβόλους ἐκύκλεν.

13. Ἐπειδὴ δὲ τὸν μέγιστον ἐκείνον ἀριστέα τὸν θεῖον Ἀμβρόσιον οὐδὲν ἐφόβησε τῶν ὑπ' αὐτοῦ γενομένων· μορμολύχια γὰρ αὐτὰ ἠγεῖτο παιδῶν, χαλεπήνας ἀνέδην ἐκείνος τῶν ἱερῶν ἔξω προβῆναι θυρῶν τὸν ἄνδρα ἐκέλευσεν. ὁ δὲ, Ἐκὼν μὲν, ἔφη. τοῦτο θράσαι καὶ προδοῦναι τοῖς λύκοις τὴν τῶν προβάτων σηκὸν μέχρις αἵματος οὐκ ἄνεξομαι. ἀλλὰ εἴ σοι δοκεῖ ἀνελεῖν ἔνδον ἐπένεγχε μοι, φησὶ, τὸ ξίφος ἢ τὴν αἰχμὴν, ὡς ἠδισπάτην τοιαύτην σφαγὴν ἐγὼ δεξομαι· καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος.

14. Χρόνου δὲ συγχοῦ τριβομένου, ἐμεμάθηκε μὲν ὁ Μάξιμος τὰ κατὰ τοῦ μεγαλοφώνου κήρυκος τῆς ἀληθείας τολμώμενα· ἐπιστέλλει δὲ Οὐαλεντινιανῶ, τὸν κατὰ τῆς εὐσεβείας πόλεμον καταλύσαι παρεγγυῶν, καὶ παραινῶν μὴ πρόεσθαι τὴν πατρίαν εὐσεβείαν· εἰ δὲ μὴ πείθοιτο, βαρύτερον αὐτῷ πόλεμον ἠπειλεῖ· καὶ μέντοι καὶ τὴν στρατίαν ἐγείρας, ἐπὶ τὴν Μεδιολάνων ἐχώρει· τῆδε γὰρ Οὐαλεντινιανὸς ἐλέγετο διατρίβειν· ὁ δὲ, τὴν ἐκείνου μαθὼν ἐξοδὸν, εἰς Ἰλλυρίους ὤχετο φεύγων, αὐτῇ πείρᾳ μαθὼν ὁποῖον ἄρα τῆς μητρικῆς ἀπάντατο συμβουλίας.

15. Ὁ βασιλεὺς δὲ Θεοδοσίος τὰ τε κατὰ τὸν νέον πυθόμενος Οὐαλεντινιανὸν, καὶ ὅσα πάλιν ὁ Μάξιμος πρὸς αὐτὸν ἐπέστειλε, γράφει τῷ πεφευγῶτι νέῳ, μὴ χρῆναι θαυμάζειν, εἰ τῷ μὲν βασιλεῖ τὸ θῆρος, τῷ δὲ τυράννῳ τὸ κράτος συνέζευκται· τῇ γὰρ εὐσεβείᾳ, φησὶ, πεπολέμηκε μὲν ὁ βασιλεὺς, ὁ δὲ τυράννος ἐπεκούρησε, καὶ ὁ μὲν αὐτὴν προιόμενος ἀποδιδράσκει γυμνός· ὁ δὲ ταύτῃ καθωπλισμένος τοῦ γεγυμνωμένου κρατεῖ· τῇ γὰρ εὐσεβείᾳ καὶ ὁ ταύτης νομοθέτης συνέστηκε.

16. Ταῦτα μὲν οὖν ὡς προῤῥωτάτω διάγων ἐπέστειλεν· ἐπειδὴ δὲ εἰς ἐπικουρίαν ἀφίκοιτο, καὶ τὴν μὲν οἰκίαν καταλειπούτα βασιλείαν, εἰς δὲ τὴν αὐτοῦ παραγευόμενον ἴδοι· πρῶτα μὲν τῇ ψυχῇ τὴν θεραπείαν προσήνεγκε, καὶ τὴν ἐπιγενομένην τῆς ἀσεβείας ἐξείλετο νόσον, καὶ εἰς τὴν πατρίαν εὐσεβείαν ἐπανήγαγεν· εἶτα θαρρῆειν παρεγγύησας, καὶ τῷ μὲν τυράννῳ ἐπιστρατεύσας, τῷ μὲν ἀναιμωτὶ παραδίδωσι τὴν βασιλείαν, τὸν δὲ τυράννον ἀναιρεῖ, ἀδικεῖν γὰρ ὑπέλαβε τὰς πρὸς Γρατιανὸν γενομένης συθήμας, εἰ μὴ ποινὴν τινα τῆς σφαγῆς τοῦς ἀνελόγτους εἰσπράξοιτο· οὗτος δὲ ὅν ὁ πιστότατος βασιλεὺς καὶ κατὰ τῆς ἑλληνικῆς ἀπάτης σπουδῆν εἰσενέγκαστο πάσαν, καὶ νόμους ἐξέθετο, τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη καταλύθῃναι κελεύων.

17. Κωνσταντῖνος μὲν γὰρ ὁ μέγας, ὁ πάσης ἀξιότατος εὐφημίας, πρῶτος εὐσεβείᾳ τὴν βασιλείαν κοσμήσας, καὶ τὴν οἰκουμένην ἔτι μεμνηυῖαν ὄρων, τὸ φῆν τοῖς δαίμοσι θύειν παντάπασιν ἀπηγόρευσε· τοῦς δὲ τούτων ἀφῆκε ναοὺς, ἀβάτους εἶναι τῷ παντὶ προστάξας· καὶ μέντοι καὶ οἱ τούτου παῖδες τοῖς πατράσις ἠκολούθησαν ἔχουσιν· Ἰουλιανὸς δὲ ἀνενεώσατο τὴν ἀσεβείαν, καὶ τῆς παλαιᾶς ἀπάτης σφοδρότερον ἀνήψε τὴν φλόγα· τὴν βασιλείαν δὲ παραλαβὼν Ἰοβιανὸς, πάλιν τὴν πᾶν εἰδώλων διεκώλυσε

13. Postea vero quam maximum illum præliatorum, divinum Ambrosium eorum quæ ab illo fiebant, nihil deterruit (is enim ista tamquam puerorum terculamenta existimabat), ille impendio moleste ferens, ipsum extra templorum limina exire jussit. Hic autem, Sponte mea, inquit, illud facere, atque ovium caulas lupis prodere, etiamsi sanguis profundendus sit, minime feram. Verum si tuæ voluntatis est intus me interfici, gladium, inquit, vel securim mihi admove; hujusmodi necem ego amplectar quam libentissime. Et ista quidem divus Ambrosius.

14. exacto autem spatio temporis non exiguo, certior factus est Maximus eorum conatum, quos contra clarissimum veritatis præconem attentarant. Mittit igitur Valentiniano, qui eum a bello adversus pietatem ipsam suscepto discedere moneret, hortaturque paternam ne abjiceret religionem. Nisi autem morem gereret, gravissimum eidem bellum minitabatur, et re quidem ipsa collecto exercitu, Mediolanum versus promovit; hanc enim sedem Valentinianus elegerat ad habitandum. Hæc vero irruptionem ejus cum accepisset, in Illyriam fuga se contulit, hæc ipsa experientia compertum habens, quantum materna consilia ipsi prodessent.

15. At imperator Theodosius ubi rescivit et quæ Maximus adversus juniorem Valentinianum moliebatur, et rursus quam ad eum idem scripsisset, litteris significat juveni fugienti non esse quod quis admiraretur, si regi timor, tyranno robur conjunctus esset: Nam pietati, inquit, rex bellum intulit, tyrannus vero auxiliatus est; et ille quidem ipsam deserens, nudus aufugit: hic e contrario illa armatus, victoriam refert ex denudato: pietati enim ipsius legislator adjutor fuit.

16. Hæc igitur per epistolam, cum longo tractu esset dissitus, nuntiavit: postquam vero in auxilium venit, et illum, proprio quidem relicto imperio, in suo præsentem vidit; primum quidem medicinam adhibuit ejus animæ, et impietatis, qua laborabat, morbum expellens, in pietatem patriam ipsum reduxit. Deinde illum confidere jubens, et contra tyrannum inferens signa, illi quidem sine sanguine reddit imperium, tyrannum autem supplicio afficit. Enim vero violare se credidit inita pacta cum Gratiano, nisi ab illis, qui hunc principem trucidaverant, pœnas repeteret. Atque idem imperator fidelissimus, etiam adversus gentilium errores omnem contulit diligentiam, legesque promulgavit, quibus idolorum templa destrui præcipiebat.

17. Etenim Constantinus Magnus, omni laude ac prædicatione quam dignissimus, pietate ornavit imperium: ac totum orbem etiam tunc insanientem videns, dæmonibus quidem sacrificare omnino prohibuit, eorum autem fana stare permisit, ab eis arceri quæmhibet jubens. Et quidem hujus filii paternis insistere vestigiis: Julianus vero renovavit impietatem, nec non erroris jam exoleti vehementiorem flammam accendit. At Jovianus adeptus imperium, rursus ido-

lorum cultum proscripsit. Et magnus quoque Valentinianus iisdem plane legibus usus, Europam rexit. Quod vero ad Valentem, cunctis quidem aliis adorare permisit, quomodo vellent; et quæ adorabant, palam colere: in hos autem solos, a quibus dogmata apostolica propugnabantur, bellum gerere non intermisit. Omni ergo tempore quo is regnavit, ignis altari superpositus accendebatur, et libationes atque hostias idolis offerebant, et in plateis convivium publica celebrabant, et qui peragebant Bacchi orgia, cum caprinis pellibus currebant, canes secum trahentes, et insanientes, et debacchantes, et committentes alia hujusmodi, quæ nequitiam magistri sui palam facerent.

18. Fidelissimus autem imperator Theodosius isthæc omnia e medio ita sustulit, ac si ab initio non exstitissent: in quorum vicem Christianis instituit alia plura. Sed enim ejus qui a primis retro temporibus hostis hominum est, omnia retia non nisi ægre effugiantur; sæpius enim aliquis cum luxuriæ morbum evaserit, avaritiæ laqueo forsitan capitur: si autem illa fuerit major, aliunde rursus livoris vorago subnascitur: et fiet hanc denuo transilierit, plagas iracundiæ offendet præparatas: et sexcentas alias hominibus tendiculas instruit malignus ille, qui in hominum venatur perniciem. Sane quidem corporeos motus machinis adversus animam ab eo fabricatis habet cooperantes: mens autem illa quæ vigilans fuerit, sola superat, propensione in res divinas machinationum illius malitiam reprimens. Quapropter cum humanæ naturæ particeps esset imperator ille admirabilis, perturbationum illius expers non semper fuit. Verum excessus nescio, quis iræ legitimæ conjunctus, crudele quiddam parturiit, atque injustum; de quo videlicet statim dicitur. Neque enim tantum reprehensionem habet admirabilis imperatoris, sed etiam prædicationem memoria admodum dignam: maxime vero generosi illius Ambrosii libertatem huc succedentem, ac multum illum, quo utebatur in rebus ad pietatem pertinentibus, animi fervorem. Quidquid illud sit, tamen declarabit oratio.

19. Thessalonica civitas magna est, ac populis frequens, attributa quidem Macedonibus, Thessaliæ autem, atque Achaiæ caput, quemadmodum et aliarum multarum, quotquot subjiciuntur Illyriæ præfecto. Seditione igitur illic exorta, quidam magistratum lapidati sunt, et per vias tracti, vitamque turpissimo exitu sinierunt. Rex igitur eorum quæ acciderant, nuntiis excandescens, ea non moderate tulit: sed omnem stomachum contra omnes effundens, et injustos exerens gladios, insontes cum nocentibus interfecit, nimirum septem millia, ut memoratur; cum nullum prorsus ab eo iudicium præmissum esset.

20. Calamitatem hanc adeo lugendam ubi rescivit magnus Ambrosius, venienti Mediolanum imperatori, et in templum Dei ex more ingredi cupienti, eminus obviam progrediens; ne portas quidem templi intrare

θεραπείαν· καὶ Οὐαλεντινιανὸς δὲ ὁ μέγας τοῖς αὐτοῖς κεχρημένους νόμοις, ἔθυνε τὴν Εὐρώπην· ὁ δὲ Οὐάλης πᾶσι μὲν τοῖς ἄλλοις ἐπέτρεψε θρησκεύειν ἢ βούλοιντο, καὶ τὰ θρησκευόμενα θεραπεύειν· μόνοις δὲ πολεμῶν διετέλει τοῖς τῶν ἀποστολικῶν ὑπερμαχοῦσι δογματικῶν πάντα γοῦν τὸν τῆς ἐκείνου βασιλείας χρόνον, καὶ τὸ ἐπιβώμιον ἤπτετο πῦρ· καὶ σπονδὰς καὶ θυσίας τοῖς εἰδώλοις προσέφερον, καὶ τὰς δημοθουσίας κατὰ τὰς ἀγορὰς ἐπέτελλον· καὶ οἱ τὰ Διονύσου ὄργια τετελεσμένοι, μετὰ τῶν αἰγίδων ἔτρεχον τοὺς κύνας ἐπισπῶντες, καὶ μεμηνότες, καὶ βακχεύοντες, καὶ τᾶλλα δρῶντες, ἃ τὴν τοῦ διδασκάλου πονηρίαν ἐδήλουν.

18. Θεοδοσίος δὲ, ὁ πιστότατος βασιλεὺς, ταῦτα περιεἴλε πάντα ὡσπερ ἂν εἰ μηδὲ τὴν ἀρχὴν γεγονότα, καὶ πλείω χριστιανοῖς ἀντεισηνέγκατο ἕτερα· ἀλλὰ γὰρ τοῦ κοινουῦ τῶν ἀνθρώπων ἄνωθεν πολεμίου τὰς ἄρκυς διαφυγεῖν ἀπάσας οὐ βράδιον· πολλάκις γὰρ τις διαδράσας τῆς ἀσελγείας τὸ πάθος, τῇ τῆς πλεονεξίας ἕως ἀλίσκεται παγίδι· εἰ δὲ καὶ ταύτης κρείττων φανείη, ἐτέρωθεν ὑποφύεται πάλιν τοῦ φόβου τὸ βάραθρον. καὶ τοῦτο δὲ πάλιν ὑπερπηδήσει, τὸ τοῦ θυμοῦ δίκτυον εὐρήσει προκείμενον. καὶ ἄλλας δὲ μυρίας τοῖς ἀνθρώποις τίθησι παγίδας ὁ πονηρὸς, ἀγρεύων εἰς ὄλεθρον, καὶ τὰ μὲν πάθη τοῦ σώματος ὑπουργοῦντα ἔχει τοῖς κατὰ τῆς ψυχῆς τεκταινομένας ὑπὲρ αὐτοῦ μηχαναῖς· μόνος δὲ ἐγρηγορῶς ὁ νοῦς περιγίνεται τῇ περὶ τὰ θεῖα τροπῇ τῶν μηχανημάτων διελέγχων τὴν κακουργίαν· τῆς ἀνθρωπείας δὲ οὖν φύσεως καὶ ὁ θαυμάσιος βασιλεὺς μετασχών οὗτος, οὐδὲ τῶν ἐκείνης παθῶν ἄγευστος ἔμεινεν· ἀλλὰ τις ἀμετρία τῷ δικαίῳ θυμῷ προσγενομένη, ἀπηνές τι ὠδινε καὶ παράνομον, ὡσπερ δὴ οὖν αὐτίκα ρηθήσεται· οὐ γὰρ κατηγορίαν ἔχει μόνον τοῦ θαυμάστου βασιλέως, ἀλλὰ καὶ εὐφημίαν μνήμης ἀξιοτάτην, καὶ μάλιστα τὴν τοῦ γενναίου τούτου Ἀμβροσίου διαδεχθεῖσαν ἐνταῦθα παρρησίαν, καὶ τὸν πολλὸν ἐκεῖνον ᾧ περὶ τὴν εὐσεβείαν ἐκέχρητο ζῆλον· δηλώσει δ' οὖν ὁμοῦς ὁ λόγος.

19. Θεσσαλονίκη πόλις ἐστὶ μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος τελοῦσα μὲν εἰς Μακεδόνας· ἡγουμένη δὲ καὶ Θετταλίας καὶ Ἀχαιῶν καὶ ἄλλων πολλῶν ἐθνῶν, ὅσα ὑπὸ τῶν τῶν Ἰλλυριῶν ὑπάρχω κείται· στάσεως τοίνυν ἐν αὐτῇ γενομένης, κατελεύσθησαν τε καὶ κατεσύρησαν τῶν ἀρχόντων τινές, καὶ τὸν βίον αἰσχίστα οὕτω κατέστρεψαν· ὁ οὖν βασιλεὺς ταῖς τῶν συμβάντων ἀγγελίαις ἀναφλεγείς, οὐκ ἤνεγκε πρῶως· ἀλλὰ πάντα θυμὸν κατὰ πάντων ἄφεις, καὶ ἄδικα ξίφη γυμνώσας τοὺς ἀθώους μετὰ τῶν ὑπευθύνων ἀνεἴλεν, ἑπτὰ χιλιάδας, ὃ λέγεται, μὴ δὲ μιᾶς αὐτῶν κρίσεως ἠγησαμένης.

20. Ταύτην μαθὼν τὴν δακρύων γέμουσαν συμφορὰν ὁ μέγας Ἀμβρόσιος, ἀφικόμενον εἰς τὴν Μεδιολάνων τὸν βασιλεῖα, καὶ συνήθως εἴσω τοῦ θεοῦ παρελθεῖν βουληθέντ᾽ αὐτοῦ, πᾶρρωθεν προῦπαντήσας, οὐδὲ τῶν ἱερῶν

εἶπε πύλων ἐπιβῆναι, οὐκ οἶσθα, λέγων, ὡς εἶκεν, ὦ βασιλεῦ, τῆς εἰργασμένης μαιφονίας τὸ μέγεθος· οὐδὲ μετὰ τὴν τοῦ θυμοῦ λῆξιν, ὁ λογισμὸς ἐπέγνω τὸ τολμηθὲν· οὐκ ἔσθ' ἰσως τῆς βασιλείας ἢ δυναστείας ἐπιγνώσει τὴν ἀμαρτίαν, ἀλλ' ἐπιπροσθεῖ ἢ ἐξουσία τῷ λογισμῷ. χρὴ μέντοι τὴν φύσιν εἰδέναι, καὶ τὸ ταύτης θνητὸν τε καὶ διαρρέον, καὶ τὸν πρόγονον χοῦν ἐξ οὗ γεγόναμεν, καὶ εἰς ὃν ἀπορρέομεν, καὶ μὴ τῷ ἄνθει τῆς ἀλουγρίδος ἀποβουκολουμένην, ἀγνοεῖν τοῦ καλυπτομένου σώματος τὴν ἀσθένειαν· ὁμοφυῶν ἄρχεις, ὦ βασιλεῦ, καὶ μὲν δὴ καὶ ὁμοδούλων· εἰς γὰρ πάντων δεσπότης καὶ βασιλεὺς ὁ τῶν ὄλων δημιουργός· ποίοις τοίνυν ὀφθαλμοῖς ὄψεις τὸν τοῦ κοινῶν δεσπότητος νεῶν; ποίοις δὲ ποσὶ τὸ ἔδαφος ἐκεῖνο πατήσεις τὸ ἅγιον; πῶς δὲ τὰς χεῖρας ἐκτενεῖς θερμοῦ ἔτι σταζούσας αἵματος; ἢ πῶς τοιαύταις ὑποδέξῃ χερσὶ τοῦ δεσπότητος τὸ πανάγιον σῶμα; πῶς δὲ καὶ τῷ στόματι προσοίσεις τὸ αἷμα τὸ τίμιον, τοσοῦτων διὰ τὸν θυμὸν παρανόμως αἷμα ἐκχέας; ἄπιθι τοίνυν, καὶ μὴ πειρῶ τοῖς δευτέροις τὴν προτέραν αὔξιν παρανομίαν, καὶ δέχου τὸν δεσμὸν ᾧ θεὸς ὁ τῶν ὄλων δεσπότης ἄνωθεν γίνεται σύμφηρος· ἰατρικὸς δὲ οὗτος καὶ ὑγίειας σοὶ πρόξενος, εἰ μὴ πον ἀθεράπευτα πάσχειν προηρήσω.

21. Τούτοις εἶξας ὁ βασιλεὺς τοῖς λόγοις· τοῖς γὰρ θείοις νόμοις ἐντεθραμμένος ὢν ἤδει σαφῶς τίνα μὲν τῶν ἱερέων, τίνα δὲ τῶν βασιλέων ἴδια· στένων ὁμοῦ καὶ δακρύων ἐπανῆλθεν εἰς τὰ βασιλεία. Ὀγδόου δὲ παρελθόντος ἐξ ἐκεῖνου μηνός, ἦεν μὲν ἢ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενέθλιος ἑορτή· καθῆστο δὲ πρὸς τοῖς βασιλείοις βαρύντατα πενθῶν Θεοδοσίος· τοῦτο Ῥουφίνος τις μάγιστρος τηλικαῦτα ἰδὼν, προσελθὼν, οἷα δὲ χρηστὸς αὐτῷ καὶ συνήθης, ἐπυθάνετο τὴν αἰτίαν· ὁ δὲ πικρὸν ἀνοιμώξας, καὶ θερμότερον προχέας τὸ δάκρυον, Σὺ μὲν, ὦ Ῥουφίνε, παίζεις, ἔφη· τῶν γὰρ ἐμῶν οὐκ ἐπαισθάνη κακῶν· ἐγὼ δὲ στένω καὶ ὀλοφύρομαι, τὴν ἑμαυτοῦ συμφορὰν ἀναλογιζόμενος, ὅπως τοῖς μὲν οἰκέταις καὶ τοῖς προσαίταις ἀνέωκται ὁ θεὸς νεῶς, καὶ εἰσάσι ἀδεῶς, καὶ τὸν οἰκεῖον ἀντιμολοῦσι δεσπότην· ἐμοὶ δὲ, καὶ αὐτὸς ἄθρατος, καὶ πρὸς τοῦτο ὁ οὐρανὸς ἀποκλείεται· μέμνημαι γὰρ τῆς δεσποτικῆς φωνῆς, ὃ ἂν δήσητε, λεγούσης, ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

22. Ὁ δὲ Ῥουφίνος ὑπουργῆσαι τῷ βασιλεῖ τὰ πρὸς D
θεραπείαν βουλόμενος, καὶ χάριν εὐκαιρον παρασχεῖν· Δραμοῦμαι, εἰ σοὶ δοκεῖ, ἔφη, καὶ τὸν ἀρχιερέα πείσω πολλὰ φησὶν, δεηθεὶς λῦσαι σε τῶν δεσμῶν· ἀλλ' οὐ πεισθήσεται, ἔφη ὁ βασιλεὺς. οἶδα γὰρ ἐγὼ τῆς Ἀμβροσίου ψήφου τὸ δίκαιον· οὐ γὰρ αἰδεσθεῖς τῆς βασιλείας τὴν ἐξουσίαν τὸν θεῖον παραθήσεται ποτε νόμον· ἐπειδὴ δὲ καὶ ἄλλοις πλείοσι χρησάμενος ὁ Ῥουφίνος λόγοις πείσειν ὑπέσχετο τὸν μέγαν Ἀμβρόσιον· ἀπελθεῖν αὐτὸν ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἐκέλευεν, καὶ αὐτὸς δὲ ὑπὸ τῆς ἐλπίδος δελεασθεὶς, ἠκολούθησε μετὰ βραχὺ ταῖς ὑποσχέσεσι τοῦ Ῥουφίνου πιστεύσας· αὐτίκα γοῦν τὸν Ῥουφίνον ὁ θεὸς Ἀμβρόσιος, τὴν τῶν κυνῶν, ἔφη, ἀνάδειξαι ὦ Ῥουφίνε, ζῆλοῖς· καὶ οὔτε ἐρυθρίας οὔτε δέδιξις τοσοῦτον

A permisit : Nescis, inquit, imperator, uti videtur, nefariæ cædis, quæ peracta est, magnitudinem : neque post ipsum iracundiæ tuæ finem, ratione cognovisti quale facinus ausus fueris? Enim vero te fortasse non sinit imperialis potentia crimen cognoscere, sed rationi objecta auctoritas lumen adimit. Verumtamen natura necesse est habeat ipsa se perspectam, et simul tum quod inest illi mortalis ac fluxi, tum progenitricem illam glebam, unde facti sumus, et in quam dissolvimur : non vero purpuræ flore fascinata, operti corporis ignorare debet infirmitatem. Subditis qui eadem tecum natura constant, imperas, o Rex, imo etiam conservis tuis; unus enim Dominus et rex omnium est, omnium videlicet creator. Quibus ergo oculis communis domini templum adspicies, quibusve pedibus sanctum hoc pavimentum premes? quomodo autem manus extendes, calenti adhuc sanguine stillantes, aut quomodo talibus manibus excipies sacrosanctum Domini corpus, et ori etiam pretiosum sanguinem admovebis; cum per iræ impotentiam tantum sanguinis contra jus omne ac fas effuderis? Abscede igitur, et ne aggrediaris priorem culpam secunda cumulare; et excipe illud vinculum quod cœlitus iudicio suo Deus universorum dominus confirmat. Erit autem illud tibi medicinale, ac sanitatis conciliator; nisi forte insanabile vulnus perpeti elegeris.

21. Imperator parens his sermonibus (nam cum a puero in legibus divinis esset educatus, quæ ad sacerdotes pertinerent, quæve ad reges, perspicue noverat), gemitus ac lacrymas simul profundens, in palatium se recepit. Octavo autem mense ab hinc elapso, venit quidem Salvatoris nostri natale festum, Theodosius vero in regia sedens amarissime flebat. Id Rufinus quidam tunc temporis magister palatii cum pervidisset, ad eum accedens, homo videlicet domino utilis ac familiaris, causam rogabat. Tum vero ille acerbe gemens, et calidioribus manans fletibus : Tu quidem, inquit, ludis, Rufine; mea enim mala non sentis. Ego autem gemo atque deploro meam ipsius calamitatem, dum mecum reputo divinum templum famulis etiam atque mendicis apertum esse, ingressumque illuc tutum ac liberum patere illis, ut proprium dominum ipsi convenient : mihi autem hoc interdicitur, et præterea cœlum etiam interclusum est. Memini quippe Dominicæ vocis, qua promulgatur : Quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis.

22. Rufinus vero medicinam regi ministrare volens, ac tempestivum beneficium illi præbere : Curram, inquit, si tibi placet, et episcopo id persuadebo multis precibus, ut te a vinculis istis absolvat. Sed non ille persuadebitur, ait imperator; quam enim justum Ambrosii iudicium sit, compertum habeo. Nec porro ille umquam committet, ut imperialis potentie respectu divinam legem transgrediatur. At postea quam adhibitis pluribus aliis rationibus, Rufinus promittebat a magno Ambrosio rem se haud dubie impetraturum, jussit imperator quam citissime illum abire. Ipse autem spe inescatus, post non multum temporis secutus est, ut qui Rufini promissionibus fidem haberet. Confestim vero allocutus Rufinum Divus Am-

brosius : *Canum, inquit, impudentiam, Rufine, imitari; et neque erubescis, neque pertimescis, cum tanta rabie adversus imaginem Dei sævieris? Ubi vero reposuit Rufinus; et imperatorem brevi spatio interjecto venturum dixit, incensus divino zelo divinus Ambrosius : Ego, inquit, o Rufine, prædico me prohibiturum, ne vel ipsum templi vestibulum calcet : sin autem is regiam potestatem in tyrannidem vertat, me necem excepturum cum voluptate.*

23. His auditis, Rufinus et Ambrosii mentem imperatori per quemdam illico nuntiavit, et ut maneret in palatio, exhortatus est. Imperator vero, qui ad medium forum jam pervenerat, cum hæc audivit : *Ego pergam, inquit, et insaniam meæ pœnas exsolvam. Postquam vero in sacrum septum jam ventum fuit, in Dei quidem ædes non erat ingressus, verum in salutatoria domo consederat, suis se vinculis solvi flagitans.*

24. Ille vero tyrannicum vocabat ejus adventum, ac Theodosium contra Deum furere, nec non ipsius leges calcare pronuntiabat. Imperator autem in contritione cordis ac spiritu humilitatis : *Non audacia efferor, inquit, adversus leges, nec sacrum limen contra jus et fas terere aggredior : sed obsecro te, ut me vinculorum nexu liberares, et clementiâ communis Domini ob oculos tibi positâ, mihi non præcludas illam januam, quam Dominus ipse cunctis aperuit pœnitentibus. Qualem ergo, Episcopus ait, pœnitentem ostendisti post tantum scelus? quibusve medicamentis vulnera ista ad sanandum difficillima coire fecisti? Ad hæc imperator in contrito spiritu rursus retulit : Tuum est omnino et præcipere, et commiscere medicamina. Tum vero divus Ambrosius : Quandoquidem, inquit, iræ propriæ permittis judicium; et non ratio, sed animi æstus sententiam fert : legem hujusmodi velim sancias, quæ decretum quodvis iræ impetu, otiosum reddat ac superfluum : capitis vero sententiæ vel exsilii triginta dies scriptæ maneant, rationis judicium opperientes. Exactis autem triginta diebus, qui exararunt decreta illa, eadem exhibeant : et iracundia tamdiu quieta, secum ipsa ratio judicans, priorem expendat cognitionem, examinetque justane illa sit, an secus habeat. Siquidem porro iniquam inveniat, discerpit scripta, et sententiam irritam reddat : sin autem æqua fuerit, ita maneat; nec triginta dierum numerus labefactabit recte judicata.*

25. Admonitionem hanc imperator ultro admittens, et secum optime agi sibi persuadens, continuo jussit legem præscribi, quam et litteris propriæ manus ratam ac firmam esse voluit. His ita factis, divus Ambrosius imperatoris vinculum solvit : imperator autem sumptâ in templum intrandi fiduciâ, non stans, neque in genua procumbens, Dominum precabatur : sed in solum nudum dejectus ac prostratus, Davidicam illam emisit vocem : *Adhæsit, inquit, pavimento anima mea : Vivifica me secundum verbum tuum (Ps. cxviii, 25). Et crines manibus vellens, et faciem contundens, et profusis lacrymis irrigans pavimentum, veniam consequi properabat. Postquam*

κατὰ τῆς θείας λυττήσας εἰκόνας; ἐπειδὴ δὲ ὁ Ῥουφίνος ἠντιβόλει, καὶ τὸν Βασίλεα μετὰ μικρὸν ἤξειν ἔλεγεν· ὑπὸ τοῦ θεοῦ ζήλου πυρποληθεὶς ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος· Ἐγὼ, ἔφη, ὦ Ῥουφίνε, φημί, ὅτι κωλύσω τῶν ἱερῶν αὐτὸν ἐπιβῆναι προθύρων· εἰ δὲ γε εἰς τυραννίδα τὴν βασιλείαν μεθίστησι, δέξομαι καὶ γὰρ μεθ' ἡδονῆς τὴν σφαγὴν.

23. Τούτων ὁ Ῥουφίνος ἀκούσας, μηνύει τε αὐτίκα διὰ τινος τῷ βασιλεῖ τὴν τοῦ ἀρχιερέος γνώμην, καὶ μένει εἴσω τῶν βασιλείων παρήνεσεν· ὁ δὲ βασιλεὺς ἤδη κατὰ μεσὴν τὴν ἀγορὰν ταῦτα μαθὼν. Ἄπειμι, ἔφη, καὶ τὰς δικαίας δέξομαι παροινίας· ἐπειδὴ δὲ τοὺς ἱεροὺς περιβόλους κατέλαβεν, εἰς μὲν τὸν θεῖον οὐκ εἰσεληλύθει νεῶν· ἐν δὲ τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ καθῆστο, ἐκλιπαρῶν τῶν δεσμῶν ἀπολυθῆναι.

24. Ὁ δὲ τυραννικὴν ἐκάλει τὴν παρουσίαν, καὶ κατὰ θεοῦ μεμηνέναι τὸν Θεοδοσίον ἔλεγε, καὶ τοὺς ἐκείνου νόμους πατεῖν· ὁ δὲ βασιλεὺς ἐν συντριβῇ καρδίας καὶ πνεύματι ταπεινώσεως, οὐ θρασύνομαι, ἔφη, κατὰ τῶν κειμένων νόμων, οὐδὲ παρανόμως ἐπιβῆναι τῶν ἱερῶν προθύρων ἐφιέμαι· ἀλλὰ σέ μοι λύσαι τὸν δεσμὸν ἀξιῶ, καὶ τὴν τοῦ κοινοῦ δεσπότητος φιλανθρωπίαν λογισασθαι, καὶ μὴ κλεῖσας μοι θύραν, ἣν πᾶσι τοῖς μεταμελεία χρωμένοις ὁ δεσπότης ἀνέωξε· καὶ ὁ ἀρχιερεὺς. Ποίαν οὖν, ἔφη, μεταμέλειαν ἔδειξας μετὰ τοιαύτην παρανομίαν; ποιοῖς δὲ φαρμάκοις τὰ δυσίατα ἐθεράπευσας τραύματα; καὶ ὁ βασιλεὺς ἐν συντετριμμένῳ πνεύματι αὐτίς, Σὺν ἔργον, ἔφησε, πάντως, καὶ δεῖξαι, καὶ κεράσαι τὰ φάρμακα· τότε ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος, Ἐπειδὴ τῷ θυμῷ δικάζειν ἐπιτρέπεις, ἔφη, καὶ οὐκ ὁ λογισμὸς τὴν γνώσιν· ἀλλὰ ὁ θυμὸς ἐκφέρει· γράψον νόμον τοῦ θυμοῦ τὰς ψήφους ἀργὰς ποιοῦντα καὶ περιττὰς, καὶ τριάκοντα ἡμέρας αἰφονικαὶ καὶ δημεστικαὶ μενέτωσαν γνώσεις ἐν γράμμασι, τὴν τοῦ λογισμοῦ προσδεχόμεναι κρίσιν· διελθουσῶν δὲ τῶν τριάκοντῶ ἡμερῶν, οἱ τὰ ἐγνωσμένα γεγραφοῦτες, δεκνύτωσαν αὐτὰ, καὶ τῆνικαῦτα τοῦ θυμοῦ πεπαυμένον, καθ' ἑαυτὸν δικάζων ὁ λογισμὸς ἐξεταζέτω τὰ ἐγνωσμένα, καὶ σκεπτέσθω ἄραγε δίκαια, ἢ μὴ οὕτως ἔχοντα εἶεν· εἰ μὲν οὖν ἄδικα εὗροι, διαρρήγνυτω τὰ γεγραμμένα, καὶ τὴν ψήφον ἄκυρον ποιεῖτω· εἰ δὲ δίκαια, μένοι οὕτω, καὶ ὁ τῶν τριάκοντα ἡμερῶν ἀριθμὸς οὐ λυμανεῖται τοῖς ὀρθῶς ἐγνωσμένοις.

25. Ταύτην ὁ βασιλεὺς δεξάμενος τὴν εἰσήγησιν, καὶ ἄριστα ἔχειν ὑπολαβὼν, εὐθύς γραφῆναι τε τὸν νόμον ἐκέλευσε, καὶ τοῖς οἰκείας χειρὸς ἐβεβαίωσε γράμμασι· τούτου δὲ γενομένου, διέλυσε τὸν δεσμὸν ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος, καὶ ὁ βασιλεὺς εἴσω θαρρήσας γενέσθαι τοῦ θεοῦ ναοῦ, οὐκ ἐστῶς τὸν δεσπότην ἰκέτευσε, οὐδὲ τὰ γόνατα κλίνας, ἀλλὰ πρηνῆς ἐπὶ γυμνοῦ πεσὼν τοῦ ἐδάφους, τὴν Δαυιτικὴν ἀφῆκε φωνήν. Ἐκολλήθη, λέγων, τῷ ἐδάφει ἡ ψυχὴ μου· ζῆσόν με κατὰ τὸν λόγον σου· καὶ ταῖς χερσὶ τίλλων τὰς τρίχας, καὶ τὸ μέτωπον τύπτων, καὶ τοῖς τῶν δακρύων σταγῶσι τὸ ἔδαφος καταρραίνων, συγγνώμης ἀντιμῶλεϊ τύχεῖν· ἐπειδὴ δὲ καὶ ὁ καιρὸς ἐκάλει, τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενεγκεῖν, ἀναστὰς μετὰ τῶν ἴσων

δακρύων, τῶν ἀνακτόρων ἐπέβη, προσευγκῶν δὲ, ἔνδον, ὡσπερ εἰώθει, παρά τὰς κυκλίδας μεμένηκεν· ἀλλ' οὐδὲν ταῦτα ὁ ἱερός Ἀμβρόσιος σιγήσαι ἠέσχετο, ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν τόπων διδάσκει διάφορον, καὶ πρῶτα μὲν ἤρετο, εἴ τις γὰρ δέοιτο; τοῦ δὲ βασιλέως εἰρηκότος· ὡς προσμένοι τῆν τῶν θείων μυστηρίων μετάληψιν· ἐδήλωσεν, ὑπουργῶ τῶ τῶν διακόνων ἠγαυμένῳ χρησάμενος, ὅτι τὰ ἔνδον, ὧ βασιλεῦ, μόνοις ἐστὶν ἱερεῦσι βᾶσιμα· τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσιν ἄδύτα τε καὶ ἄψαυστα· ἔξιθι τοῖνον, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινῶναι τῆς στάσεως· ἀλουργίς γὰρ βασιλέας, οὐκ ἱερέας ποιεῖ.

26. Καὶ ταύτην δὲ ὁ πιστότατος Θεοδόσιος ἀσμένως δεξάμενος τὴν εἰσήγησιν, ἀντεδήλωσεν ὡς οὐ θρασύτητι χρώμενος ἔνδον τῶν κυκλίδων μεμένηκεν· ἀλλ' ἐν Κωνσταντινουπόλει τούτου μαθὼν· τοσαύτη καὶ τηλικαύτη καὶ ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ ἀρχιερεὺς διελαιπον ἀρετῇ· ἀμφοτέρων γὰρ ἔγωγε ἄγαμαι· τοῦ μὲν, τὴν παρρησίαν· τοῦ δὲ, τὴν εὐπειθειαν· καὶ τοῦ μὲν, τὴν τοῦ ζήλου θερμότητα· τοῦ δὲ, τὴν τῆς πίστεως καθαρότητα· ἃ μέντοι γε ὑπὸ τοῦ θαυμαστοῦ Ἀμβροσίου ἐν τῇ Μεδιολάνων ὁ βασιλεὺς παιδευθεὶς, ταῦτα καὶ εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἐπανελθὼν ἐτήρει, καὶ οὐδενὸς τούτων μεθίετο.

27. Ἐορτῆς γὰρ αὐτὸν πάλιν θείας ἐς τὸν θεῖον ἀγαύσης νεῶν, τῇ ἱερατικῇ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσευγκῶν, εὐθύς ἐληλύθει· τοῦ δὲ τῆς ἐκκλησίας προέδρου· Νεκτᾶριος δὲ τηλικαῦτα ἦν· Τί δῆτα μὴ μεμένηκας ἔνδον, δηλώσαντος· δυσχεράνας ὁ βασιλεὺς· Μόλις, ἔφη, βασιλέως καὶ ἱερέως ἐδιδάχθην τὸ μέσον· ἐπεὶ καὶ μόλις εὐρον ἀληθείας διδάσκαλον, Ἀμβρόσιον μόνον ἐπίσκοπον ἀξίως καλούμενον· τοσοῦτον ὄνησιν ἔλεγχος παρὰ ἀνδρὸς ἀρετῇ διαλάμπουτος.

28. Εἶχε καὶ ἀφορμὴν ἄλλην ὠφελείας ὁ βασιλεὺς οὕτως· ἢ γὰρ σύζυγος τούτου τῶν θείων αὐτὸν συνεχῶς ἀνεμίμησκε νόμων· φιλοπόνως ἑαυτὴν τούτοις καὶ πρὸς ἀκρίθειαν ἐκπονήσασα· οὐ γὰρ ἐπήρεν αὐτὴν τῆς βασιλείας ἢ δυναστείας, ἀλλὰ τὸ θεῖον πλέον ἐνέκαιεν ἔρωτα. τῆς γὰρ εὐεργεσίας τὸ μέγεθος μεῖζον τὸ περὶ τὸν εὐεργέτην εἰργάζετο φίλτρον· αὐτίκα γοῦν καὶ τῶν τὸ σῶμα πεπηρωμένων, καὶ ἅπαντα τὰ μέλη λελωδημένων παντοδαπὴν ἐποιεῖτο φροντίδα, οὐκ οἰκεταῖς, οὐδέ δορυφόροις ὑπουργοῖς κεχρημένη, ἀλλ' αὐταυγῆς γινομένη, καὶ εἰς τὰς τούτων καταγωγὰς ἀφικνουμένη, καὶ ἐκάστῃ πῆν χρείαν πορίζουσα· αὐτὴ καὶ τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς ξενῶνας περινοστοῦσα, ὑπηρετεῖ τότε τοῖς νοσοῦσι καὶ ἐπεμελεῖτο καὶ ἐθεράπευε, καὶ χύτρας ἀπτομένη, καὶ ζωμοῦ γενομένη, καὶ τρυβλίον προσφέρουσα, καὶ ἄρτον ὀρέγουσα, καὶ κύλικα διασμήχουσα, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἐργαζομένη, ὅσα οἰκετῶν καὶ θεραπευτικῶν ἔργα νενόμισται· εἰώθει δὲ συνεχῶς καὶ πρὸς τὸν ὁμόζυγον λέγειν· Ἄετι σε, ὦ ἄνερ, προσήκει λογίζεσθαι, τί μὲν ἦσθα πάλαι, τί δὲ γέγονας ἄρτι. Ταῦτα γὰρ διηγεκῶς ἐνθυμούμενος οὐκ ἔσθι περὶ τὸν

A autem ad offerenda sacrae mensae munera vocavit tempus, cum fletibus non minus copiosis surgens, gradus altaris scandit : oblatione vero porrecta, intra cancellos, ut illi moris erat, mansit. Sed nullo modo, ut haec dissimularet, abs se impetravit sacer Ambrosius : at locorum discrimen illum edocuit. Et primum quidem, num quid postularet, interrogabat, Imperatore autem respondente, participationem divinorum mysteriorum sese praestolari, ministrum adhibens archidiaconum clare professus est : Interiora, o Imperator, nisi unis sacerdotibus non sunt adeunda. Egredere igitur, et eandem cum aliis laicis stationem serva ; purpura enim reges, nequaquam vero sacerdotes facit.

26. Hanc autem compellationem similiter boni consulens fidelissimus Theodosius, contra exposuit non temeritate intra cancellos se remansisse, verum quia Constantinopoli hoc didicerat. Tantae virtutis et imperator et episcopus luce fulgebant ! Equidem enim utrumque suspicio, hunc videlicet generosam ob libertatem, illum vero propter facilem obedientiam ; et hujus quidem zelum ferventem, illius vero fidem sinceram. Quin haec etiam, quae imperator sub admirando illo Ambrosio edidicerat Mediolani, reversus Constantinopolim ipsa observavit, neque illorum omisit quidquam.

27. Etenim quodam die festo eum denuo vocante in Dei templum, ubi sacrae mensae dona obtulit, statim regressus est. Ecclesiae autem praeside, is vero erat tunc Nectarius, interrogante : Quare tu intus non remansisti ! Imperator moleste ferens : Quid inter imperatorem, inquit, et episcopum sit discriminis, vix tandem didici ; quoniam veritatis magistrum difficile inveniri, Ambrosium scilicet, qui solus digne vocatur episcopus. Usque adeo correptio prodest, quae ab homine virtute claro proficiscitur.

28. Alia quoque imperatori fuit utilitatis causa. enim vero ipsius conjux adsidue illum admonebat divinae legis, in qua se ipsam diligenter et accurate exercuerat. Nec enim illam imperii potestas exfollebat, sed in ea magis accendebat Dei amorem ; magnitudo enim beneficii erga ejusdem auctorem majus amoris incipientium excitabat. Quare statim ab initio eorum qui corporea exercitate aut membrorum omnium debilitate afflicti erant, omnimodam gerebat curam, non domesticorum aut satellitum operam utens, at ipsa operi manus adhibens ; et in ipsorum iuguria ingredi non dedignata, unicuique necessaria suppeditabat. Ipsa etiam Ecclesiarum circummeundo invisens hospitja, ministrabat aegrotis, eisque obsequium et curam adhibebat, ollas nimirum fervefaciens, jusculum praegustans, patinam afferens, porrigens panem, pocula proluens, et alia exercens omnia, quae famulorum, atque ancillarum opera judicantur. Solebat autem assidue conjugem his compellere : Te semper, o marite, animo reputare convenit, et quid olim fueris, et quem in gradum nunc perveneris ; ista enim tecum indesinenter si recogites, in benefactorem tuum ingratus numquam eva-

des : sed imperium , quod accepisti , administrabis æquis legibus ; qua etiam ratione debitum largitori ejus exsolves obsequium.

29. Cum semper illa ejusmodi uteretur verbis , quæ virtutis seminibus pulchram in conjugè irrigationem et incrementum præbere possent , prius ipsa quam vir fato functa est. Contigit autem post aliquod tempus ab ejus morte tale quid fieri , unde palam innotesceret, quoniam imperator erga eam animo, quantave charitate esset affectus. Cogente siquidem bellorum frequentia, imperator rei pecuniariæ inopiam tolerans, tributa indixit civitatibus. Urbs igitur Antiochia cum alias urbes tributis illis subditas conspiceret : pecunias vero per vim exigere, ac nulla admissa excusatione; commune hoc vectigal nequaquam ferens , sed turbarum occasionem hinc arripiens , qualia vulgus facere solet , patravit ; et nobilissimæ Placillæ, hoc enim erat imperatrici nomen, æream statuam solo adflixit, ipsam etiam per plures civitatis vicus pertrahens.

50. Imperator , hac re ad se delata, tantum molestiæ, quantum decebat, hinc percipiens , eam civitatem propriis legibus ablatis multat , vicinamque urbem Laodiceam, quæ propter litus maris sita est, illi præficit, hac potissimum via ipsi ægre se facere persuasum habens ; namque Antiochiam à longo tempore æmulabatur Laodicea. Insuper autem illam se incensurum ac deleturum minitabatur , nec non in pagum eandem se conversurum : proceres vero nonnullis in ipso facinoris actu correptis, antequam tragœdiam resciret Princeps, mortem irrogarunt. Et hæc quidem cuncta comminabatur Theodosius, non tamen illico exsequabatur, prohibente hoc nimirum lege, quam hortatu suo magnus Ambrosius ferendam curaverat. Sed posteaquam qui minas illas ferre jussi sunt, venerunt in urbem Antiochiam (dux autem erat tunc Hellenichus, et Cæsarius præfectus prætorianis, magister vero a Romanis dicitur, qui adeptus est hanc dignitatem), universi quidem in metu versabantur minarum exitum reformidantes. Virtutis autem illi athletæ, qui ad radices montium habitabant, quorum ingens erat tunc multitudo, iis quos percellerat comminatio , compatiabantur, et circumquaque cursantes, de iis viris qui supplicio fuerant affecti, quantum licebat , alios solabantur.

51. Unus autem ex illis erat vir sanctus, exornatus omni virtute, et qui die nocteque puras orationes omnium salvatori offerebat. Hic nec imperatoris iram metuens, nec eorum qui missi erant, potestatem animo reputans, cum in mediam urbem venisset, et amiculo alterum legatorum apprehendisset, jussit utrumque ex equis descendere. Hi vero parvum seniculum, eumque vili panno vestitum conspicati, primo quidem indignabantur. At cum postea quidam ex iis qui sequebantur, virtutem viri manifestassent, continuo desilierunt ex equis, et illius genua complexi, veniam petierunt. Vir autem sanctus, ac divina plenus sapientia, tali apud eos usus est oratione: Dicite, o cara capita, imperatori : Non imperator so-

εὐεργέτην ἀχάριστος· ἀλλ' ἦν ἐδέξω βασιλείαν. κυβερνήσεις ἐννόμως, καὶ ταύτη θεραπεύσεις τὸν δεδοκῶτα.

29. Τοιούτοις ἀεὶ κεχρημένη λόγοις οἷά τινα καλὴν ἀρδίαν καὶ πρόσφορον τοῖς τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς ἔφερε σπέρμασι· προτέρα μὲν τοῦ συζύγου ἐτελεύτησε, καὶ συνέβη μετὰ χρόνον τινὰ τῆς τελευτῆς, τίονδε τι γενέσθαι, ὅπερ τὴν πολλὴν ἐκείνην τοῦ βασιλέως περὶ αὐτὴν διάθεσιν καὶ φιλοστοργίαν ἀπέδειξεν· ὑπὸ γὰρ τῶν συχνῶν πολέμων ἀναγκαζόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ χρημάτων σπανίζων, φόρους ταῖς πόλεσιν ἐπεγράψατο· ἡ Ἀντιόχου τοῖνον φορολογουμένης τὰς ἐτέρας πόλεις ὀρώσα, καὶ σὺν βίᾳ τὰ χρήματα καὶ ἀπαραιτήτως εἰσπραττομένης· τὸ κοινὸν τοῦτο τέλος οὐκ ἐνεγκοῦσα, ἄλλα τε, ὅποια φιλεῖ ὄχλος, πρόφασιν εἰς ἀτάξίαν λαμβάνων ἔδρασε, καὶ τὴν χαλκὴν εἰκόνα τῆς πανευφήμου Πλακίλλης· τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῆ βασιλίδι· κατήνεγκε, καὶ ἐπὶ πολὺ τῆς πόλεως καὶ κατασυράμενος.

50. Ταῦτα πυθόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ χαλεπήνας ὡσπερ εἰκὸς ἦν, τότε τῆς πόλεως ἀφείλετο δίκαια, καὶ τῇ γείτονι πόλει Λαοδικείᾳ τῇ παρὰ θάλασσαν δέδωκε τὴν ἡγεμονίαν, ταύτη μάλιστα νομίζων αὐτοὺς ἀνιάσειν· ἐζηλοτύπει γὰρ ἡ Λαοδικεία τὴν Ἀντιόχειαν ἄνωθεν· μετὰ δὲ ταῦτα καὶ ἐμπιπρᾶν ἠπέλει καὶ καταλύειν, καὶ εἰς κωμὴν τὸ ἄστυ μεταβαλεῖν· οἱ δὲ ἄρχοντες καὶ ἀνεῖλον τινὰς παρ' αὐτὸ συλλαβόντες τὸ τὸλμημα, πρὶν γινῶναι τὸν βασιλέα τὴν τραγοῦδιαν. Ταῦτα δὲ πάντα ὁ βασιλεὺς ἠπέλει μὲν, οὐ μὲν παραχρῆμα ἐποίησεν· τοῦτο τοῦ νόμου κωλύοντος, ὃν Ἀμβρόσιος ὁ μέγας τεθῆναι παρήνευσεν· ἐπειδὴ δὲ παρὰ τὴν Ἀντιόχειαν ἦγον οἱ τὰς ἀπειλὰς ἐκείνας κομίζοντες· Ἑλλένιχός τε, στρατηγὸς τῆνικαὺτα ὢν, καὶ Καισάριος τῶν βασιλείων ἡγούμενος· μάγιστρον δὲ οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι τὸν ταύτην ἔχοντα τὴν ἀρχὴν· ἐν δέει μὲν ἦσαν ἅπαντες τὰς ἀπειλὰς περιπεφριχότες· οἱ δὲ τὴν ὑπόρειαν οἰκοῦντες τῆς ἀρετῆς ἀθληταί· πολλοὶ δὲ ἦσαν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ· συνήχθηοντο τοῖς τῇ ἀπειλῇ ὑποβεβλημένοις, καὶ περίετρεχον πανταχοῦ, καὶ ὑπὲρ τῶν κολαζομένων, ὡς δυνατὸν, παρεκάλουν.

51. Εἷς δὲ τις ἐξ αὐτῶν ἀνὴρ ἄγιος, ἀρετῇ πάσῃ κεκοσμημένος, καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν τῷ σωτῆρι τῶν ὄλων καθαρὰς προσφέρων εὐχὰς, οὗτος οὔτε τοῦ βασιλέως καταπλαγεὶς τὴν ὀργὴν, οὔτε ἀποσταλέντων τὴν ἐξουσίαν εἰς νοῦν λαβὼν, κατὰ μέσου τὸ ἄστυ γενόμενος, καὶ τῆς χλανίδος θατέρου τῶν ἀποσταλέντων ἀρχόντων λαβόμενος, ἀμφοτέρους ἐκ τῶν ἵππων καταβῆναι κελεύει· οἱ δὲ μικρὸν τι γερόντιον εὐτελεῖ ῥάκια περιβεβλημένον ἰδόντες, τὸ πρῶτον μὲν, καὶ χαλεπῶς ἔφερον· ἔπειτα δὲ τινες τῶν συνεπομένων τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐδήλωσαν ἀρετὴν, κατεπήδησαν τε τῶν ἵππων εὐθύς, καὶ τῶν ἐκείνου γονάτων λαβόμενοι συγγνώμην ἐζήτουν· ὁ δὲ ὄσιος ἀνὴρ τῆς θείας σοφίας ἐμφορηθεὶς, τοιοῖσδε πρὸς αὐτοὺς ἐχρήσατο λόγοις· Εἶπατε δὴ; ὦ φίλοι ἄνδρες; τῷ βασιλεῖ· οὐ βασι-

λευς εἶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος· μὴ τοίνυν πρὸς μόνην ἄρα τὴν βασιλείαν· ἀλλὰ καὶ τὴν φύσιν αὐτὴν λογίζου· ἄνθρωπος γὰρ ὢν, ὁμοφυῶν βασιλεύεις, κατ' εἰκόνα δὲ θεῖαν καὶ ὁμοίωσιν πάντως ἢ τῶν ἀνθρώπων δεδημιουργηται φύσις· μὴ τοίνυν ὡμῶς οὕτως καὶ ἀπεινῶς τοῦ θεοῦ τὴν εἰκόνα κέλευε κατασφάττεσθαι· παροξύνεις γὰρ οὕτω τὸν δημιουργόν, τὴν ἐκείνου κολάζων εἰκόνα· σκόπησον γοῦν, ὡς καὶ σὺ χαλκῆς ἕνεκα δυσχεραίνων εἰκόνας, ταῦτα ποιεῖς· ὅσον δὲ τῆς ἀψύχου διαφέρει ἢ ἔμφυχος καὶ ζῶσα καὶ λογικὴ, δῆλον ἅπασι τοῖς τε νοῦν ἔχουσιν ὁμοίως καὶ αἴσθησιν· πρὸς δὲ τούτοις λογισάσθω κακεῖνο· ὡς ἡμῖν μὲν ῥάδιον ἀντὶ τῆς εἰκόνης τῆσδε, πολλὰς δημιουργῆσαι χαλκᾶς· αὐτῷ δὲ προφανῶς ἀδύνατον μίαν γοῦν τῶν ἀναιρεθέντων δημιουργῆσαι τρίχα.

32. Τούτων ἀκούσαντες οἱ θαυμαστοὶ ἄνδρες ἐκεῖνοι, μηνύουσί τε τῷ βασιλεῖ τὰ εἰρημένα, καὶ τὴν τοῦ θυμοῦ κατέσβεσαν φλόγα· ὡς ἀντὶ τῶν ἀπειλῶν ἐκείνων, ἀπολογίαν τε αὐτίκα γράψαι, καὶ τῆς ὀργῆς τὴν αἰτίαν δηλώσαι· Οὐκ ἔδει γὰρ, ἔφη, ἐμοῦ πλημμελήσαντος, γυναῖκα πάσης εὐφημίας ἀξιοτάτην, τσαύτην μετὰ τελευτὴν δέξασθαι παροιμίαν· κατ' ἐμοῦ δὲ ἐχρῆν τὸν θυμὸν τοὺς ἀγανακτοῦντας ὀπλίσαι· προσετίθει δὲ τοῦτο, ὡς ἀλλοίει καὶ ἀνιᾶται τινὰς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἀνηρῆσθαι μαθῶν. Οὕτω μὲν οὖν ὁ φιλόχριστος βασιλεὺς, καὶ τοιαῦτα ὑπὸ τοῦ θαυμαστοῦ Ἀμβροσίου πεπαίδευτο, καὶ τσαύτης παρ' αὐτοῦ τῆς χάριτος, καὶ τῆς πνευματικῆς ὠφελείας ἀπέλαυσεν.

33. Ὁ δὲ θεὸς οὗτος Ἀμβρόσιος· ὃν εἴρηται τρόπον, ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ ἐν ὀρθοδόξοις δόγμασι διαλάμψας· ζηλωτῆς τε καὶ ὑπέρμαχος τῆς ἀληθείας γενόμενος, καὶ ἐποικδομήσας ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν· λόγους τε ὀρθοδοξίας καὶ διδασκαλίας ἐκθέμενος, καὶ πᾶσαν ὑπὸ Ἀρείου καὶ Ἀπολλιναρείου καινοθεῖσαν αἵρεσιν ἀπελάσας· πάντα τε τὰ τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας καλῶς διαθέμενος, καὶ εἰς βαθὺ γῆρας ἐλάσας, πλήρης τε ἡμερῶν γενόμενος, ἀνεπαύσατο ἐν εἰρήνῃ, τεθεὶς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Μεδιολάνων, μνήμην ἀληθῆ τὸν αὐτοῦ βίον καταλιπὼν καὶ τὰ κατορθώματα· ὃν ζηλωτῆς καὶ ἡμᾶς γενέσθαι καταξιώσειε, καὶ τῶν αὐτῶν ἀμοιβῶν ἐκείνῳ καὶ τῶν στεφάνων ἐπιτυχεῖν· χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

lum, verum etiam homo existis : ne igitur solum imperium, sed ipsam quoque naturam consideres ; cum enim homo sis, ejusdem naturæ consortibus imperas. Humana porro natura ad imaginem ac similitudinem divinam omnino efficta est ; quocirca noli tam crudeliter atque immaniter imaginem Dei jugulandam præcipere ; sic enim ad iram concitas artificem, dum in ejus effigiem animadvertis. Perpende igitur quemadmodum tu ipse propter figuram æream graviter commotus ista designas. Quanto autem imago spirans, et viva et rationalis potior est, quam inanima, perspicuum est omnibus, qui quidem mente, ac sensu sint præditi. Præterea et hoc secum reputet, nobis utique expeditum esse pro statua ista plures æreas alias conflare : illi e contrario prorsus impossibile, eorum, qui necati sunt, vel unum crinem procudere.

32. His auditis, admirabiles illi viri quæ dicta fuerant, significant imperatori et iracundiæ flammam exstinguunt ; ita ut minarum istarum loco quam primum sui scriberet excusationem, et iræ suæ causam exponeret : Non decebat enim, inquiebat, me delinquente, uxorem meam prædicatione omni longe dignissimam tantum contumeliæ post mortem sustinere : sed eos qui animo suo obtemperarunt, contra me oportebat iracundiam armare suam. His præterea subjunxit illud, angere se animi atque dolere quod cognovisset a præfectis morte affectos quosdam fuisse. Hoc itaque modo imperator Christi amicus, talibusque præceptis ab admirabili Ambrosio fuerat institutus, tantamque gratiam ac spiritua-

lem utilitatem ab eo perceperat.

33. Divinus autem hic Ambrosius in Ecclesia, quemadmodum dictum est, orthodoxis dogmatis fulgens, æmulatorque veritatis factus et propugnator, cum super fundamentum apostolorum ac prophetarum ædificasset, nec non rectæ doctrinæ ac disciplinæ verba exposuisset, fugata qualibet hæresi ab Ario atque Apollinario recens invecta, et Ecclesia sua in omnibus optime constituta, in profundam progressus senectutem, ac dierum plenus, in pace requievit. Tumulatus est in Ecclesia Mediolanensi, veram memoriam sui relinquens, propriam utique vitam et recte facta : quorum ut nos quoque, evadamus imitatores, eademque cum illo præmia atque coronas obtineamus, ipse dignetur, gratia et benedignitate Domini nostri Jesu Christi, cui honor est atque potestas in sæcula sæculorum, amen.

VITA SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI EX EJUS POTISSIMUM SCRIPTIS COLLECTA,

ET SECUNDUM CHRONOLOGICÆ ORDINEM DIGESTA.

1. Tanta rerum gestarum magnitudine, doctrinæ ac librorum editorum celebritate, sanctitatis denique et

virtutum episcopalium laude claruit sanctus Ambrosius ; ut instar cujusdam esset miraculi, si defuissent

eruditi homines, a quibus ejus historia litterarum monumentis committeretur. Exstiterunt itaque non pauci tum Græci tum Latini, qui hanc ipsam Spartam ornandam susceperunt, in quibus ordinem dicit Paulinus sancti Antistitis notarius atque diaconus, cujus fidem ac diligentiam in dubium revocare nequaquam licet. Verum tamen illud in eo desideratur, quod vix ullam in rebus enarrandis chronologiæ habuit rationem, et nullum scriptorum Doctoris nostri catalogum curavit contexere, quod non omisit in Augustini vita Possidius. Vitium illud reparare eruditissimus cardinalis Baronius constituerat, cum eam Ambrosii Vitam elucubravisset, quæ in Romana Ambrosianorum operum editione illis præmissa, postmodum cum iisdem toties recusa fuit. At vero hic tanti viri labor usque adeo non tulit omnium approbationem, ut proprio auctori non satisfacere; quippe qui post annos aliquot, cum in ingenti suo Annalium Ecclesiasticorum opere desudaret, pronuntiaverit de eadem Vita (Ad ann. 397): *Quam ad scripta de eodem (Ambrosio scilicet) in Annalibus, cum diversum in ea invenies (quod posteriores cogitationes meliores esse soleant) conformandam intelliges.* Quocirca præterquam quod eadem Vita longiuscula est; illam prælo subicere sine correctionibus mutationibusque nequaquam possemus, quod nolimus in opere alieno nobis licere.

2. Hermannus Sorbonicus doctor post Baronium novam Ambrosii Vitam evulgavit, quam quidem tanta dignatione omnes exceperunt, quantam merebatur auctoris diligentia et eruditio. Verum etiamsi vernaculo idiomate, quo edita est, scripta non fuisset; cum res Ambrosiano ævo et in imperio, et in Ecclesia gestas complectatur, amplior sane est illius moles, quam ut ipsam istorum voluminum modus caperet.

3. Itaque optimum nobis illud visum est, ut Vitis duabus, quarum alteram edidit Paulinus, alteram Græcus auctor consarcinavit, præmissis, tertiam insuper adjungeremus, quæ ad chronologicam rationem accuratior, defectum suppleret illarum utriusque. Ipsam, quoad ejus fieri poterit, ex Ambrosii libris haurire conabimur, cujus partes singulas ad eam concinnitatem ac proportionem pro nostra virili cogere satagemus; ut illius beneficio lector non modo factorum scriptorumve Ambrosianorum ordinem capere nullo negotio valeat, verum etiam ad studium eorundem operum lectioni cum fructu impendendum evadat paratior.

4. (An. 340.) Extra controversiam est natum in Galliis esse nostrum Ambrosium; ejus parentem, Ambrosium etiam nomine, in iisdem provinciis præfecti dignitatem obinuisse; ipsumque antequam ederetur sanctus Ambrosius, duobus jam liberis, Marcellina scilicet ac Satyro, fuisse auctum, atque adeo sanctum hunc nostrum ordine nascendi tertium exstitisse (*De Excessu Satyri, lib. 1, n. 54*). At non tanta est de tempore et loco in quo primum lucem adspexit, scriptorum consensio. Nam quod ad

tempus, qui Ambrosio LXIV vitæ annos tribuunt, annum 333 ei natalem esse affirmant: qui autem autumant ipsum non ultra annum LVII vitam produxisse, ortum ejusdem non contigisse nisi anno 340, plane contendunt. Utrique harum opinionum illud commune est, quod anno 397, vel 398, voluit e vivis excessisse sanctum Antistitem: totius autem difficultatis cardo circa numerum annorum quos ille vixit, in hoc vertitur, quod cum vir sanctus epistola LIX, quæ ad Severum destinata est, annum agere se LIII testificetur, illic etiam hæc verba scribat (*Epist. 59, num. 3*): *Nos autem, inquit, objecti barbaricis motibus, et bellorum procellis, in medio versamur omnium molestiarum.* Enim vero qui locum illum cum Baronio de bello adversus Maximum tyrannum gesto interpretantur, Ambrosium inde colligunt pervenisse ad annum vitæ LIV, eo quod anno 387 idem hoc bellum trepidatione ac terrore compleverit omnem Italiam, sanctus vero Præsul non ante annum 397 fato functus sit. Qui autem citata verba de bello Eugeniâno, quod anno 393 vel 394 patratum est, intelligenda esse defendunt, iidem Ambrosium annos natum LVII mortem obiisse nullo modo ambigunt. Fatemur quidem in hac secunda opinione majorem quamdam veritatis speciem elucere: sed in hac questione magnum inesse operæ pretium non arbitramur. Etenim hos septem annos, de quibus hic controversatur, ad vitam ab Ambrosio ante baptismum et in sæcularium rerum commercio exactam pertinere in confesso est: de annis vero quos vixit episcopus, et ad quos præcipua quæque ipsius facta referuntur, auctores ferme inter se consentiunt.

5. Quod porro ad locum, qui eundem nascentem exceperit, satis cognoscitur ex verbis Paulini eam urbem fuisse, in qua sedem habere consueverat Galliarum præfectus (*Basil. epist. ad Ambr.; Paulin. in Vita Ambr., etc.*). Verum illa ipsa urbs quænam censenda sit, haud parva lis est; alii enim Arelati, alii Treviris aut etiam Lugduno hunc honorem deferunt, singuli videlicet harum urbium nobilitati ac prærogativis antiquis nixi: sed revera nullum argumentum quo cæteris in hoc anteponenda liquido demonstratur, in medium prominentes. Non desunt præterea qui Romam ipsam vocitent Ambrosii patriam: sed patria nihil aliud apud eos his locis sonat, quam familiæ atque originis solum natale, nec non solitum parentum sancti viri, et ipsius etiam non modico tempore domicilium.

6. In illa igitur harum urbium, ubi præfecti Galliarum prætorium erat, in lucem editus est noster Ambrosius: ubi et Paulinus (*in Vita Ambr., n. 3*) prodigium illud memorat contigisse, quo apiculæ in os infantuli alternatim intrantes atque exeuntes, summam illius in dicendo, et in hominibus ad Christi obsequium alliciendis suavitate visæ sunt portendere.

7. (An. 355.) Patre mortuo, Ambrosius cum matre Romam reversus est, qua in urbe Marcellinam

quæ virginitatem ut Paulinus testatur (*Vit. Amb. num. 4*); jam fuerat professa, cum alia item sacra virgine habitantem reperit. Cum autem ex ipsomet Ambrosio cognoscere sit eandem Marcellinam Liberii pontificis manibus natali die Christi Domini flammeo virginali fuisse consecratam (*Lib. III de Virg., cap. 1, num. 1*): aliunde vero non dubitetur quin ille pontifex XI kal. Junias anni tantum 352, suffectus fuerit in decessoris sui Julii sedem, hinc sit compertum Marcellinæ consecrationem non nisi VIII Kal. Januariæ anni, ut minimum, 353, aut potius 354, fieri potuisse. Porro cum ad tempus Ambrosiano in urbem reditu posterius referatur a Paulino sæpius hic citando, quod idem Ambrosius manus suas tamquam futuri episcopi exosculandas puellæ porrigeret memoratæ, ex Iusu illo sane puerili satis colligitur Pauliniana verba, cum adolevisset, potiori jure de sancti nostri anno XII, vel XIII, intelligi, quam de XIX aut XX. Unde illud non leviter potest confirmari, quod Ambrosii ortum anno 340 assignavimus.

8. Educatu in contubernio harum virginum noster Ambrosius; inde tanto erga virginitatem atque cælibatum amore affectus est; ut illud vitæ genus non modo ipse semper coluerit quam studiosissime, verum etiam totis viribus longe lateque propagaverit, quemadmodum edita ab eo scripta, virgines ejus manibus solemniter Christo consecratæ, monasteria demum variis in locis ab ipso instituta palam faciunt. Inter virgines autem quæ a sancto Præsule ad professionis suæ perfectionem informatæ sunt, nullam insignioribus virtutum omnium fulsisse documentis, quam Marcellinam, ipsius effigies a pio fratre stylo expressa clare demonstrat (*Lib. III de Virg., cap. 4, num. 15 et seq.*). Romæ quidem commorabatur eadem virgo, sed fratri semper intimo quodam animorum nexu conjuncta fuit; ita ut ejus, si quando ipsum in Urbem traheret necessitas, conspectu frui minime contenta, subinde Mediolanum itaret ad eum invisendum: quoties autem ab invicem locorum distantia separabantur, crebris epistolis iisque de virtute ac religione potissimum scriptis, mutuam sui desiderium consolarentur. At præterea si quid anxium sollicitumve reddebat Ambrosium, amantissima soror fraternam sollicitudinem cum eo partiri numquam destitit, quoad ille vixit; ipsam enim superstitem ei fuisse dubium non est.

9. Ambrosius dum egit Romæ, liberalibus disciplinis (*Paulin. in Vita Ambr., num. 5*) operam dedit, magnosque, ut ex ejus lucubrationibus licet cognoscere, et in lectione bonorum auctorum, et in Græcarum litterarum cognitione progressus habuit. Inde cum orandis in foro causis animum adjecisset, tantum præ se tulit ingenii, eloquentiæ, et gravitatis; ut eum Probus prætorio præfectus ad consilium tribuendum eligeret. Satyrus quoque, peracto studiorum suorum curriculo, forum secutus, incredibili admiratione, ut Ambrosii verba usurpemus, in auditorio præfecturæ sublimis emicuit (*De Excess. Satyri,*

n. 29). Et revera ambo illi fratres virtutum suarum suffragio clarissimas quasque dignitates assecuti sunt, quas quo animo iidem adierint, clare significavit Ambrosius, ubi hæc dixit: *Sæculi hujus honores, inquit, . . . quos ideo adepti sumus, non quia fuit expectanda eorum perceptio, sed ne vilis dissimulatio videretur* (*Ibid., num. 25*). Quemadmodum autem Satyrus provinciam administraverit suæ curæ creditam, non aliunde melius quam ex hoc fraterno testimonio discere licet: *Qualis in universos fuerit, ait ille, provincialium quibus præfuit, studia docent, qui parentem magis proprium, quam judicem loquebantur, gratum pietæ necessitudinis arbitrum, constantem æqui juris disceptatorem* (*Ibid., num. 58*).

10. (An. 374.) Quam regionem Satyrus regendam acceperit, minime constat: quod vero ad Ambrosium, Probus jam ante memoratus eum præfectum Liguriæ atque Æmiliæ, quibus provinciis archiepiscopatum Mediolanensem, Liguriarum, Taurinensem, Genuensem, atque Bononiensem comprehendere vulgo existimant. Cum porro Ambrosium illuc abs se Probus dimitteret, eum hisce verbis fertur allocutus: *Vade, inquit, age non ut judex, sed ut episcopus* (*Paulin. in Vita Ambr., num. 8*); nimirum ut potius clementiam episcopalem, quam judicis severitatem exhiberet provincialibus, pulcherrime admonens.

11. Hujus præcepti haud immemor exstitit Ambrosius: populorum enim animos tantopere sibi devinxit comitate sua et mansuetudine, ut extincto Auxentio, perfido illo Ariano (qui sedem occuparat Mediolanensem, unde ejectus et in exilium amandatus erat sanctus Dionysius), in ejus locum ipsemet suffectus fuerit ad eum modum, qui a Paulino eleganter describitur. Ambrosius hac in electione vim sibi illatam fuisse frequenter conqueritur (*Ibid., n. 6 et seq.*); namque in primo libro de Officiis (*Num. 2 et 4*) modo sibi refugienti impositam sacerdotii necessitudinem dolet, modo se raptum a tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium. Et alio in libro: *Dicetur, inquit, Ecce ille non in Ecclesiæ nutritus sinu, non edomitus a puero: sed raptus a tribunalibus, abductus de vanitatibus sæculi hujus, a præconis voce ad Psalmistæ assuefactus canticum* (*Lib. II de Pœnit. c. 8, num. 67*). Et post pauca: *Custodi donum quod contulisti etiam refugienti: Ego enim sciebam quod non sum dignus vocari episcopus, quoniam dederam me sæculo huic: sed gratia tua sum, quod sum. Et sum quidem minimus omnium episcoporum, et infimus merito. In epistola quoque ad Vercellenses ita loquitur: Quam resistebam ne ordinarer . . . Sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio* (*Epist. 63, num. 65*). Certe quidem ex his quæ Paulinus hac de re narrat (*In Vita Ambr., n. 7 et seq.*), planissimum est sanctum huic noscitur, ut huic oneri subduceret humeros, nihil non tentasse. Verumtamen ubi Valentiniani Cæsaris allatæ sunt litteræ, divinæ voluntati quam post tot indicia in dubium revocare jam non poterat, morem gerere

coactus fuit. Eam ob rem secutis temporibus, cum atrocissime impeteretur ab Arianis, Valentinianum secundum his verbis compellebat: *Omitto, inquit, quia jam ipse populus judicavit: omitto quia eum quem habet, de patre Clementiæ tuæ postulavit: taceo quia pater pietatis tuæ quietem futuram spondit, si electus susciperet sacerdotium. Hanc fidem secutus sum promissorum* (Epist. 21, num. 7).

12. Postquam igitur divinis paruit imperatis, regenerationis lavacro episcopi catholici manibus voluit expiari: *Baptizatus autem fertur omnia ecclesiastica officia implisse, atque octava die episcopus ordinatus est* (Paulin. in Vita Ambr., num. 9). Nihilominus tamen ut Ecclesiæ leges, quæ neophytum vetant consecrari, aliquatenus observarentur; anisus est viribus omnibus, *ut saltem ordinatio protelaretur* (Epist. 63, num. 6). Verum cum non alia de causa hujusmodi prohibeatur inauguratio, quam *ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli* (I Tim. III, 7), eique periculo obnoxia non videretur Ambrosiana humilitas, urgente Ecclesiæ utilitate, non diutius differri oportere iudicatum est. Et sane illam ordinationem occidentales episcopi iudicio, orientales etiam exemplo probarunt, quemadmodum testatur ipsemet Ambrosius, qui et subjungit: *Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est: si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.*

13. Verisimile est consecrationem illam vii idus mensis Decembris factam fuisse; quandoquidem hoc ipso die mentio ejus fit tam apud Græcos quam apud Latinos: quin et hoc idem indicare videtur Ambrosius, cum agens de Felicis Comensis episcopi ordinatione, quæ in exordio ipso kalendarum Novembrium redibat, sic eum alloquitur: *Natalem tuum prosequemur nostris orationibus, et tu nostri in tuis votis non obliviscaris* (Epist. 4, num. 2). Etenim si dictio *nostris* afficiat vocem *natalis*, admodum probabile fuerit virum sanctum non aliunde ad hæc scribenda inductum esse, nisi quia initi abs se episcopatus anniversarium cogitabat tunc imminere. Atqui consensus chronologistarum de anno consecrationis ejusdem sancti multo major est, eorum enim peritissimi anno 374 eam collocant; quamquam non desint, qui eandem in annum insequentem differre voluerint, non satis nimirum attendentes Valentiniani, quem superstitem fuisse constat quo tempore ad episcopatum Ambrosius cooptatus est, obitum evenisse anno 375, mense Novembri. Quamprimum vero sanctus Antistes electionem suam episcopis cum orientalis Ecclesiæ tum occidentalis, ut moris erat, significavit; exstatque etiamnum epistola magni Basilii perquam egregia, qua litteris Ambrosianis ille respondet (Basil. epist. 55), et qui epistolæ Dionysii quem in episcopatu excepit Ambrosius, reliquias adjunctas fuisse quidam existimant. Mortuus autem est in exilio sanctus Dionysius viii kal. Apriles ejusdem anni 374.

14. Cæterum Ambrosius noster statim atque ad

tantam dignitatem assumptus fuit, omnem aliam curam præterquam implendi muneris sui a se removit. Is enim bona temporalia, quibus ipsius familia locuples erat, cum Satyrum fratrem opibus pauperem fuisse Vir sanctus neget (*De Excessu Satyri, num. 56*), universa abdicavit, auroque et argento in egenos collato, prædia sua, reservato sorori solo usufructu, Ecclesiæ tribuit (*Paul. in Vita Ambr., num. 58*). Inde est quod tempore Arianæ persecutionis responderit tanta cum fiducia: *Si a me peteret (imperator) quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, quidvis hujusmodi meum, me non refragaturum; quamquam omnia quæ mei sunt, essent pauperum* (Epist. 20, num. 8). Patrimonium cum fratribus partiri noluit, sed ejus curam, non secus ac aliarum rerum sæcularium, sicut etiam servorum ac familiæ directionem in Satyrum rejecit. Frater ille dilectissimus ad eum venerat Mediolanum, adeo enim alter ab altero divulsus vivere non poterat, ut ea de re Ambrosius ita loquatur: *Nec ipsi, ait, nos sæculi hujus delectabant honores, quod nos a nobis invicem dividebant* (*De Excessu Satyri, num. 25*). Tanta vero prudentia et mansuetudine hanc administrationem obivit Satyrus, ut ipsi jam mortuo testimonium hoc reddat sanctus frater: *Sine offensione ulla et gubernasti fratris domum, et commendasti sacerdotium* (*Ibid., num. 20*).

15. Quapropter expeditus ac liber a rebus terrenis novus episcopus, cœlestium acquisitioni totus incubuit: et quamvis ante susceptum sacrum baptisma tam honeste tamque christiane vitam instituisset, ut vix aliud quod adderetur, culminis episcopalis perfectio videretur exigere; nihilominus tamen tanta animi contentione operam dedit virtutibus omnibus, quanta si nullam sibi inesse persuasum habuisset. Qua ratione talis effectus, qualem unumquemque subditorum suorum esse peroptabat, eisdem ad bona opera faciem numquam non præferebat. In primis autem ita se manciparat cultui sacrorum altarium, ut nullis negotiis quo minus quotidie divinum offerret sacrificium (*Epist. 20, num. 15*), avocaretur. Sed cum Paulinus satis accurate Ambrosianas singulorum dierum exercitationes enarraverit (*Vita Ambr., num. 38 et seq.*), ut eæ minutatim hoc loco exponantur, nihil est necesse. Cæterum sanctus Præsul attente considerans gubernacula ejus Ecclesiæ sibi credita, quam Auxentius, qui eam totos 20 annos occupaverat, Arianorum dogmatum veneno inficere omni ope conatus fuerat; e contrario ipse arbitratus est sibi nervis omnibus esse connitendum, ut non modo ejusdem Arianæ dementiæ, sed et omnium aliarum hæreseon prava germina stirpitis ex populorum mentibus evelleret. Pastoralis hujus sollicitudinis effectum declaravit sanctus Hieronymus in illa verba: *Post Auxentii, inquit, seram mortem, Mediolani Ambrosio constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur* (*Hieron. in Chron.*). Tantus autem ille successus eo dignior est admiratione, quo ad illum adipiscendum breviori spatio vir sanctus indi-

guit; ipse siquidem per Arianæ tempestatis tempora, A id est, anno 385 aut 386 sic jam scribebat: *Prodire de Arianis nullus audebat; quia nec quisquam de civibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi* (Epist. 20, num. 12). Hoc similiter tempore Augustinum a Manichæorum cassibus liberavit sanctus Antistes: neque etiam dubitaverimus plures alios non tam pervicaces quam Augustinum, Ambrosio jam ante debuisse primi sui erroris depulsionem.

16. Verum tamen uberes illi fructus magno studio multisque laboribus constitere novo præsul; nam licet a nobis observatum sit liberalibus illum litteris ac disciplinis ab adolescentia instructum fuisse, ecclesiasticam tamen doctrinam, cum ad episcopatum proventus fuit, ei defuisse negabit nemo. Ut igitur hanc scientiam sibi compararet, quidquid B temporis sibi a negotiis muneris sui, aut necessaria corporis cura vacuum erat, incredibili assiduitate Scripturæ sacræ meditationi totum impendebat. Testem habemus hujusce rei magnum Augustinum, cujus hæc verba sunt: *Secludentibus me, inquit, ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat, cum quibus quando non erat, quod per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum.* (Confess. l. vi, cap. 3, num. 3). Sed nec fidelissimus ille discipulus negligendum tacendumve existimavit, quam rationem in legendo teneret præceptor suus; eodem enim loco ista subjungit: *Sed cum legebat, ait, oculi ducebantur per paginas, et cor intellectum rimabatur, vox autem et lingua quiescebat* (Ibid.). C Neque vero diurnæ lucis curriculum ejus sufficiebat aviditati; sed nocte diei hoc in opere propemodum continuata, redux a sacris vigiliis, lectionem quamprimum resumebat, sicut ipse charissimo suo Irenæo ingenue fatetur hoc modo scribens: *Inter legendum, inquit, cum paululum requievissem animo, quia lubricatione destiteram, versiculum illum cœpi mecum revolvere, quo vesperi in vigiliis usi fueramus* (Epist. 29, num. 1). Quin etiam postquam ætate jam erat provector, de tam improbo studio nihil remisit, quemadmodum ex una ejus epistolarum Sabino amico suo et familiari scripta cognoscere est; in ea quippe hæc verba legimus: *Non enim dictamus omnia, et maxime noctibus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti* (Epist. 47, num. 1). Atque ita qui labori suo numquam parcebat, parcebat alieno. Quapropter cum acerrimo ingenio præditus esset et humanioribus litteris apprime institutus, maxime vero græcis, in quibus inter Latinos Patres uni Hieronymo primas concedebat; mirum non videbitur, si Patrum tam Græcorum, quam Latinorum operibus indefessa manu volvendis, et sacris utriusque linguæ codicibus inter se conferendis, tantos progressus tam brevi habuerit. Nam quod contendit magnus cardinalis (In Vita Ambr. et in Ann. ad an. 375 et 385), Damasum pont. max. ubi comperit Ambrosii adhuc catechumeni electionem, Simplicianum, qui eum primis episcopatus sui annis in ecclesiastica scientia

erudiret, Mediolanum misisse, haud satis idoneo nititur fundamento; quod enim Ambrosius suam ad eundem Simplicianum epistolam his verbis concluderit: *Nos parentis affectu dilige* (Epist. 65); et Augustinus ipsum vocitarit *patrem in accipienda gratia tunc episcopi Ambrosii, et quem vere ut patrem diligebat* (August., l. viii Conf., cap. 2); id aliunde non esse factum jam ostendimus, quam quia illum idem presbyter adhuc juvenem primis fortasse religionis elementis Romæ imbuerat, vel quia eum post electionem ad sacramenta regenerationis ordinationisque suscipienda parare studuerat.

17. (An. 375.) Ambrosius comparandæ rerum ecclesiasticarum, et Scripturarum potissimum cognitioni non alio consilio desudabat, nisi ut implere posset doctoris munus, quemadmodum aperte significant hæc ejus verba: *Sed tantummodo intentionem et diligentiam circa Scripturas divinas opto assequi... et hanc ipsam ut docentis studio possim discere* (Lib. 1 de Offic., cap. 1, num. 3). Hanc ob rem statim a primis sacerdotii annis festinavit illud aggredi; non enim obscure id ipsum declarat, dum tanta cum modestia et sui demissione profitetur factum fuisse, *ut prius, inquit, docere inciperem, quam discere. Discendum igitur mihi simul et docendum, quoniam non vacavit ante discere* (Ibid., num. 4). Clerici porro quos hic alloquitur, non soli exstiterunt, ad quos primæ illius curæ pertinuerint; in catechumenis etiam ad genitalia sacramenta parandis erudendisque plurimum laborabat. Et tot ejus libri ex sermonibus ad eosdem habitis compositi, abunde probant vix aliud ipsi fuisse antiquius, quam ut idoneas redderet hasce teneras plantas, quæ pietatis radicibus altius actis, fructus uberes aliquando ferrent. Indefessus erat in hoc munere, et omnino *in rebus divinis implendis, ut Paulinus loquitur* (In Vita Ambr. num. 38), *fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent.*

18. Superiora duo conditionum genera sancto episcopo populi oblivionem haud induxerunt: is enim sedulam operam dabat non modo illius moribus virtutum omnium ornamento excolendis ac decorandis, verum etiam ipsius animis contra technas ac perfidiam hæreticorum præmuniendis. Hoc ejus noscitur fuisse propositum, quando librum suum *De Paradiso*, quem hoc ipso anno editum putamus, ea de re in lucem emisit; ne Apellis discipuli, aut Manichæi potius *simplices mentes, inquit, malitiosa interpretatione traducant* (Lib. de Parad., cap. 5, n. 28). Huic libro alios duos adjecit, qui *de Cain et Abel* inscripti sunt, in quibus faciliiori adhuc negotio deprehenduntur ii sermones, qui Christiani oratoris non ita maturi ingenium referant, licet hi ipsi præceptis ad bonos mores appositissimis passim aspergantur.

19. Ambrosium singulis diebus Dominicis ad populum verba facere consuevisse testis est Augustinus, cum profitetur: *Eum quidem in populo verbum*

veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam (Lib. vi Conf., cap. 3). Sed verba illa non nisi de sermonibus per anni cursum ex communi more haberi solitis accipienda sunt; in festis celebrioribus, nec non in diebus extraordinariis quotidie, imo vero interdum etiam semel et iterum eodem die suggestum conscendebat, sicut a nobis suis locis observatum est (Admon. in lib. de Myst. et in lib. Hexaem.).

20. Primis quoque Ambrosiani episcopatus annis generosam illam libertatem, quam sacerdos Christi adversus principes magnatesque sæculi adhibere constituerat, expertus est Valentinianus Magnus. Etenim ut illam enarrationem Theodoretii, cui eam debemus, verbis ipsis representemus: *Paucis post diebus, nimirum ab ordinatione, cum divinus Ambrosius multa cum libertate imperatorem alloquens, nonnulla reprehendisset, quæ a magistratibus haud recte facta esse videbantur, respondit imperator: Hanc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam; sed licet eam probe nossem, non solum non contradixi, imo assensum præbui ordinationi tuæ. Proinde delictis animarum nostrarum medicinam adhibe, quemadmodum divina lex præcipit (Lib. iv Hist. eccl., cap. 7).*

21. Hic imperator xv kal. Decembres diem obiit, relictis duobus filiis, Gratiano scilicet ac Valentiniano: quorum ille prior jam impleverat annum ætatis xvii, et die ix kal. Septembres anni 367 Augustus fuerat salutatus; Valentinianus vero adhuc quadrimus sexto die post obitum paternum imperator declaratus est. Utrumque horum principum semper Ambrosius tenero quodam et vere patrio amore complexus est, quem et illi vicissim parentis proprii loco nunquam non coluerunt; quod enim sub junioris imperio vexationem atrocissimam sustinuit sanctus Episcopus, id in furorem hæreticæ femine, quæ puerili filii ætate abutebatur (Orat. de Obit. Valen.), rejiciendum est.

22. (An. 376.) Quantumcumque porro quælibet vitæ ratio beato Præsuli curæ fuerit, nullum institutum sollicitudinis suæ laboribus ei unquam dignius visum est, quam virgineum. Jam inde ab initio episcopatus lucubrations suas domini sui sponsis devotandas putavit; cum non tardius hoc anno ineunte ad eas habiti videantur elegantissimi illi sermones, ex quibus libri *de Virginibus* concinnati sunt. Quantum autem horum cum pronuntiati sunt, fractus eruperit, ex eo satis colligi datur, quod vir alioquin modestissimus illam premere non potuerit: *De Placentino, inquit, sacrandæ virginis veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic vententur (Lib. de Virg., c. 10, num. 57).* Quæ quidem verba tempus etiam quo illi sermones habiti fuere, satis innuunt; cum enim Ambrosius *triennalis sacerdos (Ibid., lib. iv, cap. 6, n. 39)* eosdem redegerit in librorum formam, hinc intelligas unius, ut minimum, anni spatium fuisse opus, ut illarum concionum fama in loca tam dissita, et maxime in Mauritaniam usque pervadens, velandas virginis Mediolanum inde

A pertraxerit. Quocirca si festum beatæ Agnetis xii kal. Februarias celebrabatur, ut nunc moris est, haud sine causa crediderimus eorundem sermonum primum hoc ipso anno in natali illius martyris, alios vero aliis diebus ex intervallo dictos fuisse. Hoc autem Ambrosius tanta cum facundia et ornatu, simul vero tanta cum vehementia, et efficacia persuadendi præstitit; ut et nimiam orationis luxuriam ipsemet excusaret, et matres ne filia suæ tanti doctoris eloquentia persuasæ, virginitatem Christo consecrarent, eas in conclavi sedulo inclusas ad eum audiendum in Ecclesiam venire non paterentur.

23. Ariani, cum novum Antistitem hæresi suæ bellum indixisse, ac nullam a primo die acceptæ ordinationis occasionem eorum oppugnandi prætermittere conspicerent; coeperunt serio inter se consulere, quibus machinis adversario partibus suis perniciem proximam minitanti sese opponerent. Eo animo, ut quidam prudenter existimant, Valentem elegerunt furoris sui ministrum idoneum, qui Petavione, cujus thronum episcopalem, ejecto Marco, per vim occuparat, turpiter expulsus, in Italiam ad perturbandas illius Ecclesias se contulerat. Sed repressa est ejus amentia Gratiani auctoritate; legem enim adversus illum ab eodem principe fuisse latam ex primis verbis lib. iv *de Hæret.* discamus licet.

24. (An. 377.) Jam supra narravimus quam late Ambrosianorum de virginitate sermonum fama se diffudisset. Inde factum est ut virgines sacræ, quæ propter locorum distantiam illas adhortationes auribus haurire non poterant, eas saltem chartis traditas legere percuperent. Nec profecto credibile est Marcellinam Ambrosii sororem, et ante multos annos id vitæ genus publice professam, ferre potuisse, ut ab alia in hoc expetendo prævertèretur: sanctus autem Præsul lubentissime obsecutus est eorum votis; quod ipse manifesto de se testatur, his verbis loquens: *Rogantibus virginibus ne hoc quidem putavi negandum (Lib. de Virg., cap. 1).* Illa de causa eosdem sermones in tres libros de Virginibus is transformavit *nondum triennalis sacerdos*, ut jam dictum est. Marcellinæ sorori hoc idem Opus inscriptum voluit, in quo et orationem illam retulit (Admon. in lib. de Virg.), quam dum illi sanctimoniali velum imponeret, habuit Liberius.

25. Non ita multo post librum *de Viduis* (Admon. in lib. de Viduis), qui similiter constat e sermonibus, in vulgus edidit. Viduarum Christianarum comoda et merita illic prædicat, nec non earum conditionem proximè accedere ad virginalem appositè probat. Dederat autem eidem opellæ occasionem quædam vidua, quæ cum haberet ex filiabus alias nuptas, alias vero nuptiis maturas, eum consuluerat an ad secundum conjugium transire sibi expediret?

26. Huic ipsi tempori librum *de Tobia* etsi non argumentis necessariis, probabilibus tamen conjecturis attribuimus (Admon. in lib. de Tobia). Ex historia Tobie ab eoque matuo datæ Gabelo pecuniæ ansam arripiens, in usuram insurgit ea tempestate

immaniter grassantem, quam ejusmodi rationum A momentis impugnat et profligat, ad quæ memoriæ nostræ homines vitam componere optandum esset.

27. (An. 378.) Qui libellum de Virginitate paulo attentius examinaverit, nihil aliud esse comperiet quam continuationem libri de Viduis (Admon. in lib. de Virg.); eumque similiter compositum esse ex sermonibus, quos ut commotam memoratæ viduæ mentem placaret, composuit. Verum priusquam eandem viduam alloqueretur, fuse disputat de instituto virginitatis, illudque nec improbum esse, nec novum, nec inutile argumentis evincit (De Virg. cap. 6, n. 27 et seq.). Et hac ratione tam de virginibus, quam de viduis illic agitur, maxime vero de his ultimis. Cum autem liber de Viduis absolvi nisi vertente anno superiore non potuerit, hinc evidens est eum librum de quo agimus, conscribi ante hunc annum non potuisse.

28. Interæa dum Ambrosius tam feliciter hæresi debellandæ, vitis extirpandis, ac inserendis virtutibus operam navabat, Valens imperator, qui catholicos afflictabat tam atrociter, maximas a Gothis clades pertulit. Contra vero Gratianus ejus ex fratre nepos, rectæ fidei beneficio ubique triumphabat. Is igitur comperto patrui periculo, in Orientem eidem laturus auxilium, transire constituit. Itaque ut adversus adeunda pericula potentiori præsidio communiiret se, aut superiore anno exeunte, aut ineunte præsentem rogavit Ambrosium ut sibi commendationem (Admon. in lib. de Fide), qua Filii Dei divinitas astrueretur, lucubraret; quo scilicet regiones Ariariorum contagione infectas aditurus, alexipharmaco non privaretur. Ambrosius tametsi magis optasset cohortandi ad fidem subire officium, quam de fide disceptandi (Lib. I de Fide, cap. 6, num. 4); principis votis tamen obtemperans, priores duos libros de Fide ad illum misit. Quo facto, suam omnem sollicitudinem eo convertit, ut fuis ad Dominum continuis fervidisque precibus eidem principi felicem impetraret expeditionem; quemadmodum in epistola super ejus reditu ad illum data ipse testatur, his verbis scribens: *Tuum quotidianum iter legebam, nocte ac die in tuis castris cura et sensu locatus, orationum excubiis prætendebam; etsi invalidus merito, sed affectu sedulus* (Epist. 1, num. 1).

29. Valens autem cum didicisset secundum Danubii ripas Gratianum ad se properare; ne juvenem illum principem cujus virtuti maxime invidabat, socium victoriæ haberet, festinavit funestissimum illud committere prælium; in quo una cum omnibus orientalis imperii viribus profligatus est; ipse vero in agræsti inguriolo die IV Kal. Augusti vivus combustus.

30. Barbari in quibus erant Taifales, quæ natio præ cæteris aliis impudiciæ turpitudini nancipabatur, usi victoriæ in plurimas imperii provincias maximeque in Thraciam et Illyriam facta irruptione, usque ad radices Alpium Julianarum omnia pervastarunt. Explicari non potest quanta crimina perpe-

traverint, quemadmodum cuncta miscuerint cædibus atque incendiis, quantum denique captivorum numerum abduxerint, quos pecudum more passim venales exponebant. Nota sunt hæc nimis, inquit Ambrosius, *Illyrici vastitate et Thraciæ: quanti ubique venales erant toto captivi orbe* (Lib. II Offic., cap. 15, num. 70). Ex his complures redemptos esse ab Ecclesiis idem significat: sed ipse omnium charitatem superavit in hoc officio, quippe qui non pecunias tantum in redemptionem illam lubens impenderit, sed ipsa quoque Ecclesiæ vasa comminuerit, flaveritque. Quæ quidem in re cum primo servatis legibus prudentiæ, vasa non iniuncta confregisset, postmodum tamen si illa non potuissent sufficere, etiam iniuncta non parcendum esse arbitrabatur. Pulcherrimum illud exemplum postea sanctus Augustinus aliisque præstantissimi Antisites cum laudè tum imitatione approbaverunt: sed Ariani e contrario gravissimam hinc invidiam Viri sancto creare conati sunt: *Nos aliquando, inquit, in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus: quod Ariani displicere potuerunt; nec tam factum displiceret, quam ut esset quod in nobis reprehenderetur* (Ibid., num. 136). Quapropter ad eorum eriminationem abs se depellendam, conscenso Ecclesiæ suggestu, *ita in populo, inquit, persecuti sumus, ut confiteremur, multoque commodius astrueremus, ut animas Domino quam aurum servarem* (Ibid., num. 137).

31. Sub exitum hujusce anni Satyrus (Admon. in lib. de Excessu Satyri); qui omnem Ambrosianæ familiæ administrationem a beato fratre sibi traditam susceperat, hyemali tempestate negligens frigoris navigavit in Africam (De Excessu Satyri, num. 50); ut ad solvendum compelleret Prosperum quemdam, de quo Ambrosius: *Plauderebat sibi, ait, quod sacerdotii mei occasione redditurum se quæ abstulerat, non putabat* (Ibid., num. 24). Nihil omissum est ab Ambrosio, ut ab illa navigatione fratrem revocaret, et alii demandaretur eâ provincia (Ibid., num. 26): Satyrus tamen non desistit a proposito, sed quo celerius interjectum mare transmitteret, veteri et sentinoso navigio uti non timuit (Ibid.).

32. Interæa in morbum incidit sanctus Episcopus: *Denique proxime, inquit, cum gravi quodam, atque utinam supremo, urgerer occasu, hoc solum dolebam, quod non ipse assisteres lectulo, ac votivum cum sancta sorore partitus officium, morientis oculos dignis tuis clauderes* (Ibid., num. 36). Ex quibus verbis etiam intelligas per hanc Satyri peregrinationem Marcellinam charissimum suum germanum invisuram venisse Mediolanum; et ipsi in periculosa illa valetudine sedulo ministrasse.

33. Satyrus tam viliosâ navi conscensa, non multo post naufragium fecit; cum enim in brevibus illisisset idem navigium, ejus compago statim soluta est. In tanto tamque presenti periculo ab iis qui genitali aqua tincti fuerant (nondum enim exceperat eam gratiam) *Divinum fidelium sacramentum poposcit . . . et ligari fecit in oratio, et orarium involvit collo, atque*

ita se dejecit in märe . . . his se tutum atque munitum satis credens, alia auxilia non requisivit (Ibid., num. 43). Et eum spes sua minime fefellit, quandoquidem primus, ut Ambrosius testificatur, servatus est exundis. Ubi primum terram attigit, servosque proprios eripuit e periculo, jam curam omnem ad agendas Deo gratias, et suscipiendum sacrum baptismum festinus vertit. Cum vero audivisset loci quo appulerat, episcopum Luciferiano schismati adhærere, catholicum a quo ablueretur, quæsivit: ac tam uberem in eo sacramento gratiam esse adeptus, ut eam, Ambrosio teste, postea numquam amiserit (Ibid., num. 52).

34. Præter hoc naufragium, morbo idem quoque Satyrus eo in itinere conflictatus est, cujus nuntium ad Ambrosium ac Marcellinam cum pervenisset, ingenti dolore illos affecit. Incertum porro nobis videtur, utrum in memorato naufragio, an in hoc ipso morbo vota sancto Laurentio nuncupaverit, de quibus in hunc modum loquitur Ambrosius: *Tuis votis apud sanctum Laurentium martyrem impetratum esse nunc cognoscimus vitæ comœatum; atque utinam non solum comœatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses! Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti comœatum impetrare veniendi (Ibid., num. 17).*

35. Confecto prudenter juxta ac efficaciter negotio, cujus causa Satyrus in Africam navigaverat, in reditu Romam iter habuit. Tametsi autem a Symmacho ejus parente (Ibid., num. 52), ut eum honoris ac forte etiam patrocini gratia Ambrosius vocitat, retineretur, ne incideret in manus barbarorum, quod ardere bello Italia diceretur; nihilominus tamen nullum periculum revisendi charissimi fratris cupiditatem valuit retardare. Verum Mediolani vix reduxerat, cum sónico oppressus morbo, paucis diebus vita excessit. Ita enim, ait sanctus frater, *mature ereptus est, postquam venit, quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret (Ibid., num. 17).* Ambrosius ac Marcellina tristissimo illo potiti fuerunt solatiolo, quod fratri tam tenere dilecto omnia ministerii ac sedulitatis obsequia et ægrotanti et demortuo exhibuerunt. Satyri corpus cum ingenti pompa in Ecclesiam elatum, et e regione umbonis positum fuit revelata facie: sanctus vero Præsul, vi adhibita dolori suo, coram ingenti hominum cœtu, fratrem ea laudavit *Oratione*, qua nihil tenerius possit cogitari, quemadmodum ex lectione ejus hodieque cognoscere est.

36. Testamentum nullum condidit Satyrus, etiamsi Ambrosius ac Marcellina instantius ab eo id contendissent: sed facultates suas utriusque permisit arbitrio. Erat hoc quidem illas pauperibus nobiliori quadam ratione et vanitati minime obnoxia relinquere atque legare; sanctus enim Episcopus non secus ac ipsorum soror ita ejus voluntatem interpretati sunt, ut dispensatores, non hæredes se institutos arbitrentur, sicque ad Satyrum illius rei rediit omnis merces.

37. Septimo die reditum est ad Satyri tumulum, ut

A ipsius animæ solitis precibus ac cæremoniis divinum numen propitiaretur. Tunc sanctus noster aliam orationem instituens, admittendum ostendit esse solatium, nec mortem propinquorum aut familiarium nostrorum immodice lugendam; quando hominibus omnibus illa communis est, et sine illa erui ex vitæ hujus calamitatibus, atque ad felicem resurrectionem bonique infiniti possessionem pervenire nemini licet. Idem Antistes, si qua debetur fides Dungalo, composuit germani sui epitaphium, et ejus tumulo insculpendum curavit. Cæterum inter duos alios fratres numquam reperta est non solum animorum tanta consensio, verum etiam corporeæ constitutionis ac frontis quoque similitudo: contingebat enim sæpe sæpius (Ibid., num. 36), ut altero ægrotante alter ægrotaret, rursusque convalescente convalesceret; et plerique etiam alteri se loqui existimarent, cum tamen alterum alloquerentur.

38. (An. 379.) Ex hyberna Satyri profectio conjecturam valde probabilem ducere licet ipsum non nisi hoc anno abiisse ad superos, nec non funebres ejus Orationes habitas esse. Eundem autem sanctorum albo inscripsit Ecclesia, cujus natalem renuntiat xiv kal. mensis Octobris.

39. Hoc ipso anno Gratianus Cæsar, de cladibus queis ob funestam Valentis necem Romanæ provinciæ lacerabantur, resarciendis admodum sollicitus, Theodosium imperii consortem fecit. Hac adoptione qua salubrius imperii salutem nihil fieri potuit, Orientis provinciæ, quibus insuper accesserunt Macedonia atque Græcia, Theodosio attributæ sunt. Gratiani judicium Augustinus (*Lib. v de Civ. Dei, cap. 25*) aliique scriptores impense laudant: sed nullus omnium eo magis delectatus est, quam Ambrosius; quippe qui et Gratianum summe diligeret, et Theodosium propter eximias ejus virtutes maximo haberet in numero.

40. Postquam Theodosius Orientis imperator declaratus est, quod peractum Sirmii xiv kal. Februarias hujusce anni; Gratianus in Gallias, ut eas a Germanorum populationibus defenderet, venit. In ipso itinere Antistiti nostro officiosissimam scripsit epistolam, qua ipsum ut se inviseret, iterumque primos duos libros *de Fide* sibi traderet (*Epist. ad Ambr., tom. II, pag. 751*), obtestabatur, ac simul iisdem adjiceret *de Spiritu sancto fidelem disputationem*, quæ divinitatem ejus demonstraret. Ad hæc rescripsit Ambrosius noster, seque quod tam cito eum convenire non posset, ita excusavit, ut prima data oportunitate, satisfacturum se voluntati ejus polliceatur (*Epist. 1*). Interim petitos ab eo libros *de Fide* ad ipsum misit; quod vero ad commentationem *de Spiritu sancto*, ad hoc sibi dari moram petiit.

41. Non ignorabat sanctus hic Doctor ab hæreticis quibusdam, Palladio fortasse ac Secundiano, nonnulla contra libros suos *de Fide* fuisse objecta, et eam ab his criminationem sibi intendi, quod brevitate dedita opera affectavisset, ne ipsorum argumentis respondere necessum haberet. Propterea prius-

quam scriberet *de Spiritu sancto*, memoratis duobus libris *de Fide* tres alios addere sibi proposuit tam apte compositos, ut omnes simul in unum opus coalescerent. Tam prospere cessit ei consilium (*Admon. in lib. de Fide*), ut qui non omnino in perfidia induruisent revocarentur, animi pacarentur catholicorum, et Gratianus eis Ecclesiam unam reddi juberet, quam sequestrari Arianorum preces improbæ ab illo extorserant.

42. Sub initium quadragesimæ anni præsentis Ambrosius ad Constantium episcopali consecratione non pridem inauguratum dedit epistolam, qua de officiis episcoporum, deque ipsorum doctrina fuse disputat. Ibi autem hæc illi scribit inter alia: *Commendo Ecclesiam quæ est ad Forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longe non possum excurrere. Habes illic Illyrios de improba doctrina Arianorum, cave eorum zizania... Advertant quid propter suam perfidiam acciderit sibi* (intellige Valentis exitium), *quiescant, et veram fidem sequantur* (*Epist. 2*).

43. De iisdem illis calamitatibus quæ ad Ecclesiam atque imperium ex interitu infelicis illius imperatoris rediere, queritur sanctus Præsul etiam in libro *de Noe et Arca* (C. 1, n. 3, et *Admon. in hunc lib.*). Et ex hoc superioribusque scriptis cognoscimus eundem librum huic ipsi anno tribuendum esse, ac sedulum Doctorem indefessis laboribus tum adhibendæ orthodoxorum miseriis consolationi, tum depellendis heterodoxorum erroribus incubuisse: imo vero Judæis ipsis ad Ecclesiam compellendis, sed in his operam suam propter eorum contumaciam incassum recidisse dolens testatur.

44. (An. 380.) Felix Comensium primus episcopus ab Ambrosio nostro susceperat manuum impositionem; atque adeo mirum non fuerit, quod inter illos tantum familiaritatis intercesserit. Epistolam qua sanctus noster accepta ab illo *tubera miræ magnitudinis* (*Epist. 3*) lepide atque urbane laudat, hoc ipso anno, si quid fidei Ughello habendum est (*Ital. sacr. tom. 2*), scriptam dicemus. Eadem autem in epistola cum peramicas quod ad se Felix nondum venisset, querelas Ambrosius inseruisset, ille datis litteris apud eum sese excusavit. Ambrosius, cum sibi reddita est hæc responsio, infirmitate detinebatur, et cum Bassiano Laudensi episcopo qui tunc temporis se inviserat, de Felice colloquebatur. Itaque secunda sua ad eum epistola (*Epist. 4*), et hæc illi significavit, et præterea etiam addidit se spondidisse illum ad futurum basilicæ quæ a Bassiano constructa fuerat, dedicationi; proindeque ablatum ipsi jam locum esse procrastinandi.

45. Circa idem tempus incidit Ambrosio gravius quodam cum Syagrio Veronensi præsule negotium, in quo exemplum moris antiquitus in judiciis criminum ab Ecclesia servari soliti etiamnum restat, quo vix alibi occurrat præstantius. Indicia virgo consecrata apud Syagrium violatæ virginitatis extinctique fetus insimulata fuerat. Eam detulerat Marcellus qui-

dam, qui sororem ejus habebat in matrimonio; et nulla affinitatis ratione habita, malis artibus ac sute-
lis suis tantum effecerat, ut obstetricum inspectioni addiceretur. Provocavit Indicia ad tribunal Ambrosii, ad quem etiam scribendum putavit Syagrus, ut iudicium hoc suum defenderet. Ambrosius hanc causam una cum aliis aliquot episcopis examinavit, et agnita Indiciæ innocentia Veronensis episcopi sententiam irritam fecit, ac præterea virginis calumniatores affecit eis pœnis, quas exigebat criminis atrocitas. Quod in hac causa statutum abs se fuerat, Syagrio significavit per epistolam (*Epist. 5*), qua defectus atque vitia sententiæ ab eo latæ exponebantur. Veritus tamen ne illum episcopum abalienasset, paucis post diebus aliam epistolam ad eum misit (*Epist. 6*), qua illi cum singularis benevolentia testificatione ponit ob oculos, quantam injuriam universo virginum sacrarum ordini voluisset inflictam, cum Indiciam tam propudiosæ inspectionis pœna damnasset.

46. Alia quoque controversia nequaquam levior superiore Ambrosium inter atque Justinam propter Anemium agitata est. Vacabat eo tempore urbis Sirmii, quæ totius est Illyriæ caput, episcopalis sedes, quam diutius Photinus et Germinius Ariani episcopi occupaverant. Imperatrix tunc, ut videtur, illic insidens, omnem lapidem movebat, ut futurus episcopus ex Arianis cooptaretur. Advolavit eo sanctus Ambrosius, et quamvis Justina hæreticæ conspirationis septa præsidiis contra obluetaretur, ut tamen assumeretur præsul catholicus, constantia pervicit. Hujus electionis modum, sicut et patratum in ea miraculum narrat Paulinus (*In Vit. Ambr., n. 11*), qui novo episcopo Anemio nomen fuisse testificatur. Porro cum idem hic Anemius sequenti anno concilio Aquileiensi præsens fuerit, ejus electio probabilius assignari non potest, quam præsentis anno.

47. Concilio Aquileiensi cum Anemio etiam interfuit Justus Lugdunensis, cui antistiti cum Ambrosio intercedebat amicitia summa conjunctio. Postquam solutus est Patrum conventus, in Ægyptii solitudines Justus recessit. Inde cognoscitur Ambrosium nostrum, priusquam ille Lugduno iter capesceret ad hanc Synodum, eidem scripsisse illam epistolam (*Epist. 7*), qua Exodi locum de quo ab eo consultus fuerat, exponit. Non ita multo post alia epistola ad illum data, iterum (*Epist. 8*) respondit huic ejus quæstioni, num ex artis rhetoricæ legibus scribere curassent auctores sacri.

48. (An. 381.) Diximus Ambrosium Gratiano pollicitum fuisse divinitatem sancti Spiritus edito tractatu se probaturum. Fidem suam hac in re liberavit ineunte hoc anno (*Admon. in lib. de Spiritu sancto*), tresque suos libros *de Spiritu sancto*, quos Athanarico Gothorum rege Constantinopoli viii kal. Febr. vita defuncto, publici juris fecit, Cæsari misit. In his autem elucubrandis feliciter usus est scriptis Didymi ac Basilii, non quidem ut Æsopiæ corniculæ instar alienis plumis se ostentaret, sed apis industriæ ex floribus diversis favos condiret.

49. Quamvis appareat Gratianum Sirmii adhuc A cum nemo esse vellet; Ambrosius, ut ille refert, per secretam januam ad Gratianum penetrans, misero pagano delicti gratiam impetravit.

52. Hoc etiam anno contigit ut duo cubicularii imperatoris (*Paul. in Vita Ambr., num. 18, et in Adm. in lib. de Dom. Incarn. sacr.*), qui sectabantur partes Arianorum, sanctum Doctorem ad publicam de mysterio Incarnationis disceptationem provocarent. Receperat ille in Portiana basilica hoc se facturum, cui promisso, ut condictum fuerat, minime defuit. Verum cum isti ex equis corruentes fractis cervicibus animam exhalassent, Ambrosius terribilis illius casus nondum certior, eum sermonem ad populum habuit, unde libellus *De Incarnationis Dominicæ sacramento* concinnatus est. Attamen eidem argumento accesserunt duarum difficultatum, quas Ariani per Gratianum ipsum viro sancto proposuerant, solutiones. Quarum quidem difficultatum prior in vocibus *genitus* atque *ingenitus* posita erat, posterior circa Christi omnipotentiam versabatur. In hoc porro Ambrosii mirum in modum elucet modestia, quod cum non potuerit memoratum eventum non cognoscere, antequam eidem sermone suo libri formam accommodaret; mortis tamen infelicitum horum juvenum nullam omnino fecerit mentionem.

53. Vertente hoc anno Ambrosius Romam se contulit, ut magno concilio quod illic habitum est, interesset. Dum ibidem ageret, morbo correptus est, in quo eum sanctus Acholius, quem in Urbem evocaverat eadem causa, inxisere neulquam omisit: cujus congressum maximi beneficii loco ponebat Antistes noster. Quorumdam autem opinio est eundem Ambrosium Romam tum primum ex quo tempore in episcopum electus fuerat, profectum esse. Quod si verum est, huic itineri tribuenda erunt, quæ *post annos aliquot ordinationis suæ*, ut Paulinus memorat (*In Vita Ambr., n. 9 et 10*), ipsi contigerunt. Matrem in vivis ipse non reperit, sed ibi vidit illam puellam, cui manum olim porrigere consueverat exosculandam, ac tandem mulieri paralyticæ restituit membrorum usum. His addit Baronius sanctum episcopum stabulariæ cuidam ob prosperos successus insolescenti diram imminere vindictam prænuntiasse: sed huic traditioni nulla scriptoris veteris auctoritas astipulatur. Quanta vero cum voluptate charissimi fratris conspectu et colloquio Marcellina potita fuerit quamque sollicitè ministraverit huic ægrotanti, cum explicatu inutile Paulinus duxerit, nos quoque lectorum relinquimus cogitationi.

54. Præterea hujus anni est pium illud Gratiani edictum, quo victoriæ aram ex senatu, unde illam Constantius jam removerat, reposuerat autem Julianus apostata, tolli jubebat. Auferebat insuper vestalium privilegia, sacrificulorum commoda, et pecunias sacrificulorum sumptibus destinatas. Idololatræ ut hoc imperatum revocaretur, nihil omiserunt; eaque de causa per Symmachum nobilissimum virum et oratorem facundissimum imperatori libellum obtulere. At sanctus noster cujus consilio imperato-

49. Quamvis appareat Gratianum Sirmii adhuc A cum nemo esse vellet; Ambrosius, ut ille refert, per secretam januam ad Gratianum penetrans, misero pagano delicti gratiam impetravit.

52. Hoc etiam anno contigit ut duo cubicularii imperatoris (*Paul. in Vita Ambr., num. 18, et in Adm. in lib. de Dom. Incarn. sacr.*), qui sectabantur partes Arianorum, sanctum Doctorem ad publicam de mysterio Incarnationis disceptationem provocarent. Receperat ille in Portiana basilica hoc se facturum, cui promisso, ut condictum fuerat, minime defuit. Verum cum isti ex equis corruentes fractis cervicibus animam exhalassent, Ambrosius terribilis illius casus nondum certior, eum sermonem ad populum habuit, unde libellus *De Incarnationis Dominicæ sacramento* concinnatus est. Attamen eidem argumento accesserunt duarum difficultatum, quas Ariani per Gratianum ipsum viro sancto proposuerant, solutiones. Quarum quidem difficultatum prior in vocibus *genitus* atque *ingenitus* posita erat, posterior circa Christi omnipotentiam versabatur. In hoc porro Ambrosii mirum in modum elucet modestia, quod cum non potuerit memoratum eventum non cognoscere, antequam eidem sermone suo libri formam accommodaret; mortis tamen infelicitum horum juvenum nullam omnino fecerit mentionem.

53. Vertente hoc anno Ambrosius Romam se contulit, ut magno concilio quod illic habitum est, interesset. Dum ibidem ageret, morbo correptus est, in quo eum sanctus Acholius, quem in Urbem evocaverat eadem causa, inxisere neulquam omisit: cujus congressum maximi beneficii loco ponebat Antistes noster. Quorumdam autem opinio est eundem Ambrosium Romam tum primum ex quo tempore in episcopum electus fuerat, profectum esse. Quod si verum est, huic itineri tribuenda erunt, quæ *post annos aliquot ordinationis suæ*, ut Paulinus memorat (*In Vita Ambr., n. 9 et 10*), ipsi contigerunt. Matrem in vivis ipse non reperit, sed ibi vidit illam puellam, cui manum olim porrigere consueverat exosculandam, ac tandem mulieri paralyticæ restituit membrorum usum. His addit Baronius sanctum episcopum stabulariæ cuidam ob prosperos successus insolescenti diram imminere vindictam prænuntiasse: sed huic traditioni nulla scriptoris veteris auctoritas astipulatur. Quanta vero cum voluptate charissimi fratris conspectu et colloquio Marcellina potita fuerit quamque sollicitè ministraverit huic ægrotanti, cum explicatu inutile Paulinus duxerit, nos quoque lectorum relinquimus cogitationi.

54. Præterea hujus anni est pium illud Gratiani edictum, quo victoriæ aram ex senatu, unde illam Constantius jam removerat, reposuerat autem Julianus apostata, tolli jubebat. Auferebat insuper vestalium privilegia, sacrificulorum commoda, et pecunias sacrificulorum sumptibus destinatas. Idololatræ ut hoc imperatum revocaretur, nihil omiserunt; eaque de causa per Symmachum nobilissimum virum et oratorem facundissimum imperatori libellum obtulere. At sanctus noster cujus consilio imperato-

50. (An. 382.) Opinantur nonnulli ad idem Aquileiense concilium pertinere illam epistolam (*Ep. 13*), quæ sic inscribitur: *Ambrosius et cæteri episcopi Italiæ*; sed contendunt alii eam attribuendam esse alteri concilio, quod in quapiam urbium Italiæ sub initium hujusce anni celebratum est. Synodi Patres ad Theodosium detulere querelas suas, quod mortuo Meletio, successor in ejus locum successus esset, cum ex inita conventionem sedes Antiochena deberetur uni Paulino. Conquesti sunt etiam de Nectarii electione ad Constantinopolitanum episcopatum; cum enim C Maximus Petri Alexandrini litteras ad eos attulisset, ipsum vere et ex canonibus electum esse arbitrabantur. Humanissime concilio rescripsit imperator, eique Maximi Cynici fraudes aperuit. Quocirca eidem principi aliam epistolam synodus misit (*Epist. 14*), illique primum rationem reddidit, cur cum Maximo et Nectario ita se gessisset: tum præterea gratias egit, quod ipsius beneficio Ecclesiæ orientales occidentalesque pace fruerentur: postremo fautorem quemdam Apollinaristarum justa damnatione a se coercitum esse nuntiavit.

51. Huic anno etiam tribuitur, quod a Paulino memoratur accedenti ad palatium sancto Præsuli, ut cuidam a Gratiano veniam postularet, negatum fuisse aditum a Macedonio magistro officiorum, eique Ambrosium divinam ultionem ita prædixisse: *Et tu quidem venies ad Ecclesiam, nec, clausis januis, invenies quæ ingrediaris* (*Paulin. in Vita Ambr., num. 57*). Quod re ipsa Gratiano extincto, ille expertus est. Si propterea hæc Ambrosii comminatio hoc anno posita, quod cum facta est, Gratianus versaretur Mediolani; cum duobus annis superioribus ibidem etiam commoratus sit, eodem jure in alterum ex illis potest revocari. Proindeque in illius tempore certi nihil est. Videtur autem vero propius illum reum eundem esse, qui Sozomeno teste, cum esset paganus, *Gratianum conviciis laceraverat, et patre indignum appellaverat* (*Sozom. lib. vii, c. 25*). Cujus deprecator apud principem

51. Huic anno etiam tribuitur, quod a Paulino memoratur accedenti ad palatium sancto Præsuli, ut cuidam a Gratiano veniam postularet, negatum fuisse aditum a Macedonio magistro officiorum, eique Ambrosium divinam ultionem ita prædixisse: *Et tu quidem venies ad Ecclesiam, nec, clausis januis, invenies quæ ingrediaris* (*Paulin. in Vita Ambr., num. 57*). Quod re ipsa Gratiano extincto, ille expertus est. Si propterea hæc Ambrosii comminatio hoc anno posita, quod cum facta est, Gratianus versaretur Mediolani; cum duobus annis superioribus ibidem etiam commoratus sit, eodem jure in alterum ex illis potest revocari. Proindeque in illius tempore certi nihil est. Videtur autem vero propius illum reum eundem esse, qui Sozomeno teste, cum esset paganus, *Gratianum conviciis laceraverat, et patre indignum appellaverat* (*Sozom. lib. vii, c. 25*). Cujus deprecator apud principem

rem hæc decrevisse probabile est, ubi a Damaso Romano pontifice christianorum senatorum libellum accepit (*Epist. 17, num. 10*), tam efficaciter egit apud Cæsarem, ut ejusdem rescripto vis sua integra servaretur, et libellus Symmachianus ne quidem legeretur a Gratiano, ut non temere conjici potest.

55. (An. 383.) Hoc anno vitam temporalem æterna mutavit sanctus Acholius. Ejus obitum episcopi Macedoniæ et clerus urbis Thessaloniciæ per litteras beato Ambrosio, qui mirabiliori quadam ratione illum jam noverat, significarunt. Responsum ad eos misit sanctus Præsul, in quo postquam intimum suum de morte tanti antistitis dolorem patefecit (*Epist. 15*), et egregias ejus virtutes justis laudibus prosecutus est, lætatum se esse testificatur, quod in ejus locum Anysius ejusdem sancti dignus discipulus, esset locatus. Aliam quoque epistolam Anysio scripsit (*Epist. 16*), in qua post consuetum gratulationis officium eum hortatur, ut præceptoris sui ac decessoris imitetur virtutes.

56. Hic etiam annus famem passus est, quam subsequenti anno memoratus Symmachus (*Relat. ad Valent., pag. 831, n. 14*) imputavit Christianæ religioni, quod videlicet, puellis Vestæ atque idolorum sacerdotibus privilegia sua essent ablata. Sed Ambrosius argumenta ejus futilia esse pulchre demonstravit; illamque tritici penuriam universalem non exstitisse, plerasque enim provincias redundasse frumento, et proxime sequenti anno messem feneratam et liberalioris vindemiæ beneficia successisse (*Epist. 18, num. 17 et seq.*).

57. Maximi rebellione clades multo gravior imperio illata est quam inopia frumentaria. Tyrannus ille in Anglia malis artibus imperator declaratus est; simulabat tamen purpuram a se non usurpatam, sed recusanti atque invito obrusam esse. Cum magno exercitu transmisit in Gallias; ac Gratianus ubi proditum se ac destitutum a suis vidit, versus Alpes fugam tentavit. Verum ubi Lugdunum cursu delatus est, immani scelere necatus fuit die viii kal. Septembres, anno vitæ xxiv, imperii autem vii et mense ix. Infelix princeps in hostium suorum potestate detentus, nihil frequentius cogitatione atque ore versabat, quam Ambrosii parentis nomen. Tu me, ait sanctus Antistes, inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem (*De Obitu Valent., num. 79*). Certe quidem sancti hujus mæror quantus fuerit, cuius judicare expeditum est; ipse tamen variis locis eam expromit, puta in psal. lxi expositione, in qua virtutes interfecti principis amanter laudat, interfectoris vero perfidiam acriter vituperat. Sed extincto postea etiam Valentiniano, doloris modum jam vix habuit. Namque in questibus utrumque germanum simul conjungens, in iis oculos velut sibi effossos esse deflebat, ac Davidis more ita querebatur: Utinam, filii, pro vobis licuisset hunc spiritum fundere! Compendium doloris inveneram, et gloriøsus mihi fuerat pro tantis obire pignoribus (*Ibid., num. 39*). Verum tamen non tanto-

A pere sua causa dolebat, quam Ecclesiæ, quæ immani vulnere sauciabatur crudeli cæde hujus principis, quem ex indole ipsius atque virtute maximum sibi defensorem fore speraverat (*Ibid., num. 6*).

58. Cæterum non solis verbis præ se tulit sanctus episcopus quantum sibi doloris peperisset mors Gratiani, verum et factis quam chara sibi esset illius memoria, declarare voluit. Etenim Valentiniano germano ejus puerilem ætatem nondum egresso, paternum animum ac patrociniū omnino exhibuit, ut ipse testatur in illa verba: Ego te suscepi parvulum, cum legatus ad hostem tuum pergerem; ego Justinæ maternis traditum manibus amplexus sum (*De Obitu Valent. 28*). Justina videlicet cum improvisa Gratiani morte omnia confusa et perturbata, seque ac filium in summo periculo esse conspiceret, confugere ad Ambrosium quantumvis ipsi infensa esset, coacta fuit. Illis igitur temporibus difficillimis Ambrosius periculosam ad Maximum legationem non detrectavit, et apud illum Victoris comitis ad Valentinianum ab eodem tyranno missi reditum operiens, per totam hyemem commoratus est (*Epist. 24, num. 7*). Quamquam autem omnia tunc erant plena discriminis, non tamen dignitatem suam putavit deijciendam; sed simul magnanimitate ac prudentia usus, ita cum tyranno egit, ut obtineret ab eo postulata. Sane hæc ejus legationem nemo fuit qui non probaret, præter Maximum. Is enim sequenti anno deceptum se ab eo esse quiritatus est. Antistes vero licet has querelas sibi gloriosas arbitraretur, injuria tamen eas haberi planissime ostendit (*Ibid., num. 5*).

59. Et hæc quidem ex Ambrosio ipso discimus; ac præterea, ut Paulinus Auctor est, Maximum a communionis consortio segregandum putavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui, et quod est gravius, innocentis, ageret pœnitentiam (*Paulin. in Vita Amb. num. 19*). Verum cum sanctus Præsul semel ac iterum legatus ad Maximum profectus fuerit, et hæc duas legationes non distinguat hic idem auctor; ex serie narrationis probabilius est citatum locum posteriori magis quadrare. Attamen non videtur Ambrosius, siquidem in prima legatione communicasset cum Maximo, eum in secunda separare a communionis usu merito potuisse; atque adeo verisimilius est sanctum Præsulem nec eidem tyranno in sacris unquam consortem fieri, nec aliquo adversus eum temperamento uti voluisse.

60. Ambrosius Mediolani redux, episcopalia munia repetiit: egregiosque illos sermones ex quibus libri de *Interpellatione Job et David* compositi sunt, ab eo pronuntiatos existimamus. Conveniebat iisdem temporibus hoc argumentum; ibi (*Admon. in eosd. lib.*) quippe agitur de querimoniis, quibus uterque horum sanctorum vitæ humanæ calamitates tam corporeas quam spirituales lamentabantur. Ibidem etiam discutiuntur illæ querelæ, quas et improborum prosperitas et adversitas bonorum solent elicere. Tractandæ porro exornandæque huic materiæ pulcherrimos quosque locos libri Jobe eleganter exponit, nec minus argute ps. xli, xlii et lxxii enarrat et illustrat.

61. (An 384.) Videtur similiter sanctus Episcopus A dolorem suum de Gratiani cæde in illis sermonibus, ex quibus constat (*Admon. in hunc lib.*) *Apologia prophetæ David*, patefecisse, licet eundem Gratianum nusquam illic nominaverit. Ut autem de hoc argumento verba faceret, ea re impulsus est, quod geminum Davidis crimen, adulterium nempe atque homicidium, quosdam offendebat longe gravissime. Probat igitur mirum non esse, quod homo fragilis inciderit in hæc delicta, sed admirationem illud mereri, quod tantus princeps tam promptam tamque humilem admissi criminis confessionem edere valuerit, et idem ipsum cum longiori asperiorique diluere pœnitentia, tum continuo honorum operum exercitio tegere. Hunc porro librum si antiquissimorum aliquot manuscriptorum inscriptioni fidem habeamus, Theodosio postea misit Antistes noster, ut nempe illum ad expiendam, Davidis instar, cædem Thessaloniciæ urbis ab eo jussam extimularet.

62. Symmachus hoc anno præfecturam Urbis administrabat: is confusionem rerum ac Valentiniani pueri matrisque Justinæ trepidationem commodam ratus, iterum profanarum religionum, altaris Victoriæ, ac privilegiorum restitutionem petere constituit. Quamobrem imperatori libellum obtulit omnibus calamistris eloquentiæ comptum et excultum (*Tom. II, pag. 828*). Et quidem clanculum rem tentaverat orator ille; sed efficere neququam potuit, ne veniret in Ambrosii cognitionem. Hic ergo istius consilii factus certior, libellum (*Epist. 17*) et ipse vel epistolam episcopalis vigoris plenam Valentiniano confestim dedit, qua libelli Symmachiani sibi copiam fieri postulabat, ut ei responderet accuratius. Itaque mox ut a Cæsare hoc scriptum obtinuit, tam perspicue tamque valide singula ipsius capita diluit ac confutavit (*Epist. 18*), ut Symmacho necessarium super ea causa silentium imponeret. Hunc secundum libellum post vindemiales ferias scriptum imperatori Ambrosius noster tradi curavit, quem quidem libellum sicut priorem, lectum in frequenti consistorio, quæ petebantur, assecutum esse ex epistola sancti Præsulis ad Eugenium discamus licet.

63. Idem Symmachus per suam præfecturam de christiana religione melius est meritus quam cogitaverat; quandoquidem Mediolanum, cujus cives magistrum Rhetoricæ ab eo petierant, Augustinum ea gratia pergere voluit. Quam amice autem Augustinus eo veniens ab Ambrosio exceptus fuerit, eleganter ipse describit, cujus proinde nos non pigebit verba mutuari: *Et veni, ait, Mediolanum ad Ambrosium episcopum in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipem frumenti tui, et lætitiâ olei, et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens; ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne ille homo Dei, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tamquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tamquam hominem benignum in me. Et*

studiose audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans facundiam, utrum conveniret famæ suæ, an major minorve proflueret, quam prædicabatur; et verbis ejus suspendebar intentus, rerum autem incuriosus et contemptor astabam; et delectabar suavitate sermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis, quam Fausti erat, quod attinet ad modum: cæterum rerum ipsarum nulla comparatio; nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iste autem saluberrime docebat salutem (lib. v Confess. cap. 23). Hactenus Augustinus, qui hac narratione nobis aperit non solum quam alto consilio quasi manu ductus sit ad Ambrosium, ut revocaretur ab erroribus; verum etiam quanta esset apud homines Præsulis nostri existimatio, quamve rationem et in excipiendis exteris, et in populis institutendis ille sequeretur. Deinde explicat idem Augustinus quibus gradibus Ambrosiana verba primum in mentem suam veritatis lumen intulerint, ac demum immutaverint voluntatem. Sic autem de hoc loquitur: *Et dum cor aperirem, inquit, ad excipiendum quam diserte diceret, pariter et intrabat quam vere diceret, gradatim quidem (Ibid., cap. 24).*

64. Hujus quoque anni esse putamus duos libros de Pœnitentia (*Admon. in eosd. lib.*), quos Ambrosius scripsit contra Novatianos. In eis horum hæreticorum deliras simul atque crudeles opiniones funditus evertit, nec non auctoritatem dimittendi peccata Ecclesiæ a Christo datam invicte probat. Quod autem istic leguntur ea verba: *Ego aliquem laborem pro sancta Ecclesia suscepi (lib. II, c. 8, num. 73)*; illis utique si labor innuatur contra Symmachum atque ethnicos ab Ambrosio susceptus, eosdem libros ab hoc ipso anno multum removendos censebit nemo.

65. (An. 385.) Monica filium terra marique, et in periculis omnibus secuta, non multo post ad eum venit Mediolanum. Eam dignatus est sanctus Ambrosius eadem comitate ac benevolentia, quam jam Augustino exhibuerat (*lib. VI Confess., cap. 1*). Augustinum vero a Manichæorum commentis ac probris abalienatum offendit mater, nondum tamen erga veritatem doctrinæ catholicæ satis propensum. Summa lætitiâ eandem affecit filii agitatio; certam enim spem inde capiebat conversionem ejus vicinam esse. Quapropter ut eam a divina clementia consequeretur, geminatis precibus, cœpit et studiosius ad Ecclesiam currere, et in Ambrosii ora suspendi ad fontem salientis aquæ in vitam æternam. *Diligebat autem illum virum sicut angelum Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem jam esse perductum. (Ibid.)*

66. Qua porro veneratione sanctum Antistitem prosequeretur pia illa vidua, vel hinc intelligas, quod cum ad memorias sanctorum, inquit Augustinus, sicut in Africa solebat, pultes et panem et merum attulisset (*Ibid., cap. 2*); ubi audivit a janitore propter abusus quosdam hunc morem ab episcopo fuisse interdictum, tam pie atque obedienter, perguit idem ille, amplexa est; ut ipse mirarer quam facile accusatrix potius

consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis A effecta sit (*Ibid.*).

67. Interim Augustinus in veritatis itinere semper ulterius progrediebatur, de Ambrosio autem ita sentiebat : *Ambrosium, inquit, felicem quemdam hominem secundum sæculum opinabar, quem sic tantæ potestates honorarent ; cœlibatus tantum ejus mihi laboriosus videbatur (Ibid., cap. 3).* Optabat non mediocriter longius cum eo inire colloquium, ut ei mentis suæ motus atque agitationes aperiret. Subinde ad ipsum pergebat illam ob causam, cumque ædes episcopales nenini non paterent, facili negotio ad ipsum accedebat. Verum quia sanctus Antistes aut diversorum hominum serviebat infirmitatibus, aut Scripturarum meditatione occupatus erat, Augustino nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebat. Eum tamen alloquebatur interdum Ambrosius, eique propter maternam pietatem gratulabatur.

68. Sed Augustinus congressu tam perfunctorio minime contentus, ut qua licebat, desiderio satisfaceret suo, illum in populo verbum veritatis recte tractantem omni die dominico audiebat (*Ibid.*). His concionibus nubes quibus interior ejus obtutus obcæcatur, dissipatæ sunt ; ipseque catholicæ fidei veritatem agnoscere, ac Manichæorum errores maxime circa prisci foederis testamentum despiciere cœpit. *Sæpe in popularibus sermonibus suis, inquit, docentem Ambrosium sæpius audiebam : Littera occidit, spiritus autem vivificat, cum ea quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento, spiritualiter aperiret (Ibid., cap. 4).* Non est ergo cur aliquis miretur, quod Ambrosius tantopere mysticum urgeret intellectum in sermonibus hoc et sequenti anno de suggestu habitis, quorum plerique in libros redacti sunt. Hos certe libros fastidiosi quidam majori haberent in pretio, si temporum illorum necessitatem, et expressam ipsorum efficacia magni Augustini conversionem tantisper attenderent.

69. Ambrosius qui ultra Mediolanensis Ecclesiæ limites sollicitudinem suam extendebat, rogatus a Vigilio ad Tridentinam sedem nuper evecto, præcipua episcopalis dignitatis munera per epistolam ipsi exposuit (*Epist. 19*). Præ cæteris autem illum admonerat, ut ne connubia inter cultu dispares coire permitteret, hoc est, inter Christianos et infideles. Cujus admonitionis necessitas oriebatur ex Idololatrarum multitudine, quæ in Tridentinis finibus tunc tanta erat, ut idem Vigilius cum eos niteretur adducere ad Christi cognitionem, ab ipsis martyrio affectus memoretur.

70. Ubi primum Justina pacem a Maximo sibi concessam vidit, ea opportunitate constituit abuti, ut Ambrosio bellum indiceret ; rata enim auctoritatem filii jam satis esse confirmatam, omnia in se atque in imperium sancti Viri merita oblivione delevit. Occasionem ipsi exhibuit, quod in proximo erat, resurrectionis Dominicæ festum ; ut ad Ambrosium mitteret (*Epist. 20*), qui Portianam basilicam, hoc est, extramuranam peterent Arianis. Id cum ingen-

ti animo negasset sanctus Præsul, imperatrix ex eo efferata, filii nomine ac terrore objecto, rem extorquere conata est. Quapropter feria sexta ante Dominicam quæ dicitur Palmarum, veniunt ipsius jussu comites quidam consistoriani, qui basilicam novam, hoc est, intramuranam, quæ superiori erat amplior, poscerent ab eodem Ambrosio (*Ibid.*). Hic autem rursus modeste simul, ac generose reposuit, *templum Dei a sacerdote tradi non posse (Ibid., num. 2).* Postridie præfectus ipse convenit sanctum virum, ut vel Portiana basilica concederetur. Maxima cum pietate ac constantia populus reclamavit, quod cum cerneret idem præfectus, ad palatium rediit, imperatori quæ gesta fuerant, nuntiaturus. Sanctus Antistes hujusmodi turbis non deterritus, Dominica Palmarum sacris consuetis rite operatus est. Verumtamen dum competentibus traderet symbolum, a quibusdam audivit, *quod ad Portianam basilicam de palatio decumanos misissent ; et vela suspenderent (Ibid., num. 4) ;* ut videlicet a Valentiniano, hanc ecclesiam occupari vindicariquæ significarent. Ambrosius ab offerendo sacrificio non absistebat, cum nuntiatum est presbyterum quemdam Arianorum, Castulum nomine, a populo fuisse captum. Id Episcopus graviter tulit, atque extemplo presbyteros ac diaconos huc destinavit (*Ibid., num. 5 et seq.*), a quibus sacrificulus liberaretur. Justina tamen seditionis loco illud accipiens, multos civium coniecit in vincula, palatio justitium indixit, magnasque minas intentavit optimatibus. Attamen denuo missi sunt ad Ambrosium tribuni et comites, qui eum de cedenda una ex basilicis compellarent (*Ibid., n. 8 et seq.*). Interim vero jussi sunt milites ad eam occupandam sese conferre. Sed cum eos beatus Antistes esset allocutus, confestini ad stationem suam redierunt. Ambrosius vero feriam tertiam in Ecclesia integram exegit : imminente autem noctis tempore, rediit in ædes episcopales ; ut si eum in exilium pellere vellent, paratum invenirent (*Ibid., num. 10*). Postridie ejus diei antelucana hora domo egressus, cinctam militibus reperit Ecclesiam, in qua nihilominus lectiones consuetæ recitabantur. Imperavit Episcopus milites sacræ communionis jure interdici, quo illi deterriti, ad Catholicorum partes accesserunt. Tunc ille ambonem basilicæ conscendens, ex libro Job quem tunc legi contigit, ad populum concionatus est (*Ibid., num. 14 et seq.*). Dum sermonem suum rebus præsentibus scite adaptaret, cum interpellant, vela removeri ex basilica significantes, quod imperatorem cœpto desistere indicio erat. Prosequebatur concionem suam Antistes noster, cum ecce tibi Notarius ab imperatore ad eum venit, qui et tyrannum ipsum appellavit (*Ibid., num. 22*), et verbis tractavit injuriosissimis. Modeste quidem ille respondit, sed nihil remisit de constantia. Non permissus est eo die domum regredi, sed cum fratribus in basilica minore canendis psalmis omnes pernoctarunt. Sequenti die, id est, feria quinta majoris hebdomadæ, Jonæ prophetia more solito recitata est, quam dicendo exponere incepit Ambro-

sus (*Ibid.*, num. 25). Haud multum processerat A in instituto sermone, cum a quibusdam ei refertur præcepisse Valentinianum ut recederent milites, ac cives qui in vinculis erant, dimitterentur. Incredibilem apud Catholicos voluptatem peperit hoc nuntium. At etiamsi persecutio illa hic finierit (*Ibid.*, n. 27 et 28); nuntiabantur tamen imperatoris verba nonnulla, quæ securos esse non patiebantur eosdem Catholicos: et Caligonus Valentiniani præfectus cubiculo, ad Ambrosium misit, qui suis verbis ei diceret: *Me vivo, tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo* (*Ibid.*, num. 28). Cui generosum hoc et plane Episcopale responsum dedit: *Deus permittat tibi ut impleas quod minaris; ego enim patior quod episcopi, tu facies quod spadones*. Ejusdem Eunuchi, sed suppresso illius nomine, Ambrosius meminit in Commentatione de Joseph Patriarcha; ubi hæc voces etiam leguntur moderationis sancti Episcopi vere indices: *Ne ipsius quidem sermones mei meminisse delectat, quem tunc temporis vel effuderit, vel extorsit Ecclesiæ contumelia* (*Lib. de Joseph, c. 6, num. 33 et seq.*). Subjungit tamen illum non multo post pœnas dedisse, sed condemnatum alterius criminis, quod Augustinus nobis explicat in eum modum: *Calligonum, inquit, Valentiniani junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum* (*Lib. vi, in Julian., c. 14*).

71. Dici non potest quam consternata fuerit Marcellina, ubi primos hujus tumultus rumores accepit. Statim igitur crebris litteris fratrem rogavit ut se omnium faceret certiorum. Ambrosius vero sollicitam de se sororem charissimam animi pendere nequaquam passus, ei per ordinem omnia scripsit; e cujus epistola (*Epist. 20*) quæ de hac eadem persecutione a nobis narrata sunt, mutuo sumpsimus. Nonnulli porro hanc persecutionem sequenti anno excitatam autumant; sed non differendam ultra hunc ipsum demonstravimus proprio loco (*Admon. in Epist. 20 et 21*).

72. (An. 386.) Etsi Justinæ vexationes sopitæ viderentur, optime tamen Ambrosius fore præviderat, ut non quiesceret hæc Ariana. Et certe non diu odium illa continuit: sed ut efficacius cogitata perficeret, jam inde a mense januario hujusce anni persuasit filio scribendam legem, quæ Arianis in Ecclesiam conveniendi potestatem faceret, pœnamque capitis eis irrogaret, qui contra non modo palam intercedere, sed vel *clanculo supplicare* attentavissent (*Lib. ult. de Fide*). Jussit imperatrix Benevolum Memoriae scriniis præfectum hanc legem exarare atque obsignare (*Ibid.*). Hic vero conscientiam favori anteponens, hoc detrectavit, ac propterea lubentissimo animo subivit exsilium. Hujus operam supplavit Auxentius, qui se, ut Ambrosius testificatur, episcopum Arianorum esse jactabat. Sed sanctus Præsul de illo sic loquitur imperatori: *Nam ego, inquit, nec episcopum novi, nec unde sit, scio* (*Epist. 21, num. 9*). Nihilominus tamen ex Antistite nostro discimus illum ex Scythia oriundum esse, et inde

cum venisset Mediolanum, posito Mercurini nomine, sub quo criminibus infamis evaserat, dictum Auxentium. Quippe *ita erubuit*, ait Ambrosius, *ut mutaret vocabulum* (*Serm. cont. Auxent., num. 22*). Sic autem voluit se appellari, quod propter memoriam veteris Auxentii acceptiorem se paucis illis, et potissimam partem exteris Arianis qui sequebantur imperatricem, fore credebat. Et hujusmodi erat præcipuus ille Justinæ minister, a quo scriptum fuit dirum hoc edictum, quod fletus quidem expressit Catholicis, Ambrosii vero mentem infringere minime valuit.

73. Post hujus legis promulgationem, relicta urbe Mediolano, imperator una cum matre Ticinum venit, et ibidem legem edidit xv kal. Mart. Verisimile autem est tunc configisse, ut eadem princeps cunctis orthodoxis semper infesta, viduæ depositum Ticinensis episcopi fidei creditum extorquere conmitteretur (*Lib. de Legat. et Decret.*). Verum episcopus, re cum Ambrosio communicata, istiusmodi viam inivit, qua sanctitas depositorum sarta tectaque custodiretur (*Lib. II Offic. c. 29*).

74. Inde Justina procul dubio magis inflammata in Ambrosium, acerbiora gravioraque adversus eum machinata est. Ubi enim rediit Mediolanum, Dalmatius tribunus ac notarius imperatoris nomine sanctum Virum convenit; ut judices, quemadmodum fecerat Auxentius, et ipse deligeret (*Epist. 21, num. 1*); quibus in palatio consistentibus, de fidei suæ dogmatis disputaret: sin autem secus, solum verteret, ac sedem suam cederet Auxentio. Ambrosius convocatis, qui Mediolani tunc versabantur, episcopis ac presbyteris, de mandato imperiali ad eos retulit. Cum visum esset illis omnibus libellum Cæsari offerri oportere, idem Ambrosius ejus scribendi suscepit provinciam. In eo exposuit imperatori, quibus de causis in palatio coram profanis judicibus de fide disputare sibi non liceret (*Ibid.*, n. 2 et seq.): sed eadem illa controversia in Concilio tractanda esset. Adjecit etiam ad se audiendum, cum de fide disseribat in Ecclesia, liberum aditum cunctis patere: se in palatium venturum fuisse, ut hæc coram diceret (*Ibid.*, num. 17); sed per episcopos et catholicum populum sibi non licere: eosdem similiter obnixè prohibere, quominus excedat Mediolano; persuasos videlicet unum idemque esse hoc rerum statu Ecclesiam deserere, ac eam prodere hæreticis. Postea se ipse recepit in Ecclesiam, ubi per aliquantum temporis die ac nocte populus eum sepsit frequentissimus, ne sibi per vim eriperetur. Et sane missi ab imperatore militum manipuli Ecclesiam cinxerunt: at ipse nedum ullum præferret timoris indicium, votis omnibus expetebat martyrii gratiam: atque adeo populum, ne sibi ad illud impedimento esset, obtestabatur, ob oculos eidem ponens quam vanæ essent eorum excubiæ, cum portam apertam cæcus reperisset, quam illi putaverant diligenter oclusam, nec patentem deprehendere milites potuerant. Dum custodiretur in Ecclesia, populum suum cum Scripturarum lectione tum ipsarum expositione consolabatur.

Superest adhuc una e præcipuis concionibus per id A temporis ab eodem habita (*Sermo de Basil. tom. II, pag. 865*), quæ non minimam eorum conatum partem memorat, quibus pastorem gregemque catholicum hoc etiam anno per sacros dies resurrectionis Ariana rabies divexavit. Ambrosius vero in communi hac mœsilia præter memorata solatia et aliud adjunxit, nimirum hymnorum quos in honorem divinis Trinitatis ipse composuerat, sacrum concentum. Canebat eos hymnos totus populus cum tanto pietatis interiorisque affectus motu; ut lacrymarum vim plurimi effunderent. Certe Augustinus horum omnium testis oculatus, postquam de parente his verbis locutus est: *Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat (Lib. IX Confess. c. 6 et 7)*; de se quoque ita B subjungit: *Quantum flevi, inquit, in hymnis et canticis suave sonantis Ecclesiæ tuæ commotus acriter? Rationem autem in his cantibus observatam esse occidentali Ecclesiæ nondum usitatam, post modum vero in ea propagatam, hæc Augustini verba testantur: Tunc, ait ille, hymni et psalmi, ut canerentur secundum morem orientalium partium institutum est, et ex illo in hodiernum retentum, multis jam et pene omnibus gregibus tuis et per cætera orbis imitantibus (Ibid.)* Eadem etiam de hoc instituto tradit Paulinus (*Paulin. in Vita Ambr. num. 15*). Verumtamen quod psalmodiæ atque hymnodicæ genus hic sit intelligendum, non satis constat inter auctores: neque etiam hujus loci est operosius id explorare.

75. Clarius quiddam atque illustrius, ut duo memorati scriptores narrant, divinitus accidit, ad coercedam, inquit Augustinus, *rabiem femineam, sed regiam (Locis citatis)*. Enim vero hac tempestate corpora Protasii ac Gervasii fratrum martyrum divino monitu Ambrosio nostro revelata sunt, quorum solemnem exhumationem, translationemque dum refert Ambrosius, nec sermones in ea celebritate abs se habitos, nec miracula magno numero a Martyribus tunc perpetrata silentio præterit (*Epist. 22*); imo nec calumnias hæreticorum, qui diabolo ipso magis perfidi, quos Christi martyres hic fatebatur, obstinate juxta ac impudenter negare audebant. Augustinus qui præsens erat, horum etiam non semel meminit (*Lib. IX Conf., cap. 7, et lib. II de Civ. Dei*). Paulinus autem a quo illa quoque non omittuntur, adjuncta quædam hujus persecutionis memoriæ prodidit, quæ Ambrosius atque Augustinus reticere. Hujusmodi est quod narrat de Euthymio (*In Vita Amb. n. 14 et seqq.*), qui cum mandato imperatricis vehiculum parasset, quo sanctum Antistitem exportaret in exilium, sequenti anno solum revertere ipsemet jussus, eodem curru patria excedere coactus fuit. Sed utri persecutioni hoc tribuendum, non explicuit. Circiter hoc etiam tempus evenisse idem asserit, ut in Ecclesiæ gremium reverteretur quidam ex Arianis (*Ibid., num. 17*), qui angelum sancto viro astantem se vidisse aiebat, et quæ populo exponeret, ipsi suggerentem.

76. Re vera minime obscurum est hac ipsa tempestate pronuntiatos esse illos sermones, ex quibus præstantissima sancti Doctoris Opera composita sunt. *Expositio in Psalmum cxviii (Admon. in hunc psal.)*, quæ inter pulcherrima ejusdem monumenta jure memoratur, multos sermones hujusce anni in se continet: sed multos etiam anni sequentis, ut suo loco demonstratum est (*Admonit. in Expos. psal. cxviii*). Hujus Operis huc spectat propositum, ut Christiani et officiorum suorum informetur cognitione, et ad eadem morum honestate ac pietatis cultu implenda simularentur. Id autem beatus Pater melius effici omnino non posse arbitratus est, quam psalmodiarum nobilissimi, ac moralium præceptionum refertissimi enarratione; cui præterea annexam voluit explicationem locorum e Canticis bene multorum, quos argumento suo magis congruere existimavit.

77. Quamvis Baronii sententia fuerit Ambrosiana in Evangelium beati Lucæ commentaria inde ab anno 376, scripta fuisse; attamen extra dubium est in sermonibus, ex quibus compactum est hoc ipsum opus, Arianorum infestationis, tamquam rei admodum recentis, fieri mentionem. Aliunde vero eum appareat eosdem sermones non nisi per biennium fuisse absolutos, erunt forte qui conjiciant Doctorem nostrum alternis dominicis nunc in psalmum cxviii, nunc in Lucæ Evangelium verba fecisse. Qui autem utrumque argumentum continuis dominicis ad finem usque tractatum volent (*Admon. in ead. Opera*), quominus conciones in Lucam rejiciant in sequentem annum, nihil prohibebit.

78. Episcopi Æmiliæ provinciæ quæ nunc archiepiscopatu Bononiensi comprehenditur, Ambrosium hoc anno per litteras consuluerunt qua die anno proximo festum Paschatis esset celebrandum; etenim cum fore viderent, ut in vii kal. Maias illud incidere, utrum hic dies ad primum equinoxii mensem pertineret, illi ambigebant. Eorum interrogationi satisfacit sanctus Antistes (*Epist. 25*), et solutis omnibus difficultatibus, eo die memoratum festum celebrari debere planum facit.

79. Per tempestatem vindemiarum Augustinus, cujus conversioni supremam manum Deus imposuerat, venit in *Cassiacum Verecundi villam (Lib. IX Conf. cap. 5)*; et a vestigio hinc ad Ambrosium, quem in hoc opere primarium divinæ gratiæ ministrum ducebat, litteras dedit (*Ibid., cap. 6*): *Et intimavi, inquit, per litteras antistiti tuo vero sancto Ambrosio pristinos errores meos, et præsens votum meum, ut moneret quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorve fierem. At ille jussit Isaiam prophetam; credo quod præ cæteris Evangelii vocationisque gentium sit prænuntiator apertior. Verum tamen cum prophetæ hujus satis assequi sensum non posset, ejus lectionem in aliud tempus ratus est differendam.*

80. (An. 387.) Statim atque tempus adfuit, quo catechumeni se ad baptismum inscribi curant, sub

extremam scilicet quadragesimam, Augustinus, Ali-
pio suo, et filio Adeodato comitantibus, Mediolanum
rediit, ut simul in ordinem competentium admitte-
rentur: *Ubi, ait ille, tempus advenit, quo me nomen
dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus.*
Contigit autem, ut tunc temporis *de moralibus quo-
tidianum sermonem* haberet Ambrosius (*De Myst.*
cap. 1, n. 1). Alibi vero declaratum est moralem
istam, quam hoc loco innuit idem episcopus (*Admon.*
in lib. de Abrah.), disputationem aptius intelli-
gunt neququam posse, quam de sermonibus, ex quibus
libri de Patriarchis compositi sunt. Primi eorundem
collocantur libri *de Abraham*, quo in opere sancti
hujus viri *impigram fidei devotionem* Ambrosius de-
monstrat (*Lib. de Joseph. cap. 1, num. 7*), ab ipso
quoque factis impletum, quod vix jejuna quadam idea
philosophi intellexere.

81. Liber *de Isaac et anima* duos illos sequitur.
Hic autem eo pertinet, ut in eodem sancto patriarcha
sinceræ mentis puritatem oculis subjiciens (*Ibid.*),
ipsum Christi Domini, Rebeccam vero ejus uxorem
Ecclesiæ typum exstitisse patefaciat: nec non utrum-
que illum conjugem animæ fidelis cum cœlesti spon-
so nuptiis accommodet.

82. Quod in libello superiori Ambrosius de anima
disputaverat, eum induxit, ut edita opella *de Bono
Mortis*, nihil terribile inesse morti planum faceret;
simulque adstrueret omnino oportere, ut *abdicatis
corporis delectationibus, cupiditatibus omnibus, mun-
dique illecebris* (*Lib. de Bono Mort. cap. 3, n. 9*), in
perpetuum sæculo moriamur.

83. His sermonibus ad præparandos catechumenos
appositissimis imbuti Augustinus atque alii, aqua
vivifica in pervigilio paschatis, quod vii kal. Maias
anni præsentis celebratum diximus, tincti fuere.
Initiatos sacro baptismo confestim sacramentorum
quæ receperant, sicut et eorum quæ occultari prius
solebant, expositione sanctus episcopus rite insti-
tuit: qua quidem ex catechesi librum *de Mysteriis*
factum putamus (*Admon. in lib. de Myst.*).

84. Rediit ad moralia præcepta sanctus Ambrosius,
et ut candidam illam neophytorum turbam a re-
deundo in sæculum, cui per baptismum nuntium remi-
serant, fortius deterreret; ideo sermones pronun-
tiavit, qui nunc redacti in librariam formam, sub
titulo libri *de Fuga sæculi* ad nos pervenere (*Admon.*
in eumd. lib.).

85. Commentationem hanc excipiunt duo libri *de
Jacob et Vita beata*, in quibus Ambrosius *singularem
animi laborumque patientiam* in eodem sancto imitan-
dam proponens (*Lib. 1 de Joseph. patr. cap. 1, n. 1*),
beatitudinem in calamitatibus, afflictationibus, ac
doloribus esse positam evidenter docet.

86. Non prætermisit Josephi historiam Antistes
noster, sed in eam non semel verba fecit, præ cæ-
teris ejusdem patriarchæ dotibus, castitatem ejus
egregie prædicans (*Ibid. c. 6, num. 30 et 38*). In
idem argumentum jam superiore anno concionatum
se esse illic testatur; verum aut exciderunt ser-

mones illi, aut forte chartis numquam mandati
sunt.

87. Horum tractatum ordinem cogit liber *de
Benedictionibus Patriarcharum* (*Admon. in eumd. lib.*).
Hunc brevi intervallo lucubrationem de qua proxime
nos dicebamus, secutum esse, atque ante alteram
Ambrosii ad Maximum legationem publice pronun-
tatum probabile est.

88. Jam veniamus ad secundam istam legationem.
Omnes hujusce tyranni motus satis promebant Italiæ
provinciis eum imminere, spoliandique Valentiniani
consilium cepisse. Justina hoc tanto periculo vehe-
menter percussa, nullius opem præsentio rem arbi-
trata est, quam sancti Ambrosii. Quapropter cum
hic memoriam injuriarum nullam retineret, rogatu
ejusdem imperatricis rursus legati ad tyrannum
illum onus subivit. *Ego tuus, inquit, iterum legatus
repetivi Gallias, et mihi dulce pro salute tua primo,
deinde pro pace, atque pietate qua fraternas reliquias
postulabas, nondum pro te securus, et jam pro fraterno
honore sollicitus* (*De Obitu Valent., num. 28*). His ver-
bis causa legationis aperitur: ipse vero sanctus
Antistes, quem ex ea successum retulerit, scripta
Valentiniano epistola significavit (*Epist. 24*), om-
nemque rerum cum tyranno abs se gestarum perte-
xuit ordinem. Hanc epistolam dum rediret, ex ipso
itinere Cæsari misit; ne forte quis antevertens,
mentem ipsius maligne occuparet; et simul ut prin-
ceps rerum omnium factus certior, adversus hostem
tam formidabilem, qui cum opprimere apud se sta-
tuerat, paratus esset. Duplicis generis episcopos, a
quorum communione penitus abstinuit, apud Maxi-
mum reperit Ambrosius. Priores erant, qui eidem
Maximo communicabant (*Ibid., num. 12*); unde Pau-
linus ipsum a beato præsule communionis consortio
privatum asseverat (*In Vita Amb., num. 19*), ut jam
dictum est: posteriores vero, qui aliquos, devios
licet a fide, ad necem petebant (*Epist. 24, num. 12*),
nempe Ithaciani, a quibus apud Maximum accusatus
est Priscillianus, et iisdem agentibus, cum ipse tum
ejus sectatores gladio truncati sunt. Hanc sancti
Ambrosii constantiam et animi magnitudinem non
tulit tyrannus: sed graviter commotus jussit eum
sine mora regredi (*Ibid.*).

89. Maximus redeuntem prope secutus, nemine
obsistente, Italiam invasit: Valentinianus vero me-
tuens ne incideret in ejus manus, et eadem inhu-
manitate ab eo tractaretur, quam Gratianus expertus
erat; conscenso navigio, venit Thessalonicam, seque
fidei ac præsidio Theodosii totum commisit. Profu-
gum Theodosius excepit perquam humaniter: eum-
dem vero pie admonuit has tantas clades ob pro-
pugnatum hæresim Arianam ac divexatam Ecclesiam
catholicam divinitus immisas ne dubitaret.

90. Tametsi autem Ambrosio Maximus intentavis-
set acerbissimas minas, non illi tamen, ut quidem
videtur, damnum intulit. Usque adeo etiam apud
malos venerationem invenit virtus! Præter opera
jam recensita hujus quoque temporis esse credimus

plures epistolas, quibus sanctus Vir multorum dubiis A sibi per litteras certatim propositis responsa dedit. In harum numero epistolæ ad Sudium duæ reponi possunt (*Epist. 25 et 26*). In sæculari foro hic iudex erat: is cum videret Prisciliano urgentibus Ithacianis capitis condemnato, recedere plurimos ab eorum omnium communione qui capitalem sententiam in quempiam tulissent, sciscitatus erat ex Ambrosio, num sibi a sacris esset abstinendum, quoties aliquem extremo supplicio ipse addixisset. Ejus interrogato Ambrosius ita respondit: Plerique sponte se abinent, et laudantur quidem, nec ipsi eos laudare non possumus, qui auctoritatem Apostoli eate nus observamus, ut iis communionem non audeamus negare. Deinde vero quasi episcopus ad exhibendam potius reis clementiam quam severitatem illum B hortatur.

91. Hoc etiam tempore sæpius ad Irenæum charissimum filium et Ecclesiæ Mediolanensis presbyterum aut diaconum scripsit Ambrosius. Prima epistola Deuteronomii versum enucleat (*Epist. 27*), et societatem perditorum hominum suadet evitandam. Secunda non multo post secuta (*Epist. 28*), ipsius vitam, ut pote hominis diviniore characteri nobilitati, probat perfectiorem esse debere, ac sæcularium conversatione multo sanctiorem. Eodem die domum reversus a vigiliis sanctus Episcopus, studiis suis de more repetitis, versum Scripturæ, quem modo in synaxi cantari audierat, revolvere animo cœpit. Admovit statim manum calamo, et exarata epistola tertia Irenæum interpretatione ejusdem versiculi C exhortatus est (*Epist. 29*), ut per mundi contemptum atque repudium supremo bono unice adhereret. Vix ferendam dederat hanc epistolam, cum locus ex Aggæo ei succurrit, huic ipsi argumento plane conveniens, qui materiam elucubrandæ quartæ epistolæ suppeditavit (*Epist. 50*).

92. Irenæus tantis benevolentiae ac facilitatis Ambrosianæ testimoniis plectus, non dubitavit sanctum Episcopum super variis quæstionibus consulere. Quæstionum ejus hæc prima fuit, utrum major censenda esset eorum charitas, qui ab unguiculis Dei obsequio se mancipassent, an vero eorum qui provectori tantum ætate? Hujus dubii haud injucundi explicationem epistola una complexus primo fuerat Ambrosius (*Epist. 51*), at mox aliam de eadem re superaddidit (*Epist. 52*). Acceptis autem prioribus litteris Irenæus ob locum quemdam Deuteronomii in his citatam difficultatis aliquid passus, illud iterum ipsi proposuit, a quo et optatam ejusdem quæstionis continuo accepit solutionem (*Epist. 53*).

93. Horontianus sancti Doctoris et ipse discipulus, qui clericorum in contubernio educatus ab infantia, manibus Ambrosii diaconus aut presbyter consecratus fuerat, præceptorem suum interrogavit, numquid humana anima cœlestis esset substantiæ? Duabus epistolis (*Epist. 54 et 55*), quarum priorem brevissimo spatio secuta posterior est, sanctus Præsul illum docuit animæ nostræ naturam esse spiritualementem,

eumque ut librum quartum Esdræ pervolveret, multum impulit. Idem Horontianus de quibusdam Apostoli verbis quorum ab Ambrósio citata fuerant antecedentia, quid ille sentiret, scire optavit. Satisfecit ipsius voluntati Antistes noster (*Epist. 56*), sed eorum verborum occasione imperare sibi non potuit, quin martyrii oportunitates sibi ereptas apud eum desleret gravissimis verbis: *Quales occasiones, inquit, habui, et de ipso prope sine revocatus sum (Ibid., num. 4)!*

94. Simplicianus Ambrosio significavit, quanta voluptate affectus esset iis legendis, quæ in Paulinas epistolas ad populum disseverat: quamque gratum sibi esset futurum, si quid insuper ejusdem generis ad se mitteret. Major erat Ambrosii erga hunc virum observantia, quam ut ejus optatis non annueret. Epistolam igitur ad illum dedit, qua complexus ea fuerat, quæ in alium Apostoli textum pronuntiaverat coram populo: ubi præterea id probaverat *libertatem nostram in Christi esse sapientia (Epist. 57)*. Sed hoc ultimum rursus repetens, veras divitias in eadem quoque sapientia esse positas aliis litteris clare demonstrat (*Epist. 58*).

95. Denique circa id temporis Faustinum quemdam amissam sororem virtutis singularis ac meriti feminam lacrymis lugentem sane immodicis Ambrosius per epistolam consolatus est (*Epist. 59*).

96. (An. 388.) Justinam Arianam illam imperatricem vulgo existimant non revertisse in Italiam, sed in fuga ipsa fato concessisse; ita ut non sine divino iudicio quæ toties Ambrosium ejicere in exilium conata fuerat, exsul atque extorris ipsa moreretur. Si qua etiam conjectura in Paulini verbis statui possit (*In Vita Amb. n. 20*), circiter hunc annum contigisse dicemus, ut magus quidam, Innocentius nomine, cum torqueretur ob varia scelera, confessus fuerit, Justina gubernante, conductum semet ab Arianis ut in Episcopum populi odia excitaret, execranda sacrificia celebrasse, sed irrito conatu. Subdit Paulinus (*Ibid.*) manum percussoris ad Ambrosium missi exaruisse, atque a sancto viro eidem fuisse mox restitutam. Narrat (*Ibid., 21*) postea Probum curasse, ut puer notarius deduceretur ad Ambrosium, cujus beneficio a dæmone liberaretur.

97. Cum Valentiniano transiit Theodosius in Italiam, ac duabus victoriis de Maximo tyranno citius reportatis, Aquileiam, quo tyrannus ille se receperat, obsidione cinxit: qua expugnata in illum gladio animadvertit. Summam in his victoriis Theodosii moderationem certatim historici laudibus cumularunt: quibus si quidquam adjicere induceremus in animum, instituti nostri terminos excederemus. Non tamen possumus quin ea quæ Ambrosii precibus concessit imperator, Ambrosianis verbis hic efferamus: *Debeo, inquit, beneficiis tuis, quibus, petente me, liberasti plurimos de exiliis, de carceribus, de ultimæ necis suppliciis (Epist. 40, num. 25)*.

98. Maximi partibus profligatis, venit Theodosius Mediolanum, unde Ambrosius Aquileiam profectus

erat. Ambrosiani itineris quæ causa fuerit, ignoratur. Opinatus est cardinalis Baronius (*Ad ann.* 388) susceptum illud fuisse, ut Valeriano, qui eam gubernaverat Ecclesiam, sufficeretur novus episcopus. Verum tamen astruendæ huic opinioni testimonium nullum reperire est. Utcumque autem se res habeat, Ambrosius ibidem tunc versabatur, cum perlata est ad eum fama de Theodosiano quodam edicto, quod contra episcopum *Castri Callinici*, ubi a nonnullis christianorum Judaica synagoga incensa fuerat, et contra monachos qui Valentianorum templum combusserant, idem sanxerat. Scripsit extemplo imperatori sanctus Antistes in gratiam episcopi ac monachorum: sed cum Theodosius aurem purpuratorum consiliis plus æquo præbens, edictum suum non revocasset, prima data occasione coram eodem principe concionandi, tanta cum libertate indignitatem dati rescripti demonstravit, ut ejus revocationem non concedere non potuerit bonus imperator. Quamvis autem episcopalis generositatis haud facile isto exemplo reperiat aliud nobilius; quia tamen cum apud Paulinum (*In Vita Ambr. n.* 22), tum in duabus epistolis Ambrosianis exacte describitur (*Epist.* 40 et 41) hic de eodem plura dicere supersedemus.

99. Hoc anno pagani denuo periculum facere minime dubitarunt, num a Theodosio profanarum religionum jam sæpius petitam instaurationem possent extunderé. Symmachum in hac etiam petitione antesignanum sese præbuisse non ægre credimus; at vero cum Ambrosium etiam hac vice christianæ religionis patronum offendisset, repulsam a Cæsare passus est turpissimam. Id narrat ipse Ambrosius ad eum modum: *Postea etiam clementissimo imperatori Theodosio coram intimavi, atque in os dicere non dubitavi; cui intimavi senatus legatione hujusmodi, licet non totus senatus poposcerit, insinuationi meæ tandem assensum detulit, et sic aliquibus ad ipsum diebus non accessi: nec moleste tulit, quia non pro meis commodis faciebam, sed quod et ipsi, et animæ meæ proderat, in conspectu regis loqui non confundebar* (*Ep.* 57, num. 4.)

100. (An. 389.) Sermones quos complectuntur libri Hexaëmeron, extrema hujusce anni quadragesima, ut docuimus (*Admon. in hunc libr.*), habitos esse probabile est. Eorum non raro binos eodem die pronuntiabat. Sed in tantis laboribus id ipsi erat non parvo solatio, quod fidelium gregem ethnicorum atque hæreticorum conversione in dies augeri conspiciebat (*Lib. in Hexaem. c.* 1, num. 5).

101. Statim atque opus Hexaëmeron absolutum fuit, et in amicorum discipulorumque sancti episcopi manus pervenit, diligenter ab eis evolutum est. Honoratianus ex eorum numero ubi attentiori mente illud perlegisset, admiratus est neque Moysen neque Ambrosium exponere conatos esse cur homo ultimus creaturarum esset conditus. Itaque pro illo jure familiaritatis, quod ei concessum fuerat ab ipso Ambrosio, illum ea de re interrogavit. Huic respondit sanctus Antistes (*Epist.* XLIII), et cum præmississet Le-

gislatorem nihil scripsisse, quod non divinitus ipse recepisset, varias rationes eidem promit solvendo huic problemati valde appositas.

102. Idem etiam Honoratianus sciscitatus est, cur sex diebus rerum universitas creata esset? Cujus quæstionem altera epistola solvit Ambrosius (*Ep.* XLIV).

103. Sabinus quoque, a quo similiter lectum fuerat Hexaëmeron, a sancto viro petit per litteras, an alicubi de paradisi terrestris loco disseruisset, aut quæ esset ejus de illo sententia? Rescripsit Ambrosius (*Ep.* 45) de illa quæstione, de qua jam ante disputaverat, in hisce libris neutiquam egisse: postea tamen in sua responsione tam secundum sensum spiritualiæ, quam ethiciæ, hanc examinat difficultatem.

104. Scripsit iterum Sabinus Ambrosio, nuntiavitque sectatorem quemdam Apollinarii venisse Placentiam, et in ea urbe errores suos disseminasse: cum vero ibi fuisset confutatus, iter cepisse Mediolanum. Huic episcopo responsum mittens Ambrosius noster (*Ep.* 46), errorem illum Mediolani clanculum placitis suis inficere animos conatum esse, et in locos aliquos librorum suorum, *de Fide* procul dubio, multum clamitasse: hac re comperta, sese misisse qui verbis suis illi diceret non ex charitate ipsum agere; se enim vero, ut qui homo esset, errori similiter esse obnoxium, atque adeo non recusare, quin lapsus suos libens agnosceret, si sibi privatim ostenderentur: sed ad extremum cum pertinacem hunc hæreticum latius propagare suos errores intellexisset, tandem huic ipsi publice refutato se præter fugam nihil reliquisse.

105. Ambrosius una cum epistola sua eam etiam commentationem, quam reprehenderat Apollinarista, Sabinò miserat; ut quam censuram de illa ferret, libere sibi significaret. Verum cum eosdem libros minus distincte exaratos Sabinus legere non potuisset, eos remisit ad Ambrosium: quos quidem elegantius scriptos rursus hic noster ad illum episcopum curavit perferendos, addita etiam alia epistola (*Ep.* 47), in qua de Scripturis, prout Sabinus ipse optaverat, caput aliquod excutiebatur.

106. Hoc ipsum opus perlectum a Sabinò et simul approbatum Ambrosius recepit: sed continuo ad eundem aliud misit, quod ut severe examinaret, obtestatus est. *Unumquemque*, inquit (*Ep.* 48), *fallunt sua scripta, et aurem prætereunt; atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecoros sermones palpant.* Pulchre id quidem atque prudenter, sed eum insuper alia quædam causa movebat; in eo enim libro una ex præcipuis fidei quæstionibus agitabatur. Et hinc colligi posse nobis videtur non alium librum hic designari, quam *de incarnationis Dominicæ sacramento*; qua in opella non solum Arianorum et Sabellianorum, sed potissimum Apollinaristarum errores confutantur.

107. His Ambrosii ad eundem Sabinum epistolis accedit alia (*Ep.* 49), in qua se nunquam minus

esse solum, quam cum solus esset, scite disputat. Sed alias ejus ad illum epistolas inde cognoscimus interuisse, quod frequentius ei se scripturam in hac promittit.

108. Ambrosius litteris Chromatii Aquileiensis certior factus jucundissimum ei futurum, si per epistolas de prisco foedere quidpiam tractaret; continuo ad ipsum scribens, historiam Balaam pseudoprophetae interpretatus est (*Ep. L*). Etiam si autem hac in epistola eidem Chromatio alias additurum se polliceatur, nullam tamen ad eum reperimus nisi hanc solam.

109. Cum Romae Joviniani errores publice erupissent, Syricius pont. max. presbyteris suis aliisque clericis in concilium una convocatis, haesiarcham illum atque ejus commenta condemnavit. Quoniam vero nonnullos e monachis ejus asceterii, quod Mediolani prope muros conditum erat, iidem errores infecerant; in eam urbem misit legatos, a quibus synodica epistola (*Tom. II, pag. 963*) ad illam Ecclesiam tuto perferratur. Acceptis his litteris, Ambrosius quem praecipue dicti monasterii cura spectabat, clericos Ecclesiae suae actutum congregavit, ac praesentibus legatis pontificiis, eandem haesim in suo, ut sic loquamur, natali solo simul confodere. Sanctus Vir porro litteris totius conventus nomine scriptis, non modo concilii sententiam significavit summo pontifici: verum etiam argumenta validissima ibidem proposuit, quibus amentia hujus haesim profligabatur.

110. Post annum 385, sed ante 390 (*Admon. in Eas. Enarr.*) scripsit Ambrosius suam in psalmum I Enarrationem, cui et praemisit pulcherrimam praefationem in omnes psalmos, utramque autem ex sermonibus publice habitis coagmentatam; quandoquidem in auditoribus suis catechumenos, et eos, uti videtur, ex ordine competentium numeratos esse ipsemet indicat, quo pars extrema quadragesimae certo designatur. Enarrationes in psalmos XLV, XLVII, XLVIII et LXXI, quas etiam e sermonibus factas autumamus (*Ibidem*), eodem circiter tempore editae sunt.

111. (Ann. 390.) Librum *de Elia et Jejunio* demonstravimus (*Admon. in illum lib.*) constare ex tribus sermonibus; quorum qui primus est, ad capescenda quadragesimae opera stimulat Christianos, secundus ac tertius percipiendae sub ejusdem quadragesimae finem baptismali gratiae competentes praeparat. Ex illis vero simul conjunctis Ambrosius noster Basilii exemplo librum compegit.

112. Cum civitas Thessalonica in seditionem versa praefectos nonnullos interemisset, poenas tanti criminis ab ea repetendas existimavit Theodosius. Verum Ambrosius qui clementiam hujus principis in miserae istius urbis gratiam implorare cum primis festinavit, tam calide tamque constanter Theodosio institit, ut hic injuriam illam condonaturum se promitteret (*Paulin. in Vita Ambr., num. 24*). Hoc imperatoris promisso, sicut et innata eidem bonitate plus

in nio confusus Ambrosius, Mediolani concilium ad quod episcopi Galliarum convenerant, securus celebrabat. Habebatur illa synodus propter Ithacianos ordinationemque Felicis Trevirensis ab eis factam, qua universae Galliae turbabantur. Quid autem super ea causa, quae a quibusdam male ponitur anno superiori, hac in synodo statutum fuerit, concilium Taurinense, can. 6, innuit in haec verba: *Si qui ab ejus, Felicis videlicet, communione se voluerint sequestrare, in nostrae pacis consortium suscipiuntur juxta litteras venerabilis memoriae Ambrosii episcopi vel Romanae Ecclesiae sacerdotis dudum latis* (*Conc. Taur. can. 6*). Verum istae litterae de quibus hic agitur, ad memoriam nostram non pervenerunt. Caeterum dum ceptum concilium prosequerentur illi episcopi, Theodosius victus persuasione comitum aulicorum, a quibus rem periculosissimi ac perniciosissimi exempli fore ingerebatur, si rebellio istiusmodi maneret impunita, cives Thessalonicenses atrocissime puniri jussit: quo ex decreto innumerae caedes qua sontium, qua insontium, perpetratae sunt.

113. Concilii Patres tantae immanitatis certiores facti, quam gravissime illam tulerunt. Eorum nemo, ut Ambrosius testatur (*Ep. 51, num. 6*), non ingemuit, nullus mediocriter accepit: non erat facti tui absolutio in Ambrosii communione; in me etiam amplius commissi exaggeraretur invidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam. Ita loquebatur sanctus Antistes; cum enim Theodosium audiret regredi Mediolanum, recens illius vulnus levi adhuc manu tractandum ratus, neque tamen vel latum unguem recedendum a disciplina, ex eadem urbe exire constituit, cujus rationem hanc ipsi reddit: *Offerre, inquit, non audeo sacrificium, si volueris assistere* (*Ibid., num. 13*). Quibus quidem verbis quamvis declarabat a jure communionis illum alienum; nullam tamen illi, unde offenderetur, causam relinquibat; quippe qui secretis litteris ista committeret: *Scribo manu mea, inquit, quod solus legas* (*Ibid., num. 14*). Imo et hoc quoque significavit, sibi divinitus ipsa nocte qua proficisci parabat, prohibitum esse, ne illo praesente, sacris altaribus operaretur. Postremo ex hac epistola discere possunt omnes episcopi, quanta cum prudentia et cautione erga principes in gravia quaequam crimina lapsos se gerere debeant: et quemadmodum eos oporteat minus adhibere acerbitatis quam mansuetudinis. Quid enim plenus prudentis hujus moderationis, quam illa verba: *Praetendi, ait* (*Ibid., num. 15*), *aegritudinem corporis revera graveni, et nisi a viris mitioribus vix levandam; vel emori tamen maluissem, quam adventum tuum biduo aut triduo non exspectarem.*

114. Theodoretus auctor est (*Lib. V Hist. Eccl., cap. 18*), imperatorem postquam a synaxi ecclesiastica totos viii menses abstinisset, natalis Domini festo in Ecclesiam venire voluisse: at graviter increpitum ab Ambrosio, non prius ingredi permissum esse, quam et publicae poenitentiae caput subiecisset, et laturum se legem ejusmodi esset pollicitus, quae

reum ullum extremo supplicio nisi post diem a condemnatione trigesimum affici prohiberet. Implevit imperator utrumque promissum; quodque ad publicam poenitentiam, tantæ cum sui demissione illam amplexus est, ut nobis temperare non valeamus, quin locum de illa Ambrosianum subjiciamus: *Stravit omne, inquit (De obit. Theod., num. 34), quonitebatur, insigne regium: deflevit in Ecclesia peccatum suum, quod et aliorum fraude obrepserat: gemitu et lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit imperator publice agere poenitentiam; neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Addit citatus Theodoretus (*Lib. v, cap. 18*) et eum eo etiam Sozomenus (*Lib. vii, cap. 25*) non ita multo post Theodosium, cum interesset sacrificio, et ad altare oblationem suam obtulisset, remansisse intra cancellos presbyterii: Ambrosium vero misisse ad illum, qui eum moneret solis clericis in isto loco fas esse consistere; et his monitis illico paruisse imperatorem. Memoratus Theodoretus et hoc adjungit (*Loco cit.*), eundem principem non longo post tempore cum in basilica Constantinopolitana invitaretur a Nectario, ut altaris septa ingrederetur, hanc vocem emisisse Antistiti nostro tam gloriosam: *Episcopum, excepto Ambrosio, novi neminem.*

115. Circiter etiam hoc ipsum tempus duo potentissimi et sapientissimi Persarum Ambrosii, ut Paulinus narrat (*In Vita Ambr. n. 25*), fama excitati, Mediolanum venerunt eo solo consilio, ut per se ipsi cognoscerent, an viri præsentia famæ responderet: qui, eodem Paulino teste, *admirantes discesserunt ab eo.*

116. (An. 391.) Per id temporis maxima pace fruebatur Ambrosius amborum beneficio imperatorum, a quibus impense diligebatur colebaturque. Hanc igitur tranquillitatem ne perire sineret, per hoc otium clericis suis, ut sane videtur, libros suos *de Officiis Ministrorum* elucubravit. Quibus quidem libris sermones aliquos variis temporibus, et ipso quoque sacerdotii sui initio pronuntiatos idem inseruit; noverat enim vita clericorum, quos necesse est cæteris Christianis exemplo prælucere, nihil debere esse sanctius: ac propterea maximam semper in iisdem vel informandis curam adhibebat, vel eligendis cautionem. Neque forte lectori fuerit injucundum, si geminum ejus rei specimen ipsius verbis hic proponamus; sic ergo ille: *Meministis, filii, quemdam amicum cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret: alterum quoque cum in clero reperissem, jussisse me ne umquam præiret mihi; quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos..... nec fefellit sententia, uterque enim ab Ecclesia recessit; ut qualis incessu prodebat, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter arianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio ne judicium subiret sacerdotale, se nostrum negavit (*Lib. I Offic., c. 18, num. 72*). Ex his abunde quivis intelligat hoc illud opus, quo de agitur, maxime omnium clericis destinari: at vero cum horum officium*

A sit moribus suis ac sermonibus vitam aliorum quasi condire, idcirco tot præceptiones illic intextæ sunt cuilibet hominum conditioni perutiles, ut fructum non modicum inde haurire omnibus liceat.

117. Cæterum Ambrosiana sollicitudo, quæ omnes omnino complectebatur, monasticam non negligebat professionem; cœnobii quippe in Mediolanensi suburbio positi meminit Augustinus: *Et erat, inquit, monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus extra mœnia, sub Ambrosio nutritore, et non noveramus (*Lib. viii Conf., n. 15*). Neque hic tantum, sed alibi quoque illorum monachorum non sine honore mentionem facit (*Lib. I de Mor. Eccl. cath., c. 33*). Verum inter bonos illos apostolicæ vitæ imitatores duo inventi sunt, qui proditoris perfidiam æmularentur. *B* Erant iis nomina Sarmationi et Barbatiano, quos Ambrosius Enarratione in psalmum xxxvi (*Num. 49*) obscurius perstringit, in epistola vero ad Vercellenses (*Ep. 65, num. 7 et seq.*) propriis depingit coloribus: quos locos adire poterunt ii, qui plura de illorum vitiis atque erroribus desiderabunt.*

118. (An. 392.) Vertente anno superiore, Theodosius Orientem repetierat, et Valentinianum in imperio quo a Maximo fuerat spoliatus, quietum reliquerat. Verum cum juvenis hic princeps venisset in Gallias, ut illas a barbarorum impressionibus tutaretur, ea pace non diu potitus est, quam imperio parere statuerat. Etenim increbrescente fama imminentis barbaricæ irruptionis in Italiam, rogatus fuit a præfecto et magistratibus sanctus Ambrosius, ut ad imperatorem proficisceretur, eumque ad opem eidem regioni reditu suo afferendam induceret. Non tamen hoc iter ille suscepit, quia interim Alpes transire nuntiatus est Valentinianus. Sub hæc allatæ sunt ad sanctum Antistitem Valentiniani ipsius litteræ (*De Obitu Valent., num. 25*), quibus propere accersebatur, tum quod baptizari ab eo vellet, tum quod eum prædem fidei suæ Arbogasti comiti dare cuperet. Hisce nuntiis turbatus Ambrosius, illico viam ingressus est, jamque *superabat Alpium juga (*Ibid.*)*, cum infelicis illius imperatoris accepit necem. Cæsus autem est a dicto comite idibus Maii pridie Pentecostes, annos tantum xx natus. Iter suum Ambrosius statim relegit, multis lacrymis illud irrigans. Nihil enim ejus dolore tenerius poterat cogitari, cum *D* secum ipse reputabat, quantum ille a se, quamquam tot ac tantis septus episcopis, baptizari optasset, quantumque in adventu suo spei posuisset, sed potissimum jacturam ab Ecclesia factam lamentabatur: *Percussa, inquit, eras, Ecclesia, in maxilla, cum amitteres Gratianum; præbuidisti et alteram, quando tibi Valentinianus ereptus est (*Ibid., num. 6*).*

119. Corpus illius non multo post relaturn fuit Mediolanum, dumque Ambrosius ad ejus sepulturam Theodosii mandata opperiebatur, eum hujus principis prævertit epistola, qua compatiebatur ejus mœstitiæ. Ad quam epistolam Ambrosius respondens, silentii sui rationem reddit, tum imperatori testificatur sibi nulla alia re Valentiniani sui desiderium majus exci-

tari, quam quod tuis institutis, aiebat sanctus præsul (*Epist.* 55), *tantam devotionem erga Deum nostrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu; ut quem ante persequebatur, nunc diligeret: quem ante ut adversarium repellebat, nunc ut parentem putaret.* De sepultura vero illius principis postquam hæc præmisit: *Sunt tabulæ pophyreticæ, inquit, pretiosissimæ, quibus vestiatur operculum, quo regales exuvie claudantur; continuo admonet easdem exuvias, ne calor æstu solverentur, mature tumulandas, et simul etiam ut Justæ et Gratae extincti principis sororum nimio luctui consuleretur.*

120. Mandatis Theodosii Mediolanum allatis, Valentiniano circiter medium Julium justa soluta sunt. Jam venerat in ecclesiam sanctus Antistes, et in Evangelium publice recitatum verba fecerat (*De Obitu B Valent., num. 30*); unde colligimus die Dominico, vel solemniori aliquo natali celebrata esse hæc parentalia. Imperatoris demum corpore in basilica pro dignitate tanti principis magnificentissime collocato, funebrem in illum orationem habuit Ambrosius. Nihil illa plenius pietatis et charitatis: nihil ad eliciendas auditorum lacrymas efficacius.

121. Quod vero præcipuum est, promittit fore, ut nocturnis diurnisque precibus utrumque fratrem Deo commendet, et omnibus oblationibus eos frequentet (*Ibid., num. 78*), non secus ac Theodosium sororesque Valentiniani quæ erant actioni præsentis. Denique Deum comprecatus, ut in cælo jungeret fratrum animas quorum corpora jam in sepulcro jungenda essent (*Ibid., n. 79*), e suggestu exiit.

122. His temporibus ad Titianum cui cum nepte sua lites intercedebant, scripsit Ambrosius (*Epist.* 52), et eum ut ex pietate cum ipsa transigat, exhortatus est. Volunt autem quidam hunc ipsum Titianum præfectura prætorii defunctum esse, quod in dubium revocari posse alii putant.

123. Erat tunc Bononiæ Eusebius quidam nobilis et copiosæ familiæ caput, qui cum Ambrosio epistolare commercium agitabat. Hic filios ac nepotes suos missitabat Mediolanum (*Epist.* 54 et 55), ut sub oculis tanti Doctoris instituerentur. Misit autem inter alios Ambrosiam puellam sacro virginitatis velamine illius manibus consecrandam. Sancto Præsuli nihil gratius poterat accidere. Ad hanc igitur consecrationem condicto, ut nobis videtur, Paschali festo, publicum sermonem pronuntiavit, in quo et contra Bonosi sectatores, a quibus perpetua Mariæ virginitas impetebatur, multa disputavit. Præfixis autem huic concioni duobus capitibus, inde composuit libellum unum, cui titulum fecit *de Institutione Virginis*, et eidem Eusebio illum inscripsit (*Admon. in eumd. lib.*).

124. Exstant præterea duæ epistolæ ad Eusebium Ambrosianæ, quarum altera (*Epist.* 54) remissam offensam apparitori, et Faustini pueri tussi laborantis ad sororem adventum illi nuntiat: altera (*Epist.* 55) significat eundem Faustinum cum Faustino patre Bononiam regredi, manentibus interim Mediolani duobus Ambrosiis.

125. In Capuana synodo capita duo fuerant agitata: primum ad Flaviani cum Evagrio de Antiochena sede controversiam pertinebat: secundum ad Bonosi causam propter negatam Deiparæ perpetuam virginitatem in iudicium vocati. Prioris capitis cognitio Theophilo Alexandrino Ægyptiisque episcopis a laudato concilio attributa fuerat. Sed cum decreto concilii Flavianus parere detrectasset, adierat imperatorem, a quo numerosiorem synodum postulaverat. Ambrosium illius rei certiolem, scriptis litteris, fecerat Theophilus. Huic Ambrosius responsum dedit, ut litem illam, si fieri posset, *salvis concilii Nicæni, sed et synodi Capuensis decretis* (*Epist.* 56), componeret, idque nuntiaret Romano episcopo; optime enim hoc modo pacem conciliari posse, illis vero quæ a Romana Ecclesia probata fuissent, admodum libenter se subscripturum. Quod porro ad Bonosum, examen ejus ad Anysium Thessalonicensem aliosque episcopos Macedoniae remittendum censuit. At iidem præsules alii episcopo, cujus nomen incognitum est, de hoc scripserunt. Hic autem respondit eorum epistolæ ipsis competere hoc iudicium (*Tom. II, pag. 1008*); id enim illis a synodo Capuensi adjudicatum. Interim tamen in sua epistola eundem Bonosum de Mariæ filiis jure reprehensum asseveravit.

126. (An. 393.) Arbogastes post interfectum Valentinianum, ut jam diximus, cum sumere purpuram ipse non auderet, eadem Eugenium quondam grammaticum atque rhetorem indui jussit. Hic statim atque imperator salutatus est, epistolam dedit ad Ambrosium. Sed nec responso sanctus Episcopus illum dignatus est; quia scilicet fore prævidebat, ut hic tyrannus ethnicorum non rejiceret petitiones. *In primordiis, inquit* (*Epist.* 57), *imperii tui scribenti non rescripsi, quia istud prævidebam futurum.* Continuoque subdit: *Tamen ubi causa emersit officii mei pro his, qui sollicitudinem sui gerebant, et scripsi, et rogavi; ut ostenderem in causis Dei timorem mihi justum inesse.* Has epistolas, quas anno proxime elapso datas fuisse manifestum est, invidia antiquitatis noluit ad posteriorem ætatem pervenire.

127. Eugenius sub initium præsentis anni Alpes transivit, quem ut audivit sanctus Ambrosius venturum quoque Mediolanum, e vestigio inde recessit; quia nimirum ferre non poterat præsentiam tyranni, qui *petentibus*, ut Paulinus memorat, *Flaviano tunc præfecto, et Arbogaste comite, aram Victoriæ et sumptus cæremoniarum... oblitus fidei suæ, concessit* (*Paul. in Vita Ambr., n. 26*). Sed Eugenium cum gentilium preces his rejecisset, tertio tandem eadem de re interpellatum manus dedisse intelligimus ex ea epistola, qua sanctus episcopus recessus sui eidem Eugenio rationem reddidit (*Epist.* 57, num. 6). Ambrosius porro, ut Paulinus docet, Mediolano ad Bononiensem civitatem, atque inde Faventiam usque perrexit (*In V. Ambr., n. 27*). Addit ille scriptor Ambrosium nostrum dum Florentiæ esset, Pansophio puero vitam restituisset: *Ad quem infantulum, inquit, libellum conscripsit, ut quod per ætatis infantiam scire non poterat, legendo cognosceret* (*Ibid., num. 28*).

128. Non rediit sanctus Antistes Mediolanum, nisi kal. mensis Augusti anni sequentis, egresso inde memorato tyranno (*Epist.* 61). Qua vero in urbe per hoc spatium potissimum commoratus sit, nobis ignotum est: compertum autem illud habemus cum esset Bononiæ, ab eo corpora Vitalis atque Agricolaë martyrum Christi de tumulo suo levata esse; quæ quidem prius in mediis ipsis Judæorum sepulcris jacebant incognita, nisi se, ait Paulinus, *sancti Martyres sacerdoti ipsi revelassent* (*Paul. in Vita Ambr., n.* 29), aut quemadmodum plures codices legunt, *sacerdoti ipsius Ecclesiæ revelassent*, Bononiensi nimirum episcopo.

129. Sub idem tempus rogatus a Florentinis sanctus Ambrosius, ut dedicatum novam basilicam Florentiam accederet, non potuit instantissimis illorum postulatis non annuere, etiamsi alio se conferre ipse decreverat (*Admon. in lib. Exhort. Virg.*). Per jejunia igitur quadragesimæ in eandem veniens civitatem, de reliquiis sanctorum Martyrum qui Bononiæ exhumati fuerant, fragmenta, vel ut ipse vocat (*Exhort. Virg.*), *apophoreta* secum detulit quæ in basilica dicanda reconderet. Inter sacras hujus consecrationis cæremonias sermonem habuit, in quo Julianam viduam, quæ idem illud templum ædificarat sumptibus suis, summe prædicat; et relata ejusdem exhortatione ad liberos, qui omnes simul ea permoti Deo se devoverant, eosdem suis ipse verbis tandem alloquitur, atque ad virtutes eorum instituto congruas impellit et incitat. Hanc ipsam concionem habemus etiam nunc in libello qui inscribitur *Exhortatio Virginitatis*.

130. Difficillimis Eugenianæ dominationis temporibus, id est, hoc anno vel proxime sequenti, Ambrosius epistolam Severo Neapolitanæ sedis episcopo scripsit, qua Jacobum quemdam ordine presbyterum ex ultimo Persidis sinu (*Epist.* 59) in Campaniæ solitudines se recipientem illi commendat. Non tamen desunt qui hanc epistolam ad Maximiani belli tempora censeant referendam. Quod loco suo satis expenditur (*Admon. in eamd. epist.*).

131. Scripsit Vir sanctus (*Epist.* 60) etiam Paterno amplissimum honorem consecuto, qui cum filio neptem ex filia connubiali vinculo jungere statuisset, episcopi sui hac in re sententiam fuerat sciscitatus, et ab eo remissus ad Ambrosium. Paternus igitur destinatis ad hunc litteris, rationes omnes quibus ad copulandum nepti avunculum impelleretur, ipsi aperuit. Huic epistolæ ita respondit sanctus Ambrosius, ut simul episcopo Paterni honorem deferret legitimum, et rationes quibus illud matrimonium licitum esse in mentem induxerat idem Paternus, nullas demonstraret.

132. Successu non caruit Ambrosiana illa epistola; namque aliam (*Epist.* 84) ejus habemus ad Cynegium, in qua legimus: *Avo neptem, ut opinor, refudi; quam nescio plane qua opinione nulum sibi fieri desiderabat, ut avum socero mutaret.* Hunc enim Cynegium non dubitamus cum Paterni filium esse, de

A quo Paternus Ambrosium nostrum consuluerat, et quem etiam super eadem re scripsisse ad sanctum Antistitem ex hac epistola cognoscere est.

133. (An. 394.) Hujus quoque anni partem aliquam Florentiæ exegit Ambrosius; quandoquidem communis fert opinio, dum in ea urbe commoraretur, illac transiisse sanctum Paulinum, ut comitante Therasia conjuge Nolam ad Felicis martyris templum se reciperet. Audierat jam sanctus episcopus quanto caducarum rerum contemptu ipse ac Therasia pretium possessionum suarum, quæ quidem fuerant amplissimæ, in pauperes erogaverant: quam utriusque generositatem contra sæcularium hominum oblationes, scripta Sabino epistola, ipse defenderat (*Epist.* 58). Inde conjectura licet assequi quanta cum lætitia et voluptate illum exceperit. Certe non repentinam neque nuperam fuisse Ambrosii cum eodem Paulino necessitudinem aperte Paulinus ipse profiteatur, loquens in hæc verba: *Ambrosii semper dilectione ad fidem innutritus sum, et nunc in sacerdotii ordine confoveor. Denique suo me clero vindicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censear* (*Paul. in Epist. 4, ad Alyp.*). Neque hoc tantum loco Ambrosii meminit; sed cum alibi, tum ubi magnis illis ac sanctis viris qui sacro cinerum suorum deposito varias provincias illustrarunt, ipsum annumerans, sic de illo canit:

Nec minor occiduis effulsit gratia terris:
Ambrosius Latio, Vincentius exstat Iberis;
Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumpsit.
(*S. Paul. Poem. 27, de Nat. S. Fel. 11.*)

134. Ambrosius Mediolano, ut supra dictum est, ideo secesserat, ne Eugenii scelerati hominis conspectum ferret, et veri admodum nobis simile est clericis suis eum districte prohibuisse, ne se communionem ejusdem tyranni contaminarent. *Munera enim imperatoris qui se sacrilegio commiscuerat, inquit Paulinus, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur* (*Paul. in Vita Ambr., num. 31*). Arbogastes vero et Flavianus, qui ob concessam suis precibus profani cultus restitutionem hac ignominia Eugenium affici non ignorabant, eo furoris exarsere, ut minarentur egredientes Mediolano, cum victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica Ecclesiæ Mediolanensis, atque clericos sub armis probaturos (*Ibid.*). Hanc autem amentium hominum impietatem haud impunitam illis fuisse subdit Paulinus, et Ambrosius quoque idem testatur (*Enarr. in psal. xxxvi, num. 25*), sed nominibus comitis utriusque silentio transmissis.

135. Ubi primum Mediolano excessit Eugenius, ut copias in Theodosium duceret, in eam civitatem circiter kal. Augustas rediit Ambrosius (*Epist.* 61), quippe qui non revocaret in dubium quin huic eidem Theodosio justitiæ ac pietatis partes defendenti adfuturum esset cœleste præsidium. Et revera magnus ille princeps tam admirabilem retulit victoriam, ut miracula quibus eadem illustrata est, non modo Præsul noster (*Enarr. in psal. xxxvi, num. 22*),

verum etiam Augustinus (*Lib. v de Civ. Dei, cap. A 26*), Orosius (*Lib. vii, cap. 35*), Claudianus (*Paneg. de iii cons. Honor.*), innumerique alii celebrarint.

136. Post magnam illam victoriam, atque tyrannum viii idus Septembres de medio sublato, Theodosius per litteras mandavit Ambrosio, ut pro successu tam auspicato publicas gratias Deo redderet. Satisfecit Cæsaris imperatis incredibili alacritate sanctus episcopus: idque Theodosio significavit datis litteris, in quibus sic loquitur: *Epistolam pietatis tuæ altari imposui, ipsam gestavi manu, cum offerrem sacrificium; ut fides tua in mea voce loqueretur, ut apices Augusti sacerdotalis oblationis munere fungerentur (Epist. 61)*. Deinde ipsum enixe obtestatur, ut iis qui Eugenianas partes secuti erant, ignosceret; maxime vero si non alterius criminis admissio teneantur. Huic epistolæ adjecta est secunda (*Epist. 62*), et mox tertia: sed illam iniquitas temporum intercepit; hæc vero qua venia illis postulatur, qui ad Ecclesiarum asylum confugerant, ad nostram ætatem conservata est. Quin etiam pius Antistes his non contentus, Aquileiam, ut asserit Paulinus (*In Vita Ambr., n. 51*), ipsemet adivit imperatorem, a quo quidquid petiit, consecutus est. Hujus principis clementiam in hostes victos certatim laudant Paulinus, Augustinus, Orosius, Claudianus, atque alii: sed adjunctum quoddam memorat Ambrosius, neutiquam indignum quod referatur: *Quid quod præclaram, inquit, adeptus victoriam, tamen quia hostes prostrati sunt, abstinuit a consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur adventu (De Obitu Theod., n. 54)*. Nobis porro non difficulter quis persuaserit eundem Ambrosium qui Theodosio tam fervens hortator fuerat ad Clementiam, auctorem insuper ob effusum sanguinem ei fuisse ad hanc cœlestis sacramenti abstinentiam.

137. Redux Mediolani sanctus episcopus, Enarrationes suas (*Admon. in Enarr. in psal.*) in psalmos xxxv, xxxvi, xxxvii, xxxviii, xxxix et xl, de suggestu pronuntiavit. In illis enim cum Theodosianæ ex Eugenio victoriæ fiat mentio, ipsas aut sub finem præsentis anni, aut sub initium subsequenti habitas esse non ambigimus.

138. (An. 395.) Hoc anno ineunte Ambrosius noster acerbissimo dolore confectus est, cum Theodosius, quem non modo tanquam Ecclesiæ imperiique columnen semper aspexerat, sed etiam quem sui amatissimum numquam non senserat, vita decessit. De illius obitu sic Paulinus loquitur: *Nec diu, inquit (In Vita Ambr., n. 52), susceptis filiis in Ecclesia, et traditis Sacerdoti, in hac luce fuit*. Ambrosius vero illum principem ad mortem usque amoris in se testimonia exhibuisse aperte significat his paucis verbis: *Dilexi virum, inquit, qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat (De Obitu Theod., n. 55)*. Obiit autem, ut vulgo volunt, xviii kalendas Februarias. Elapsis autem ab illa morte diebus quadraginta, Honorius Cæsar, qui ex Oriente ad patrem extremo suo morbo laborantem venerat, priusquam ejus corpus

Constantinopolim ad sepulera decessorum imperatorum transferret, illud funebri pompa in Ecclesia Mediolanensi curavit honorari. Præsens fuit idem ille princeps his cæremoniis (*de Obitu Theod., num. 5*); et ipso audiente, cum regium corpus ante altare esset collocatum, nobili simul et christiana oratione Theodosii virtutes laudavit Ambrosius. Quo in epicedio cum victorias ab eo principe salutiferæ crucis beneficio partas celebraret, in ejusdem inventionem late digressus est (*Ibid., n. 43, et seq.*). Ad postremum vero mentem Honorii mœrore non levi propterea dejectam, quod sibi funus patrium Constantinopolim usque prosequi per imperii necessitates minime liceret, solatio demulcere in ipsa peroratione conatus est (*Ibid., num. 55 et 56*).

B 13. Theodosii mortem apud Paulinum continuo excipit sacrorum lipsanorum Nazarii ac Celsi Martyrum revelatio beato Antistiti divinitus afflata (*Paulin. in V. Ambr., num. 32 et seq.*), et eorundem in basilicam apostolorum ab ipso celebrata translatio. Idem scriptor memorat energumenum ab eodem sancto inter concionandum a dæmone liberatum fuisse; et mox subjungit quonam indicio sanctas reliquias pio Præsuli revelatas esse intelligeretur, his verbis loquens: *Sed hoc erat signum et relevati martyris, si sanctus Sacerdos ad locum ad quem nunquam antea fuerat, oratum isset (Ibid., num. 35)*. Sanctorum autem istorum corporum partem non modicam Ambrosium dono misisse ad sanctum Paulinum Nolæ tunc presbyterum ex hujus ipsius carmine cognoscimus, ubi dicitur:

Hic et Nazarius Martyr, quem munere fido
Nobilis Ambrosii substrata mente recepi, etc.
(*S. Paul., Poem. 24, de Nat. S. Fel., 9.*)

Sed et his reliquiis alias quoque SS. Protasii ac Gervasii additas fuisse idem Paulinus indicat (*Epist. 52*), ad Severum scribens, cujus locus consuli potest.

140. Huic etiam tempori, aut saltem non remoto attribui debent sermones ii, quos redactos in libri formam sub titulo libri *de Nabuthe Jesraelita* hodieque volvere licet (*Admon. in hunc. lib.*). Illos sermones dedita opera habendos sibi proposuit, tum ut crudelem divitum sui temporis castigaret avaritiam, tum ut pauperes in tolerandis suis miseriis sublevaret ac solaretur. Quantum inopum afficeretur incommodis et calamitatibus, abunde ex Paulino (*In V. Ambr., num. 40*) cognoscitur: neque ullus profecto dubitandi locus est, quin locupletum hominum inhumanitas, quæ post decessum Theodosii crevit in immensum, eas querelas ex ipsius ore coegerit erumpere, quas intra pectus jam continere non potis erat.

141. (An. 396.) Hoc anno sub consulatu novorum imperatorum Arcadii atque Honorii exemplum Paulinus narrat (*In V. Ambr., num. 54*) editum esse, quo Deus ipse manifestavit, quam inviolatum Ecclesiarum asylum esse oporteat. Nam Cresconio quodam a militibus ex Ecclesia per vim erepto, cum injuriam locorum sacrorum prostratus ad altare lugeret Ambrosius, reversos in Circum illos milites leopardi laniam

verunt. Eo ipso loco idem Paulinus (*in V. Ambr., n. 35*), post amicam illam correptionem, qua Theodulum Mutinensis Ecclesie postea episcopum proximi lapsus commonefecit sanctus hic noster; subnectit reginæ Marcomannorum ad Ambrosium legationem. Illa regina, sicut perhibet citatus auctor, vocabatur Fritigil, quæ famam Ambrosii cum audivisset, *missis Mediolanum muneribus ad Ecclesiam, per legatos postulavit, ut scriptis ipsius qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catechismi (Ibid., num. 37)*. Dolemus interiisse hanc epistolam; quippe qua lecta, tanto desiderio videndi Ambrosii Fritigil exarserit, ut eam ob causam et ipsamet venerit Mediolanum: sed cum non nisi post obitum sancti Præsulis illuc pervenisset, tantum laboris incassum cessit.

142. Limenius Vercellensium episcopus, et successor sancti Eusebii, circiter hoc tempus mortem oppetiit. In sufficiendo illi successore clerus ac populus illius urbis abiere in varias partes atque studia, et diutissime convenire inter se non valuerunt. Ambrosius ubi hoc rescivit, moleste tulit: cumque ad ipsum, utpote Metropolitanum, hujus dissidii correctio pertineret, eidem Ecclesie amplam juxta ac elegantem scripsit epistolam (*Epist. 63*). In ea Vercellenses ad pacem ac mentium unitatem graviter hortatur, tum ad explicandas eas dotes atque virtutes, quæ in candidato ejusdem episcopatus debebant inesse, stylum convertens, ita loquitur: *Duo pariter, inquit, exigi videntur, monasterii continentia, et disciplina Ecclesie (Ibid., num. 66)*; eo quod nempe hoc

utrumque institutum a beato Eusebio in illa Ecclesia simul junctum erat. Postremo in Sarmationem et Barbatianum invehitur (*Ibid., num. 7*), monachos apostatas, de quibus jam dictum est: qui Vercellas venerant non tantum hæresis disseminandæ causa, verum etiam fovendæ dissensionis.

143. Quid effecerit illa epistola, compertum non habemus: verum si fides tribuenda sit Actis Gaudentii Novariensis, ipsimet Ambrosio proficiscendum fuit in illam urbem, ut dissidentes animos ad concordiam revocaret.

144. (An. 397.) Hic annus felicem vitæ Ambrosianæ coronidem imposuit; quandoquidem intra illius cursum sanctus Episcopus tam egregiarum virtutum quibus in Ecclesia numquam non præluxerat, totque laborum, periculorumque gravissimorum, quæ pro Ecclesia sustinuerat, a Deo, optimo, maximo, uberem mercedem assecutus est. Paulinus qui ultimorum actuum ejusdem sancti spectator fuit, satis singulatim illos recenset. In eisdem vero illud ostensum singulare est, quod Ambrosius cum Paulino ipsi psalmi XLIII enarrationem dictaret, ab eo visus est igneum orbem qui prius Antistitis vertici superpositus apparuerat, sensim intra pectus per os hausisse: quod eum vehementiori divinæ charitatis ardere incendio significabat. Et sane in extremo illo vitæ spatio eruperunt majora quædam virtutum ejus testimonia; insignis nimirum modestiæ argumentum est,

A quod sacris litteris interpretandis imparem se esse profitebatur: nec minus divini zeli indicium, quod contra hæreticos et Arianos imprimis ad ultimum spiritum pugnare numquam intermisit: denique in hoc effulsit ipsius charitas in gregem suum, quod præparando ad ejusdem usum spiritali pabulo immortalus est.

145. Ambrosii vita meditatio mortis continua fuerat, et ipsum ante corporum Gervasii ac Protasii martyrum translationem de tumulo suo jam cogitasse illique locum designavisse (*Epist. 22, num. 13*), exploratum est. Atque adeo nullus mirabitur quod suprema instante ipsius hora candide suis ista dixerit: *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere: nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus (Paul. in V. Ambr., num. 45)*. Quod quidem dictum magnorum virorum admirationem semper excitavit, et Augustini præ cæteris; de hoc enim Possidius sic testatus est: *Et in his, inquit, noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur et laudabat verba (Poss. in V. August., cap. 27)*. Causæ autem hujus admirationis apud eundem Possidium videri possunt. Nec tamen aliæ quæ a Paulino quoque referuntur, de hoc postremo Ambrosii agone, minus admiranda sunt, quæ brevitatis ergo prætermittimus. Quare ut veniamus ad beatam mortem sancti Præsulis, in ipso articulo sanctus Honoratus episcopus Vercellensium, Limenii successor, divina voce ter admonitus, divinam eucharistiam ei ministravit: quam simul atque pie suscepit, ipsius anima in cœlestem patriam vinculis corporeis libera evolavit.

C 146. Prosequitur autem idem Paulinus in eum modum: *Inde ad Ecclesiam majorem antelucana hora qua defunctus est, corpus ipsius portatum est: ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in pascha (Paul. in V. Ambr., num. 48)*. Quibus verbis aperte ostenditur illum obitum sub extremam feriæ sextæ noctem evenisse, ac sanctum corpus toto sabbato et usque ad matutinas horas paschatis mansisse in eadem majore basilica: unde colligitur, cum illo anno memoratum festum in nonas aprilis mensis inciderit, pridie nonas diem obiisse sanctum episcopum, quod martyrologiorum omnium consensu etiam confirmatur.

D 147. Non ignoramus Ambrosianam mortem non nisi subsequenti anno in Marcellini chronico renuntiari. Sed non ita exactum est illud chronicon, ut non multa eidem anno sæpe ascribat, quæ sunt diversorum: et e contrario multa diversis, quæ sunt ejusdem. Qui vero hanc sequuntur chronologiam, cum eundem obitum in xv kal. Maias referendum cogantur defendere, neque idoneis rationibus ad hoc nitantur; martyrologiorum et Ecclesiarum Mediolanensis atque Romanæ magis deferendum auctoritati existimamus.

148. Pretiosum igitur sancti Viri decessum die et anno, quos jam eidem assignavimus, constanter ponimus; et hoc aptissime convenit cum Paulini testimonio, diserte asserentis, beatum Antistitem Theodosio fere triennium superstitem fuisse (*Paul. in Vita*

Ambr., num. 32); id est, non totum triennium. Si enim anno tantum 398, xv kal. Maias, vita functus est, ultra dictum spatium Theodosio supervixisse dicendus erit; cum idem imperator, ut ostendimus, mense januario anni 395 abierit ad plures. Accedit eo concilium Carthaginense hoc ipso anno mense Septembri habitum (*Conc. Carth. an. 397*), a quo successor Ambrosii Simplicianus, quasi ejus throno jam impositus, per epistolam consultus fuit; qui enim putant Simplicianum tamquam virum in argumento quod agebatur, pereruditum, vivente Ambrosio, consultum esse, nec satis honorifice de Ambrosio illi sentiunt, et disciplinam eorum temporum sibi esse probant minus cognitam.

149. Hic omitemus illa miracula, quæ sancti obitum consecuta sunt; quippe quæ legere liceat apud Paulinum (*In Vita Ambr., num. 48 et seq.*).

A Tametsi autem præcipue nobis consilium fuerit Ambrosii commentationum ordinem ac seriem breviter contexere, ut inde lectores ad earum studium adjuvarentur; ita tamen ipsius scriptis facta quoque ac virtutes ejusdem connexæ sunt, ut illa junctim ubique proponere necessum habuerimus. Passim namque tibi occurrunt aut celsitudo illa animi terroribus ac periculis pro Christi et Ecclesiæ causa, cedere nescii, aut rursus modestia hominis nihil sibi usquam attribuentis: modo indefessa pascendi gregis sollicitudo, modo vigiles contra dolos hæreticorum excubiæ ac labores: alibi summa benignitas erga pauperes atque captivos, ubique demum adversus Deum resque divinas singularis plane pietas; quas quidem virtutes christianis omnibus, maxime vero sacerdotibus imitationi esse convenit, et nos optamus.

SELECTA VETERUM TESTIMONIA DE SANCTO AMBROSIO.

Basilii ex epistola 55, quæ ad Ambrosium ipsum scripta est.

Quod interioris hominis tui pulchritudinem veluti ex variegata sermonum pictura cognovimus... glorificamus Deum nostrum qui in singulis generationibus eos qui sibi placuerint, deligit. Qui olim quidem ex pastoribus ovium populo suo principem excitavit, et Amos de grege caprarum sumptum spiritu suo instruxit, nunc virum ex urbe regia, cui totius gentis principatus concreditus erat, sapientia sublimem, generis claritate, vitæ splendore, orandi facultate, et rebus sæcularibus illustrem ad gregum Christi pasturam traxit: qui projectis hujus vitæ opibus universis, proque damno habitis ut Christum lucrifaceret, commissa sibi magni ac præclari navigii, Ecclesiæ videlicet Dei, in fide Christi gubernacula accepit. Age igitur, o homo Dei, quando quidem non ab hominibus accepisti aut doctus es Evangelium Christi, sed ipse te Dominus e medio judicium terræ desumptum ad cathedram apostolicam transtulit, etc.

Gaudentii Brixiani episcopi tractatu habito in die suæ ordinationis.

Obsecro communem patrem Ambrosium ut post exiguum rorem sermonis mei, ipse irriget corda vestra divinarum mysteriis litterarum. Loquetur enim Spiritu sancto quo plenus est, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, et tanquam Petri apostoli successor, ipse erit os universorum circumstantium Sacerdotum. Vide etiam tract. seq. ubi inventionis SS. martyrum Gervasii ac Protasii meminit.

Hieronymi ex epistola 22, ad Eustochium, cap. 10.

Legas Ambrosii nostri quæ nuper scripsit ad sororem opuscula, in quibus tanto se effudit eloquio, ut quidquid ad laudes virginum pertinet, exquisierit, expresserit, ordinarit.

Ejusdem ex libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Ambrosius Mediolanensis episcopus, usque in præsentem diem scribit: de quo, quia super est, meum judicium subtraham; ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.

Ejusdem ex Apologia adversus Jovinianum.

Quod si cui asperum et reprehensione dignum videtur, tantam nos inter virginitatem et nuptias fecisse distantiam, quanta inter frumentum et hordeum est, legat sancti Ambrosii de Viduis librum, et inveniet illum inter cætera quæ de virginitate et nuptiis disputavit, etiam hoc dixisse.

Ejusdem ex epistola 57, ad Damasum.

Quisquis tria hæc, hoc est, tres hypostases, id est,

usias dicit... jungatur cum Beatitudine tua Ursicinus, cum Ambrosio societur Auxentius. Absit hoc a Romana fide, etc.

Ejusdem ex epistola 65, ad Pammachium.

Nuper Ambrosius sic Hexaëmerum Origenis compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basilique sequeretur.

Ejusdem ex epistola 90, ad Augustinum.

Quorum et priorem (*Origenem scilicet*) noster Ambrosius in quibusdam secutus est.

Ejusdem ex epistola 151, ad Algas., Quæst. 6.

Ambrosius Mediolanensis episcopus quid de hoc loco senserit, in Commentariis ejus legere poteris.

Ejusdem ex Apologia 1, adversus Rufinum, cap. 1.

Si auctoritatem operi suo præstruebat, volens quos sequeretur, ostendere; habuit in promptu Hilarium... Ambrosium... et martyrem Victorinum... de his omnibus tacet, et quasi columnis Ecclesiæ prætermittis, me solum pulicem et nihili hominem per angulos consecatur.

Item ex Apologia 3, cap. 3.

Ego non accusavi quare Origenem pro voluntate transtuleris; hoc enim et ipse feci, et ante me Victorinus, Hilarius, Ambrosiusque fecerunt. Eadem etiam dixerat in Apologia 2, cap. 4.

Ejusdem ex Chronico, Grat. III et Equit. coss.

Post Auxentii seram mortem, Mediolani Ambrosio constituto, omnis ad rectam fidem Italia convertitur.

Rufini Aquileiensis presbyteri ex Invectiva 2 in Hieronymum.

Virum (*lacerat*) omni admiratione dignum Ambrosium episcopum, qui non solum Mediolanensis Ecclesiæ, verum etiam omnium Ecclesiarum columna quædam et turris inexpugnabilis fuit... qui ad Ecclesiarum Dei gloriam electus a Deo est: qui in conspectu Domini locutus est, in conspectu persecutorum regum, et non est confusus. Ambrosius sanctus de Spiritu Sancto non solum verbis, sed et sanguine suo scripsit; obtulit enim persecutoribus sanguinem suum, quem in se fudit: sed a Deo ad alios adhuc reservabatur labores... sanctum virum Ambrosium, ejus adhuc præclaræ vitæ memoria in animis omnium viget.

Augustini ex lib. v Confess. cap. 13.

Veni Mediolanum ad Ambrosium episcopum in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipei frumenti tui, et lætitiæ olei, et sobriam vini ebrietatē

tem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te ne- A
sciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me
paterne ille homo Dei, et peregrinationem meam sat-
tis episcopaliter dilexit... Et delectabar suavitate
sermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hila-
rescentis atque mulcentis quam Faustii erat, quod
attinet ad dicendi modum: cæterum rerum ipsarum
nulla comparatio; nam ille per Manichæas fallacias
aberrabat, iste autem saluberrime docebat salutem.

Ex lib. vi, cap. 1, ubi de Monica matre ita scribit:

Studiosius ad Ecclesiam currere, et in Ambrosii
ora suspendi ad fontem salientis aquæ ad vitam æter-
ternam. Diligebat autem illum virum sicut angelum
Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam
incipitem fluctuationem jam esse perductum... Ita-
que cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa so-
lebat, pultes et panem et merum attulisset, atque ab
ostiario prohiberetur... ubi comperit a præclaro præ-
dicatore atque antistite pietatis præceptum esse ita
non fieri... abstinuit lubentissime.

Ex eodem lib. cap. 3.

Ipsam Ambrosium felicem quemdam hominem se-
cundum sæculum opinabar, quem sic tantæ potestates
honorarent: cœlibatus autem ejus mihi laboriosus
videbatur. Quid autem ille spei gereret, et adversus
ipsius excellentiæ tentamenta quid luctaminis habe-
ret, quidve solaminis in adversis, et occultum os ejus
quod erat in corde ejus quam sapida gaudia de pane
tuo ruminaret, nec conjicere noveram, nec expertus
eram. *Et infra hoc eodem capite.* Sed certe nulla da-
batur copia sciscitandi quæ cupiebam de tam sancto
oraculo tuo, pectore illius... Et eum quidem in po-
pulo verbum veritatis recte tractantem omni die do-
minico audiebam; et magis magisque mihi confirma-
batur omnes versutarum calumniarum nodos, quos
illi deceptores nostri adversus divinos libros in nec-
tebant, posse dissolvi.

Ex eodem lib. cap. 8.

Et erat monasterium Mediolani plenum bonis fra-
tribus extra urbem moenia sub Ambrosio nutritore. C

Ex lib. ix, cap. 6.

Cum Justina Valentiniæ regis pueri mater homi-
nem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ
causa, qua fuerat seducta ab Arianis: excubabat pia
plebs in Ecclesia, mori parata cum episcopo suo
servo tuo... Tunc hymni et psalmi ut canerentur
secundum morem Orientalium partium, ne populus
mœroris tædio tabesceret, institutum est, et ex illo
in hodiernum retentum, multis jam ac pene omni-
bus gregibus tuis et per cætera orbis imitantibus.

Ejusdem ex epistola 31, alias 14.

Libros beatissimi papæ Ambrosii credo habere
sanctitatem tuam, eos autem multum desidero quos
adversus nonnullos imperitissimos et superbissimos,
qui de Platonis libris Dominum profecisse conten-
dunt, diligentissime et copiosissime scripsit.

Ex epistola 54, alias 118.

Subsecutus est (Ambrosius) et ait mihi: Cum Ro-
mam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno.
Sic etiam tu ad quam sorte Ecclesiam veneris, ejus
morem serva; si cuiquam non vis esse scandalo, nec
quemquam tibi. Hoc cum matri renuntiasset, libenter
amplexa est. Ego vero de hac sententia etiam atque
etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cœ-
lesti oraculo acceperim. *Eandem Ambrosii responsio-
nem epistola quoque 38, alias 163, idem memorat Au-
gustinus.*

Ex epistola 44, alias 163.

Quæsi ab eo (Fortunio Donatista) utrum justum
et religiosum putaret episcopum Mediolanensis Ec-
clesiæ Ambrosium? Cogebatur utique negare quod
ille vir Christianus esset et justus; quia si lateretur,
statim objiceremus quod eum rebaptizandum esse
censeret. Cum ergo ea loqui cogeretur quibus ille
non esset habendus Christianus et justus, commem-
moravi quantam persecutionem pertulerit, circum-
data etiam militibus armatis Ecclesia,

Ex epistola 147, alias 112, num. 55.

Quæ si approbas tene mecum sancti Ambrosii sen-
tentiam, jam non ejus auctoritate, sed ipsa veritate
firmatam. Neque enim mihi propterea placet, quia
per illius os potissimum me Dominus ab errore libe-
ravit, et per illius ministerium gratiam mihi baptis-
mi indulsit, tamquam plantatori et rigatori meo ni-
mium faveam: sed quia de hac re et ipse hoc dixit,
quod pie cogitanti et recte intelligenti loquitur etiam
ille, qui incrementum dat, Deus.

Ejusdem ex lib. de Gratia Christi contra Cœlest.

et Pelag. cap. 42.

Iste ipse Pelagius in illo ipso recenti opusculo suo
cujus se commemoratione defendit, id est, in tertio
libro de libero arbitrio, sanctum Ambrosium quem-
admodum laudet accipite: *Beatus, inquit, Ambro-
sius episcopus, in cujus præcipue libris Romana elucet
fides, qui scriptores inter Latinos flos quidam speciosus
enituit, cujus fidem et purissimum in Scripturis sen-
sum ne inimicus quidem ausus est reprehendere...*

B Audiatur ergo illum venerabilem Antistitem dicentem
et docentem... Audiatur iste tantum virum docentem,
imitetur credentem, etc. *Eadem ferme commemorat
lib. de Peccato orig. cap. 22, lib. de Nupt. et Con-
cup. cap. 35, et lib. iv contra duas Epist. Pelag. cap.
11 et 12.*

Ejusdem ex lib. i contra Jul. Pelag. cap. 3.

Sed audi adhuc alium excellentem Dei dispensa-
torem, quem veneror ut patrem; in Christo enim
Jesu per Evangelium ipse me genuit, et eo Christi
ministro lavacrum regenerationis accepi: beatum lo-
quor Ambrosium, cujus pro catholica fide gratiam,
constantiam, labores, pericula sive operibus sive
sermonibus, et ipse sum expertus, et mecum non
dubitatur prædicare orbis Romanus. *Similia quoque
sequentibus ejusdem libri capitibus videas licet.*

Item ex lib. ii, cap. 5.

Hic apertissime atque satiatissime ille iam excel-
lenter tui doctoris ore laudatus doctor Ambrosius
declaravit et quid esset, et unde esset originale pec-
catum, et unde contigerit prima illa confusio...
Ecce fundit eloquentiæ lucidum ac perspicuum flu-
men Ambrosius. Non est hic ubi hæreat lector, ubi
caliget auditor. *Et cap. 9: Equis hæc dicit: Homo
Dei catholicus et catholice veritatis adversus hære-
ticos usque ad periculum sanguinis defensor acerrimus...
Ille strenuus Christi miles, et Ecclesiæ
fidelis Doctor, etc.*

Ejusdem ex lib. de Cura pro Mortuis ger. cap. 17.

Mediolani apud sanctos Protasium et Gervasium
martyres expresso nomine sicut defunctorum quos
eodem modo commemorabant, adhuc vivum dæmo-
nes episcopum confitebantur Ambrosium, atque ut
sibi parceret obsecrabant, illo aliud agente, atque
hoc cum ageretur, omnino nesciente. *Videsis etiam
lib. ix, c. 7, lib. xxii de Civit. Dei cap. 17 et lib. i
Retract. cap. 13.*

*Paulini ex epist. ad Alypium, quæ est apud Aug. 24,
alias 25.*

D Quod indicasti jam de humilitatis nostræ nomine
apud Mediolanum te didicisse, cum illic initiareris,
lateor curiosus me velle condiscere, ut omni parte
te noverim, quo magis gratuler, si a suspiciendo
mihi patre nostro Ambrosio, vel ad fidem invitatus
es, vel ad sacerdotium consecratus, ut eundem ambo
videamur habere auctorem. Nam ego etsi a Delphino
Burdigalæ baptizatus, a Lampio apud Barcelonem in
Hispania per vim inflammata subito plebis sacratus
sum; tamen Ambrosii semper et dilectione ad fidem
innutritus sum, et nunc in sacerdotii ordine conso-
veor. Denique suo me clero vindicare voluit, ut etsi
diversis locis degam, ipsius presbyter censear.

*Incerti ex Appendice operum sancti Hieronymi ep. 7,
cujus tamen auctorem quidam Cœlestium aut Pela-
gium, quidam Maximum Taurinensem putant.*

Cum martyres jam pridem apparendi haberent
tempus, hominem cui se proderent, inquirebant,

illum certe cui sub ea fide revelarentur, qua martyria fecissent. Sic donatum est Ambrosio, quod Auxentio denegatum est; quoniam quæ Auxentius blasphemabat, Ambrosius prædicabat.

Incerti ex eadem Appendice in Catalogo Script. Ecclesiast. ad Desiderium.

Ambrosius frater profundorum penna raptus, et æris volucer, quamdiu in profundum ingreditur fructum de alto carpere videtur: et omnes ejus sententiæ fidei Ecclesiæ, et omnium virtutum firmæ sunt columnæ. *Ibidem in Dialogo ignoti cujusdam ex Augustini et Hieronymi verbis consarcinato, Ambrosius inter viros apostolicos commemoratur.*

Ex libelli Synodici verbis Conc. Nicæno insertis tom. II edit. Labbei, pag. 98.

Arianis autem seditionem moventibus Ambrosius qui urbi præfectus esset, sedandi tumultus causa supervenit. Quem cum eorum qui aliter sentiunt, turba aspexisset, et fidelium clamorem repulisset, episcopum eum renuntiavit. Quin et divina conveniens synodus, ipso inspectante imperatore, eum comprehendens sacro baptisate initiavit. Electo autem jam eo hujusmodi hymnum Deo imperator coram omnibus cecinit: Gratia tibi, Domine omnipotens et Servator noster, quod cui ego viro corpora, tu animas commiseris; meumque de eo judicium justum esse declaraveris.

Ex eodem lib. Syn. in Collect. Baluz. pag. 788.

Beati Ambrosii Mediol. episcopi dignissima scripta testantur, viri apud Ecclesiam Dei ultra cæteros episcopos famosi, et quem pro meritis suis non solum catholici, sed cæteri principes ejus temporis ultra omnes sunt veriti sacerdotes, cujus etiam testimoniis Ephesina synodus usa est.

Ex eodem in eadem Collectione, pag. 893.

Hi qui ante nos fuerunt Deo amicissimi episcopi in Occidente quidem Damasus, Innocentius, Ambrosius, etc.

Ejusdem ex eadem Collect. pag. 947.

Rursum et apud beatissimum Ambrosium; qui C omnes partes hesperias illustravit.

Cassiani ex lib. VII de Incarnat. Domini.

Ambrosius eximius Dei sacerdos, qui a manu Domini non recedens in Dei semper digito quasi gemma rutilavit.

Prosperi Aqu. ex Chron. Grat. V et Theod. I coss.

Pro catholica fide multa sublimiter Ambrosius episcopus scripsit.

Theodoretii ex Polymorpho Dial. I.

Audio Ambrosium qui Mediolani sedem episcopalem ornavit, et contra omnes hæreses præclare decertasse, et pulcherrima apostolorumque doctrinæ congruentia scripsisse.

Idacii ex Chron. Grat. III et Equit. coss.

Ambrosius in Italia Mediolani episcopus, Martinus in Galliis Turonis episcopus, et vitæ meritis, et patris miraculis virtutum habentur insignes.

Vigilii Thaps. ex lib. III adversus Eutychen.

Et omnes latini sermonis apostolici viri, id est, D Hilarius, Eusebius; Ambrosius, Augustinus et Hieronymus, celestibus imbuti doctrinis, simul pariter consentiunt.

Gelasii papæ I, ex epist. 15 ad Dardanos, tom. IV Conc. edit. Labbei, pag.

Beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis sacerdos Ecclesiæ majori Theodosio imperatori communionem publice palamque suspendit; atque ad poenitentiam redegit regiam potestatem.

Ennodii Ticin. episc. ex lib. I Carm., hymn. 6.

Cælo ferunt Ambrosium	Confregit omne lubricum.
Nomen, honor, vel actio.	Sic vixit ille non sibi,
Nil debet hic læcundiæ,	Sed totus auctori Deo.
Dos omnis est a moribus.	Adjectus hinc Apostolis,
Fortis juvantem non cupit,	Reduxit expulsam fidem;
Umbone munitus suo.	Dixit triumphos Martyrum
In carne carnis nihil agit	Linguae virentis laureis.
Reginâ mens in corpore.	Hic ore prædam sustulit

A De faucibus serpentis feri.
Qui bella Christi militat,
Nudus timetur ensibus.
Vivit sepultus et juvat,

Clavum tenens Ecclesiæ.
Justina vires perdidit,
Dat poena Vati præmium, etc.

Videsis ejusdem epigramma 77 et 142, quod utrumque in Ambrosium scriptum est.

Marcellini Comitis ex Chron. coss. Arcad. IV et Honor. III.

Ambrosius Mediolanensis virtutum episcopus sanctus, arx fidei, orator catholicus.

Cassiod. Senatoris ex lib. de divin. Lection. cap. 20.

Sanctus quoque Ambrosius lactei sermonis emanator, cum gravitate acutus, perviolenta persuasione dulcissimus, cui fuit æqualis doctrina cum vita, quando ei non parvis miraculis gratia divinitatis arrisit.

Gregorii Magni ex præfat. Comment. super Ezechielem.

Tua itaque dilectio has sibi ad legendum mitti poposcerat; sed valde incongruum credidi ut aquam despiciabilem hauriret, quem constat de beatorum Patrum Ambrosii et Augustini torrentibus profunda et perspicua fluenta assidue bibere.

Isidori ex lib. II de Offic. Eccles. cap. 25.

Ambrosius Mediolanensis episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo, et clarissimus doctor in Ecclesia.

Adhelmii Schireb. apud Occid. Saxones episcopi ex Carm. de Laud. Virginum.

Jam fuit Hesperiae famosus laude sacerdos
Ambrosius, Christi complens præcepta benigni,
Spiritus et castæ servavit fœdera carnis,
Qui nomen gerit Ambrosiæ de nectare ductum.
Hic tener in cunis quondam dum parvulus esset,
Magna futurarum gessit spectacula rerum;
Namque examen apum numerosis forte catervis,
Contendit faciem pueri; mirabile fatu.

Hoc (nempe) examen apum, quo sancti labra redundant,
Dulcia mulsorum portendit verba favorum;
E quibus affatim dulcescunt pectora plebis.
Lucida digessit venerandus opuscula Doctor,
Cum ratione pia pandens ab origine prima,
Qualiter hunc mundum summa prudentia Patris
Tempore præsentem tunc per bis terna dierum
Fecerit, æterno disponens sæcula nutu.
Hæc, inquam, docuit crebro sermone Sacerdos
Plures perducens ad cœli regna phalanges.

Bedæ Venerabilis ex lib. de Temporum ratione ad an. M. 4337.

Qui (Valentin. Junior) tamen justissimam cum matre ejus Justina poenam luit exsilii; quia et ipsi ariana polluit hæresis; et eminentissimam catholicæ fidei arcem Ambrosium perfida obsidione vexavit: nec priusquam prolatis beatorum Gervasii et Protasii martyrum, Deo revelante, reliquiis incorruptis, nefanda cœpta deseruit.

Nicolai papæ I ex epist. ad Photinum, tom. VIII Conc. edit. Phil. Labbei, pag. 1504.

Sed et beatissimum Ambrosium ex catechumeno; divino oraculo ad episcopatum promotum, nihil est quod exempli causa proferas (etenim ibi satis est divina, non humana jussio), cujus adhuc infantis in cunis jacentis examen apum repente advolans vultum obsedit, atque os, ingredientibus aliis, aliis egredientibus, implevit. Quod pater cum videret: Si vixerit, præagus inquit; infans, magnus erit. Qui postea adultus Mediolanum perrexit tunc episcopo destitutum. Cum autem populus ad electionem pastoris convenisset, ecce tibi infans quispiam Ambrosium episcopum proclamavit. Populus vocem non sine numine missam arripuit; simulque ut virum raperet, irruit. Subducebat ille se, et omni ratione latebras quærebat; tametsi latere non potuit, populo illum toto cum clero simul deligente. Ergo ex catechumeno per singulos gradus ecclesiasticos progressus, octavo demum die, tota catholica consentiente Ecclesia, divino jam oraculo designatus, episcopus est consecratus. *Leguntur plane similia in ejusdem*

Pontificis epist. v, ad Michaellem imp., pag. 280, ubi A subditur: Ecclesiasticarum regularum normam tota vitæ suæ tempore custodivit, omnes hæreses debellans, Verbi Dei zelo succinctus. Ad etiam epist. vi, ad Photium, pag. 284, ubi hæc ipsa fusius adhuc pertractat idem Nicolaus, Ambrosiumque nostrum clarissimam et splendidissimam lucernam Ecclesiæ vocat.

Hincmari archiep. Rem. in Quatern. ad Carol. regem, tom. viii Conc., pag. 1752.

Mementote facti memorandi Theodosii et memorabilis viri Ambrosii, et quia excessit ut homo Theodosius, corripuit eum ut verus sacerdos Ambrosius, et recepit patienter atque humiliter per illum divinam correctionem Theodosius... Felix ille imperator qui suo tempore talem habuit sacerdotem... Et felix sacerdos Dei Ambrosius, qui in tempore fuit talis imperatoris; scriptum est enim: *Beatus qui enarrat justitiam auri audienti (Eccl. xxv)*. Felices quoque ambo et sacerdos et imperator, quia ne ira Dei pro excessu descenderet super imperatorem, habuit suo tempore sacerdotem de quo non questus est Dominus quod de nobis modo queritur dicens: *Quæsi unum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me, ne dissiparem eam, et non inveni (Ezech. xxii).*

Ejusdem ex lib. ii de Prædest. cap. 25.

Sanctus Ambrosius cujus sententiæ fidei et Ecclesiæ et omnium virtutum firmissimæ sunt columnæ, qui sanctum Augustinum per Dei gratiam fide illuminavit, baptismate consecravit, atque doctrina pietatis instruxit, ita in libro, etc.

Photii ex ipsius Biblioth. cap. 251, pag. 890.

Ille in divinitus afflata libertate ac pietate immobilis animus, Mediolanensis nimirum Ambrosius.

Odilonis abbatis ex Chron. Cluniac. pag. 402.

Beatus Ambrosius, vir per cuncta laudabilis, et verus assertor fidei catholicæ... doctissimus doctor.

Guitmundi Aversani episc. ex lib. iii de Sacram. Corp. et Sang. Domini.

Sed tu, doctor egregie, beatissime Ambrosi, spiritualis pater beati Augustini, quem idem vir sanctissimus in libris suis sanctum et beatum nominat; cujus auctoritatem, teste Augustino, martyrum revelator Paulus Apostolus commendat: quem beatus Gregorius, vir plane apostolicus, præ se gerit: cujus doctrinam recipendam beatissimus Benedictus, teste sancto Gregorio, sanctorum prophetarum Spiritu plenus judicavit: cui totius Ecclesiæ Mediolanensis gloria specialiter attestatur: quem merito fidei totus orbis veneranter amplectitur (non enim tot et tanti testes si te in fide catholica errare scissent, tanto præconio te prædicassent): quid tu, inquam, de sacramentis altaris sentias, explanato.

Durandi abbatis ex tract. de Corpore et Sanguine Christi, parte iv.

Aliqua deflorare libet de sancto Ambrosio, cujus D

in Ecclesia catholica post Apostolos auctoritas habetur præcipua, cujus eloquentiæ affluens facundia Latinæ linguæ decus est et forma.

Gregorii papæ vii ex epist. 2, lib. iv, tom. X Conc. Labbei, pag. 149.

Nec prætermittant quod beatus Ambrosius, non solum regem, sed etiam revera imperatorem Theodosium moribus et potestate, non tantum excommunicavit, sed etiam ne præsumeret in loco sacerdotum in Ecclesia manere, interdixit.

Bernardi abbatis Clarev. ex epist. 77.

Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor et Ambrosium), crede mihi, difficile avellor: cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor.

Petrarchæ ex lib. i, epist. 1.

Unum æmulo ac reprehensore carentem, unum plena et indecerpta laude decoratum Ambrosium, cujus ne juvenis quidem famam mordax livor attigerit, apud quosdam invenio, quod forte ad puram ejus ac simplicem doctrinam, omnis ambigui expertem, referendum est. *Consule ejusdem quoque librum ii de Vita solitaria, sectione iii, cap. 2 et 4, ubi scitu dignissima tradit de Ambrosio, quæ nos causa brevitate hic omittimus, non secus ac alia multa, quæ in historicis bibliothecariis legendariisque sponte occurrunt.*

Andræ de Petra Coloss. archiep. ex Orat. habita in Conc. Basil. i. xii Conc. edit. Labbei, pag. 877.

Quod vero sanctorum Patrum doctrina errores omnes depulerit, testes sunt... Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Christianæ religionis clarissima lumina, qui adversus omnis hæresis genus invictissime scripserunt.

Bessarionis Card. ex Orat. dogmat. Conc. tom. xiii, pag. 403.

Habemus item eos qui ab occidente extinxerunt errorum flammam sana clarissimaque doctrina, Hilarium, Ambrosium... qui rugitu suo hærellicos omnes deterruerunt.

Incerti ex mss. Colbert. ann. circ. 600.

Audeo quos humili versus subscribere stylo,
Mi lector, noli ducere pro nihilo.
Dicere cogit amor me, quæ loquor, Ambrosianus,
Cui servire cupit mens mea, lingua, manus.
O quicumque sitis paradisi gaudia vera,
Ambrosii monitis subdere te propera.
Ambrosius normam tibi monstrat juris et æqui;
Felix si poteris discere, scire, sequi.
Ambrosii scriptis perducitur ad meliora,
Qui sua scripta legit; et facit absque mora.
Ambrosium legito, si vitæ pascua quæris:
Quæ legis, hæc facito; sicque beatus eris.
Finis adest: munus præstet qui trinus et unus
Se mihi, sicque pius postulet Ambrosius.

IN SEX LIBROS HEXAEMERON ADMONITIO.

Observatum jam multis, quod et res ipsa clamat, Ambrosianum hunc sætum sermonibus constare, quibus sanctus Doctor populo Mediolanensi rerum creationem exposuit: Hos notarium aliquem ex ore dicentis excepisse arbitrantur nonnulli, ex primis sermonis octavi verbis conjecturam capientes: at certe Ambrosius jam pronuntiatos stylo astrinxit, ac in eam, qua circumferuntur, tractatus formam concinnavit. Ipsemet enim Orontiano diacono (Epist. ad Oront.), ad quem sicut et ad Sabinum episcopum hoc idem opus misit, scribens, Hexaemeron suum sese exarasse significat. Eamdem rem in aliis quoque libris ipse facitabit. Neque dubium, illi hoc ideo usu venire, et amicorum ut obsequeretur voluntati, cæterorumque Christianorum utilitati consuleret, et sibi ne imponi posset a notaribus.

Operi suo Auctor ipse titulum Hexaemeron indidit (Epist. ad Sabin. et Oront.), illudque, si fides habenda mss. in quibus omnibus legere est, Explicuit dies primus. Incipit dies secundus; et ita de cæteris; in sex dies divisit.

Congruit quidem titulo suo, universoque operi divisio: sed cum jam inde a Cassiodori senatoris temporibus sex in libros distributum fuisse appareat, tam antiquæ divisioni et ab ipso Ambrosio forsitan profectæ quidquam immutare visum non est.

Doctori nostro Origenem, Hippolytum ac Basilium in hoc argumento prævisse docet Hieronymus (Epist. ad Pammach. supra cit.). Quid autem a prioribus duobus mutuatus sit, cum laudati eorum libri ad ætatem nostram, ut in Præfatione dictum est, minime pervenerint, scire non possumus: a Basilio vero ut eum quam plurima sumpsisse haudquaquam inficiamur; ita serviliter illius opera imitatum esse, aut quasi tralatoris officio functum pernegamus. Enimvero etsi frequenter illius insistit vestigiis, ab eis tamen sæpe sæpius recedit: quippe qui addat, adimat, transponat; imo nec religioni ducat contraria sentire Basilio (lib. III, c. 4; lib. IV, c. 7; lib. V, c. 18), quem etiam interdum, tacito licet nomine, non leviter perstringit. Multa quoque ex profanis auctoribus Plinio et aliis petita operi suo inseruit, quæ nullo negotio quivis poterit adnotare: sed hic non videtur prætermittendum, ita lusisse hunc ipsum exprimendo Virgilio, ut de apibus agens (lib. V, c. 21), solutis versuum numeris, Poetæ verba sæpius retineret.

Porro sicubi Basilium imitatus est, id vel maxime factum in argumenti totius distributione atque œconomia. Unde minime dubitaverimus, quin hic sermones novem, quot videlicet apud beatum Basilium exstant, assignandi sint. Certe quidem eum numerum adstruere operosum non erit. Duo enim in libro tertio manifestissime distinguuntur, quorum alter primis quinque capitibus inclusus, mane habitus est; alter, qui per reliqua hujus libri capita extenditur, vespere. Neque vero minus perspicuum quinto libro binos similiter contineri, cum multum discrepet is, quem undecim prioribus capitibus putamus circumscriptum, ab eo qui inde ad finem usque libri perducitur. Illum matutinis horis pronuntiatum esse planissime declarant ultima capituli undecimi verba, quibus e solis jam nimium procedentis ardore tota concluditur oratio: hunc autem vespertinis habitum, ea quæ de nocturnis avibus dicit, probant evidenter; et præterea concionis confirmat epilogus, quo pius Præsul vergente arctioris jejunii die auditores ad serotinam refecionem dimittit. Quamquam vero non ita proclive sit evincere primum quoque librum in duos sermones fuisse divisum, in eam tamen opinionem hinc adducimur, quod sexti capituli finis nihil aliud præferre videatur, nisi orationis conclusionem, quæ cum prima Basiliana homilia pulchre consentit: reliqua autem hujusce libri capita, quæ et ipsa secundæ Basiliæ homiliæ aptissime respondent, aliam suisque numeris absolutam orationem satis liquido præ se ferant. Cæteri tandem libri ut apud Basilium, ita etiam hic suum quisque sermonem complectuntur.

Quæras fortasse cui potissimum anno tribuendi sint? Quamvis id certo definire non audeamus, tamen si quid conjecturis liceat indulgere, illos anno 389 haud multo antiquiores arbitrabimur. Cum enim ibi (lib. III, c. 1 et 5; lib. V, c. 4) mentio ecclesiastici cantus, quem Mediolani Vir sanctus anno 385 aut 386, instituerat, non semel fiat, ante illud tempus Hexaemeron suum composuisse dicendus non est. Deinde se tunc proveciōris fuisse ætatis non dissimulat: Quæ pueri, inquiens (lib. IV, c. v), risimus, ea senes commemorare qui possumus? Ex communiore autem chronologia non ita senex anno 397 diem obiit Ambrosius: quapropter suam cum senectutem vix ante annum 389 prædicasse judicaveris. Accedit his quod ipse quæ id temporis in Ecclesia sua agebantur, describens docet jam non multas esse congregationes, ad quas separatim pagani, hæreticique cogebantur: Sed factus est, inquit (lib. III, c. 9), unus populus, ex hæreticis, et gentibus repleta est Ecclesia. Quæ sane quantum cum assignatis temporibus conveniant, facile quivis intelligat. Hæc namque aperte significant felices illos dies, cum extincta Justina imperatrice Arianorum partibus tam pertinaciter addicta, consultato repulsoque Symmacho ethnicorum rituum tam forti propugnatore, victor tandem de Maximo tyranno Theodosius Magnus tot hoc anno leges (Cod. Th. tit. de pag. et hæret.), tantaque prudentia adversus paganos atque hæreticos tulit; ut eorum plurimos in Ecclesiæ catholicæ sinum convolasse ejusdem ævi scriptores notaverint (Hier. ep. 7; Prud. l. 1, in symb.).

Ad anni porro tempestatem quod attinet, planum quidem est observatum istis diebus jejunium: verisimile autem non aliud fuisse illud quam exeuntis Quadragesimæ. Etenim eosdem illos dies singularis existisse religionis eo constare potest, quod summo mane populus ad Ecclesiam frequens conflueret, unde non nisi post solis occasum discederet. Itaque haud immerito dixeris tales fuisse eos, quales in ipsa Justinæ sævientis persecutione ab Ambrosio describuntur, quando per sacram hebdomadam plebs omnis ad agendam matutinam vespertinamque synaxim conveniebat. Addamus insuper eadem in utrisque cœlibus peracta esse. Nam de his scribit sanctus Antistes (Epist. ad Marc.), dies esse quibus in Ecclesia poenitentia relaxatur; de illis (lib. V, c. 25), tempus esse quo celebratur indulgentia peccatorum: in his lectam Jonæ prophetiam asserit (Epist. ad Marc.), in illis idem præstitum non obscure designat (lib. V, c. 11 et 25). In istis igitur conventibus cum eodem die bis aliquando, Basiliæ more, verba faceret, sex omnino diebus susceptum argumentum absolvit, hoc est, intra hebdomadæ unius angustias. Probat id quidem a nobis instituta sermonum divisio; at illud idem evincit ipsemet Ambrosius in hæc verba (lib. VI, c. 1): Qui (sermo noster) etsi per quinque jam dies non mediocri labore nobis processerit; tamen hodierno die, etc.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

HEXAEMERON

LIBRI SEX.^a

LIBER PRIMUS.

DE OPERE PRIMI DIEI.

I CAPUT PRIMUM. (Sermo I.)

De mundi principio, duratione et unitate. Philosophorum errores referuntur ac perstringuntur.

1. Tantumne opinionis assumpsisse homines, ut aliqui eorum tria principia constituerent omnium, Deum, et exemplar, et materiam, sicut Plato discipulique ejus; et ea incorrupta, et increata, ac sine initio esse asseverarent: Deumque non tamquam creatorem materiæ, sed tamquam artificem ad exemplar, hoc est, ideam intendentem, fecisse mundum de materia, quam vocant hylen, quæ gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur: ipsum quoque **2** mundum incorruptum, nec creatum, aut factum existimarent: alii quoque, ut Aristoteles cum suis ^b disputandum putavit, duo principia ponerent, materiam et speciem, et tertium cum iis, quod operatorium dicitur, cui suppeteret competenter efficere, quod adorandum putasset.

2. Quid igitur tam inconueniens, quam ut æternitatem operis cum Dei omnipotentis æternitate conjungerent, vel ipsum opus Deum esse dicerent; ut cœlum, et terram, et mare divinis prosequerentur honoribus? Ex quo factum est, ut partes mundi deos esse crederent, quamvis de ipso mundo non mediocris inter eos quæstio sit.

3. Nam Pythagoras unum mundum asserit: alii innumerabiles dicunt esse mundos, ut scripsit Democritus, cui plurimum de Physicis vetustas auctoritatis detulit. Ipsumque mundum semper fuisse et fore Aristoteles usurpat dicere: contra autem Plato non semper fuisse, sed semper fore præsumit astruere: plurimi vero **3** nec fuisse semper, nec semper fore scriptis suis testificantur.

4. Inter has eorum dissensiones quæ potest esse veri æstimatio? cum alii mundum ipsum Deum esse

A dicant, quod ei mens divina, ut putant, inesse videatur; alii partes ejus, alii utrumque; in quo nec quæ figura sit deorum, nec qui numerus, nec qui locus, aut vita possit, aut cura comprehendi. Siquidem ^c mundi æstimatione volubilem, rotundum, ardentem, quibusdam incitatum motibus, sine sensu Deum conveniat intelligi, qui alieno, non suo motu feratur.

CAPUT II.

Moysis opinio de initio rerum, auctore mundi, et creatione materiæ. Idem multis nominibus commendatur: cui uni, explosis atomis ideisque, credendum ostenditur.

^B 5. Unde divino spiritu prævidens sanctus Moyses hos hominum errores fore, et forte jam cœpisse; in exordio sermonis sui sic ait, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (Gen. i, 1); initium rerum, auctorem mundi, creationem materiæ comprehendens; ut Deum cognosceres ante initium mundi esse, vel ipsum esse initium universorum; sicut in Evangelio Dei Filius dicentibus sibi, *Tu quis es?* respondit: ^d *Initium quod et loquor vobis* (Joan. viii, 25); et ipsum dedisse gignendis rebus initium, et ipsum esse creatorem mundi, non idea quadam duce imitatorum materiæ, ex qua non ad arbitrium suum, sed ad speciem propositam sua opera formaret. Pulchre quoque ait, *In principio fecit*; ut incomprehensibilem celeritatem operis exprimeret, cum ^e effectum prius operationis impletæ, quam indicium cœptæ explicuisset.

6. Quis hoc dicat advertere debemus. Moyses utique ille eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis ut filium dilexit, et subsidiis regalibus fultum, omnibus sæcularis prudentiæ disciplinis informari atque instrui

^a Scripti circa an. 389.

^b Manuscriptus Corbeiensis unus et Colbertinus disputandum, putant duo principia ponere. Melius alii, atque editiones, putavit... ponerent. Hoc enim ultimum verbum pendet ex ipso initio capitis: *Tantumne... ut aliqui*, etc.

^c Ms. Regius, Corb. et Colb. mundum æstimatione. Carnutensis, mundi æstimationem volubilem, rotundam, incitatum. Alii et edit. mundi æstimatione. Bene, si interpretaris quasi sit idem ac prout mundus as-

^D timatur.

^d Gemeticensis, Cœnomanensis et Vulgata, *Principium, qui*. Reg., Germanensis et edit. Amerbachii et Peitii, *Initium qui*. Sic Dionysianus infra cap. 4, num. 15. Decem mss. *Initium quod*. Sic etiam infra num. citato, et l. iii de Fide ad Grat. c. 4, l. v, c. 4. Græce autem τὴν ἀρχὴν, ὃ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Tremellius verit: *id quod a principio dico vobis*.

^e Quinque mss. et edit. Erasmi ac Romana, *affectum*.

desideravit. Qui cum de aqua nomen acceperit, non A
 putavit tamen dicendum, quod ex aqua constarent
 omnia, ut Thales dixit. Et cum esset in aula educa-
 tus regia, maluit tamen pro amore iustitiæ subire
 exsilium voluntarium, quam in tyrannidis fastigio
 peccati perfunctionem deliciis acquirere. Denique
 priusquam ad populi liberandi munus vocaretur,
 naturali æquitatis studio provocatus, accipientem
 injuriam de popularibus suis ultus, invidiæ sese de-
 dit, voluptatiq̄ eripuit, atque omnes regiæ domus
 declinans tumultus, in secretum Æthiopiæ se contu-
 lii; ibidem a cæteris negotiis remotus, totum divinæ
 cognitioni animum intendit, ut gloriam Dei **4** videret
 facie ad faciem. Cui testificatur Scriptura, quia *ne-*
mo surrexit amplius Propheta in Israël, sicut Moyses,
** quem scivit Dominus facie ad faciem (Deut. xxxiv, B*
10). Non in visione,^b neque in somniis sed os ad os
cum Deo summo locutus; neque in specie, neque
per ænigmata; sed clara atq̄ perspicua præsentia
divinæ ^c dignatione donatus.

7. Is itaq̄ Moyses aperuit os suum, et effudit
 quæ in eo Dominus loquebatur; secundum quod ei
 dixerat, cum eum ad Pharaon regem dirigeret: *Vade*
ergo, et ego aperiam os tuum, et instruam te quid de-
beas loqui (Exod. iv, 12). Etenim si quod de populo
dimittendo diceret, a Deo acceperat, quanto magis
quod de cælo loqueretur? Denique non in persua-
sione humanæ sapientiæ, nec in philosophiæ simula-
toriis disputationibus, sed in ostensione spiritus et
virtutis, tamquam testis divini operis ausus est dicere:
In principio fecit Deus cælum et terram. Non ille, ut C
atomorum concursione mundus coiret, serum atq̄
otiosum expectavit negotium; ^d neque disciplinam
quandam materiæ; quam contemplando, mundum
posset effingere, sed auctorem Deum exprimendam
putavit. Advertit enim vir plenus prudentiæ, quod
visibilium atq̄ ^e invisibilium substantias, origines,
et causas rerum mens sola divina contineat, non ut
philosophi disputant, validiorem atomorum com-
plexionem perseverantiæ jugis præstare causant;
sed iudicavit quod telam aranæ texerent qui sic mi-
nuta et insubstantiva principia cælo ac terris darent,
quæ ut fortuito conjungerentur, ita fortuito ac temere
dissolverentur, nisi in sui gubernatoris divina virtute
constarent. Nec immerito gubernatorem nesciunt, D
qui non noverunt Deum, per quem omnia reguntur
et gubernantur. Sequamur ergo eum, qui et aucto-
rem novit, et gubernatorem; nec vanis abducamur
opinionibus.

^a Mss. octo antiquioris ac melioris notæ et edit. veteres, qui scivit Dominum. Reg. et Remensis, qui scivit Deum. Dion., qui scivit Deum faciem ad faciem. Germ., qui vidit Dominum. LXX, quem novit Dominus eum faciem ad faciem. Vulg., quem nosset Dominus.

^b Cod. aliquot, neque in somno.

^c Rom. edit. cum uno ms., cognitione dignatus.

^d Decem mss. melioris notæ, neque discipulum quemdam.

^e Quatuor mss. et edit. Costerii, invisibilium origines substantiarum et causas rerum. Am., Era, et Gillot. omittunt, origines. Quatuor mss. invisibilium

CAPUT III.

Principium suum a Deo mundum habere: ac proinde eum, licet spherica figura sit, æternum non esse.

8. *In principio*, inquit. Quam bonus ordo, ut illud primum assereret, quod negare consueverunt; et cognoscerent principium esse mundi, ne sine principio mundum esse homines arbitrarentur. Unde et David cum de cælo, et terra, et mari loqueretur, ait, *Omnia in sapientia fecisti (Ps. ciii, 25)*. Dedit ergo principium mundo, dedit etiam creaturæ ^f infirmitatem, ne anarchon; ne increatum, et divinæ consortem substantiæ crederemus. Et pulchre addidit, ^g *Fecit*; ne mora in faciendo fuisse existimaretur; ut vel sic intelligerent homines quam incomparabilis operator esset, qui tantum opus brevi **5** exiguoque ^h momento suæ operationis solveret, ut voluntatis effectus ⁱ sensum temporis præveniret. Nemo operantem vidit, sed agnovit operatum. Ubi igitur mora, cum legas: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt (Ps. cxlvi, 5)*? Nec artis igitur usum; nec virtutis expendit, qui momento suæ voluntatis majestatem tantæ operationis implevit; ut ea quæ non erant, esse faceret tam velociter, ut neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio voluntati.

9. Miraris opus, quæris operatorem; quis principium tanto operi dederit, quis tam cito id fecerit? Subiecit statim, dicens quia *Deus fecit cælum et terram*. Audisti auctorem, dubitare non debes. Hic est in quo benedixit Melchisedech Abraham patrem multarum gentium, dicens: *Benedictus Abraham a Deo summo, qui fecit cælum et terram (Gen. xiv, 19 et 22)*. Et credidit Abraham Deo, et ait: *Extendam manum meam ad Deum summum, qui fecit cælum et terram*. Vides quia hoc non homo invenit, sed Deus annuntiavit. Deus est enim Melchisedech, qui est rex pacis et iustitiæ; nec initium dierum neque finem habens. Non mirum ergo si Deus qui est sine initio, initium omnibus dedit; ut quæ non erant, esse inciperent. Non mirum si Deus qui omnia virtute suâ continet, et incomprehensibili majestate universa complectitur, fecit hæc quæ videntur, cum etiam illa fecerit quæ non videntur. Invisibilia autem iis quæ videntur, potiora esse quis neget; cum ea quæ videntur, temporalia sint, æterna autem quæ non videntur? Quis dubitet quod Deus hæc fecerit, qui per Prophetam locutus ait: *Quis mensus*

substantiam et causas rerum.

^f Mss. aliquot ac edit. Gill. in margine, et Rom. in corpore, *informem materiam*. Alii novem optimæ notæ et vet. edit. *infirmitatem*, id est, ut ait Latinius, *corruptionem*.

^g Edit. omnes unanimi consensu, *addidit de celeritate conditionis, Fecit*. At hæc voces *de celeritate conditionis* desunt in mss. omnibus.

^h Ita tredecim mss. et edit. vet. At edit. Rom. *momento suæ voluntatis solveret, et operationis effectum sensum, etc.*

ⁱ Carn. cod., *sensuum corporis præveniret*.

est manu aquam, et cœlum palmo, et universam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra et rupes in statera, et nemora in jugo? Quis cognovit sensum Domini, aut quis ejus consiliarius fuit, vel quis instruxit eum (Esa. XL, 12). De quo etiam alibi legimus: Quia tenet circuitum terræ, et terram velut nihilum fecit. Et Hieremias ait: Dii qui non fecerunt cœlum et terram, peribunt a terra, et de sub cœlo isto. Dominus qui fecit terram in virtute sua, et correxit in sapientia sua orbem, et in sua prudentia extendit cœlum, et multitudinem aquæ in cœlo (Jerem. x, 11). Et addidit: Infatuatus est homo a scientia sua (Ibid., 14). Qui enim corruptibilia mundi sequitur, et ex his putat quod divinæ possit naturæ comprehendere veritatem, quomodo non infatuatur versutæ disputationis astutia?

10. Cum ergo tot oracula audias, quibus testificatur Deus quod fecerit mundum, noli eum sine principio esse credere; quia quasi sphaera mundus esse dicatur, ut principium ejus nullum videatur exstare; et cum intonat, quasi in circuitu omnia commoventur, ut unde incipiant, ubi desinant non facile comprehendas; quia circuitus principium sensu colligere impossibile habetur. Neque enim sphaeræ potes initium reperire, vel unde cœperit globus lunæ, vel ubi desinat menstrua lunæ defectio. Neque verò si ipse non comprehendas, idcirco non cœpit, aut **6** nequaquam desinet. Si ipse circuitum vel atramento, vel graphio ducas, vel ^a centro exprimas, unde cœperis, aut ubi desieris, intervallo interposito non facile vel oculis colligis, vel mente repetis; et tamen et cœpisse et desivisse ipse tibi testis es. Nam etsi sensum subterfugit, veritatem non subruit. Quæ autem initium habent, et finem habent: et quibus finis datur, initium datum constat. Finem autem mundi futurum ipse Salvator docet in Evangelio suo, dicens: Cœlum et terra præteribunt (Matth. xxiv, 35). Et infra: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi (Matth. xxviii, 20). Et Apostolus: Præterit enim figura hujus mundi (I Cor. vii, 31).

11. Quomodo ergo coæternum Deo mundum asserunt, et creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturam, corpusque materiale mundi invisibili illi atque inaccessiblei naturæ divinæ conjungendum putant, cum præsertim secundum suam sententiam non possint negare, quoniam cujus partes corruptioni et mutabilitati subjacent, hujus necesse est universitatem iisdem passionibus, quibus propriæ portiones ejus sunt obnoxia, subjacere?

CAPUT IV.

Principiorum varia genera: et in quo Deus fecisse cœlum ac terram intelligendus.

12. Principium igitur esse docet qui dicit: In principio fecit Deus cœlum et terram. Principium au-

^a Centrum, græce κέντρον; id est, stimulus vel spiculum. Vide infra lib. v, cap. 10.

tem ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum; quomodo in ædificanda domo initium fundamentum est. Principium quoque conversionis et depravationis dici posse Scripturarum cognoscimus auctoritate. Est et principium artis ars ipsa, ex qua artificum diversorum deinceps cœpit operatio. Est etiam principium bonorum operum finis optimus, ut misericordiæ principium est, Deo placere quod facias. Eo enim ad conferendum hominibus subsidium maxime provocamur. Est etiam virtus divina, quæ hac exprimitur appellatione. Ad tempus refertur, si velis dicere in quo tempore Deus fecit cœlum et terram, id est, in exordio mundi, quando fieri cœpit, sicut ait Sapientia: Cum pararet cœlum, cum illo eram (Prov. viii, 27). Ad numerum autem si referas, ita convenit, ut accipias: imprimis fecit Deus cœlum et terram, deinde colles, regiones, fines inhabitabiles. Vel sic: ante reliquas visibiles creaturas, diem, noctem, ligna fructifera, animantium genera diversa, cœlum et terram fecit. Si verò ad fundamentum referas, principium terræ fundamenta esse legisti, dicente Sapientia: Quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram ^b penes illum cuncta componens (Sap. viii, 29). Est etiam bonæ principium disciplinæ, sicut est illud: Initium sapientiæ est timor Domini (Prov. i, 7); quoniam qui timet Dominum, declinat errorem, et ad virtutis semitam vias suas dirigit. Nisi enim quis timuerit Deum, non potest renuntiare peccato.

15. Quod æque etiam de illo possumus accipere: Mensis hic initium mensium erit vobis (Exod. xii, 2); quamvis **7** et de tempore istud accipiatur, quia de Pascha Domini loquebatur, quod veris initio celebratur. In hoc ergo principium mensium, cœlum et terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Unde et annus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hybernas glacies atque hyemales caligines serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curricula mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices surgerent, atque initio cujusque anni produceret terra nova seminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat: Germinet terra herbam scæni, seminans semen secundum genus et secundum similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum (Gen. i, 11). Et statim produxit terra herbam scæni, et lignum fructiferum; in quo nobis et moderationis perpetuæ divina providentia, et celeritas terræ germinantis ad æstimationem vernæ suffragatur ætatis. Nam etsi quocumque tempore et Deo jubere promptum fuit, et terrenæ naturæ obedire, ut inter hybernas glacies et hyemales pruinas cœlestis imperii fotu germinans terra setum produceret; non erat tamen dispositionis æternæ rigido stricta gelu in virides subito fructus arva laxare, atque horrentibus pruinis florulenta miscere. Ergo ut ostenderet Scriptura

^b Quatuor mss. et edit. Am. Pet., penes illum componens. Sex mss. et LXX, penes illum disponens.

veris tempora in constitutione mundi, ait: *Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni* (Exod. xii, 2), primum mensem, vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni principium esse generationis, et ipsam generationem mollioribus auris foveri. Neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus injuriam sustinere.

14. Simul istud advertere licet, quia jure concurrat, ut eo tempore videatur in hanc generationem, atque in hos usus tributus ingressus, quo tempore ex hac generatione in regenerationem est legitimus transitus. Siquidem verno tempore filii Israel Ægyptum reliquerunt, et per mare transierunt, baptizati in nube, et in mari, ut Apostolus dixit (1 Cor. x, 1 et seq.): et eo tempore Domini quotannis Jesu Christi Pascha celebratur, hoc est, animarum transitus a vitiis ad virtutem, a passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, a malitiæ nequitiaque fermento ad veritatem et sinceritatem. Regeneratis itaque dicitur: *Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni* (Exod. xii, 2). Derelinquit enim et deserit, qui abluitur, intelligibilem illum Pharaon principem istius mundi, dicens: Abrenuntio tibi, diabole, et angelis tuis, et operibus tuis, et imperiis tuis. Nec jam serviet ei, vel terrenis hujus corporis passionibus, vel depravatæ mentis erroribus, qui demersa omni malitia, vice plumbi, bonis operibus dextra lævaque munitus inoffenso sæculi hujus freta studet transire vestigio. In libro quoque, qui inscribitur de Numeris, ait Scriptura: *Initium nationum Amalec, et semen ejus peribit* (Num. xxiv, 20). Et utique non omnium nationum primus est Amalec; sed quia per interpretationem Amalec rex accipitur iniquorum; iniqui autem gentes sunt: vide ne principem mundi hujus accipere debeamus, qui imperat nationibus voluntatem suam facientibus, cujus semen peribit: semen autem ejus impii et infideles sunt, quibus ait Dominus, *Vos ex patre diabolo estis* (Joan. viii, 24).

15. Est etiam initium mysticum, ut illud est, *Ego sum primus et novissimus, initium et finis* (Apoc. i, 8). Et illud in Evangelio præcipue, quod interrogatus Dominus, quis esset, respondit: *Initium, quod et loquor vobis* (Joan. viii, 25). Qui vere et secundum divinitatem est initium omnium, quia nemo ante ipsum; et finis, quia nemo ultra ipsum: et secundum Salomonem (Prov. viii, 22) initium est viarum Domini in opera ejus; ut per ipsum disceret hominum genus vias Domini sequi, et ope-

rari opera Dei. In hoc ergo principio id est, in Christo, fecit Deus cælum et terram; quia per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat; quia in ipso constant omnia. Et ipse est primogenitus totius creaturæ, sive quia ante omnem creaturam; sive quia sanctus, quia primogeniti sancti sunt, ut primogenitus Israel, non quia ante omnes, sed quia sanctior cæteris. Sanctus autem Dominus supra omnem creaturam et secundum corporis susceptionem; quia solus sine peccato, solus sine vanitate. Omnis autem creatura subjecta vanitati est.

16. Possumus etiam intelligere: *In principio fecit Deus cælum et terram*; id est, ante tempus: sicut initium viæ nondum via, et initium domus nondum domus. Denique alii dixerunt, ἐν κεφαλῇ quasi in capite, quo significatur in brevi et in exiguo momento summa operationis impleta. Sunt ergo et qui principium non pro tempore accipiant, sed ante tempus, καὶ κεφαλῆον vel caput; ut dicamus Latine quasi summam operis; quia rerum visibilium summa cælum et terra est, quæ non solum ad mundi hujus spectare videntur ornatum, sed etiam ad indicium rerum invisibilium, et quoddam argumentum eorum quæ non videntur, ut est istud propheticum: *Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Ps. xviii, 1). Quod secutus Apostolus aliis verbis in eandem conclusit sententiam, dicens: *Quia invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, intelliguntur* (Rom. i, 20). Auctorem enim Angelorum et Dominationum et Potestatum facile intelligimus eum, qui momento imperii sui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse, quæ non erat; et non de exstantibus aut rebus, aut causis donavit habere substantiam.

CAPUT V.

Mundum divinæ operationis specimen esse: a gentilibus eum Dei umbram non recte dici: Filio enim soli, ut imago Dei sit, convenire.

17. Est ergo hic mundus divinæ specimen operationis; quia dum opus videtur, præfertur operator. Namque ut istarum artium aliæ sunt actuosæ, quæ sunt in corporis motu, aut sono vocis; cessavit motus aut sonus, nihil superfuit, nec remansit spectantibus vel audientibus: aliæ theoreticæ, quæ vigorem mentis exercent: aliæ hujusmodi, ut cessante quoque operationis officio, operis munus appareat, ut ædificatio atque textura, quæ etiam tacente artifice, peritiam ejus ostendunt, ut operatori operis sui testimonium suffragetur. Similiter hic mundus divinæ majestatis insigne est,

^a Mss. quatuor probatissimi prætermittunt, et angelis tuis.

^b Undenam interpretationem hanc sumpserit Ambr. non facile dictu est: fatendum tamen eam haud immerito improbari. Neque enim עמלק cum voce מלך ullam habet affinitatem. B. Hieron. aliam ejusdem nominis significationem ex Philone refert de

nom. Hebr. Amalec inquit, *populus lambens, vel lingens*. Tertiam præterea explicationem in fine Bibliorum R. Stephani reperias, ubi Amalec ex Hebræo et Syro exponitur, *populus percultiens*.

^c Edit. omnes cum mss. aliquot: *Iniquæ autem gentes sunt*. Alii melius: *iniqui*, etc.

^d Ms. Corb. vetus et Germ., *quæ vigore mentis exercentur*.

ut per ipsum Dei sapientia manifestetur. Quem videns Propheta, simul et ad invisibilia oculos mentis attollens, ait: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti (Psal. ciii, 24).*

18. Nec otiose utique factum legimus; quia gentiles plerique qui coeternum Deo mundum volunt esse, quasi adumbrationem virtutis divinae, asserunt etiam sua sponte subsistere; et quamvis causam ejus Deum esse fateantur; ^a causam tamen factum volunt non ex voluntate et dispositione sua, sed ita ut causa umbræ corpus est. Adhæret enim umbra corpori, et fulgor lumini naturali magis societate, quam voluntate arbitra. Pulchre ergo ait Moyses, quia *fecit Deus cœlum et terram.* Non dixit quia subesse fecit; non dixit quia causam mundo ut esset, præbuit: sed *fecit* quasi bonus quod foret utile: quasi sapiens ^B quod optimum judicabat: quasi omnipotens quod amplissimum prævidebat. Quomodo autem quasi umbra esse poterat, ubi corpus non erat, cum incorporei Dei corporea adumbratio esse non possit? Quomodo etiam incorporei luminis splendor possit esse corporeus?

19. Sed si quæris splendorem Dei, Filius est imago Dei invisibilis. Qualis ergo Deus est, talis imago. Invisibilis Deus, etiam imago invisibilis. Est enim splendor gloriæ paternæ, atque ejus imago substantiæ. *In principio, inquit, fecit Deus cœlum et terram.* Factus est ergo mundus, et cœpit esse, qui non erat: Verbum autem Dei in principio erat, et erat semper. Sed etiam Angeli, Dominationes et Potestates, etsi aliquando cœperunt; erant tamen jam quando hic mundus est factus. Omnia namque creata et condita ^C sunt, visibilia et invisibilia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: *Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, et ^b in ipsum creata sunt (Coloss. i, 16).* Quid est in ipsum creata? Quia ipse est hæres Patris, eo quod a Patre in ipsum transierit hæreditas, sicut Pater dicit: *Posce a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (Psal. ii, 8).* Quæ tamen hæreditas a Patre transit in Filium, et in Patrem revertitur a Filio. Egregie itaque Apostolus et hoc loco Filium dixit auctorem omnium, et majestate sua continentem omnia. Et ad Romanos de Patre ait: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ^c ipsum sunt omnia (Rom. xi, 36).* Ex ipso principium et origo substantiæ universorum, **10** id est, ex voluntate ejus ^D et potestate. Omnia enim ex ejus voluntate cœperunt; quia unus Deus Pater, ex quo omnia. Etenim tamquam ex suo fecit; quia unde voluit fecit. Per ipsum continuatio; finis in ipsum. Ex ipso ergo materia. Per ipsum operatio quæ ligavit atque constrinxit universa. In ipsum, quia quamdiu vult, omnia ejus virtute manent atque consistunt, et finis eorum in

^A Dei voluntatem recurrit; et ejus arbitrio resolvuntur.

CAPUT VI.

In cœlo et terra quatuor elementa, e quibus omnia componuntur, creata esse. Qualis cœli substantia; qualisve terræ positio; et quam diverse philosophi de cœlorum natura judicaverint: iis neglectis divinæ auctoritati auscultandum.

20. In principio itaque temporis cœlum et terram Deus fecit. Tempus enim ab hoc mundo, non ante mundum: dies autem temporis portio est, non principium. Et quamquam lectionis serie possimus adstruere quod primo diem fecerit Dominus et noctem, quæ sunt vices temporum; et secundo die firmamentum fecerit, quo discrevit aquam quæ sub cœlo est, et aquam quæ super cœlum; tamen satis est ad præsentem assertionem, quod in principio cœlum fecerit, unde ^d prærogativa generationis et causa; et terram fecerit, in qua esset generationis substantia. In his enim quatuor illa elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia ista quæ mundi sunt. Elementa autem quatuor, aer, ignis, aqua, et terra, quæ in omnibus sibi mixta sunt. Siquidem et in terra ignem reperies, qui ex lapidibus et ferro frequenter excutitur; et in cœlo, cum sit ignitus et micans fulgentibus stellis polus, aqua esse possit intelligi, quæ vel supra cœlum est, vel de illo superiore loco in terram largo frequenter imbri demittitur. Quæ pluribus colligere possemus, si quid ad ædificationem Ecclesiæ ista proficere videremus. Sed quia his occupari infructuosum negotium est, ad illa magis intendamus animum in quibus vitæ sit profectus æternæ.

21. De qualitate igitur et substantia cœli satis est ea promere quæ in Esaïæ scriptis reperimus, qui mediocribus et usitatis sermonibus qualitatem naturæ cœlestis expressit, dicens quod firmaverit cœlum sicut fumum (*Esa. li, 6*), subtilem ejus naturam nec solidam cupiens declarare. Ad speciem quoque ejus abundat, quod ipse de cœli firmamento locutus est, quia fecit Deus cœlum sicut cameram; quod intra cœli ambitum universa claudantur (*Esa. xl, 22*), quæ vel in mari geruntur vel terris. Quod similiter significatur, cum legitur: Quia cœlum Dominus extendit (*Esa. xxxiv, 4*). Extenditur enim vel quasi pellis ^e ad tabernacula habitationesque sanctorum; vel quasi liber, ut plurimorum scribantur nomina, qui Christi **11** gratiam fide et devotione meruerunt, quibus dicitur: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo (Luc. x, 20).*

22. De terræ quoque vel qualitate vel positione tractare nihil prodest ad spem futuri, cum satis sit

^a Omnes edit. ac mss. duo, *causam tamen factam*: alii duo, *causam tamen ut factum*: totidem, *causa tamen factum*: plures et potiores, *causam tamen factum*; ubi vox *factum* ad *Deum* referenda.

^b Ita quinque mss. mel. notæ et Am., Pet., Eræ.; Græce *εις αυτόν*. Reliqui mss. ac edit. Gill. et Rom. in *ipso*. Quid est in ipso?

^c Ita ms. Corb. et Thuaneus edit.; Cost. et quædam Parisinæ, sic etiam paulo post. At reliqui mss. et edit., in *ipso*.

^d Tres mss., *prorogata generationis causa*.

^e Corb. vetus et Benignianus, *ad tabernacula habitationis*. Gem. secunda manu, ut edit. Cost., *ad tabernacula protectionis habitationisque*, etc.

ad scientiam, quod Scripturarum divinarum series comprehendit, quia suspendit terram in nihilo (*Job. xxvi, 7*). Quid nobis discutere, utrum in aere pendeat, an super aquam, ut inde nascatur controversia, quomodo aeris natura tenuis et mollior molem possit sustentare terrenam? Aut quomodo, si super aquas, non demergatur in aquam gravis ruina terrarum? Aut quomodo ei maris unda non cedat, et in latera ejus sese loco suo mota diffundat? Multi etiam in medio aeris terram esse dixerunt, et mole sua immobilem permanere, ^a quod æquabili motu hinc atque inde propendeat. De quo satis putamus dictum a Domino ad Job servum suum, quando locutus per nubem ait: *Ubi eras cum fundarem terram? indica mihi, si habes scientiam. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? Aut quis est qui superinduxit mensuram super eam, aut super quid circuli ejus confixi sunt* (*Job. xxxviii, 4*)? Et infra: *Conclusi mare portis, et dixi: Usque huc venies, et non transibis, sed in te comminuentur fluctus tui* (*Ibid. 10*). Nonne evidenter ostendit Deus omnia majestate sua consistere in numero, pondere, atque mensura? Neque enim creatura legem tribuit, sed accepit, et servat acceptam. Non ergo quod in medio sit terra, quasi æqua lance suspenditur: sed quia majestas Dei voluntatis suæ eam lege constringit; ut supra instabile atque inane stabilis perseveret, sicut David quoque propheta testatur dicens: *Fundavit terram super ^b firmamentum ejus, non inclinabitur in sæculum sæculi* (*Ps. ciii, 5*). Non utique hic quasi tantummodo artifex Deus: sed quasi omnipotens prædicatur, qui non centro quodam terram, sed præcepti sui suspenderit firmamento, nec eam inclinari patiatur. Non ergo mensuram centri, sed judicii divini accipere debemus; quia non artis mensura est, sed potestatis: mensura justitiæ, mensura cognitionis; quia omnia non tamquam immensa prætereant ejus scientiam, sed cognitioni ejus tamquam dimensa subiaceant. Neque enim cum legimus: *Ego confirmavi columnas ejus* (*Ps. lxxiv, 4*), vere columnis eam subnixam possumus æstimare, sed ea virtute quæ suffulciat substantiam terræ atque sustineat. Denique quod in potestate Dei sit terræ constitutio, etiam hinc collige, quia scriptum est: *Qui aspicit terram, et facit eam tremere* (*Ps. ciii, 32*). Et alibi: *Adhuc ego semel concutio terram* (*Agg. ii, 8*). Non ergo libramentis suis immobilis manet: sed frequenter Dei nutu et arbitrio commovetur, sicut et Job dicit: *Quia Dominus commovet eam a fundamentis: columnæ autem ejus exagitantur* (*Job. ix, 6*). Et alibi: *Nuda inferna in conspectu ejus, et non est morti involucrium, extendens Boream pro nihilo, suspendens terram in nihilum, alligans aquam in nubibus suis... Columnæ cœli avolverunt, et expaverunt ab increpatione ejus: virtute mi-*

12 *ligavit mare, disciplina stravit cetum: claustra autem cœli timent eum* (*Job. xxvi, 6*). Voluntate igitur Dei immobilis manet et stat in sæculum terra, secundum Ecclesiastis sententiam (*Eccle. i, 4*), et voluntate Dei movetur, et nutat. Non ergo fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseverat: sed Dominus statuit eam, et firmamento voluntatis suæ continet; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ. Et hæc fidei simplicitas argumentis omnibus antecellit. Laudent alii quod ideo nusquam decidat terra; quia secundum naturam in medio regionem possideat suam, eo quod necesse sit eam manere in regione sua, nec in partem alteram inclinari, quando contra naturam non movetur, sed secundum naturam. Prædicent artificis divini et operatoris æterni excellentiam; quis enim artificum non ab illo accepit? aut quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam? Ego tamen, qui profundum majestatis ejus, et artis excellentiam non queo comprehendere, non disputationis me libramentis committo atque mensuris: sed omnia reposita in ejus existimo ^c voluntate, quod voluntas ejus fundamentum sit universorum, et propter eum adhuc mundus hic maneat. Quod Apostolicæ quoque licet asserere auctoritatis exemplo. Scriptum est enim: *Quia vanitati creatura subjecta est non sponte, sed propter eum qui subjecit in spe* (*Rom. viii, 20*). Liberabitur autem et ipsa creatura a servitute corruptionis, ^d cum divinæ remunerationis gratia affulserit.

23. De natura autem et qualitate substantiæ cœli quid enumerem ea quæ disputationibus suis philosophi texuerunt? cum alii compositum cœlum ex quatuor elementis asserant: alii quintam quamdam naturam novi corporis ad constitutionem ejus inducant, atque assingant æthereum esse corpus, cui neque ignis admixtus sit, neque aer, neque aqua, neque terra; quod hujusmodi elementa suum quemdam cursum habeant atque usum et motum naturæ, ut graviora demergant, et in pronum ferantur, vacua et levia in superiora se subrigant; est enim proprius cuique motus, in spheræ autem circuitu ista confundi, et vim sui cursus amittere, quoniam spheræ in orbem suum volvitur, et superiora inferioribus, superioribus quoque inferiora mutantur. Quorum autem secundum naturam motus mutati sunt, horum necessario ferunt mutari solere qualitates substantiarum suarum. Quid igitur defendimus æthereum corpus esse, ne videatur corruptioni obnoxium? Quod enim compositum ex corruptibilibus elementis est, necesse est resolvatur. Nam hoc ipso quod diversæ eadem sint elementa naturæ, simplicem et inviolabilem motum habere non possunt, cum se diversus elementorum motus impugnet. Unus enim motus omnibus aptus esse non potest, et elementis

^a Mss. 2, quod æquali situ. Rom. edit., quod æquali momento.

^b Ita sex mss. et edit. Am., Pet., Era. Sic etiam paulo post. At cæteri mss. et edit. Rom. firmitatem.

^c Edit. ac mss. non pauci, potestate. Alii autem novem melioris ævi, voluntate.

^d Sic undecim mss. optimæ notæ ac vet. edit. At Rom. edit. et pauci mss. cum... gloria, etc.

distantibus convenire. Nam qui levibus accommodus A est, sit incommodus gravioribus elementis. Itaque quando ad superiora motus cœli est necessarius, terrenis gravatur; quando ad inferiora decursus **13** expetit, igneus vigor ille violenter attrahitur. Etenim contra naturæ suæ usum deorsum cogitur. Omne autem quod in contrarium cogitur, non naturæ serviens, sed necessitati, cito solvitur, et in ea scinditur ex quibus videtur esse compositum, in suam quamque regionem singulis recurrentibus. Hæc igitur alii considerantes stabilia esse non posse, æthereum corpus cœli stellarumque esse arbitrati sunt, quintam quamdam naturam corporis introducentes, quo diurnam cœli putarent mansuram esse substantiam.

24. Sed non ista opinio prophetiæ potuit obviare sententiæ, quam divina quoque Domini Jesu Christi B majestas in Evangelio comprobavit. Dixit enim David: *Principio terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnia sicut vestimentum veterascent, et tanquam amictum mutabis ea, et mutabuntur; tu vero ipse es, et anni tui non deficient* (Psal. cī, 26 et seq.). Quod adeo probavit in Evangelio Dominus, ut diceret: *Cœlum et terra^a præteribunt, mea autem verba non præteribunt* (Matth. xxiv, 35). Nihil igitur agunt, qui propter cœli asserendam perpetuitatem, quintum corpus æthereum introducendum putarunt; cum æque videant dissimilem cæteris adjunctam membri unius portionem, labem corpori magis afferre consuevisse. Simul illud advertite, quia propheta David cum terram priori loco nominavit (Ps. cXLVIII, 5), et postea cœlum, credidit opus esse Domini declarandum; quando enim dixit et facta sunt, nihil interest quid prius exprimas, cum simul utrumque sit factum; simul ne hæc saltem prærogativa cœlo divinæ videatur adjudicata substantiæ, ut primogenitiæ creaturæ privilegio potior æstimetur. Itaque illos suis relinquamus contentionibus, qui mutuis disputationibus se refellunt. Nobis autem satis est ad salutem, non disputationum controversia, sed præceptorum veritas; nec argumentationis astutia, sed fides mentis, ut serviamus creatori potius quam creaturæ, qui est Deus benedictus in sæcula.

CAPUT VII. (Sermo II.)

Occurritur iis qui materiæ æternitatem e Scripturæ verbis conantur adstruere. Terram eo invisibilem dici, quod aquis cooperta esset. Cur ea prius facta significetur, quam ornata.

25. *Terra autem erat invisibilis et incomposita* (Gen. 1, 2). Bonus artifex prius fundamentum ponit: postea, fundamento posito, ædificationis membra distinguit, et adjungit ornatum. Posito igitur fundamento terræ, et confirmata cœli substantia, duo enim ista sunt velut cardines rerum, subtexit: *Terra autem erat invisibilis et incomposita*. Quid est, *Erat*, nisi ne forte in infinitum et sine principio extendant opinio-

nem suam, et dicant: Ecce quia materia, id est, hyle, sicut philosophi dicunt, etiam secundum Scripturam divinam non habuit initium. Verum hoc dicentibus respondebis, quia scriptum est: *Erat autem Cain operarius terræ* (Gen. iv, 2). Et **14** de eo qui Jubal dictus est, habet Scriptura: *Hic erat pater qui demonstravit psalterium et citharam* (Ibid., 21). Et, *Homo erat in Ausitide regione, cui nomen Job* (Job. 1, 1). Desinant ergo de verbo quæstionem movere, cum præsertim præmiserit Moyses, quia fecit Deus terram. *Erat* ergo, ex quo facta est. Nam si sine principio eam dicunt esse, jam non solum Deum, sed etiam hylen sine principio dicentes, definiant ubi nam erat. Si in loco, ergo etiam locus sine principio fuisse adstruitur, in quo erat materia rerum, quæ principium non habebat. Quod si absurdum videtur de loco credere, videte ne forte volatilem terram debeamus æstinare, quæ non habens fundamentum, alarum remigiis suspendebatur. Unde ergo ei alas sumemus, nisi forte huc derivemus prophetici sermonis interpretationem: *A pennis terræ prodigia audivimus* (Esa. xxiv, 16)? Et illud: *Væ terræ navium pennæ* (Esa. xviii, 1)? Sed hoc si accipiamus, in quo aere volabat terra? Sine aere enim volare non poterat, sed aer adhuc esse non poterat, quia non erat sine rerum materia elementorum facta distinctio, cum ipsa adhuc elementa facta non essent. Ubi ergo erat materia ista alarum suffulta remigiis? In aere non erat, quia aer corpus est mundi: corpus autem esse aerem docet lectio (Sap. v, 12), quia emissa sagitta in locum, quem jaculator intendit, incisus aer statim in seipsum resolutus est. Ubi ergo erat hyle, nisi forte dicatur quadam dementi intentione, quia in Deo erat? Ergo Deus, qui est invisibilis naturæ atque inviolabilis, qui lucem habitat inaccessibilem, incomprehensibilis et purissimus spiritus, locus erat materiæ mundialis, et erat in Deo mundi portio, cum de hoc mundo non sit nec mens servulorum ejus, sicut habemus scriptum: *De hoc mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo* (Joan. xvii, 14).

26. Quemadmodum ergo invisibilia visibilibus, et ei qui ordinem ac decorem donavit omnibus, incomposita copulabantur? nisi forte quia dixit, *Terra autem erat invisibilis*, et invisibilem eam per substantiam credant; et ideo quia aquis operta, visibilis corporeis oculis esse non poterat, quemadmodum pleraque in profundo aquarum sita, visum oculorum, aciemque prætereant. Non enim Deo aliquid invisibile, sed creatura mundi creaturæ utique æstimatione censetur. Invisibilis etiam terra, quia nondum lux quæ illuminaret mundum, nondum sol; postea enim luminaria facta sunt cœli. Quod si solis radius plerumque etiam aquis operta illuminat, et profundo mersa splendore luminis sui prodit; quis dubitet Deo ea, quæ in profundo sunt, invisibilia esse non posse; nisi forte sic accipiamus invisibilem terram, quod nondum verbo Dei et protectione visitabatur,

^a Mss. Colb., Corb. unus et Vict. item unus, peribunt. Edit. Rom., transibunt.

^b Gemet. et Coen., Væ terræ avium pennæ.

quæ hominem non habebat, propter quem Dominus respiceret in terram, sicut scriptum est: *Dominus respexit super filios hominum, ut^a videret si est intelligens, aut requirens Deum (Psal. xiii, 2)?* Et alibi ait: *De cælo jaculatus est iudicium: terra tremuit et quievit (Psal. lxxv, 9).* Et merito invisibilis, quia incomposita, quæ figuram et speciem congruentem **15** adhuc non acceperat a proprio conditore.

27. Et fortasse dicant: Cur enim Deus, sicut dixit et facta sunt, non simul ornatus congruos assurgentibus donavit elementis, quasi non potuerit, cælum insignitum stellis subito ut creatum est, resurgere, et floribus ac fructibus terra vestiri? Potuit utique, sed ideo primo facta, postea composita declarantur, ne vere increata et sine principio crederentur, si species rerum velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur. Incomposita terra legitur, et iisdem a philosophis æternitatis, quibus Deus, privilegiis honoratur; quid dicerent si ab initio ejus pulchritudo vernasset? Demersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum addicta naufragio, et adhuc a nonnullis facta non creditur; quid si decorem primogenitum vindicaret? Accedit illud, quod imitatores nos sui Deus esse voluit, ut primo faciamus aliqua, postea venustemus; ne dum simul utrumque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit. Ideo primo fecit Deus, postea venustavit, ut eundem credamus ornasse qui fecit, et fecisse qui ornavit; ne alterum putemus ornasse, alterum creavisse: sed eundem utrumque esse operatum; ut primo faceret, postea componeret, ^b ut alterum altero crederetur. Habes in Evangelio hujus rei evidens testimonium (*Joan. xi, 44*). Nam suscitaturus Lazarum Dominus, jussit ut Judæi removerent lapidem de sepulcro, ut mortuum videntes, postea resuscitatum crederent. Deinde vocavit Lazarum, et resurrexit, et ligatis manibus et pedibus exiit foras. Nonne poterat removere lapidem, qui poterat mortuum suscitare? Et qui potuit defuncto vitam reddere, non potuit nexus solvere vinculorum? Cui vinctis pedibus gressum dedit, huic non potuit ruptis vinculis incessum reddere? Sed utique advertimus quod voluit primo demonstrare mortuum, ut oculis suis crederent: deinde resuscitare: tertio jubere ut ipsi vincula funeris solverent; ut inter ista fides infunderetur infidelibus, ^d et per gradus quosdam credulitas nasceretur.

CAPUT VIII.

Terram incompositam fuisse; tum quia in ea nihil distincti, tum quia tenebris esset velata. Malitiam per tenebras non intelligendam Spiritus sanctus qui ferebatur super aquas, aliaque declarant: sed vel maxime quod malitia non nisi a nobis oriatur.

28. Fecit ergo Deus primo cælum et terram, ea

tamen non quasi ^c perpetua, sed quasi corruptibilis creaturæ consummationi voluit subjacere. Unde in Esaïæ libro ait: *Tollite in cælum oculos vestros, et aspiciate terram deorsum; quia cælum ut fumus solidatum est, terra autem ut vestimentum veterascet (Esa. li, 6).* Hæc terra est, quæ ante erat incomposita. Nondum enim erant **16** maria suo fine distincta, et ideo vago fluctu, et profundo gurgite terra inundabatur. Considera, quia etiam nunc palustri uligine terra inhorere consuevit, nec patiens est vomeris, ubi infusus terris humor exundat. Erat ergo incomposita; ut pote solertis agricolæ inarata culturis, quia adhuc deerat cultor. Erat incomposita; quia nuda gignentium, nec thoris herbosa riparum, nec opaca nemoribus, nec læta segetibus, nec umbrosa superciliis montium, nec odora floribus, nec grata vinetis. Merito incomposita, quæ ornatibus indigebat, cui deerant vitiumserta gemmantium. Ostendere enim voluit Deus, quia nec mundus ipse haberet gratiam, nisi eum vario cultu operator ornasset. Cælum ipsum intextum nubibus, horrorem oculis, mœstitiam animis excitare consuevit. Terra imbris madefacta, fastidio est. Maria procellis turbata, quos non incutiunt metus? Pulcherrima est rerum species, sed quid esset sine lumine? quid sine temperie? quid sine aquarum congregatione, quibus ante demersa poli hujus habebantur exordia? Tolle solem terris, tolle cœlis stellarum globos, omnia tenebris inhorrescunt. Sic erant antequam lumen huic mundo Dominus infunderet. Et ideo Scriptura ait: *quia tenebræ erant super abyssum (Gen. i, 2).* Tenebræ erant, quia splendor deerat lucis. Tenebræ erant, quia aer ipse tenebrosus est. Aqua ipsa sub nube tenebrosa est, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris. Erant ergo tenebræ super abyssos aquarum. Non enim malas intelligendum arbitror potestates, quod Dominus earum malitiam creaverit; cum utique non substantialis, sed accidens sit malitia, quæ a naturæ bonitate deflexit.

29. Itaque in constitutione mundi opinio malitiæ interim sequestretur, ne divinæ operationi, et pulcherrimæ creaturæ, ea quæ decolora sunt, admiscere videamur, maxime cum sequatur: *Et spiritus Dei superferebatur super aquas (Ibid.).* Quem etsi aliqui pro aere accipiant, aliqui pro spiritu quem spiramus et carpimus auræ hujus vitalis spiritum; nos tamen cum sanctorum et fidelium sententia congruentes, Spiritum sanctum accipimus, ut in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. Præmisso enim quia *in principio fecit Deus cælum et terram*, id est in Christo fecit Deus, vel Filius Dei Deus fecit, vel per Filium Deus fecit; quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, supererat plenitudo operationis in Spiritu, sicut scriptum est: *Verbo Do-*

^a Decem mss. et edit. Am., Pet., Era., omittunt hæc verba, *ut videret*. Edit. Rom., *ut diceret*.

^b Mss. Gem. sed alia manu, item Victorin. unus et Edit. Gill. ac Rom., *ne alterum alteri deesse*. Edit. Am. Pet., Era., *ne alterum sine altero*, etc.

^c Ita mss. duodecim ac vet. edit. Mss. vero Cœnoman. Corb. unus, et Rom. edit. *perpetuas, sed quasi corruptibiles creaturas*. Vat. Cod. *perpetuam..... corruptibilem creaturam*.

mini caelis firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Ps. xxxii, 6). Itaque quemadmodum in Psalmo docemur operationem Verbi, quod est Verbum Dei, et virtutem quam dedit Spiritus sanctus; ita hic propheticum resultavit oraculum, quia Deus dixit, et Deus fecit. Spiritus quoque Dei superferebatur super aquas. Ornando enim polo caeli, germinaturis terris pulchre Spiritus superferebatur, quia per ipsum habebant novorum partuum semina germinare, secundum quod dixit propheta: **17** *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae* (Ps. ciii, 50). Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, et sermone consonat in plerisque et congruit, sic habet: *Et Spiritus Dei fovebat aquas*, id est vivificabat, ut in novas cogeret creaturas, et sotu suo animaret ad vitam. Nam etiam Spiritum sanctum legimus creatorem, dicente Job, *Spiritus divinus qui fecit me* (Job. xxxiii, 4). Sive ergo Spiritus sanctus superferebatur super aquas, tenebrae contrariarum virtutum super eas esse non poterant, ubi locum sibi tanta gratia vindicabat: sive, ut quidam volunt, aerem accipiant, respondeant qua ratione Spiritum Dei dixerit, cum satis fuerit *spiritum* nuncupare.

50. Hi ergo volunt a Domino Deo nostro quatuor primum elementa generata, caelum, terram, mare, aerem; eo quod causae rerum, ignis et aer, terra et aqua sint, ex quibus mundi species constat et forma. Ubi igitur tenebrae nequitiarum spiritalium locum habere potuerunt, cum augustae hujus decorem figuræ mundus indueret? Numquid simul malitiam Deus creavit? Sed ea ex nobis orta, non a creatore Deo condita, morum levitate generatur, non ullam creaturæ habens prerogativam, nec auctoritatem substantiae naturalis, sed mutabilitatis vitium, et errorem prolapsionis. Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo eam ipse generaret? Clamat propheta: *Desinite a malitiis vestris* (Is. i, 17). Et praecipue sanctus David: *Desine a malo, et fac bonum* (Ps. xxxiii, 15); quomodo ergo ei initium a Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum qui perturbandam Ecclesiam putaverunt. Hinc Marciones, hinc Valentini, hinc pestes illæ Manichæorum funesta sanctorum mentibus tentaverunt inferre contagia. Quid nobis in ipso lumine vitæ tenebras mortis inquirimus? Scriptura divina salutem suggerit, vitæ odorem fragrat, ut suavitatem legens capias, non ut præcipitii discrimen incurras. Simpliciter lege, o homo, non tibi ipse foveam pravus interpretes effodias; simplex sermo est, *quia fecit Deus caelum et terram*. Fecit quod non erat, non quod erat, *Et terra erat invisibilis*, ex quo facta est, erat; et erat invisibilis, quia exundabat aqua, et operiebat eam, et erant super eam tenebrae superfusæ, quia nondum erat lumen diei, nondum solis radius, qui solet et sub aquis latentia declarare. Quid ergo dicunt quod Deus creaverit malum, cum ex contrariis et adversis nequaquam sibi adversa generentur? Nec enim vita

A mortem generat, nec lux tenebras. Non enim sicut mutabilitates affectuum, ita etiam generationum progressionem sunt. Illæ ex contrariis in contraria propositi deflexione vertuntur: istæ non ex contrariis in adversa deflectuntur, sed ex ejusdem generis vel auctoribus, vel causis creatæ, in similitudinem sui referuntur auctoris.

51. Quid igitur a dicemus? Si enim neque sine principio est, quasi increata, neque a Deo facta, unde habet natura malitiam? Nam mala esse in hoc mundo nullus sapiens denegavit, cum sit **18** tam frequens in hoc sæculo lapsus ad mortem. Sed ex iis quæ jam diximus, possumus colligere quia non est viva substantia, sed mentis atque animi depravatio, a tramite virtutis devia, quæ incuriosorum animis quam frequenter obrepit. Non igitur ab extraneis est nobis, quam a nobis ipsis majus periculum. Intus est adversarius, intus auctor erroris, intus, inquam, clausus in nobismetipsis. Propositum tuum speculari, habitum tuæ mentis explora, excubias obtende adversum mentis tuæ cogitationes, et animi cupiditates. Tu ipse tibi es causa improbitatis, tu ipse dux flagitiorum tuorum, atque incentor criminum. Quid alienam naturam arcessis ad excusationem tuorum lapsuum? Utinam te ipse non impelleres, utinam non præcipitares, utinam non involves aut studiis immoderationibus, aut indignatione, aut cupiditatibus, quæ nos innexos velut quibusdam retibus tenent. Et certe in nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coercere cupiditates: in nobis est etiam indulgere luxuriæ, ^b adolere libidines, inflammare iracundiam, vel inflammanti aurem accommodare, elevari magis superbia, effundi in sævitiam, quam reprimi humilitate, diligere mansuetudinem. Quæ naturam accusas, o homo? Habet illa velut impedimenta quædam, senectutem et infirmitatem. Sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines fortior. Infirmitas quoque corporis, sobrietas mentis est. Unde ait Apostolus: *Cum infirmor, tunc potens sum* (II Cor. xii, 10). Itaque non in virtutibus, sed infirmitatibus gloriabatur. Responsum quoque divinum refulsit oraculo salutari; quia virtus in infirmitate consummatur. Illa cavenda (45, q. 1, cap. *Illam cavendam*), quæ ex nostra voluntate prodeunt, delicta juventutis, et irrationabiles passiones corporis. Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus; nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea quæ proprie nostra sunt. Quod enim possumus non facere si nolumus, hujus electionem mali nobis potius debemus, quam aliis ascribere. Ideo etiam in judiciis istius mundi voluntarios reos, non ex necessitate compulsos, culpa constringit, pœna condemnat. Neque enim si per furorem aliquis innocentem peremerit, obnoxius morti est. Quin etiam ipsius divinæ legis oraculo (*Exod. xxi, 13*), si quis per imprudentissime legunt, *adolere*, id est augere.

^a Edit. Paris., *Quid igitur deterius?*

^b Edit. Rom., *abolere*. Reliquæ et omnes constan-

tiam intulerit necem, accipit impunitatis spem, refugii facultatem, ut possit evadere. Hoc igitur de eo quod proprie malum videtur, dictum sit. Mala enim non sunt nisi quæ crimine mentem implicent et conscientiam ligant. Cæterum pauperiem, ignobilitatem, ægritudinem, mortem nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numeraverit; quia nec contraria istis in bonis habentur maximis, quorum alia nobis ex natura, alia ex commoditate accidere videntur.

32. Non otiose nobis excursus iste processit; ut probaremus tenebras et abyssum simpliciter accipienda. Erant enim tenebræ de obumbratione 19 cœli; quia omne corpus umbram facit, quæ obumbrat vel finitima vel inferiora, et ea maxime, quæ operire atque includere videtur. Includit autem cœli B polus, quia cœlum sicut camera extenditur, quemadmodum supra demonstravimus. Non ergo principalis erat tenebrosa substantia: sed quasi umbra secuta est mundi corpus caligo tenebrarum. Itaque momento divinæ præceptionis mundus assurgens, intra se inclusit umbram; ut si quis in campi medio, quem sol meridianus illuminat, locum aliquem repente obsepiat, et densis ramorum frondibus tegat, nonne quo splendidior foris species loci ejus effulgeat, hoc horrenti desuper ^a scena gurgustium ejus intus obscurius sit? Aut unde antrum, clausum undique hujus modi locum vocarunt, nisi quod atro inhorrescat situ atque offusione tenebrarum? Istæ ergo tenebræ super aquarum abyssos erant. Nam abyssum multitudinem et profundum aquarum dici, lectio C Evangelij docet (*Luc.*, viii, 34), ubi rogabant Salvatorem dæmonia, ne juberet illis ut in abyssum irent. Sed qui docebat voluntates dæmoniorum non esse faciendas, præcepit illis ut irent in porcos. Porci autem se in stagnum aquarum præcipitarunt, ut quod recusabant dæmonia, non evaderent, sed digno præcipitio demergerentur. Erat ergo hæc mundi incomposita species et forma.

CAPUT IX.

Creatur lux: eadem a tenebris discernitur atque approbatur: et qua causa lux dies, ac tenebræ nox, appellatae.

33. *Et Spiritus, inquit, Dei superferebatur super aquas, et dixit Deus: Fiat lux (Gen., i, 3).* Merito D præmissus est Spiritus Dei, ubi divina incipere habebat operatio. *Fiat, inquit, lux.* Unde vox Dei in Scriptura divina debuit inchoare, nisi a lumine? unde mundi ornatus, nisi a luce exordium sumere? Frustra enim esset, si non videretur. Erat quidem Deus ipse in lumine, quia lucem habitat inaccessibilem, et erat lumen verum, quod illuminat omnem

^a Scena locus est ramis arborum tectus. Maro. l. i. *Æn.* :

.... tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemiis imminet umbra.

^b Mss. Cœn. et Gem. per corr., *dixit*. Sic etiam infra non semel. Alii tamen et edit., *dilexit*.

^c Sic edit. vet. et mss. plures potioresque. Qua-

hominem venientem in hunc mundum: sed eam lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat explorat, et ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux est quæ reliquos domus commendat ornatus. *Fiat, inquit, lux.* Plena vox luminis non dispositionis apparatus significat, sed operationis resplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus est, et creavit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est: lucem creavit, tenebras illuminavit. *Et dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux.* Non ideo dixit, ut sequeretur operatio, sed dicto absolvit negotium. Unde pulchre Davidicum illud: *Dixit et facta sunt (Ps. cXLVIII, 5)*, quia dictum 20 implevit effectus. Auctor ergo lucis Deus: locus autem et causa tenebrarum mundus est. Sed bonus auctor ita lucem ^b dixit, ut mundum ipsum infuso aperiret lumine, atque ejus speciem venustaret. Resplenduit igitur subito aer, et expaverunt tenebræ novi luminis claritate. Repressit eas, et quasi in abyssos demersit repente per universa mundi fulgor lucis infusus. Pulchre itaque et proprie dixit: *Facta est lux.* Sicut enim cito lux cœlum, terras, maria illuminat, et momento temporis sine ulla comprehensione relectis surgentis diei splendore regionibus, nostro se circumfundit aspectui; ita ortus ejus cito debuit explicari. Quid miramur si Deus locutus est lucem, et caliganti mundo lumen emicuit, quando si quis inter aquas mersus, oleum ore emisit, clariora faciat ea quæ profundi tegebantur occultis? Dixit Deus; non ut per vocis organa quidam sonus sermonis exiret, nec ut linguæ motus cœleste formaret alloquium, atque aerem istum quidam verborum strepitus verberaret: sed ut voluntatis suæ ^c cognitionem proderet operationis effectu.

34. *Et discrevit inter lucem et tenebras; et vidit Deus lucem quia bona est (Gen. i, 4).* Dixit et sonum vocis nullus audivit: discrevit, et operationis molimina nemo deprehendit: vidit et oculorum ejus intentionem nullus aspexit. *Et vidit, inquit, Deus lucem quia bona est.* Nec quod ignorabat, vidit; nec id quod nesciebat ante, aut non viderat, comprobavit: sed bonorum operum proprium est, ut externo commendatore non egeant, sed gratiam suam, cum videntur, ipsa testentur. Plus est quod probatur aspectu, quam quod sermone laudatur. Suo enim utitur testimonio, non alieno suffragio. Quod si apud nos oculis judicium emittitur, quibus simul et gratia venustatis, et rerum mensura comprehenditur: quanto magis Deus omnia quæ probat, videt, et quæ videt, probat, secundum quod scriptum est, quia *Oculi*

tuor, cogitationem; Rom. edit., dispositionem. Sed *cognitionem* retinendam equidem arbitror, et hic idem esse ac sententiam et judicium, quemadmodum cognitor judex est, et cognoscere, judicare. Ibidem mss aliquot, *proderet voluntatis effectus; aliquot.... effectum.* Alii magno numero et edit. omnes... *effectu.*

Domini super justos (Ps. xxxiii, 16)? Lucis natura hujusmodi est, ut non in numero, non in mensura, non in pondere, ut alia, sed omnis ejus in aspectu gratia sit. Propriis itaque sermonibus naturam lucis expressit, quæ videndo complacet, quoniam ipsa videndi officium subministrat. Nec immerito tantum sibi prædicatorem potuit invenire, a quo jure prima laudatur; quoniam ipsa fecit, ut etiam cætera mundi membra digna sint laudibus. Vidit ergo Deus lucem, et vultu suo illuminavit, et vidit quia bona est. Non ex parte Dei, sed generale judicium est. Itaque non in splendore tantummodo, sed in omni utilitate gratia lucis probatur. Unde et discretio fit inter lucem et tenebras; ^a ut separata lucis natura atque tenebrarum, nihil videatur intra se habere confusum.

55. *Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem vocavit (Gen. 1, 5);* ut et nomine ipso diem noctemque distingueret. Advertimus itaque quod lucis ortus antequam sol diem, videatur aperire; **21** principia enim diei noctis exitum claudunt, finisque temporis et status limes nocti et diei videatur esse præscriptus. Diem sol clarificat, lux facit. Frequenter cælum nubibus textitur, ut sol tegatur, nec ullus radius ejus appareat; lux tamen diem demonstrat, tenebras abscondit.

CAPUT X.

Diem nocti contra quam nonnullis videatur, hic anteponi. Cur dies unus potius dicatur quam primus; ac matutino fine concludatur.

56. *Et factum est vespere, et factum est mane dies unus (Gen. 1, 5).* Quærent aliqui, cur prius vespere, postea mane Scriptura memoraverit, ne forte noctem priusquam diem significare videatur. Nec advertunt primo quod præmiserit diem, dicendo: *Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem:* deinde quod vespere finis diei sit, et mane finis noctis. Ergo ut prærogativam et primatus nativitas diei daret, prius finem diei significavit, postquam secutura nox esset, deinde postea finem noctis adjunxit. Eo usque autem noctem diei Scriptura anteferre non potuit, ut et diei et noctis tempora, diei appellatione concluderet, tamquam principalis auctoritate nominis vindicaverit. Et hanc Scripturæ esse consuetudinem, ut potiori appellationem deputet, frequentibus exemplis probamus. Siquidem et Jacob dixit: *Dies vitæ meæ, pusilli et mali (Gen. xlvii, 9).* Et iterum: *Omnes dies vitæ meæ.* Et David posuit: *Dies annorum nostrorum (Ps. lxxxix, 10);* non dixit et noctes. Unde advertimus ea quæ nunc in specie historię

^a Dion. et Colb. unus, *Ut separata rerum natura.*

A traduntur, vim statuisse legis in posterum. Principium ergo diei, vox Dei est: *fiat lux; et facta est lux.* Finis diei vespere est. Jam sequens dies ex noctis fine succedit. Sententia autem Dei evidens, quia diem primo vocavit lucem, et secundo vocavit tenebras noctem.

57. Præclare etiam unum non primum diem dixit; nam secuturo secundo, et tertio die, et deinceps reliquis primum potuit dicere: et hoc ordinis videbatur, sed legem statuit, ut viginti **22** quatuor horæ diurnæ atque nocturnæ diei tantum nomine definiantur, ut si diceret: Viginti quatuor horarum mensura unius diei tempus est. Sicut enim virorum generatio computatur, et intelligitur etiam feminarum, quia nectuntur ^b secunda potioribus; ita etiam dies numerantur, et noctes æstimantur adjunctæ. Sicut igitur circuitus unus, ita dies unus. Nam plerique etiam hebdomadam unam unum diem dicunt; quod in se quasi in unum redeat diem, et quasi septies in se recurat. Est autem circuitus figura hæc a se incipere, et in se reverti. Unde et sæculum unum interdum Scriptura dicit. Nam etsi aliis locis sæcula appellat, videtur magis diversitates statuum publicorum vel negotiorum significare, quam sæculorum successiones aliquas definire: *Quia dies Domini magnus et præclarus (Joel. ii, 11).* Et alibi, *Ut quid vobis quæreretis diem Domini (Amo. v, 16)?* Et hic tenebræ et non lux. Manifestum est enim quod male consciis et indignis dies ille tenebrosus sit, quo fulgebit innocentia, et mens noxia cruciabitur. Cæterum quod sine interpolatione noctium, et successione tenebrarum dies perpetuus ille remunerationis æternæ futurus sit, Scriptura nos docet (*Esa. lx, 19.*)

58. Pulchre autem vicem utramque unum dicturus diem, matutino cum fine conclusit, ut et a luce inchoare diem doceret, et in lucem desinere. Non enim est integrum diei tempus, nisi et noctis fuerit expletum. Unde et nos semper quasi in die honeste ambulemus, et abjiciamus opera tenebrarum. Noctem enim ad quietem corporis datam esse cognoscimus, non ad muneris alicujus vel operis functionem, quæ somno et oblivione transcurritur. Non sit nobis commessatio, ebrietas, cubile, impudicitia. Non dicamus: Tenebræ et parietes operiunt nos, et quis scit si videbit Altissimus? Sed sit in nobis amor lucis, et cura honestatis, ut tamquam in die ambulantes, opera nostra coram Deo lucere cupiamus, cui est honor, laus, gloria, potestas, cum Domino nostro Jesu Christo, et cum Spiritu sancto a sæculis, et nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum, Amen.

^b Mss. aliquot ac Rom. edit., *secunda prioribus.*

LIBER SECUNDUS.

DE OPERE SECUNDI DIEI.

21 CAPUT I. (Sermo III.)

Operibus primi diei strictim recensitis, rejectisque iis qui mundo materiam æternam affingebant, transit

ad secundum diem: et in rerum creatione non naturæ possibilitatem, sed potentiam Dei spectandam docet.

¶ 1. Diem primum, vel potius unum, maneat enim

ei prophetici prærogativa sermonis, ut potuimus, absolvimus; in quo conditum cœlum, terram creatam, ^a aquarum exundantiam, circumfusum aerem, discretionem factam lucis atque **22** tenebrarum Dei omnipotentis, et Domini Jesu Christi, Spiritus quoque sancti operatione cognovimus. Quis ergo non miretur dissimilibus membris disparem mundum in corpus unum assurgere, et insolubili concordie charitatisque lege in societatem et connexionem sui tam distantia convenire, ut quæ discreta natura sunt, in unitatis et pacis vinculum velut individua compactione nectantur? Aut quis hæc videns, possibilitatem rationis infirmo ingenio rimetur? Quæ omnia vis divina, incomprehensibilis humanis mentibus, et ineffabilis sermonibus nostris, voluntatis suæ auctoritate connexuit.

2. 23 Fecit igitur Deus cœlum et terram, et ea quasi auctor esse præcepit, non tamquam figuræ inventor, sed tamquam operator naturæ. Nam quomodo sibi conveniunt operatoria impassibilis Dei virtus et passibilis materiæ natura, tamquam altera ab altera, quo indiguerint, mutuantes? Nam si increata materia, videtur ergo Deo creandæ potestas materiæ defuisse, et ab ea operationi subjacentia mutuata. Si vero incomposita, mirum admodum coeternam Deo materiam decorem sibi non potuisse conferre, quæ substantiam non a creatore acceperit, sed sine tempore ipsa possederit. Plus ergo invenit operator omnium, quam contulit. Invenit materiam, in qua posset operari: contulit autem figuram, quæ decorem inventis rebus afferret. Unde excipiendus a cæteris tamquam **C** dies unus, non conferendus cum cæteris tamquam dies primus est, quo fundamenta rerum omnium posita, et causæ esse cœperunt, quibus mundi hujus atque universæ visibilis creaturæ fulta substantia est. Quare ad secundi diei admiranda opera sermo nobis prodeat, quorum eminentia non secundum tractatus nostri possibilitatem: sed secundum scriptoris veritatem, ad laudem referenda est Creatoris.

3. Vos igitur quæso, ut naturaliter æstimare, quæ dicimus probabiliter, ac simplici mente et sedulo ingenio pensare dignemini, non secundum philosophiæ traditiones, et inanem seductionem ^b suasoria verisimilia colligentes; sed secundum regulam veritatis, quæ oraculis divini sermonis exprimitur, et contemplatione tantæ majestatis fidelium pectoribus **D** infunditur, quia scriptum est: *Confirma me in verbis tuis?* *Narraverunt mihi injusti exercitationes, sed non sicut lex tua, Domine: omnia præcepta tua veritas* (*Psal. cxxviii, 28, 85 et 86*). Non ergo secundum elementorum naturas, sed secundum Christum, qui omnia quæ voluit fecit, abundans plenitudine divinitatis suæ, consideremus quæ facta sunt, et naturæ possibilitatem interrogemus. Neque enim cum in Evange-

lio leprosus curaret, cæcis visum refunderet, populus qui aderat et spectabat illa, medicinæ ordinem recognovit: sed potestatem Domini miratus, *dedit*, ut scriptum est, *Deo laudem* (*Luc. xviii, 43*). Neque secundum numeros Ægyptiorum et concursus siderum, mensuras elementorum extendit manum suam Moyses, ut divideretur mare Rubrum, sed divinæ imperio potestatis obtemperans. Unde et ipse ait: *Dextera manus tua, Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tua, Domine, confregit inimicos* (*Exod. xv, 6*). Illo igitur sancta plebs eleva mentem tuam, et totum animum tuum eo confer. Non sic Deus videt, quemadmodum homo; Deus in corde, homo in facie. Nec sic igitur homo videt, quemadmodum Deus. Audis quia Deus vidit, et laudavit. Noli igitur tuis **B** oculis æstimare quæ facta sunt, opinionibusque colligere: sed quæ Deus vidit et probavit, ea tu retrahenda non putes.

24 CAPUT II.

Firmamentum, ut aquas ab aquis disterneret, creatur. Cœli probantur plures esse, ac cœlestium orbium concentus refellitur.

4. Et dixit Deus: *fiat firmamentum inter mediam aquam, et sit discernens inter aquam et aquam; et factum est sic* (*Gen. 1, 6*). Audi verba Dei, *Fiat* dicit. Jubentis est, non æstimantis. Imperat naturæ, non possibilitati obtemperat, non mensuras colligit, non pondus examinat. Voluntas ejus mensura rerum est. Sermo ejus finis est operis: *Fiat*, inquit, *firmamentum inter mediam aquam*. **C** Firmum est omne quod statuit Deus. Et satis pulchre præmisit: *Fiat firmamentum*, antequam subjiceret *inter mediam aquam*; ut tu prius crederes firmamentum ex præcepto Dei factum, quam de aquarum proflua qualitate dubitares. Si naturam elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? Illæ profluunt, illud constringitur: illæ currunt, hoc manet. *Et sit*, inquit, *discernens inter aquam*. Sed aqua confundere, non discernere solet. Quomodo jubet quod scit secundum elementorum rationem esse contrarium? Sed cum sermo ejus ortus naturæ sit, jure usurpat dare legem naturæ, qui originem dedit.

5. Sed prius consideremus quid sit firmamentum, utrum ipsum sit quod in superioribus cœlum appellavit, an aliud, et sint duo cœli, an plures. Nam sunt qui unum cœlum esse dicant, nec alterius cœli faciendi, cum esset una hyle, ut ipsi aiunt, potuisse suppetere substantiam; quoniam cum omnis superiori cœlo esset expensa, nihil reliqui fuit, quod ad ædificationem secundi cœli tertive proficeret. Alii vero innumeros cœlos et mundos esse asserunt, quos irridet sui. Non enim nobiscum illis major, quam cum suis pugna est, qui geometricis numeris et necessitati-

^a Rom. edit., *aquarum exundantiam coercitam*. A cæteris mss. et edit. abest vox, *coercitam*, et quidem recte; nundum enim congregatæ erant aquæ.

^b Ita vet. edit et mss. non pauci in quibus Big., Colb. et Dion. habent, *Verique similia*. At Vat. cod.

vocem *Verisimilia* non exhibet. Edit. autem Rom. et tres mss. habent *suasorie*. Th. et Reg., *suasuri verisimilia*. Ben. et Corb. prima manu, *suasuræ*... Car. *suasoriæ*, etc., non male. Nam subintelligi potest *disciplinæ*.

bus contendunt probare quod aliud cœlum esse non possit, nec pati naturam uti secundum aut tertium sit, nec operantis virtutem idoneam, ut multos cœlos faceret. Et quis non hanc eorum artificem facundiam irrideat, qui cum ex una atque eadem causa plura ejusdem generis ab hominibus fieri posse non abnuant, de creatore omnium dubitent, utrum plures cœlos facere potuerit, de quo scriptum est: *Domini autem cœlos fecit* (Psalm. xciv, 5). Et alibi: *Omnia quaecumque voluit fecit* (Ps. cxm, 5). Quid enim difficile ei, cui velle fecisse est? Fluitat igitur illis impossibilitatis ratio, cum de Deo disputant, cui vere dicitur: Quia impossibile tibi nihil est.

6. Itaque nos non solum secundum, sed etiam tertium cœlum esse negare non possumus, cum Apostolus raptum se ad tertium cœlum scriptorum suorum B testificatione confirmet (II Cor., ii). David etiam cœlos cœlorum in illo laudantium Dominum constituit choro (Psal. cxlviii). Quem imitantes philosophi quinque stellarum et solis et lunæ, globorum consonum motum introduxerunt, quorum orbibus vel potius globis connexa memorant **25** omnia, quos sibi innexos et velut insertos versari retro et contrario cæteris motu ferri arbitrantur, eoque impulsu et motu ipsorum orbium dulcem quendam et plenum suavitatis atque artis et gratissimi modulaminis sonum reddi, quoniam scissus aer tam artificiose motu, et acuta cum gravibus temperante, ita varios æquabiliter concentus efficiat, ut omnem supergrediatur musici carminis suavitatem.

7. Hujus rei fidem si requiras atque expectes C sensu nobis et auditu probari, hæsitant. Nam si vera forent, quomodo tanto motu orbium concrepante, cum ille cœlestis orbis, cui affixos ferunt stellarum cursus, qui sine intermissione volvuntur, concitatioem habeat conversionem atque acutum sonum excitet, hic autem lunaris gravissimum, non audiretur a nobis, cum leviora audire soleamus? Fidem ergo ejus disputationis si testimonio nostro et auditus munere exigamus probari, referunt obsurdisse aures nostras, et hebetiorem nobis sensum audiendi factum, propter illam a principio nostræ generationis concepti sonitus consuetudinem. Et exemplum afferunt, eo quod Nilus fluviorum maximus, eo videlicet loco ubi se ex altissimis montibus ^a in catadupa illa præcipitat, magnitudine D fragoris sui aures accolarum obstruat, ut audiendi munere carere dicantur. Sed facile his ipsa respondet veritas. Nam qui tonitrua audimus nubium collisione generata, tantorum orbium conversiones, qui majori utique sicut motu ferri æstimantur, ita vehementiores sonitus excitarent, non audiremus? Addunt præterea, ideo sonum hunc non pervenire ad terras, ne capti homines per suavitatem ejus atque dulcedinem, quam celerrimus ille cœlorum effecit motus, ab orientalibus partibus usque in

occasum, propria negotia atque opera derelinquerent, et omnia hic otiosa remanerent, quodam humanæ ad cœlestes sonos mentis excessu. Sed ea quæ sunt aliena a studio nostro, et a divinæ lectionis serie, iis qui foris sunt, relinquamus: nos inhæreamus Scripturarum cœlestium magisterio.

CAPUT III.

Firmamentum non idem esse ac cœlum: veras aquas super ipso residere perperam negari, idque ostendi Scriptura, exemplis, ac multiplici ratione: ubi qui calidam soli naturam inesse nolunt, revincuntur.

8. Propositum igitur nobis est, quia dixit Deus: *Fiat firmamentum inter medium aquæ, et sit discernens inter aquam et aquam.* Et hinc tractatur, utrum hoc firmamentum appellet quod ante jam fecit, de quo scriptum est: *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Nec fallit quod aliqui ante nos ita acceperint, eo quod supra creatum auctore Deo et conditum cœlum Scriptura expresserit, hic expositionem operis, creationisque diffuderit; ut ibi quasi summa operis breviter comprehensa sit, hic operationis qualitas per ipsas concurrentium rerum digesta sit species. Sed movet nos, quia **26** et nomen aliud significatur, et species solidior, et causa discernitur, et persona cooperatoris adjungitur. Sic enim scriptum est: *Et discrevit Deus inter medium aquæ quæ erat sub firmamento, et inter medium aquæ quæ erat super firmamentum* (Gen. i, 7).

9. Et primo volunt id destruere quod frequenti C Scripturarum lectione inolitum nostris et impressum est mentibus, quia aquæ super cœlos esse non possint, dicentes rotundum esse orbem illum cœli, cujus in medio terra sit, et in illo circuitu aquam stare non posse, quod necesse est defluat et labatur, cum de superioribus ad inferiora decursus est. Quomodo enim aqua super orbem, ut aiunt, stare potest, cum orbis ipse volvatur? Hæc est illa versutia dialecticæ. Da mihi unde tibi respondeam. Quod si non detur, nullum verbum refertur. Petunt sibi concedi axem cœli torqueri motu concito, orbem autem terræ esse immobilem; ut astruant aquas super cœlos esse non posse, quod omnes eas volvendo se axis effunderet: quasi vero ut concedam illis quod postulant, et secundum eorum opiniones illis respondeam, negare possint in illa altitudine et profundo et longitudinem esse et latitudinem, quam nemo potest comprehendere, nisi is qui impletur in omnem plenitudinem Dei, ut Apostolus ait (Eph., iii, 18, 19). Quis enim potest facile esse divini operis æstimator? Est ergo latitudo in ipsa cœli altitudine. Sunt etiam, ut de his dicamus quæ scire possumus, pleraque ædificia foris rotunda, intus quadrata, et foris quadrata, intus rotunda, quibus superiora sunt plana, in quibus aqua hædere solet. Quæ tamen ideo dicimus, ut advertant opiniones suas

^a. Mss. plures ac probatiores, *catadyta*, a quibus alii licet corrupti haud longe recedunt. Corb. vetus. Gem. ac Coen. explicationis ergo habent *abdita pro-*

fluvii. Alii vero et edit. legunt *catadupa*, quæ sunt Nili cataractæ, de quibus Cic. in Somnio Scip.

opinionibus verisimillioribus revinci posse, et desiderant tantum opus Dei, humanæ operationis et nostræ possibilitatis contemplatione metiri.

10. Nos autem Scripturarum seriem atque ordinem sequimur, et opus contemplatione æstimamus auctoris, et quid dictum sit quærimus, et quis dixerit, et cui dixerit: *Fiat, inquit, firmamentum in medio aquæ, et sit discernens inter aquas.* Audio firmamentum fieri per præceptum quo divideretur aqua, et ab inferiore superior discerneretur. Quid hoc manifestius? Qui iussit discerni aquam interjecto et medio firmamento, providit quemadmodum divisa atque discreta manere possit. Sermo Dei virtus naturæ est, ^a et diuturnitatis substantia quoad usque velit eam manere qui statuit, sicut scriptum est: *Statuit ea in sæculum sæculi, præceptum posuit et non præteribit (Ps. cXLVII, 6).* Et ut scias, quia de istis aquis hoc dixit, quas tu negas posse in superioribus cœli esse, audi superiora: *Laudate eum, cœli cœlorum, et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini (Ibid. 4, 5).* Nonne quasi adversanti tibi dixit: *Quoniam ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt: statuit ea in sæculum sæculi, præceptum posuit, et non præteribit (Ibid. 5).* An non videtur tibi auctor idoneus, qui legem suo operi daret? Deus est qui dicit, venerabilis natura, inæstimabilis magnitudine, immensus in remunerationibus, incomprehensibilis **27** in operibus, cujus altitudinem sapientiæ quis investigare facilis? Iste dicit Filio, id est, dicit brachio suo, dicit virtuti suæ, dicit sapientiæ suæ, dicit justitiæ suæ. Et facit Filius quasi potens, facit quasi virtus Dei, facit quasi sapientia Dei, facit quasi justitia divina. Cum hæc audis, quid miraris si supra firmamentum cœli posuit tantæ majestatis operatione unda suspendi?

11. De aliis hæc collige, de iis quæ viderunt oculi hominum, quomodo ad Judæorum transitum, si rationem quæris, se unda diviserit. Non solet hoc esse naturæ, ut aqua se discernat ab aqua, et in profundo interfusiones ^b aquarum terræ medio separantur. Gelaverunt enim fluctus, et firmamenti specie cursum suum insolito fine frenarunt. Nonne potuit etiam aliter Hebræum populum liberare. Sed tibi voluit ostendere, ut eo spectaculo etiam illa quæ non vidisti, æstimares esse credenda. Jordanis quoque; reflexo amne, in suum fontem revertitur. ^c Hærere aquam, cum labitur inusitatum; rursum redire in superiora sine ullo repagulo impossibile habetur. Sed quid impossibile ei qui dedit posse infirmis ^d ut infirmus dicat: *Omnia possum ^e in eo qui*

^a Mss. Corb. vet., *diuturnitas substantiæ.* Reliqui mss. et edit. *diuturnitatis substantia.*

^b Tres mss., *aquarum medio*; edit. Rom., *aquarum sine medio.*

^c Edit. Rom., *hærere aquam, cum labitur, sursumque redire*; edit. Pet., Era., Gill., *hærere aquam, et ita sursum redire*; mss. vero ut nos in textu, nisi quod potiores prima manu habent, *usitatum*, secunda *inusitatum.*

^d Ita mss. Corb. vet., Ben. Th. et Carn. Alij et edit.

me confortat (Phil., iv, 15). Dicant certe quemadmodum aer cogatur in nubem, utrum pluvia nubibus generetur, an sinu nubium colligatur. Videmus plerumque exire nubes de montibus. Quæro utrum de terris ascendat aqua; an ea quæ super cœlos est, largo imbri descendat. Si ascendit, illic contra naturam est, ut ascendat in superiora quæ gravior est, et portetur aere, cum aer subtilior sit. Aut si conciti orbis totius motu rapitur aqua, sicut imo orbe rapitur, ita summo orbe diffunditur. Si fundi, ut volunt, non desinit, utique non desinit rapi: ^f quia si axis cœli semper movetur, et aqua semper hauritur. Si descendit; manet ergo jugiter supra cœlos quæ habet unde descendat. Deinde quid obstat si confiteantur quia aqua supra cœlos suspensa sit? Nam quo verbo dicunt terram in medio esse suspensam, et immobilem manere, cum utique gravior sit quam aqua; ea ratione possunt dicere non præcipitari aquam orbis illius cœlestis conversione, quæ super cœlos est. Sicut enim terra inani suspenditur, vel pondere librato undique immobilis perseverat; ita et aqua aut gravioribus aut æquis cum terra ponderibus examinatur. Ideoque non facile superfunditur mare terris, nisi cum jubetur exire.

12. Deinde cum ipsi dicant volvi orbem cœli stellis ardentibus refulgentem, nonne divina providentia necessario prospexit, ut intra orbem cœli, et supra orbem redundaret aqua, quæ illa ferventis axis incendia temperaret? Propterea quia exundat ignis et fervet, etiam aqua exundavit in terris; ne eas surgentis solis et stellarum micantium ardor exureret, et tenera rerum exordia insolitus vapor læderet. Quanti fontes, fluvii, lacus irrigant terras; **28** quia cas internus quidam ignis vaporat? Unde enim aut arbores germinarent, aut frumenta vel sata prorumperent, vel orta coquerentur; nisi eam interior quoque ignis animaret? Qui etiam de saxis frequenter excutitur, et de ipso sæpe, dum cæditur, ligno exsilit. Ergo sicut necessaria ignis creatura, ut ordinata et disposita permaneat, cœlique clementia temperet aquarum rigorem; ita etiam aquarum redundantia non superflua, ne alterum altero consumeretur, quia nisi conveniens utriusque mensura sit, sicut ignis aquam exsiccat, ita et aqua restinguit ignem. Ideoque pondere et mensura examinavit universa; numerata enim sunt ei et stillicidia pluviarum, sicut in libro Job legimus (*Job. xxviii, 25*). Sciens vel rerum facilem defectum fore, vel solutionem universitatis, si alterum exsuperaretur ab altero, ita utriusque temperavit dispendia; ut neque

omnes (excepta Paris. an. 1614, in qua *infirmis*) legunt, *qui dedit posse quibus voluit? Dedit posse infirmitatibus.* Quæ ultima vox si retineatur, non mutabitur sensus. Potest enim dici *infirmitas* pro *infirmo*, ut per metonymiam *senium* pro *sene*, *sacrilegium* pro *sacrilego*.

^e Corb. et Carn., *In Deo qui me confortat.*

^f Sic mss. duodecim; at Big. Vict. unus et Gem., *sicut axis cœli semper movetur, ita aqua semper hauritur*; edit. vero... *semper movetur, et aqua movetur; et aqua semper hauritur.*

plus ignis excoqueret, neque exuberaret aqua: sed imminutio fieret utriusque moderata, quæ et superfluum detraheret, et necessarium reservaret. Itaque cum tanta de terris erumpant maximorum fluentia amnium, Nilus effuso Ægyptum stagnans flumine, Danubius de occidentalibus partibus, Barbarorum atque Romanorum intersecans populos, donec Ponto ipse condatur, Rhenus de jugo Alpium usque in Oceani profunda cursus suos dirigens, Romani memorandus adversus feras gentes murus imperii, Padus maritimum comitatum Italicis subsidiis fidus invector, Rhodanus rapido concitus cursu Thyrrheni æquoris freta scindens, in quo non mediocre fertur navigantium periculum, dum inter se maris fluctus et amnis fluentia decertant, itemque de Septentrionali parte a Phasis Caucasais montibus fusus cum pluribus aliis in Euxinum se præcipitans mare, prolixum est singulorum prosequi fluviorum nomina qui vel in nostrum mare derivantur, vel exinaniuntur Oceano; cum tanta igitur ubertas aquarum sit, tamen plerumque terra meridianæ plagæ torretur ardoribus, atque æstu soluta fatiscit in pulverem, miserandi agricolæ labore consumpto; ut frequenter ad potum, siccatis puteis, arido gurgite subsidium vitale deficiat. Et erit quidem quando dicat abysso: *deserta eris, et omnes fluvios siccabo*, (Esa. XLIV, 27), sicut per Esaiam futurum annuntiavit. Sed etiam antequam ille dies adveniat, b divino præstitutus arbitrio, non minimum inter se ipsa elementorum natura decernit. Crebro itaque aut inundationibus mundus hic quatitur, aut nimio æstu et ariditate vexatur.

13. Noli igitur incredibilem opinari aquarum multitudinem, sed respice ad vim caloris, et incredulus non eris. Multum est quod ignis absorbet: quod vel ex illo nobis debet esse manifestum, cum medici vasa quædam angusta ore, planiora desuper, intus concava, levi lucernæ concepto lumine affigunt corpori quemadmodum 29 calor ille omnem in se rapiat humorem? Quis igitur dubitet quod ignitus æther, et magno fervens vapore inflammaret atque exureret omnia, nisi lege quadam sui cohiberetur auctoris, ut nec flumina, nec lacus, nec ipsa maria vim ejus possent restringere? Et ideo desuper aqua impetu quodam descendens, in tantos plerumque imbres rumpitur, ut flumina et lacus repente repleantur, ipsa maria exundent. Unde frequenter et solem videmus madidum atque rorantem. In quo evidens dat indicium, quod alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumpserit.

14. Tantum autem inest illis impugnandæ veritatis studium, ut solem ipsum negent calidæ naturæ esse; eo quod albus sit, non rubicundus, aut rutilus in speciem ignis. Et ideo aiunt quod nec ignitus natura sit, et si quid habet caloris, ferunt ex nimio motu conversionis accidere. Quod ideo dicendum

a. Mss. Vat. duo *Tanais*; Big. *Eusis*; Viet. unus, Gem., Cæn., Corb. unus *Euxis*...; mss. septem *præcipitat*; reliqui, ac edit. omnes, *præcipitans*.

putant, ut nihil videatur humoris consumere: quia calorem quo humor vel minuitur, vel plerumque exhauritur, non habet naturalem. Sed nihil agunt, cum ista componunt; quia nihil interest, utrum ex natura calorem quis habeat, an ex passione, aut aliqua ex causa; quia ignis omnis consumptor humoris est, vel hujus modi materiæ, quam flamma consuevit exurere. Nam sive ex lignis laud quaquam semiustulatis, sed inter se collisis, ignis excussus excipiat foliis, etiam flamma adolet, ac si de igne accendas facem: sive de flammæ lumine lumen accendas, eadem species et natura est luminis, ac si illud non naturalis ignis adoleverit, sed accidens causa generaverit. Vel hinc saltem contemplentur solis calorem, quo diversa ei Deus constituit cursus sui loca et tempora; ne si semper in iisdem moraretur locis, quotidiano ea vapore exureret. Mare ipsum ideo ferunt ipsi salsam atque amaram aquam habere, quod ea quæ fluviis in freta influat, calore absumatur, tantumque vapore diurno consumi, quantum quotidie ex diversis fluviorum cursibus invehatur. Quod ex solis quadam dijudicatione fieri perhibetur, qui quod purum ac leve est, sibi rapit, quod grave atque terrenum, relinquit: ex quo remanet salsum illud atque aridum, quod sine usu ac suavitate potandi sit.

CAPUT IV.

Cælum, nomen commune; speciale vero, firmamentum: et unde vox utraque desumpta. Hinc cæli acceptiones nonnullæ; et ad extremum cum cælorum ac firmamenti, tum aquarum moralis interpretatio.

15. Sed revertamur ad propositum: *Fiat firmamentum inter medium aquæ*. Non moveat, 30 sicuti jam dixi, quia supra cælum ait, hic dicit *firmamentum*; quoniam et David dicit: *Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Ps. xviii, 1), hoc est, mundi opus cum videtur, suum laudat auctorem. Invisibilis enim majestas ejus per ea quæ videntur, agnoscitur. Et videtur mihi nomen cælorum commune esse, quia plurimos cælos Scriptura testificatur, nomen autem esse speciale, firmamentum. Siquidem et hic ita habetur: *Et vocavit Deus firmamentum cælum* (Gen. 1, 8), ut videatur supra generaliter dixisse, in principio cælum factum, ut omnem cælestis creaturæ fabricam comprehenderet: hic autem specialem firmamenti hujus exterioris soliditatem, quod dicitur cæli firmamentum, sicut legimus in hymno prophetico: *Benedictus es in firmamento cæli* (Dan. iii, 56). Nam cælum, quod οὐρανός Græce dicitur, Latine, quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tamquam cælatum appellatur: sicut argentum quod signis eminentibus refulget, cælatum dicimus, οὐρανός autem c. ἀπὸ τοῦ ὀραῖσθαι dicitur, quod videatur Igitur

b Vel. edit. ac mss. aliquot, *Divino præfectus arbitrio*.

c Edit. Era. et sequentes: ἀπὸ τοῦ ὀραῖν ἄνω (Rom.

terræ, quæ obscurior est, οὐρανὸς nuncupatur, quia lucidus est, tamquam visibilis. Unde puto et illud dictum: ^a *Volatilia cœli semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (Gen. I, 20). Et: *volatilia circa firmamentum cœli*; eo quod potestates, quæ sunt in illo visibili loco, spectent hæc omnia, et subjecta suis habeant conspectibus.

16. Denique clausum cœlum dictum est temporibus Eliæ quando in Achab et Jezabel perfidia regnabat, cum populus regali sacrilegio deserviret, eo quod nemo ad cœlum oculos erigebat, nemo ejus auctorem venerabatur, sed ligna et lapides adorabant. Unde hoc colligimus? Quia et in maledictionibus populi Israel dixit Deus: *Erit tibi cœlum super caput tuum æneum, et terra tua ferrea* (Levit. xxvi, 19), quando pretium perfidiæ luens populus Judæorum, intemperie cœli, et terræ infecunditate mulctatur; de cœlo enim causa fertilitatis. Denique et Moyses benedictiones tribui Joseph a finibus cœli et rore abyssi fontium deorsum, ^b et secundum horam a solis cursu, et a convenientibus mensibus, et a vertice montium et collium æternorum dedit, eo quod moderatione cœlesti terrarum fecunditas nutriatur. Ferreum ergo cœlum, quod nullum exsudat humorem, quando ^c nullis nubibus imber rumpitur. Est etiam ferreum cœlum subobscurus aer, pressus atque nebulosus colore ferrugineo, quando rigore frigoris stringitur terra, tunc veluti super caput nostrum humor suspensus videtur, et per momenta imminere. Plerumque etiam glacialibus ventorum flatibus rigentes aquæ consolidantur in nivem, et rupto aere nix funditur. Neque enim firmamentum hoc potest sine aliquo ^d rumpi fragore. Ideo et firmamentum **31** dicitur, quod non sit invalidum, nec remissum. Unde et de tonitribus, quæ concepto intra sinum nubium spiritu cum se vehementer ^e erupturus eliserit, magno concrepant sonitu, ait Scriptura: *Firmans tonitrua* (Amos. iv, 15). A firmitate ergo firmamentum est nuncupatum, vel quod divina virtute firmatum sit, sicut Scriptura nos docet, dicens: *Laudate eum in firmamento virtutis ejus* (Ps. cl, 1).

17. Nec præterit retulisse aliquos cœlos cœlorum ad intelligibiles virtutes, firmamentum ad operatorias. Et ideo laudare cœlos, vel enarrare gloriam Dei, annuntiare firmamentum: sed non quasi spiritalia, sed quasi opera mundi enarrant, quemadmodum supra diximus. Alii quoque purificatorias virtutes interpretati sunt aquas, quæ super cœlos sunt. Accipimus hæc quasi ad tractatus decorem: nobis

addit, vel ὄρασθαι quod videatur τὴν ὄλην ὄραν ἄνωθεν γῆν. Mss. ἀπὸ τοῦ ὄρασθαι dicitur, quod videatur. Mss. quinque probatissimi . . . quod dividitur. At quæ sequuntur græca verba, ita confuse scribuntur, ut a nemine eorum quos consulimus, legi potuerint. Subodoramur tamen per hæc nonnihil de divisione cœli a circulo horizonte signata indicari.

^a Edit. nonnullæ Paris. *volatilia cœli, et volantia super terram, secus firmamentum cœli*. LXX . . . ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ τὸ στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ. Hic autem significari angelos clare ostenditur ex Ambrosio l. 1 de Interpell., c. 9. Eadem metaphora usum repe-

A tamen non alienum videtur atque absurdum, si aquas veras propter illam causam, quam diximus, intelligamus. Nam et ros et gelu et frigus et æstus, secundum hymnum propheticum benedicunt Dominum, benedicit et terra (Dan. iii, 64 et seq.): et illa non ad intelligibiles naturas referimus, sed ad veritatem. Laudant etiam dracones Dominum (Ps. cxlviii, 7); quia natura eorum et species cum videtur, non minimum vel decoris offundit, vel inesse rationis ostendit.

CAPUT V.

Quam perfecta Patris ac Filii in operibus suis conjunctio. Videre in Deo idem atque approbare. Opus laudare partibus nondum absolutis Deo proprium.

B 18. *Et vidit Deus quia bonum* (Gen. I, 3). Facit Filius, quod vult Pater: laudat Pater, quod facit Filius. Nihil in illo naturæ degeneris invenitur, cujus opus a paterna non degenerat voluntate. Vidit utique, non oculis corporalibus intendit: sed definit plenitudini gratiæ convenire, ut mihi ejus judicium cognosceretur; nos enim solemus etiam de iis, quæ divina sunt, disputare. Et quid mirum si de opere retractare possint, qui de ipsius operatoris generatione faciunt quæstiones? Ipsum in judicium vocant, ipsum inæqualem atque degenerem asserere conantur. Ideo legis: *Et dixit Deus, et fecit Deus*. Eodem Pater et Filius majestatis honorantur nomine. *Et vidit Deus quia bonum*. Dixit tamquam omnia quæ Pater vellet scienti, et vidit tamquam omnia quæ Filius faceret scientia tenens, et efficiens operatione consorti.

19. *Vidit quia bonum*. Non utique cognovit quod nesciebat, sed probavit quod placebat. Non quasi incognitum placuit opus; quia nec quasi incognitus Pater qui complacuit in Filio, sicut scriptum est: *Hic est Filius meus dilectus, in 32 quo mihi complacui* (Matth. iii, 17). Scit autem semper Filius voluntatem Patris, et Pater Filii, et audit Patrem Filius semper, et Pater Filium per unitatem naturæ, voluntatis atque substantiæ. Denique testatur hoc in Evangelio suo Filius, dicens ad Patrem: *Sciebam quia semper me audis* (Joan., xi, 42). Imago est enim invisibilis Dei Filius. Omnia Patris quasi imago exprimit, omnia ejus quasi splendor gloriæ illuminat, atque nobis manifestat. Videt et Filius Patris opus, sicut et Pater Filii; sicut et ipse Dominus declaravit: *Non potest Filius facere a se quidquam, nisi quod viderit facientem Patrem* (Joan. v, rias beatum Job. xxviii, 2; videsis glossam interl. ad istum locum.

^b Illa plures ac potiores mss. at recentiores aliquot atque edit., *a finibus cœli, et rore, et abyssi fontium deorsum venientibus*; Vulg. *de pomis cœli et rore atque abyssu subjacente*; LXX, ἀπὸ ὀρῶν οὐρανοῦ, καὶ δρόσου, καὶ ἀπὸ ἀβύσσων πηγῶν κάτωθεν.

^c Rom. edit., *nullus nubibus imber erumpit*.

^d Post voces: *rumpi frangore*, additur in edit. *aut penetrari*. Et num. 17, post: *gloriam Dei*, additur in eisdem: *et opera manuum ejus*. Utrumque deest in mss.

^e Omnes edit., *eruptura eliserint*.

19). Videt ergo facientem Patrem, et videt per A secretum invisibilis naturæ; et audit similiter. Denique ait: *Sicut audio, iudico, et iudicium meum verum est; quia non sum solus, sed ego, et qui misit me Pater (Joan. viii, 16).*

20. Hoc mysticum est, illud morale. Vidit mihi, probavit mihi. Quod Deus probavit, tu reprehensibile ne dixeris; quoniam *quod Deus mundavit, tu commune ne dixeris (Act. x, 15)*, scriptum tibi esse meministi; ergo ^a bonum Dei nemo blasphemet. Si firmamentum bonum, quanto magis bonus ejus creator; etiamsi Ariani nolint, Eunomiani reclamant, radicis degeneris fructus deterior.

21. Vidit, inquit, *Deus quia bonum*. Solent artifices singula prius facere, et postea libili commissione connectere: ut qui vultus hominum vel corpora excidunt de marmore, vel ære fingunt, vel ceris exprimunt, non tamen sciunt quemadmodum sibi possint membra singula convenire, et quid gratiæ afferat futura connexio; et ideo aut laudare non audent, aut pro parte laudant. Deus vero tam-

^a Codex Big. et Gem., *bonum nomen Dei nemo blasphemet*. Alii quatuor . . . *ne blasphemēs*.

quam æstimator universalitatis, prævidens quæ futura sunt, quasi perfecta jam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt; finem operis cognitione præveniens. Nec mirum si apud quem rerum perfectio, non in consummatione operis, sed in suæ prædestinatione est voluntatis, laudat singula, quasi convenientia futuris: laudat plenitudinem singulorum venustate compositam. Illa est enim vera pulchritudo; et in singulis membris esse quod deceat, et in toto; ut in singulis gratia, in omnibus formæ convenientis plenitudo laudetur.

22. Sed jam etiam secundus nobis claudatur dies, ne dum opus astruimus firmamenti, infirmiores eos, qui audiunt, dicendi prolixitate faciamus; dum in noctem sermo producit, quæ adhuc carens lûnæ, stellarumque lumine, nondum enim luminaria creata sunt ^b cæli; obscuritatem possit afferre remeantibus: simul ut cibo, potuque curentur corpora, sic animis epulantibus, fragilitas carnis de nocturno quoque jejuniis conqueratur.

^b Mss. quatuor, *quæ cæli obscuritatem possint afferre remeantibus*.

LIBER TERTIUS.

DE OPERE TERTII DIEI.

33 CAPUT I. (Sermo IV.)

Cum aquæ divino obediant imperio, homines eidem non parere flagitiosum. In aquarum congregatione Ecclesiæ figuram exprimi. Quam præclarum spectaculum exhibeat eadem Ecclesia; et quomodo super flumina fundata sit.

1. Dies tertius nobis hodie in sermone nascatur, qui ortus est in lectione: Præclarus dies, qui terram a naufragio liberavit, dicente Deo: *Congregetur aqua quæ est sub cælo in congregatione una (Gen. 1, 9)*. De quo præfationem adorari placet. *Congregetur aqua* dictum est, et congregata est; et frequenter dicitur, *Congregetur populus*, et non congregatur. Non mediocris pudor est imperio Dei insensibilia elementa parere, et homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est auctore. Et fortasse hic pudor fecerit, ut hodie plures conveniretis; ne quo die congregata est aqua in congregationem unam, eo die populus nequaquam congregatus in Ecclesiam Domini videretur.

2. Nec hoc solum obedientis aquæ exemplum habemus; nam et alibi scriptum est: *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt (Ps. LXXVI, 17)*. Neque enim verisimile non videtur de aquis dictum; quando alibi quoque idem propheta ait: *Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum (Ps. cxiii, 3)*. Hoc enim vere factum quis ignorat, quod ad Hebræorum transitum mare fugerit, quando se unda divisit; transivit populus pulverulento vestigio, perisse mare credens, fugisse fluctus? Denique

credidit hoc Ægyptius, et ingressus est: sed illi rediit unda, quæ fugerat. Novit ergo aqua et congregari, et timere, et fugere, quando Deus præcipit. Hanc imitemur aquam et unam congregationem Domini, unam Ecclesiam noverimus.

3. Congregata est hic quondam aqua ex omni valle, ex omni palude, ex omni lacu. Vallis est hæresis, vallis est gentilitas; quia Deus montium est, non vallium. Denique in Ecclesia exsultatio est, in hæresi et gentilitate fletus et moeror. Unde ait: *Disposuit in convalle fletus (Ps. LXXXIII, 6 et 7)*. Ex omni igitur valle congregatus est populus catholicus. Jam non multæ congregationes sunt, sed una est congregatio, una Ecclesia. Dictum est et hic: *congregetur aqua ex omni valle, et facta est congregatio spiritalis, et factus est unus populus; ex hæreticis et gentibus repleta Ecclesia est*. Vallis est scena, vallis est circus, ubi currit mendax equus ad salutem, ubi vilis **34** et abjecta contentio, ubi litium foeda deformitas. Ex his igitur qui circo inhærere consueverant, fides crevit Ecclesiæ, quotidianus cœtus augetur.

4. Palus est luxuria, palus est intemperantia, palus est incontinentia: in qua volutabra libidinum sunt, bestiarum inurmura, latibula passionum: ubi mersantur quicumque inciderint, et non emergunt: ubi labuntur pedum vestigia, fluitant singulorum incessus: ubi fulicæ se dum lavant, polluunt: ubi flebiles desuper gemitus columbarum: ubi pigra testudo cœnoso hæret in gurgite; denique aper in palude, cervus ad fontes. Ex omni igitur palude, ubi quasi ranæ veterem querelam canebant, congre-

gata est fides, congregata est puritas animi, mentisque simplicitas.

5. Congregata est aqua ex omni lacu, et ex omni fovea, ut nemo fodiat foveam fratri suo, in quam ipse incidat: sed omnes se invicem diligant, omnes se invicem foveant, et quasi unum corpus diversa se membra sustentent: quos non mortiferi cantus^a, et acromata scenicorum quæ mentem emolliant ad amores, sed concentus Ecclesiæ, et consona circa Dei laudes populi vox et pia^b vita delectet: quibus non purpurea peripetasmata, non aulaea pretiosa spectare voluptati sit, sed hanc pulcherrimam mundi fabricam, hanc distantium inter se elementorum copulam, cælum sicut cameram extensum, ut inhabitantes in hoc mundo tegat, terram ad operandum datam, diffusum aerem, clausa maria, populum hunc^B divini operationis organum; in quo divini modulamen resultat oraculi; et Dei spiritus intus operetur, templum istud sacrarium Trinitatis, sanctitatis domicilium, Ecclesiam sanctam, in qua refulgent aulaea cœlestia, de quibus dictum est: *Dilata locum tabernaculorum tuorum, et aulaeorum tuorum: fige, ne percas: longiores fac funiculos tuos, et palos tuos confirma: adhuc in dexteram et sinistram extendere, et semen tuum gentes hereditate possidebit; et civitates desertas inhabitabis* (Esa. LIV, 2 et 3). Habet ergo aulaea, quibus attollit vitam bonam, peccata tegit, culpam obumbrat.

6. Hæc est Ecclesiæ quæ super maria fundata est, et super flumina præparata. Supra vos enim confirmata est et præparata, qui sicut flumina puro in^C eam mundi fonte decurritis, de quibus dictum est: *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam a voce aquarum multarum* (Ps. xcii, 3). Et addidit: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus* (Ib. 4) Bona flumina; hausistis enim ex illo perenni et pleno fonte^d, quo **35** fluistis qui ait vobis: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (Joan. vii, 38). Hoc autem dicebat de spiritu, quem incipiebant accipere, qui credituri erant in eum. Sed jam quasi boni Jordanis fluentia revertimini mecum in originem.

CAPUT II.

Terram superfusus aquis prius invisibilem, iisdem unum in locum confluentibus apparuisse. Stabilita-

^a Mss. aliquot: *mortiferi cantus cromatum scenicorum*. Non male. Est enim *croma* seu potius *cruma* musicorum instrumentorum sonus ἀπὸ τοῦ κροῦσαι, hoc est, *pulsare*. Alii magno numero:.. *et acromatum scenicorum*. Melius edit.... *et acromata scenicorum*. Fit autem eā vox ἀπὸ τοῦ ἀκροῖσθαι, id est, *audire*, ac nonnumquam pro recitatione et cantu sumitur. Sed fieri potuit ut vox *acromatum* Ambrosii tempore apud populum in usu esset.

^b Sic omnes mss. excepto Reg., qui sicut et omnes edit. præfert, *et pia vota delectent*.

^c Edit. Rom. et pauci lique non magnæ auctoritatis mss. *undique fonte decurritis* alii et edit. vet. *mundi fonte decurritis*, id est, purgati ab hæreseos ac gentilitatis erroribus.

^d Ita mss. non pauci. Alii nonnulli: *a quo fluistis*,

tem de postea fluiditatem aquis inditam divina potestate, quæ variis exemplis astruitur. Quam mirum aquas omnes uno loco contineri; illisque suos limites a Deo præfigi potuisse.

7. *Congregetur*, inquit, *aqua quæ sub cælo est in congregationem unam, et appareat arida. Et factum est sic.* Fortasse parum crediderit aliquis superioribus sermonibus nostris, quibus tractavimus invisibilem ideo fuisse terram, quod aquis operata tegetur, ut corporeis oculis videri non posset. Ad se enim propheta retulit, hoc est, ad nostram conditionem, non ad divinæ majestatis naturæ, quæ utique omnia videt. Sed ut advertatis quia non quasi nostri ingenii probandi gratia, sed vestræ causa instructionis suscepimus hunc tractandi^e laborem^e adstipulantem nobis lectionis seriem testificamur, quæ aperte probat post congregationem aquæ quæ erat super terram, et post derivationem ejus in maria, apparuisse aridam. ^f Desinant ergo nobis dialecticis disputationibus movere negotia dicentes: Quomodo terra invisibilis, cum omni corpori naturaliter et species et color insit, omnis autem color sit subjectus aspectui? Clamât Dei vox: *Congregetur aqua et appareat arida.* Et iterum Scriptura dicit: *Congregata est aqua in congregationem unam, et apparuit arida.* Quid opus fuit iterare, nisi occurrendum quæstionibus judicasset propheta? Nonne videtur dicere: Non dixi invisibilem secundum naturam, sed secundum superfusionem aquarum? Denique addidit sublato velamine apparuisse aridam, quæ ante non videbatur.

8. Iterum quoque^g quæstiones alias serunt dicentes: Si in congregationibus diversis aqua erat, quomodo si illæ congregationes in superioribus erant, non defluebat aqua in eum locum, ^h ad quem post Domini imperium derivata est? Natura enim aquarum sponte in inferiora prolabitur. Sin vero in inferioribus erant illæ congregationes, quomodo contra naturam suam aqua ad superiora conscendit? Itaque ⁱ aut naturalis cursus imperio non egit: aut contra naturam imperio proficere non potuit. Cui quæstioni facile respondebo, si mihi ipsi ante respondeant ante præceptum Domini hanc aquarum fuisse naturam ut laberetur, ut flueret. Non enim ex usu hoc habet cæterorum elementorum, sed speciale et proprium: non ex quodam ordine, sed magis ex voluntate et^D operatione Dei summi. Quid jusserit Deus audiunt.

qui, etc., aut cum edit. Rom., a quo fluit is qui, etc. Aliquot etiam, et vet. edit., *a quo fluistis, quod fluistis, qui, etc.*

^e Paris: aliquot edit., *astipulatur nobis lectionis series, quæ, etc.* Aliæ omnes et multi mss., *astipulante nobis lectionis serie testificamur, quæ; Rom. edit.... testificantur ea quæ, etc.* Reliqui vero mss. auctoritate superiores nec numero pauciores, ut nos in textu.

^f Omnes edit. cum paucis mss., *Desinant ergo nobis, qui dialecticis.... negotia solent, dicentes.*

^g Amerb. et Eras: cum mss. nonnullis, *quæstiones alias afferunt.*

^h Edit. omnes et mss. aliquot, *Ad quem postea Domini imperio derivata est.*

ⁱ Omnes edit. et quidam mss., *aut secundum naturales cursus.*

36 Vox autem Dei, efficiens naturæ^a est. Eam vocem effectus operationis implevit. Cœpit labi aqua, et in unam confluere congregationem, quæ ante erat diffusa per terras, et plurimis receptaculis inhærebat. Cursum ejus ante non legi, motum ejus ante non didici, nec oculus meus vidit, nec auris audivit. Stabat aqua diversis locis, ad vocem Dei mota est. Nonne videtur quia naturam ei hujusmodi vox Dei fecit? Secuta est creatura præceptum, et usum fecit ex lege. Primæ enim constitutionis lex formam in posterum dereliquit. Denique semel diem fecit et noctem: ex illo manet utriusque diuturna successio, et diuturna reparatio. Jussa est etiam aqua currere in congregationem: ex illo currit, fontes labuntur in fluvios, in freta currunt flumina, lacus derivantur in maria, ipsa se aqua præcedit, urget, et sequitur. Unus est ductus, unum corpus. Et cum sit altitudo diversa; indiscreta tamen dorsi ejus æqualitas. Unde et æquor appellatum arbitror,^b quod superficies ejus æqualis sit.

9. Respondi secundum illorum propositum; illi nunc respondeant mihi, si numquam viderint fontes ex inferioribus scaturire, de pavimento aquam surgere. Quis eam cogit? Unde prorumpit? Quemadmodum non deficit? Quomodo fit^c ut ima soli ora undam vomant? Hæc secundum occultæ secreta naturæ. Cæterum quis ignorat quod rapido plerumque impetu in ima descendens, in superiora se subrigat, atque in supercilium montis attollat; plerumque etiam canalibus manu artificis derivata, quantum descenderit, tantum rursus ascendat? Itaque si vel impetu suo fertur, vel artificis ingenio contra naturam suam ducitur et elevatur, miramini si divini operatione præcepti aliquid ad usum naturæ ejus accessit, quod in usu ante non fuerit? Dicant nunc mihi quomodo tamquam in utrem congregaverit aquas maris (Ps. xxxii, 7), ut scriptum est, quomodo eduxerit de petra aquam? Qui potuit de petra educere aquam quæ non erat, non potuit aquam educere quæ erat? Percussit petram, et fluxerunt aquæ (Ps. lxxvii, 20), clamat David, et torrentes inundaverunt. Et alibi: Super montes stabunt aquæ (Ps. ciii, 6). Habes in Evangelio (Matth., viii, 24 et seq.), quod cum gravis esset procella, et magnus in mari motus, ita ut trepidarent apostoli naufragii periculum, excitaverunt dormientem in puppi Dominum Jesum, et surgens imperavit vento et mari, sedata est tempestas, refusa tranquillitas. Qui potuit imperio mare totum sedare, non potuit aquas imperio movere? Atqui in diluvio sic accepimus, quod eruperint abyssi fontes (Gen. vii, 11), et quod induerit postea spiritum, et siccaverit aquam (Gen. viii, 1):

^a Vet. edit. omnes, ac Paris. nonnullæ cum duobus aut tribus mss., *efficiens natura est*. Mss. aliquot optimæ notæ, *effigies naturæ est*. His tamen anteponendi alii et aliquæ edit. Sanctus enim expressum voluit illud Basilii, *φύσεως ἐστὶ ποιητικὴ*.

^b Quidam mss., *quod in superficie ejus æqualitas sit*.

^c Mss. aliquot, *ut ima ac solidiora*. Alii ac edit. omnes: *ut ima solidiora*. Corb., Carn., Ben. et Th., *ut ima soli ora*. Germ. *ut ima soli*.

A si nolunt obedisse naturam, usumque elementi imperio Dei esse conversum; vel hoc concedant potuisse immisso vento aquas currere, quod quotidie videmus in mari, ut inde aquæ currant, unde flaverit ventus. Si tempore Moysi excitato Austro valido siccatum est mare, eodem modo sicari non potuit congregatio aquarum, et **37** in mare profluere aqua, quæ postea divisa est^d a profundo (IV Reg., vi, 6)? Sed discant naturam posse converti, quando petra aquas fluxit, et ferrum aquæ supernatavit, quod utique Elisæus orando facere meruit, non imperando. Si igitur Elisæus ferrum levavit contra naturam, Christus aquas movere non potuit? Sed movit, qui potuit dicere: *Lazare, veni foras* (Joan. xi, 23), et mortuum suscitavit; Deus enim quod jubet, facit.

B Itaque pari exemplo dictum accipe: *Congregetur aqua, et congregata est*. Dicendo autem *congregetur*, non solum movit eam de loco: sed etiam statuit in loco, ut non præterflueret, sed maneret.

10. Hoc itaque majoris miraculi est, quomodo omnes congregationes in unam congregationem defluerint, et una congregatio non adimpleta sit. Nam et Scriptura hoc inter mirabilia constituit, dicendo: *Omnes torrentes eunt in mare, et mare non adimpletur* (Eccl. i, 7). Utrumque igitur ex præcepto Dei, ut fluat aqua, et non superfluat. Circumscripta igitur imposito fine maria clauduntur, ne superfusa terris inundent omnia, et destituto arborum cultu, munus terrenæ fecunditatis impediunt; cognoscant igitur divini esse præcepti, operationisque cœlestis. Ait enim Dominus per nubem ad Job inter alia etiam de maris claustro: *Posui ei fines, apponens claustra et portas. Dixi autem ei: Usque huc venies, nec transgredieris, sed in te ipso conterentur fluctus tui* (Job. xxxviii, 10). Nonne ipsi videmus mare frequenter undosum, ita ut in altum fluctus ejus tamquam mons aquæ præruptus insurgat, ubi impetum suum ad litus illiserit, in spumas resolvi, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum, secundum quod scriptum est: *Aut non timebitis me, dicit Dominus, qui posui arenam fines mari* (Hier. v, 22)? Infirmissimo itaque omnium^e vilis sabulonis pulvere vis maris intempesta cohibetur, et velut habenis quibusdam cœlestis impeiri præscripto sibi fine revocatur, violentique æquoris motus in sese frangitur,^f atque in reductos sinus suos scinditur.

11. Cæterum nisi vis statuti cœlestis inhiberet, quid obstaret quin per plana Ægypti, quæ maxime humilioribus jacens vallibus campestris asseritur, mare Rubrum Ægyptio pelago misceretur? Denique docent hoc qui voluerunt hæc duo sibi maria conne-

^d Edit. cum paucis mss., *divisa est in profundo*; melius reliqui mss., *a profundo*, id est, ab imo ad summum.

^e Edit. omnes: *vilis sabuli pulvere vis maris in tempestate cohibetur*. Mss. omnes: *vilis sablonis aut sabulonis* . . . Carn., Corb., Ben., Th., Germ. et Reg. *intempesta*: alii vero ut edit. *in tempestate*.

^f Dion. cod., *atque reductus in sinus suos scinditur*.

etere, atque in se transfundere. Sesostris Ægyptius, qui antiquior fuit, et Darius Medus, qui majoris contuitu potentiæ in effectum voluit adducere, quod ab indigena fuerat ante tentatum. Quæ res indicio est, quod superius est mare Indicum, in quo mare Rubrum, quam æquor Ægyptium quod inferius alluit. Et fortasse ne latius se mare effunderet, de superioribus ad inferiora præcipitans, ideo molimina sua rex uterque revocavit.

38 CAPUT III.

Collectionem aquarum unam et continuam esse, nomina vero pro diversitate regionum diversa. Quomodo locum aquis, toto orbe diffusis, Deus paraverit. Item de lacubus et stagnis sub una congregatione comprehensis.

12. Quæro nunc, cum dixerit: ^a *Colligatur aqua in collectionem unam*; quomodo diffusas per lacus, paludes, stagna, aquas, et superfluas vallibus et campis omnibusque planioribus locis, currentes fontibus atque fluminibus, una potuerit recipere collectio: aut quomodo una collectio, cum hodieque diversa sint maria? Nam et Oceanum mare dicimus, et Tyrrhenum, et Adriaticum, et Indicum, et Ægyptium, et Ponticum, et Propontidem, et Hellespontum, et Euxinum, Ægæum Ionium, Atlanticum. ^b Plerique etiam Creticum, et Septentrionale Caspium appellant mare. Unde consideremus Scripturæ verba, quæ librato sunt trutinata examine.

13. *Colligatur, inquit, aqua in collectionem unam.* Una aquarum, jugisque et continua congregatio est, sed diversi sinus maris, ut quidam de Scriptoribus forensibus ait (*Plat. in Timæo*). Namque pontus ^c maris nostri sinus amplissimus, meritoque in diversis locis diversa sunt nomina, quia vocabulâ aquis, ex regionum vocabulis adhæserunt. Una autem congregatio aquarum, eo quod jugis unda atque ^d continua ab Indico mari usque ad Gaditani oram littoris, et inde in mare Rubrum ^e extremo circumfusa orbem terrarum includit Oceano: interius quoque Tyrrheno Adrias, Adriæ cætera maria miscentur, nominibus distincta non fluctibus. Unde pulchre habes, quia Deus congregationes aquarum vocavit maria (*Gen. 1, 10*). Ita et una est generalis collectio, quæ dicitur mare, et multæ collectiones quæ maria pro regionibus nuncupantur. Sicut enim multæ terræ, ut Africa, Hispania, Thracia, Macedonia, Syria, Ægyptus, Gallia,

^a Ita vet. edit. et cuncti fere mss. nec non infra num. 13. Edit. autem Rom. cum mss. uno aut altero: *congregetur*, etc., ut initio cap. 2, et infra cap. 4, in quibus locis eidem omnes mss. atque edit. concinunt.

^b Rom. edit. *Plerique etiam Balticum septentrionale et Caspium*, etc.

^c Edit. omnes et mss. plerique: *portus maris nostri*, etc. Corb. tamen et alii quinque optimæ notæ: *pontus*. Et forte eodem modo dici possit, *pontus maris*, quo usurpatur, *solum terræ*, et similia.

^d Rom. edit., *continua a Pontico mari*, etc.

^e Mss. aliquot et edit. Am. atque Era. *extrema circumfuso orbem*, quidam mss. *orbe*, etc. Alii aliquot

atque Italia pro regionum appellantur vocabulis, et una est terra: ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria, et unum est mare, sicut ait propheta, dicens: *Tui sunt cæli, et tua est terra, orbem terrarum et plenitudinem ejus tu fundasti, Aquilonem et mare tu creasti* (*Ps. LXXXVIII, 12*). Et ad Job ipse Dominus ait: *Conclusi autem mare portis* (*Job. xxxviii, 8*).

14. Nunc quia de una collectione diximus, illud occurrit; utrum cum per omnem fere terram et super terram ^f fuerint diffusæ aquæ per vallestria agrorum, concava montium, planitiemque camporum, modo æquoris fusa congregatio una potuerit omnes illas aquas recipere atque exinanire terras, quæ ante fuso per universum flumine stagnabantur.

^B Nam si ita operta erant omnia; non enim diceret, visa est terra, ³⁹ nisi relectam vellet locis omnibus demonstrare. Si diluvium Noe tempore abscondit et montes, quando aquarum jam et super cælos et infra firmamentum fuerat facta discretio; quanto magis dubitari non potest etiam montium vertices illa superfusione latuisse? Quo igitur illa omnis aquarum redundantia derivata est? Quæ receptacula eam tam continua atque connexa absorbere potuerunt? De quo multus nobis potest sermo suppetere.

15. Primum quia potuit creator omnium et ipsarum terrarum spatia diffundere; quod aliqui ante nos confirmantes, ^g propria posuerunt sententia. Ego quid facere potuerit, non prætermitto: quid fecerit quod aperte Scripturarum auctoritate non didici, quasi secretum prætereo, ne forte etiam hinc alias sibi quæstiones requirant. Assero tamen secundum Scripturas, quia potuit locorum humilia, et camporum aperta diffundere, sicut ipse ait: *Ego ante te ambulabo, et montes planos faciam* (*Esa. XLV, 2*). Potuit etiam ipsa aquarum vis profundiora ea facere, quæ insederat: tanto fluctuum motu, tantoque æstu concitatoris elementi, qui quotidie ima pelagi torquere, et arenas, vertere soleat de profundo. ^h Quis deinde sciat, in quantum se illud magnum et inausum navigantibus atque intentatum nautis fundat mare, quod Britannias frementi includit æquore, atque in ulteriora et ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit? Quis deinde non colligat quantum Lucrino et Averno in Italia, Tiberiadi quoque in Palæstina, et ei lacui qui inter Palæstinam et Ægyptum Arabiæ deserta protendit, portibusque diversis Au-

et edit. Rom. *extremo circumfuso orbem*, etc. Alii denique et edit. Gill. ut nos in textu. Ibidem mss. Vict. unus, Colb. et Big. *includit Oceanus*.

^f Sic antiquæ edit. et plures mss. Aliqui habent *fusa congregatione una*. Reg. *fusas congregatio una*. Non aspernanda lectio. Verum edit. Rom. totum locum ita consarcinat: *per omnem fere terram fuerint vallestria*.

^g Codex Ben. et Coen., *proprias posuerunt sententias*. Vat. et Colb. unus, *propriam*, etc. His accedit Dion. qui adjicit: *Ego quid facere potuerit nescio; non prætermitto*, etc.

^h Omnes edit., *Quis deinde colligat*. Sed in cunctis mss. habetur negatio.

gusti atque Trajani, cæterisque per universum orbem A infusum addiderit mare?

16. Sed sunt etiam non confusi lacus, et stagna quæ non miscentur fluctibus, ut Larius et Benacus, Albanus quoque aliique plures, quomodo una congregatio aquarum? Sed quemadmodum dicitur, quia fecit Deus duo luminaria, id est, solem et lunam, cum sint utique et stellarum lumina: ita et una congregatio dicitur, cum sint plurimæ. Neque enim annumerantur, quæ non conferuntur.

CAPUT IV.

Terræ præcipuam qualitatem, cum arida vocatur, significari. Quæ sint elementorum, quibus invicem connectuntur, proprietates; idque speciatim de terra disquiritur.

17. Sed, ut videtur, quoniam de mari loquebamur, aliquantulum exundavimus; ad propositum revertamur, et consideremus quid sit, quod ait Dominus: *Congregetur aqua in unam congregationem, et appareat arida*, et non dixerit, terra. Quod præclare positum quis non advertat? Terra enim potest et luto esse permixta, aquis madida, cujus species superfusus aquis non appareat. Arida autem non solum ad genus, sed etiam ad speciem terrarum **40** refertur, ^a ut sit utilis, siccata, habilis et apta culturis. Simul prospectum est, ne videatur sole magis quam Dei præcepto esse siccata, quia arida facta est antequam sol crearetur. Unde et David discernens mare et terram, ait de Domino Deo: *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus fundaverunt* (Ps. xciv, 5). Arida enim expressio naturæ est, terra appellatio quædam simplex negotii, quæ in se habeat proprietatem. Sicut enim animal generis significatio est, cui inest proprium aliquid et excellens; rationale autem proprium est hominis: ita et terra potest communiter dici vel scatens aquis, vel deserta et invia, et sine aqua. Ergo et illi quæ scatet aquis, inest ut habeat ariditatem. Remota enim aqua, incipit esse arida, sicut habes scriptum: *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim* (Ps. cvi, 33), hoc est, de terra aquosa aridam fecit.

18. Habet ergo terra propriam qualitatem suam, sicut et singula elementa habent, nam et aer humidam qualitatem, et aqua frigidam, et ignis calidam. Et hoc est principale proprium elementis singulis, **D** quod ratione colligimus. Comprehendere autem sensibiliter et corporaliter si velimus, ^b velut connexa et composita reperimus; ut si terra arida et frigida, aqua frigida et humida, aer calidus et humidus, ignis calidus et siccus; et sic sibi per has jugales qualitates singula miscentur elementa. Nam terra cum sit aridæ et frigidæ qualitatis, connectitur aquæ per cognationem qualitatis frigidæ, ^c et per aquam

^a Vel. edit. cum paucis mss., *ut sit utilis, siccabilis*. Rom. *sulcabilis*.

^b Mss. aliquot melioris notæ, *velut connexe composita*.

^c Omnes edit. et mss. aliquot: *et aqua aeri*. Alii

aeri, quia humidus est aer. Ergo aqua tamquam brachiis quibusdam duobus frigoris et humoris, altero terram, altero aerem videtur amplecti, frigidam terram, aerem humido. Aer quoque medius inter duo compugnantia per naturam, hoc est, inter aquam et ignem, utrumque illud elementum conciliat sibi; quia et aquis humore, et igni calore conjungitur. Ignis quoque cum sit calidus et siccus natura, calore aeri annectitur, siccitate autem in communionem terræ ac societatem refunditur; atque ita sibi per ^d hunc circuitum et chorum quemdam concordie societatisque conveniunt. Unde et græce στοιχεῖα dicuntur, quæ latine elementa dicimus, quod sibi convenient et concinant.

19. Huc autem progressi sumus, quia Scriptura **B** ait, quod Deus vocaverit aridam terram, hoc est, quia quod principale est ejus, nuncupavit proprietate naturæ. Naturalis enim proprietas siccitas est terræ: hæc ei prærogativa servata est. Principalis ergo siccitas. Subest etiam ut sit frigida: sed non præferuntur secunda primis. Ut autem humida sit, aquarum id affinitate sortitur. Ergo illud suum, istud alienum: suum, quod arida; alienum, quod humida. Auctor itaque naturæ quod primo donavit, hoc tenuit; quia istud ex natura, illud ex causa. Ex principalibus igitur, non ex accidentibus terræ debuit proprietas definiri; ut secundum prærogativam qualitatis ejus informaretur nostra cognitio.

41 CAPUT V.

C *Quædam hoc Scripturæ loco addita esse nonnullos arbitrari. Maris commendatio a pulchritudine ac multiplici utilitate, sed præcipue quod insulanos anachoretas undis amplectatur, et cælestis ecclesiastici figuram referat: quæ claudit pia auctoris præcautionem.*

20. *Et vidit Deus quia bonum* (Gen., i, 10). Non præterimus quia aliqui nec in Hebræo putant esse, nec in cæteris interpretationibus: *quia congregata est aqua in collectiones suas, et apparuit arida, et vocavit Deus aridam terram, et collectiones aquarum vocavit maria*. Cum enim dixerit Deus quia factam est sic, satis esse putant vocem operatoris ad celebratæ operationis indicium. Sed quia in aliis quoque creaturis habet et definitionem præceptionis, et repetitum operationis vel indicium, vel effectum, ideo nos non putamus absurdum id quod perhibetur additum, etiamsi cæteris Interpretibus vel veritas doceatur suppetere, vel auctoritas. Multa enim non otiose a Septuaginta viris Hebraicæ lectioni addita et adjuncta comperimus.

21. Vidit ergo Deus quia bonum mare. Etsi pulchra sit species hujus elementi, vel cum surgentibus albescit cumulis ac verticibus undarum, et cautes

plures et probatiores cum Bas., *et per aquam aeri*.

^d Ita cunctæ edii. ac plerique mss. At nonnulli, *per hunc circuitum elementa*. Big., Gem., *elementorum, in unam concordie societatisque compaginem conveniunt*.

nivea rorant aspergine, vel cum æquore crispanti, A clementioribus auris, et blando serenæ tranquillitatis purpurascens præfert colorem, qui eminus spectantibus frequenter offunditur, quando non violentis fluctibus vicina tundit littora, sed velut pacificis ambit et salutat amplexibus, quam dulcis sonus, quam jucundus fragor, quam grata et consona resultat, ego tamen non oculis æstimatum creaturæ decorem arbitror; sed secundum rationem operationis iudicio operatoris convenire, et congruere definitum.

22. Bonum igitur mare, primum quia terras necessario suffulcit humore, quibus per venas quasdam occulte succum quemdam haud inutilem subministrat. Bonum mare, tamquam hospitium fluviorum, fons imbrium, derivatio alluvionum, invectionis com- B meatum, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum remoyentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum conjunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum. Ex hoc pluvia in terras transfunditur; siquidem de mari aqua radiis solis hauritur, et quod subtile ejus est, rapitur: deinde quanto altius elevatur, tanto magis etiam nubium obumbratione frigescit, et imber fit qui non solum terrenam temperat siccitatem, sed etiam jejuna arva fecundat.

23. Quid enumerem insulas, quas velut monilia plerumque prætexit, in quibus ii qui se abdicant intemperantiæ sæcularis illecebris, fido 42 continentiaæ proposito eligunt mundo latere, et vitæ hujus declinare dubios anfractus? Mare est ergo secretum temperantiæ, exercitium continentiaæ, gravitatis recessus, portus securitatis, tranquillitas sæculi, mundi hujus sobrietas, tum fidelibus viris atque devotis incentivum devotionis, ut cum undarum leniter alluentium sono certent cantus psallentium, plaudant insulæ a tranquillo fluctuum sanctorum choro, hymnis sanctorum personent. Unde mihi ut omnem pelagi pulchritudinem comprehendam quam vidit operator? Et quid plura? Quid aliud ille concentus undarum, nisi quidam concentus est plebis? Unde bene mari plerumque comparatur Ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis undas vomit: deinde in oratione totius plebis tamquam undis refluentibus stridet, cum sponsoriis psalmorum, cantus virorum, mulierum, virginum, parvulorum, consonus undarum fragor resultat. Nam illud quid dicam, quod unda peccatum abluit, et sancti Spiritus aura salutaris aspirat?

24. Det nobis Dominus illa successuum flumina prospero ligno currere, tuto portu consistere, ne-

^a Mss. aliquot, *tranquillo fluctuum choro, hymnis; quidam, hymni, sanctorum, etc.* Rom. edit., *tranquillo motu fluctuum, sanctorum chori hymnis personent.*

^b Edit. Rom. et LXX Interp., *secundum genus, et*

quitia spiritualis graviora quam ferre possumus, tentamenta nescire, fidei ignorare naufragia, habere pacem profundam: et si quando aliquid sit, quod graves nobis sæculi hujus excitet fluctus, evigilantem pro nobis habere gubernatorem Dominum Jesum, qui verbo imperet, tempestatem mitiget, tranquillitatem maris refundat, cui est honor et gloria, laus, perpetuitas a sæculis et nunc et semper, in omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VI. (Sermo V.)

Terræ suam speciem, quæ in germinatione ac viriditate posita est, percommode additam esse; vocem Dei fecunditatis causam præbere: quod quidam solis calori perperam acceptum ferunt.

25. Discedente aqua, conveniebat ut species terræ daretur et gratia, ut invisibilis et incomposita desideret esse. Nam plerique etiam hoc dicunt esse invisibile, quod speciem non habet; et ideo accipiunt terram invisibilem fuisse, non quia videri non posset a summo Deo vel angelis ejus, nam adhuc homines creati non erant, vel etiam pecudes, sed quia sine sua specie erat. Species autem terræ est germinatio et viriditas agri. Unde ut et visibilem eam et compositam faceret Deus, ait: *Germinet terra herbam feni, seminans semen^b secundum genus, et lignum fructiferum faciens fructum secundum genus, cujus semen suum in ipso (Gen. 1, 11).*

26. Audiamus verba veritatis, quorum series salus est audientium. Prima enim illa vox Dei singulis creaturis impertita gignendis, lex naturæ est, quæ terris in omne ævum remansit, futuræ successionis datura præscriptum, quemadmodum vel generandi vel fructificandi in reliquum usus adolesceret. Prima itaque germinatio 43 est, quando nascentia videntur erumpere: deinde cum eruperit et profecerit germen, fit herba: herba quoque ubi paululum processerit, fit fenum. Quam utilis, quam vehemens vox. *Germinet terra herbam feni*, hoc est, ipsa per se germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cujusquam indigeat ministerio.

27. Solent enim plerique dicere: Nisi clementior solis calor tepfecerit terras, et quodam modo radiis suis foverit, non poterit germinare terra: et propterea gentes divinum honorem deputant soli; quod virtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foveat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum velut hanc vocem emittentem: Conticescat ineptus sermo hominum qui futurus est, facessat vana opinio. Antequam solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior ejus sit prærogativa, quam solis. Ne error hominum convalescat, germinet prius terra, quam fetus solis accipiat. Sciant omnes solem auctorem non esse nascentium. Dei

secundum similitudinem suam, et lignum pomiferum faciens fructum secundum genus suum, cujus semen suum sit in ipso. Deest, secundum similitudinem suam; in Vulg. et in vet. edit. Ambr. sicut et in mss. quos secuti sumus.

clementia terram relaxat, Dei indulgentia prorumpere facit fructus. Quomodo sol vivendi usum ministrat oriundis, quando illa prius divinæ operationis vivificatione sunt edita, quam sol in hos vivendi usus veniret? Junior est herbis, junior feno.

CAPUT VII.

Cur pabulum pecori prius creatum, quam cibus homini. Herbam virentem humanæ imaginem esse conditionis, cujus fragilitas eleganti descriptione exponitur. Ejusdem herbæ imitatores in fructu serendo nos esse oportere; ubi Manichæi Eunomianique perstringuntur.

28. Et forte miretur aliquis quod prius pecori pabulum, quam cibus homini sit creatus. In quo primum^a profundum Dei debemus advertere, quod etiam minima quæque non negligat, sicut in Evangelio Sapientia Dei dicit: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cælestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis (Matth. vi, 26)?* Cum enim illa pascuntur Dei gratia, nemo sibi debet de sua industria et virtute blandiri. Deinde quia simplicem victum et naturalem cibum reliquis cibus debuit anteferre. Hic enim sobrietatis est cibus, reliqui deliciarum atque luxuriæ: hic communis omnibus animantibus cibus, ille paucorum. Exemplum itaque frugalitatis, magisterium parcimoniae est, herbæ simplicis victu olerisque vilis aut pomi contentos esse omnes oportere quem natura obtulit, quem liberalitas Dei prima donavit. Ille salubris, ille utilis cibus, qui morbos repellat, qui resecat cruditates, nullo hominum partus labore, sed divino effusus munere, sine satione fruges, fructus sine semine, tam dulcis, tam gratus, ut etiam repletis voluptati atque usui sit. Denique ad primas datus mensas, ad secundas remansit.

29. Quid autem creaturæ hujus atrox miraculum **44**, et sapientiæ operatricis argumentum exprimam? In hac enim germinum specie, et illo virentis herbæ munere imago est vitæ humanæ, et naturæ conditionisque nostræ insigne quoddam spectatur, et speculum elucet. Illa herba et flos feni figura est carnis humanæ, sicut bonus divinitatis Interpres organo suæ vocis expressit, dicens: *Clama.. Quid clamabo? Omnis caro fenum, et omnis gloria hominis ut flos feni. Aruit fenum, et flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum (Esa. xl, 6 et seq.).* Dei sententia vox humana est. Dicit Deus, *Clama*: sed in ipso Esaia loquitur. Ille respondit: *Quid clamabo?* Et tamquam quid loqueretur audisset, adjunxit: *Omnis caro fenum.* Et vere; viret enim gloria hominis in carne quasi fenum: et quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, præmatura ut flos,

^a Edit. cum paucis mss., *profundum Dei consilium.* Cod. vero plures et potiores vocem *consilium* non agnoscunt.

^b Vet. edit. et nonnulli mss., *pridie tibi lautissimus.* Reg., *laudatissimus.* Utrumque deest in probatissimis mss. quorum alii legunt, *pridie tibi decore.*

A caduca quasi fenum germinat vitæ viriditatem in specie, non in fructu soliditatem, hilarioris vitæ quasi flos prætendens juncunditatem, breviori spatio occasura, sicut herba feni, quod priusquam evellatur, arescit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna.

30. Hodie videas adolescentem validum, pubescentem, ætatis viriditate florentem, grata specie, suavi colore; crastina die tibi facie et ore mutatus occurrit: et qui ^b pridie tibi lautissimus decoræ formæ visus est gratia, alio die miserandus apparatus ægritudinis alicujus infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut eviratos deliciae reddunt, luxuria decolorat. Nonne verum est, quia aruit fenum, et flos decidit? Alius avis atavisque nobilis, et majorum honestatus infulis, prosapiæ veteris clarus insignibus, amicis abundans, stipatus clientibus et utrumque latus tectus, producens maximam ac reducens familiam, repente aliqua accidentis periculi mole turbatus, destituitur ab omnibus, a sodalibus derelinquitur, impugnatur a proximis. Ecce verum est, quia sicut fenum vita hominis, priusquam evellatur, arescit. Est etiam qui dudum ubertate affluens copiarum, liberalitatis fama per ora volitans singulorum, clarus honoribus, præeminens potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus populis æstimatus, dum præconum clamore deducitur, subita rerum conversione in eum carcerem rapitur, quo alios ipse detruserat, et inter reos suos imminentis poenæ deflet ærumnam. Quantos pridie caterva plaudentium, et invidiosa ^c frequentis populi domum pompa deduxit, et nox una gloriosæ illum splendorem deductionis abolevit, ac repentinus lateris dolor, effusis gaudiis, luctuosam gravis successionem mœroris admiscuit! Hujusmodi igitur est gloria hominis sicut flos feni: quæ etiam cum defertur ^d nihil operibus adjungit, in qua nullus fructus acquiritur; et cum amittitur, evanescit, omnem scenam hominis, et quam desuper obumbrabat repente destituens, et quam intus animabat.

45 31. Atque utinam imitemur hanc herbam, de qua ait Dominus: *Germinet terra herbam feni, seminans semen secundum genus, et secundum similitudinem.* Seminemus igitur semen secundum genus. Quod sit genus, audi dicentem oportere nos quærere illud divinum, si quomodo illud tractare possimus aut invenire: *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et sumus, et movemur; sicut quidam vestrum, inquit, dixerunt, cujus et genus sumus (Act. xvii, 28).* Secundum hoc genus seminemus semen non in carne, sed in spiritu. Non

Corb. secunda manu, *decorus formæ visus est gratia;* alii autem, *pridie tibi decore formæ visus est gratior.*

^c Edit omnes, *faventis populi frequens domum, etc.*

^d Edit nonnullæ Paris., *nihil opis adjungit.* Codex Dion. et Germ., *nihil opibus....* Cœn. *nihil operis, etc.*

enim carnalia, sed spiritualia seminare debemus, qui ad vitam pervenire volumus æternam. Quæ sit autem similitudo, non ignoras, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus es. Herba generi respondet suo, tu non respondes tuo generi. Tritici granum sparsum terræ generis sui gratiam reddit, et tu degeneras. Fruges non adulterant sui sinceritatem seminis, tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis castitatem.

32. Non agnoscis opus esse te Christi. Manibus suis, ut legimus, te ille formavit, ^a et tu, Manichæe, alterum tibi adsciscis auctorem. Pater Deus dicit ad Filium: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen., 1, 26); et tu, Photiniane, dicis quia in constitutione mundi adhuc non erat Christus; et tu, Eunomiane, dicis quia dissimilis est Patri Filius. Nam si imago; non dissimilis utique: ^b sed totum ex toto exprimens Patrem, quem Pater substantiæ suæ unitate signavit. Pater dicit: *Faciamus*; et tu cooperatorem negas? Quod dixit Pater, Filius fecit; et tu æqualem negas, in quo complacuit Pater.

CAPUT VIII.

De virtute seminaria; deque germinandi ac fructificandi modo plane mirabili: item de terræ feracitate, agri pleni pulchritudine, herbarum salubritate ac remediis.

33. *Germinet, inquit, terra herbam feni secundum genus.* In omnibus quæ dicuntur nascentia terræ, primum germen est; ubi se paululum sustulerit, fit herba, postea fenum, inde fit fructus. Sunt nascentia quæ de radice germinant, ut arbores quæ non sunt satæ, ex aliarum arborum radice nascuntur. In arundine videmus quomodo in extremo ejus velut quidam fit nodus e latere, et inde alia arundo germinat. Est ergo in radice vis quædam seminarii. Insitiva quoque in superioribus germinant. ^c Aliis ergo a radice, aliis diverso munere series successionis acquiritur. Inest enim nascentibus singulis aut semen, aut virtus aliqua seminaria, et ea secundum genus; ut quod nascitur ex ea, simile eorum quæ sata sunt, vel quorum de radice sit, germinet. De tritico triticum, de milio milium, de pyro pyrus albo flore prorumpit: castanea quoque surgit de radice castaneæ.

34. *Germinet, inquit, terra herbam feni secundum genus.* Et continuo parturiens terra novos se fudit in partus, et induit se amictum viriditatis, **46** gratiam fecunditatis assumpsit, diversisque compta germinibus, proprios suscepit ornatus. Miramur quod tam cito germinaverit; quanto majora miracula sunt, si spectes singula, quemadmodum vel jacta in ter-

^a Mss. septem: *et tu, Manichæe, adulterum.* Alii melioris notæ atque edit., *et tu, Manichæe, alteram,* etc.

^b *Sed totum ex toto exprimens.* Deest in quinque mss. optimæ notæ, *ex toto.*

^c Edit. Gill. ac Rom.: *Aliis ergo a semine.*

ram semina resolvantur, ac nisi mortua fuerint, nullum fructum afferant: si vero fuerint quadam sui morte resoluta, in uberiores fructus resurgant. Suscipit igitur granum tritici ^d putris gleba, et sparsum cohibet ^e occatio, ac velut materno terra gremio fovet et comprimit. Inde cum se granum illud resolverit, herbam germinat, grata ipsa jam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus sativi similitudine sui prodit; ut in ipso suæ stirpis exordio ejus generis herba sit recognoscas, atque in herbis fructus appareat; paulatimque adolescit ut fenum, culmoque pubescens erigitur et assurgit. Ast ubi se geniculata jam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius; ne tenera ejus primordia aut frigus lædat, aut solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæva decutiat. Succedunt quidam ordines spicæ, mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quos providentia divina formavit. Et ne frugis numerosioris pondere velut quædam cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne impar oneri curvetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, ut quasi quadam in arce prætendat, ne avium minorum morsibus spica lædatur, aut suis exuatur fructibus, aut vestigiis proteratur.

35. Quid dicam quemadmodum clementia Dei humanæ prospexerit utilitati? Feneratum terra restituit quod accepit, et usurarum cumulo multiplicatum. Homines sæpe decipiunt, et ipsa feneratorem suum sorte defraudant: terra fidelis manet. Et si quando non solverit, si forte adversata fuerit frigoris inclementia, aut nimia siccitas, aut immensa vis imbrium, alio anno superioris anni damna compensat; ita et quando proventus spem destituit agricolæ, nihil terra delinquit: et quando arridet, ubertas fecundæ matris se in partus effundit, ut nunquam ullum dispendium suo inferat creditori.

36. Quæ vero species pleni agri! Qui odor! Quæ suavitas! Quæ voluptas agricolarum! Quid digne explicare possumus, si nostro utamur alloquio? Sed habemus Scripturæ testimonia, quibus agri suavitatem benedictioni et gratiæ sanctorum advertimus comparatam, dicente sancto Isaac: *Odor filii mei sicut odor agri pleni* (Gen., xxvii, 27). Quid igitur describam purpurascens violas, candida lilia, rutilantes rosas, depicta rura nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias, utrum species amplius florum, an vis odora delectet? Pascuntur oculi grato spectaculo, longe lateque odor spargitur, ejus suavitate complemur. Unde divine

^d Quinque mss. non malæ notæ: *nutrix gleba.* Melius alii et edit.: *putris gleba*, id est, solubilis, ut Virg., 1 Georg.:

Et zephyro putris se gleba resolvit.

^e Hoc est, comminutio glebarum.

Dominus ait : *Et species 47 agri mecum est (Psal. XLIX, 11); cum ipso est enim quam ipse formavit. Quis enim alius artifex possit tantam rerum singularum exprimere venustatem? Considerate lilia agri (Matth., VI, 28), quantus sit candor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, ut scyphi exprimant formam, ut auri quædam species intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta nulli pateat injuriæ. Si quis hunc florem decerpat, et sua solvat in folia, quæ tanti est artificis manus quæ possit lilii speciem reformare? Quis tantus imitator naturæ, ut florem hunc redintegrare præsumat, cui Dominus tantum testimonium tulit, ut diceret: *Nec Salomon in omni gloria sua sic vestiebatur, sicut unum ex istis (Ibid., 29)?* Rex opulentissimus et sapientissimus inferior judicatur, quam hujus floris pulchritudo.*

37. Quid enumerem succos herbarum salubres? quid vinguitorum ac foliorum remedia? Cervus æger ramusculos oleæ mandit, et sanus fit. Locustas quoque a folia oleæ arrosa liberant ab ægritudine. Rubi folia superjecta serpenti, interimunt eum. Culiæ non tangunt te, si absinthii herbam cum oleo coquas, et eo te perunxeris.

CAPUT IX.

Noxia cum utilibus non sine ratione generari; cum quod uni noxium, alteri sit utile; atque ad noxia evitanda instinctum brutis, hominibus rationem Deus indiderit. Quam decens ordo in terræ fructificatione servatus.

38. Sed forte dicant aliqui: Quid quod cum utilibus etiam lethalia et perniciosam generantur? Cum tritico b conium quod inter alimenta vitæ noxium reperitur, et nisi prævisum fuerit, consuevit saluti nocere. Inter alia quoque nutrimenta vitæ helleborum deprehenditur. Aconita quoque fallunt frequenter, et decipiunt colligentem. Sed hoc ita est, ac si reprehendas terram, quia non omnes homines boni. Sed quod plus est accipe, quia non omnes boni Angeli in cælo. Sol ipse præ nimio calore spicas torret, adurit autem gignentium prima exordia. Luna quoque viantibus iter demonstrat, latronum prodit insidias. Num igitur dignum est ut in his quæ utilia sunt, posthabentes conditoris gratiam confiteri, propter aliqua alimentorum noxia creatoris prospicientiæ derogemus, quasi vero omnia gulæ causa debuerint procreari, aut exigua sint quæ ventri nostro divina indulgentia ministraverit? Definitæ nobis escæ sunt, et notæ omnibus, quæ et voluptatem generent, corporis salubritatem.

39. Singula autem eorum quæ generantur e terris, specialem quamdam rationem habent, quæ pro-

^a Mss. Big., Colb. et Corb.: *oleæ ac rosæ.* Mss. Gem. et Rem.: *oleæ ac rosa.*

^b Quatuor mss. *lolium.* Alii melius *conium.* Namque ita Basil.: *μετὰ τοῦ σίτου τὸ κώνειον, cum frumento cicuta.*

^c Quinque mss. et Rom. edit. addunt: *alia potui;*

A virili portione complent universæ plenitudinem creaturæ. Alia ergo esui, ^e alia alii nascuntur usui. Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis utile 48 est; immo ipsi tibi frequenter alio est usu utile. Quod escam non adjuvat, medicinam suggerit: et sæpe eadem quæ tibi noxia sunt, avibus aut feris innoxium ministrant pabulum. Denique sturni vescuntur conium, nec fraudi est eis, quoniam per qualitatem sui corporis venenum succi lethalis evadunt. Frigida enim vis ejus est succi, quam subtilibus poris in cordis sui sedem ducentibus, præcoci digestionem præveniunt, priusquam vitalia ipsa pertentet. Helleborum autem periti loquuntur escam esse et alimoniam coturnicum, eo quod naturali quodam temperamento sui corporis vim pabuli nocentis evitent. Etenim si ratione medicinæ plerumque ad salubritatem humani quoque corporis temperatur, cui videtur esse contrarium: quanto magis proprietate naturæ ad cibum proficit, quod medica manu convertitur ad salutem! Per mandragoram quoque somnus frequenter accersitur, ubi vigiliarum ægri afficiantur incommodo. Nam quid ^d de opio loquar, quod etiam nobis quotidiano prope usu innotuit, quoniam dolores eo gravissimi internorum sæpe viscerum sopiuntur? Nec illud præterit, quod conio plerumque furores libidinum marcuerunt, et helleborum vetustæ passiones ægri corporis sunt solutæ.

40. Non solum igitur nulla in his reprehensio creatoris, sed etiam incrementum est gratiarum. C Siquidem quod ad periculum putabas esse generatum, ad remedia tibi salutis operatur. Nam et id quod periculi est, per providentiam declinatur: et id quod salutis, per industriam non amittitur. An non oves et capræ ea quæ sibi noxia sunt declinare didicerunt, et solo odore per quoddam naturæ ^e mysterium, cum sint rationis expertes, rationem tamen evadendi periculi, vel tuendæ salutis agnoscunt, noxiæque pariter ac profutura distinguunt; ita ut plerumque cum armata venenis tela senserint, notas petere herbas atque his remedium vulneri dicantur adhibere? Cibus illis ergo medicina est, ut resilire sagittas videas e vulnere, et fugere venena, non serpere. Denique cervis cibus venenum est. Coluber cervum fugit, leonem interficit: draco elephantem ligat, cujus ruina mors victoris est. Et ideo summa vi utrimque certatur; ille ut pedem alliget, in quo casus victi sibi nocere non possit; iste ne posteriore extremus pede, aut calle capiatur angusto, ubi vel ipse se non queat retorquere, et draconem gravi proterere vestigio, vel sequentis elephantem auxilium non habere.

41. Ergo si irrationabilia animalia norunt quibus quod in mel. notæ mss. desideratur. Reg.: *Alia ergo usui, alia nascuntur esui.*

^d Edit. Gil. ac non pauci mss., *de opio.* Basil. tamen et cum eo reliqui mss. et edit., *de opio.*

^e Ita mss. antiquioris manus, atque edit. Am. Pet., Era. et Gill. in margine. Cæteri mss. et edit. Gill. ac Rom., *ministerium.*

sibi aut medicentur herbis, aut subsidiis opem afferant; homo nescit cui rationabilis sensus innascitur, aut tam alienus a vero est, ut quæ cuique apta sint usui minime deprehendat: aut ita naturæ ingratus bonis, ut quoniam taurini haustus sanguinis lethalis est hominī, propterea putet laboriosum animal aut nasci non debuisse, aut sine sanguine debuisse generari, cujus **49** virtus ad cultum agrorum utilis, ad usum plaustrorum habilis, ad alimoniam suavis, diverso munere fulcit agricolas, quibus Deus, si bona sua norint, universa donavit, dicens: *Germinet terra herbam feni, spirans semen secundum genus.* Non solum enim spontaneam alimoniam comprehendit quæ est in herbis et radicibus, atque ^a in arborum, reliquisque fructibus: sed etiam eam quæ industria comparatur, et cultu rustici laboris acquiritur.

42. Quam decorum autem quod non statim fundere terras semen jussit et fructus: sed primum germinare, deinde herbescere campos statuit, postea secundum proprietatem sui generis semen adolescere, ut numquam arborum vacaret gratia, quæ grato primum decore vernarent, postea fructuum suggererent utilitatem!

CAPUT X.

Semina numquam proprie degenerare, cum eorum non mutetur genus, sed perfectio: lolium enim ac zizania e frumenti semine nequaquam nasci. Verbum Dei miram terræ fecunditatem contulisse antequam homo peccaret; at tamen terram etiam nunc ea non prorsus esse destitutam.

43. Sed forte quis dicat: Quomodo secundum genus terra profert semina, cum plerumque semina jacta degenerent, et cum bonum triticum fuerit seminum, decolor ejus species, et inferior forma reddatur? Sed hoc si quando accidit, non ad translationem generis, sed ad ægritudinem quamdam et inæqualitatem seminis videtur esse referendum. Non enim desinit esse triticum, ^b si aut frigore aduratur, aut imbre madidetur: sed specie magis quam genere colore quoque et corruptione mutatum. Denique frequenter madidata frumenta in sui generis speciem revertuntur, si aut sole, aut ignibus torreantur, aut diligentibus commissa cultoribus, aeris temperie, terrarumque feracium ubertate foveantur. Itaque reparatur in sobole, quod degeneraverat in parente. Unde non periclitamur, ne præceptum illud Dei cujus usus naturæ inolevit, in reliquum successionis vitio destitutum sit, cum hodieque in seminibus generis sui sinceritas reservetur.

44. Nam lolium et reliqua adulterina semina quæ

^a Ita vet. edit. et mss. aliquot optimæ notæ. Rom. edit. et mss. nonnulli expungunt, *que*. Vict. unus, Dion., Gem., Colb., Big. et Corb. unus legunt: *atque in arborum germinibus, reliquisque fructibus*. Vict. alter: *atque in arboribus, reliquisque, etc.*

^b Edit. Am. et Pet. cum Ben. ms.: *si aut austrigine*. Carn. ms. inter lineas, sed eadem manu: *si aut ustrigine*, hoc est, *uredine*. Aliæ edit. ac mss. omnes:

frugibus sæpe miscentur, zizania nuncupari Evangelii lectione cognovimus (*Matth.*, xiii, 24): sed ea proprium quoddam genus habent, non ex tritici semine in aliud genus seminis decolori mutatione translata, degenerem traxere naturam. Denique hoc docet Dominus dicens: *Simile est regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania inter triticum* (*Ibid.*). Advertimus utique quod zizania et triticum ut nominibus, ita et genere videantur esse discreta. Denique et servi dixerunt ad patremfamilias: *Domine, nonne bonum semen seminasti in **50** agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit* (*Ibid.*, 27). Aliud enim est semen diaboli, aliud semen est Christi quod seritur ad justitiam. Denique aliud Filius hominis, aliud diabolus seminavit. Adeo diversa natura utriusque seminis, ut contrarius seminator sit. Quod seminat Christus, regnum est Dei: quod seminat diabolus, peccatum est. Quomodo igitur potest unius generis esse regnum atque peccatum? Sic est, inquit, regnum Dei, quemadmodum si homo jactet semen super terram.

45. Est et homo qui seminat verbum, de quo scriptum est: *Qui seminat, verbum seminat* (*Marc.* iv, 14). Hic homo verbum seminavit super terram, quando dixit: *Germinet terra herbam*, et subito terrarum germina pullularunt, et diversæ rerum species refulerunt. Hinc pratorum vires gratia abundantiam pabuli ministravit: inde camporum spica flavescens, imaginem pelagi fluctuantis commotione segetis uberioris expressit. Sponte omnes fructus terra suggestit: etsi arata sine cultore esse non poterat, nondum enim erat formatus agricola; inarata tamen opimis messibus redundabat, et haud dubito an majore proventu. Siquidem nec cultoris desidia terrarum destituere poterat ubertatem. Nunc enim fecunditas unicuique pro merito laboris acquiritur, ubi cultus spectatur agrorum; et negligentia vel offensa, aut diluviis pluviarum, aut terrarum ariditatibus, aut grandinis jactu, aut quacumque ex causa, ^c soli uberis sterilitate mulctatur. Tunc autem proventu spontaneo terra fructus locis omnibus invehebat; quoniam is præceperat, qui universorum est plenitudo. Verbum enim Dei fructificabat in terris, nec ullo adhuc erat **D** terra damnata. maledicto. Antiquiora enim mundi nascentis exordia, quam nostra peccata sunt; et recentior culpa propter quam condemnati sumus in sudore vultus nostri panem manducare, sine ^d sudore alimenta nescire.

46. Denique hodieque fecunditas terræ veterem affluentiam spontaneæ usu fertilitatis operatur. Quam

si aut frigore. Et forte allusum est ad illud *Virg.* i *Georg.*:

Et boreæ penetrabile frigus adurat.

^c Codex Dion., Vict. unus, Corb. etiam unus, et Colb.: *soli ubertas sterilitate*. Vict. alter, et Coen.: *corrupti aeris sterilitate*.

^d Sic decem mss. optimæ notæ. Alii, et edit.: *sine dolore*.

multa sunt enim quæ adhuc sponte generantur. Sed etiam in his ipsis quæ manu quærentur, magna ex parte manent nobis divina beneficia, ut frumenta ipsa quiescentibus inferantur. Quod propositæ docet lectionis exemplum, dicente Domino: *Quia sic est regnum Dei quemadmodum si homo jaciatur semen super terram, et obdormiat, inquit, et exurgat nocte et die, et semen germinet, et increseat, dum nescit ille* (Marc., IV, 26). Ultro enim terra fructificat, primo herbam, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Et cum produxerit fructum, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Dormienti igitur tibi, o homo, et nescienti fructus suos ultro terra producit. Dormis et surgis, et frumenti per noctem incrementa miraris.

51 CAPUT XI.

De ortu arborum: atque inibi de rosa quæ primo sine spinis nata, illis postmodum inhorruit, et vitæ nostræ speculum facta est.

47. Diximus de herba feni, nunc dicamus de ligno fructuoso faciente fructum secundum genus, cujus semen ejus in ipso sit. Dixit et facta sunt, et subito, ut supra floribus, herbarumque viriditatibus, ita hic nemoribus terra vestita est. Concurrerunt arbores, consurrexere silvæ, vertices repente montium fronderunt. Hinc pinus, hinc cupressus in alta se extulerunt cacumina, cedri et picæ convenerunt. Abies quoque non contenta terrenis radicibus atque aërio vertice, etiam casus marinos tuto subitura remigio, nec solum ventis, sed etiam fluctibus certatura processit. Nec non et laurus assurgens odorem suum dedit numquam suo exuenda velamine. Umbrosæ quoque ilices verticem protulerunt, inhorrentem comam hibernis quoque temporibus servaturæ. Hoc enim in singulis privilegium natura denuit in reliquum, quod sub ictu mundi surgentis accepit: et inde manet sua ilicibus prærogativa, manet cupressibus, ut nulli venti eas crinis sui honore despolient.

48. Surrexerat ^a ante floribus immixta terrenis sine spinis rosa, et pulcherrimus flos sine ulla fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam floris, tamquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suavitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegantia vitæ nostræ, et quibusdam sollicitudinibus obsepta, ut tristitia ad-

tis, animæque sentes jure condemnationis ascripti sunt. Irruites igitur licet, o homo, aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est, ^b semper est sentis, semper inferiora tua respice, ^c super spinas germinas, nec prolixa gratia manet: brevi unusquisque ^d decurso ætatis flore marcessit.

CAPUT XII.

Laudatur vitis, et cum Ecclesia comparatur: nec non exemplum ejus nobis ad imitationem proponitur.

49. Sane ut caduca tibi noveris communia esse cum floribus, ita etiam læta cum vitibus, quibus generatur vinum, quo cor hominis lætificatur. Atque utinam, o homo, hujus generis imiteris exemplum, **B** ut ipse tibi lætitiâ jucunditatemque fructifices! In te ipso ^e suavitas tuæ gratiæ est, ex te pullulat, in te manet, intus **52** tibi inest, id est, in te ipso quærenda jucunditas tuæ est conscientiæ. Ideo ait: *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus* (Prov., v, 15). Primum omnium nihil gratius florentis odore vitis. Siquidem de flore earum succus expressus poculi genus conficit, quod et voluptati et saluti sit. Deinde quis non miretur ex acini vinacio vitem usque in arboris summum cacumen prorumpere, quam velut quodam amplexu fovet, et quibusdam brachiis ligat, et circumdat lacertis, pampinis vestit, sertis uvarum coronat? Quæ ad imitationem vitæ nostræ primum vivam defigit radicem, deinde quia natura flexibilis et caduca est, ^f quasi brachiis quibusdam, ita et claviculis quidquid apprehenderit, stringit, hisque se erigit et attollit.

50. Hujus est similis plebs Ecclesiæ, quæ velut quadam fidei radice plantatur, et reprimitur humilitatis propagine, de qua pulchre ait Propheta: *Vineam ex Ægypto transtulisti, et plantasti radices ejus, et replesti terram: operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei: extendisti palmites ejus usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus* (Ps. LXXIX, 9). Et per Esaiam ipse Dominus locutus est dicens: *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi: et maceriam circumdedi, et circumfodi vineam Sorech, et edificavi turrinam in medio ejus* (Esa., v 1 et seq.). Circumdedit enim eam velut vallo quodam cælestium præceptorum, et angelorum custodia. Immittet enim angelus Domini in circuitu timentium eum. Posuit in Ecclesia velut turrinam apostolorum et prophetarum atque doctorum, qui solent pro Ecclesiæ pace prætere. Circumfodit eam, quando exoneravit terrenarum mole curarum. Nihil enim magis mentem

^a Edit. omnes: *floribus immixta teneris.*

^b Edit. omnes, et mss. aliquot omittunt: *semper est sentis*; quæ verba e mss. decem probatissimis restitimus.

^c Mss. Coen. et Viet. unus: *semper spinas germinas.*

^d Tres mss. ævi remotioris: *decor suavitatis flore*, etc. Alii quinque: *decursu ætatis flore*, etc. Reliqui, et edit. ut in textu.

^e Edit. omnes: *suavitatis tuæ gratia est.*

^f Rom. edit.: *claviculis quasi manibus quibusdam.*

Ubi respexisse editores ad locum e lib. Cic. de Senect. satis credibile est. Neque negaverim Ambrosium et quod hic de vite, et quod paulo ante de frumento dicitur, ex eodem oratore mutuatum esse. Verum contra edit. et mss. auctoritatem nihil mutō.

^g Ita vet. edit. et novem mss. At Carn., Corb. et Th. cum LXX et Rom. psalterium, *repleta est terra*. Alii mss. et edit. Rom.: *replevit terram*. Rursus eodem loco edit. Rom.: *extendit palmites suos*; plures mss., *ejus*. Alii, et vet. edit., *extendisti*, etc.

onerat, quam istius mundi sollicitudo et cupiditas vel pecuniæ vel potentiae. Quod tibi demonstratur in Evangelio (*Luc.*, XIII, 11), cum legis, quia illa mulier quæ habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat ut sursum respicere non posset. Curvata enim erat anima ejus, quæ inclinabatur ad terrena compendia, et coelestem gratiam non videbat. Respexit eam Jesus, et vocavit, et statim mulier onera terrena deposuit. Illis cupiditatibus etiam illos oneratos fuisse demonstrat, quibus ait: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matt.* XI, 28). Ergo illa anima mulieris quasi circumfossa respiravit, et erecta est.

51. Sed eadem vitis ubi circumfossa fuerit, religatur et erigitur, ne reflectatur in terram. Reciduntur alia sarmenta, alia propagantur: reciduntur quæ inani effusione luxuriant, propagantur ea quæ bonus agricola judicaverit fructuosa. Quid ego adminiculorum ordines, jugationisque describam gratiam, quæ vere atque manifeste æqualitatem docent in Ecclesia esse servandam, ut nemo se dives aut honoratus extollat, nemo pauper dejiciat, ignobilisque desperet? Omnibus sit in Ecclesia par atque una libertas, omnibus impertiatur justitia communis **53** et gratia. Ideo turris in medio est, quæ exemplum de illis rusticianis, de illis circumferat piscatoribus, qui virtutum arcem tenere meruerunt: quorum exemplis noster erigatur affectus, ^a neque humi vilis et despicibilis jaceat; sed uniuscujusque mens ad superiora se subrigat, ut audeat dicere: Nostra autem conversio in caelis est. Unde ne aliquibus procellis sæculi possit reflecti, et tempestate deduci, claviculis illis et circulis quasi amplexibus charitatis proximos quosque complectitur, et in eorum conjunctione requiescit. Charitas est igitur quæ nos superioribus nequit, caeloque inserit. Qui enim manet in charitate, Deus in eo manet. Unde et Dominus ait: *Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest fructum afferre a se, nisi manserit in vite; sic et vos, si in me non manseritis. Ego sum vitis, vos palmites estis* (*Joan.*, XV, 4).

52. Evidenter igitur exemplum vitis ad nostræ vitæ institutionem arcessendum esse signavit, quæ primum veris tepefacta temperie gemmare perhibetur: deinde ex ipsis sarmentorum articulis fructum emittere, de quibus oriens uva formatur, paulatimque augescens in maturi partus retinet acerbitatem, nec potest nisi matura jam et cocta dulcescere. Vestitur interea viridantibus pampinis vinea, quibus et adversum frigus, omnemque injuriam non exiguo munitur subsidio, et a solis ardore defenditur. Quid autem

A eo vel spectaculo gratius, vel fructu est dulcius, videre certa pendentia velut quædam speciosi ruris monilia, carpere uvas vel aureo colore vel purpureo renitentes? Hyacinthos cæterasque gemmas fulgere existimes, coruscare ^b indicos, albarum emicare gratiam. Nec advertis ex his admoneri te, homo, ne immaturos fructus tuos dies supremus inveniat, aut plenæ tempus ætatis ^c opera imparata dedeçant. Acerbus enim fructus amarior esse consuevit; nec potest dulce esse, nisi quod ad maturitatem perfectionis adoleverit. Huic viro perfecto nec frigus horridæ mortis, nec sol iniquitatis nocere consuevit; quia obumbrat eum gratia spiritalis, et omnia mundanæ cupiditatis et corporeæ libidinis restinguit incendia, defendit ardores. Laudent te quicumque conspiciunt, et agmina Ecclesiæ velut quædam palmitum certa mirentur: spectent singuli fidelium pulchra animarum monilia: delectentur maturitate prudentiæ, splendore fidei, confessionis decore, justitiæ pulchritudine, ubertate misericordiæ, ut dicatur tibi: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ* (*Ps.* CXXVII, 3); eo quod redundantiam vitis fructiferæ, copiosæ munere liberalitatis imiteris.

CAPUT XIII.

De arborum utilitate, ac diversitate; de ratione illas jugandi ac medicandi; postremo de arboreorum succorum proprietatibus: cum morali ad singula expositione.

C. 53. Sed quid ego in sola vite immoror, cum omnia genera arborum utilia sint, alia **54** ad fructum nata, alia ad usum data? Nam et quibus non est fructus uberior, tamen usus pretiosior est. Cedrus suspendendis tectorum apta culminibus, eo quod hujusmodi materies et procera sit spatiis, nec onerosa parietibus. Lacunaribus quoque ^d comendisque fastigiis habilis est cupressus. Unde et Ecclesia dicit in Canticis: *Trabes domorum nostrarum cedrinæ, lacunaria nostra cupressina* (*Cant.*, I, 16); in his esse declarans decora sui ^e ornamenta fastigii, qui quasi trabes verticem Ecclesiæ sua virtute sustineant, et fastigium ejus exornent. Laurus et palma ad insigne victoriæ. Lauro victorum capita coronantur, palma manus victricis ornatus est. Unde et Ecclesia ait: *Dixi, ascendam in palmam, tenebo altitudines ejus* (*Cant.*, VII, 8). Quæ eminentiam videns Verbi, et sperans quod ad ejus altitudinem possit ascendere et scientiæ summitatem, dicit: *Ascendam in palmam*; ut omnia inferiora relinquat, et ad superiora contendat, ^f ad bravium Christi, ut suaves

^a Edit. omnes et mss. non pauci: *neque humilis*. Addunt nonnulli: *dives.... jaceat*. Ben., Carn. et Germ.: *neque humi vilis*, etc.

^b Edit. Rom. et mss. nonnulli: *indicas*. Edit. vet. cum mss. undecim: *indicos*. Coen. codex ad marginem eadem manu, qua textus, hæc præfert: *Indicos vocal lapides, qui de India feruntur; albas, quas B. Greg. albulas, quæ usitato nomine vocantur margaritæ et perlæ. Legimus et albam smaragdum, et albam sârthonicem*.

^c Mss. quinque: *opera parva deducat*. Tres: *opera prava deducat*. Unus: *deducant*. Alius denique: *delectent*.

^d Mss. aliquot: *commendandisque fastigiis habilis*.

^e Rom. edit. cum paucis recentioribusque mss.: *ornamenta fastigii quæ quasi*, etc. Melius aliæ cum reliquis..... *qui quasi*, etc. Syllepsis est enim in voce *ornamenta*, per quam Apostoli significantur.

^f Vide notam (c) columnæ 182 subjectam.

ejus fructus carpat et gustet. Suavis enim virtutis est fructus. Populus quoque coronis arbor umbrosa victricibus, et salix lenta vitibus habilis vincendis, quid aliud mystice declarant, nisi bona esse Christi vincula, quæ nocere non soleant, vincula gratiæ, vincula charitatis, ut unusquisque suis vinculis gloriatur, sicut gloriabatur et Paulus, dicens: *Paulus vincus Jesu Christi (Philem. 1, 1)*? Illis ligatus vinculis dicebat: *Quis nos separabit a charitate Christi (Rom. viii, 35)*? Vinculis abstinentiæ, vinculis charitatis. His ligatus vinculis etiam David ait: *In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra (Ps. cxxxvi, 2)*. Buxus quoque elementorum apicibus utilis exprimendis, levi materia usum manus puerilis informat. Unde ait Scriptura: *Scribe in buxo (Esa., xxx, 8)*. Simul ut admoneat te ipsa materia quæ semper viret, nec umquam foliis exuitur suis, ne umquam spei tuæ dissimulatione nuderis, sed semper tibi per fidem germinet spes salutis.

54. Quid ego enumerem quanta varietas arborum, quam diversus in singulis et pulcher ornatus, quam patulæ fagi, quam proceræ abietes, quam comantes pinus, quam umbrosæ ilices, quam populi bicolores, quam nemorosa et rediviva castanea, quæ simul ut excisa fuerit, tamquam silvam ex se pullulare consuevit; quemadmodum in arboribus ipsis ætas aut senilis, aut novella deprehenditur; junioribus enim exiliore rami, antiquioribus validiora et nodosa sunt brachia: illis folia levigata atque diffusa, istis contractiora et aspera. Sunt etiam arbores quæ senili atque emortua radice successionem sui, si forte cædantur, reparare non noverint: aliæ quibus aut juvenus viret, aut natura fecundior est, quibus excisio lucro potius quam detrimento sit, ut per plures sui rediviva successione removentur hæredes.

55. Est etiam, quod mireris, ipsis sexus in pomis, est discretio sexus in arboribus. Nam videas palmam quæ dactylos generat, plerumque inclinantem ramos suos et subjicientem, et concupiscentiæ atque amplexus speciem prætendentem **55** ei arbore, quam marem palmam appellant ^a pueri rusticorum. Illa ergo palma feminea est, et sexum suum subjectionis specie confitetur. Unde locorum cultores præjaciunt ramis ejus dactylorum vel ^b palmitum semina masculorum, quibus illi femineæ arbori velut quidam sensus perfunctionis infunditur, et expetiti concubitus gratia repræsentatur. Quo munere donata rursus erigitur, et elevat ramos suos, et in veterem statum comam suam rursus attollit. De ficu quoque eadem opinio est. Ideoque plerique secundum domesticam et fructiferam ficum agrestem ficulneam feruntur inserere, eo quod cito fructus fecundæ illius et domesticæ ficus vel aura tentati aliqua, vel æstu defluere ferantur in terram. Unde gnari hujus remedii

^a Hoc est, *rustici*. Et ea loquendi forma petita est a Græcis, apud quos *παῖδες φιλόσφρων* idem sonat ac *φιλόσφοι*: immo et apud Hebræos *filius hominis* pro homine sæpe in Vet. Testamento ponitur, et alia hujusmodi exstant bene multa.

A grossis arboris agrestis alligatis ad illam feracem arborem, medentur ejus infirmitati; ut possit fructus proprios reservare, jamjamque si deforent remedia, lapsuros. Quo admonemur velut quodam ænigmate naturæ non refugere eos, qui a nostra fide et consortio separati sunt; eo quod et gentilis qui fuerit acquisitus, quo gravior fuerit assertor erroris, eo vehementior possit fidei defensor existere; et si quis de hæreticis convertatur, velut confirmet eam partem in quam se commutata opinione contulerit, maxime si habeat aliquid naturæ directum, ut vivida possit esse ejus sententia, si adminiculetur ei attentio sobrietatis, observantia castitatis. Profundè ergo circa eum studium tuum, ut similitudine fructiferæ illius ficus de præsentia et conjunctione agrestis illius arboris tuam possis corroborare virtutem. Ita enim tua nec dissolvetur intentio, et diligentia fructus et gratiæ reservabitur.

56. Quam multa sunt autem quæ doceant naturalem duritiam posse diligentia studio temperari, quibus affert cultus ruralis exemplum! Nam plerumque cito florent mala granata, et fructum afferre non possunt, nisi congruis peritorum remediis excolantur: plerumque succus vanescit interior, et fortis species ejus pulchra prætenditur. Quæ non immerito comparatur Ecclesiæ, ut habes in Canticis ad Ecclesiam dictum: *Ut cortex mali punici gente tuæ (Cant., iv, 5)*. Et infra: *Si floruit vitis, floruerunt mala granata (Cant., vii, 12)*. Ecclesia enim bonum fidei fulgorem confessionisque prætendit, tot martyrum sanguine speciosa, et quod est amplius Christi cruore dotata; simul plurimos intra se fructus usu istius pomi sub una munitione conservans, et virtutum negotia multa complectens. Sapiens enim spiritu celat negotia. Amygdalis quoque hoc genere medicari feruntur agricolæ, ut ex amaris dulces fiant fructus, ut et terebrent ejus radicem arboris, et in medium inserant surculum ejus arboris quam Græci *πέυκη*, nos piceam dicimus; quo facto succi amaritudo deponitur. Ergo si agricultura convertit stirpium qualitates, nonne studia doctrinæ, et disciplinæ attentio mitigare possunt ^c quaslibet ægritudines passionum? **56** Nemo ergo positus vel in adolescentiæ vel intemperantiæ lubrico, de sui conversione desperet. Ligna plerumque in meliores vertuntur usus, et non possunt D hominum corda mutari?

57. Docuimus non solum inter diversi generis arbores esse fructuum diversitates, sed plerumque in eadem specie arborum compugnare sibi fructus. Alia enim species masculorum, alia femineorum fructuum, sicut de dactylis supra diximus. Quis autem possit comprehendere varietatem, speciem gratiamque pomorum, singulorum quoque utilitatem fructuum, succorumque proprietatem, quæ cuique rei

^b Rom. edit.: *palmarum velut quædam semina masculorum*. Aliæ et mss. aliquot: *palmarum semina masculorum*. At mss. decem optimæ notæ: *palmitum*, etc.

^c Rom. edit. sola: *quaslibet animarum passiones*.

apta videantur, quemadmodum ægris visceribus hominum amariora poma medicentur, et inflationem asperitatemque interioriorem temperent, quemadmodum rursus humorum aspera pomorum dulcibus temperentur? Denique ea medicina antiquior, quæ herbis curare consuevit et succis; nec ulla firmior sanitas, quam quæ salubribus reformatur alimentis. Unde secundum naturam docemur, quia sola nobis esca medicina est. Herbis certe ulcera aperta clauduntur, herbis curantur interna. Ideoque medicorum est opus herbarum potestates noscere. Hinc enim medendi usus inolevit.

CAPUT XIV.

De simplicium pomorum differentia, foliorumque diversitate: ubi præcipue de pampino, et folio ficus; deque variis aliorum foliorum figuris.

58. Sed ut ad simplicia poma revocemus stylum, alia sunt quæ coquuntur sole, alia quæ testis aut corticibus clausa complentur. Mala et pyra, uvarum quoque genera omnia nuda objecta sunt soli: ^a nucis autem et nucleæ, nuclei quoque fructus et testa opertus et cortice, alitur tamen et ipse calore solis atque nutritur; et quantum pineæ densitate nucleus absconditur, tantum solis calore nutritur.

59. Quanta deinde Domini providentia, ut ubi mollior fructus, ibi folii crassitudo validius tegumentum tuendo deferat poma, quod videmus in fructu ficulneæ. Deliciora itaque validioribus munienda sunt, ut et ipse quoque Dominus per Hieremiam docet, dicens: ^b *Sicut ficus istas bonas recognoscam translatos Juda, quos emisi de loco isto in terram Chaldaeorum in bona, et confirmabo oculos meos super illos in bona (Hier. xxiv, 5).* Tamquam delicatos enim velut quodam misericordiæ suæ validiori sepsit tegmine, ne teneri fructus maturius interirent. Denique de ipsis etiam in posterioribus dicit: *Delicati mei ambulaverunt vias asperas (Baruc., iv, 26).* Quibus infra ait: *Constantes estote filii, et clamate ad Deum (Ibid., 27).* Hoc enim solum adversus omnes procellas atque injurias inviolabile tegmen, impenetrabile munimentum est. Ubi ergo teneri fructus, ibi crassiora tegmina et munimenta foliorum. Contra autem ubi fructus validiores, **57** ibi teneriora folia, ut malus arbor docet. Pomum enim validius non multo indiget protectionis auxilio; nam ipsa protectionis crassioris umbra poma nocere plus posset.

60. Denique doceat nos pampinus naturæ gratiam, et divinæ sapientiæ interna mysteria. Videmus enim ita scissum atque divisum, ut trium foliorum speciem videatur ostendere: ita pars media distincta est, ut nisi inferioribus hæreret, separata spectanti-

bus videretur. Ea autem ratio videtur servata naturæ, ut et solem facilius admittat, et umbram obtextat. Denique procerius media pars ejus extenditur, et in ipsa summitate tenuatur, ut plus pulchritudinis quam tegumentis præferat. Etenim ^c bravii speciem videtur effingere, significans quod uva inter pendentes cæteros fructus habeat principatum, cui tacito quodam judicio naturæ, sed evidenti indicio innascitur species et prærogativa victoriæ. Secum igitur habet bravium suum, quo et munimen sibi præbetur adversum injurias aëris, pariterque imbrium violentiam, et impedimentum non affertur ad recipiendum solis calorem, quo tepēfacta alitur, coloratur, augetur. Ficulneæ quoque folium, æque prope ut pampinus, quadrifida interscinditur divisione: quod eo clarius videtur, quo majus est folium, sanè non ita ut pampinus vel ora omni, vel summitate crispanti. Sicut enim in ficulneæ folio crassitudo validior, ita in pampino species elegantior. Crassitudo igitur folii proficit ad tempestatis injuriam repellendam, intercisio ad fructus gratiam vaporandi. Denique hoc genus pomi grandinem non cito, maturitatem cito sentit; quia et latere videtur adversum injurias, et patere ad gratiam.

61. Quid ego foliorum describam diversitates quemadmodum alia rotunda, alia longiora, alia flexibilia, alia rigidiora sint, alia nullis facile ventis labentia, alia quæ levi motu decutiantur aurarum?

CAPUT XV.

Stupenda aquæ diversitas! Inde et fructuum qui ea nutriuntur, differentia nascitur; et stillantium ex arboribus lacrymarum discrepantia: quibus accuratioris perscrutationis excusatio subjungitur.

62. Inexplicabile est singularum rerum exquirere velle proprietates, et vel diversitates earum manifesta testificatione distinguere, vel latentes occultasque causas indeficientibus aperire documentis. Una nempe atque eadem est aqua, et in diversas plerumque sese mutat species: aut inter arenas flava, aut inter cautes spumea, aut inter nemora viridantior, aut inter florulenta discolor, aut inter lilia fulgentior, aut inter rosas rutilantior, aut in gramine liquidior, aut in palude turbidior, aut in fonte perspicacior, aut in mari obscurior; assumpto locorum quibus influit colore, decurrit. Rigorem quoque pari ratione commutat, ut inter **58** vaporantia ferveat, inter umbrosa frigescat, sole repercussa exæstuet, nivibus irrigata glaciale humore canescat. Quemadmodum autem sapor ejus ipse convertitur, ut nunc asperior, nunc amarior, nunc vehementior, nunc austerior, nunc dulcior pro specierum quibus infusa fuerit qua-

^a Antiquæ edit.: *nucis autem, et node, nucleique fructus, et testa opertus et cortice alitur, tamen et ipse calore solis nascitur, atque nutritur.* Vat. cod. non habet: *et node nucleique.* Rom. edit.: *nucis autem pineæ, nucleæque fructus et testa opertus et cortice alitur, tamen et ipse calore solis æque nutritur.* Mss. partim, *nucis autem*; partim, *nucis autem*; reliqua ut nos in textu.

^b Rom. edit.: *Sicut ficus istæ bonæ, sic recognoscam, etc.*

^c Græce βραβεῖον, corona seu victoriæ præmium. Dabatur autem illud e ramis variarum arborum, quarum aliquæ cap. superiori, num. 55, explicantur. Videsis Lucianum in dial. *Ἀνάχαρις, ἢ περὶ γυμνασίων*, et alios.

litate varietur? Asperatur immaturioribus succis, A tunso cortice nucis, foliisque contritis, amarior fit absinthio, vino vehementior, austerior alliis: gravescit veneno, melle dulcescit. Si vero ei lentiscum, terebinthi quoque fructus, vel nucis interior pars misceatur, in olei mollem naturam facile transfunditur. Cum sit autem alrix omnium virgultorum, diversos singulis usus ministrat. Si ^a radices alluat vel nubibus fusa descendat, discretas dat omnibus vires, radicem impinguat, caudicem provehit, ramos diffundit, folia virescere facit, ^b fructuum alit semina, pomum augere consuevit. Ergo cum eadem sit omnium nutrix, alia arborum genera tristiores ferunt succos, alia dulciores, alia tardos, alia præmaturus. Ipsæ quoque inter se discrepant suavitate. Alia suavitas est in vinea, alia in olea, alia in cerasis, alia in B ficu, discreta in malo, dispar in dactylo.

63. Tactus ipse aquæ alibi lenis, alibi asperior, plerumque pinguior est. Pondere quoque distat frequenter ut specie. Nam plerisque locis gravior, plerisque levior æstimatur. Non mirum igitur si cum ipsa in se discrepet, discrepent etiam inter se lacrymæ arborum, quæ ejusdem aquæ alluvione generantur. Et cum una sit omnium causa, diversus singularum usus, diversa natura est. Aliam vim habet cerasi arboris lacryma, aliam lentisci. Disparem quoque balsami guttam odorata. Orientis ligna sudare produntur: diversum quoque lacrymarum genus virgulta ferularum in Ægypto ac Libya quadam vi naturæ secretioris illacrymant. Quid autem tibi referam, clementem licet esse sermonem, quod electrum C lacryma virgulti sit, ^c et in tantæ materiæ soliditatem lacryma durecat? Nec levibus id astruitur testimoniis, quando folia aut surculorum minutissimæ portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro sæpe reperiantur, quæ videtur, cum adhuc gutta esset mollior, recepisse et solidata tenuisse.

64. Sed quid ego vili sermone decerno cum alta atque pretiosa ratione naturæ, ^d cum iste sermo humano alatur ingenio, naturam autem omnium providentia divina formaverit? Unde velut habenis quibusdam verborum cohibenda diffusio est; ne quod Salomoni specialiter sapientiæ munere divinitus videtur esse collatum, usurpatorie videamur exponere differentias arborum et virtutes radicum, et quæ-

^a Mss. non pauci et vet. edit.: *Si radices alat.*

^b Mss. aliquot: *fructum alit, pomorum semina augere, etc.*

^c Rom. edit.: *et in lapideæ naturæ soliditatem durecat.*

^d Edit. vet.: *cum isto sermone humano; Cost. et Gill.: humanum, alatur ingenium.*

^e Ita mss. plures et potiores. Aliqui cum editis: *omne, vel omnis, secretum creaturæ explicare ratione.* Alii tandem, *omne secretum explicare rationis.*

^f Edit. aliquæ Paris.: *decoratur; quemadmodum non, etc.* Mss. Gem., Big., Dion. ac Colb.: *decoratur; miraris quemadmodum ad, etc.* Cæteri scripti atque editi codices ut in contextu.

^g Edit. vet. ac mss. quatuor: *se flore induere.* Melius Rom: cum reliquis mss.: *se in florem induere.*

cumque sunt abscondita et improvisa, sicut scriptum est (III Reg., iv, 33), quæ nec ab ipso tamen manifestata produntur; ut mihi videatur potuisse eum disputare de virgultorum generibus, non potuisse tamen plenius ^e omnes creaturæ explicare rationes.

59 CAPUT XVI.

Quomodo ad vocem Domini subito omne virgultorum genus efflorescens victum, delicias ac medicinam ministraverit. Quo etiam modo plantæ omnes aut semen, aut aliquid quod seminis vicem suppleat, in se habeant. De magna Dei virtute in singulis; ubi speciatim de pinea ac myricis.

65. Quod si irriguis aquarum plerumque et segetes lactiores sunt, et virides fabæ, et hortorum multiplex suscitatur et resuscitatur gratia, si viridantibus thoris fluviorum exundantium ripa ^f decoratur; quemadmodum ad verbum Domini, quod omni aquarum cursu est redundantius, subito creatura virgultorum omnis effloruit? Festinarunt campi non commissam sibi frugem edere, ignorata horti olerum genera, florum miracula germinare, ripæ fluminum se vestire myrtetis: properaverunt arbores cito surgere, cito ^g se in florem induere, victum hominibus, pecori pabulum ministrare. Fructus communis est omnibus, usus quoque est datus omnibus. Simul utrumque arbores germinarunt, aliud quo vesceremur, aliud quo refrigerante umbra defenderemur a sole. ^h Cibus in fructu, usus amœnitatis in folio; tamen quia præscia erat providentia Creatoris, quod fructum sibi maxime humana aviditas vindicaret, reliquis providit animantibus, ut specialem his donaret alimoniam. Itaque esca his non mediocris in foliis est, corticibusque silvestribus: ea quoque quæ ad usum medendi proficerent, id est, succi, lacrymæ, sureculi pariter ministrata sunt. Itaque illa quæ post experimento, usu et exemplo utilia cognovimus, ea a principio ⁱ Creator cui usui apta donaret, præscientiæ suæ majestate de sinu terrarum jussit exire.

66. Et quia jussit Dominus, ut germinaret terra herbam feni, et lignum fructiferum, faciens fructum secundum genus, cujus semen ejus in eo (ne forte quis dicat in multis arboribus, neque fructum, neque semen videri, et putet divinum in aliquo vacillare præceptum, ut a veritate sit devium) illud advertat, quia ne-

D Hoc enim petitum videtur ex illo Virg. i Georg. :

Cum se nux plurima silvis

Induet in florem.

^h Mss. aliquot optimi ævi: *cibus infructuosus amœnitatis in foliis.* Error est calami, quem qui emendare voluerunt, reposuere: *cibus in fructu, vel in fructibus, amœnitas in foliis.* Et hos secutæ sunt edit. At veram lectionem mss. Ben., Carn. et Germ. restituere.

ⁱ Vet. edit.: *ea a principio creaturæ usui apta donavit præscientia divinæ majestatis.* Illis accedunt quædam recentiores, ac mss. duo, nisi quod hi legunt..... *et præscientiæ suæ majestate.* Illarum nonnullæ..... *providentiæ suæ majestate.* Reliqui mss. et edit. nobiscum faciunt.

quaquam fieri potest, ut non aut seminibus utantur A
universa gignentia, aut habeant aliqua quæ videantur
cum virtute seminum convenire : idque si quis
diligenter intendat, manifesta testificatione poterit
comprehendere. Nihil videntur seminis habere salices ;
habent tamen in foliis granum quoddam quod
habeat virtutem seminis, ut eo commisso terris, tam-
quam posito surgat arbor de surculo ; et tamquam
de semine se exsuscitet. Grano itaque illo radix pri-
mum coalescit : de radice pullulat non solum salicis,
sed etiam reliquarum ad similitudinem hujusmodi ge-
neris **60** arborum silva. ^a Habet autem et radicis
generatio virtutem seminis ; unde plerique ^b ea sa-
tione incrementum sui memoris propagarunt.

67. Magna Dei virtus in singulis. Nec miretur ali-
quis si in virgultis magnam Dei dixi esse virtutem. B
Siquidem magnam suam virtutem in locustis esse di-
xit et bruchus, eo quod divinæ majestatis offensa ma-
gno moderamine sterilitatis Judaicæ atque inopiæ
solveretur. Magna enim virtus patientia, magna vir-
tus ^c providentia. Indigni etenim erant, qui uteren-
tur fecunditate terrena, qui terrarum læserant crea-
torem. Et vere magnus, qui miserabili fame nefas
tantæ impietatis ulciscitur. Itaque si magna virtute
Dei sterilem bruchum terra generavit, quanto magis
virtute magna, quæ fecunda sunt, procreat !

68. Quis pineam videns non stupeat tantam divino
præcepto artem inolitam, impressamque naturæ :
quemadmodum ab ipso centro distantibus licet men-
suris pari assurgat glutino, quo proprios fovet fruc-
tus ? Itaque per circuitum eadem species et ordo ser-
vatur, et quidam in singulis plagis nucleorum partus
exuberat, atque in orbem redit fructus et gratia.
Itaque in pinca ista imaginem sui natura videtur
exprimere, quæ a primo illo divino coelestique man-
dato privilegia accepta custodit, et partus suos qua-
dam annorum vice et ordine refert, donec consum-
matio temporis impleatur.

69. Sed ut in hoc fructu gratam speciem sui si-
gnat ; ita etiam in myricis, id est, humilibus virgultis
figuram improbæ calliditatis expressit. Sicut enim
duplici corde viri ubique præsto sunt, et gratiam
simplicitatemque apud bonos præstent, et vitio-
sissimis glutinantur : ita etiam et in aquosis et in
desertis contrario quodam usu hæc virgulta nascun-
tur. Unde et Hieremias ^d dubia morum atque insin-
cera myricis comparavit (*Hier.* xvii, 6).

CAPUT XVII.

*Surditate humani cordis increpata, mirabilis Dei pro-
videntia in minimis declaratur ; ubi præcipue de
arboribus semper virentibus et illarum differentiis,
tum de primo vitis cultore, ac vini usu disseritur.*

70. Germinet, inquit, terra herbam virentem, et

^a Ita mss. undecim. Alii et edit. : *Habent autem
et radices virtutem seminis.*

^b Colb. unus et Vict. duo : *ea ratione incremen-
tum, etc.*

^c Edit. omnes et pauci mss. : *sapientia..... provi-
dentia. Rem. et Coen. : sapientie... providentie.*

A statim omni surgente germine terra completa est.
Et homini dicitur : *Dilige Dominum Deum tuum* (*Deut.*,
vi, 5), et non est charitas Dei omnium infusa visce-
ribus. Surdiora corda hominum sunt, quam dura
saxorum. Terra indebitos fructus nobis ministrat,
dum obsecundat auctori : nos debitum munus nega-
mus, dum non veneramur auctorem.

71. Vide in parvis quæ providentia sit Dei, et **61**
quia comprehendere non potes, mirare quomodo
alia semper florentia reservaverit, alia mutationes
habere voluerit exspoliationis, et amictus. Inter ca-
na nivium, pruinas frigorum, viriditatem suam arva
conservant : et cum ipsa tecta sint gelu, partus sui
tamen haud exiguum speciem viriditatis obtexunt.
In ipsis quoque generibus arborum, quæ diuturnis
frondibus vestiuntur, non mediocri distantia est.
Servat indumentum suum semper olca, vel pinus,
sed tamen folia sua sæpe commutant ; nec ea quasi
diuturna, sed quasi succedanea præstent suæ ar-
boris pulchritudini, perpetui integritate vestitus vice
muneris obumbrantes. Palma autem virens semper
manet conservatione et diuturnitate, non immuta-
tione foliorum. Nam quæ primo germinaverit folia, ea
sine ulla substitutionis successione conservat. Imitare
ergo eam, o homo, ut dicatur et tibi : *Statura
tua similis facta est palmæ* (*Cant.*, vii, 7). Serva viri-
ditatem pueritiæ tuæ, et illius innocentiae naturalis,
quam a primordio recepisti, ut plantatus secus de-
cursus aquarum fructum tuum in tempore tuo habeas
præparatum, et folium tuum non defluat. Hanc viri-
ditatem gratiæ semper florentis in Christo secuta
Ecclesia dicit : *In umbra ejus concupiivi, et sedi*
(*Cant.*, ii, 3). Hanc prærogativam doni virentis acce-
perunt et Apostoli, quorum nec folium unquam po-
tuit elabi, ut eorum etiam umbra curaret ægrotos. ^e
Obumbrant enim infirmitates corporis fides mentis,
et florentia merita virtutum. Mane ergo plantatus in
domo Domini, ut in atriis ejus sicut palma floreas,
et ascendat in te gratia Ecclesiæ, et sit odor narium
tuarum sicut mala, et fauces tuæ sicut vinum opti-
mum (*Cant.* vii, 9), ut inebrieris in Christo.

72. Bene admonuit iste versiculus repetere pene
intermissum, quia diximus præcepto **62** Domini
vitem etiam pullulasse, quam postea post diluvium a
Noe plantatam esse cognovimus (*Gen.*, ix, 20). Sic
enim habes, quia Noe agricola erat terræ, et plan-
tavit vitem, et bibit de vino ejus, et obdormivit.
Non ergo Noe auctor est vitis, sed plantationis. Ne-
que enim nisi eam reperisset ante generatam, plan-
tare potuisset. Cultor ergo, non auctor est vitium.
Deus autem qui sciret quod vinum sobrie potatum
sanitatem daret, auget prudentiam, immodice
sumptum ad vitia causas daret, creaturam dedit,
abundantiam humano arbitrio reservavit ; ut parci-

Alii novem probatissimi : *patientia, etc.*

^d Mss. quatuor : *dubiam horum, atque insinceram
mentem.*

^e Omnes edit. et mss. aliquot sequioris notæ,
Obumbrabat enim infirmitati.

monia naturæ esset magisterium sobrietatis, abundantia noxiam lapsamque temulentia sibi ascriberet humana conditio. Denique et ipse inebriatus est Noe, et obdormivit consopitus a vino. Itaque per vinum patuit deformitati qui per diluvium excrevit ad gloriam: sed Dominus et in eo creaturæ suæ gratiam reservavit, ut ejus fructum nobis converteret ad salutem, ac per eum nobis remissio peccatorum proveniret. Unde pie Isaac dixit: Odor Jacob, odor agri pleni, id est, naturalis odor (*Gen.*, xxvii, 27). Quid enim pleno rure suavius? Quid vitis odore jucundius? Quid fabæ flore gratius? Unde quamvis ingeniose

A quis ante nos dixerit: Non vitem aut ficum Patriarcha olebat aut frugem, sed virtutum spirabat gratiam; ego tamen et odorem ipsum terræ simplicem atque sincerum pro gratia benedictionis accipiam, quem fraus nulla composuit, sed veritas indulgentiæ celestis infudit. Denique inter benedictiones sacratissimas computatur, ut tribuat nobis Dominus a rore cæli vim vini, olei, atque frumenti: cui est honor, laus, et gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER QUARTUS.

DE OPERE QUARTI DIEI.

61 CAPUT I (Sermo VI).

Lectorem parat ad creationem solis recte intelligendam, declinandamque in eo idolomaniam; qua de re ejusdem cum auctore suo comparisonem instituit, et ordinem quo inter alia creatus est, expendit, subjecta eleganti terræ prosopopœia.

1. Qui vindemiam colligit, vasa prius quibus vinum infunditur, mundare consuevit, ne ^a sors aliqua vini gratiam decoloret. Quid enim prodest ponere vitem ordine, fodere quotannis, aut aratris sulcos ducere, putare, subrigere, adjungere ulmis, et quodam connubio copulare, si tanto labore vina quæsitæ in vase coalescant? Matutinos quoque solis ortus si quis spectare desiderat, emundat oculos suos; ne quid pulveris, ne quid purgamentorum ^b oculis ejus insidat, quo timentis hebetetur obtutus; neve aliqua caligo nebulosa corporeos ⁶² visus spectantis obducat. Nobis in lectione exoriendus est sol, qui ante non fuerit. Primum jam diem sine sole transivimus: secundum sine sole transegimus: tertium sine sole confecimus: quarto die jubet Deus fieri luminaria solem, et lunam, et stellas. Sol incipit, emunda oculos mentis, o homo, animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenii, et puri cordis turbet aspectum. Emunda aurem, ut vase sincero Scripturæ divinæ nitida fluentia suscipias, ne qua ingrediatur contagio. Procedit sol magno jubare diem, magno mundum complens lumine, vaporans calore. Cave, o homo, solam ejus perpendere magnitudinem; ne nimius fulgor ejus visus tuæ mentis obæcet: ut qui e regione in radium ejus intendit, repercusso lumine omnem subito amittit aspectum; ac nisi in cæteras partes vultum suum oculosque convertat, æstimat

B se nihil videre, et tuendi munere esse fraudatum: si vero ⁶³ deflectat obtutum, integrum sibi officium perseverat. Cave igitur ne et tuum radius ejus exoriciens confundat aspectum. Et ideo prius firmamentum cæli aspice, quod ante solem factum est: terram aspice, quæ ante quam sol procederet, cœpit esse visibilis atque composita: germina ejus aspice anteriora solis lumine. Anterior ^c bruchus quam sol, antiquior herba quam luna. Noli ergo Deum credere, cui vides Dei munera esse prælata. Tres dies transacti sunt, et solem nemo quæsivit, et luminis claritas abundavit. Habet enim et dies suam lucem, quæ præcessor est solis. Non igitur te tanto splendori solis temere committas. Oculus est enim mundi, jucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ.

2. Sed quando hunc vides, auctorem ejus considera: quando hunc miraris, lauda prius ipsius creatorem. Si tam gratus est sol consors et particeps creaturæ, quam bonus est sol ille justitiæ! Si tam velox iste, ut rapidis cursibus in die ac nocte lustret omnia; quantus ille qui ubique semper est, et majestate sua complet omnia? Si admirabilis qui jubetur exire, quam supra admirationem qui dicit soli, et non exoritur, ut legimus (*Job ix, 7*)? Si magnus est qui per horarum vices locis aut accedit, aut decedit quotidie, qualis ille qui etiam cum se exinaniret, ut nos eum possemus videre, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si præstantissimus, qui objectu terræ patitur sæpe defectus; quantæ majestatis qui ait: *Adhuc semel ego movebo terram* (*Agg. i, 7*)? Illum terra abscondit; istius motum non potest sustinere, nisi voluntatis ejus substantia fulciatur. Si cæco damnum est hujus solis gratiam non videre; quanto

^a Edit. omnes, et mss. aliquot partim: *ne sordes aliqua...* decolorent; partim: *ne sordes aliqua...* decoloret. Decem mss. probatæ auctoritatis: *ne sors aliqua*, etc. Bona lectio, cujus rationem intelliges e Franc. Sanctii Minerva de voc. homon., pag. 408.

^b Edit. ac pauci mss.: *oculis ejus insideat*. Reliqui *insidat*, non male; nisi scribere malueris *incidat*,

^c Ubi edit. omnes et mss. non pauci: *Anterior rubus*; ibi sex antiquissimi mss.: *Anterior bruchus*, id est forte, ramus; unde facta vox Italica *broncho*, et gallica *branche*. Vide Aldrovandum; Dendrologiæ lib. 1, pag. 22. Ambrosius vero superiori cap. num. 67, per hanc vocem arbustum aliquod sterile videtur indicare;

magis peccatori damnum, veri luminis munere defraudatum, perpetuæ noctis tenebras suslinere?

3. Ergo cum vides solem, attende terram, quæ ante fundata est: attende herbam feni, quæ præstat ordinis privilegio: attende ligna, quæ plaudunt quod priora luminibus cœli esse cœperunt. Numquid merita feni majora quam solis? Aut numquid potior ligni prærogativa? Absit ut in sensibilia tanti muneris præferamus ministro. Quid igitur prævidit altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, ut prius inciperent ligna esse, quam illa duo mundi luminaria, et quidam cœlestis oculi firmamenti; nisi ut cognoscerent omnes divinæ testimonio lectionis terram sine sole posse esse fecundam? Nam quæ potuit sine sole prima rerum semina germinare, potest utique semina accepta nutrire, et proprio fotu sine calore solis partus edere.

4. Hac igitur voce quadam suorum munerum clamat natura: Bonus quidem sol, sed ministerio, non imperio: bonus meæ fecunditatis adjutor, sed non creator: bonus meorum altor fructuum, sed non auctor. Interdum partus meos et ipse adurit: frequenter mihi et ipse damno est, plerisque me locis indotatam relinquit. Non sum ingrata conservo, mihi est in usum datus, mecum **64** labori est mancipatus, mecum subjectus est vanitati, mecum corruptionis subditus servituti. Mecum congemiscit, mecum parit, ut veniat adoptio filiorum, et humani generis redemptio, quo possimus et nos a servitio liberari. Mecum assistens laudat auctorem, mecum hymnum dicit Domino Deo nostro. Ubi major ejus est gratia, C ibi mecum est ei commune consortium. Ubi sol benedicit, ibi terra benedicit. Benedicunt (*Ps. cxlviii, 5 et seq.*) ligna fructifera, benedicunt pecora, benedicunt volucres mecum. In mari positus illum nauta accusat, me desiderat: in montibus illum pastor declinat, ad mea germina, ad meas festinat arbores, quibus exæstuans obumbretur, ad meos fontes sitiens et lassus accurrit.

CAPUT II.

Solem Dei Filio servire, a quo ad ornamentum cœlicum aliis luminibus creatus fuit. Fecunditatem a Deo terris inditam, non a sole: cum factus sit in potestatem diei, sicut et luna in potestatem noctis: quod etiam Christo et Ecclesiæ accommodatur.

5. Sed ne oculorum tibi exiguum videatur esse testimonium, emunda aurem, admove eam cœlestibus oraculis. Duobus enim et tribus testibus stat omne verbum. Audi dicentem: *Fiant luminaria in firmamento cœli ad illuminationem terræ (Gen., 1, 14).* Quis hoc dicit? Deus dicit. Et cui dicit nisi filio? Deus ergo Pater dicit: Fiat sol; et Filius fecit solem. Dignum enim erat, ut solem mundi faceret Sol justitiæ. Ipse ergo eum in lumen adduxit, ipse eum illuminavit, ipse ei donavit fundendi luminis potesta-

^a Omnes edit. et mss. non pauci: *implebuntur ubertate*. Mss. septem optimæ notæ, et LXX interp... *bonitate*,

A tem. Factus est ergo sol; ideo et ipse servit, quoniam dictum est: *Fundasti terram, et permanet: dispositione tuâ permanet dies, quoniam universa serviunt tibi (Ps. cxviii, 90 et 91).* Etenim cum dies serviat, quomodo non servit sol, qui factus est in potestatem diei? Quomodo non servit luna et stellæ, quæ factæ sunt in potestatem noctis? Etenim quanto majorem his gratiam creator donavit, ut aer solito amplius solis claritate resplendeat, dies serenius luceat, noctis illuminentur tenebræ per lunæ stellarumque fulgorem, cœlum velut quibusdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micet, ut paradiso putes vernante depictum spirantium rosarum vivis monilibus renitere: quanto igitur amplius his decoris videtur esse collatum, tanto amplius debent. Cui enim plus committitur, plus debet. Et ideo bene a plerisque ornamentum cœli est nuncupatum, eo quod sit stellarum monile pretiosum.

6. Atque ut sciamus quia fertilitas terrarum non calori solis ascribitur, sed divinæ indulgentiæ deputatur, ait Propheta: *Omnia a te expectant, ut des illis cibum in tempore: dante te illis, colligent sibi, aperiente te manum, universa implebuntur^a bonitate (Ps. ciii).* Et infra: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ (Ibid., 30).* Et in Evangelio: *Considerate volatilia cœli, quia neque serunt, nec metunt, et Pater vester cœlestis pascit illa (Matt. vi, 16).* Non **65** ergo sol aut luna fecunditatis auctores sunt; ^b sed Deus Pater per Dominum Jesum omnibus liberalitatem fertilitatis impertit.

7. Pulchre autem exposuit nobis Propheta quid sit quod ipse ait: Quia fecit Deus soleni in potestatem diei et lunam in potestatem noctis (*Ps. cxxxv, 8 et 9*). Nam et in isto psalmo centesimo tertio de quo supra diximus, scripsit: *Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum (Ps. ciii, 19).* Cum enim dies horas suas complere cœperit, sol debitum sibi cognoscit occasum. Est ergo in diei potestate sol, et luna in potestate noctis, quæ temporum vicibus obedire compellitur, et nunc impletur lumine, atque vacuatur: licet plerique hunc locum mystice de Christo et Ecclesia videantur accipere; quod agnoverit Christus proprii corporis passionem, qui ait: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum (Joan., xvii, 1)*; ut illo occasu suo omnibus donaret vitam æternam, qui perpetuæ mortis urgebantur occasu: et Ecclesia tempora sua habeat, persecutionis videlicet et pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest; quia aliquorum quidem in persecutionibus discessione minuitur, ut martyrum confessionibus impleatur, et effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis majus devotionis suæ et fidei toto orbe lumen effundat. Namque luna luminis imminutionem habet, non corporis, quando per vices menstruas deponere videtur lumen suum, ut mutuetur a sole; quod facile puro aere atque perspicuo, quando

^b Edit. quædam Paris.: *sed Deus propter Dominum, etc.*

nulla eam obducta nebula caligantem facit, colligi A potest. Orbis enim lunæ integer manet, etsi non similiter totus, ut pars ejus effulgeat. Et qualis videri solet cum plenus est luminis, talis est magnitudine : sed per umbram quamdam lumine suo viduatus apparet. Et inde cornua ejus refulgent; quia corpus ejus in orbem diffunditur, et velut deficiente portio- nis ^a luce insinuatur.

CAPUT III.

Aliud esse lumen diei, aliud siderum. Discrimen diurnum ac nocturnum signis duobus notari, ac duplicem esse ignis operationem, illuminare et urere, quæ in retributione meritorum separabuntur. Deum dici ignem exurentem et qua causa. Postremo omni corpori suam umbram adhærere.

8. Movere autem potest quod ait : *Fiant luminaria B ad illuminationem ^b super terram, quæ discernant inter diem et noctem (Gen. 1, 15).* Quia et supra jam ubi lumen fecit dixerat : *Separavit Deus inter lucem ac tenebras, et factum est vespere, et factum est mane dies unus.* Sed consideremus quia aliud est lumen diei, aliud lumen solis et lunæ, et lumen stellarum, eo quod sol ipse radiis suis fulgorem diurno lumini videatur adungere, quod vel ortus diei potest prodere, vel occasus. Nam ante solem lucet quidem, sed non refulget dies; quia amplius quoque meridiano sole resplendet. Quod ostendit Propheta, dicens : *Et educet quasi lucem justitiam tuam, et iudicium tuum sicut meridiem (Ps. xxxvi, 6).* Non solum enim lumini, **66** sed etiam meridiano lumini sancti justitiam comparavit.

9. Deinde non solum unum signum, sed etiam duo voluit esse diurnæ discretionis atque nocturnæ; ut et lux discretionem faciat, et solis exortus; et iterum lucis defectus, et stellarum ortus inter occasum diei distinguat, et noctis exordium. Nam ubi occiderit sol, manet tamen adhuc aliquid reliquiarum diei, donec tenebræ terram operiant : et tunc luna oritur, et stellæ. Et de nocte quidem aperte liquet, quia lunæ et stellarum illuminatio noctis spatia testantur. Siquidem per diem fulgorem illum lunarem, stellarumque omnium sol exortus abscondit. De die autem vel ipsa solis flagrantia docere nos potest diversam diurni luminis et solis esse naturam, et ipsam esse speciem discolorum. Simplex est enim lucis species, ut lumen præbeat. At vero sol non solum virtutem D illuminandi habet, sed etiam vaporandi; igneus est enim. Ignis autem et illuminat et exurit. Unde Dominus volens Moysi ostendere suæ operationis miraculum, quo Moysen ad obediendi studium provocaret, atque ad fidem inflammaret ejus affectum, in igne visus est in rubo, et rubus non exurebatur, sed tantum splendere ignis specie videbatur. Alterum igitur

^a Omnes edit.: *luce sinuatur*. Contra, mss. fere ad unum: *luce insinuatur*; compositum loco simplicis.

^b Edit. Rom. sola: *ad illuminationem terræ*. Et certe cap. superiori ita citatur in omnibus mss. et edit. Sed utraque lectio probari potest. Etsi enim passim apud LXX., *εις φῶσιν ἐπὶ τῆς γῆς*, in uno tamen vetusto codice; ut Nobil. testatur, *εις φῶσιν τῆς γῆς*.

munus ignis vacabat, alterum operabatur. Vacabat exustionis vis, operabatur illuminationis. Ideo stupebat Moyses, quia contra naturam suam ignis non exurebat rubum, qui etiam vehementiorem materiem consuevit exurere. Sed Domini ignis illuminare solet, exurere non solet.

10. At forte dicas : Quomodo scriptum est : *Ego sum ignis consumens (Deut., iv, 24)?* Bene admonuisti. Non solet consumere, nisi sola peccata. In retributionis quoque meritorum colligimus ^c dividi ignis naturam; ut alios illuminet, alios exurat, illuminet justos, exurat impios. Non eosdem quos illuminat, exurit; et quos exurit, illuminat : sed illuminatio ejus inextinguibilis est ad ^d perfuccionem bonorum, exustio vehemens ad supplicium peccatorum.

11. Sed revertamur ad discretionem diei ac noctis. Oriente diei lumine nox fugatur, decedente die nox infunditur. Non est enim luci societas ulla cum tenebris; siquidem naturali lege hoc Dominus in prima operatione sua constituit. Etenim quando lumen fecit, et discretionem fecit inter lucem ac tenebras. Denique in ipso die, jam sole terris infuso, videmus umbram vel hominis, vel virgulti alicujus a lumine separari, ut mane ad Occasum dirigatur, vespere retorqueatur in Orientem, meridianis horis ad Septentrionem inclinet : lumini tamen non confunditur atque miscetur, sed cedit et refugit. Similiter et nox cedere videtur diei, et se ab ejus lumine declinare; est enim, ut peritiores probarunt qui nobis vel ætate vel munere præcurrerunt, umbra terræ. Naturaliter enim umbra corpori adhæret atque adjungitur, adeo ut etiam pictores umbras corporum quæ pinxerint, nitantur exprimere, idque artis esse asserant non intermittere **67** vim naturæ : et quasi naturalis juris prævaricator habeatur, cujus pictura non etiam umbram suam exprimat. Ergo sicut in die cum e regione solis aliquod corpus occurrit, ex ea parte ^e qua lumen repercutitur, umbra subsistit : sic cum decedente die e regione luminis ejus aut solis terræ objectus occurrit, obumbratur aer. Unde liquet quod noctem faciat umbra terrarum.

CAPUT IV.

Luminaria facta sunt in signa, sed non nativitatum. Mathematicorum scientia inutilis est, ac impossibilis. Quam inepte proprietates animalium terrestrium ad coelestia, et horum ad homines transferat. Quam ridicule stabilem vitæ statum e signis erraticis pendere asserat. Quam impie illis qualitates, quæ noceant innocentibus, attribuat. Quam stulte tandem proponat manifeste falsa, et malitiæ ac inertiae excusationem suppeditet.

12. Fecit ergo solem, et lunam, et stellas, et præ-

^c Mss. Rem., Coen. ac Reg. : *divini ignis naturam*.

^d Quatuor mss. : *ad perfectionem bonorum*. Melius alii, ac edit. : *ad perfuccionem*, etc., id est, ad fruitionem. Basil. *εις ἀπόλαυσιν τοῖς δικαίοις*. Hoc verbo non semel utitur Ambrosius.

^e Edit. Amerb. et Paris. nonnullæ cum mss. quatuor : *qua lumine repercutitur*; minus commode.

stituit illis mensuras temporum, soli diurnas, lunæ stellisque nocturnas; ut iste augeat diei gratiam, illæ umbram tenebrasque illuminent. *Et sint in signa, et in tempora, et in dies, et in annos* (Gen., 1, 14). Divisa tempora habent paresque mensuras pro mensuram vicibus sol et luna cum stellis, et sunt in signa. Non possumus negare quod ex sole et luna signa aliqua colligantur; nam et Dominus dixit: *Et erunt signa in sole, et luna, et stellis* (Luc. XXI, 25). Et quærentibus Apostolis signum adventus ejus, respondit: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo* (Matth., xxiv, 29). Hæc dixit fore signa futuræ consummationis: sed conveniens debet curæ nostræ mensura servari.

13. Denique nonnulli nativitatibus tentaverunt exprimere qualitates, qualis futurus sit unusquisque qui natus sit; cum hoc non solum vanum, sed etiam inutile sit quærentibus, impossibile pollicentibus. Quid enim tam inutile, quam ut unusquisque persuadeat sibi hoc esse quod natus est? Nemo ergo debet vitam suam, statum moresque mutare^a et eniti quo melior fiat, sed in ea persuasionem manere. Neque probum potes laudare, nec condemnare improbum, qui necessitati nativitatis suæ respondere videatur. Et quomodo Dominus aut bonis præmia proposuit, aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinam, et conversationem stellarum cursus informat? Et quid est aliud quam hominem de homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studiis derelinquitur? Quam multos videmus ereptos criminibus atque peccatis in meliorem statum esse conversos! Redempti sunt Apostoli, et congregati ex peccatoribus: non utique nativitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificavit adventus, et hora Dominicæ passionis redemit a morte. ^b Latro damnatus, ille qui est cum Domino crucifixus, non beneficio nativitatis suæ, sed fidei confessione ad paradisi **68** æterna transivit. Jonam in mari non vis nativitatis, sed dissimulatæ divinæ præceptionis præcipitavit offensa, eundemque cetus excipiens, ad iudicium futuri mysterii post triduum revomuit, et prophetiæ merito gratiæ reservavit. Petrum de carcere imminente morte perimendum angelus Christi, non stellarum seriès liberavit. Paulum cæcitas convertit ad gratiam, et percussus a vipera, turbatumque naufragio, non remedia nativitatis, sed devotionis merita servaverunt. Quid de illis dicemus, qui eorum precibus, cum fuissent mortui, resurrexerunt? Utrum illos sua nativitas, an apostolica gratia resuscitavit? Quid opus fuit, ut se jejuniis periculisque committerent, si quo volebant nativitatis beneficio

A poterant pervenire? ^c Quod si credidissent, dum expectant factorum necessitatem, numquam ad tantam pervenissent gratiam. Inutilis igitur ista persuasio.

14. Quid quod etiam impossibilis? Nam ut de eorum aliquid disputatione sumamus, redarguendi gratia non probandi, magnam vim dicunt esse nativitatis, eamque minutis quibusdam et certis colligi oportere momentis: ac nisi verius colligatur, summam esse distantiam; brevi enim atomo, exiguoque momento distare nativitatem inopis et potentis, egentis et divitis, innocentis et noxii; et plerumque eadem hora generari longævitati debitum, et prima pueritiæ ætate moriturum, si reliqua disparia sint, et aliquo puncto discreta. Hoc quemadmodum possint colligere, respondeant. Constitue partum feminæ; obstetrix utique eum primo cognoscit, explorat vagitum, quo nati vita colligitur, attendit utrum masculus sit, an femina. Quot vis inter has moras præterire momenta? Pone mathematicum præparatum. Numquid potest vir interesse puerperio? Dum mandat obstetrix, audit Chaldaeus, ponit ^d horoscopium; in alterius sortem jam nati fata migrarunt, de altero quæritur, et alterius genitura proponitur. Pone veram esse eorum opinionem de nativitatibus necessitatibus, non potest vera esse collectio. Puncta transeunt, fugit tempus irreparabile. Non est dubium quod tempus in atomo et in momento oculi sit. Adducor ut credam, quando omnes in atomo, in momento, in ictu oculi resuscitamur, ut Apostolus protestatur dicens: *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus; non omnes autem immutabimur, e in atomo, in momento oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (I Cor., xv, 52). Inter effusionem, et susceptionem, depositionemque pignoris, inter fletum ejus et nuntium quot atomi transierunt! Et hoc ut simpliciter ista texuerim. Nam et ipsi vitalem illum signorum duodecim circuitum in duodecim partes dividunt: et quia triginta diebus sol duodecimam partem spheræ ejus quæ inenarrabilis habetur, regreditur, quo gyros solis anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas, quas *μοίρας* Græci vocant, unamquamque duodecim **69** illarum distribuunt portionem; ipsam quoque portiunculam in sexaginta vires conferunt. Rursus unumquodque de illis sexaginta sexagesies secant. Quam incomprehensibile est, ^f quod sexagesimo sexagesimæ portiunculæ nativitatis momenta constituent, et quis singulorum signorum sit aut motus, aut species in nativitate nascentis! Unde cum impossibile sit tam subtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem immutatio invehat

^a Ita mss. undecim. Alii ac edit: *eniti* (Gill., sed *eniti*, Rom., neque *eniti*) quo melior fiat. Sed in ea persuasionem neque probum, etc.

^b Edit. et pauci mss.: *latro ille damnatus capitis, ille cum Domino*, etc. Alii decem melioris ævi ut nos in textu.

^c Mss. octo non malæ notæ: *Quod si non credidissent*.

^d Instrumentum ad notandam horam natalem.

^e Edit et mss. duo: *in momento, in ictu oculi*. Alii magno consensu: *in atomo*, etc.; græce, *ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥίπῃ ὀφθαλμοῦ*. Deest etiam in mss.: *Canet enim tuba*, quod in edit. omnibus legere est. Hæc autem verba eo retinimus, quod in Scriptura habeantur, nec videatur sensus aliter cohærere.

^f Edit. omnes, *in quo sexagesimo tot sexagesimæ . . . momenta consistant*.

universitatis errorem, totum negotium plenum est A vanitatis. Disputatores eorum quæ sua sunt, nesciunt, quomodo aliena noverunt? Quid sibi immineat ignorant, quomodo possunt aliis quæ sibi futura sunt, denuntiare? Ridiculum est credere, quia si possent, sibi potius providerent.

15. Jam illud quam ineptum, ut si quis signo arietis ortum esse se dicat, ex usu pecudis æstimetur præstantissimus consilio, quod in grege hujusmodi emineat pecus: aut locupletior, eo quod vestitum habeat aries naturalem, et quotannis lucrum capiat indumenti, eoque viro illi familiaria videantur quæstum esse compendia! Similiter et de tauri, et de piscium signis argumentatur; ut ex natura vilium animantium cœli motus, et signorum interpretandas existiment potestates. Cibus ergo noster vivendi nobis decreta constituit, et alimenta nostra nobis, id est, aries, taurus, et piscis, morum imprimunt disciplinam. Quomodo igitur de cœlo nobis causas rerum, et substantiam vitæ hujus arcessunt, cum ipsis cœlestibus signis causas motus sui ex qualitatibus escæ vilis impertiant? Liberalem aiunt signo natum arietis, eo quod lanam suam aries non invitus deponat: et hujusmodi virtutem vilis animantis malunt naturæ deputare, quam cœlo, unde et serenitas nobis fulget, et pluvia sæpe descendit. Laboriosos et patientes servitii, quos nascentes taurus aspexerit, quia animal laboriosum et ^a assuetum jugo spontaneæ servituti colla submittit. Percussorem quoque, cujus nativitatem scorpius in sua parte complexus sit, et malitiæ venena revomentem, eo quod animal venenatum sit. Quid igitur auctoritatem vivendi daturum te signorum cœlestium dignitate prætendis, et de nugis quibusdam argumentum assertionis assumis? Nam si de animalibus assumptæ hujusmodi morum proprietates cœli motibus imprimuntur, et ipsum videtur bestialis naturæ potestati esse subjectum, ex qua causas vitalis substantiæ, quas hominibus impertiret, accepit. Quod si hoc abhorret a vero, multo magis illud ridiculum, veri eos subsidio destitutos, hinc fidem suæ disputationis arcessere.

16. Deinde illud consideremus, quod planetas illa signa appellant, quorum motibus formari asserunt vitæ nostræ necessitates. Sive igitur, ut D nomen sonat, semper vagentur: sive, ut ipsi dicunt, quod concito motu ferantur, et decies millies in die, aut si hoc incredibile videtur, multiplicem speciem innumera sui conversione commutent; fide caret quod tam vago sui errore, et tam celeri motu fixam nobis atque immobilem **70** vivendi substantiam, sortemque decernant. Ferunt tamen non esse æquales omnium motus, sed aliorum celeriores, aliorum tardiores esse circuitus; ut in eadem hora et videant se

frequenter, et frequenter abscondant, dum aliud ab alio præteritur.

17. Aiunt autem plurimum referre, utrum ortum generati benefica signa videant an malefica et noxia; et in eo nativitatis esse distantiam, quod benefici signi aspectus plurimum conferat, malefici et noxii plurimum noceat. Sic enim eadem signa quæ venerantur, appellare consueverunt. Necesse enim habeo eorum uti nominibus, quorum utor assertionibus, ne ignorata magis quam vacuefacta atque destructa sua argumenta commemorent. Itaque cum illum vagum, celeremque motum non queant comprehendere, sæpe fit ut per illam puncti et momenti incomprehensibilis subtilitatem ponant benefici signi aspectum, ubi gravis atque nocituri incurrat offensio. Et quid mirum si ibi luduntur homines, ubi signa innoxia blasphemantur? Quæ si natura noxia esse creduntur, Deus ergo summus arguitur, si fecit quod malum est, et fuit improbitatis operator. Si vero ex sua voluntate putantur assumpsisse quod noceat insontibus et nullius adhuc facinoris pessimi sibi consciis, quibus poena ascribitur antequam culpa; quid tam irrationabile, quod etiam irrationabilium bestiarum excedat immanitatem, ut usus fraudis aut gratiæ non meritis hominum deputetur, sed signorum motibus deferatur? Nihil, inquit, ille deliquit, sed noxia eum stella conspexit. Saturni ei sidus occurrit: avertit se paululum, et ærumnam ab se abstulit, et crimen absolvit.

18. Sed hæc eorum sapientia telæ aranæ comparatur, in quam si culex aut musca inciderit, exuere se non potest: si vero validiorum animantium ullum genus incurrisse visum est, pertransivit, et casses rupit infirmos, atque inanes laqueos dissipavit. Talia sunt retia Chaldæorum, ut in his infirmi hæreant, validiores sensu offensionem habere non possint. Itaque vos qui validiores estis, cum videritis mathematicos, dicite: Telam aranæ texuerunt, quæ nec usum aliquem potest habere, nec vincula, si tu non quasi culex aut musca lapsu tuæ infirmitatis incurras: sed quasi passer aut columba casses invalidos præpetis volatus celeritate dissolvas. Etenim quis prudentium credat quod signorum motus, qui ad diem sæpe mutantur, et multipliciter in se recurrunt, insignia deferant potestatum? Nam si ita esset, quantæ ad diem regalium nativitatum exprimerentur figuræ? Quotidie ergo reges nascerentur, nec regalis in filios transmitteretur successio: sed semper ex diverso statu, qui jus imperialis acquirerent potestatis, orirentur. Quis igitur regum genituram filii sui colligit, si ei debeatur imperium, et non proprio successionem regni in suos transcribit arbitrio? Legimus certe

^a Antiquissimi mss. Carn. et Corb.: et ad sumendum jugum spontanea servitute colla submittit. Vet.

edit.: colla submititens. Quinque mss.: subdens.

quod *Abia genuit Asa, et Asa genuit Josaphat, et Josaphat genuit 71 Joram, et Joram genuit Oziam* (*Matth.*, 1, 7 et 8); et reliqua omnis usque ad captivitatem per reges generis pariter et honoris ducta successio est. Numquid quia reges fuerunt, signis coelestibus formandos motus suos imperare potuerunt? Quis enim hominum potest habere in his dominatum?

19. Deinde si ad necessitatem genitalem, non ad instituta morum acus nostri, factaque referantur, cur leges propositae sunt, jura etiam promulgata, quibus aut poena improbis decernitur, aut securitas defertur innoxiiis? Cur non venia datur reis, cum utique, ut ipsi aiunt, non sua voluntate, sed ex necessitate deliquerint? Cur laborat agricola, et non magis exspectat ut inelaboratos fructus privilegio suae natalitatis invehat receptaculis horreorum? ^a Si ita natus est, ut ei divitiae absque opera affluant, utique operariatur, ut sibi spontaneos redditus sine ullo semine terra parturiat; non vomerem arvis imprimat, non curvae manum falci admoveat, non legendae vindemiae subeat expensam, sed ultro ei in omnes ^b serias vina fundantur fluentia, sponte ei oleum nullis inserta caudicibus silvestris oleae bacca desudet; nec diffusi aequoris transfretaturus periculum, propriae salutis sollicitus mercator horrescat, cui otioso potest quadam, ut aiunt, sorte genitalem divitiarum thesaurus illabi. Sed non haec est universorum sententia. Denique impiger depresso aratro terram sciendit agricola, nudus arat, nudus serit, nudus sole fervente ^c tostas aestu in area terit fruges: et negotiator impatiens flantibus euris intuto plerumque navigio sulcat mare. Unde importunitatem eorum, temeritatemque condemnans propheta ait: *Erubescet Sidon; dixit mare* (*Esa.* xxiii, 4), hoc est, si pericula vos non movent, vel pudor comprimatur, verecundia confundatur. *Erubescet Sidon*, in qua nullus virtuti locus, nulla salutis cura, nulla juvenus pro excubiis patriae bello dedita, armisque exercita, sed omnis sollicitudo de quaestu, omne studium mercaturae. *Semen*, inquit, *mercatorum sicut messis* (*Ibid.*, 3). Quae autem merces homini Christiano, si non ex voluntate, sed ex necessitate curas suas et opera ^d componit? Ubi enim ^e decreta necessitas, ibi inhonorata industria.

CAPUT V.

Luminarium vicinitate vel remotione annuas tempestates definiiri: quod Christo, Synagogae, atque Ecclesiae accommodatur. Cur umbræ majores in hyeme, in

^a Ita melioris notæ mss. Plerique tamen et edit. omnes: *Si ita natus est, ut ei divitiae atque opes affluant, ut sibi spontaneos redditus sine ullo semine atque opere terra parturiat.*

^b Seria, vas vinarium, oblongum, fictile.

^c Ms. Car.: *tostas aestate in area terit fruges.* Edit.: *tostas aestate colligit fruges.*

aestate minores; et quaedam alia id genus. Denique quomodo eadem luminaria sint in dies.

20. Multa diximus, plura volumus; ne quis ea quae a nobis de illorum assertionibus usurpantur ad refellendum, ad recognoscendum assumpta arbitretur. Nam quae pueri risimus, ea senes commemorare qui possumus? Nunc ad ea quae secundum lectionem supersunt, dirigamus stylum.

21. *Sint, inquit, luminaria in signa, et in tempora, 72 et in dies, et in annos.* De signis diximus. Tempora autem quae sunt, nisi mutationum vices, hyems, ver, aestas atque autumnus? In istis igitur temporibus aut velocior est transitus solis, aut tardior. Alia enim praestringit radiis suis, alia inflamat caloribus. Itaque cum sol meridianis partibus immoratur, ^e hyems nobis est. Nam cum sol longius abest, terra rigescit gelu, stringitur frigore, et plurima noctis umbra terras operit, ut multo prolixiora sint noctis spatia quam diei. Hinc oritur causa, ut hybernis flatibus nimia vis nivium, pluviarumque fundatur. Cum vero ex meridianis decedens partibus supra terram redit, noctis ac diei exaequat tempora: et quo magis moras suis adjungit cursibus, eo paulatim temperiem aeris hujus reducit, et revocat aurarum clementiam, quae fovens omnia, repetendos cogit in partus, ut terra germinet, ac resoluta sulcis semina reviviscant, virescant arbores, ad perpetuitatem quoque conservandi generis eorum quae vel in terris sunt, vel aquis gaudent, annuis fetibus successio propagetur. Ast ubi ad aestivas conversiones in Septentrionem se subrigit, spatia diurna producit, noctes vero arctat et astringit. Itaque quo magis usu assiduo aeri huic copulatur atque miscetur, eo amplius et ipsum aerem vaporat, et terrarum exsiccat humorem, adolescere facit semina, et tamquam in succos viriles maturescere poma silvarum. Tunc quia flagrantior est, minores umbras facit in meridiano, quoniam ex alto hunc illuminat locum.

22. Unde et Synagoga dicit in Canticis canticorum: *Annuntia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi manes in meridiano, ne forte fiam circumamicta super greges sodalium tuorum* (*Cant.* 1, 6), hoc est: *Annuntia mihi, Christe, quem dilexit anima mea.* Cur non potius quem diligit? Sed Synagoga dilexit, Ecclesia diligit, nec unquam circa Christum suum mutat affectum. *Ubi, inquit, pascis, ubi manes in meridiano.* Sequi te cupio quasi alumna, ^f quae quasi copulata ante retinebam, et greges tuos quaerere, quia amisi meos. In meridiano pascis, hoc est in Ecclesiae loco, ubi justitia resplendet, ubi fulget judicium

^d Quinque mss. et omnes edit.: *directa necessitas.*

^e Carn., Ben. et alii nonnulli, *dies procul nobis est.*

^f Vet. edit. cum paucis mss.: *quae quasi copulata ante retinebar.* Edit. Rom., *quem . . . retinebam.* Mss. octo melioris notæ, *quae . . . retinebam.* Unus, *quae . . . retineret.*

sicut meridies, ubi umbra non cernitur, ubi majores sunt dies, quod eis sol justitiæ tamquam æstivis mensibus diutius immoretur. Denique dies Domini non est brevis, sed magnus; quia scriptum est: *Donec veniat dies Domini magnus* (Joel. ii, 31). Unde et Jacob ait: *Omnes dies vitæ meæ quos ago, breves et maligni* (Gen. XLVII, 9). Est enim maligna lux dubia. Ergo dies breves dubiæ lucis sunt, et umbrosi: dies magni sine umbra sunt, ut plurimi in aliquibus locis ferventioribus usu, exemploque cognoverunt. Synagoga itaque in diebus brevibus et malignis, cujus typum plerumque Jacob in persona sua exprimit, vel populi ejus umbram habebat plurimam, quæ solem justitiæ non videbat, et videbat illum non ex alto super caput suum, sed ex meridiano illuminantem, quando illi hyems erat. Ecclesiæ autem dicitur: *Hyems abiit, discessit sibi, flores 73 visi sunt in terra, tempus messis advenit* (Cant., ii, 11). Ante adventum Christi hyems erat, post adventum Christi flores sunt veris, et messis æstatis. Ex meridiano ergo et ex gentium conversione illum illuminantem videns obumbratur. Populus autem gentium ^a qui erat confusionis, gentiles qui sedebant in tenebris, lucem viderunt magnam, qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est illis. Magna lux divinitatis, quam nulla umbra mortis interpolat. Ideoque ex alto illuminat, quia et hoc scriptum est, dicente Zacharia: *In quibus visitavit nos oriens ex alto: illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (Luc. i, 78 et 79). Est sane et aliqua salutis umbra non mortis, ut est illa: *Sub umbra alarum tuarum protege me* (Ps. xvi, 8). Umbra quidem, quia corporis est: umbra, quia crucis, sed umbra salutis; ^b quia in ea erat peccatorum remissio, et resuscitatio mortuorum.

23. Exemplum ergo possumus accipere; quia hyemales dies breves, sed umbras majores habent; æstivi dies majores, sed umbras minores habent. Medio quoque die minor umbra, quam vel in principio est dici vel sine: et hoc apud nos in parte Occidentis. ^c Cæterum sunt qui per duos totius anni dies sine umbra fuerint in partibus meridianis, eo quod habentes super verticem suum solem, undique per circuitum illuminentur, unde ἄσπιλοι dicuntur Græce. Plerique etiam ferunt sic e regione ex alto fieri solem, ut per angusta puteorum aquam quæ in profundo est, viderint refulgere. Esse autem dicuntur in meridiano qui ἀππιστοι vocantur, eo quod umbram ex utroque latere transmittant. Umbra enim e regione solis ambulantis post tergum est; ut puta si contra Orientem pergas, matutinis horis; si

^a Ita mss. fere ad unum. Ben. tamen habet: *qui erat in confusione gentili, qui et sedebat in tenebris*. Edit. vero, *qui erat confusionis ac gentilis* (omittunt quædam Paris. ac gentilis) *qui sedebat, etc.*

^b Mss. multi ac boni: *quia intererat peccatorum remissio*. Alii ac edit. ut in textu.

^c Edit. cum mss. aliquot infimæ notæ: *Cæterum*

A contra meridianam plagam contendas, medio die; si contra Occidentem, in occasu diei. Ex tribus igitur partibus fit tibi sol obvius, ex Oriente, ex Meridiano, ex Occidente. Mane et sero post tergum est, meridie quoque a latere: at vero a Septentrione numquam est sol, et ideo umbra ^d si contra Septentrionem dirigas, sive mane, sive sero, sive meridie, non potest esse post tergum. Soli sunt enim in hoc quem nos incolimus orbe terrarum circa ^e Meridiem positi, qui in Australem plagam videantur umbram transmittere. Hoc autem fieri dicitur summo æstu, cum ad Aquilonem sol dirigit. Postea nos autumnus excipiens, infringit quidem æstuum magnitudinem: sed paulisper relaxato ac deposito calore, per temperiem medii moderaminis sine fraude nos atque

B nulla noxa flatibus tradit hyemalibus.

24. *Sint, inquit, etiam in dies*. Non ut faciant dies, sed ut in eis habeant principatum, ut ortum diei uberiore sol illuminet gratia, ut per totum diem designandi ejus habeat potestatem cursus sui munere. Sic accipiunt nonnulli quod ait propheta: *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis* (Ps. cxxxv, 8). Circumferunt enim lumen. 74 In annos quoque ordinati sunt sol et luna: luna per trecentos dies duodenis vicibus suum cursum conficiens, consummat annum, secundum Hebræos, aliquibus diebus adjectis; secundum Romanos, bis sexto semel intra quinquennium unius diei adjectione celebrato. Solstitialis quoque annus est, cum sol expleto per omnia signa circuitu, in id unde principium cursus sui sumpsit, recurrit. Annua enim fertur ei totius spatii esse perfunctio.

CAPUT VI.

Solis ac lunæ magnitudo hinc probatur, quod omnibus eadem appareat. Solvitur objectio et de remotorum aspectu pulchre disputatur: tum asserta solis magnitudine, nonnihil de temperamento ejusdem adjicitur.

25. Fecit ergo Deus hæc duo luminaria magna. Possumus accipere non tam aliorum comparatione magna, quam suo munere, ut est cælum magnum, et mare magnum. Nam et magnus sol, qui complet orbem terrarum suo calore, vel luna suo lumine, nec solum terras, sed etiam aerem hunc et mare, coelique faciem. Quæ in quacumque parte fuerint cœli, illuminant omnia, et æque spectantur a cunctis; ut ea tamquam suis tantum regionibus immorari, et sibi tantum adesse atque lucere singuli populi credant; cum similiter luceant universis, ut nemo his propiorem alium, quam ipse est, arbitretur. Exemplum magnitudinis eorum evidens, quod omnibus hominibus orbis lunæ idem videtur. Nam etsi

sunt qui dicant quod per duos, etc.

^d Ita Rom edit. cum mss. Vat., Ben. et Germ. quibuscumque facit Basil. Aliæ edit. et mss., *umbra*. *Si contra Septentrionem . . . non potest esse post tergum sol. Sunt enim, etc.* Attamen voces, *sol et soli*, quibusdam in cod. desiderantur.

^e Codex Vat. et Basil.: *ultra Arabiam positi*.

interdum augeatur lumen ejus atque minuatur, tamen eadem nocte qualis mihi apparet, talis et omnibus; nam si longe positus minor videretur, propius constitutus major refulgeret, et proderet angustiarum et exiguitatis indicium. Etenim reliqua alia longe posita minora arbitramur, propius contuentes majora credimus; quo magis finitimus fueris, eo tibi ejus rei quam cernis, magnitudo cumulatur. Solis ^a radius nulli propior, nulli longinquior est; similiter et lunæ globus æqualis est omnibus. Similis sol et Indis et Britannis eodem momento videtur, cum oritur. Nec cum vergit in occasum, minor apparet Orientalibus quam Occidentalibus: nec Occidentalibus cum oritur, inferior quam Orientalibus æstimatur. *Quantum distat, inquit, Oriens ab Occidente (Ps. cii, 12)?* Hæc invicem sibi distant: sed sol a nullo distat, nulli præsentior, nulli remotior est.

26. Neque te moveat quod tamquam cubitalis tibi orbis videatur solis, cum oritur: sed considera quantum intersit spatii inter solem et terras, quod aspectus nostri infirmitas sine magno sui non potest transire dispendio. Caligat aspectus noster, numquid sol caligat, aut luna? Angustus noster obtutus, numquid ideo angustiora efficit quæ videntur? Species minuitur, non **75** magnitudo detrahitur. Neque enim infirmitatis nostræ passiones passioni luminarium debemus ascribere. Mentitur noster aspectus: noli ergo fidele æstimare ejus iudicium. Fit cœlestium minor spectaculi figura, non sui forma. De summo vertice montium si subjectum oculis tuis campum spectare desideras, atque illic armenta pascentia, nonne formicarum similia corpora judicabis? Si mare spectes e specula aliqua littorali, nonne tibi navium maximæ inter cæruleos fluctus, et vela candentia refulgentes velut columbarum volitantium speciem eminus posito videntur obtexere? Quid ipsæ insulæ quæ mare dividunt, terrarum arva diffundunt, quam angusto æstimantur sine concludi? Quemadmodum rotunda apparent de asperis, spissa de raris? Has ergo infirmitates visus tui perpende; et eorum, quæ astruimus fidem, ex te ipso arbiter justus accersi.

27. Si vis magnitudinem solis non solum oculo mentis, sed etiam corporis æstimare, considera quanti stellarum globi axem cœli videantur intexere, et innumeris insignire luminibus; non queunt tamen tenebras noctis, et cœli nubila detergere. Simul ut sol ortus sui signa præmiserit, omnes stellarum ignes sub unius luminaris fulgore vanescunt, aperitur aer, cœlique facies purpurascenti rubore perfunditur. Adhuc spirans exordium, et jam momentaria celeritate pleni luminis micat splendor, et surgentis solis prævia ^b aura dulcis aspirat. Dic mihi, quæso, nisi magnus orbis esset, quomodo magnum posset orbem illuminare terrarum?

28. Quid autem de tanto loquar temperamento et

moderamine conditoris, qui eam mensuram muneri solis attribuit; ut neque vapor ejus igneus, ut videtur, terrarum venas, succos, rerumque species infusus exureret, neque iterum per tanta mundi spatia refrigeratus, nullum terris semen caloris inoleret, sed jejunam atque inopem fructuum derelinquens, ad nullam fertilitatis gratiam vaporaret?

CAPUT VII.

Plurima quæ de sole dicuntur, lunæ etiam convenire; eam tamen proprios quoque habere effectus, quorum aliqui hic recensentur.

29. Similia de lunæ ratione conveniunt, quæ de consorte ejus ac fratre memoravimus. Siquidem in id se induit ministerium, in quod et frater; ut illuminet tenebras, soveat semina, augeat fructus. Habet etiam pleraque a fratre distincta; ut quem toto die calor humorem terræ siccaverit, eundem exiguo noctis tempore ros reponat; nam et ipsa luna largæ roris asseritur. Denique cum serenior nox est, et luna pernox, tunc largior ros fertur arva perfundere. Et plerique sub aere quiescentes, quo magis sub lumine fuissent lunæ, eo plus humoris se capite collegisse senserunt. Unde et in Canticis Canticorum Christus dicit ad Ecclesiam: **76** *Quoniam caput meum repletum est rore, et crines mei guttis noctis (Cantic. v, 2).* Tum deinde minuitur et augetur, ut minor sit, cum resurgit nova; et cum sit imminuta, cumuletur. In quo grande mysterium. Nam et defectui ejus compatiuntur elementa: et processu ejus quæ fuerint exinanita, cumulantur, ut animantium cerebrum, et maritimorum humida. Siquidem pleniores ostreæ reperiri feruntur, multaque alia, cum globus lunaris adolescit. De arborum quoque internis idem allegant, qui hoc usu proprio compererunt. Videmus ergo ortum ejus et defectum rationis esse, non infirmitatis. Numquam enim tantam rebus mutationem daret, nisi præstantem virtutem haberet et gratiam a conditore collatam.

30. Aerem quoque nonnulli etiam docti et christiani viri allegaverunt lunæ exortu solere mutari: sed si id mutationis lunaris quadam fieret violentia, ad omnes ortus ejus intexeretur nubibus cœlum, pluvie funderentur. Denique cum ante dies esset sermo de pluvia, quæ fore utilis diceretur, ait quidam: Ecce neomenia dabit eam. Et quamvis cupidi essemus inbrium; tamen ejusmodi assertiones veras esse, nolebam. Denique delectatus sum, quod nullus imber effusus est; donec precibus Ecclesiæ datus, manifestaret non de initiis lunæ eum sperandum esse, sed de providentia et misericordia Creatoris. Sane Euripi cum exundent undique secundum reliquas species lunæ, et acceptos fluctus refundant, vel etiam ipsi magno ferantur impetu; in ortu tamen ejus stant placidi, quoadusque luna sine lumine est. At vero ubi eam dierum ^c accessus retexerit, tunc

^a Rom. edit. sola, *Solis orbis nulli propior.*

^b Sex mss. *aurora dulcis aspirat.*

^c Edit. vet. et quædam Paris. cum mss. quatuor., *accessus auxerit.*

in suos cursus refluos revertuntur. ^a Ampotis quoque, quæ in Oceano esse perhibetur, cum reliquis diebus ordinem suum servare dicatur, lunari exortu evidens mutationis suæ fertur indicium dare; ut mare ipsum occidentale, in quo spectatur ampotis, solito amplius accedat ac recedat, et majore æstu feratur, tamquam lunæ quibusdam aspirationibus retrorsum trahatur, et iterum iisdem impulsu ac retractum in mensuram propriam refundatur.

CAPUT VIII.

Lunæ mutatio rerum instabilitatem docet: at ipsa turpiter in moribus nostris exprimitur. Christi mysterium atque Ecclesiam eadem repræsentat: quam qui magis cantibus de cælo detrahi credunt, irridendi.

31. Unde si miraris quomodo defectum luna patitur, cum tantam vim mutationis habeat suæ; considera et in eo magnum esse mysterium, quod ejus exemplo cognoscis, o homo, nihil rerum humanarum et mundanæ totius creaturæ esse posse, quod non aliquando resolvatur. Nam si etiam luna, cui tantum Dominus commisit ministerium, ut illuminet orbem terrarum, et crescit, et deficit, ^b deficiunt enim omnia quæ ex nihilo orta usque ad perfectionem venerunt, iterum perfecta minuuntur, cælum enim et terra præteribunt; cur non id moderationis assumimus, ut neque in adversis abjiciamus animum, qui enim omnia fecit ex nihilo, facile te quoque potens est ad summa et perfecta provehere; et rursus non extollamur in prosperis, neque in potestate aliqua nos, divitiisque jactemus, neque in viribus corporis, aut pulchritudine gloriemur, in quo est facilis corruptio, crebra mutatio, sed manentem in futurum animi gratiam persequamur. Nam si te lunæ contristat occasus, quæ se semper reparat ac reformat; multo magis contristare te debet, si anima profectu virtutis impleta cum fuerit, postea per inconstantiam mentis, atque incuriam a suo deflexa proposito studia sua sæpe commutet, quod est insipientiæ et inscientiæ. Unde et Scriptura ait: *Stultus ut luna mutatur (Eccli. xxvii, 12)*. Et ideo sapiens non cum luna mutatur; sed permanebit cum sole. Unde non luna est particeps stultiæ; quia non luna mutatur ut stultus, sed stultus ut luna. Denique semen justis sicut luna perfecta in æternum manet, et testis in cælo fidelis. Aliud enim est fungi ministerio, aliud circumferri ingenio, et sensus infirmitate fixam non habere sententiam. Luna pro te laborat, et propter voluntatem Dei subdita est. Vanitati enim creatura subjecta est non sponte, sed propter eum, qui subjecit in spe. Illa ergo non sponte mutatur: tu sponte mutaris. Illa congemiscit et comparturit in sua mutatione: tu non intelligis, et gratularis fre-

quenter. Illa tuam redemptionem frequenter expectat, ut a communi totius creaturæ servitio liberetur: tu et tuæ redemptioni, et illius libertati offers impedimentum. Tuæ ergo, non suæ stultiæ est, quod dum tu expectaris, et nec sero converteris, adhuc et illa mutatur.

32. Noli ergo lunam oculo tui corporis æstimare, sed mentis vivacitate. Minuitur luna, ut elementa repleat. Hoc est vere grande mysterium. Donavit hoc ei qui omnibus donavit gratiam. Exinanivit eam, ut repleat qui etiam se exinanivit, ut omnes repletet. Exinanivit enim se ut descenderet nobis: descendit nobis ut ascenderet omnibus. *Ascendit enim, inquit, super omnes cælos ut impleret omnia (Ephes. iv, 10)*. Itaque qui exinanitus advenerat, de plenitudine sua apostolos adimplevit. Unde unus ex his dicit: *Nam de plenitudine ejus omnes nos accepimus (Joan. i, 16)*. Ergo annuntiavit luna mysterium Christi. Non mediocris in qua signum posuit sumus: non mediocris quæ typum dilectæ habet Ecclesiæ, quod significat Propheta dicens: *orientur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec tollatur luna (Ps. lxxi, 7)*. Et in Canticis Dominus de sua sponsa ait: *Quænam est hæc prospiciens tamquam diluculum, speciosa sicut luna, electa ut sol (Cant. vi, 9)*? Et merito speciosa sicut luna Ecclesia, quæ toto mundo refulsit, et tenebras sæculi hujus illuminans dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit (Rom. xiii, 12)*. Pulchre ait, *Prospiciens*; quasi suos de superiore prospectans, sicut habes: **78** *Dominus de cælo prospexit super filios hominum (Ps. xiii, 2)*. Prospiciens ergo Ecclesia, sicut luna defectus habet et ortus frequentes: sed defectibus suis crevit, et his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur et confessorum martyriis coronatur. Hæc est vera luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis et gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine; et splendorem sibi accessit de sole justitiæ, ut dicat: *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus (Galat. ii, 20)*. Beata plane quæ tantum insigne meruisti! Unde te non tuis neomeniis, sed typo Ecclesiæ beatam dixerim. In illis enim servis, in hoc diligeris.

33. Quam ridiculum autem quod te plerumque credunt homines magicis carminibus posse deduci! Aniles istæ fabulæ, ac vulgi opiniones. Quis enim opus Dei tanto ministerio deputatum arbitraretur Chaldaicis superstitionibus posse tentari? Lapsus sit ille, qui se transfigurat in angelum lucis, et deductus voluntate propria, non carminum potestate. Sane et in hoc quasi Ecclesia putaris posse de loco tuo et statione deduci. Multi tentant Ecclesiam: sed sagæ ^c artis ei carmina nocere non possunt. Nihil in-

^a Ampotis Græce ἀμπωτις, id est, undarum reciprocatio.

^b Ha mellioris notæ mss. Reliqui autem partim, omnia quæ, vel omniaque ex nihilo orta usque ad perfectionem venerunt, et iterum; partim, quia omnia quæ . . . iterum, etc. Vatic. solus, omniaque ex nihilo orta

simul atque ad perfectionem venerunt, iterum, etc. Edit. vero, quia omnia ex nihilo, etc., ut in contextu.

^c Mss. aliquot, sagacitatis; alii nonnulli sacrilegæ artis; plures, sagæ artis. Edit., magicæ artis; quod eodem recidit.

cantatores valent, ubi Christi canticum quotidie decantatur. Habet incantatorem suum dominum Jesum, per quem magorum incantantium carmina, et serpentum venena evacuavit: et ipsa sicut serpens exaltatus devorat colubros Ægyptiorum; serale licet carmen immurmuret, hebetatur in Christi nomine. Sic et^a Elymam magum Paulus non solum sagæ artis infirmitate, sed etiam oculorum amissione cæcavit. Sic Petrus Simonem alta cœli magico volatu petentem, dissoluta carminum potestate, dejecit et stravit.

CAPUT IX.

Conclusio quarti diei. Quam vanum sit eum cavere; et unde in eundem dæmonum ac gentiliū offensio derivata.

54. Pulchre, ut arbitror, cessit dies quartus. Quomodo ergo quartum plerique consueverunt cavere, et inutile putant hoc numero aliquid ordiri, quo to-

^a Ms. Car.; *Hymum*; Ben., *Etymum*; Big. et Gem., *Jeu*; Cæn. prima et Gem. secunda manu, *Hymeneum*; Corb. unus *Barjeu*: Elimas Act. XIII, alio nomine vocatur Barjesu, vel juxta aliquos mss. Barjeu. At nullibi legitur eum appellatum fuisse Hym-

num vel Hymeneum; fit quidem mentio unius Hymenei, I Tim. I, et II Tim. II, cui hæreseos notam inurit Apostolus: sed illum eundem ac Elimam fuisse nullus dixerit.
^b Nonnulli mss., et quinta decima die signa salutis.

Atus nova luce mundus emicuit? An sinistris sol cœpit auspiciis? Et quomodo aliis potest bona signare, qui sibi eligere diem sui nescivit exortus? Aut quomodo signa ejus probant, ejus ortum non probant? Quid etiam de luna dicimus, quæ et quarto die cœpit, et^b quarta decima diem signat salutis? An displicet numerus, quo celebratur mysterium redemptionis? Ideo dæmones declinandum fore persuadent numerum eum, quo eorum destructa nequitia est. Ideo gentiles nihil adoriendum asserunt; quia sciunt tunc primum artes suas vacare cœpisse, et populos gentiles ad Ecclesiam demigrasse. Lunam certe quartam, si pura fuerit, neque obtusis cornibus, dare reliquis diebus usque ad exactum mensem indicium serenitatis **79** existimant. Nolunt ergo eisdem exordiis inchoare, quibus serenitas inchoatur. Sed jam cavendum ne nobis in sermone dies quartus **80** occidat; cadunt enim umbræ majores de montibus, lumen minuitur, umbræ cumulat.

num vel Hymeneum; fit quidem mentio unius Hymenei, I Tim. I, et II Tim. II, cui hæreseos notam inurit Apostolus: sed illum eundem ac Elimam fuisse nullus dixerit.

^b Nonnulli mss., et quinta decima die signa salutis.

LIBER QUINTUS.

DE OPERE QUINTI DIEI.

79 CAPUT I (Sermo VII.)

Ornatis superioribus duobus elementis, mari propria prærogativa conceditur. Describitur aquarum obedientia, ac mirâ fecunditas, qua homo gustatis interdictis abutitur. Demum ostenditur reptilia non modo serpentes vocitari, sed etiam pisces.

1. Vestita diversis terra germinibus virebat omnis, cœlum quoque sole et luna, geminis vultus sui luminibus, stellarumque insignitum decore fulgebat. Supererat elementum tertium, mare scilicet; ut et ipsi gratia vivificationis divino proveniret munere. Æthereo enim spiritu omnes terrarum fetus aluntur. Terra quoque semina resolvens, universa vivificat: et maxime tunc primum verbo Dei jussa viridescere, vivificationis suæ munere pullulabat. Vacabat aqua, et a divinæ operationis feriata beneficio videbatur. Habet adhuc Creator quod illi conferat. D quo munia terrarum possit æquare: reservabat ei, ut et ipsa proprium sibi et speciale aliquid prærogativæ collati sibi muneris vindicaret. Vivificavit prius terra, sed ea quæ spirantem animam non habebant. Aqua jubetur ea producere quæ viventis animæ vigorem dignitatemque præferrent, et sensum tuendæ salutis, et fugiendæ mortis acciperent.

2. Dixit itaque Deus, *Producant aquæ reptilia ani-*

marum viventium secundum genus, et volatilia volantia^a super terram secundum firmamentum cœli (Gen. I, 20). Venit mandatum et subito aqua jussos fundebatur in partus: generare fluvii, vivificare lacus, mare ipsum cœpit diversa reptilium genera parturire, et secundum genus effundere quodcumque formaverat. Non exigui gurgites, non cœnosæ paludes vacabant, quin omnia datam sibi creandi assumerent potestatem. Pisces exsiliabant de flumine, delphines præludebant in fluctibus, conchæ saxi, ostreæ adhærebant profundis, adolescebant e-bini. Væ mihi! ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum^b, nostræ mater luxuriæ. Ante hominem deliciæ. Prior ergo hominum tentatio, quam natura: ^c sed nihil natura deliquit; alimenta dedit, non vitia præscripsit. Hæc communia dedit, ne tibi aliqua velut propria vindicares. Tibi suos fructus terra producit; tibi scaros et accipenseris, et omnes fetus suos generant aquæ: et his non contentus interdicta tibi alimenta gustasti. Ad invidiam tuam omnia congeruntur, ut prævaricatio **80** tuæ aviditatis oneretur.

3. Sed neque quam multæ species et nomina sint, possumus enarrare, quæ omnia momento divinæ præceptionis animata sunt. Simul coibat forma corporis et operabatur anima, vitalis^d etiam vigor reliquæ virtutis. Repleta erat terra germinibus, mare

^a Septem mss. omittunt hæc verba, *super terram*; sed inf. cap. 22, ostendit Ambrosius, cur in sacra Scriptura habeantur.

^b Desunt in mss. aliquot hæc voces *abundantia co-*

piarum, nostræ mater luxuriæ.

^c Quidam mss., *sed nihil creatura deliquit.*

^d Mss. non pauci, *vigor aliquis virtutis.*

impletum animantibus. Ibi insensibilia pullulabant, hic sensibilia versantur. In terris quoque aqua suas sibi vindicat portiones. Lambunt terram pisces aquarum, et ex ea sibi prædam requirunt. Culices quoque et ranunculi circa genitales strepunt paludes, et ipsæ audierunt Domini mandatum dicentis: *Producant aquæ reptilia animarum viventium.*

4. Scimus reptilia dici genera serpentum, eo quod super terram repant: sed multo magis omne quod natat, reptandi habet vel speciem, vel naturam. Nam etsi in profundum qui se demerserint, aquam videantur^a findere; tamen cum supra innatant, repunt toto corpore, quod trahunt super quædam dorsa aquarum. Unde et David ait: *Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus (Ps. ciii, 25).* Quinetiam cum pleraque pedes habeant, et ambulandi usum, eo quod sint amphibia, quæ vel in aquis vel in terris vivant, ut sunt phocæ, crocodili, equi fluviales, quos hippopotamos vocant, eo quod hi generentur Nilo in flumine; tamen cum in alto aquarum sunt, non ambulant, sed natant, nec vestigio utuntur pedis ad incedendum, sed tanquam remo ad reptandum. Siquidem et navis acta remis labitur, et aquas sulcat carina.

CAPUT II.

Virtute hujus vocis, producant aquæ reptilia, multo plura in mari quam in terra esse producta; eamque gratiam aquis additam, ut quæ in terris noxia, in mari innoxia generentur.

5. *Producant aquæ reptilia*, dixit Dominus. Brevis sermo, sed vehemens, et late patens, communem minimis et maximis naturam infudit. Eodem momento producit balena quo rana ejusdem vi operationis nascitur. Non laborat in maximis Deus, non fastidit in minimis. Nec doluit natura parturiens delphinas; sicut non doluit, cum exiguos murices cochleasque produceret. Adverte, ô homo, quanto plura in mari quam in terris sint. Numera si potes, omnia piscium genera vel minorum, vel etiam maximorum, sepias^b, polypos, lithostracos, carabos, caneros, et in his innumerabilia **81** sui generis. Quid dicam genera serpentium, dracones, murænas, anguillas? Nec præmittam scorpios, ranas, testudines, mustelas quoque et canes maritimos, vitulos marinos, cete immania, delphinas, phocas, leones. Quid attexam etiam merulos, turdos, pavos quoque, quorum etiam colores in avibus videmus expressos, ut nigri merulæ, pavi diverso colore dorsa et colla depicti sint, turdi albo varii, et cætera quorum sibi terræ species et nomina vindicarunt? Nam prius in mari ista cœperunt

^a Mss. aliquot, *videantur incidere.*

^b Mss. quatuor habent, *litos, ostriotas, tructas, carabos. Caru., clitostriata. Germ., lithostrata. Cæn. ac Corb. secunda manu, sed antiqua, polypedes, lithos, tructas, carabos; forte λειόστρακους, id est levi testa inlectos. Cæterum Basilius carabos et caneros inter ea reponit quæ dicuntur μαλακόστρακα, id est, quæ testis mollibus teguntur; Polypos vero et sepias inter μαλάκια, quorum videlicet caro mollis est ac tenera.*

^c Non pauci cod., *dictu, vel dictum facessi, id est, ablit, seu pervagatur.*

A diversisque fluminibus. Siquidem aqua prior animarum viventium reptilia divino nutu imperata produxit.

6. Adde hanc gratiam, quod ea quæ timemus in terris amamus in aquis. Etenim noxia in terris in aqua innoxia sunt, atque ipsi angues sine veneno. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Muræna, quam ferunt aliquid habere noxium, esca pretiosior est. Rana horrens in paludibus, decora in aquis, omnibus fere præstat alimentis. Plura si quis vult cognoscere, a diversis locorum piscatoribus quærat; nemo enim potest omnia comprehendere. Canes sane et in mari cave, quos et in Ecclesia molestos esse et cavendos Apostolus docet dicens: *Cavete canes, cavete malos operarios (Phil. iii, 2).* Mustelæ gravis in terris odor, in aquis suavis. Terrena se novit vindicta foetoris ulcisci: hæc non minorem habet gratiam capta, quam libera. Neque te inhonoratum nostra prosecutione, thymalle, dimittam, cui à flore nomen inolevit: seu Ticini unda te fluminis, seu amœni Athesis unda nutrierit, flos es. Denique sermo testator, quod de eo qui gratiam redolet suavitatem, ^c dictum facete sit: Aut piscem olet aut florem; ita idem pronuntiatus est piscis odor esse qui floris. Quid specie tua gratius? Quid suavitate jucundius? Quid odore flagrantius? Quod mella flagrant, hoc tu corpore tuo spiras. Quid loquar^d corvorum, quid etiam luporum teneritudines? Nescit hos lupos agnus timere. Tanta est aquarum gratia, ^e quarum vitulos fugiant et leones, ut his propheticum illum dictum de Ecclesiæ sanctitate jure conveniat: *Tunc lupi et agni simul pascentur, leo et bos simul paleas manducabunt (Esa. lxxv, 25).* Nec mirum, quandoquidem etiam in Ecclesia aquæ illud operantur, ut prædonum abluta nequitia cum innocentibus comparetur. Quid etiam purpuras memorem, quæ ornant regum convivia, amictus imbuunt? Aquarum est igitur quod in regibus adoratur: aquarum est species illa quæ fulget. Adde porcos maris etiam Judæis gratos; quia nihil est commune, quod non aqua abluat, et ideo communes eos sicut in terra editos æstimare non possunt.

82 CAPUT III.

Multiplicem piscibus rationem esse generandi, ac singularem in prolem pietatis sensum. Quanta sit eorum puritas, qua non solum alia bruta, sed etiam homines ipsos superant.

7. Innumeri itaque usus, innumera genera piscium. Alii ova generant, ^f ut varii majores quos

^d Mss. aliquot, *Quid loquar porcorum, etc.*

^e Sic mss. quindecim, et edit. Cost. Alii mss. sequioris notæ, ac edit. Am., Pet., Era., Gill., *quarum vituli figurantur et leones. Rom. . . . junguntur et leones.*

^f Edit. omnes cum paucis mss., *ut ii quos tructas vocant. Alii mss. magno numero et auctoritate, ut varii majores quos troctas vocant. Est autem hoc discrimen tructas seu truttas inter et troctas, quod hæc in mari vivunt, illæ in fluviis.*

troctas vocant, et aquis fovenda committunt. Aqua igitur animat et creat, et adhuc mandati illius primi tamquam legis perpetuæ munus exsequitur, blanda quædam mater animantium. Alii vivos fetus edunt de suo corpore, ut mustelæ, et caniculæ, et cete ingentia, delphines, et phocæ, aliaque cætera hujusmodi. Quæ cum ediderint partus, si quid forte insidiarum terrorisque præsenferint circa catulos suos quemquam moliri, quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pavorem materno affectu comprimant, aperire ora, et innoxio partus suos dente suspendere, interno quoque recipere corpore, et genitali feruntur alvo abscondere. Quis humanus affectus hanc piscium pietatem possit imitari? Oscula nobis satietati sunt: illis non satis est aperire viscera, natosque recipere ac revocare integros, atque iterum fotu quodam eos sui caloris animare, ^a et spiritu alere, duosque in corpore uno vivere; donec aut securitatem deferant, aut corpore suo objecto natos suos defendant a periculis. Quis hæc videns, etsi possit obtinere, non tantæ piscium pietati cedat? Quis non miretur et stupeat, ut servet natura in piscibus, quod non servat in hominibus? Pleræque ex suspitione novercalibus odiis appetitos suos occiderunt filios: aliæ in fame, ut legimus, partus proprios comederunt. Humanis pignoribus mater sepulcrum facta est; piscium proli parentis est uterus sicut murus, vallo quodam internorum viscerum pignora inoffensa conservat.

8. Diversa igitur piscium genera diversos usus habent: alii ova generant, alii vivos pariunt atque formatos. Et qui ova generant, non nidos texunt ut aves, non diurni fotus laborem induunt, non cum molestia sui nutriunt. Cecidit ovum, quod aqua gremio quodam naturæ suæ quasi nutrix blanda suscepit, et animal celeri fotu reddidit. Continuo enim tactu parentis animatum ovum cecidit, et piscis exivit.

9. Tum deinde quam pura et inviolata successio! Nullus alteri, sed generi suo miscetur, thymallus thymallo, lupus lupo. Scorpæna quoque castitatem immaculati connubii generi suo servat. Itaque habet pudicitiam generis sui, sed venenum generis sui non habet; non enim percutit scorpæna, sed reficit. Nesciunt igitur ^b alienigenarum genera piscium adulterina contagia, sicut sunt ea quæ coeunt asinorum equarumque inter se genera, quæ magna hominum cura perpetrantur: vel rursus cum equus asinæ miscetur, quæ sunt vera adulteria naturæ. Nam utique majus est quod in naturæ colluvionem **83** committitur, quam quod in personæ injuriam. Et homo ista procuras interpres adulterii jumentalis; et illud animal pretiosius putas, quod adulterinum, quam quod verum est? Ipse genera aliena confundis, diversa que mixes semina, atque ad vetitos coitus plerumque cogis invitos, et hoc industriam vocas! Hoc quia de hominibus facere non potes, ut diversi generis commixtio fetum possit excludere, tollis

A homini quod natus est; et virum de viro exuis, abscis- saque corporis parte, ^c sexum negas, spadonem efficis; ut quod negavit natura in hominibus, impleret audacia.

CAPUT IV.

Mutuum aquæ ac piscium necessitudinem docere, qualis parentum et filiorum necessitudo esse debeat. Quomodo respirationis usum aqua suppleat in piscibus.

10. Quam bona autem mater sit aqua, etiam hinc considera. Tu, o homo, docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia, offensas, disce quæ sit parentis et filiorum necessitudo. Vivere pisces sine aqua non queunt, nec a suæ parentis consortio separari, neque a suæ altricis discerni munere: et hoc fit natura quadam, ut separati moriantur illico. Neque enim, ut omnia, hujus aeris vivunt spiramine, quia hauriendi spiritus et respirandi natura his non suppetit; alioquin sub aquis semper non possent vivere non capientes spiritus infusionem. Quod est nobis spiritus, illis est aqua. Sicut nobis spiritus, ita illis aqua vivendi ministrat substantiam: nos intercluso commeatu spiritus, quia ne brevi quidem spatio possumus expertes esse spiritus vitalis, statim extinguimur; pisces quoque sublatis de aqua, sine substantia sui vivi esse non possunt.

11. Et causa manifesta est, quoniam in nobis pulmo per thoracis laxiora penetralia recipit spiritum; et cum sit ipse poris plerisque penetrabilis, spiritus infusione interiorum calorem refrigerat. Thorax enim ut suscipit alimenta, ita superflua ciborum et succos salubres sanguinemque discernit. Fit pulmo pervius, unde facilius ad eum potest aspiratio spiritus pervenire. Pisces vero ^d branchias habent, quas nunc plicant et colligunt, nunc explicant atque aperiant. In hac ergo collectione et apertione dum suscipitur aqua, et transmittitur ac penetrat, respirationis munus videtur implere. Propria igitur natura est piscium, nec communis cum cæteris; specialis usus, et a cæteris vivendi quædam separata et secreta substantia. Propterea non nutriuntur, neque, ut terrena animalia, manus humanæ tactu et delinimento aliquo delectantur; etiamsi servati in vivariis suis vivant.

84 CAPUT V.

Pisces cur tam bene dentati. Hi sibi invicem in escam cedunt: quod imitantur avari, qui vehementi objurigatione castigantur.

12. Quid autem de densitate dicam dentium? Non enim ut bos aut ovis ex una parte dentes habent: sed utraque pars armata est dentibus; quia in aqua sunt, et si diutius cibum versarent, et non cito transmitterent, aquarum alluvione de dentibus eorum esca posset auferri ac dilui. Ideo densos et acutos habent, ut cito incidant, cito conficiant cibum, facile et sine aliqua mora et dilatione transmittant.

^a Mss. nonnulli, et spiritu adolere.

^b Mss. nonnulli antiquæ manus, alieni generis socium . . . qua coeunte asinorum: . . . genere, magna, etc.

^c Quinque mss., sexum necas.

^d Branchiæ, Græce βραγχίαι, partes sunt in piscibus ex utraque parte capitis follium more hiantes.

Denique non ruminant; solus tamen scarus in his A
ruminare perhibetur, ut ferunt quibus aut even-
tus, aut usus fuit, aut studium talia comprehen-
dere.

13. Sane nec ipsi a suis potentiae evasere violentiam, et avaritiae potiorum subjecti ubique inferiores sunt. Quo quisque infirmior, eo praedae magis patet. Et plerique quidem herbis pascuntur ac minutis vermibus. Sunt tamen qui invicem se devorent, et sua carne pascantur. Minor apud illos esca majoris est: rursus ipse major a validiore invaditur, et fit esca alterius praedator alieni. Itaque usu venit, ut cum ipse alium devoraverit, ab alio devoretur, et in unum ventrem uterque conveniat cum voratore proprio devoratus, sitque simul in uno viscere praedae vindictaeque consortium. Et ipsi sponte forte haec accrevit B
injuria, sicut in nobis non ex natura coepit, sed ex avaritia. Aut quia ad usum hominum dati sunt, in signum quoque facti sunt, ut in his nostrorum morum vitia videremus, et caveremus exempla; ne quis potior inferiorem invaderet daturus in se potentiori exemplum injuriae. Itaque qui alterum laedit, sibi laqueum parat, in quem ipse incidat.

14. Et tu piscis es, qui viscera invadis aliena, qui demergis infirmum, a qui cedentem persequeris usque in profundum. Cave ne dum illum persequeris, incidas ipse in validiorem, et deducat te in alienas insidias, qui tuas vitat; priusque tuam spectet ærumnam, qui te persequente propriam reformidabat. Quid interest inter divitem improbae cupiditatis in- C
gluvie absorbentem infirmorum patrimonia, et silurum de minorum piscium visceribus alvum repletum? Defunctus est dives, et nihil ei sua spolia profuerunt, imo magis eum rapinarum suarum detestabiliorem fecit infamia. Captus est silurus, et inutilis praeda detecta est. Quanti in eo reperiuntur, qui alios devoraverant? Et tu dives habes in sinu tuo alterius praedatorem. Ille habebat facultates pauperis quas invaserat: tu eum opprimens duo patrimonia tuis facultatibus addidisti, et adhuc tanto non satiaris augmento; et dicis quod alios vindicaveris, cum eadem committas quae ulcisceris, injusto injustior, et iniquo iniquior, et avaro avarior. Vide ne idem te qui piscem illum finis inveniat: hamum cave, cave retia. Sed praesumis de potentia, quod nemo tibi possit resistere: 85 praesumebat et silurus quod hamum D
nemo sibi jaceret, nemo retia tenderet, et, si incidisset, universa dirumperet; et tamen fuscinam non exasit, aut nexus vinculi validioris incurrit, quibus se non posset exuere. Sine dubio et hominum iniquitas quo graviora commiserit, eo magis scelere suo tuta esse non poterit; quin aliquando dissolvat quod pro scelerum pretio constat difficile posse vitari.

^a Carn., qui cedentem persequeris, incidet ipse usque in profundum.

^b Mss. quatuor infirmæ notæ, eris homines capiens.

^c Ita mss. ac edit. Am. et Pet.; Era. vero cum sequentibus, in quo licet titubaverit Petrus, non la-

CAPUT VI.

Hominem esse piscem: sed piscem alium bonum, alium malum inveniri: bonum vero Petri hamum, ac sinum timere non debere.

15. Piscis ergo es, o homo. Audi quia piscis es; Simile est regnum caelorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium congregavit. Cum autem esset impletum, duxerunt id ad littus, et sedentes elegerunt optimos in vasis suis, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi. Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis (Matt. xiii, 47). Sunt ergo boni et mali pisces, boni servantur ad pretium, mali statim ardent. Bonum piscem nec retia involvunt, sed elevant; nec hamus internecat atque interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine, in ejus oris confessione bonum pretium reperitur, quo tributum apostolicum, et census Christi possit exsolvi. Sic enim scriptum est, dicente Domino: Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et respondente Petro, ab alienis, ait Dominus: Vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies ibi staterem; illum sumens dabis eis pro me et te (Matt. xvii, 24).

16. Noli igitur, o bone piscis, Petri hamum timere: non occidit, sed consecrat. Noli quasi vilem te contemnere, quia vides corpus infirmum: habes in ore tuo quod et pro Petro et pro Christo offeras. Noli timere Petri retia, cui dicit Jesus: Duc in altum, et laxato retia. Non enim in sinistram partem mitti, sed in dexteram, sicut jussus a Christo est. Noli timere sinum ejus, quia dictum est ei: Ex hoc eris homines b vivificans. Ideo misit retia, et complexus est Stephanum, qui de Evangelio primus ascendit habens in ore suo staterem justitiae. Unde confessione constanti clamavit dicens: Ecce video caelos apertos, et Filium hominis stantem ad dexteram Dei. Pro hoc pisce stabat Dominus Jesus; sciebat enim esse in ore ejus pretium sui census. Denique glorioso martyrio et Petri iudicium, atque doctrinam, et Christi gratiam locuples assertor implevit.

CAPUT VII.

Per mare Evangelium et Ecclesiam signari, et quid in mari hoc praestare debeat homo piscis. Conjuges ad mutuum morum tolerantiam, charitatem, fidem, exemplo viperæ impelluntur. Cur idem exemplum in utramque partem usurpatum.

17. Nec te moveat quod pro mari Evangelium posui. Evangelium est, in quo 86 Christus ambulavit: Evangelium est, in quo licet titubaverit Petrus, quando negavit; tamen per dexteram Christi c fidei munimentum, stationis invenit gratiam: Evangelium

men negavit, quando, etc. Ibidem mss. aliquot, fidei munimentum stationes invenit; nonnulli, fide; vet. edit., fidei; Rom., fidei munimentum stationis invenit; Evangelium, etc.

est, de quo martyr ascendit : Evangelium est mare, in quo piscantur apostoli, in quo mittitur rete, quod simile est regno cœlorum : Evangelium est mare, in quo Christi figurantur mysteria : Evangelium est mare, in quo Hebræus evasit, Ægyptius interemptus est : Evangelium est mare, quia sponsa Christi Ecclesia est, et divinæ gratiæ plenitudo, quæ supra maria fundata est, sicut dixit Propheta : *Ipse super maria fundavit eam (Ps. xxiii, 2)*. Exsili super undas, o homo, quia piscis es : non te opprimant sæculi istius fluctus : si tempestas est, pete altum et profundum : si seneritas, lude in fluctibus : si procella, cave a scopuloso littore ; ne te in rupem furens æstus illidat. Scriptum est enim : *Estote astuti sicut serpentes (Matt. x, 16)*.

18. Et quia de serpentibus astutis propositum exemplum est, sinus astuti circa quærenda et servanda conjugia, diligamus tributa nobis consortia. Et si ii qui longinquis fuerant ortus sui tempore regionibus separati inter se convenerint, et si vir ad peregrina contenderit, nulla longinquitas, nulla absentia complacitam minuatur charitatem. Eadem lex præsentibus absentesque connectit : idem naturæ vinculum inter distantes et consistentes conjugalis charitatis jura constrinxit : eodem jugo benedictionis utriusque colla sociantur, etiam si alter obeat separatarum regionum longa divortia ; quia non corporis cervice, sed mentis, jugum gratiæ receperunt. Vipera nequissimum genus bestię, et super omnia quæ serpentine sunt generis astutior, ubi coeundi cupiditatem assumpserit, murænæ mariinæ notam sibi requirit copulam, vel novam præparat : progressaque ad litus, sibilo testificata præsentiam sui, ad conjugalem amplexum illam evocat. Muræna autem invitata non deest, et venenatæ serpenti expetitos usus suæ impertit conjunctionis. Quid sibi vult sermo hujusmodi, nisi ferendos esse mores conjugum ; et si absens est, ejus opperendam præsentiam, sit licet asper, fallax, inconditus, lubricus, temulentus ? Quid pejus veneno, quod in conjugate muræna non refugit ? Vocata non deest, et serpentis lubricum sedula charitate complectitur. Ille tua mala portat, et levitatis femineæ facilitatem : tu virum tuum non potes, o mulier, sustinere ? Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam (33, q. 5, c. Adam per Evam). Quem vocavit ad culpam mulier, justum est ut eum gubernatorem assumat ; ne iterum feminea facilitate labatur. Sed horridus et incultus est. Semel placuit. Numquid vir frequenter est eligendus ? Comparem suum et bos requirit, et equus diligit ; et si mutetur alius, tamen trahere jugum nescit compar alterius, et se non totum putat : tu jugalem repudias tuum,

et putas sæpe mutandum ; et si uno defuerit die, superducis rivalem, et statim incognita causa quasi cognita pudoris exsequeris injuriam. Vipera absentem requirit, **87** absentem vocat, et blando proclamatur sibilo ; atque ubi adventare comparem senserit, venenum evomit reverentiam marito deferens, verecundata nuptialem gratiam : tu, mulier, advenientem de longinquo maritum contumeliis repellis. Vipera mare prospectat, explorat iter conjugis : tu injuriis viam viro obstruis : tu litium moves venenum, non rejicis : tu conjugalis amplexus tempore dirum virus exæstuas ; nec erubescis nuptias, nec revereris maritum.

19 Sed etiam tu, vir, possumus enim etiam sic accipere, deponere tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula uxor occurrit : propelle indignationem, cum blanda conjux ad charitatem provocat. Non es dominus, sed maritus : non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera venenum suum fundit : tu non potes duritiam mentis deponere ? Sed habes naturalem rigorem : debes temperare eum contemplatione conjugii, et reverentia conjunctionis deponere animi feritatem. Potest et sic. Nolite quærere, viri, alienum thorum, nolite insidiari alienæ copulæ. Grave est adulterium, et naturæ injuria. Duos primum Deus fecit, Adam et Evam, hoc est, virum et uxorem, et uxorem, de viro, hoc est, de costa Adam ; et jussit ambos esse in uno corpore, et in uno spiritu vivere. Quid unum separas corpus, unum dividis spiritum ? Naturæ adulterium est. Hoc docet murænæ et viperæ non jure generis, sed ardore libidinis expetitus amplexus. Discite, o viri, qui alienam permolere quærunt uxorem, cujus serpentis sibi adsciscere cupiat contubernium, cui etiam comparandus ipse serpenti sit. Festinat ad viperam, quæ se in gremium viri non directo tramite veritatis, sed lubrico devii amoris infundit. Festinat ad eam quæ venenum suum resumit, ut vipera quæ fertur peracto conjunctionis munere venenum quod evomuerat, rursus haurire ; adultera enim vipera est (*Prov. xxiii, 32*). Unde et Salomon ait quod is qui fuerit temulentus, cum per vinum libido fervere consueverit, tamquam a colubri ictu extenditur, et tamquam a cornuta diffunditur illi venenum. Et ut scias quod de adultera dixit, adjecit : **D** *Oculi tui cum viderint alienam, os tuum loquitur perversa (Ibid., 33)*.

20. Nec quisquam velut contraria posuisse nos credat, ut et ad bonum et ad malum viperæ hujus exemplo uteremur ; cum ad institutionem utrumque proficiat, si erubescamus aut fidem non exhibere dilecto, cui exhibet serpens ; aut relinquentes sancta

nostram consentiunt, nisi quod plures habent deponat, vel deponet, Dion. deponere, melius Cœn. deponere. Omititur etiam in nonnullis, Potest et sic : verum necessaria transitio est.

^c Aliquot mss. permovere, unus præmollire. Melius alii, et edit. permolere. Est enim vox metaphorica, cujus usus est in obscenis. Horat. l. 1, sat. 2,

^a Quidam mss., suspecta rivalem es, aut cum edit. nonnullis, suspicaris rivalem, et statim incognita causa, quasi cognitam, aut cum aliis edit., et statim incognitam, quasi cognitam, etc. Sed mss. duodecim probatissimi cum edit. Pet. et Gill. legunt ut nos in textu.

^b Edit. omnes cum mss. aliquot, reverentia conjunctionis. Potest et sic. Mss. novem in lectionem

conjugia, lubrica et nocitura salutaribus præferamus, A quod facit qui cum serpente miscetur.

88 CAPUT VIII.

De astutia polypi, et cancri, quibus fraudulenti homines adumbrantur; cum exhortatione ad fugiendam cupiditatem.

21. Et quia de astutia coepimus sermonem subtexere, qua unusquisque fratrem suum circumvenire et decipere nititur, et in novas se fraudes componere; ut quem vi obtinere non potest, circumscribat dolo, et fucio quodam artis obducat: fraudulentum illud polypi ingenium non præteribo, qui vadoso in littore petram nactus, affigitur ei, atque ejus nebuloso ingenio colorem subit, et simili specie terga obductus plurimos piscium sine ulla suspitione fraudis allapsos, B dum nota non præcavent, et saxum opinantur, cassibus furivæ artis includit, et sinu quodam suæ carnis intercipit. Sic spontanea venit præda, et talibus capitur argumentis, qualia sunt eorum qui ingenium suum sæpe commutant, et diversas nocendi artes movent; ut singulorum mentes sensusque pertent, cum continentibus positi continentiam prædicantes, in cœlu intemperantium tamquam devii ab studio castitatis, et demersi intemperantiæ volutabris; ut qui eos audiunt aut vident, incauta facilitate se credant; eoque citius labuntur, dum declinare non norunt, nec cavere quod noceat, cum gravior sit et magis noxia improbitas benignitatis obumbrata velamine. Et ideo cavendi sunt qui crines suæ fraudis, et brachia longe lateque dispergunt, vel speciem C induunt multiformem. Et isti enim polypi sunt nexus plurimos habentes, et callidorum ingeniorum vestigia, quibus irretire possint quidquid in scopulos suæ fraudis inciderit.

22. Cancer quoque quas cibi gratia præstigias instruit! Namque et ipse ostreo delectatur, et carnis ejus epulum sibi quærit. Sed quia ut appetens cibi, ita prospiciens est periculi: quoniam cum difficilis est venatio, tum periculosa: difficilis, quia testis validioribus esca interior includitur; nam velut muris quibusdam mollitiem carnis præcepti imperialis interpretis natura munivit, quam medio testarum quodam sinu concavo nutrit ac fovet, et quasi in quadam valle diffundit; et ideo cassa omnia tentamenta sunt cancri, quia aperire clausum ostreum nulla vi potest: D et periculosum est si ^a chelam ejus includat, ad argumenta confugit, et insidias nova fraude molitur. Itaque quia omnia genera delectatione mulcentur, explorat si quando ostreum remotis in locis ab omni vento contra solis radios ^b diptychum illud suum aperiat, et reseret claustra testarum; ut libero aere visceris sui voluptatem quamdam capiat: et tunc clanculo calculum immittens, impedit conclusionem

^a *Chelæ*, in cancri quasi forcipes sunt, aut quidam digiti quibus obvia arripiunt.

^b *Diptychum* vocat utrumque latus testæ ostreorum, quod more libri claudatur atque aperiatur. A particula *δίς* et verbo *πτύσσειν*, id est, plicare.

ostrei; ac sic aperta claustra reperiens, tuto inserit chelas, visceraque interna depascitur.

89 23. Sunt ergo homines, qui cancri-usu in alienæ usum circumscriptionis irrepani, et infirmitatem propriæ virtutis astu quodam suffulciant; fratri dolum nectant, et alterius pascantur ærumna. Tu autem propriis esto contentus, et aliena te damna non pascant. Bonus cibus est simplicitas innocentiae. Sua bona habens insidiari nescit alienis, nec avaritiæ facibus inardescit, cui lucrum omne ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium. Et ideo beata est, si bona sua noverit, cum veritate paupertas, et omnibus præferenda thesauris; quia melius est exiguum datum cum Dei timore, quam thesauri magni sine timore. Quantum est enim quod hominem alat? Aut si quæris quod etiam aliis abundet ad gratiam, id quoque non multum est. Melior enim est hospitalitas in oleribus cum gratia, quam vitulorum pinguium præparatio cum discordia. Utamur ergo ingenio ad quærendam gratiam, et salutem tuendam, non ad alienam circumscribendam innocentiam. Licet nobis uti exemplis maritimis ad profectum nostræ salutis, non ad alienæ periculum.

CAPUT IX.

De præscientia echini futuram tempestatem nuntiantis.

Eum accepisse hoc donum a Deo, cujus indulgentia in omnia creata prædicatur.

24. Echinus animal exiguum, vile ac despicabile, maritimum loquor; plerumque index futuræ tempestatis, aut tranquillitatis annuntius solet esse navigantibus. Denique cum procellam ventorum præsenferit, calculum validum arripit, eumque velut saburram vehit, et tamquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus. Itaque non suis se librat viribus, ^c sed alienæ stabilitatis regitur pondere. Quo indicio nautæ velut signum futuræ perturbationis capessunt, et sibi præcavent, ne eos imparatos turbo improvisus inveniat. Qui mathematicus, qui astrologus, quive Chaldæus sic potest siderum cursus, hos cœli motus et signa comprehendere? Quo ingenio ista collegit? Quo doctore percepit? Quis ei fuit tanti interpretis augurii? Sæpe homines confusionem aeris vident, et sæpe falluntur, quod plerumque eam sine tempestate discutiatur. Echinus non fallitur, echinum sua nequaquam signa prætereunt.

25. Unde exiguo animali tanta scientia, ut futura prænuntiet? Quo magis in eo nihil est, quo tantam possit habere prudentiam, crede quod per indulgentiam Domini rerum omnium id quoque præscientiæ hujus munus acceperit. Etenim si fœnum Deus sic vestit, ut miremur; si pascit volatilia; si paravit corvo escam, pulli enim ejus ad Dominum clamant; si mulieribus dedit texturæ sapientiam; si araneam,

^c Ita mss. Corb. vetus, Th. ac. Reg. Alii aliquot, *alieno stabilitum regitur pondere. Carn., aliena stabilitate regitur et pondere. Reliqui et edit., alieno stabilit et regit pondere.*

quæ tam subtiliter ac docte laxos casses suspendit A in foribus, sapientiæ non reliquit immunem; si ipse virtutem equo dedit, et solvit de cervice ejus formidinem, ut exsultet in campo, et occurrens regibus irrideat, **90** odoretur bellum eminus, excitetur sono tubæ; si hæc irrationabilia pleraque, et alia insensibilia, ut fœnum et lilia, replevit suæ dispositione sapientiæ, quid dubitamus, quod etiam in echinum contulerit hujus gratiam præscientiæ? Nihil enim inexploratum, nihil dissimulatum reliquit. Omnia videt, qui pascit omnia: omnia replet sapientia, qui omnia in sapientia fecit, ut scriptum est (*Ps. ciii, 24*). Et ideo si echinum visitationis suæ exsortem non prætermisit; si eum considerat, et futurorum informat indiciis, tua non considerat? Imo vero considerat, sicut testatur ejus divina Sapientia di- B cens: Si respicit volatilia, si pascit illa, nonne vos pluris estis illis (*Matth. vi, 26*)? Si fœnum agri quod hodie est, et cras in ignem mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?

CAPUT X.

Cuique piscium generi præscripta esse sua domicilia, unde humana levitas, ac luxuria condemnantur: tamen quosdam pisces ad sobolem loca mutare; cujus rei ratio expenditur, et hominis reprehenditur incontinentia. Item de specialibus aliquorum piscium virtutibus.

26. An vero sine quadam dote naturæ manere piscibus etiam illam putamus gratiam, quod unumquodque genus piscium præscripta sibi domicilia C habet, quæ sui generis nullus excedat, non incurset alienus? Quis geometra his divisit habitacula nullis rumpenda temporibus? Sed geometram audivimus, thalassometram numquam audivimus; et tamen pisces mensuram suam norunt, non muris urbium portisque præscriptam, non ædificiis domorum, non agrorum finibus limitatam, sed mensuram ejus quod oporteat; ut tantum satis sit unicuique, quantum ad usum abundet, non quantum aviditas quædam immoderata sibi vindicet. Lex quædam naturæ est tantum quærere, ^a quantum sufficiat ad victum, et alimentorum modo sortem censere patrimonii. Hoc genus piscium in illo sinu maris alitur et gignitur, illud in alio. Denique non reperies confusa genera piscium: sed quod hic abundat, ^{alibi} deest. Et ite- D rum ille sinus maris cephalos alit, lupos ille: ille saxatiles, locustas alius. Non est libera vagandi potestas; nec tamen aut interclusa montibus copia, aut fluviiis interlabentibus transitus impeditur, sed usus naturæ impressus tamquam patriæ finibus unumquemque sese tenere, et ultra incolas ^b pro- dire suspectum.

^a Mss. Vat. et Coen., quantum efficiat ad victum. Dion., quantum sufficiat ad victum et alimentum, et hæc tantummodo sorte censere patrimonii.

^b Quidam mss. et edit. Rom., prodire facit suspectum. Alii majori numero et antiquitate cum edit. vel. omittunt, facit. Non male; potest enim subintelligi substantivum, est; post voces, impressus . . .

27. At nobis longe alia sententia est, mutare ex- silio domos, incolarum fastidio teneri, advenarum captare gratiam, transferre terminos perpetuos, quos posuerunt patres nostri, agrum ad agrum jun- gere, domum ad domum. Deficit terra hominibus, sternuntur et maria. Rursus pro singulorum libidine inciditur terra, mare infunditur, ut insulas faciant, ut possideant freta: spatia maris sibi vindicant jure mancipii, pisciumque jura sicut vernaculorum con- ditione **91** sibi servitii subjecta commemorant. Iste, inquit, sinus maris meus, ille alterius. Dividunt elementa sibi potentes. His ostreæ in fluctibus nu- triuntur: his in vivario piscis includitur. Luxuriæ nec mare sufficit, nisi apothecas habeant ostrearum. Itaque ætates earum numerant, et piscium recepta- cula instruunt; ne convivia divitis mare non possit implere. Nam vicini nomen quibus audiunt auribus! Quibus oculis intuentur possessiones eorum! Quem- admodum dies noctesque excogitant, ut aliquid proximi auferant! *Numquid soli habitabitis super terram (Isai. v, 9)*? clamat propheta. Cognoscit hæc Dominus, et vindictæ reservat.

28. Quantum aliena a piscibus aviditatis rapina! Illi naturalia captant secreta, et ultra terminos orbis terrarum mare norunt, quod nullæ interpolant in- sulæ, nec terra aliqua interjacet, vel ulterius ulla sit posita. Illic igitur ubi diffusum late mare omnem spectandi usum, utilitatis gratia navigandi interclu- dat audaciam, condere se feruntur cete, illa im- mense genera piscium, æqualia montibus corpora, ut tradiderunt nobis, qui videre potuerunt: illic quietum ævum exigunt ^c discreta ab insulis, et ab omnibus maritimarum urbium contagiis separata habent suas regiones et habitacula distributa. Manent in his inoffenso vicinorum limite, nec vago transitu mutationes quærunt locorum: sed tamquam patrium solum diligunt, et in his immorari dulce arbitrantur. Quæ ideo elegerunt, ut solitariam vitam remota possint arbitrorum interpellatione transigere.

29. Sunt tamen aliqua genera piscium, qui non ingenii facilitate loca mutant, sed fovendi partus necessitate; quem opportuno atque legitimo procurantes tempore, ex plurimis locis, ac diverso sinu maris, innumeri velut communi consilio convenien- tes conjuncto agmine Aquilonis flatus petunt, et ad illud Septentrionalium mare partium quadam na- turæ lege contendunt. Dicis, si ascendentes videas, ^d rheuma quoddam esse, ita prorunt, fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum pontum violento impetu profluentes. Quis piscibus hæc an- nuntiat loca, præcepit tempora? Quis tribuit dispo- sitionem viandi, comitandi ordinem, metas et tem- pora revertendi? Homines suum imperatorem et suspectum.

^c Ms. Dion., discretas ab insulis, et ab omnium maritimarum urbium contagiis separatas habent suas regiones. Coen., remotas illic habent suas regio- nes, etc.

^d Basil. ῥεῦμα, id est, æstus ac torrens.

habent, ejus expectatur imperium, procedit resera, proponuntur edicta provincialibus ut conveniant, tribunis militum litteræ diriguntur, dies statuitur; et plerique ad dies statutos occurrere non queunt. Quis imperator piscibus præceptum dedit? Quis doctor hanc tribuit disciplinam? Qui metatores itinera disponunt? Qui duces iter dirigunt, ut nullius desit occursum? Sed agnosco quis ille sit imperator, qui ordinatione divina sensibus universorum suum infundat imperium, qui tacitus mutis animantibus naturalis disciplinæ ordinem tribuat; nec solum magna penetret, sed etiam per minima quæque se fundat. Divinæ legi piscis obsequitur, et homines contradicunt! Piscis solemniter obaudit mandata coelestia, et homines **92** irrita faciunt Dei præcepta! An contemptibilis tibi videtur, quia mutus est, rationisque expertus? Sed vide ne tu tibi magis incipias esse contemptui, si irrationabili irrationabilior deprehendaris. Quid autem rationabilius hoc piscium transitu, cuius rationem quidem verbis non explicant, sed factis loquuntur? Pergunt enim æstatis tempore ad fretum Ponti, eo quod reliquo maris sinu hic sinus dulcior sit. Non enim tamdiu sol ei freto, quamdiu cæteris immoratur, eaque fit causa ut non omnem aquam exhauriat, quæ dulcis atque potabilis est. Quis autem ignoret quod etiam ea quæ maritima sunt, aquis plerumque dulcibus delectentur? Denique dum flumina sequuntur, et ad superiora ascendunt, frequenter alieni pisces generis capiuntur in fluviis. Cum hæc igitur causa Pontum illis faciat gratiorem, ^a vel quod æstus temperet solemnis illic flatus aquilonis, tum opportuniorem cæteris judicant, in quo generare, et partus possint proprios enutrire, quod teneri fetus laborem alienæ regionis ferre vix possint, quos illic fovet aeris blanda clementia. Itaque peracto munere omnes simul eo quo venerant agmine revertuntur.

30. Quænam ista sit ratio consideremus. Objectus est Ponti sinus boreæ cæterorumque ventorum violentissimis flatibus; unde gravis illic procella furit, et tempestates moventur, ita ut de profundo arena vertatur: cuius rei fluctus arenosus indicio est, qui ventorum motu insurgens altius, tum pondere gravior, haud dubie non solum navigantibus, sed etiam maritimis ipsis animantibus intolerabilis habetur. Accedit illud, quod plurima et maxima Ponto flumina misceantur, cum hyberno tempore sinus ipse frigidior torrentium rigescat allapsu; propterea pisces tamquam arbitri fluentorum, æstate illic aspirantis auræ clementiam captare consueverunt: cuius amœnitate perfancti, rursus hyemis aspera declinare contendunt; et Septentrionalis plagæ sæva fugientes, in reliquos se sinus conferunt, in quibus aut ventorum mollior sit placiditas, aut solis soleat vernare temperies. Novit igitur piscis pariendi tempus, quod pro magno mysterio dixit Salo-

^a Gemet., vel quod æstus tempore solemnis illic spiraret flatus aquilonis.

^b Mss. Ben. Carn. ac Germ. Sicut enim vipereos si-

A mon in Sapia : Novit tempus eundi atque redeundi : novit tempus perfuctionis et jactationis, et novit ut non queat falli (*Eccles. iii, 2 et seq.*); quia non rationis æstimatione, et disputationis argumento utitur, sed inspiratione naturæ, quæ vera est magistra pietatis. Denique omnes animantes præscripta habent pariendi tempora, homo solus indiscreta atque confusa. Reliqua genera clementiam temporis quæerunt, mulieres solæ partus suos inclementer effundunt. Vaga enim et intemperans libido generandi vagam pariendi ætatem exhibet. Pisces tanta maria transmittunt, ut utilitatem aliquam generi suo quærant. Nos quoque diffusa æquora transfretamus: sed quanto honestius, quod successiois amore, quam quod pecuniæ aviditate suscipitur? Denique illis ad pietatem, nobis ad quæstum transmissio deputatur. Illi sobolem referunt omnibus mercibus cariorem: nos **93** mercem longe imparem ad periculi vicem misera lucri cupidine reportamus. Itaque illi patriam repetunt: nos derelinquimus. Illis nando incrementum generis acquiritur: nobis minuitur navigando.

31. Quis igitur neget divinitus illis infusum ingenium esse hujusmodi atque virtutem? Cum videat istos in Aquilonem tam solemnem obeundæ secunditatis peregrinationem vivaci ingenio componere; alios in exiguo corpore tantum validitatis assumere, ut maximas navium plenis currentes velis in mediis fluctibus sistant: sicut brevis pisciculus echeis tanta facilitate memoratur navem ingentem sistere; ut quasi radicatum mari hæerere videas, nec moveri. Aliquamdiu enim immobilem servat. An et huic putas sine Creatoris munere tantum potuisse suppetere virtutis? Quid gladios loquar, aut serras, aut canes maritimos, aut balenas, aut zygænas? Quid etiam turturis centrum, et hoc mortuæ? ^b Sicut enim vipere os si quis calcaverit recens dumtaxat, gravius quam venenum nocere perhibetur, et immedicabile vulnus serpere: ita etiam turtur aculeo suo mortua amplius quam viva periculi afferre memoratur. Lepusculus quoque timidum animal in terris, in mari formidabile, citam et quæ non facile possit auferri, corruptelam invehit. Voluit enim te creator nec in mari satis ab insidiantibus esse securum; ut propter pauca quæ noceant, quasi in excubiis positus, armis fidei semper et scuto devotionis accinctus, a Domino tuo debeas salutis sperare præsidium.

CAPUT XI.

De piscibus Atlantici maris; item de sale, corallio et aliis quibusdam. Ob ea, sed maxime ob navigationem, mare terris præstare: post quæ paucis de Jona ac Petro memoratis, sermo clauditur.

32. Veniamus ad Atlanticum mare. Quam ingentia illic et infinitæ magnitudinis cete! Quæ si quando supernatant fluctibus, ambulare insulas putes, montes altissimos summis ad cœlum verticibus eminere.

quis calcaverit renes dumtaxat, gravius quam venenum nocere fertur.

Quæ non ^a in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici A maris profundo feruntur videri, ut eorum conspectu nautæ a navigandi in illis locis præsumptione revo-centur, nec secreta elementorum adire sine supremo terrore mortis usurpent.

35. Sed jam assurgamus ipsi de profundo maris, et aliquantulum sermo noster emergat, atque ad superiora se subrigat : spectemus ea quæ usitata mul-tis, et plena sint gratiæ, quomodo aqua in salis ver-tatur soliditatem, ut ferro sæpe cædatur; quod de Britannicis salibus nihil mirum, qui in speciem mar-moris validi, ejusdem metalli niveo candore resplen-dent, salubres corporis ^b cibo, et potui nimis grati. Quomodo etiam non indecorus lapis corallium in mari herba sit, si in aerem transferatur, in lapidis firmitatem solidetur. Unde etiam ostreis pretiosissi- B mam margaritam natura infixit, quomodo eam ma-ris aqua in tam molli carne solidaverit. 94 Quæ dif-ficile apud reges inveniuntur, ea in littoribus quasi vilia jacent vulgo, et in saxis asperis et cautibus col-liguntur. Aureum etiam vellus aqua nutrit, et lanam in memorati speciem metalli gignunt littora, cujus colorem nullus adhuc eorum qui fucis diversis obda-cunt vellera, imitari potuit; adeo naturæ maritimæ gratiam humana implere nescit industria! Scimus qua sollicitudine vellera ovium etiam minus pretiosa curentur : sicut licet optima, nequaquam tamen his fucus innascitur. Hinc naturalis color est, quem nul-lus adhuc fucus æquavit : ^c hoc quoque piscis est vellus. Sed et ipsi murices qui insigne dant regium, sunt maritimi.

34. Et quæ præterum gratia, vel hortorum amœ-nitas potest cærulei maris æquiparare picturam? Au-rum licet in pratis flores refulgeant, auri quoque ful-gorem in mari lana resplendet : et illi cito mar-cescunt, ista diu duratura servatur. Lilia in hortis eminus nitent, vela in navibus : hic odor, illic ven-tus aspirat. Quæ utilitas in folio! In navibus quanta commercia! Lilia suavitatem narium, vela hominum salutem invehunt. Adde pisces salientes, et delphi-nas ludentes : adde rauco sonantes fluctus murmure : adjice currentes naves ad littora, vel de littoribus exeuntes. Et cum ^e carceribus mittuntur quadrigæ, quanto studio spectantium et amore certatur! Equus tamen in vanum currit, non in vanum navigia. Ille in vanum, quia vacuus : ista ad utilitatem, quasi D plena frumenti. Quid iis gratius, quæ non verbere aguntur, sed ventorum spiramine : ubi nemo refra-gatur, sed omnes fautores sunt : ubi nemo vincitur quicumque pervenerit, sed omnes puppes quæ per-vectæ fuerint, coronantur : ubi palma merces sala-tis, victoria pretium regressionis est. Quantum enim distat inter directos cursus ac reflexos! Isti perpe-

tuantur, hi resolvuntur. Adjunge remigiis contexta littora, quibus vexillum exeundi aura de cælo est. Itaque aurigæ plausum inanem referunt : hi solvunt vota servati.

35. Quid de Jona dignum loquar, quem cetus ex-cepit ad vitam, reddidit ad prophetandi gratiam? Emendavit aqua, quem terrena deflexerant : psalle-bat in utero ceti, qui mœrebat in terris. Et ut utrius-que redemptio non prætereatur elementi, terrarum salus in mari ante præcessit, quia signum Filii ho-minis signum Jonæ. Sicut iste in utero ceti, sic Je-sus in corde terræ. In utroque remedium; majus tamen in mari pietatis exemplum; quoniam excepe-runt pisces, quem homines refutarunt, et quem ho-mines crucifixerunt, pisces servarunt. Petrus quo-que in mari titubabat, sed non labitur : et confessus in fluctibus, tamen negavit in terris. Itaque illic quasi devotus manu apprehenditur : hic quasi oblitus aspectu censorio convenitur. Sed jam rogemus Do-minum, ut sermo noster quasi Jonas ejiciatur in ter-ram, ne diutius in salo fluctuet. Et bene jam exivit cucurbita, quæ obumbret nos a malis nostris : sed et ipsa procedente sole arefacta admonet requiescen-dum, ne in 95 terra æstuarum incipiamus ingenio, et nobis etiam verba deficient. Certe plus nobis quam Ninivitis data est in aquis remissio peccatorum.

CAPUT XII. (Sermo VIII.)

Fingit sibi e memoria aves evolasse, ad quas orationem eleganter revocat, Auditores sibi attentionem præbi-turos dicit, se autem illis breviter. Denique varia-rum avium suavitatem exoptat.

36. Et ^d cum paululum conticuisset, iterum ser-monem adorsus ait : Fugerat nos, fratres dilectis-simi, necessaria de natura avium disputaatio, et sermo hujusmodi nobis cum ipsis avibus evolaverat. Fit enim natura quadam, ut hi qui aliquid intuentur, vel dicendo exprimere volunt, eorum qualitatem quæ vel intuentur vel loquuntur, adsumant; ut cum pi-grioribus immoremur, et cum velocibus celeri rapia-mur adspectu, stylo quoque aut tardiore utamur aut rapido. Itaque cum caveo ne mari demersa præ-tereant, et aquis operata me lateant, effugit omne vo-latile; quia dum inclinatus imos aquarum gurgites scrutor, aërios non respexi volatus; nec umbra sal-tem pennæ me præpetis reclinavit, quæ in aquis re-lucere potuit. Verum ubi omne negotium expeditum putavi, et absolutum me credidi, et diem quintum consummatum arbitratus sum; venit in mentem avium natura, quæ cum eunt cubitum, quasi peracto lætæ munere æthera cantu mulcere consuerunt : quod velut solemniter surgente et occidente die in-staurare consuerant; ut decursi vel adoriendi noc-

^a Acta actæ, Græce ἀκτὴ, littus secretum, et amœ-num.

^b Mss. Ben. et Germ. salubres corpori. Carn. cor-poribus, etc.

^c Sic omnes mss. ac vet. edit. Rom. vero, *pinnis est vellus*. Ex eo scilicet Basil. πόνθεν τὸ χρυσοῦν ἔριον αἰ πίνναί τρέφουσι.

^d Omnes edit., et cum paululum conticuisset..... aio. Omnes mss., conticuisset..... ait. Utraque lectio probari potest : prima, quod Ambrosius epist. ad Oront. hoc opus scripsisse se testificatur : altera, quod verba non Ambrosii, sed notarii esse contendent aliqui quorum opinio mss. consensu stabilitur,

turni juxta ac diurni temporis laudes suo referant A creatori. Magnum igitur incentivum excitandæ nobis devotionis amiseram. Quis enim sensum hominis gerens non erubescat sine psalmodiarum celebritate diem claudere, cum etiam minutissimæ aves solemniter devotione et dulci carmine ortus dierum ac noctium prosequantur.

37. Redeat igitur nobis volaticus sermo, qui pene fuerat elapsus ex oculis, et aquilæ modo alta petens volatus suos obduxerat nubibus; nisi quia oculos abluti aqua dum de gurgite levamus ad cœlum, speculati vacuum aeris volatibus ferri, ad necessitatem styli putavimus esse revocandum. Eritis vos iudices, qui estis aucupes verbi, utrum consultius evolasset, an utiliter in vestra retia sit relapsus. Nec vereor ne fastidium nobis obrepat in volatibus requirendis, B quod non obrepsit in gurgitibus perscrutandis; aut aliquis nobis in disputatione obdormiat, cum possit avium cantibus excitari. Sed profecto qui inter multos pisces vigilaverit, non dubito quod inter canoras aves somnum sentire non possit, cum tali ad vigilandum gratia provocetur. Neque vero vile putetur, quod potuit præteriri, cum sit tertia pars in animantibus creaturæ. Tria enim genera animantium esse non dubium est, terrenum, volatile, aquatile. Denique sic scriptum est: ^a *Producant aquæ reptilia animarum viventium secundum genus, et volatilia volantia* **96** *super terram secus firmamentum cœli secundum genus.*

38. Revocamur ad superiora sicut obliviosi viatores, qui cum inconsulto præterierint, in sua reverte C tentes vestigia incuriæ suæ ^b multam repetito itineris labore suscipiunt. Est tamen etiam bonus viator, qui dispendium regressionis, reliqui itineris compendiosa celeritate, compenset, ut mihi faciendum arbitror; maxime cum de avibus sermo sit, quæ solent oculos hominum volatu properatiore perstringere. Quid enim convenit iis immorari, in quibus celeritas placere consuevit? Avius igitur atque inusitatus in tali genere scriptionis sermo noster canoris avibus resonet atque resultet.

39. Sed unde mihi cygnea carmina, quæ etiam sub gravi mortis imminentis terrore delectant? Unde mihi illos naturales modulos cantilenæ, quibus etiam paludes sonoræ cantus edunt dulcissimi suaviter? Unde mihi vocem psittaci, dulcedinemque merularum? Utinam saltem lusciniæ canat, quæ dormientem de somno excitet! Ea enim avis signare solet diei surgentis exortum, et effusorem diluculo deferre lætitiā. Tamen si illorum suavitas deest, sunt gementes turtures, et raucæ columbæ, tum etiam cornix plena voce pluviam vocat. Unde rurale aviarium sermone quo possumus, scientia quam nos rustici docuerunt, persequamur.

^a Mss. undecim melioris notæ, *educant*. Supra tamen c. 1 et 2, sicut et infra, c. seq. constanter legas, *producant*.

^b Mss. quinque; *multum repetiti itineris* (duo; re-

CAPUT XIII.

Exorsurus a volucris aquaticis primum de halcyone disserit, et quanta sit divina benignitas in eam avem exponens, nos ad exspectandam a Deo opem hortatur. De avibus imbrium aut ventorum præ sagis; deque fida anserum custodia.

40. Et quoniam de aquatilibus reptilibus diximus, arduum est ut subito ad aves cœli sermo noster ascendat. Et ideo de iis avibus prius dicamus, quæ circa aquas maris fluminumque versantur, cum quibus possumus emergere. Itaque ab halcyone sermonem adoriamur. Ea est avis maritima, quæ in littoribus fetus suos edere solet, ita ut in arenis ova deponat medio fere hyemis. Nam id temporis fovendis B habet deputatum partibus, quando maxime insurgit mare, littoribusque vehementior fluctus illiditur, quo magis repentinæ placiditatis solemnitate avis hujus eluceret gratia. Namque ubi undosum fuerit mare, positus ovis subito mitescit, et omnes cadunt ventorum procellæ, flatusque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec ova foveat halcyone sua. Septem autem dies fetus sunt, quibus decursis, educit pullos, fetusque absolvit: illico alios quoque septem dies adjungit, quibus enutriet partus suos, donec incipiant adolescere. Nec mireris tam exiguum nutriendi tempus, cum absolutio fetuum tam paucorum dierum sit. Tantam autem gratiam minuscule avis divinitus indulgentiam habet, ut hos quatuordecim dies nautici præsumptæ serenitatis **97** observent, quos et halcyonidas vocant, quibus nullos motus procellosæ tempestatis horrescant.

41. *Nonne vos passeribus pluris estis (Luc. XII, 7)?* Dominus ait. Si igitur avis minuscule contemplatione et insurgit mare, et repente comprimitur, atque aspera hyemis inter graves procellas tempestatesque ventorum detergit cœli nubila, fluctusque componit elementis omnibus subito infusa tranquillitas; quantum præsumere debeas, o homo, ad imaginem Dei factus, agnoscis; si tamen aviculæ istius fidem studio devotionis imiteris. Illa tempestates videns insurgere, sævire ventos, inter hyberni sæva non revocatur, neque reflectitur, sed impellitur. Denique in littore sua ova constituit, ubi ea relabente fluctu madida adhuc arena suscipiat: nec insurgentes fluctus quos im- D murmurare atque allabi videt, reformidat.

42. Et ne putes quod ovorum videatur habere contemptum; continuo ubi deposuerit ova, nidificat, et suo partus corpore fovet, nec salutis propriæ alluvione littoris pertimescit: sed securam de Dei gratia, ventis se committit et fluctibus. Parum est hoc. Adjungit totidem alios ad nutriendum dies: nec interpellari tot diebus infidi maris tranquillitatem veretur, tentatque meritum suum naturæ jam solemnitate fundatum. Illa teneros fetus non latibulis

petito itinere) laborem. Tres, multam repetitum itineris laborem. Unus denique, multa repetiti itineris dispendia.

aliquibus abscondit aut tectis, nec includit cavernis, sed nudo et rigenti committit solo; nec defendit a frigore, sed divino fotu, quo magis cætera despiciat, tutiores fore existimat. Quis nostrum parvulos suos non vestimentis legat, tectisque abscondat? Quis non claudat eos septis cubiculorum? Quis non ita diligenter undique fenestras obstruat, ne qua possit aura vel leviter penetrare? Merito quos tam sollicitè induimus ac fovemus, exuimus eos clementiæ cœlestis involuero: halcyone vero quos nudos projicit, eos divino vestit indumento.

43. Nec vos præteribo, mergi, quibus ab assiduitate mergendi nomen hoc hæsit; quomodo sæpe mergentes aurarum signa colligitis, et prævidentes tempestatem futuram, propere medio revolatis ex æquore, et ad littorum tuta cum clamore contenditis. Quomodo etiam, fulicæ, ^a quæ maritimo delectamini profundo, refugientes quam præsenferitis commotionem maris, in vado luditis. Ipsa ardea quæ paludibus inhæerere consuevit, notas deserit sedes, imbresque formidans supra nubes volat; ut procellas nubium sentire non possit. Consideremus diversas volucres maris, quemadmodum imminente ventorum motu ad tutiora et tunc temporis dulciora sibi stagna se conferant, atque in abscondito terrarum sinu cognita sibi alimenta rimentur.

44. Nocturnas autem anserum quis non miretur excubias, qui vigilias suas etiam cantus assiduitate testantur? Denique eo etiam Romana Capitolia a Gallo hostes servarunt. Merito illis debes, Roma, quod regnas. Dii tui dormiebant, et vigilabant anseres. Ideo illis diebus **98** anseri sacrificas, non Jovi. Cedunt enim dii vestri anseribus, a quibus se sciunt esse defensos, ne et ipsi ab hoste caperentur.

CAPUT XIV.

Aves cum piscibus multiplici cognatione conjungi; nullas tamen pedum officio carere. De variis variarum avium generibus ac differentiis.

45. Pulchre autem post descriptionem piscium, de iis avibus quæ assuetæ sunt aquis, sermo successit; quia et ipsæ similiter usu natandi et munere delectantur. Unde prima cognatio videtur avibus istis esse cum piscibus; quoniam natandi communia quædam videntur utrique generi esse consortia. Secunda quoque cognatio omnibus avibus et piscibus est; eo quod volantis usus species sit natantis. Sicut enim aquam natando piscis incidit, ita avis aerem volatu celeri secat. Atque utrique generi similiter caudæ suppetit alarumque remigium; ut pisces ad priora se alis subrigant, atque ad ulteriora procedant, caudæ quoque gubernaculo vel quo velint se facile convertant, vel impetu quodam e regione iter

suum dirigant. Aves quoque aeri volatibus suis velut aquis innatant, et quasi quædam extendunt brachia, cauda quoque se vel ad superiora subrigunt vel ad inferiora demergunt. Unde quoniam in nonnullis idem usus et species, ideo de aquis utriusque generis nativitas divina præceptione processit. Dixit enim Deus: *Producant aquæ reptilia animarum viventium secundum genus: et volatilia super terram secus firmamentum cœli secundum genus.* Non immerito igitur, quia de aquis genus utrumque producit, natandi proprietas utrisque suppeditat.

46. Sane cum et coluber lubricus omnesque serpentes (ideo enim serpenti nomen est inditum, quia non possunt ambulare, sed serpere), dracones quoque simili modo ut pisces plerique sine pedibus sunt; nullum avium genus pedum officio caret, quia omnibus victus e terris; et ideo pedum munere fulciuntur, quia hujusmodi ad escam quærendam indigent ministerio. Itaque aliæ volucres unguibus armantur ad raptum, ut accipitres et aquilæ quæ rapinam venationis exercent: aliæ vel ad incedendum vel ad cibum sibi parandum usu ministerioque utuntur accommo.

47. Unum autem nomen avium, sed genera diversa; quæ quis possit memoria aut cognitione comprehendere? Sunt itaque aves quæ carne vescuntur. Ideo his ungues asperi, curvatum atque acutum os, velox volatus; quoniam raptu vivunt; ut possint facile corripere prædam quam sequuntur, propere vel ore vel unguibus eviscerare. Sunt etiam aves, quæ reperto pascuntur semine: aliæ diverso et fortuito cibo. Est etiam diversitas copularum, quarum gratia carent ^b, quæ intendunt rapinis. Nam propter aviditatem prædandi, vel propter insidias explorandi, **99** nec ipsis inter se convenit; et ideo declinant sui copulam. Refugit enim avaritia consortium plurimorum. Deinde conjunctio plurimorum facile ipsa se proderet. His ergo avibus nihil est copulatorium præter jugale consortium. Ergo aquilis accipitribusque hic usus est vitæ. Contra vero palumbes, grues, sturni, corvi atque cornices, etiam turdi gaudent plurimorum connexionem.

48. Alia quoque avium genera ^c enchoria quæ manent in locis semper: alia adventitia quæ obeunt regiones alias, et peracta hyeme revertuntur: sunt alia quæ hyeme redeunt, æstate peregrinantur a nobis; sive quod alia hyemis tempore ad calidiora se conferant; sive quod pleraque rursus æstatem in iis locis exigant, quæ amœniora noverunt. Turdi denique autumnii fine, hyemis confinio, quasi exacta æstate se referunt. Quibus nos inhospitali immanitate molimur insidias, et diverso genere nunc infida sede decipere, nunc visco eos fallere, nunc laqueis cap-

lectatæ profundo.

^b Ita mss. undecim, et edit. quædam Paris. Aliquot alii mss. et reliquæ edit., *carent feræ, quæ. Cœn. carent fere. Rem., carent facile, etc.*

^c *Enchoria*, Græce ἐγχώρια, aves indigenæ et nostrates.

^a Ita edit. Era. et seq. cum paucis mss. Edit. autem Am. et mss. multi bonique, *quæ maritimo delectantur profundo.* Verum si lectio hæc placeat, scribendum erit per parenthesis (*quomodo etiam fulicæ, quæ maritimo delectantur profundo*) et quæ sequuntur ad mergos referenda. Mss. duo legunt, *maritimo de-*

tare contendimus. Ciconiæ reditus vexillum veris attollit. Grues quia alta petunt, amant frequenter peregrinari.

49. Aliæ aves ad manum se subiciunt, et mensæ herili assuescunt, tactuque mulcentur: aliæ formidant: aliæ iisdem quibus homines domiciliis delectantur: aliæ secretam in desertis vitam diligunt, quæ requirendi sibi victus difficultatem libertatis amore compensant. Aliæ vocibus tantum strepunt: aliæ canoro delectant suavique modulamine. Quædam ex natura, aliæ ex institutione diversarum vocum obloquuntur discrimina; ut hominem putes locutum, cum locuta sit avis. Quam dulcis merularum, quam expressa vox psittaci est! Sunt etiam aliæ simplices, ut columbæ: aliæ astutæ, ut perdices: gallus jactantior, pavus speciosior. Sunt etiam vitæ in avibus et operum diversitates; ut aliæ ament in commune consulere, et collatis viribus velut quamdam curare rempublicam, et tamquam sub rege vivere: aliæ sibi quæque prospicere, imperium recusare, et, si capiuntur, indigno velint exire servitio.

CAPUT XV.

De gruibus, atque earum vigilantia in custodiis, nec non de ordine ab iisdem inter volandum servato. Et hac occasione de priscae reipublice statu, humaneque incuriæ causis.

50. Ab iis igitur ordiamur, quæ nostro usui se imitationem dederunt. In illis enim politia quædam et militia naturalis, in nobis coacta atque servilis. Quam injusso et voluntario usu grues in nocte sollicitam exerceant custodiam! Dispositos vigiles cernas: et cæteris consortibus quiescentibus, aliæ circumcunt et explorant, ne qua ex parte insidiæ tendantur, atque omnem deferunt impigro sui vigore tutelam. Post ubi vigiliarum fuerit tempus impletum, perfuncta munere in somnum se præmisso clangorẽ **100** componit; ut excitet dormientem, cui vicem muneris traditura est. At illa volens suscipit sortem, nec usu nostro invita et pigrior somno renuntiat: sed impigre suis excutitur stratis, vicem exsequitur, et quam accepit gratiam pari cura atque officio representat. Ideo nulla desertio, quia devotio naturalis: ideo tuta custodia, quia voluntas libera.

51. Hunc etiam volantes ordinem servant, et hac moderatione omnem laborem allevant; ut per vices **D** fungantur ductus sui munere. Præcedit enim una cæteras præstituto sibi tempore, et quasi ^a ante signa præcurrit: deinde convertitur, et sequenti sortem ducendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius, et laborem omnibus et honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes voluntaria sorte transcribi?

52. Antiquæ hoc reipublice munus, et instar li-

^a Gronovius ait scribendum, *ante signa procurrit...* Antiquæ hic reipublice mimus, et instar liberæ civitatis est. Sed id nulla ullius ms. auctoritate confirmatur. Viet. unus ac Corb. per corr. habent *antesignatus*. Gem. etiam per corr., *antesignana*.

A beræ civitatis est. Sic ab initio ^b acceptam a natura, exemplo avium politiam homines exercere cœperunt; ut communis esset labor, communis dignitas, per vices singuli partiri curas discerent, obsequia imperiaque dividerent, nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status, nec insolescebat quisquam perpetua potestate, nec diuturno servitio frangebatur; quia et sine invidia erat ordine muneris et temporis moderatione delata promotio; et tolerabilior videbatur ^c quæ communi cadebat sorte custodia. Nemo audebat alium servitio premere, cujus sibi successuri in honorem mutua forent subeunda fastidia: nemini labor gravis, quem dignitas secutura relevaret. Sed postquam dominandi libido vindicare cœpit indebitas, et **B** deptas nolle deponere potestates: posteaquam militiæ non jus commune cœpit esse, sed servitus: posteaquam non ordo factus est suscipiendæ potentie, sed studium vindicandæ, cœpit etiam ipsa laboris functio durius sustineri; et quæ non est voluntaria, cito locum relinquit incuriæ. Homines quam inviti subeunt vigiliarum munia, quam ægre unusquisque in castris periculum sortitus excubat, quod tuendum sibi regali præceptione committitur! Proponitur pœna desidie; et tamen plerumque obrepit incuria, non servantur excubiæ. Necessitas enim quæ invito imponit obsequium, affert plerumque fastidium. Nihil est enim tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias invitus. Ergo et jugis labor avertit affectum; et continua et diuturna potentia gignit insolentiam. Quem **C** invenias hominum, qui sponte deponat imperium, et ducatus sui cedat insigne, fiatque volens numerò postremus ex primo? Nos autem non solum de primo, sed etiam de medio sæpe contendimus, et primos discubitus in convivio vindicamus: ac si semel delatum fuerit, volumus esse perpetuum. Ideo inter grues æquanimitas in laboribus est, humilitas in potestatibus. Admonentur ut exerceant custodiæ vices, non admonentur **101** ut de potestate decedant; quia ibi naturalis quies somni interpellanda, hic voluntariæ sedulitatis gratia præstanda est.

CAPUT XVI.

Quomodo ciconiæ proficiscantur, atque a cornicibus deducantur ac defendantur. Laudatur earumdem cornicum hospitalitas, et humana reprehenditur negligentia. Tandem ciconiarum pietati in parentes nostra impietas opponitur.

53. Ciconias ferunt collecto proficisci agmine, si quo pergendum putant, et simul plerisque circa Orientem locis inveni, et quasi tessera militari pariter omnes moveri. Exercitum credas cum signis suis pergere, sic omnes viandi comitandique et præeundi ordinem servant. Cornices autem deducunt eas ac

^b Mss. aliquot antiquæ manus, *acceptam, natura, exemplo, avibus politiam...* cœperant.

^c Tres mss. non malæ notæ, *quæ communicabat sortem custodiæ*.

dirigunt, et velut quibusdam turmis stipatricibus A prosequuntur; adeo ut adjumenta quaedam bellantibus adversus inimicas aves conferre credantur, et propriis periculis bella aliena suscipere. Cujus rei indicium est, quia nullae per intervallum aliquod temporis residere in iis locis reperiuntur; et quia cum vulneribus revertentes manifesta quadam sanguinis sui voce caeterisque loquuntur indicibus gravium se certaminum subisse conflictum. Quis igitur illis poenam desertionis indixit? Quis derelictae militiae supplicia praescrispsit formidolosa; ut nulla prosequendis hospitalibus turmis sese subtrahere nitatur: sed certatim omnes deductionis munere officioque fungantur?

54. Discant homines hospitalia servare jura, et ex avibus cognoscant quid religionis hospitibus sit B deferendum, quae obsequia deputanda, quibus cornices etiam pericula sua negare non soleant. His igitur nos januas claudimus, quibus aves etiam animas suas conferunt; et quos illae consortio prosequuntur discriminis, eos tecti prohibemus hospitio; et quorum illae bella suscipiunt, his nos bella frequenter inferimus. Mentior, si non Sodomitanis haec fuit causa supplicii: aut Aegyptius furor genti hospita dum bellum conatur inferre, inhospitalitatis poenas infidae naufragio plebis exsolvit.

55. Quam vero rationabilium non excedat pietatem ac prudentiam avis hujus clementia considerandum, quam nec post exemplum quidem irrationabilium quisquam nostrum imitari potuerit. Nam a depositi patris artus per longævum senectutis plumarum tegmine alarumque remigio nudatos circumstans C soboles pennis propriis fovet. Et quid dicam, collatio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturae dispendia, ut hinc atque inde sublevantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, et in pristinos usus desueta jam revocent pii patris membra? Quis nostrum levare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis ut pius sit, non hoc servulis mandat obsequium? At vero avibus non est grave, quod pietatis est plenum: non est onerosum, 102 quod solvitur naturae debito. Non recusant aves pascere patrem, quod etiam praescripta necessitate sub terrore poenarum plerique hominum recusarunt. Aves non scripta, sed nata lex D stringit. Aves ad hoc munus b nulla praecipita conveniunt, sed gratiae naturalis officia. Aves non erubescunt reverendi senis membra portare; est enim vectura pietatis, quod eo usque frequenti testificatione percrebuit, ut congruae mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum usu pia avis vocatur. Et quod vix uni imperatori consulto senatus delatum dicitur, hoc istae aves in commune meruerunt. Habent ergo aves istae decreta patrum ad propriae insignae clementiae. Pios enim filios patrum prius

oportuit iudicio praedicari. Habent etiam universorum suffragia; nam retributio beneficiorum ἀντιπελάργου nominatur; πέλαιργος enim ciconia dicitur. Virtus itaque ab his nomen accepit, cum relatio gratiarum ciconiae vocabulo nuncupatur.

CAPUT XVII.

De hirundinis sedulitate, industria et pietate in filios.

De paupertate ipsius qua hominis in egestate positi impatientia, improbitus et desperatio arguuntur.

56. Habemus aviariae sobolis erga cultus patrios pietatis exemplum: accipiamus nunc maternae sedulitatis in filios grande documentum. Hirundo minuscula corpore, sed egregie pio sublimis affectu, quae indiga rerum omnium pretiosiores auro nidos struit; quia sapienter nidificat. Nidus enim sapientiae potior est auro. Quid enim sapientius, quam ut et volandi vaga libertate potiatur, et hominum domiciliis parvulos suos et tecto commendet, ubi sobolem nullus incurset? Nam et illud est pulchrum; ut a primo ortu pullos suos humanae usu conversationis assuescat, et praestet ab inimicarum avium insidiis tutiores. Tum illud praecclarum, quae gratia domos sibi sine ullo adjuvatore tamquam artis perita componat. Legit enim festucas ore, easque luto illinit, ut conglutinare possit. Sed quia lutum pedibus non potest deferre, summitatem pennarum aquae infundit; ut facile his pulvis adhaereat, et fiat limus quo paulatim festucas vel minutos surculos sibi colligat, atque adherere faciat: eo genere nidi totius fabricam struit; ut quasi pavimenti solo pulli ejus intra aedes suas sine offensione versentur, nec pedem aliquis interserat per rimulas texturarum, aut teneris frigus irrepit.

57. Sed hoc industriae officium prope commune multis avibus: illud vero singulare, in quo est praecclara cura pietatis, et prudentis intellectus et cognitionis insigne, tum quaedam medicae artis peritia; quod si qua pulli ejus fuerint caecitate suffossi oculos sive compuncti, habet quoddam medendi genus, quo possit eorum lumina intercepto usui reformare. Nemo igitur de inopia queratur, quod vacuas pecuniae proprias aedes reliquerit. Pauperior est hirundo, 103 quae vacua aëris abundat industria. Aedificat, nec impendit: tecta attollit, et nihil aufert proximo; nec indigentia et paupertate ad nocendum aliis compellitur; nec in gravi filiorum imbecillitate desperat. Nos vero et paupertas afficit, et inopiae necessitas vexat, et plerosque indigentia cogit in flagitium, impellit in crimen. Lucri quoque studio in fraudes versamus ingenium, aptamus affectum, atque in gravissimis passionibus spem deponimus, fractique animo resolvimur, improvidi et inertes jacemus; cum de divina miseratione tunc sperandum amplius sit, cum praesidia humana defecerint.

^a *Depositum, id est, desperatum, juxta illud Aeneid. xi: Ille, ut depositum proferret fata parentis.*

^b *Edit. et nonnulli mss., nullo praecipito conveniunt,*

sed gratiae naturalis officio. Mss. plures potioresque, nulla praecipita.... officia.

CAPUT XVIII.

Amorem in filios a cornicibus homines edoceri, eorumque damnari impietatem. Accipitres et aquilas inclementiæ nequiquam accusandos; sed fulicam quæ abdicatum aquilæ pullum nutrit, commendandam.

58. Discant homines amare filios ex usu et pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur; et sollicitæ ne teneri forte deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo temporis nutriendi officia non relinquunt. At vero feminæ nostri generis cito ablactant etiam illos quos diligunt: aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt. ^a Pauperiores vero abjiciunt parvulos, et exponunt, et deprehensos abnegant. Ipsæ quoque divites, ne per plures suum patrimonium dividatur, in utero proprios necant fetus, et parricidibus succis in ipso genitali alvo pignora sui ventris exstinguunt, priusque aufertur vita, quam tradatur. Quis docuit nisi homo filios abdicari? Quis reperit tam immitia patrum jura? Quis inter naturæ fraternalia consortia fratres impares fecit? Unius divitis filii diversa sorte cæduntur. Alius totius paternæ sortis ascriptionibus inundatur: alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat exhaustam atque inopem portionem. Numquid natura divisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad nascendi atque vivendi possint habere substantiam. Ipsa vos doceat non discernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquastis. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt; non debetis his, ut id communiter habeant in quod a natura substituti sunt, invidere.

59. Accipitres feruntur in eo duram adversum proprios fetus habere inclementiam, quod ubi eos adverterint tentare volatus primordia, nidis ejiciunt suis, continuoque eliminant; ac si morentur, propulsant pennis atque præcipitant, verberant alis, coguntque audere quod trepidant; nec ullum postea deferunt his munus alimonie. Quid mirum tamen si rapere assueti nutrire fastidiunt? Consideremus ad hoc eos esse generatos, ut etiam aves ad cavendum formido exercent; ne passim curas relaxent, sed pericula prædonibus declinanda prospiciant. Deinde cum his natura quadam prædandi munus inoleverit, magis a tenero pullos suos instituere videntur ad prædam, quam pastus abdicare compendiis. **104** Cavent ^D ne in tenera ætate pigrescant, ne solvantur deliciis, ne marcescant otio, ne discant cibum magis expectare quam quærere, ne naturæ suæ deponant vigorem. Intermittunt studia nutriendi; ut in usus rapiendi audere compellant.

60. Aquila quoque plurimo sermone usurpatur quod suos abdicet fetus, sed non utrumque, verum

^a Mss. quatuor, *Pauper queritur quod pecuniæ propriæ sedes reliquerit. Pauperiores vero, etc.*

^b Rom. edit., *et super pullos suos concupivit. Cod. Vat., considit.*

^c Germ. codex, *Dominus in templo offerretur, etc.*

^d Edit. nonnullæ Paris., *pertæsum thalamos et nomen habet conjugii; ultima, ... quod nomen habet con-*

^A unum ex pullis duobus. Quod aliqui fieri putaverunt geminandorum alimentorum fastidio. Sed id non arbitror facile credendum, præsertim cum Moyses tantum testimonium pietatis in pullos suos huic dederit avi, ut diceret: *Sicut aquila protegit nidum suum ^b et super pullos suos confidit et expandit alas suas; et adsumpsit eos, et suscepit super scapulas suas. Dominus solus ducebat eos (Deut. xxxii, 11).* Quomodo ergo expandit alas, si occiderit alterum? Unde puto non avaritia nutriendi eam inclementem fieri, sed examine judicandi. Semper enim fertur probare quos genuit; ne generis sui inter omnes aves quoddam regale fastigium degeneris partus deformitas decoloraret. Itaque asseritur quod pullos suos radiis solis objiciat, atque in aeris medio parvulos ungue suspendat; ac si quis repercusso solis lumine, intrepidam oculorum aciem inoffenso tuendi vigore servaverit, is probatur, quod veritatem naturæ sinceri obtutus constantia demonstraverit: sin vero lumina sua præstrictus radio solis inflexerit, quasi degener et tanta indignus parente rejicitur; nec æstimatur educatione dignus, qui fuit indignus susceptione. Non ergo eum acerbitate naturæ, sed judicii integritate condemnat; nec quasi suum abdicat, sed quasi alienum recusat.

61. Hanc tamen, ut quibusdam videtur, regalis avis inclementiam plebeie avis excusat clementia. Avis enim cui fulica nomen est, quæ græce dicitur *φρνή*, susceptum illum, sive abdicatum, sive non agnitum aquilæ pullum cum sua prole connectit; ^C atque intermiscens suis, eodem quo proprios fetus maternæ sedulitatis officio et pari nutrimentorum subministratione pascit et nutrit. Ergo *φρνή* alienos nutrit: nos vero nostros immiti crudelitate projicimus. Aquila vero si projicit, non quasi suum projicit, sed quasi degenerem non recognoscit: nos, quod pejus est, quos nostros recognoscimus, abdicamus.

CAPUT XIX.

Laudatur ob viduitatem turtur, et hoc nomine mulieribus anteponitur etiam christianis.

62. Sed veniamus ad turturem, quam lex Dei velut castæ hostiæ munus elegit (*Levit. xii, 8*). Denique cum ^c Dominus circumcideretur, oblata est; quia scriptum est in lege Domini, ut darent hostiam par turturum, aut duos pullos columbarum (*Luc. ii, 24*). Hoc est enim verum Christi sacrificium pudicitia corporalis, et gratia spiritalis. Pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia. Fertur etenim turtur ubi jugalis proprii fuerit amissione **105** viduata ^d, pertæsum thalamos, et nomen habere conjugii; eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam, quoniam et infidelis ad perpetuitatem fuit, et amarus ad gra-

jugii. Vet. omnes, et nomen habere conjugii. Mss. Vict. unus et Colb., pertæsa thalamos, etc. Cœn. ac Vict. alter pertæsam usum thalami, etc. Melius alii qui vet. edit. consentiunt. Est enim hoc loco ellipsis, quæ suppleri potest in hunc modum: Ferunt turturem exosum negotium habere thalamos, etc.

tiam, qui plus doloris ex morte, quam suavitate ex A charitate generaverit. Itaque iterare conjunctionem recusat, nec pudoris jura aut complaciti viri resolvit foedera, illi soli suam charitatem reservat, illi custodit nomen uxoris. Discite, mulieres, quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam in avibus prædicatur.

63. Quis igitur has leges turturi dedit? Si hominem quæro, non invenio. Homo enim nullus est ausus, quando nec Paulus ausus est leges tenendæ viduitatis præscribere. Denique ipse ait: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario* (I Tim. v, 14). Et alibi: *Bonum est illis si sic permaneant: quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri* (I Cor. vii, 8). Opiat Paulus in mulieribus, quod in turturibus perseverat. Et alibi juniores hortatur, B ut nubant; quia mulieres nostræ turturum pudicitiam implere vix possunt. Ergo turturibus Deus hunc infudit affectum, hanc virtutem continentiae dedit, qui solus potest præscribere quod omnes sequantur. ^a Turtur non uritur flore juventutis, non tentatur occasionis illecebra: turtur nescit primam fidem irritam facere; quia novit castimoniam servare ^b prima connubii sorte promissam.

CAPUT XX.

Vultures, quæ sine maris copula gignere dicuntur, virginei partus possibilitatem astruere.

64. Diximus de viduitate avium, eamque ab illis primum exortam esse virtutem: nunc de integritate dicamus, quæ in pluribus quidem avibus ita esse C asseveratur, ut possit etiam in vulturibus deprehendi. Negantur enim vultures indulgere concubitu, et conjugali quodam usu nuptialisque copulæ sorte misceri, atque ita sine ullo masculorum concipere semine, et sine conjunctione generare, natosque ex his in multam ætatem longævitate procedere; ut usque ad centum annos vitæ eorum series producat, nec facile eos angusti ævi finis excipiat.

65. Quid aiunt, qui solent nostra ridere mysteria, cum audiunt quod virgo generavit, et impossibilem in nuptæ, cujus pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei Matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Avis sine masculo parit, et nullus refellit; et quia desponsata viro Maria virgo peperit, ^c pudori D ejus faciunt quæstionem. Nonne advertimus quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret, et astrueret veritatem?

106 CAPUT XXI.

De avibus sub quadam reipublicæ forma constitutis.

Ubi præcipue de apibus, deque earum mirabili natura in proli generatione, in regis institutione ac fide

^a Mss. aliquot, *Turtur non utitur flore, etc.*
^b Mss. aliquot et edit. vet., *prima connubii sorte prætermisita.*

^c Edit. omnes, *pudoris ejus. Latinius, pudoris ei.*

erga illum, in constructione favorum, collectione mellis, nec non ejus utilitate, etc.

66. Nunc age, quæ aves velut quamdam reipublicam curare videantur expediam, atque vitæ hujus ætatem agere sub legibus. Illic enim reipublicæ usus est, leges omnibus esse communes, atque observari eas devotione communi. Uno omnes teneri vinculo: non alteri jus esse, quod alius sibi intelligat non licere; sed quod liceat, licere omnibus; et quod non liceat, omnibus non licere. Esse etiam communem ^d reverentiam patrum, quorum consilio respublica gubernetur, commune omnibus urbis domicilium, commune conversationis officium, unum præscriptum omnibus, unum esse consilium.

67. Magna hæc, sed quanto in apibus præstantiora, B quæ solæ in omni genere animantium communem omnibus sobolem habent, unam omnes incolunt mansionem, unius patriæ clauduntur limine, in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis usus et fructus est, communis volatus. Quid plura? Communis omnibus generatio, integritas quoque corporis virginalis omnibus communis et partus; quoniam neque inter se ullo concubitu miscentur, nec libidine resolvuntur, nec partus quatiuntur doloribus, et subito maximum filiorum examen emittunt, e foliis et herbis ore suo prolem legentes.

68. Ipsæ sibi regem ordinant, ipsæ sibi populos creant; et licet positæ sub rege, sunt tamen liberæ. Nam et prærogativam judicii tenent, et fidæ devotionis affectum; quia et tamquam a se substitutum diligunt, et tanto honorant examine. Rex autem non sorte ducitur; quia in sorte eventus est, non judicium, et sæpe irrationabili casu sortis melioribus ultimus quisque præfertur: neque imperitæ multitudinis vulgari clamore signatur, quæ non merita virtutis expendit, nec publicæ utilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto: neque privilegio successionis et generis regalibus thronis insidet; siquidem ignarus publicæ conversationis, cautus atque eruditus esse non poterit. Adde adulationes atque delicias, quæ teneris inolitæ ætatibus vel acre ingenium enervare consueverunt; tum institutiones spadonum, quorum plerique suo magis quæstui, quam usui publico animum regis inclinant. Apibus autem rex naturæ claris formatur insignibus; ut magnitudine corporis præstet et specie; tum quod in rege præcipuum est, morum mansuetudine. Nam etsi habet aculeum, tamen eo non utitur ad vindicandum. Sunt enim leges naturæ non scriptæ litteris, sed impressæ moribus; ut leniores sint ad puniendum, qui maxima **107** potestate potiuntur. Sed et apes illæ quæ non obtemperaverint legibus regis poenitenti condemnatione se muletant; ut immoriantur aculei sui vulnere. Quod Persarum populi

Melius mss., *pudori ejus.*

^d Nonnulli mss., *reverentiam natorum.* Melius alii aliquot; et vet. edit., *senatorum.* Plures tamen ac Rom. edit. ut nos in textu.

hodieque servare dicuntur; ut pro commissi pretio ipsi in se propriæ mortis exsequantur sententiam. ^a Itaque nulli sic regem, non Persæ qui gravissimas in subditos habent leges, non Indi, non populi Sarmatarum tanta quanta apes reverentia devotionis observant; ut nullæ e domibus exire audeant, ^b non in aliquos prodire pastus, nisi rex fuerit primo egressus, et volatus sibi vindicaverit principatum.

69. Processus autem est per rura redolentia, ubi inhalantes horti floribus, ubi fugiens rivus per gramina, ubi amœna riparum: illic ludus alacris juventutis, illic campestre exercitium, illic curarum remissio. Opus ipsum suave, de floribus, de herbis dulcibus fundamina castrorum prima ponuntur. Quid enim aliud est fagus, nisi quædam castrorum species? Denique ab his præsepibus apum fucus arce-
tur. Quæ castra quadrata tantum possunt habere artis et gratiæ, quantum habent crates favorum, in quibus minutæ ac rotundæ cellulæ connexione sui invicem fulciuntur? Quis architectus eas docuit hexagonia illa cellularum indiscreta laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum septa ceras suspendere, stipare mella, et intexta floribus horrea nectare quodam distendere? Cernas omnes certare de munere, alias invigilare quærendo victum, alias sollicitam castris adhibere custodiam, alias futuros explorare imbres, et speculari concursus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infusum floribus ore colligere; nullam tamen alienis insidari laboribus, et rapto vitam quærere: atque utinam raptorum insidias non timerent. Ha-
bent tamen spicula sua, et inter mella fundunt venenum, si fuerint lacessitæ, animasque ponunt in vulnere ardore vindictæ. Ergo mediis castrorum vallibus humor ille roris infunditur, paulatimque processu temporis in mella cogitur, cum fuerit liquidus ab exordio, ^c et coalitu ceræ, florumque odore fragrare mellis incipit suavitatem.

70. Merito quasi bonam operariam Scriptura apem prædicat dicens: *Vade ad apem, et vide quomodo operaria est. Operationem quoque quam venerabilem^d mercatur, cujus laborem reges et mediocres ad salutem sumunt. Appetibilis enim est omnibus et^e clara* (Prov., vi, 8). Audis quid dicat propheta? Mittit utique te ut apiculæ illius sequaris exemplum, imiteris operationem. Vides quam laboriosa, quam grata
sit. Fructus ejus ab omnibus desideratur, et quæritur, nec pro personarum diversitate discernitur: sed indiscreta sui gratia regibus pariter ac mediocribus

^a Vet. edit., *Itaque nulli sicut reges Persarum tam gravissimas... tantam, quantam apes.* Mss. aliquot, *itaque nulli sic regem non persequi vel prosequi... tantam, quantam.* Sed scribarum error est quem alii et Rom. edit. restituunt. Cæterum illud e l. iv Georg. voluit vir sanctus imitari:

Præterea regem non sic Ægyptus, et ingens Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes Observant.

^b Cod. bene multi, *non aliquos adire.*

^c Mss. nonnulli. *et nutrito et coalito ceræ, etc.*

A æquali suavitate dulcescit. Nec solum voluptati, sed etiam saluti est: fauces obdulcat, et curat vulnera, internis quoque medicamentum infundit ulceribus. Itaque **108** cum sit infirma robore apis, valida est vigore sapientiæ, et amore virtutis.

71. Denique regem suum summa protectione defendunt, et perire pro eo pulchrum putant. Incolumi rege nesciunt mutare iudicium, mentem inflectere: amisso, fidem servandi muneris derelinquunt, atque ipsæ sua mella diripiunt; quod is qui principatum habuit muneris, interemptus est.

72. Itaque cum aves aliæ vix in anno edant singulos fetus, apes geminos creant, et duplici cæteris fecunditate præponderant.

CAPUT XXII.

B *Volatilia cur dicuntur volantia super terram secus firmamentum cæli. Atque ibidem de ea quæ observatur in avibus, corporis diversitate. Postremo nonnulla de cygno et cicada subjunguntur.*

73. Consideremus nunc quid sit, quod ait: *Producant aquæ reptilia animarum viventium secundum genus, et volatilia volantia super terram secundum genus secus firmamentum cæli.* Cur super terram dixerit, certum est; quia victum de terra quærunt. *Secus firmamentum autem cæli* quomodo, cum aquilæ ultra cæteras aves volent, et tamen ipsæ non secus firmamentum cæli? Sed quia græce οὐρανός dicitur, quod latine cælum appellamus: οὐρανός autem ἀπὸ τοῦ ὄρασθαι, id est, a videndo, ideo quod aer perspicuus sit, et ad videndum purior, in aere volitantia genera dixit animantium. Et ne moveat quod ait, *secus firmamentum cæli*, non proprie firmamentum hic posuit, sed abusive; eo quod comparatione ætherei illius corporis etiam iste aer quem possumus oculis comprehendere, quasi crassior et densior vicem habeat firmamenti.

74. Nunc quia diximus quæ volatilia, quam naturam habeant et gratiam, et ea pauca de multis; neque enim vacat universa describere, cum sint similia atque ejusdem generis; tamen aves ipsæ quam inter se diversitatem habeant consideremus. Invenimus enim cornicis pedes velut quibusdam digitis distantibus separatos atque divisos, corvorum quoque atque pullorum aliter etiam formatos a natura pedes; avium quæ carne vescuntur, cernimus quasi incurvos atque sinuatos, ac velut ad prædam paratos. Eæ vero quæ natandi habent usum et consuetudinem, latos habent pedes, et membrana quadam illos digitos pedum sibi

^d Rom. edit., *venerabilem facit.* Nempe secuta LXX Interp. secundum codicem Vaticanum et Florentinum, ubi legitur, ποιείται. Aliæ edit. et omnes mss.... *mercatur*: secundum Venetum codicem, ubi, ἐμπορεύεται.

^e Quatuor mss., *chara.* Alii et edit., *clara.* LXX Interp., ἐπίδοξος. Totum locum ms. Cœn. ita exhibet, *vade... et ejus imitare operationem. Operationem namque quam venerabilem mercatur apes, cujus, etc.*

copulatos atque conjunctos. In quo admirabilis patet ratio naturæ; ut et illæ ad volandum vel ad rapiendum cibum usu accommodo fulciantur, et istæ ad natandum adjumenta habeant competentia, quo melius aquis possint supernatare, et quasi remis quibusdam, ita pedibus suis membranæ illius extensione latioribus aquarum fluenta propulsent.

75. Cygnus quoque tur procèriore collo utatur in promptu est; ut quia est paululum segnior corpore, nec facile potest aquarum inferiora penetrare, **109** cervicem extendat ad prædam, quæ quasi prævia reliqui corporis escam quam invenerit, rapiat, atque eruat e profundo. Adde et illud, quia suavior et magis canorus per procera modulus colla distinguitur, et longiore exercitatione purior longe resultat.

76. Quam dulcis etiam in exiguo cicadis gutture cantilena, quarum cantibus medio æstu arbusta rumpuntur, eo quod magis canoræ meridianis caloribus, ^a quo puriorem aerem id temporis attrahunt spiritum, eo cantus resonant clariores. Nec apes ipsæ insuave quiddam canunt; habent enim gratiam in rauco illo vocis suæ murmure suavitatem, quam nos fracto tubarum sonitu lentius primum videmur imitari, quo crepitu ad excitandos animos in vigorem nihil aptius æstimatur. Et hæc illis gratia manet, cum pulmonem respirandique munus atque usum nequaquam habere prodantur; sed aërio vesci spiramine. Denique ^b si quis eas superfundat oleo, prope necantur; eo quod obstructis poris aërium spiramen illud haurire non possint: continuoque si quis acētum his superfundat, illico reviviscunt, eo quod vis aceti cito illos ^c qui concretione olei obstruuntur, humore feratur aperire.

CAPUT XXIII.

De verme Indico, chamæleonte, lepore ac phœnice; quibus ad fidem resurrectionis ac mortis præparationem informamur. De præscientia vulturum; et locustæ ad ultionem divinam exsequendam ministerio, quæ tamen a seleuci ave devoratur.

77. Et quia de volatilibus dicimus, non putamus alienum ea complecti quæ de verme Indico tradit historia, vel eorum relatio qui videre potuerunt. ^d Fertur hic corniger vermis converti primum ^e in speciem caulis, atque in eam mutari naturam; inde processu quodam fieri bombylius; nec eam tamen formam, ^D figuramque custodit, sed laxis et latioribus foliis videtur pennas assumere. ^f Ex his foliis mollia illa Seres depectunt vellera, quæ ad usus sibi proprios divites vindicarunt. Unde et Dominus ait: *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestimentis in-*

adutum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt (Matth. xi, 8). Chamæleon quoque diversas species fertur vario colore mentiri. Lepores certe, quod de proximo facile cognovimus, hyeme albescere, æstate in suum colorem redire non dubium est.

78. Hæc ideo libavi; ut ad commutationis fidem, quæ in resurrectione futura est, etiam ista exempla nos provocent: sed ita ut commutationem illam dicamus, quam Apostolus evidenter expressit dicens: *Omnes quidem resurgemus: non omnes autem immutabimur (I Cor. xv, 51):* Et infra ait: *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem (Ibid., 52).* Plerique enim commutationis genus et formas quas non acceperant, ⁸ interpretati, nequaquam præsumptionis **110** indebitæ incongrua usurpatione everterunt.

79. Phoenix quoque avis in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea usque ad annos quingentos longævâ ætate procedere. Quæ cum sibi finem vitæ adesse adverterit, facit sibi thecam de thure et myrrha et cæteris odoribus; in quam impleto vitæ suæ tempore intrat, et moritur. De ejus humore carnis vermis exsurgit, paulatimque adolescit, ac processu statuti temporis induit alarum remigia, atque in superioris avis speciem formamque reparatur. Doceat igitur nos hæc avis vel exemplo sui resurrectionem credere, quæ et sine exemplo, et sine rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et utique aves propter hominem sunt, non homo propter aves. Sit igitur exemplo nobis, quia auctor et creator avium sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui avem unicam perire non passus, resurgentem eam sui semine ^h voluit reparari. Quis igitur huic annuntiat diem mortis; ut faciat sibi thecam, et impleat eam bonis odoribus; atque ingrediatur in eam, et moriatur illic ubi odoribus gratis foetor funeris possit aboleri.

80. Facet tu, o homo! tibi thecam; exspolians veterem hominem cum actibus suis, novum indue. Theca tua, vagina tua Christus est, qui te protegat et abscondat in die malo. Vis scire quia theca protectio est? *Pharetra, inquit, mea protexi eum (Esai. xlix, 2).* Theca ergo tua est fides; imple eam bonis virtutum tuarum odoribus; hoc est, castitatis, misericordiae, atque justitiæ; et in ipsa penetralia fidei suavi factorum præstantium odore redolentia totus ingredere: ea te amictum fide exitus vitæ hujus inveniat; ut possint ossa tua pinguescere; et sint sicut hortus ebrius, cujus cito semina suscitantur. Cognosce ergo diem mortis tuæ; sicut cognovit et Pau-

^a Mss. aliquot, et quo puriorem aere id temporis attrahunt spiritum.

^b Mss. nonnulli, si quis eas vel fucos perfundat.

^c Cod. aliquot melioris notæ, qui concretione olei obstruuntur humore, feratur aperire.

^d Aliquot mss., Fertur hic niger vermis.

^e Ita cuncti mss. et edit. excepta Rom., quæ legit, in speciem erucae. Latinius legendum conjicit, in speciem campæ. Procul dubio propter illud Basil. *ὅς εἰς*

καμπὴν τὰ πρῶτα μεταβαλὼν.

^f Edit. Rom., Ex hujus filis. Aliæ omnes edit. et mss., Ex his foliis. Virg. Georg. l. ii.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

⁸ Mss. aliquot., interpretantur, quæ nequaquam, etc.; Coen., interpretatione quadam præsumptionis indebitæ, incongrua usurpatione everterunt.

^h Quidam mss., voluit propagari.

lus, qui ait : *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi : quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ* (II Tim. iv, 7 et 8). Intravit igitur in thecam suam quasi bonus phoenix, quam bono replevit odore martyrii.

81. Interrogabo te : tu autem responde mihi, unde vultures mortem hominum signis quibusdam annuntiare consueverint, quo indicio edocti atque instructi sint; ut cum bellum lacrymabile inter se adversæ acies instruunt, multo prædictæ volucres sequantur agmine, et eo significant quia multitudo hominum casura sit bello, futura præda vulturibus? Quod utique ex specie instructionis humanæ quadam videntur ratione colligere.

82. Usque ad locustam quoque grãtia divina penetravit, quæ cum agmine conferto regionis cujusque occupaverit latitudinem, innoxio primum a feriatur habitaculo, nec fructus inhospitali incursione depascitur, nisi divinæ signum præceptionis acceperit. Etenim sicut in Exodo legimus (*Exod. x, 12*), ea quoque coelestis ultionem offensionis exsequitur piæ ministra vindictæ.

83. Hanc quoque avis devorat *σελευκίς*, sic **111** enim Græco avis hæc nuncupatur nomine, data ad remedium malorum quæ locusta consuevit inferre : cui creator inexplabilem dedit devorandi naturam ; ut insatiabili pastu plagam quam supra diximus, possit extinguere.

CAPUT XXIV.

De nocturnis avibus ; in primis de lusciniæ incubantis cantu : de noctua, vespertione et gallo ; unde nonnulla ad nostros mores accommodantur.

84. Sed quid hoc est? Dum sermonem producimus, ecce tibi jam et nocturnæ aves circumvolant, et in eo ipso in quo finiendum sermonem admonent, sui quoque assumendam commemorationem producant. Repetunt diversæ aves aviaria sua, quas vesper nocte cogit decedere, et se in latibulis suis abdunt, canoro occasum diei carmine prosequentes ; ne immunes abeant gratiarum, quibus creatorem suum omnis creatura collaudat.

85. Habet etiam nox carmina sua, quibus vigilias hominum mulcere consuevit ; habet et noctua suos cantus. Quid autem de lusciniâ dicam, quæ pervigil custos cum ova quodam sinu corporis et gremio fovet, insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suavitate solatur ; ut mihi videatur hæc summa ejus esse intentio, quo possit non minus dulcibus modulis, quam fotu corporis animare ova quæ soveat. Hanc imitata tenuis illa mulier, sed pudica, in^b usum molæ lapidem brachio trahens, ut possit alimentum pãnis suis parvulis non deesse, nocturno cantu mœstum paupertatis mulcet affectum. Et quamvis suavi-

tatem lusciniæ non possit imitari, imitatur tamen eam sedulitate pietatis.

86. Noctua ipsa quemadmodum magnis et glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem ; et quo fuerit nox obscurior, eo contra usum avium cæterarum inoffensos exercet volatus. Exorto autem die, et circumfuso splendore solis, visus ejus hebetatur, quasi quibusdam erreret in tenebris. Quo indicio sui declarat esse aliquos, qui cum oculos habeant ad videndum, videre non soleant, et visus sui officio solis fungantur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes mundi, et non vident, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum dæmoniorum tenebrosa rimantur, et cœli alta se videre credunt, describentes radio mundum, mensuram aeris ipsius colligentes. Porro autem a fide devii, perpetuæ cæcitatatis tenebris implicantur, habentes in proximo diem Christi et lumen Ecclesiæ, et nihil videntes aperiunt os quasi scientes omnia, acuti ad vana, hebetes ad æterna, et longæ disputationis e anfractu prodentes inscitæ propriæ cæcitatem. Itaque dum cupiunt subtilibus evolare sermonibus, quasi noctuæ in lumine evanuerunt.

87. Vespertilio animal ignobile a vespere nomen accepit. Est autem volatilis, eademque quadrupes, et dentibus utitur, quos in aliis avibus reperire non soleas. Parit ut quadrupedia, non **112** ova, sed pullos viventes. Volitat in aere avium more ; sed crepusculo vespertino^d consuevit offundi. Volitat autem non aliquo pennarum, sed membranæ suæ fulta remigio, quo suspensa velut pennarum volatu circumfertur atque^e vegetatur. Habet et illud hoc vile animal, quod sibi invicem adhærent, et quasi in speciem botryonis ex aliquo loco pendent : ac si se ultima quæque laxaverit, omnes resolvuntur. Quod fit quodam munere charitatis, quæ difficile in hominibus hujus mundi reperitur.

88. Est etiam galli cantus suavis in noctibus ; nec solum suavis, sed etiam utilis, qui quasi bonus cohabitator et dormientem excitat, et sollicitum admonet, et viantem solatur, processum noctis canora significatione protestans. Hoc^f canente latro suas relinquit insidias ; hoc ipse lucifer excitatus oritur, cœlumque illuminat ; hoc canente mœstitiam trepidus nauta deponit, omnisque crebro vespertinis flatibus excitata tempestas et procella mitescit ; hoc canente devotus affectus exsilit ad precandum, legendi quoque munus instaurat ; hoc postremo canente ipsa Ecclesiæ petra culpam suam diluit, quam priusquam gallus cantaret, negando contraxerat. Istius cantu spes omnibus redit, ægris levatur incommodum, minuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia mitigatur, revertitur fides lapsis, Jesus titubantes respicit, er-

^a Edit., fertur. Mss., feriatur.

^b Mss. quinque, intusum. Totidem, et edit. Cost. et quædam Paris., incussum.

^c Amerb. et Erasm., anfractu prudentes, inscii propriæ inscitæ. Cæcitatem, etc.

^d Mss. aliquot, consuevit offendi.

^e Rom. edit., vagatur. Ex Bas. scilicet, apud quem, ἐπιπόλαζει.

^f Confer sodes hunc locum cum hymno diei dominicæ ad Laudes.

rantes corrigit. Denique respexit Petrum, et statim error abscessit: pulsa est negatio, secuta confessio. Quod non fortuito accidisse, sed ex sententia Domini lectio docet. Sic enim scriptum est, quia dixit Jesus ad Simonem: *Non cantabit gallus, priusquam me ter abneges* (Matth. xxvi, 34). Bene fortis in die Petrus, nocte turbatur; et ante galli cantum labitur, et labitur tertio; ut scias non inconsulta effusione sermonis esse prolapsus, sed mentis quoque^a mutatione turbatum. Idem tamen [post galli cantum sit fortior, et jam dignus quem Christus aspiciat: oculi enim Domini super justos. Agnovit venisse remedium, post quod jam errare non posset: et in virtutem ab errore mutatus, amarissime flevit; ut lacrymis suis deleteret errorem.

CAPUT XXV.

Pia Auctoris precatio. Lacrymarum commendatio. Dimissio auditorum ad refectionem. Denique ad mysteria Dominici corporis invitatio.

89. Respice nos quoque, Domine Jesu, ut et nos propria recognoscamus errata, solvamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum. Ideo consulto sermonem protraximus; ut nobis quoque gallus cantaret, et loquentibus subveniret, quo si quod delictum obrepisset in verbo, culpam, Christe, donares. Da, quaeso, lacrymas Petri, nolo lætitiā peccatoris. Fleverunt Hebræi, et per mare sunt dehiscensibus undis liberati. Lætatus est Pharaon quod Hebræos tenebat inclusos, et mari mersus cum populo suo oc-

^a Mss. aliquot et edit. Am. ac Pet., *mutatione turbatum*.

^b Sic edit. omnes, et nonnulli mss. At Carn. Corb. Th. ac Reg. *post pridie*. Big. et Gem., *postridui*,

cidit. Exsultavit et Judas in mercede proditionis suæ, sed ipsius se **113** mercedis laqueo strangulavit. Flevit errorem suum Petrus, et meruit ut aliorum aboleret errores.

90. Sed jam tempus est quo finire sermonem et claudere debeamus: tempus est quo melius aut tacetur, aut fletur: tempus est quo celebratur indulgentia peccatorum. Nobis quoque gallus iste mysticus in sacris cantet; quoniam jam Petri gallus in nostro sermone cantavit. Flet pro nobis Petrus, qui pro se bene flevit et in nos pia Christi ora convertat. Approperet Jesu domini passio, quæ quotidie delicta nostra condonat, et munus remissionis operatur.

91. Bonus Dominus dimittere jejunos non vult, ne quis deficiat in viā. Si ille dicit, *Misereor 114 hujus turbæ; quia triduum est quod perseverant mecum, et non habent escam, et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in viā* (Matth., xv, 32); cujus intenta sermoni Maria apparatus recusabat epularum: quanto magis nos considerare debemus, quia non multi sunt, qui in verbo Dei vivunt, et ideo refectio corporis desideratur! Certe illius tridui nostrum^b hoc postridie laboriosius est.

92. Et ideo qui cum avibus lusimus, cum gallo cantavimus, jam Domini canamus mysteria, et ad corpus Jesu convenient aquilæ peccatorum ablutione renovatæ; jam enim cetus ille magnus verum nobis Jonam reddidit: et gratulemur quod factus est nobis vespere dies quintus; fiat nobis mane dies sextus.

Germ., Colb., cum Viet., duobus *postriduum*. In hac autem diversitate atque obscuritate optimum visum est non recedere ab edit.

LIBER SEXTUS.

DE OPERE SEXTI DIEI.

CAPUT PRIMUM. (Sermo IX.)

Ultimi hujus sermonis difficultas exemplo certantium in ludis publicis explicatur; atque a rerum, de quibus agitur, jucunditate utilitateque conciliatur attentio.

1. Sextus iste est dies, quo mundanæ creaturæ origo concluditur; et ideo etiam sermonis nostri quem de^a rerum exordiis assumpsimus, finis paratur. Qui etsi per quinque jam dies non mediocri labore nobis processerit; tamen hodierno die, majore curarum accrescit fœnore, quia in hoc et superiorum dierum periculum est, et totius summa certaminis. Etenim si in fidibus aut cantibus et athletarum contentionibus crebris licet et maximis ludicris, tamen superiores dies sine ullo coronæ transiguntur dispendio, postremus autem dies habet sortem coronæ, in quo et decernendi periculum est, et cedendi

opprobrium, et vincendi præmium: quanto magis in hoc tanto agone sapientiæ, tanto non paucorum sed universorum judicio, cum hodie nobis velut quædam certaminis corona procedat, major sollicitudo angit; ne et superiorum effundamus laborem dierum, et præsentis subeamus pudorem. Neque enim eadem dicendi conditio, quæ canendi atque luctandi; cum in illis ludus offensionis, in isto lapsus sit mortis. Illic si pecces, spectantium fastidium est: hic damnum est audientium.

2. Assistite igitur mihi tamquam coronæ judices, et ingredimini mecum in hoc magnum et admirabile totius visibilis theatrum creaturæ. Etenim si is qui explorat novorum adventus hospitem, toto eos circumducit urbis ambitu, præstantiora quæque opera demonstrans, non mediocre locat gratiam: quanto magis sine fastidio accipere debetis, quod velut quædam sermonis manu^b per hanc communem vos cir-

^a Tres mss. *de dierum exordiis*.

^b Mss. Carn., Corb., Th. ac Regius, *per hanc communionem vos circumduco in patriam*.

cumduco **114** patriam, et singularum rerum species et genera demonstro, ex omnibus colligere cupiens, quanto vobis creator universorum gratiam uberio-rem, quam universis donaverit. Vobis igitur hæc corona proponitur, vos hodie cupio vestro iudicio coronare. Non enim nos athletarum modo marcen- tia sarta deposcimus, sed viride vestræ sanctitatis examen; quo decernatis per omnes quidem creatu- ras providentiam penetrare divinam, sed cum cæteris vobis commune corporeæ fragilitatis esse consor- tium, præ cæteris tamen vos animi virtute constare, quæ sola nihil habet commune cum cæteris.

CAPUT II.

Ad tractandum de bestiarum natura Ambrosius acce- dit: Scripturam simpliciter accipiendam docet: instituit sui cum paupere conviva comparisonem: curiosas quæstiones fugiendas monet; eamque rem Moysis exemplo confirmat.

3. Nunc age, naturas bestiarum dicamus, et ho- minis generationem. Audio enim jamdudum aliquos insusurrare dicentes: Quamdiu aliena discimus, et nostra nescimus? Quamdiu de reliquis animantibus docemur scientiam, et nosmetipsos ignoramus? Illud dicat quod mihi prosit, unde me ipsum noverim. Et justa est? conquestio: sed ordo servandus est quem Scriptura contexit; simul quia non possu- mus plenius nos cognoscere, nisi prius quæ sit om- nium natura animantium cognoverimus.

4. Producat, inquit; terra animam viventem secun- dum genus, quadrupedes, et serpentes, et **p** bestias **C** terræ, et pecora secundum genus, et omnia reptilia. Et fecit Deus bestias terræ, et omnia pecora ad genus, et omnia reptilia terræ ad genus. Et vidit Deus quia bona, et dixit Deus: Faciamus hominem (Gen., 1, 24, 25, 26). Hoc loco non ignoro quosdam bestiarum et pecorum et serpentium terræ species alio retulisse; **115** ut hæc ad immanitates criminum, stultitiam peccatorum, nequitiam cogitationum referrent: ego autem simplices naturas uniuscujusque generis ac- cipio.

5. Nec vereor ne quis me pauperis convivæ præ- sumptioni conferendum putet, qui studio humani- tatis complures roget, nec his quidquam nisi viles et usitatos apponat cibos, et tenui mensæ pauperis apparatus plus reprehensionis incurrat ex fastidio **D** convivarum, quam gratiæ referat ex hospitalitatis affectu. Nec enim Elisæum amici quasi malum con- vivam agrestia apponentem olera refutarunt (IV Reg., 1, 39). ^c Simile vanis relationibus exquisitum illud et accuratum opipare convivium est, in quo phasiani aut turtoris species apponitur, et intus pullus man- ducatur, aut pullus infertur, et ostreis est fartus,

^a Edit. omnes, quæstio. Mss. rectius, conquestio, id est, querela.

^b Ita mss. plures potioresque. Alii cum edit. et bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus, et reptilia terræ ad genus. Rom. edit., secun- dum genus. Hæc etiam addit sola, et factum est sic.

^c Rom. edit., variis relationibus. Vet. ac plerique

aut spondylis: aut poculum bibitur quod diverso colore atque odore in alienos mutetur sapor: ma- ritima terrenis, terrena maritimis sarciuntur. Hoc est reprehendere providentiam Creatoris, qui nobis ad victum omnia donavit, quod non illa miscuerit: sed hæc dulcia primo videntur, et postea fiunt amara. Quo enim copiosior fuerit luxuries, eo perniciosior intemperantia est. Elisæus autem amara apposuit, sed postea facta sunt dulcia. Denique qui ante in illo cibo mortem putabant, postea in eo suavitatis et vitæ gratiam sunt adepti.

6. Neque rursus formidini est, ne plures videar invitasse, quam possum pascere, et vobis panes de- ficiant verborum meorum; quia et Elisæus etsi me- rito inimitabilis nobis imitandus fide, non conside- ravit quantos panes haberet, sed quos haberet divi- dere omnibus voluit, et sufficere omnibus iudicavit. (Ibid., 42). ^d Itaque decem panes hordeaceos dividere in plebem jussit ministro. Et dixit minister: Quid, dabo hoc in conspectu centum virorum? Et respondit, Da et manducant, quoniam hæc dicit Dominus: Man- ducabunt et relinquent (Ibid., 43). Fides igitur ve- stra faciet abundare pauperis linguæ convivium. Nec vereor, ne jejunia vos edaciores faciant; quominus repleti, et esurientes ac vacui revertamini, quia scriptum est: Confirmat justos Dominus, et in diebus famis saturabuntur (Ps. xxxvi, 17 et 79). Multo pulchrius est hordeaceos panes non erubescere, et apponere quod habeas, quam negare. Elisæus qui sibi nihil reliquit, populis abundavit. Elisæus ergo hordeaceos panes non erubuit apponere; nos erubescimus simplices intelligere creaturas, quæ simplicibus et suis declarantur vocabulis! Cælum legimus, cælum accipiamus: terram legimus, ter- ram intelligamus frugiferam.

7. Quid mihi quærere quæ sit ejus mensura cir- cuitus, quam geometræ centum octoginta millibus stadiorum æstinaverunt? Libenter fateor me nescire quod nescio, imo quod scire nihil proderit. Melius est genera terrarum scire quam spatia, quæ circum- fuso mari, interjectis **116** Barbarorum regionibus, suffusa atque invia paludibus humo, quemadmodum possumus comprehendere? quod impossibile esse hominibus Scriptura demonstrat, dicente Deo: Quis mensus est manu aquam, et cælum palmo, et univer- sam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, et rupes in statera, et nemora in jugo (Esai., xl, 12)? et infra: Qui tenet gyrum terræ; et habitantes in ea sicut locustas: qui statuit cælum ut cameram (Ibid., 22). Quis igitur æqualem sibi cum Deo potestatem et scientiam audeat vindicare; ut quæ Deus maje- statis suæ esse proprio signavit oraculo, hæc sibi homo ad cognitionem suppeterè posse præsumat?

mss., vanis relationibus. At Ben., Car. et Germ., vanis refutationibus. Ben. inter lineas, id est, relationibus. Ibi tamen vox refutatio fastidium significare videtur; nam refutare interdum idem est ac fastidire vel respuere.

^d Mss. omnes et edit. vet. constanter legunt, de- cem panes. Rom. edit. cum LXX Interp. ac Vulg. viginti panes.

8. Certe Moyses eruditus erat in omni sapientia Aegyptiorum; sed quia spiritum Dei accepit, quasi minister Dei inanem illam et usurpatoriam Philosophiæ doctrinam veritatis rationi posthabuit: et ea descripsit mihi quæ nostræ spei accommoda iudicavit, quod terram fecerit Deus, quod produxerit terra juxta Dei omnipotentis imperium, operationemque domini Jesu virgulta de terris, et omnem animam viventem secundum genus. At non ille putavit dicendum, quantum de spatio aeris occupet umbra terræ, cum sol recedit a nobis, diemque abducit inferiora axis illuminans; et ^a quemadmodum in regionem umbræ mundi hujus incidens lunæ globus eclipsim faciat; quoniam quæ nihil ad nos, quasi nihil profutura præterit. Vidit enim in sancto Spiritu non illas marcescentis jam sapientiæ vanitates sequendas, quæ rebus inexplicabilibus mentem nostram occupant, luduntque operam, sed ea potius describenda, quæ ad virtutis spectarent profectum.

CAPUT III.

Animantibus inditam Dei verbo generationis legem in specierum successionibus perseverare. Minime negandam naturæ eorum quæ genita sunt, veritatem: ut homini belluinam imitari vitam, flagitiosum esse. Demum sequitur viliorum quorundam certis animalibus familiarium atque adeo fugiendorum expositio.

9. Inhæreamus igitur propheticis dictis, nec Spiritus sancti quasi vilia despectui habeamus alloquia. Producat, ^b inquit, terra animam viventem pecorum et bestiarum et reptilium. Quid ^c argumentamur alia, ubi evidenter creaturarum terrestrium natura formatur? Currit enim in constitutione mundi per omnem creaturam Dei Verbum; ut subito de terris omnia quæ statuit Deus, animantium genera producantur, et in futurum lege præscripta, secundum genus sibi, similitudinemque universa succedant, ut leo leonem generet, tigris tigridem, bos bovem, cygnus cygnum, aquila aquilam. Semel præceptum in perpetuum inolevit naturæ. Et ideo ministerii sui obsequium præbere terra non **117** desinit; ut priscae animantium species reparabili generis successione in novas reparentur ætates.

10. Sed vis ad usum hominis derivare quæ genita sunt? Noli veritatem unicuique generi naturæ propriæ denegare, et multo magis ea ad gratiam aptabis ^d humanam. Primum quia omnia genera pecorum, bestiarum, ac piscium in alvum naturæ prostravit; ut alia ventre repant, alia quæ pedibus sustententur, demersa magis quadrupedi corporis gressu, et velut

^a Mss. aliquot, et Rom. edit., in regionem umbræ hujus incidens. Alii et vet. edit., in regionem mundi hujus incedens, vel, incidens. Car. et Ben., in regionem umbræ mundi hujus; primus, incidens; secundus, incedens.

^b Rom. edit. sola: Producat, inquit, terra animam viventem secundum genus, pecora et bestias et repentia terræ, etc.

^c Ita mss. melioris notæ atque edit. Rom. Alii vero majori numero, atque edit. vet., Quid argumenta moralia.

A affixa terris videas esse, quam libera. Siquidem cum erigendi se non habeant facultatem, de terra victum requirunt, et ventris in quem deflectuntur, solas sequuntur voluptates. Cave, o homo! pecudum more curvari. Cave ne in alvum te non tam corpore, quam cupiditate deflectas. Respice corporis tui formam, et speciem congruentem celsi vigoris assume. ^d Sine sola animalia prona pascantur. Cur te in edendo sternis ipse, quem natura non stravit? Cur eo delectaris in quo naturæ injuria est? Cur noctes et dies cibo intentus, pecorum more terrena depascaris? Cur illecebris corporalibus deditus, ipsum te inhonoras, dum ventri atque ejus passionibus deservis? Cur intellectum tibi adimis, quem tibi Creator attribuit? Cur te jumentis comparas, a quibus te voluit Deus segregari dicens: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (Ps. xxxi, 9)? Aut si te edacitas equi intemperantiaque delectat, et adhinnire ad feminas voluptati est, delectet in freno maxillas tuas camoque construngi. Si crudelitas te pascit, ferarum hæc rabies est, quæ propter sævitiam trucidantur; vide ne in te quoque crudelitatis tuæ vertatur immanitas.

11. Piger asinus, ^e et expositus ad prædam, sensuque tardior quid aliud docet, nisi nos vivaciore esse debere, nec desidia corporis animique pigrescere, confugere ad fidem, quæ onera gravia allevare consueverit?

12. Fraudulenta vulpes foveis se latibulisque demergens, nonne indicio est infructuosum esse animal, odioque dignum propter rapinam, despectu propter infirmitatem, et ideo suæ incautum salutis dum insidiatur alienæ?

13. Perdix ^f astutam quæ aliena ova diripiat, hoc est, perdicis alterius, et corpore foveat suo: sed fraudis suæ fructum habere non posse; quia cum eduxerit pullos suos, amittit eos; quia ubi vocem ejus audierint quæ ova generavit, relicta ea ad illam se naturali quodam munere et amore conferunt, quam veram sibi matrem ovorum generatione cognoverint; significantes hanc nutricis fungi officio, illam parentis. Itaque incassum proprios fundit labores, ac fraudis suæ pretio mulctatur. Unde et Hieremias ait: *Clamavit perdix, et congregavit quæ non peperit* (Hier., xvii, 11), id est, ova congregavit, et clamavit quasi ovans suæ fraudis effectu. Sed ludit operam; quia impenso labore alii educit, quos ipsa diuturnæ **118** fotu sedulitatis animaverit. Hujus imitator est diabolus, qui generationes creatoris æterni rapere contendit; et si quos insipientes et sensus proprii

^d Edit. et pauci mss. Si sola animalia prona pascantur. Alii plures ac meliores, sine qua sola... pascantur, quidam, pascantur. Omnium optime Ben. et Germ. ut nos in textu.

^e Codex Vat. unus, et expositus ad pondera. Rom. edit. et ad onus expositus.

^f Rom. edit., astutam novimus, quæ, etc. Manifesta quidem hic ellipsis est, quæ suppleri potest per verba, novimus, serunt, aut aliud simile: nos Auctoris textum ut in antiquis mss. et edit. invenitur, exhibemus.

carentes vigore potuerit congregare, fovens eos illecebris corporalibus, ubi primum vox Christi parvulis fuerit infusa, discedunt atque ad eam se conferunt matrem, quæ pullos suos sicut avis materno amore complectitur. Congregavit enim diabolus gentiles, quos non creaverat : sed ubi in Evangelio suo vocem Christus emisit, ad eum se potissimum contulerunt, quos sub umbra alarum suarum ipse suscepit, et matri dedit Ecclesiæ nutriendos.

14. Leo^a naturæ suæ superbus ferocia aliarum ferarum generibus miscere se nescit : sed quasi rex quidam plurimorum dedignatur consortium. Qui etiam cibum fastidit hesternum, et ipsas suæ escæ reliquias aversatur. Quæ autem se ei sociare fera audeat, cujus voci tantus naturaliter inest terror ; ut multa animantium quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu velut quadam vi attonita atque icta deficient ?

15. Nam de pardi specie nec Scriptura siluit quod varietate coloris motus varios animæ suæ prodat. Dicit enim Hieremias : *Si mutabit Æthiops pellem suam, et pardus varietatem suam* (Hier. xiii, 23). Non solum enim de figura, sed etiam de mobilitate furoris istud accipitur ; eo quod tenebrosis et inquietis ac mobilibus infidæ mentis atque animi mutationibus decoloratus populus Judæorum boni propositi gratiam jam tenere non possit, nec ad emendationem ullam correctionemque remeare, qui semel ferinam induerit immanitatem.]

CAPUT IV.

De mira indole nonnullorum animalium in vitandis sibi noxiis, atque utilibus prosequendis ; et de naturalibus virtutibus quas in illis imitari nos oporteat.

16. Est tamen etiam in natura quadrupedum, quod imitari nos sermo adhortetur propheticus, quo exemplo caveamus desidiam, et exiguitate vel infirmitate corporis a virtutis studio non reflectamur, neque revocemur ab ullius propositi magnitudine. Exigua est enim formica, quæ majora suis audet viribus ; neque servitio ad operandum cogitur, sed spontaneæ proposito prospicientiæ futura alimentorum subsidia sibi præstruit. Cujus ut imiteris industriam Scriptura commoneat te dicens : *Confer te ad formicam, o piger, et æmulare vias ejus, et esto illa sapientior* (Prov., vi, 6). Illa enim nullam culturam possidet, neque eum qui se cogat habens, neque sub domino agens, quemadmodum præparat escam, quæ de tuis laboribus sibi messem recondit ; et cum tu plerumque egeas, illa non indiget. Nulla sunt ei clausa horrea, nullæ impenetrabiles custodiæ, nulli inviolabiles acervi. Spectat **119** custos, furtaque prohibere non audet : aspicit sua damna possessor, nec vindicet. Nigro convectatur agmine præda per campos,

^a Ita mss. fere omnes. Alii, atque edit., *Leo naturæ suæ vi superbus ferocitatem sui aliarum, etc.*

^b Mss. quinque melioris ævi, et *Tobis*. Alii qua-

tuor, et *Tobi*, et sic in sequentibus. LXX, *Τωβίτ*.

17. Quid autem de canibus loquar, quibus insitum est natura quadam referre gratiam, et sollicitas excubias pro dominorum salute prætereendere ? Unde ad immemores beneficii, et desides atque ignavos clamat Scriptura : *Canes muti, nescientes latrare* (Esai., lvi, 10). Sunt ergo canes qui noverint latrare pro dominis, noverint sua tecta defendere. Unde et tu disce vocem tuam exercere pro Christo, quando ovile Ecclesiæ incursant lupi graves. Disce in ore tuo verbum tenere ; ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam quodam prævaricationis silentio deseruisse videaris. Talis canis viator et comes angeli est, quem Raphael in libro prophetico non otiose sibi et ^b Tobix filio adjungendum putavit, quando perrexit ut Asmodæum fugaret, firmaret copulam conjugalem (Tob. vi, 1, et xi, 9). Memoriam enim affectus gratia pellitur dæmonium, stabilitur conjugium. Mutæ itaque specie bestix sanctus Raphael angelus Tobix juvenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebatur affectum. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati ? Et illæ impertitæ alimonix servant memoriam, tu non servas salutis acceptæ ?

18. Ursa insidians licet, ut Scriptura ait (Thren., iii, 10), est enim plena fraudis fera ; tamen fertur informes utero partus edere, sed natos lingua fingere atque in speciem sui similitudinemque formare. Non miraris in fera tam pii oris officia, cujus naturam pietas exprimit ? Ursa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes ?

19. Quid quod etiam medendi industriam non prætermisit ? Siquidem gravi affecta cæde, et consauciata vulneribus mederi sibi novit herbæ cui nomen est ^c φλόμος, ut Græci appellant, ulcera subjiciens sua ; ut solo curentur attactu. Serpens quoque pastu feniculi cæcitatem repellit exceptam. Itaque ubi oculos obduci sibi senserit, nota remedia petit, nec fraudatur effectu. Testudo visceribus pasta serpentis, cum venenum adverterit sibi serpente, origano medicinam suæ salutis exercet : et cum sit volutabris palustribus mersa ; curare se tamen proprio novit antidoto, certoque auxilio sanitatis potestates herbarum etiam ipsa scire se comprobant. Videas etiam vulpem lacrymula pinus medentem sibi, et tali remedio imminenti mortis spatia proferentem.

20. Clamat ipse Dominus in Hieremiæ libro : *Turtur et hirundo, agri passeret custodierunt tempora introitus sui : populus autem meus non cognovit judicia Domini* (Hier., xviii, 7). Novit hirundo quando veniat,

tuor, et *Tobi*, et sic in sequentibus. LXX, *Τωβίτ*.

^c φλόμος, Latine verbascum.

^d Sex mss., *tempora nidi sui*.

120 quando etiam revertatur. Novit etiam ^a pia avis A annuntiare adventus sui testimonio veris indicium. Novit etiam formica explorare serenitatis tempora; nam cum adverterit madidatos imbre fructus suos humescere, explorato diligentius aere quando jugem possit servare temperiem, acervos reserat suos, et de cavernis foras suis humeris exportat; ut jugi sole propria frumenta siccentur. Denique haud quaquam illis diebus omnibus rumpi de nubibus imbres videris, nisi cum fruges suas horreis propriis formica revocaverit. Boves impendente pluvia ad præsepia se tenere noverunt. Idem ubi naturali sensu mutationem cœli collegerint, foras spectant, et ultra præsepia cervices extendunt suas una omnes specie; ut prodire se velle testentur. Ovis sub adventu hyemis inexplebilis ad escam insatiabiliter herbam rapit, eo quod præsentiat ^b asperitate hyemis defuturam; ut se prius herbæ pabulo farciat, quam gelu adurente omnis herba deficiat. Echinus iste terrenus, quem vulgo ericium vocant, si quid insidiarum præsenferit, spinis suis clauditur, atque in sua se arma colligit, ut quicumque eum contingendum putaverit, vulneretur. Idemque echinus futuri providens geminas sibi respirandi vias munit; ut quando Boream flaturum collegerit, Septentrionalem obstruat; quando Noto cognoverit detergi aeris nubila, ad Septentrionalem se conferat, ut flatus declinet obvios, et e regione nocituros.

21. Unde dignam Domino laudem Propheta detulit, dicens: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti (Ps. ciii, 24)*. Omnia penetrat divina sapientia, implet omnia: idque locupletius ex irrationabilium sensibus, quam ex rationabilium disputatione colligitur. Validius est enim naturæ testimonium, quam doctrinæ argumentum. Cui animanti incognitum est quemadmodum suam tueatur salutem: si virtus suppetit, resistendo; si velocitas, fugiendo; si astutia, præcavendo? Quis eas usum medendi herbarumque docuit habere notitiam? Homines sumus, et sæpe specie herbarum fallimur, et plerumque quas salubres putamus, noxias reperimus. Quoties inter dulces epulas cibus lethalis irrepsit, et inter ipsas aulicorum excubias ministrorum, vitalia regum feralis esca penetravit? Feræ solo norunt odore noxia et profutura discernere: nullo prævio, nullo prægustatore carpitur herba, nec lædit. Melior enim magistra veritatis natura est. Hæc sine ullius magisterio suavitatem sanitatis nostris infundit sensibus, eadem doloris acerbiter docet esse fugiendam. Hinc vita dulcior, hinc mors amarior. Hæc commendat lænæ catulos suos, et immitem feram materno mollit affectu. Hæc tigridis interpellat ferocitatem, et imminentem eam prædæ reflectit. Namque ubi vacuum raptæ sobolis cubile repererit, illico vestigiis raptoris insistit. At ille quamvis equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ se posse præverti, nec

evadendi ullum suppetere sibi posse subsidium, technam hujusmodi fraude molitur. Ubi **121** se contiguum viderit, sphæram de vitro projicit: at illa imagine sui luditur, et sobolem putat, revocat impetum, colligere fetum desiderans. Rursus inani specie retenta totis se ad comprehendendum equitem viribus fundit et iracundiæ stimulo velocior fugienti imminet. Ille iterum sphæræ objectu sequentem retardat; nec tamen sedulitatem matris memoria fraudis excludit: cassam versat imaginem, et quasi lactatura fetus residet. Sic pietatis suæ studio decepta, et vindictam amittit et sobolem.

22. Quod nobis Scriptura affert, quæ dicit: *Filii, diligite patres vestros: parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros (Coloss., iii, 20)*. Natura hoc bestiis infundit, ut catulos proprios ament, fetus suos diligant. Nesciunt illæ odia novercalia, nec mutato concubitu parentes a sobole depravantur, neque noverant præferre filios posterioris copulæ, superioris autem negligere. Norunt pignora sua, nesciunt charitatis differentiam, odiorum incentiva, offensionum discrimina. Simplex ferarum natura est, nescit veritatis calumnias. Sic enim omnia temperavit Deus, ut quibus minus rationis daret, plus indulgeret affectus. Quæ fera pro catulis suis non ipsa potissimum se offerat morti? Quæ fera fetus suos innumeris licet obsessa cuneis armatorum, non suis visceribus tegat? Ingruat licet telorum seges, illa tamen parvulos suos muro sui corporis septos immunes præstat periculi. Quid dicit homo qui mandatum negligit, naturam obliterat! Filius patrem despicit, pater abdicat filium; et hoc putant jus esse, ubi damnatur fecunditas: se potius pater damnat, qui facit irritum esse quod genuit. Et hoc putatur auctoritatis esse, ubi sterilitatis natura mulctatur.

23. Exsortem rationis canem esse nemo dubitaverit; tamen si sensus ejus vigorem consideres, censes eum sentiendi sagacitate vim sibi rationis adsciscere. Denique quod pauci in gymnasiis constituti, qui totam in discendo vitæ longævitatē contriverint, vix potuerunt cognoscere, ut syllogismorum conjunctiones contexerent, hoc naturali canis eruditione comprehendere facile poterit æstimari. Nam ubi vestigium leporis cervive repererit, atque ad diverticulum semitæ venerit, et quoddam viarum compitum quod partes in plurimas scinditur; obiens singularum semitarum exordia, tacitus secum ipse pertractat, velut syllogisticam vocem sagacitate colligendi odoris emittens. Aut in hanc partem, inquit, deflexit, aut in illam; aut certe in hunc se anfractum contulit: sed nec istam, nec illam ingressus est viam: superest igitur ut in istam se partem sine dubitatione contulerit. Quod homines vix proluxa compositæ artis meditatione componunt, hoc canibus ex natura suppetit; ut ante mendacium deprehendant, et postea falsitate repudiata inveniant veritatem. Nonne totos

^a Id est, ciconia, de qua supra l. v, c. 16.

^b Edit. omnes, et mss. aliquot, *asperitatem hyemis*

futuram, nonnulli, adfuturam. Omnium antiquissimi ut nos in textu.

dies conferunt philosophi propositiones sibi in pulvere dividentes, qui radio ^a sibi describunt singulas, et ex tribus cum unam earum **122** veram esse necesse sit, duas primo interficiunt tamquam mendacio congruentes, et sic in ea quæ relicta est, vim veritatis inhærere definiunt? Quis tam tenax potest esse beneficii, et memor gratiæ? Quandoquidem pro domino etiam in latrones insilire noverunt, et extraneorum accessus prohibere nocturnos, et mori pro dominis, et commori cum dominis sint parati? Sæpe etiam necis illatæ evidentia canes, ad redarguendos reos indicia prodiderunt; ut muto eorum testimonio plerumque sit creditum.

24. Antiochiæ ferunt in remotiori parte urbis crepusculo necatum virum, qui canem sibi adjunctum haberet. Miles quidam prædandi studio minister cædis exsiterat: tectus idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat: jacebat inhumatum cadaver, frequens spectantium vulgus astabat, canis questu lacrymabili domini deflebat ærumnam. Forte is qui necem intulerat, ut se habet versutia humani ingenii, quo versandi in medio auctoritate præsumpta fidem adscisceret innocentiae, ad illam circumspectantis populi accessit coronam, et velut miserans appropinquavit ad funus. Tum canis sequestrato paulisper questu doloris, arma ultionis assumpsit atque apprehensum tenuit et velut ^b epilogo quodam miserabile carmen immurmurans universos ^c convertit in lacrymas, fidem probationi detulit, quod solum tenuit ex plurimis, nec dimisit. Denique perturbatus ille, quod tam manifestum rei indicem neque odii, neque inimicitiarum, neque invidiæ, aut injuriæ alicujus poterat objectione evacuare, crimen diutius nequivit refellere. Itaque quod erat difficilius, ultionem persecutus est; quia defensionem præstare non potuit. Quid nos dignum nostro referimus Creatori, cujus cibo vescimur, et dissimulamus injurias, et sæpe inimicis Dei eas quas a Deo accepimus, epulas exhibemus?

25. Quid agniculis simplicius, quos minuscule parvulorum comparamus innocentiae? Sæpe ex his in magno grege agniculus per ovilia tota vagatus errat a matre, et cum eam reperire non possit, balatu frequenti absentem citat, ut responsuræ vocem excitet, quo ad ejus sonum errabunda replicet vestigia: multis licet versetur in millibus ovium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem, lactis quoque materni notos sibi fontes requirit: quamvis cibi desiderio teneatur et potus, transcurrit tamen aliena ubera grava, licet humore lactis exundent; solam matrem requirit, solius sibi materni uberis pauperes succos significat abundare. Illa quoque inter multa agniculorum millia solum filium novit; unus pluri-

A morum balatus, eadem species; illa tamen fetum suum discernit a cæteris, et solum filium tacito pietatis testimonio recognoscit. Pastor errat in discretionem ovium, agniculus in agnitione matris nescit errare. Pastor fallitur specie: sed ovis pietate non fallitur. Unus odor omnibus, sed tamen habet natura odorem suum domesticum quem soboles chara **123** speciali quadam videtur proprietate redolere.

26. Habet suos usus natura, et sensus domesticos. Vix infantulo coeperunt dentes prorumpere, et jam novit sua arma tentare. Nondum catulo dentes, et tamquam habeat, ore proprio se quærit ulcisci. Nondum cervo cornua, et tamen fronte præludit, atque ea quæ nondum expertus sit, tela minitatur. Lupus si prior hominem viderit, vocem eripit, et despicit eum tamquam victor vocis ablatae. Idem si se prævisum senserit, deponit ferociam, non potest currere. Leo gallum et maxime album veretur. Caprea vulnerata ^d dictamnium petit, et de vulnere excludit sagittas. Norunt et bestiae remedia sua. Leo æger simiam quærit, ut devoret; quo possit sanari. Leopardus capræ agrestis sanguinem bibit, et vim languoris evitat. Omnis fera ægra canis hausto curatur sanguine. Ursus æger formicas devorat. Cervus oleæ ramusculos mandit.

27. Ergo ferae norunt expetere ea quæ sibi prosint; tu ignoras, o homo, remedia tua! Tu nescis quomodo virtutem eripias adversario, ut te ^e tamquam præventus lupus effugere non possit, ut oculo tuæ mentis ejus perfidiam deprehendas, et prior cursum verborum ejus impediās, impudentiam ejus et acumen disputationis obtundas. Quod si te ille prævenit, vocem tibi aufert: et si obmutueris, solve amictum tuum, ut sermonem resolvās. Et si in te insurrexerit lupus, petram cape, et fugit. Petra tua Christus est. Si ad Christum confugas, fugit lupus, nec terrere te poterit. Hanc petram quæsit Petrus, cum titubaret in fluctibus, et invenit; quia dexteram amplexus est Christi.

28. Quid dicam alio homines delectari, et illud ad escam sumere, quod et leopardus fugit? Denique sic ubi allium aliquis confricandum putaverit, leopardus inde exsilit, nec resistit. Cujus venenata fera odorem non potest sustinere, id tu pro cibo sumis, et visceribus infundis internis? Sed medicatur interdum doloribus. Sumatur pro medicamento, non pro cibo: sumatur ab ægrotantibus, non ab epulantibus. Medicamentum quæris, et jejunium fugis; quasi majus aliud remedium reperire possis. Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Vides quanta vis jejunii sit; ut et sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, et merito spiritalem.

29. Quantam Dominus etiam minusculis infudit in fidem, probationem delulit.

^d Græce δίκταμνον, herba quæ præcipue in Creta nascitur, alio nomine dicitur pulegium, et hortense gingiber.

^e Mss. non pauci, tamquam prævisus lupus.

^a Mss. novem, sibi describunt singula somnia, et ex tribus, etc.

^b Epilogo, id est, querela; eo quod oratores querelas maxime in epilogo et fine orationis adhibeant, ut iudices flectant ad misericordiam.

^c Aliquot mss. non minimæ auctoritatis, convertit

prudenciam ! Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superjacet. Novit enim quod hujusmodi folia lupi fugere consueverint. ^a Novit vulpecula quomodo posteritatem foveat suam: et tu ignoras, tu negligis quomodo adversum lupos nequitiae spiritalis posteritatem vitæ hujus habeas tutiorem?

124 CAPUT V.

Qua ratione Dominus aliis bestiis colla breviora, aliis longiora creaverit. Ubi potissimum elephantis membra, proprietates, atque in re militari usus describuntur.

30. Sed revertamur ad seriem creaturæ, et consideremus qua ratione Dominus aliis bestiis angustiora colla formaverit, ut leonibus atque tigridibus, ursis quoque; aliis prolixiora, ^b ut elephantis et camelis. Nonne evidens causa est; quia illis feris quæ carne vescuntur, non erat opus prolixitate cervicis? Non enim in terras pascendi gratia cervicem atque ora dejiciunt: sed aut cervum invadunt, aut bovem ovemque discerpunt. Camelus vero cum sit altior, quomodo herbis minutissimis pasceret, nisi longiora usque ad terram colla ad usum pastionis extenderet? Itaque camelus pro ratione proceritatis suæ prolixiora colla sortitus est, equus pro ratione, bos quoque simili modo; hi enim pascuntur herbis.

31. Elefantus autem etiam prominentem promuscidem habet; quia cum sit eminentior cunctis, se inclinare ad pascendum non potest. Itaque ejus ad colligendum cibum utitur ministerio. Ea immani bestię largi potus infundit humorem; ideoque concava est, quo ad restinguendam tantæ belluæ sitim plenos lacus hauriat, aut collecto flumine possit inundare potantem. Cervix sane minor est quam poseat tanti corporis moles; ne ea quoque oneri magis esset quam usui. Ideoque nec genua inflectit, quia rigidioribus opus fuit cruribus, quæ velut columnis tanta possit membrorum machina sustineri. Calcaneum leviter incurvat, rigent cætera pedum a summo usque ad imum. Nec sicut in ^c ancylas nos sæpe deponimus, ita se etiam bestia potest tanta deflectere; meritoque non volvendi se, neque curvandi usum cum cæteris animantibus potest habere communem. Fulcitur hinc inde trabibus maximis; ut in somno aliquantulum sine periculo reflectatur, quia pes ejus nulla artuum conjunctione distinguitur. Mansuetis igitur veluti quædam fulera eorum quibus hic **D** usus est, parantur ingenio: feris autem et agrestibus, quia nemo hujusmodi quibus sustentari queant fulcra substernit, hinc venit usus periculi.

32. Namque arbori innixi aut costas fricant, aut in somno sese relaxant, quæ nonnumquam vieta atque inflexa tanto corpore frangitur: ille vero qui sese in eandem refuderat, corrui nec erigere atque elevare se potest; ibique jacens interit, aut gemitu suo pro-

^a Edit. Cost. et Rom., *Novit avicula*. Commodè, si quis eis antiquus codex suffragaretur.

^b Rom. edit., *ut camelis et equis*. Contra aliæ edit. et omnes mss., *ut elephantis*, etc. Sed cum dicitur Deus longiora colla dedisse elephantis, promuscis intelligenda est, quæ illis cervicis prolixioris vicem

A ditus sternitur, dum ventre cæterisque juxta mollioribus ad vulnus patet. Nam dorsum ejus cæteraque exteriora non ulla facile solent tela penetrare. Sunt autem qui propter ebur has illis insidias parent; ut arbores eas quibus se applicare consueverint, ex alia parte qua infrequentior usus ei sit, aliquantulum **125** recidant, ut reflectente se elephanto, pondus membrorum ejus sustinere non possit ruinamque ejus arcessat.

33. Sed si quis ista reprehendit, reprehendat etiam altitudines ædificiorum; quia citius gravem minantur ruinam, et difficilius lapsa reparantur. Verum si illa aut propter pulchritudinem, aut propter speculam frequenter attollimus; hæc quoque in elephantis probare debemus, quia magnum rebus bellicis usum ministrant. Inde gens Persarum ferox bellis, **B** valida sagittis omnique telorum jactu, quia de superioribus ad inferiora validiore nisu tela torquentur, acies eorum velut gradientibus turribus septa procedit. In mediis campis tamquam de muro dimicant; et velut in arce quadam et specula collocati spectant magis bella, quam subeunt. Ita alieni a periculo videntur, tuti molibus bestiarum. Quis enim eas adire audeat, cum desuper jaculis facile figatur, inferius elefantorum conteratur incursu? Denique cedunt illis acies et armatorum cunei, et castra illa quadrata solvuntur. Intolerabili namque impetu in hostes ruunt; ut nullo agmine bellatorum, nulla constipatione militum, nullo clypeorum retardentur objectu: velut quidam mobiles montes versantur in præliis, et ut colles alto eminent vertice, mugitus **C** fragore omnium perturbant confidentiam. Quid his faciat pedes, quamvis lacertis validus, et manu promptus; cum sibi septus armatorum populis gradienti murus occurrat? Quid faciat eques, cum equus ejus perterrefactus tantæ bestię immanitate diffugiat? Quid faciat sagittarius, cum desuper ferrata virorum corpora jaculi ictum sentire non possint; bestia quoque nec nuda facile penetrabilis ferro sit, et munita loricis, obvias sine sui periculo acies seceat, et conterat turmas?

34. Itaque ut immensa ædificia, ita elephantis fundamentis validioribus sustentantur; alioquin imparibus fulti pedibus, intra brevem laberentur ætatem. Nunc autem et trecentis et amplius feruntur annis vitam producere; quia omnia sibi ad magnitudinem **D** membra conveniunt. Ideoque non distincti ut nobis, sed compacti artus sunt, quo sint robustiores. Quam cito hominibus si diu steterint, aut velocius cucurrerint, vel jugiter ambulaverint, genua vexantur et plantæ! Conjuncta enim et articulata facilius quam concreta atque solidata aut doloris sensum, aut casum offensionis admittunt.

35. Et quid miraris, si vestiti armis timentur; quandoquidem dentibus suis tamquam naturalibus

supplet; unde Basil., *ἔχει δὲ τὴν προνομαίαν, τὴν τοῦ τραχήλου χρεῖαν ἀποπληροῦσαν.*

^c *Ancylæ* suffragines seu curvaturæ cubiti vel cruris. Basil. *οὔτε μέντοι εἰς ἀγκύλην, οὔτε εἰς γόνυ διήρθρωται.*

spiculis semper armati sunt? Promuscide sua quidquid involverint, frangunt: pede vero quidquid compresserint, velut quodam lapsu ruinæ ingentis exanimant. Involvunt promuscide nemora ad sui escam, et quasi quidam altissimi dracones serpentinis quos cœperint, spiris flagellant. Plerumque eas in orbem colligunt, maxime cum de terra cibus legitur, aut potus hauritur. Documento itaque nobis sunt, quod nihil superfluum sit creatum; et tamen hæc tantæ molis bestia subjecta nobis, imperiis servit humanis.

126 CAPUT VI.

Belluas robustissimas ac ferocissimas homini a Creatore subditas: eisdem minutissima animalia terrore atque exitio esse. Tum paucis de serpentum utilitate disputatis, homo ad sui animæque propriæ cognitionem excitatur.

56. Etenim quoniam de hominis creatura dicturi sumus, commendationem ejus præstruere et prælibare debemus. Videbatur nihil elephantis creatura habere robustius, nihil tam terribile vel procerum, nihil tam ferum quam leones vel tigrides sunt; et hæc serviunt homini, et naturam suam humana institutione deponunt. Obliviscuntur quod nata sunt, induunt quod jubentur. Quid multa? Docentur ut parvuli, serviunt ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut subditi, in mores transeunt nostros; quoniam motus proprios perdiderunt.

37. Mirabilis igitur natura in maximis; mirabilis enim in excelsis Dominus, mirabilis etiam in minimis. Sicut enim non minus plana camporum, quam montium alta miramur, nec plus altitudinem cedri stupemus, quam vitis aut oleæ brevis fecunditatem: ita non amplius miror elephantum quia procerus est, quam murem, quia terribilis elephanto est. Naturæ igitur hæc potentia est; ut terribilia aliis, aliis meticulosa sint. Est enim donata prærogativa quædam singulis creaturis; ut quibusdam privilegiis propriis fulciantur. Formidabilis tauris elephanto murem timet. Leo quidem rex ferarum exiguo scorpionis aculeo exagitur, et veneno serpentis occiditur. Eximia leonis pulchritudo comantes cervice toros excutit, vel sublato pectore attollit ora. Sed quis non miretur tam brevi scorpionis aculeo, ut incorporeum putes, ingentium corporum exire mortem?

58. Nec hoc quisquam reprehendat^a, quod Creator serpentes creaturis suis, aliaque vel animantium vel herbarum genera venenata miscuerit. Nata sunt enim hæc ad correptionem nostram, non ad deformationem. Nam quæ ignavis, aut infirmis, aut impiis plerumque offensionem atque terrorem sunt, aliis usui ita sunt hæc, ut pædagogi parvulis. Amari videntur, acerbi et molesti, formidabiles verbere, libertatem lasciviendi negant, necessitatem disciplinæ exigunt, pueriles animos, ne luxu defluant, ter-

^a Mss. novem satis probati, quod creator serpentis creaturis suis talia vel, etc. Alii tamen et edit. antepoenendi.

rore constringunt; ideoque horum austeritate frugi evadunt, sobrii, continentes, laudi magis quam ludo dediti. Vides quid terribilia ista flagella proficiant? Sic et serpentes flagella sunt eorum quibus infirma animi ætas, et quædam puerilis mentis est virtus; cæterum fortioribus nocere non possunt. Denique confidenti in Domino dictum est: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (Ps. xc, 13). Paulum momordit vipera, et putabant eum quasi peccatorem vix de naufragio servatum, veneno esse moriturum; sed posteaquam inviolabilis mansit excussa in ignem vipera, plus apud intuentes venerationis invenit. Sed et ipse Dominus ad omnes **127** ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, hic salvus erit; qui vero non crediderit, damnabitur* (Marc., xvi, 6). Signa autem credentium hæc dixit fore, ut serpentes manu mulceant, venena his atque omne mortiferum, etiamsi biberint, nocere non possint. Tua igitur tibi magis incredulitas, o homo, quam venena metuenda serpentium sunt. Time igitur illa, ^b ut saltem dum formidantur illa, ad fidem provocare te possint. Quod si Deum non times, vel ultricia perfidiæ venena formides.

39. Nunc quoniam et elephantos vides tibi subditos, et leones esse subjectos; nosce te ipsum, o homo, quod non, ut ferunt, Apollinis Pythii, sed Salomonis sancti est, qui ait: *Nisi scias te formosa in mulieribus* (Cant. i, 7), quamquam multo antea Moyses in Deuteronomio scripserit: *Attende tibi, o homo. Attende tibi* (Deut., iv, 9), ait lex. Et Propheta ait: *Nisi scias te. Cui hoc dicit? Formosa, inquit, in mulieribus. Quæ est pulchra in mulieribus, nisi anima, quæ in utroque sexu præstantiam possidet pulchritudinis? Et merito decora est, quæ non terrena sed cœlestia, non corruptibilia sed incorrupta desiderat, in quibus decus perire non soleat. Corporalia enim omnia processu ætatis, aut ægritudinis inæqualitate marcescunt. Huic attende, dicit Moyses, in qua tu totus es, in qua melior tui portio est. Denique interpretatus est Dominus quis sis tu, dicens. *Attendite vobis a falsis prophetis* (Math., vii, 15); isti enim animam debilitant, mentem subruunt. Non igitur caro tu es. Quid enim est caro sine animæ gubernaculo, mentis vigore? Caro hodie sumitur, cras deponitur. Caro temporalis, anima diuturna. Caro amictus est animæ, quæ se induit quodam corporis vestimento. Non igitur tu vestimentum es, sed qui vestimento uteris. Ideo tibi dicitur, ut exspolians veterem hominem cum actibus ejus, novum induas, qui non in corporis qualitate, sed in spiritu mentis, et agnitione renovatur (Coloss., iii, 10). Non, inquam, caro es tu; neque enim carni dicitur: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I Cor. iii, 17). Et alibi, *Templum Dei vos estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (Ibid., 5): sed renovatis dicitur et fidelibus in quibus permanet Spiritus Dei. In car-*

^b Codices Carn., Corb. vetus, Th. ac Reg., ut salutem acquiras, dum formidantur illa.

nalibus autem non permanet, quia scriptum est: *A* *mus*; quia semper esse divinum est, ut coæternum credas, quem putabas dissimilem esse. Æternus est enim, de quo dicit Moyses: *Qui est misit me* (*Exod.*, III, 14). Pulchre etiam illud præmisit: *Ego et Pater*. Nam si Patrem præmisisset, tu minorem Filium judicares: sed præmisit Filium, quem non convenit credi Patre superiorem. Adjunxit *Patrem*, ut advertas Deum Patrem et Filium ejus ordinis præjudicio non teneri.

CAPUT VII.

Homini creationem a consideratione creatoris auspiciatur. Filium Patris imaginem esse, nec non inter eos unitatem distinctionemque inveniri demonstrat. Denique hominem ut cognoscat unde oriatur, cujusve imaginem, et in qua parte eam gerat, admonet.

40. Sed ipsius creationis nostræ seriem consideremus. *Faciamus*, inquit, *hominem ad nostram imaginem, et ad similitudinem nostram* (*Gen.*, I, 26). Quis hoc dicit? Nonne Deus, qui te fecit? Quid est Deus? Caro, an spiritus? Non caro utique, sed spiritus, cujus similis caro esse non potest; quia ipse incorporeus et invisibilis est, **128** caro autem comprehenditur et videtur. Cui dicit? Non sibi utique, quia non dicit, *faciam*, sed *faciamus*. Non Angelis; quia ministri sunt; servi autem cum domino, et opera cum auctore non possunt operationis habere consortium: sed dicit Filio: etiamsi Judæi nolint; etiamsi Ariani repugnent. Sed et Judæi conticescant, et Ariani^a cum suis parentibus obmutescant, qui dum unum a consortio divinæ operationis excludunt, plures inserunt; et prærogativam quam Filio negant, servulis donant.

41. Sed esto; ut adminiculo servulorum ad operandum Deus vobis indiguisset videatur. Si operatio communis est cum angelis Deo, numquid Deo et angelis imago communis est? Numquid angelis diceret: *Faciamus hominem ad nostram imaginem, et ad similitudinem nostram*? Sed quid sit imago Dei audientem: *Qui eripuit nos*, inquit, *de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum^b Filii claritatis suæ, in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, et primogenitus universæ creaturæ* (*Coloss.* I, 13, et seq.). Ipse est imago Dei Patris, qui semper est, et erat in principio. Denique imago est qui dicit: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.*, XIV, 8 et 9). Et quomodo tu cum imaginem vivam Patris viventis videas, dicis: *Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Imago Dei virtus est, non infirmitas: imago Dei sapientia est, imago Dei justitia est: sed sapientia divina est, et sempiterna justitia. Imago Dei est solus **D** ille, qui dixit: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); ita habens similitudinem Patris, ut divinitatis, et plenitudinis habeat unitatem. Ubi dicit, *faciamus*, quomodo inæqualitas? Cum iterum dicat, *ad similitudinem nostram*, ubi est dissimilitudo? Sic et in Evangelio ubi dicit: *Ego et Pater*, utique non una persona est: ubi autem ait, *unum sumus*, nulla est discrepantia divinitatis aut operis. Non igitur in utroque una persona, sed una substantia est. Et bene addidit, *su-*

mus; quia semper esse divinum est, ut coæternum credas, quem putabas dissimilem esse. Æternus est enim, de quo dicit Moyses: *Qui est misit me* (*Exod.*, III, 14). Pulchre etiam illud præmisit: *Ego et Pater*. Nam si Patrem præmisisset, tu minorem Filium judicares: sed præmisit Filium, quem non convenit credi Patre superiorem. Adjunxit *Patrem*, ut advertas Deum Patrem et Filium ejus ordinis præjudicio non teneri.

42. *Attende, inquit, tibi soli* (*Deut.*, IV, 9). Aliud enim sumus nos, aliud sunt nostra, aliud quæ circa nos sunt. Nos sumus, hoc est, anima et mens: nostra sunt corporis membra, et sensus ejus: circa nos autem pecunia est, servi sunt et vitæ istius apparatus. Tibi igitur attende, et te ipsum scito, hoc est, non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quantam potentiam, sed qualem animam ac mentem, unde omnia consilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur. Illa est enim plena sapientia, plena pietatis atque justitiæ; quoniam omnis virtus a Deo **129** est. Cui dicit Deus: *Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos* (*Esa.* XLIX, 16), illa anima (*de Pœnit.*, dist. 2, cap. *Illa anima*) a Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua elucet divinæ operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriæ, et paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem quæ refulget, pictura pretiosa est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestri effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem, quæ intrare civitatem Dei non potest, quia scriptum est: *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges* (*Ps.* LXXII, 20). Et non intrat indigna imago, et quæ intraret, excluditur; quia *non intrabit*, inquit, *in eam omne commune, et faciens execrationem et mendacium* (*Apoc.* XXI, 27): sed ille intrabit in eam, cujus in fronte agni nomen scriptum est.

43. Anima igitur nostra ad imaginem Dei est. In hac totus es, homo; quia sine hac nihil es, sed es terra, et in terram resolveris. Denique ut scias quia sine anima caro nihil est: *Nolite, inquit, timere eos qui possunt corpus occidere, animam autem non possunt* (*Matth.*, X, 28). Quid igitur in carne præsumis, qui nihil amittis, si carnem amiseris? Sed illud time, ne animæ tuæ defrauderis auxilio. Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua, in qua non exigua sui portio, sed totius humanæ universitatis substantia est? Hæc est per quam cæteris ferarum aviumque dominaris animantibus: hæc est ad imaginem Dei, corpus autem ad speciem bestiarum. In hac pium divinæ imitationis insigne; in illo cum feris ac belluis vile consortium.

^a Edit. vet. et mss. quinque, *cum suis paribus*. Rom. et ms. Ben., *cum suis partibus*. Alii aliquot, *cum suis patribus*. Carn., Corb. vetus, et Th. ut in textu.

^b Ita mss. plures ac potiores cum edit. antiquioribus. Ben. tamen et alii cum edit. Gill. et Rom., *Filii charitatis suæ*.

CAPUT VIII.

Ut pressius intelligatur ubi divina similitudo resideat, corporis et animæ dotes examinantur. Ostenditur totum hominem animæ vocabulo designari. Qui Dei imaginem fūco, crudelitate, perfidia oblitterant, objurgantur. Sub hæc exhortatio ad vigilantiam contra vitia, et pauperum ac divitum inter se comparatio caput absolvit.

44. Sed tractemus ^a limatius quid sit ad imaginem Dei. Caro numquid ad imaginem Dei est? Ergo in Deo terra est; quia caro terra est. Ergo corporeus Deus. Ergo infirmus ut caro, passionibusque subjectus. Et forte caput tibi videatur ad similitudinem Dei, quia eminet: aut oculi, quia intuentur: vel aures, quia audiunt. Si altitudinem spectes, num proceri videmur, quia paululum vertice eminemus a terris? Sed ideo non pudet, eo nos similes Dei dici, quia serpentibus cæterisque reptantibus, aut quia damullis, atque ovibus, et lupis celsiores sumus? Et quantum in ea parte cameli nobis atque elephanti proceriores sunt? Obtutus est quidem præstans, spectare elementa mundi, cognoscere quæ nullus annuntiet, sed tuus deprehendat aspectus; verum hoc ipsum quantum est quod videmus; ut eo ad similitudinem Dei nos esse dicamus, qui omnia videt, spectat omnia, **130** latentes deprehendit affectus, scrutatur cordis occulta? Non pudet hoc dicere; cum ipse me totum videre non possim? Quod ante pedes est, video; quod a tergo est, videre non possum. Cervicem meam nescio, non novi occipitium; renes meos videre non possum. Similiter quantum est quod audimus; cum id quod paululum distet, videre et audire non possim? Si interjecti parietes sint, impeditur aspectus, impeditur auditus. Deinde corpus nostrum uno in loco hæret, angusto includitur spatio. Omnes feræ latiores sunt homine, omnes etiam velociiores.

45. Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra quæ libera est, et diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia, et cogitamus ea quæ ad Orientales aut Occidentales partes spectare videntur, et cum illis versari videmur qui in Perside sunt constituti, et illos videmus qui degunt in Africa, si quos cognitos nobis ea terra susceperit: sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos, defunctos quoque ad colloquium resuscilamus, eosque ut viventes complectimur et tenemus, et vitæ officia his usumque deferimus. Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corporeo aestimatur, sed mentis vigore: quæ absentes videt, transmarina visu obit, percurrit aspectu; scrutatur abdita, huc atque illuc uno momento sensus suos per totius orbis fines et mundi secreta circumfert: quæ Deo jungitur, Christo adhæret, descendit in infernum, atque ascen-

dit, libera versatur in cœlo. Denique audi dicentem: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (Phil. III, 20). Non est ergo ad imaginem Dei, in qua Deus semper est? Sed audi quia ad imaginem est Dei. Dicit enim Apostolus: *Nos itaque omnes revelata facie gloriam Dei speculantes ad eandem imaginem reformamur a gloria in gloriam, sicut a Domini spiritu* (II Cor. III, 18).

46. Quia igitur cognovimus animam esse ad imaginem Dei; nunc consideremus utrum de anima potuerit dici: *Faciamus hominem ad imaginem*. Sed audi et istud, quia anima nomine hominis nuncupatur. Scriptum est enim in Genesi: *Filii autem Joseph qui facti sunt ei in Ægypto, animæ novem. Omnes ergo animæ quæ intraverunt cum Jacob in Ægyptum septuaginta quinque* (Gen. XLVI, 27). Et multo aptius anima vel homo Latine, vel Græce *ἄνθρωπος* dicitur; alterum ab humanitate, alterum ab intuendi habens vivacitate, quæ magis animæ, quam corpori convenire non dubium est. Cui rei etiam illud jure concurrat dictum in Threnis Hieremiæ: *Bonus est Dominus sustentibus eum, animæ quæ quærit eum* (Thren. III, 25). De hominibus dixit, et animam adjiciendam putavit. Melius enim quærit ista si sola sit, abducens se a corporis cœno, et a cupiditate carnali. Ipsa est ad imaginem Dei conformis Domini Jesu. Qui autem conformes Filii Dei, sancti sunt. Sic enim legimus, dicente Paulo: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia concurrunt in bonum, iis qui secundum propositum* **131** *vocati sunt sancti: quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui; ut sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, hos et clarificavit* (Rom. VIII, 28 et seq.). Utrum igitur secundum corpus, an secundum animam justificatio tibi conferri videatur, quæso respondeas. Sed dubitare non potes, cum justitia unde justificatio derivata est, mentis utique non corporis sit.

47. Pictus es ergo, o homo, et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fūco sed veritate fulgentem, non cera expressam sed gratia. Deles picturam, mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas, si acquisito rubore perfundas. Illa pictura vitii, non decoris est: illa pictura fraudis, non simplicitatis est: illa pictura temporalis est, aut pluvia, aut sudore tergitur: illa pictura fallit et decipit; ut neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse quod placeas; et tuo displiceas auctori, qui videt opus suum esse deletum. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris novis operibus obducatur, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognoverit? Nolle tollere picturam Dei, et picturam meretricis assumere, quia scriptum est: *Tollam ergo membra Christi, et faciam membra meretricis?* Absit (I Cor. VI, 15). Quod si quis adulterat

^a Edit. Rom., *Sed tractemus limatius quid factum sit ad imaginem Dei. Caro numquid ad imaginem Dei facta est? Non. Alioquin ergo in Deo, etc.*

opus Dei grave crimen admittit. Grave est enim crimen; ut putes quod melius te homo, quam Deus pingat. Grave est ut dicat de te Deus: Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum, quem ipse formavi, rejicio ego quod meum non est. Illum quære qui te pinxit: cum illo habeto consortium: ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti. Quid respondebis?

48. Quod si grave est adulterare opus Dei, quid de illis dicemus, qui interficiant opus Dei, qui humanum sanguinem fundunt, qui vitam quam Deus donavit, extorquent, qui dicunt: Tollamus Justum, quia inutilis est nobis? Unde bene lectum est hodie: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos ubi requiescant: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (Matth. viii, 20). Vulpes ergo se abscondit in fovea, avis se tuetur in nido: homo non absconditur in fovea, sed decipitur. Fovea vero os hominis est, fovea alta pectus est hominis, ubi sunt noxia et fraudulenta consilia, malæ cogitationes. Tu ambulas, et alius tibi foveam parat. In medio laqueorum ambulas, quos absconderunt tibi in via inimici tui. Omnia ergo circumspice, ut effugias sicut damula de retibus, et sicut avis de laqueo. Damula retia aspectus vivacitate declinat: avis devitat laqueos, si ad superiora se conferat, et terræna supervolet. In superioribus enim nemo tendit retia, laqueum nullus abscondit. Ideo cujus conversatio in supernis est, hujus non solet in prædam venire captura. Sed quid miraris si homo **132** decipitur ab homine, quando Filius hominis ubi requiesceret, non habebat? Et ille quidem talem hominem fecit, in quo caput suum reclinaret. Sed posteaquam in pectore nostro non requies proximi cœpit esse, sed fovea; posteaquam alter alteri nectere cœpit insidias, quem juvare deberet, caput suum Christus avertit à nobis: sed ^a postea tamen maluit illud morti offerre pro nobis. Noli igitur esse fraudulentus, crudelis, immittis; ut in te Christus caput reclinet.

49. Denique cum fecisset piscium belluas, cum fecisset ferarum genera et bestiarum, non requievit: requievit autem posteaquam hominem ad imaginem suam fecit. In quo requiescat audi dicentem: *Supra quem requiescam nisi super humilem et quietum, et tremmentem verba mea* (Esai. lxvi, 2)? Esto ergo humilis, et quietus, ut in tuo Deus requiescat affectu. Qui non requievit in bestiis, multo magis non requiescet in pectore bestiali. Sunt enim animi bestiales, sunt feræ forma hominum indutæ, de quibus dicit Dominus: *Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces* (Matth. vii, 15). In his ergo non requievit Deus: sed requievit in moribus humanis, quos fecit Deus ad imaginem suam et similitudinem, quando fecit virum qui non debet velare caput suum; quoniam imago et gloria est Dei. Hujus viri animæ dicit: *Ecce ego, Hie-*

A rusalem, pinxi muros tuos (Esa. xlix, 16). Non dixit, pinxi ventrem tuum: non dixit, pinxi inferiora tua: sed dixit, pinxi muros tuos, valida se assereus homini murorum dedisse præsidia: ut si pervigil speculator in portis sit, obsidionis possit periculum propulsare. Dicit itaque: Non tibi voluptates dedi, non illecebras cupiditatum, non incentiva luxuriæ, non alieni decoris concupiscentiam, sed dedi tibi fundamenta muralia, dedi tibi turrium excelsa fastigia, in quibus constitutus expugnari ab hoste non metuas, nec ingruentium legionum terribilia licet tentamenta formides. Denique habes in Esaia, quia justi anima dicit, vel Ecclesia: *Ego civitas munita, ego civitas obsessa* (Esa. xxvii, 3): munita per Christum, obsessa per diabolum. Sed non debet obsidionem vereri, cui Christus adiutor est. Munitur enim gratia spiritali et sæcularibus periculis obsidetur. Unde et in Canticis habes dictam: *Ego murus, et ubera mea turres* (Cant. viii, 10). Murus est Ecclesia, turres ejus sunt sacerdotes, quibus abundat et de naturalibus verbum, et de moralibus disciplina.

50. Cognosce ergo te, decora anima; quia imago Dei es. Cognosce te, homo; quia gloria es Dei. Audi ^c quomodo gloria. Propheta dicit, *Mirabilis facta est cognitio tua ex me* (Ps. cxxxviii, 6), hoc est, in meo opere tua mirabilior est facta majestas, in consilio hominis tua sapientia prædicatur. Dum me intueor, quem tu in ipsis cogitationibus occultis et internis affectibus deprehendis, scientiæ tuæ agnosco mysteria. Cognosce ergo te, o homo, quantus sis, et attende tibi; ne quando laqueis implicatus diaboli fias præda venantis; ne forte in fauces tetri illius leonis incurras, qui **133** rugit et circuit quærens quem devoret. Attende tibi, ut consideres quid in te intret, quid ex te exeat. Non de cibo dico, qui absorbetur et egeritur, sed de cogitatione dico, de sermone assero. Non in te intret alieni thori concupiscentia, non irrepât in tuam mentem, non rapiat oculus tuus transeuntis femine pulchritudinem, animus, non includat, non sermo tuus tentamentorum machinas nectat, non in dolo prodât, non maledico proximum aspergat opprobrio. Venatorem te fecit Deus, non expugnatorem, qui dixit: *Ecce ego mitto venatores multos* (Hier. xvi, 16): venatores non criminis, sed absolutionis; venatores non culpæ utique, sed gratiæ. Piscator Christi est, cui dicitur: *Amodo eris homines ^d vivificans* (Luc. v, 10). Sic mitte retia tua, sic mitte oculos tuos, sic mitte sermones tuos: ut nullum opprimas, sed alleves fluctuantes. Attende, inquit, tibi (Eccli. xxviii, 30). Sic sta, ne cadas: sic curre, ut ad bravium pervenias: sic certa, ut sæpe decernas; quia legitimo debetur corona certamini. Miles es, hostem diligenter explora; ne tibi nocturnus irrepât: athleta es, manibus adversario propior esto, quam vultu; ne ocu-

^a In edit. Paris. 1614 et 1632 desunt, sed postea tamen maluit illud morti offerre pro nobis.

^b Quinque mss., interiora tua.

^c Mss. Carn., Th., Reg., Colb. et Corb. vetus,

Audi quomodo glorians Propheta dicat.

^d Quatuor mss., homines capiens; ut etiam supra, l. v, c. 6. n. 16.

lum feriat tuum. Liber obtutus sit, argutus incessus; ut irruentem effundas, cedentem occupes, vulnus vigilantibus aspectu exeat, forti congressu repellas. quod si fueris vulneratus, attende tibi, curre ad medicum, quære remedium poenitentiae. Attende tibi; quia carnem habes, quæ cito labitur: veniat tibi bonus animarum medicus sermo divinus, aspergat tibi oracula Domini tamquam medicamenta salubria. Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo iniquum: serpit enim sicut venenum, et lethalia infert contagia. Attende tibi; ne obliviscaris Deum qui fecit te, ne nomen ejus in vanum accipias.

51. Attende tibi, lex dicit ne cum manducaveris, et satiatus fueris, et domos ædificaveris, et habitare coeperis, et pecoribus tuis repletus fueris, et auro et argento abundaveris, et omnibus quæcumque tibi fuerint, in multitudine exaltes te corde, et obliviscaris Dominum Deum tuum (*Deut. viii, 12, et seq.*). Quid enim habes, o homo, quod non accepisti? Nonne hæc omnia sicut umbra prætereunt? Nonne domus tua hæc pulvis est et ruina? Nonne hæc omnia falsa? Nonne sæculi hujus thesaurus vanitas est? Nonne tu ipse es cinis? Respice in sepulcra hominum, et vide quid ex te nisi cinis et ossa remanebunt, hoc est, ex corpore tuo: respice, inquam, et dic mihi quis ibi dives, quis pauper sit? Discerne inopes ac potentes. Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadavera mortuorum; nisi forte quod gravius foetent divitum corpora distenta luxurie. Quem audisti pauperem cruditate defunctum? Prodest illi inopia sua: exercet corpus, non opprimit. Nec tamen audivimus justum derelictum, et semen ejus quærens panem; quoniam qui bene operatur in terra sua, abundat alimentis. Attende ergo tibi, dives; quia et tu carnem portas sicut pauper.

134 52. Attende tibi, pauper; quia anima tua pretiosa est: et si caro mortalis, diuturna anima: et si tibi deest pecunia, non deest gratia: et si non est domus ampla, non diffusa possessio, cœlum patet, terra libera est. Omnibus in commune elementa donata sunt, patent æque divitibus atque pauperibus ornamenta mundi. Numquid pulchriora pretiosissimarum domorum aurata laquearia, quam cœli facies stellis insignita fulgentibus? Numquid latiora divitum rura, quam spatia terrarum? Unde ad eos qui domum ad domum, et villam ad villam jungunt, dictum est: *Numquid soli habitabitis super terram (Esai. v, 8)?* Majorem domum tu habes: pauper, in qua clamas et exaudiris: *O Israel, inquit propheta, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus et non habet finem, altus et immensus (Baruc. iii, 24 et seq.).* Domus Dei diviti est communis, et pauperi; difficile est tamen divitem intrare in

regnum cœlorum. Sed forte doles, quod nullum tibi auratorum lychnorum lumen-refulgeat: sed multo illustrior tibi lumine circumfuso luna resplendet. De hyeme forsitan quereris, quia nulla tibi hypocausta anhelantibus ignibus vaporentur: sed habes solis calorem, qui tibi orbem terrarum temperet, et hyberno te defendat a frigore. An illos beatos putas, qui servitorum sequentium stipantur catervis? Sed qui alienos pedes requirunt, suis uti nesciunt. Denique a paucis præceduntur, a plurimis portantur. Nisi forte illud miraris, quod abundant auro, argento, pecunia: quantis abundant vides, quantis egeant non vides. Sed eburneis lectis accumbere pretiosum putas; et non consideras pretiosorem esse terram, quæ pauperi thoros graminum sternit, in quibus dulcis requies, suavis est somnus, quem ille aurea compositus sponda, tota pervigil nocte quærit, et non capit. O quanto te ille beatiorem judicat vigilans quiescentem! Illud prætereo, quod multo est præstantius: quoniam justus qui hic eguerit, illic abundabit; et qui hic laborem toleraverit, illic consolationem habebit: qui autem hic receperit bona, illic mercedem eorum sperare non poterit. Paupertas enim mercedem suam reservat, census absumit.

53. Attende ergo tibi, pauper, attende, dives; quia et in paupertate et divitiis tentamenta sunt. Ideoque Sapiens dicit: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi (Prov. xxx, 8).* Et qua ratione petierit hoc dicit; satis est enim homini habere quod sibi sufficit. Quia divitiæ ut epulis ventrem, ita animum curis sollicitudinibusque distendunt. Ideoque petiit constitui sibi quæ opus sunt et sufficientia: *Ne repletus, inquit, mendax sim, et dicam: Quis me videt? Aut factus pauper furtum faciam, et jurem nomine Domini (Ibid.).* Fugienda igitur et cavenda sunt tentamenta mundi; ne pauper desperet, ne opulens insolescat. Scriptum est enim: *Cum expuleris gentes, et coeperis uti terris eorum, ne dicas: Virtus mea et manus mea hanc mihi possessionem paravit (Deut. viii, 17).* Sic est qui opes suas merito ascribit suo. Et ideo quasi probatus proprium non agnoscit errorem: sed longo trahit fune **135** peccatum. Nam si credat quod accessio pecuniæ aut fortuiti eventus aut turpis astutiæ sit, non habet locum insolentia in quibus aut nulla laus, et inanis labor, aut cupiditas inverecunda sit modum nesciens ponere voluptati.

CAPUT IX.

De corporis humani præstantia, deque singulorum ejus membrorum conformatione, dispositione atque officiis.

54. Sed jam etiam de ipso hominis corpore aliqua dicenda sunt, quod præstantius cæteris decore et

^a Ita mss. Carn., Corb. vetus, Th. et alii quinque. At Ben. cum reliquis, atque edit., *fabula.*

^b Mss. decem optimæ notæ, *Illud prætereoa.*

^c Rom. edit. ac mss. Carn., et *jurem nomen*

Domini. Coen., et perjurem nomen Domini; vet. edit. ac mss. bene multi, et *jurem in nomine,* etc. Omnium antiquissimi non agnoscunt præpositionem.

gratia esse quis abnuat? Nam etsi una atque eadem A omnium terrenorum corporum videatur esse substantia, firmitudo et proceritas quibusdam major in bestiis: forma tamen humani corporis est venustior, status erectus et celsus; ut neque enormis proceritas sit, neque vilis et abjecta ^a paucillitas: tum ipsa habitudo corporis suavis et grata; ut neque belluina vastitas horrore sit, nec gracilitas tenuis infirmitati.

55. Ac primum omnium cognoscamus humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cœlum eminet ^b aeri, terris, mari quæ velut quædam membra sunt mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tamquam inter elementa cœlum, tamquam arcem inter reliqua urbis mœnia. In arce hac regalem quamdam habitare B sapientiam secundum propheticum dictum: Quia *oculi sapientis in capite ejus (Eccl., II, 14)*: hanc esse cæteris tutiorem, et ex illa omnibus membris vigorem providentiamque deferri. Quid enim robur et validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis velut principis sui imperialis quædam adminiculetur potestas? Ex hoc enim aut destituuntur universa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, nisi oculo duce utatur ad prælium? ^c Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totum corpus tenebroso inhorrrens situ; nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo sol et luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine. Sol et luna duo mundi lumina: oculi autem quædam in carne sidera fulgent desuper, et inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur C noctis quibusdam nos tenebris implicari. Speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Nam ex sopore membris cæteris citius excitantur, et vigilantes circumspectant omnia; viciniore enim sunt cerebro, unde omnis manat usus videndi. Neque vero præpropere quisquam huc descendisse me credat, quod relicto vertice oculos prædicem, cum alienum non sit summam rem in parte laudare. Oculos enim certum est esse capitis portionem. Caput itaque oculis explorat omnia, auribus occulta rimatur, cognoscit abscondita, audit quid aliis agatur in terris.

56. Ipse autem vertex capitis quam suavis et gratus, quam speciosa cæsaries, quam reverenda **136** in senibus, quam vèneranda in sacerdotibus, quam terribilis in bellatoribus, quam decora in adolescentibus; quam compta in mulieribus, quam dulcis in pueris? Alium sexum crinita non decet, alium tonsa non decet. Ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis, æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo, illius coma nos aut a pluviis tegit, aut defendit a sole. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata est. Quanto igitur major humani capitis ornatus est, qui cerebrum nostrum, hoc est,

^a Ita mss. duodecim cum vet. edit. Codex autem Cœn. et Vict. unus, *pusillitas*. Alii et edit. recentiores, *pusillanimitas*.

^b Edit. omnes, *ut cœlum eminet aeri, terris maria, quæ, etc.* Mss. aliquot, *... terris, marique*. Alii majori numero et auctoritate, *ut supra in textu*.

sedem originemque nostrorum sensuum: capillis capitis munit et vestit; ne aut frigore vexetur aut æstu? Illic enim fons universorum est; et ideo ubi injuria nocet, ibi gratia præeminet.

57. Quid sine capite est homo, cum totus in capite sit? Cum caput videris, hominem agnoscis: si caput desit, nulla agnitio esse potest: jacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine. Sola ære susa principum capita, et ducti vultus de ære vel de marmore ^d ab hominibus adorantur. Non immerito igitur huic quasi consultori suo cætera membra famulantur, et circumferunt illud servili gestamine sicut numen, atque in sublime locatum vehunt. Unde censoria potestate quo vult dirigit quorundam obsequia servulorum, et præcepta singulis obeunda decernit. Videas imperatori suo singula gratuito stipendio militare. Alia portant, alia pascunt, alia defendunt, vel ministerium suum exhibent: parent ut principi, ancillantur ^e ut domino. Inde velut quædam procedit te:sera, quam debeant pedes obire regionem, quæ militiæ munia manus consummandis operibus exsequantur, quam venter abstinenti vel edendi formam impositæ teneat disciplinæ.

58. Huic frons libera, nudis aperta temporibus, quæ mentis habitum specie sui prodat: nunc læta, nunc tristior: nunc erecta ad severitatem, nunc ad lenitatem remissior, quæ signis forensibus internam exprimat voluntatem. Imago quædam animi loquitur in vultu, fidei basis in qua quotidie Domini nomen inscribitur et tenetur. Eam geminæ sepes superciliorum sequuntur, quæ oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam; ut et venustas decoris arrideat, et diligentia protectionis assistat. Si quid enim de capite sordium decidat, aut arenæ pulvis, aut ros nebulae, aut humescentis verticis sudor, excipitur supercilio, ne teneras offensa acie visiones mollium perturbet oculorum.

59. Adhærent velut quibusdam montium superciliis oculi; ut et protegente montis cacumine tutiores sint, et tamquam in summo locati, de quadam scena superiore universa prospectent. Neque enim oportebat eos humiles esse sicut aures, vel os, ipsosque narium interiores sinus. Specula enim semper ex alto est; ut advenientium catervarum hostilium explorari possit adventus, ne improvise occupent otiantem vel urbis populum vel imperatoris exercitum. Sic latronum quoque caventur incursus, si exploratores **137** in muris aut turribus aut montis excelsi supercilio sint locati; ut desuper spectent plana regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possint. In mari quoque positus si quis terræ appropinquare se conjicit, in ipsa mali fastigia, et celsa antennarum cornua voti explorator ascendit, et adhuc invisibilem reliquis navigantibus eminus terram salutat.

^e Car. mss., *Quid tu agas? Desit obtutus carcer est, etc.*

^d Mss. Corb. unus et Vict. etiam unus, *ab hominibus adornantur*.

^e Big. Gem. Corb. unus et Vict. unus, *ut dominæ*.

60. At forte dicas : Si specula editior necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt, sicut caneris vel scarabæis in summo sunt, quibus licet nullum caput appareat, colla ac dorsa tamen cætero corpore celsiora sunt? Sed illis testa valida, nec tam tenuis membrana sicut nobis, quæ facile possit offendi, ruboque et cæteris interseindi sentibus. Aliis quoque animantibus hujusmodi species, ut possint oculos aut ad cervicem conferre, ut equi, ac boves, ac propemodum omnes feræ, aut ad alas suas, ut aves quo tuta quiete potiantur. Nobis autem in summa propemodum corporis parte constitui oculos oportuit tamquam in arce, et ab omni vel minima offensione defendi, quæ duo sibi compugnantia videbantur. Nam si in humili essent propter tutamen, munus impediretur; si in vertice, paterent ad injuriam. Itaque ne vel ^a usui muneris aliquid detraheretur, vel aliquid ad propulsandam injuriam non prospiceretur, eo loci oculos constituit, cui supercilia desuper non minimum protectionis impertiant, subter malæ aliquantulum elevatae haud exiguum munitionis adjungant, interiorum partem sepiant nares, exteriorum quoque frontis malarumque gibbi extuberent : et licet ossium compage connexa et æquata confinia circumvallare videantur, inter hæc medii sunt oculorum orbis, et tuti ad cavendum, et ad intuendum liberi, et decori ad gratiam, ut pote in crystalli speciem resurgentes. In quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur. Hæ ne qua incidentis injuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde consertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur. Unde tutum sibi auxilium postulans Propheta ait : *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi (Ps. xvi, 8)*; ut protectionis divinæ fieret ei tam sollicita et tuta custodia, quam pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est. Simul quia innocentia et integritas levi sorde aspersa violatur, et gratiæ suæ munus amittit; et ideo prospiciendum, ne quis eam pulvis erroris obli-met, aut ulla vexet festuca peccati; quia scriptum est : *Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui (Matth. vii, 5)*.

61. Itaque propter oculos ferunt medendi periti cerebrum hominis in capite locatum, alios autem nostri corporis sensus propter cerebrum finitimo quodam esse domicilio constitutos. Initium enim nervorum et omnium sensuum voluntariæ commotionis cerebrum est, atque inde omnis eorum quæ diximus, causa manat. Initium autem arteriarum et insiti caloris, quo animantur et tepescunt vitalia, coresse plerique arbitrantur. Sensuum autem singulorum velut organum **138** nervi sunt, qui velut chordæ et fides quædam de cerebro oriuntur, et per partes corporis

^a Sex mss., *sui muneris*. Et paulo post Carn., Ben., Corb. et alii fere omnes ante, *prospiceretur*, omittunt negationem.

^b Mss. aliquot, et edit. vet., *unde omnes nervi quærent universa*. Rom., *eo enim nervi referunt universa*. Alii codices non pauci, *unde et nervi, et quæ*

A in singula quæque officia derivantur. Ideoque mollius est cæteris cerebrum, quia omnes suscipit sensus ^b; unde omnes nervi, et quo referunt universa, quæ vel oculus viderit, vel auris audierit, vel odor inhalaverit, vel lingua increpauerit, vel os saporis acceperit. Quod enim molle, ad compassionem aptius : quod autem durum ex aliquo rigore nervorum, ad agendum efficacius.

62. Præstantissimum quoque audiendi munus est, et visui supra gratia. Ideo aures exstantiores sunt; ut et ornatus decorem præferant, et excipiant omne illud quidquid de vertice sordium humorisve defluerit; simul ut in earum sinibus vox repercussa sine offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ita esset, quis non ad omnem fortioris sonum vocis attonitus redderetur; cum inter ipsa subsidia frequenter improvise ictus clamore nos obsurdescere sentiamus? Tum velut quædam propugnacula videas prætere aduersus frigoris asperitatem, calorisque flagrantiam; ut neque frigus penetret ductus patentes, neque nimis adurat æstus. Sinuatio autem interiorum aurium modulandi quemdam numerum præstat et disciplinam. Siquidem per anfractus aurium ^c quidam rhythmus efficitur, et modulis quibusdam ingressæ sonus vocis exprimitur. Tenaces præterea sermonis accepti ipsos esse anfractus aurium usus ipse nos docet. Siquidem velut in concavis montium, vel in recessu rupium, vel in anfractu fluminum vox auditur dulcior, et responsa suavia referens echo resultat. Ipsæ quoque sordes aurium non inutiles quæ ligant vocem : ut tenacior ejus in nobis et memoria sit, et gratia.

63. De naribus autem quid loquar, quæ bivio et procero foramine antrum quoddam recipiendis odoribus præstant; ut non perfunctorie odor transeat, sed diutius inhæreat naribus, et earum ductu cerebrum, sensusque depascat? Ideo diutius odor flagrat acceptus, quam sermo resonat, aut visus apparet. Plerumque quod momento brevi fueris odoratus, toto die tibi spirat in naribus. Per eas quoque purgamenta capitis defluunt, et sine fraude atque offensione aliqua corporis derivantur.

64. Est etiam non mediocris sensus in tactu, atque in eo voluptas gratissima, sincerumque iudicium. Plerumque enim tactu probamus, quæ oculis probare non possumus.

D 65. Postremum quoque officium est oris aut linguæ, quod tamen omnibus vires ministrat. Nam neque oculi vigorem videndi haberent, nisi virtutem substantiæ corporalis acciperent, quæ cibo defertur et potu, neque aures audiendi, aut nares odorandi, aut manus tangendi, nisi corpus omne confortetur alimentis. Deficimus enim viribus, nisi eas cibi competentis assiduitate reparemus. Denique confecti fame

referunt, etc. Optime Ben. ut in textu.

^c Mss. Gem. ac Big., *quidam στόμος*, id est, garulitas. Alii atque edit., *quidam rhythmus*, id est, numerus musicus, vel ut Ben. inter lineas habet, *dulcis sonus*.

nullis oblectantur sensuum voluptatibus, sed quasi A exsortes eorum delinimenta non sentiunt.

139 66. Quid ego describam dentium vallum, quo cibus conficitur, et plenæ sit vocis expressio? Quæ sine dentibus alimonia delectaret? Denique ævi maturos plerumque cernimus hoc ipso citius senescere, quod amissis dentibus nullam possint cibi virtutem validioris assumere. Ideo muta infantia, quia non habet adhuc organum vocis.

67. Linguae quoque non solum in loquendo, sed etiam in edendo munus pretiosissimum est. Ea enim velut plectrum loquentis, et quædam edentis est manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit et ministrat. Vox quoque aeris quodam remigio vehitur, et per inane portatur, eademque vis quæ aerem verberat, nunc commovet, nunc demulcet audientis B affectum, iratum mitigat, fractum erigit, solatur dolentem. Sit igitur nobis canorum commune cum avibus. Sed apud quem quo sono vocis utatur, quod est rationale, non potest cum omnibus animantibus irrationabilibus scilicet esse commune. Nam et ipsi sensus communes nobis sunt cum animantibus cæteris: sed tamen non eadem his cæteræ animantes industria utuntur. Erigit bucula ad cælum oculos, sed quid spectet ignorat. Erigunt feræ, erigunt aves, omnibus est liber aspectus: sed soli inest homini eorum quæ aspicit affectus interpret. Spectat oculis ortus obitusque signorum, videt ornamentum cæli, miratur stellarum orbem, fulgures quoque diversos^a intelligit singulorum, quando hesperus surgat, quando lucifer: cur ille vespertinus, hic matutinus irradiet: C quos motus Orion habeat, quos luna defectus: quemadmodum sol suos norit occasus, circuitus quoque cursus sui solemnitate custodiat. Audiunt quoque animantes cæteræ, sed quis præter hominem audiendo cognoscit? Secreta sapientiæ solus homo ex omnibus generibus quæ in terris sunt, auditu et meditatione et prudentia colligit, qui potest dicere: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Hoc est pretiosissimum, quod homo divinæ vocis sit organum, et corporalibus labiis exprimit cæleste oraculum, sicut illud est: *Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum* (Esa. XL, 6). Accepit quod diceret, et clamavit. Sibi habeant prudentiam suam qui cæli terrarumque spatia radio describunt. Sibi habeant intellectum suum, de quo dicit Dominus: *Et intel-* D *lectum prudentium reprobabo* (I Cor. I, 19). Neque^b numeros orationis ac modos, et modulos musicæ sapientiæ constituam in loco: sed eam sapientiam definio, de qua dicit Propheta: *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi* (Psal. L, 8).

68. Quid autem loquar de osculo oris, quod pietatis et charitatis est pignus? Osculantur se et columbæ,

^a Ita mss. tredecim. Alii verò et edit. vet., *intelligit signorum*. Rom. . . . *astrorum*. Rursus ubi edit. Rom., *quos ortus Orion*. Aliæ et mss. legunt, *quos motus*, etc.

^b Vet. edit. cum mss. aliquot, *numeros, rationes, ac modos et modulos*, etc. Gill. et Rom. cum mss. pluribus ac melioribus, ut nos in textu, nisi quod

sed quid ad humani osculi venustatem, quo amicitiae insigne humanitatisque præfulget, in quo plenæ charitatis fidelis exprimitur affectus? Unde et Dominus velut prodigii genus in proditore condemnans ait: *Juda, osculo Filium 140 hominis tradis* (Luc. XXII, 48)? hoc est charitatis insigne convertis ad signum prodicionis et infidelitatis indicium? Pacis hoc pignore^c uteris ad officium crudelitatis? Bestiali igitur oris obsequio inferentem potius necem, quam charitatis fœdera deferentem divinæ arguit vocis oraculo. Illud quoque præcipuum, quod soli homines ore exprimimus, quæ corde sentimus. Itaque cogitationes tacitæ mentis, oris sermone signantur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis aditum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Absolvimus velut quamdam humani corporis regiam, in qua sit licet quædam quantitas portio, formam tamen universitatis est.

69. Sequitur guttur per quod totius corporis vitale commercium, et spiritus hujus comœtus infunditur. Succedunt brachia, et validi lacertorum tori, validæ ad operandum manus, et procerioribus digitis habiles ad tenendum. Hinc aptior usus operandi, hinc scribendi elegantia, et ille calamus scribæ velociter scribentis, quo divinæ vocis exprimuntur oracula. Manus est quæ cibum ori ministrat: manus est quæ præclaris enitet factis, quæ conciliatrix divinæ gratiæ sacris infertur altaribus, per quam offerimus et sumimus sacramenta cœlestia: manus est quæ operatur pariter atque dispensat divina mysteria, cujus vocabulo non dedignatus est se Dei filius declarari, dicente David: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me* (Ps. CXVII, 16). Manus est quæ fecit omnia, sicut dixit Deus omnipotens: ^d *Nonne manus mea fecit hæc omnia* (Esa., LXVI, 2)? Manus est totius corporis propugnaculum, capitis defensatrix. Quæ cum sit loco inferior, totum verticem comit, et honesto venustat ornatu.

70. Quis digne explicet pectoris cratem, ventrisque mollitiem? Aliter enim viscera molliora non possent foveri, et intestinorum sinus duris haud dubie ossibus læderentur. Quid tam salutare, quam ut pulmo cordi finitimo limite jungeretur; ut cum exarserit cor ira et indignatione, pulmonis sanguine atque humore citius temperetur? Ideoque mollior pulmo est, quia madet semper, simul ut rigorem indignationis emolliat. Hæc ideo strictim percurrimus, ut tamquam^e indocti obvia perstringere, non tamquam medici plenius scrutari videamur et persequi quæ naturæ latibulis abscondita sunt.

71. Lien quoque cum jecore habet viciniam fructuosam, qui dum assumit quo ipse pascatur, abstergit quidquid sordium deprehenderit; ut per

Rom. omittit, *ac modulos*.

^c Tres mss., *ad officinam crudelitatis*.

^d Sic duodecim mss. ac vet. edit. nisi quod in nonnullis vox, *omnia*, prætermittitur. Alii et Rom. edit., *omnia enim hæc fecit manus mea*.

^e Rom. edit., *non indocti*.

libras jecoris ^a minutiores ciborum possint tenues atque subtiles reliquæ transire, quæ vertantur in sanguinem, viribusque proficiant, et non cum simo et sordibus egerantur. Intestinorum vero circumplexi orbes, et sine aliquo licet nodo sibi tamen invicem nexi, quid aliud nisi divinam prospicientiam Creatoris ostendunt; ut non cito esca pertranseat, et statim a stomacho **141** decurrat? Quod si fieret, jugis fames et continua vorandi libido hominibus gigneretur. Exinanitis enim visceribus et exhaustis, dum momentaria effusione vacuarentur, necesse esset inexplebilem atque insatiabilem cibi et potus generari cupiditatem, quam sine dubio ^b matura mors sequeretur. Ideoque provide conficitur primum esca in utero superiore, deinde in jecore coquitur, ejusque vapore digestus transfunditur succus ejus in reliquas corporis partes; eaque substantia artus aluntur humani, quam juvenes accipiunt ad incrementum, senes ad perseverantiam; reliquum autem velut superfluum per intestina deducitur, et per illud ex transverso ostium derivatur.

72. Denique etiam in Genesi arca Noe ad fabricam humani corporis accipitur, de qua dixit Deus: *Fac tibi arcam ex lignis quadratis, nidos facies in ea, et bituminabis eam intus et foris bitumine, et sic facies arcam (Gen. vi, 14). Et infra: Ostium vero facies ex transverso: inferiora autem arcæ bicamerata et tricamerata facies (Ibid. 16).* Hoc ergo significat Dominus, quod ostium ex posteriori sit parte, per quod egerantur ciborum superflua. Decore enim Creator noster ductus reliquiarum a vultu hominis **C** avertit, ne dum alvum purgamus, inquinemus aspectum. Simul illud considera, quod ea quæ pudoris plena sunt, eo loco constituta sunt, ubi operata vestibus dedecere non possint.

73. Venarum pulsus vel infirmitatis internuntius, vel salutis est. Eædem tamen cum toto diffusæ sint corpore, neque nudæ atque intectæ sunt, et ita levibus operiuntur ^c visceribus; ut explorandi copia sit, et celeritas sentiendi, quando nulla est viscerum crassitudo, quæ pulsus possit obducere. Ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere, et revincta nervis; præcipue tamen capitis levi tecta sunt corio. Unde quo possint aliquod adversum imbrès et frigora habere munimen, capillis densioribus vestiuntur. Quid de genitalibus loquar, quæ venis ^e regione cervicis per renes lumbosque deductis suscipiant genitale semen ad munus et ad gratiam procreandi?

74. Quid de officio pedum, qui totum corpus sine

^a Mss. fere omnes cum edit. Rom., *minutiores*. Codex Vat. et Dion. cum edit. vet., *minutiores*.

^b Ita mss. ac vet. edit. Rom. vero, *immatura mors*: quod etiam suo sensu nequaquam caret.

^c *Viscera* interdum carnes sunt, quomodo sumuntur apud Virg. l. 1. *Æneid.* in hoc versu:

Tergora diripiunt costis, et viscera nudant;

at hoc loco videtur ea vox pellem signare.

^d Vat. codex, *alta vi suppetat*; forte ex hom.,

A ulla sustinent oneris injuria? Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia provocatur. Hoc enim Patris summi erga Filium donum est: *Ut in nomine Jesu omne genu curvetur, caelestium, terrestrium **142** et infernorum; et omnium lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei Patris (Phil. ii, 10 et 11).* Duo enim sunt quæ præ cæteris Deum mulcent, humilitas, et fides. Pes itaque exprimit humilitatis affectum, et sedulæ servitutis obsequium: fides æquat Filium Patri, atque utriusque eandem gloriam confitetur. Recte autem non plures, sed duo sunt homini pedes; quaterni enim pedes feris ac belluis sunt, bini avibus. Et ideo unus quasi de volatilibus est homo, qui alta ^d visu petat, et quodam **B** remigio volitet sublimium sagacitate sensuum. Et ideo de eo dictum est: *Renovabitur sicut aquilæ juvenus tua (Ps. cii, 5);* eo quod propior sit caelestibus, et sublimior aquilis, qui possit dicere: *Nostra autem conversatio in caelis est.*

CAPUT X.

Diei sexto, totique adeo operi finem positurus quomodo Deus requievit dicatur, aperit, et Creatoris laudibus sermonem coronat.

75. Sed jam finis sermoni nostro sit, quoniam completus est dies sextus, et mundani operis summa conclusio est; perfecto videlicet homine in quo principatus est animantium universorum, et summa quædam universitatis, et omnis mundanæ gratia creaturæ. Certe deferamus silentium; quoniam requievit Deus ab omnibus mundi operibus: requievit autem in recessu hominis, requievit in ejus mente atque proposito. Fecerat enim hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum æmulatorem, cupidum caelestium ^e gratiarum. In his requiescit Deus qui ait: *Super quem requiescam, nisi supra humilem, et quietum, et tremementem verba mea (Esa. Lxvi, 2)?*

76. ^f Gratias ergo Domino Deo nostro qui hujusmodi opus fecit in quo requiesceret. Fecit cælum, non lego quod requieverit; fecit terram, non lego quod requieverit; fecit solem, lunam et stellas, nec ibi lego quod requieverit: sed lego quod fecerit hominem, et tunc requievit, habens cui peccata dimitteret. Aut forte tunc jam futuræ Dominicæ passionis præcessit mysterium, quo revelatum est quia requiesceret Christus in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore pro hominis redem-

de homine olim apud Basil. decima, nunc vero ei abjudicata, ubi legitur, συμπαρίπταται δὲ τοῖς πτηνοῖς τῇ τοῦ νόμου δυνάμει. Ibidem post quatuor verba mss. aliquot et omnes edit. *sublimium cogitationum.* Dion. *sublimium cogitationum et sagacitate sensuum.* In reliquis autem iisque probatissimis vox *cogitationum* omittitur.

^e Vat. codices duo, et edit. Rom., *caelestium gaudiorum.*

^f Mss. aliquot, *Gratias ago Domino, etc.*

tionem secundum quod ipse dixit : *Ego dormivi et re-* A honor, gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc, et
quievi, et exsurrexi; quoniam Dominus suscepit me semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.
 (Ps. III, 6). Ipse enim requievit, qui fecit: cui est

IN LIBRUM DE PARADISO ADMONITIO.

Librum de Paradiso ut Ambrosii primum esse opus non audemus asserere, ita illum in primorum ordinem referre haud quaquam dubitamus. Est quidem cur non aliter existimemus. Cum enim varia multiplicique doctrina referta sit ea lucubratio, illam primo statim anno, quo ut ipse aiebat (Lib. I Offic. 1), raptus est a tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, composuisse vix cuiquam videatur. Verum non facile consentiemus eandem ultra insequentem annum esse rejiciendam; quandoquidem Vir sanctus epistola ad Sabinum a se, cum nondum esset veteratus sacerdos (Epist. 42), hoc idem opus jamdudum elucubratum commemorat. Id autem circiter annum reparatae salutis 375 contigisse hinc licet colligas, quod cum 374 ad episcopatum cooptatus sit Ambrosius, nihil videatur prohibere, quominus illi manum ultimam prius adjiceret, quam primam libris de Virginibus, quos nondum triennalis sacerdos (Lib. II de Virgin., circ. finem) scripsit, admoveret.

Hoc in libro de Paradiso disputat, ac perbrevis sacri textus expositione ostendit quid, qualis, et ubi fuerit (Cap. 1): quid egerint in eo primi parentes; qua fraude, quo ordine, qua arte (Ibid.) a diabolo tentati in peccatum tandem lapsi sint. Præcipuam vero istic operam ponit in Apellis discipulis (Cap. 2, 5, 6 et seq.) qui sæderis antiqui auctoritatem impugnabant, revincendis: sed per eorum, ut videtur, latus in Manichæos, qui tum temporis Mediolanensem infestabant Ecclesiam, telum adigit, cum forte hactenus palam et aperto Marte illos aggredi non esset ausus. Vanas Apellistarum solvit argutias, et in eos tanto vehementius insurgit, quanto sollicitius formidabat, ne populo vigilantiae suae nuper commisso hæreticorum fallaciis illuderetur. Non tamen sola hæreticorum confutatione circumscribitur sancti Antistitis labor atque industria. Ad Judæos quoque protenditur, quos ille opportunitatem nactus non levi brachio impetit ac debellat. Varias præterea catholicorum hominum subinde sententias refert: at iis tantum modo subscribit, quas putat esse veriores. Quin immo sæpe sæpius evenit, ut nulla earum non repudiata suam ipsius in medium proponere haud vereatur. Et his fortasse adducti sunt, qui disputationis titulum eidem huic operi adscribere. Subjicitur quippe ad calcem antiquissimorum codicum Remensis Ecclesiae et Claromontani collegii, in illo quidem, explicit disputatio de Paradiso, in hoc autem, explicit Paradisi disputatio de servanda animæ puritate. At vero in utroque inscribitur, Incipit domni Ambrosii de Paradiso, ubi vocem, disputatio, omissam esse ex verbis quibus finiuntur, conjicias. Verumtamen cum ab Augustino (Lib. II contra Jul. c. 5 et cæt.) libri nomine non semel hæc ipsa commentatio laudata fuerit, nobis veri videtur similis eandem ipsi inscriptionem ab Ambrosio inditam esse; atque adeo in memoratis codicibus vocem, disputatio, eo sensu, quo librum aut quodcumque scriptionis genus significat, intelligendam.

Porro illud non in promptu fuerit definire, num ea quæ hoc in opere continentur, prius ad populum pronuntiata, postmodum in libro formam more suo concinnaverit Ambrosius. Id quidem ita habere haud male forsitan inde probaveris, tum quia in eo exstant bene multa quæ ad informandos Christianorum mores pertineant, tum vel maxime quia tota disputatio videatur eo collineare, ut ne hæretici simplices mentes malitiosa interpretatione traducant. (Cap. 5) Verum cum aliorum Doctoris nostri operum, quæ in libros et concionibus conversa sunt, characterem in hoc minime deprehendamus, statuendum est vel commentationem hanc nullo modo constare concionibus, vel certe istas in eum ordinem esse redactas, qui concionantem Ambrosium ne minimo quidem indicio redoleat.

Hic autem non prætermittendum quædam illum non tantum e Philonis Judæi libris Allegoriarum legis, ut putarunt nonnulli, desumpsisse, verum etiam ex ejusdem opere de mundi opificio. Sed præterquam quod ea pauca sunt, et ad allegoricum Scripturæ sensum pertinent, in iis ipsis Philonis mentem non verba consecratur, et quæ apud illum auctorem Judaico spiritu inspersa fuerant, ea in sententiam Evangelicæ congruentem christianæ doctrinæ admodum convertit Ambrosius.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE PARADISO

LIBER UNUS^a.

145 CAPUT I.

Quam difficile sit de paradiso disserere. Ejus tamen auctor, natura, situs, incolae indicantur; et res ad mysterium sensum traducitur.

1. Et ^b plantavit Deus paradysum in Eden secundum Orientem: et posuit ibi hominem quem fluxit (Gen. II, 8). De paradiso adoriundus sermo non mediocrem ^c æstum nobis videtur incutere, quidnam sit paradysus, et ubi, qualisve sit, investigare et explanare cupientibus: maxime cum Apostolus sive in corpore, sive extra corpus nesciat, raptum se tamen dicat usque ad tertium coelum. Et rursus: Scio, inquit, hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit; quoniam raptus est in paradysum, et audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui... Pro hujusmodi gloriabor, pro me autem non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis: si enim voluero gloriari, non ero stultus: nam veritatem dico (II Cor. XII, 5 et 6). Ergo si hujusmodi paradysus est, ut eum solus Paulus, aut vir aliquis Pauli similis, cum in hac vita degeret, videre potuerit; idem tamen sive in corpore, sive extra corpus viderit, meminisse non possit; audierit tamen verba, quibus prohibitus sit vulgare ^d quod audierat: quo tandem nos modo paradysi situm poterimus absolvere, quem nec videre potuimus: et si potuissemus videre, prohiberemur tamen aliis intimare **146**? Simul cum Paulus extollere se revelationum sublimitate sit veritus, quanto magis nobis ^e timendum est id sollicitius indagare, cujus etiam revelatio obnoxia sit periculo? ^f Non igitur bylen hunc paradysum æstimare debemus; et ideo relinquamus Pauli esse secretum.

2. Tamen quoniam hic legimus in Genesi a Deo paradysum esse plantatum secundum Orientem, et ibi esse positum hominem ^g, quem plasmavit Deus; istius paradysi auctorem jam possumus invenire.

^a Scriptus circ. an 375.

^b Hic textus desideratur in antiquis edit. et mss. aliquot. Attamen in aliis optimæ notæ reperitur.

^c Mss. septem, metum. Alii, et edit. melius, æstum.

^d Ita plerique mss. et vet. edit. Alii mss., quod audierit. Edit. Rom., quod viderat.

^e Mss. aliquot, studendum est id sollicitus indicare.

^f Mss. non pauci, nec contemnendi, non vilem igitur. Forte visibilem. Sin, hylen mavis cum aliis mss. et edit. interpretare materiem. Vide lib. I, Hexaemeron, cap. 4, num. 1.

^g Rom. edit., plantatum ad Orientem... et pro-

A Quis est enim qui potuit fingere paradysum, nisi omnipotens Deus, qui dixit et facta sunt, ^h numquam indigens eorum quæ generari vellet? Ipse ergo plantavit paradysum de quo dicit Sapia: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, eradicabitur* (Matth. v, 15). Bona angelorum plantatio, bona sanctorum. Sancti enim sub ficu et vite dicuntur ⁱ in illo pacis futuri tempore, in quibus typus est angelorum (Micheæ. IV, 4).

3. Ergo paradysus est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna plena succi atque virtutis, de quibus est: *Exultabunt omnia ligna silvarum* (Ps. xcv, 15); ligna semper florentia viriditate meritiorum, sicut illud lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, cujus folium non defluet; quia totus in eo fructus exuberat. Hic ergo paradysus est.

4. Locus autem ejus in quo est plantatus ^j, voluptas dicitur. Unde et sanctus David ait: *Ex torrente voluptatis tuæ potabis eos* (Ps. xxxv, 9). Legisti enim: *Quia fons procedit ex Eden, qui rigat paradysum* (Gen., II, 10). **147** ^k Hæc igitur sanctorum ligna, quæ plantata sunt in paradiso, quasi profluvio quodam torrentis spiritus irrigantur. De quo etiam alibi ait: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (Ps. xlv, 5). Est autem civitas illa quæ sursum est Hierusalem libera, in qua diversa sanctorum merita pullularunt.

5. In hoc ergo paradiso hominem Deus posuit quem plasmavit. Intellige etiam quia non eum hominem qui secundum imaginem Dei est, posuit, sed eum qui secundum corpus. Incorporalis enim in loco non est. Posuit autem eum in paradiso sicut solem in cælo, expectantem regnum cælorum, quemadmodum creatura expectat revelationem filiorum Dei.

6. Ergo si paradysus est in quo erant exorta virgulta, videtur paradysus anima esse quæ multiplicat semen acceptum, in qua virtus unaquæque plantatur,

ductum esse omne lignum pulchrum ad visum, et bonum ad escam.

^h Vet. edit. cum tribus mss., numquid indigens.

ⁱ Eadem edit., requiescere dicuntur in illo pacis futuræ. At, requiescere, abest ab aliis edit. et mss. omnibus. Horum alii cum vet. edit. legunt, pacis futuræ; alii majori numero et antiquitate.... futuri, sancti videlicet.

^j Rom. edit. sola, plantatus dicitur Eden, hoc est, voluptas.

^k Mss. septem, et edit. Am., sanctorum lumina; Era., sanctorum flumina. Gill. cum aliis mss., sanctorum ligna. Rom. vocem, sanctorum prætermittit.

in qua erat etiam lignum vitæ, hoc est sapientia, sicut dixit Salomon (*Sap. vii, 25*): ^a quia sapientia non de terra exorta est, sed de Patre. Est enim splendor lucis æternæ, et emanatio omnipotentis gloriæ.

CAPUT II.

Quod lignum scientiæ boni et mali in paradiso fuerit, quodque ibidem serpens exstiterit, non reprehendum. Et quid nonnulli per serpentem, Adamum, et Evam intellexerint.

7. Erat autem lignum scientiæ boni et mali in paradiso. Sic enim habes: Quia *produxit Deus lignum speciosum ad aspectum, et bonum ad escam, et lignum vitæ in paradiso, et lignum scientiæ boni et mali* (*Gen. ii, 9*). Postea videbimus utrum et hoc lignum speciosum ad aspectum, et bonum ad escam fuerit sicut cætera. **B** Eo enim loco hoc opportunius disputabitur, quo hominem ex hoc gustantem ligno invenimus esse deceptum. Interim nihil habemus, quod nunc reprehendere debeamus, etsi rationem scire non possumus. Neque enim in hac creatura mundi, si qua nobis difficilia intellectu videntur, et incomprehensibilia ingenio nostro, temerario quodam debemus condemnare iudicio, ut creaturam serpentium, venenatique alicujus animantis; quippe homines qua ratione singula quæque sint facta intelligere adhuc et scire non possumus. Sic ergo et in Scripturis divinis non facile reprehendamus aliquid quod intelligere non possumus. Sunt enim plurima quæ non nostro ingenio metienda sunt; sed ex altitudine divinæ dispositionis et verbi sunt æstimanda.

8. Pone enim, sine præiudicio tamen assertionis futuræ, ideo tibi hoc lignum de scientiâ boni et mali displicere, quia posteaquam gustaverunt ex eo homines, intellexerunt se esse nudos; attamen ad consummationem divinæ operationis dicam tibi et hoc lignum in paradiso exortum, et ideo a Deo esse permissum, ut possimus supereminentiam boni scire. **Quomodo 148** enim si non esset scientia boni et mali, inter bonum et malum discretionem aliquam disceremus? Nam neque quod malum erat, malum iudicarem esse, nisi esset scientia boni: scientia autem boni esse non posset, ^b nisi esset et bonum: neque rursus quod bonum erat, sciremus bonum esse, nisi esset scientia mali. Cape exemplum de ipsa conditione humani corporis. Nempe habet et amaritudinem quamdam fellis, quæ si in commune prospicias, ad salutem hominis utilis invenitur. Ergo et quod malum putamus, plerumque non per omnia

A malum est, sed in commune utile. Nam sicut fel in parte est corporis, et tamen ad totius utilitatem corporis prodest: ita utilitati omnium profuturam sciens Deus scientiam boni et mali, in parte constituit, ut in commune prodesset.

9. Denique serpentem in paradiso invenis, utique non sine Dei voluntate generatum. In serpentis autem figura diabolus est. Fuisse enim diabolum in paradiso etiam Ezechiel propheta docet, qui dicit super principem Tyri: *In voluptate, inquit, paradisi factus es* (*Ezech. xxviii, 15*). Principem autem Tyri in figura accipimus diaboli. Numquid et hinc accusabimus Deum, quia thesauros ejus altitudinis et scientiæ absconditos in Christo et occultos comprehendere non possumus, nisi quos ipse revelare dignatus est? **R**evelavit tamen, ut sciamus etiam diaboli malitiam ad salutem prodesse hominibus. Non quod diabolus prodesse velit, sed quod malitiam ejus etiam repugnantis convertit nobis Dominus ad salutem. Denique hujus malitiæ Job sancti viri fecit esse virtutem et patientiam clariorem. Hujus malitiæ justitiam ejus exercuit; ut certaret et vinceret, et victoriam corona sequeretur. Nemo enim nisi qui legitime certaverit, coronatur. Joseph quoque castimonia numquam ad nostri memoriam pervenisset, nisi mulier domini ejus contubernalis ignitis diaboli spiculis incitata tentasset ejus affectum, nisi postremo affectasset ejus interitum, quo clarior esset castimonia viri, qui mortem pro castitate contempserit. Vis scire consilium Dei? Nempe diabolo auctore necesse videntur justis hominibus **C** præparari, exerceri quoque parricidia filiorum; attamen Dominus etiam Abraham hac arte tentavit, ut immolari sibi filium ab eodem postularet. Quæ tentatione Abraham fidelis est Domino comprobatus, quod a devotionis obsequio nec dilecti filii miseratione revocatus sit. Ita ergo et lignum scientiæ boni et mali in paradiso; quod erat speciosum ad visum, et bonum ad escam specie videbatur. Non enim usu bonum ad escam erat; quoniam esca ejus videtur hominibus obfuisse. Ergo est quod singulis noceat, in commune prosit, ut Judæ nocuit diabolus, sed præter illum omnes apostolos coronavit, qui malitiæ ejus tentamenta vicerunt.

149 10. Itaque neque dubitandum, neque reprehendum quod in paradiso diabolus erat; quando quidem occludere sanctis non potuit iter, ne quis ascenderet. Neque enim justis habitationem incolatus tamquam possessor eripuit. Esto enim ut aliquos desides atque vitiosos ab incolatu supernæ possessio-

^a Ambrosius etiam inf. c. 13 et alibi hunc librum tribuit Salomoni juxta temporis sui opinionem: sed *pseudepigraphum* eum esse postea docuit Hieronymus, et a nonnullis scriptorum veterum Judæo Philoni, puta antiquiori ascribi. Unde Cassiod. Sen. div. lit., c. 5: *Hieronymus, inquit, asserit Sapientiæ librum non a Salomone, ut usus habet, sed a Philone doctissimo quodam Judæo, fuisse conscriptum, quem pseudographum prænotavit, propterea quod usurpationem nominis portat alterius.* Putavit aliquando Augustinus eundem librum ab Jesu Sirac scriptum fuisse, sed doctior postmodum factus incerti auctoris esse

pronuntiavit. Vide lib. ii, c. 4, *Retract.*; l. ii de *Doct. Christ.*, c. 8, et *Specul.* ac notas ibi in ultima edit. subjectas. Communior ævi nostri Scriptorum sententia est opus illud ex plurimarum sententiarum Salomonis compilatione a quodam pio ac erudito viro prodisse, qui proinde divini hujus libri collector, Salomon vero genuinus auctor dici debeat.

^b Ita plerique mss. Alii, et ant. edit., *nisi esset et mali.* Rom. adjicit, *malum enim discerni non potest, nisi per scientiam boni.* Sed ea nusquam alibi reperiuntur.

nis averterit, illud multo augustius multoque pulchrius quod sanctorum orationibus excludetur, cum completum fuerit illud: *Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem* (Luc. ix, 18). Ergo non metuamus eum, qui eousque infirmus est, ut et ipse casurus sit in terram. Accepit quidem tentandi licentiam: sed non accepit copiam subruendi, nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi auxilium non norit arcessere. Et ideo qua fraude tentaverit primum hominem, quidve in homine putaverit esse tentandum, quo ordine, qua arte cognoscere opus est, ut cavere possimus.

11. Plerique tamen qui volunt in paradiso diabolum non fuisse, licet in caelo astantem cum angelis legerimus, ne nostro sermone videantur offendi^a, secundum suam accipiant voluntatem interpretationem istius lectionis. Namque ante nos fuit (*Philo in lib. de Mundi opificio*), qui per^b voluptatem et sensum praevagationem ab homine memoraverit esse commissam, in specie serpentis figuram accipiens delectationis, in figura mulieris sensum animi mentisque constituens, quam *αἰσθησις* vocant Graeci: c decepto autem sensu praevagatricem secundum historiam mentem asseruit, quam Graeci *νοῦς* vocant. Recte igitur in Graeco *νοῦς* viri figuram accepit, *αἰσθησις* mulieris. Unde et quidam Adam *νοῦς* terrenum interpretati sunt. Dominus autem virgines illas in Evangelio (*Matth.*, xv, 1 et seq.) accensis facibus vel extinctis exspectantes sponsi adventum pro sensibus vel integris sapientium, vel corruptis insipientium posuit. Nam si Eva, hoc est, sensus primae mulieris accensas habuisset faces, numquam praevagationis suae nos crinibus implicasset, neque ex illa virtutis immortalitate cecidisset.

CAPUT III.

Per fontem paradisi, Christum; per quatuor flumina inde orientia, virtutes cardinales, et quatuor mundi aetates designari.

12. Est ergo paradus terra quaedam fertilis, hoc est, anima fecunda, in Eden plantata, hoc est in voluptate quadam vel exercitata terra, in qua animae sit delectatio. Est etiam *νοῦς* tamquam Adam: est et sensus, tamquam Eva. Ac ne haberes quod ad infirmum retorqueres naturae, vel ad obnoxiam in tolerandis periculis conditionem, considera quae habeat anima ista subsidia.

15. Erat fons qui irrigaret paradusum. Qui fons, nisi Dominus Jesus-Christus! Fons vitae aeternae est, sicut et Pater; quia scriptum est: **150** *Quoniam apud*

te fons vitae (Ps. xxxv, 10). Denique, *flumina de ventre ejus fluent aquae vitae* (Joan. vii, 38). Et fons legitur, et fluvius legitur qui irrigat paradisi lignum fructuosum, quod ferat fructum in vitam aeternam. Hic ergo fons, sicut legisti, fons enim inquit, procedit ex Eden, id est, in anima tua fons est. Unde Salomon ait: *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus* (Prov. v, 15). Hic est fons qui procedit ex illa exercitata ut plena voluptatis anima: hic fons qui irrigat paradusum, hoc est, virtutes animae eminentissimo merito pullulantis.

14. *Et dividitur, inquit, hic fons in quatuor initia. Nomen est uni Phison: hic est qui circuit omnem terram Evilath, ubi est aurum. Terrae autem illius aurum bonum est, ubi est carbunculus, et lapis prasinus. Et nomen secundo Geon: hic est qui circuit omnem Aethiopiam. Et flumen tertium Tigris: hic est qui vadit contra Assyrios. Et flumen quartum est Euphrates* (Gen. ii, 10 et seq.). Haec igitur quatuor sunt flumina, hoc est, secundum Hebraeos. Ganges autem secundum Graecos, qui fluit contra Indiam. Geon autem Nilus, qui circuit terram Aegypti vel Aethiopiam. Mesopotamia autem dicitur, quod Tigris et Euphrates incluserint eam; eo quod inter duo haec flumina constituta sit, quod etiam longe positus nomen ipsum et opinio communis expressit. Sed quemadmodum fons dicitur Sapientia Dei. Fons enim est secundum Evangelium dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (Joan. vii, 37); fons est et secundum prophetam qui ait: *Venite et edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis* (Prov. ix, 5). Sicut ergo fons vitae est Sapientia, fons gratiae spiritalis: ita fons virtutum est caeterarum, quae nos ad aeternae cursum dirigunt vitae. Ex hac igitur anima quae culta est, non ex ea quae inculta fons iste procedit, ut irriget paradusum, hoc est, quaedam diversarum fructu virtutum, quarum sunt quatuor initia in quae sapientia ista dividitur. Quae sunt quatuor initia virtutum, nisi unum prudentiae, aliud temperantiae, tertium fortitudinis, quartum justitiae (*Plato, lib. iv, de Repub.*)? Quae etiam sapientes istius mundi ex nostris assumpta, in suorum scripta librorum transtulerunt. Itaque sicut fons sapientiae, ita etiam flumina ista quatuor quaedam ex illo fonte manantia sunt fluentia virtutum.

15. Phison igitur prudentia est, et ideo habet bonum aurum, splendidum carbunculum, et prasinum lapidem. Aurum enim pro inventis prudentibus frequenter accipimus. Unde et Dominus per Prophetam ait: *Dedi illi aurum et argentum* (Osee ii, 8). Et David de prudentibus dicit: *Si dormiatis inter me-*

^a Hanc fuisse catholicorum quorundam opinionem, ut paradusum et quae de serpentis atque Evae colloquio in Genesi leguntur, solo sensu allegorico interpretarentur, Augustinus l. viii, c. 1 et seq. de Gen. ad litt. auctor est. Unde non mirum si optionem hanc faciat Ambrosius. Eam tamen sic intellige ut veritatem praevagationis primorum parentum, ac peccati originalis sartam tectam velit. Id ipsemet cum ultimis hujus capituli verbis apperte docet, tum aliis ejusdem libri locis, et iis maxime quos ad as-

truendum peccatum originale Augustinus adhibet, manifestum est.

^b Octo mss., qui per voluntatem. Alii ac edit., qui per voluptatem. Sed his vocibus promiscue ferme utuntur mss. quod semel monuisse sufficit.

^c Ita mss. decem: Divionensis vero, ac edit. Am. et Pet., deceptum autem sensum, etc. Era. Gill. et Rom. cum aliis mss., deceptum autem per sensum mentem praevagatricem, etc.

dios clerios, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora A dorsi ejus in specie auri (Ps. LXVII, 14) : eo quod veteri et novo qui inhæserit Testamento, in ipsa secreta sapientiæ Dei disputationis possit ubertate procedere. Hoc ergo bonum aurum^a dicit, non illud monetale quod corruptibile ac terrenum est. Habet etiam splendidum, inquit, carbunculum, **151** in quo quidam animæ nostræ vivit igniculus. Habet et prasinum lapidem, qui viride quiddam atque vitale coloris sui specie ostentare videtur. Virent enim arbusta quæ vivunt, arescunt contra quæcumque moriuntur : viret terra dum floret, virent et semina dum prorumpunt. Et bene primo loco hic fluvius positus est Phison, qui secundum Hebræos^b Phison dicitur, hoc est, oris mutatio; quia non unam gentem circumfluit, sed etiam per Lydiam fluit. Non enim angusta quædam, sed dives utilitatum prudentia est, quæ pluribus prosit. Ideo prima, ut si quis de paradiso fuerit egressus, velut quoddam eum prudentiæ flumen excipiat, ne cito possit arescere : sed per hanc ad paradisum facile revertatur. Hic fluvius a multis hominibus frequentatur, pulchritudinemque et fertilitatem maximam habere perhibetur. Et ideo prudentia in specie hujus accipitur, quæ plurimos fructus attulit in Domini adventu. Atque in extrema terrarum fluit, quia per Sapientiam omnes homines sunt redempti. Unde et dictum est : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (Ps. XVIII, 5).

16. Secundus est fluvius Geon, juxta quem lex data est Israelitis, cum essent in Ægypto constituti ; C ut ex Ægypto recederent, et succincti lumbos ederent agnum, quod insigne est temperantiæ. Castos enim et sanctificatos oportet Domini pascha celebrare. Et ideo juxta istum fluvium legitima primo observantia constituta est; quia significat nomen hoc quemdam terræ hiatum. Sicut igitur^c terram et quæcumque vel purgamenta vel frondes in ea sunt, hiatus absorbet : ita castitas omnes corporis passiones abolere consuevit. Meritoque ibi primum observantiæ constitutio, quia per legem absorbetur carnale peccatum. Bene ergo Geon, in quo figura est castitatis, circumire terram Æthiopicam dicitur; ut abluat corpus abjectum, et carnis vilissimæ restinguat incendium. Æthiopia enim abjecta et vilis Latina interpretatione signatur. Quid autem abjectius D nostro corpore? Quid tam Æthiopiæ simile, quod etiam nigrum est quibusdam tenebris peccatorum?

17. Tertius est fluvius Tigris, qui vadit contra Assyrios, ad quem prævaricator Israel captivus est ductus. Hic fluvius dicitur velocior esse omnibus,

^a Sic Era. edit. cum seq. et paucis mss. Am. autem et mss. octo, *aurum diceret monetale*; Remensis,..... *non monetale*. Div., *aurum decorum*, *monetale*.

^b Mss. aliquot, *positus est Fison, qui.... Feouson dicitur*. Et post pauca Rom. edit., *circumfluit, sed universam fere Indiam*. Vet. omnes ut in textu. His etiam accedunt mss. exceptis duobus, ubi habetur *per Lixiam fluit*.

^c Ita mss. melioris notæ. In aliis vero sicut et in

quem incolunt Assyrii, hoc est dirigentes hoc enim significat interpretatio. Ergo quicumque fortitudine animi prævaricantia corporis vitia captivaverit dirigens ad superna, iste hujus fluminis similis æstimatur. Et ideo etiam fortitudo de illo qui est in paradiso, fonte emanat. Fortitudo autem quodam cursu rapido resistentia quæque transverberat, nec aliquibus cursus ejus impedimentorum hæret obstaculis.

18. Quartus est fluvius Euphrates, qui Latine fecunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne justitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim abundantiores **152** videtur fructus habere virtus, quam æquitas atque justitia, quæ magis aliis quam sibi prodest, et utilitates suas negligit communia emolumenta præponens. Plerique Euphratem ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεσθαι dictum putant, hoc est a lætando, eo quod hominum genus nullo magis quam justitia et æquitate lætetur. Causam autem cur cæteri qua commeant fluvii, describuntur regiones locorum, qua Euphrates commeat, non describantur, illam accepimus, quia aqua ejus vitalis asseritur, et quæ foveat atque augeat. Unde eum^d Auxen Hebræorum et Assyriorum prudentes dixerunt : contra autem fertur esse aqua aliorum fluminum. Deinde quia ubi prudentia, ibi et malitia : ubi fortitudo, ibi et iracundia : ubi temperantia plerumque, ibi intemperantia est, aut alia vitia sunt : ubi autem justitia, ibi concordia virtutum est cæterarum ; ideo non ex locis qua fluit, hoc est, non ex parte cognoscitur. Non enim pars est justitia, sed quasi mater est omnium. In his ergo fluminibus quatuor virtutes principales quatuor exprimuntur, quæ veluti mundi istius incluserunt tempora.

19. Primum igitur tempus ex mundi principio usque ad diluvium prudentiæ fuit, quo in tempore justi numerantur Abel a Deo justus dictus (Matth., XXIII, 35); et Enos, hoc est homo ad imaginem Dei factus, qui speravit invocare nomen Domini Dei; et Enoch qui dicitur Latine Dei gratia, raptus ad cælum; et Noe qui et ipse justus, et quædam requiei directio.

20. Secundum tempus est Abraham et Isaac et Jacob, reliquorumque numerus patriarcharum, in quibus casta et pura quædam temperantia religionis effulsit. Immaculatus enim Isaac per repromissionem Abrahæ datus est filius, non tam corporalis partus quam divini munus præferens indulgentiæ, in quo vere immaculati figura præcessit, ut Apostolus docet dicens : *Quia Abrahæ dictæ sunt repromissiones, et semini ejus. Non dicit, et seminibus, tanquam in multis sed sicut in uno, et semini tuo, qui est Christus.* (Gal. III, 16).

editis magna diversitas, sed quæ ad sensum non pertineat, cum in eo posita sit ut terra, pro, terram; sordes, pro, frondes, hiatus, pro, hiatus, et alia quædam hujusmodi habeantur.

^d Ita mss. omnes, ac vet. edit. magno consensu. At Rom. edit., *Unde Perath eum.... dixerunt, quod est αὐξεν Græce*, ubi vocem Hebraicam, quæ scribarum incuria videtur hic fuisse omissa, restituere conata est.

21. Tertium tempus est in Moysi lege et cæteris prophetis. *Deficiet enim me tempus enarrando de Geodeon, Barac, Samson, David, Salomone, et Samuel, et cæteris prophetis, Anania, Azaria, Misael, et Daniel, Elia, et Elisæo qui per fidem devicerunt regna, operati sunt justitiam, perceperunt repromissiones, obstruxerunt ora leonum, extinxerunt virtutem ignis, effugaverunt^a acies gladii, evaluerunt de infirmitate, fortes fuerunt in bello, castra ceperunt exterorum (Heb. xi, 32 et seq.). Non immerito igitur in his species fortitudinis est. Secti enim sunt, sicut infra habes, tentati, in mactatione gladii mortui. Circumierunt in caprinis pellibus, egentes, angustiati, et doloribus afflicti, quorum meritis non erat dignus orbis. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, et in foveis terræ (Ibid. xvii, 38). Recte igitur in his speciem fortitudinis collocamus.*

22. Secundum autem Evangelium digna est figura justitiæ quia virtus est in salutem omni **153** credenti. Denique ipse Dominus ait: *Sine^b modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam (Matth., iii, 15):* quæ quidem parens cæterarum est secunda virtutum. In quo quamvis aliqua harum quas diximus, principalis est virtus; in eo etiam cæteræ præsto sunt; quia ipsæ sibi sunt connexæ concretæque virtutes. Nam utique Abel justus, et fortissimus ac patientissimus Abraham, et prudentissimi prophetæ: Moyses vero eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, majorem honestatem æstimavit Ægypti thesauris opprobrium Christi. Et quis sapientior quam Daniel? Salomon quoque sapientiam poposcit, et meruit. Dictum est ergo de quatuor virtutum fluminibus, quorum potus est utilis. Et quia Phison aurum bonum terræ, et carbunculum, et lapidem prasinum habere dictus est, hoc quoque quale sit consideremus.

23. Videtur enim nobis tamquam aurum bonum Enos, qui prudenter Dei nomen scire desideravit. Enoch autem qui translatus est, et mortem non vidit, carbunculus quidam est lapis boni odoris, quem operibus suis sanctus Enoch Deo detulit, gratiam quamdam factis, et moribus spirans. Noe vero tamquam prasinus lapis vitalem colorem prætulit. Siquidem diluvii tempore solus velut ad futuræ constitutionis vitale semen in illa arca est reservatus. Ergo bene paradisos qui pluribus fluminibus irrigatur, secundum Orientem est, non contra Orientem, hoc est, secundum illum Orientem cui nomen est Oriens, id est secundum Christum, qui jubat quoddam æternæ lucis effudit, et est in Eden, hoc est, in voluptate.

CAPUT IV.

Virum in paradiso non factum, sed positum: at in eo factam mulierem, per quam ille fuit deceptus. Tum quid sit operari, et custodire?

24. *Et apprehendit Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari, et custodire. Vides quo-*

^a Mss. aliquot, et quædam Paris., *effugerunt.*

^b Mss. octo, *sine nos implere, etc., alii sicut, et edit., sine modo: sic enim, etc.*

*niam qui erat, apprehenditur. Erat autem in terra plasmationis suæ. Apprehendit ergo eum virtus Dei inspirans processus et incrementa virtutis: denique in paradiso eum collocavit; ut scias apprehensum quasi afflatum divina esse virtute. Quo loci illud adverte, (Dist. 40, c. Illud autem) quia extra paradisum vir factus est, et mulier intra paradisum, ut advertas quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradisum factus, hoc est, in inferiore loco, vir melior invenitur; et illa quæ in meliore loco hoc est, in paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est, et virum ipsa decepit. Unde apostolus Petrus subjectas fortiori vasi mulieres sanctas viris suis velut dominis obedire memoravit (I Pet. iii, 1). Et Paulus ait: Quia Adam non est seductus: mulier autem seducta in prævaricatione fuit (I Tim. ii, 14). Et inde contuendum quia nemo debet sibi facile præsumere. Nam ecce illa quæ in adjumentum facta est viro, præsidio virili indiget; quia vir caput est mulieris: ille autem qui adjumentum uxoris habiturum se esse credebat, lapsus est per uxorem. Unde nemo **154** debet facile alteri se credere, nisi cujus virtutem probarit, nec arrogare sibi qui se pro auxilio putarit adscitum: sed magis si invenerit fortiorem cui se putabat esse præsidio, ab ipso gratiam mutuatur, sicut et viros mulieribus honorem impertire apostolus Petrus præcipit dicens: Viri similiter cohabitantes secundum scientiam tamquam infirmiori vasi muliebri impartientes honorem, tamquam cohæredi gratiæ vitæ; ut ne impediatur orationes vestræ (I Pet. iii, 7).*

25. Ergo positus est in paradiso vir, facta est in paradiso mulier. Sed etiam tunc priusquam a serpente mulier deciperetur, habuit viri gratiam, quoniam de viro sumpta est: licet hoc sacramentum magnum sit, sicut Apostolus dixit (Ephes. v, 32). Et ideo causam vitæ ex eo traxit. Ideoque de vir tantum Scriptura dixit, quia *posuit eum in paradiso operari et custodire.* Non idem est operari et custodire. In opere enim quidam virtutis processus est; in custodia quædam consummatio operis deprehenditur; eo quod quasi consummata custodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, ut et operibus novæ querat, et parta custodiat, quod est generale. Philon autem, quoniam spiritalia Judaico non capiebat affectu, ^c intra moralia se tenuit, ut dice et hæc duæ quæri, opera in agro, custodiam domus. Et quamvis paradisos operibus, inquit, ruralibus non egeret tamen quia primus homo lex posteritatis futuræ erat, ideo legitimi etiam in paradiso ^d speciem suscepit laboris, ut nos ad operationem et custodiam debiti officii, et hæreditariæ successionis munus astringeret. Hæc duo ergo a te exiguntur sive moraliter sive spiritaliter. Quod etiam psalmus te propheticè docet, quia scriptum est: *Nisi Dominus ædificaverit*

^c Mss. Clarom., *intra mortalia se tenuit.*

^d Rom. edit., *specimen suscepit laboris.*

domum; in vanum laboraverunt qui ædificant eam. **A** Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. (Ps. cxxvi, 1.) Vides illos laborare qui in operis sunt ædificationisque processu; istos vero vigilare qui jam custodiam perfecti operis receperunt. Unde et Dominus ^a Apostolis quasi jam perfectioribus: *Vigilate, inquit, et orate, ne intretis in tentationem* (Matth. xxvi, 41); ^b docens perfectæ naturæ munus, et plenæ virtutis gratiam esse servandam, nec quemquam etiam perfectiorem nisi vigilaverit, sui debere esse securum.

CAPUT V.

Examinatur præceptum de non edendo de ligno scientiæ boni et mali, et circa id emergentes difficultates dissolvuntur.

26. *Et præcepit Dominus Deus Adæ dicens: Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam, edes: de ligno autem quod est scientiæ boni et mali non edetis. Qua die autem manducaveritis ex eo morte moriemini* (Gen., ii, 16 et 17). Qua ratione, ubi præcepit ex omni ligno edendum, singulariter dixerit, *Edes: ubi autem de ligno scientiæ boni et mali pluraliter, Non edetis, dixerit, non otiosa quæstio. Verum si diligenter intendas, Scripturarum auctoritate absolvi potest. Quod enim bonum, hoc est faciendum: quod autem bonum et faciendum, consonans et adhærens: quod vero turpe, hoc* **155** *dissonans, incompositum, atque discretum est. Et ideo Dominus unitatem semper intendens, secundum unitatem præcepit. Denique unitatem operatur, qui fecit utraque unum. Nec solum utraq; sed etiam omnes unum. Omnes enim unum corpus, et unum spiritum esse nos jussit. Per omnia autem primogenitus, cum sit in unitate cum Patre, conjunctissimus Patri semper est: quia Verbum erat apud Deum. Denique ait: Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30); ut unitatem sibi majestatis et divinitatis cum Patre esse monstraret. Sed et nos unum esse præcepit, et suæ naturæ unitatisque similitudinem in nos gratiæ adoptione transfudit dicens: *Pater sicut ego et tu unum sumus, ita et isti nobis unum sint* (Joan. xvii, 22). Ergo ubi bonum præcipit, tamquam ad unum præcipit dicens, *Edes. Unitas enim prævaricari non potest. Ubi vero de ligno scientiæ boni et mali, dicit non esse gustandum, quasi ad plures dicit, Non edetis. Quod enim prohibitorium est, tamquam pluribus imperatur. Ego tamen aliud puto, et quid futurum sit, in ipso jam Dei sermone reperio. De omni ligno gustandum Adæ soli præcepit, quem servaturum sciebat: de ligno autem scientiæ boni et mali non esse gustandum, jam non singulariter, sed*

pluraliter dicit. Sciebat enim prævaricationem mulierem, et ideo per pluralitatem ostendit non servaturos, quia plurium discreta sententia est.

27. Et quantum ad Septuaginta virorum sententiam spectat, solutum est quod movebat. Sed quia Symmachus utrumque singulariter dixit, intelligimus id secutum, quia in lege quoque cum populum alloquitur Deus, singulariter loquitur, sicut habes: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. vi, 4); et, *Diliges dominum Deum tuum* (Ibid. 6). Nec mihi præjudicat Symmachi interpretatio, qui unitatem Patris et Filii videre non potuit; etsi aliquoties in sermone et Aquila et ipse confessi sint. Nec quisquam de eo quod prævaricaturum populum divina mandata singulariter alloquitur, putet **B** superiori nostro ^c obvium esse sermoni; quia populus Judæorum etiam singulariter data præscripta violavit. Lex enim spiritualis est: et ideo alterum in sermone, alterum in prædestinatione, divino populum Deus alloquebatur oraculo. Denique ait: ^d *Non coques agnum in lacte matris suæ* (Exod. xxxiv, 26).

28. ^e Facilis abhinc præceptorum coelestium series videretur; nisi quæstionem plurimi commoverent, quibus responderi oportet a nobis; ne simplices mentes malitiosa interpretatione traducant. Plerique enim, quorum auctor Apelles, sicut habes in trigésimo et octavo tomo ejus, has quæstiones proponunt: Quomodo lignum vitæ plus operari videtur ad vitam, quam insufflatio Dei? Deinde si hominem non perfectum fecit Deus; unusquisque autem per industriam propriam perfectionem sibi virtutis adsciscit: nonne videtur plus sibi homo acquirere, quam ei Deus contulit? Tertium objiciunt: Et si homo non gustaverat mortem, utique quam non gustaverat, scire non poterat. Ergo si non gustaverat, **156** nesciebat; si nesciebat timere non poterat. Frustra igitur Deus mortem pro terrore objecit, quam homines non timebant.

29. Discamus igitur quod ibi lignum vitæ ubi etiam lignum scientiæ boni et mali produxerit Deus. Habes enim quia produxit lignum vitæ ^f *ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου*, hoc est, in medio paradisi. Apud nos enim *ἐν μέσῳ* intelligitur, quod in medio produxerit. Ergo in medio paradiso et vita erat, ^g et causa mortis. Intellige quia non homo fecit vitam, sed vel operando, vel custodiendo mandata Dei potuit invenire. Erat autem *vita*, sicut Apostolus dixit, *abscoudita cum Christo in Deo* (Colos. iii, 3). Homo ergo sive in umbra vitæ erat ^h propter vitam futuram, quia umbra est hæc quæ nunc nostra est vita in terra, sive in quodam pignore vitæ erat, quia habe-

^a Mss. Rem. et Clar., *Apostolis quibusdam perfectioribus*, quæ lectio videtur esse genuina.

^b M-s. quinque, *docens per rectæ naturæ munus*, etc.

^c Cod. Div., *obviandum est sermoni*.

^d Ita mss. antiquiores ex LXX Interp. apud quos, *οὐκ ἐψησεῖς ἄρνα*. Alii, et vet. edit., *non coques ovem*. Vulgata, . . . hædum.

^e Mss. fere ad unum, *facilius ab hinc*, etc.

^f Mss. omnes tam depravatos characteres Græcos exhibent, ut legi nequeant. Quidam vero Latine scribunt, *Apænos enim intelligitur in amanos*. Edit. Am., *ἐν μέσῳ ποενος*. Quare in corruptione tanta satius videtur ab editis non discedere.

^g Plures mss., *et causam mortis intellige quia*, etc.

^h Mss. prope omnes, *propter figuram futuram*.

bat insufflationem Dei. Habebat ergo pignus immortalitatis : sed in umbra vitæ positus absconditam vitam cum Christo in Deo vulgari quodam tactu et aspectu videre et capere non poterat. Et si nondum peccator, non tamen incorruptæ, inviolabilisque naturæ; ut pote qui postea peccato lapsus est, nequaquam autem adhuc peccator. Denique in umbra vitæ erat : qui autem peccatores sunt, in umbra mortis sunt. Peccatorum enim populus, sicut Esaias docet (*Esai. ix, 2*), sedebat in umbra mortis, cui lux orta per Dei gratiam, non per sua virtutis est meritum. Ergo inter insufflationem Dei, et escam ligni vitæ nulla discretio. Nec hominem quis potest dicere plus sibi posse acquirere, quam divina ei largitate collatum est. Utinam acceptum tenere possemus. Labor etenim noster eo proficit, ut quæ tributa sunt, resumamus. Tertium illud quod propositum est, quia qui mortem non gustaverat, mortem timere non poterat, facile ex communis naturæ usu absolutionem habet. Est enim natura insitum omnibus animantibus, ut etiam quæ nondum sibi nocere experta sunt, quasi noxia reformident. Unde enim columbæ in ipso sui ortu^a visi terror accipitris? Unde lupi ovibus formidabiles, pullis milvi? Quod si in iis quæ irrationabilia sunt animantia, quidam de adverso genere animantium naturalis est terror, ut etiam irrationabilia sensum fugiendæ mortis accipiant : quanto magis in primo homine rationis utique plenissimo, naturalis quædam opinio mortis debuit esse vitandæ.

CAPUT VI.

Alias plures dubitationes circa præceptum Adæ datum, et Evæ prævaricationem excitatas diluit.

30. Rursus faciunt alias quæstiones hoc modo : Non semper (*xi, q. 1, c. Non semper*) malum est non obedire præcepto. Si enim bonum est præceptum, honesta est obeditio : quod si improbum præceptum, non obedire utile. Ergo non semper malum est non obedire præcepto : sed bono præcepto non obedire improbum est. Bonum autem est **157** operatorium cognitionis boni et mali lignum; quandoquidem Deus et bonum et malum novit. Denique ait : *Ecce Adam factus est tamquam^b unus nostrum (Gen. iii, 22)*.^c Si igitur bonum est scientiam habere boni et mali, bona autem est quam etiam Deus habet, videtur qui interdicit eam hominibus, non recte interdiceret; idque proponunt. Sed si intelligant quid sit cognoscere, quam vim habeat hoc verbum : si sic intelligant quemadmodum oportet, *cognovit enim Dominus qui sunt ipsius (II Tim. ii, 19)*; cognovit utique eos qui unum ex pluribus facti sunt, in quibus inhabitat, et in quibus perambulat. Cog-

^a Mss. Vat. et S. Mich. prima manu, *viso terrenatur accipitre*. Alii nonnulli, *visu*, vel, *viso terrorem accipiunt*. In reliquis fere nihil sani.

^b Rom. edit., *unus nostrum ad sciendum bonum et malum*.

^c Rom. edit., *Bonum autem lignum cognitionis et*

A noscere utique non in sola et perfunctoria scientia est, sed in eorum operatione quæ oporteat fieri. Oportuit autem hominem obedire mandato, non obediendo autem prævaricatus est. Igitur qui non obedivit, erravit, quia prævaricatio peccatum est. Verumetiam si extenuare velint vim cognitionis, ut perfunctoriam scientiam boni et mali interdictam putent, in eo quoque prævaricationis culpa est non obeditum esse mandato; quia etiam tumultuariam scientiam boni et mali Dominus Deus putavit inhibendam.

31. Alia quæstio : Qui non cognoscit bonum et malum, nihil a parvulo distat. Parvuli autem apud justum iudicem nulla est culpa. Justus autem operator mundi numquam parvulum vocasset in culpam, propter quod non cognoverat bonum et malum; quia parvulus sine ullo est crimine prævaricationis et culpæ. Verum cum in superioribus dixerimus duplicem esse intellectum scientiæ boni et mali, si perfunctoriam scientiam accipimus, utique falsum est quod nihil distet a parvulo, qui non cognovit bonum et malum. Si autem falsum est quod nihil distet a parvulo; ergo non parvulus Adam. Si non parvulus, ascribitur utique ei quasi non parvulo peccatum. Si peccatum ascribitur, sequitur poena peccatum; quia dignus invenitur poena, qui peccatum vitare^d non procuravit. Potest etiam fieri, ut etiam qui scientiam non habet boni et mali (*Esa. vii, 16*), parvulus non sit; quoniam priusquam scivit puer bonum et malum, non credidit malitiæ. Et iterum habes : *Quia priusquam sciat puer vocare patrem et matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Sumariæ (Esa., viii, 4)*. Perfectus ergo qui operatur bonum, etiam si boni et mali scientiam non adeptus sit, ut multi priusquam sciant legem, ipsi sibi lex sunt. Quod Apostolus priusquam diceret : *Non concupisces (Rom. ii, 14)*, malum esse concupiscentiam nesciebat. Denique ipse ait : *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces (Rom. vii, 7)*. Ad quam partem etiam puer potest esse perfectus jure naturæ, priusquam sciat concupiscentiam crimen esse, vel concupiscentiæ crimen admittat. Ergo secundum perfunctoriam scientiam^e noluit Deus hominem scire quod malum est, ne quasi imperfectus vitare non posset. Non obediendo autem mandato incurrimus in culpam : ergo culpam fateamur. Rursus autem si altam et profundam **158** scientiam dicimus boni et mali, quæ quidem profunda scientia perfectum facit; non statim autem parvulus qui ad altam et profundam scientiam pervenire non potuit, recte sicut non parvulus condemnatur.

32. Iterum quæstiones serunt : Qui nescit, in-

boni mali.

^d Mss. et edit. vet., *vitare non potuit*.

^e Mss. Michaelianus, Big., Gem., Th., *Voluit Deus*. Ms. Laudanensis, et edit. vet., *novit Deus*. Alii mss. et Rom. edit. melius, *noluit Deus*.

quint, bonum et malum, ne ipsum quidem novit esse malum non servare mandatum, nec ipsum bonum novit, quod est obedire mandato. Et ideo quia non noverat, venia, inquit, dignus fuit qui non obedivit, non condemnatione. Quæ quidem quæstio de his absolutionem habet, quæ ante memoravimus. Considerare enim potuit homo ex iis quæ Deus ante ei contulerat, quod insufflationem Dei accepit, quod erat in paradiso voluptatis locatus, summam auctori obedientiam deferendam. Et ideo si vim nesciebat boni et mali; tamen quia tantorum auctor dixerat de ligno scientiæ boni et mali non esse gustandum, eidem præceptori servare debuerat. Non enim ab eo veritatis, sed fides exigebatur. Intelligebat utique Deum omnibus præeminere, ideoque personam juvenis spectare debuerat. Et si non intelligebat vim qualitatemque jussorum; sciebat tamen præceptori deferendam esse reverentiam. Habebat in natura hanc opinionem; etsi non habebat iudicium boni et mali. Denique et mulier serpenti dixit: *Ex omni ligno paradisi manducabimus: de fructu autem ligni quod est in medio paradiso dixit Deus: Non manducabitis ex eo (Gen. III, 5).* Ita ergo sciebat obedientium esse mandato, ut diceret: *Ex omni fructu manducabimus, quod Dominus imperaverat: de ligno autem quod est in medio paradiso, imperatum a Deo licet non esse gustandum, ne morte morerentur.* Ergo quia scivit deferendum esse mandato, scivit utique malum esse prævaricari, et ideo juste prævaricata damnatur.

33. Accipite aliud: Si assumptio de ligno scientiæ boni et mali ita operatoria erat, ut bonum et malum agnosceretur; quod videtur Scriptura ostendere, dum dicit: *Quia ubi manducaverunt ambo, aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt quod nudi essent (Ibid. 6 et 7);* hoc est, aperti sunt oculi cordis, et cognoverunt turpe esse nudos se degere: sine dubio ubi gustavit mulier de ligno scientiæ boni et mali, peccavit et se peccasse cognovit. Quæ igitur se peccasse cognoverat, vel virum ad peccati communionem invitare non debuit. Illiciendo autem virum, et dando ei quod ipsa gustaverat, non vitavit, sed iteravit peccatum. Nam utique si vere rationem spectes, eum quem diligebat, non trahere ad consortium poenæ, sed magis ab eo quod cognoverat ipsa esse peccatum, vel inscientem revocare debuerat; quamvis videatur hæc mulier sciens quod post culpam in paradiso esse non posset, metuisse ne propla de paradiso ejiceretur. Denique absconderunt se ambo post culpam. Excludendam igitur se esse cognoscens, consortio viri quem diligebat, noluit defraudari.

34. Iterum accipe: Non cognitio mali malum **159** est; sed cum actus implet malitiam. Non enim sta-

tim qui novit malum, quod malum est, facit: sed qui quod malum esse novit, operatur. Incentivum autem ad operandum quod malum est, aut iracundia, aut cupiditas esse consuevit. Nec statim necesse, ut habens scientiam mali faciat quod improbum novit, nisi aut iracundia aut cupiditate vincatur. Unde quod diximus incentivum peccandi, vel ira, vel cupiditas est, vel plerumque formido, licet ex formidine oriatur cupiditas, dum unusquisque vult vitare quod metuit. Et ideo recte iracundiam et cupiditatem duorum^b reliquorum posuimus incentiva vitiorum. Consideremus igitur utrum Eva his ad vitium stimulis incitata sit. Sed neque irascebatur marito, neque cupiditate victa est: in secundo dumtaxat errat, ut edendum viro daret, quod jam ipsa gustaverat. Primo fuerat cupiditas auctor erroris ut ipsa ederet, sequentisque fuit causa peccati. Quod enim jam gustaverat, desiderare non poterat: et gustando, mali fuerat scientiam consecuta. Malum igitur quod adverterat, in virum derivare non debuit, neque conjugem proprium prævaricatorem divini facere mandati. Sciens igitur prudensque peccavit, et sciens virum in suum traxit errorem. Alioquin invenietur falsus esse de ligno scientiæ boni et mali sermo, si etiam posteaquam de ea arbore manducavit,^c scientiam mali habere non potuit. Quod si verus est sermo, cupiditatis utique causam habere non potuit: licet plerique sic excusandum putent, quod diligens virum ab eo timuerit separari, et hanc causam cupiditatis prætendant, quod esse vo-

luerit cum marito.

CAPUT VII.

Quæritur utrum a Deo, vel a ligno, vel demum aliunde mors homini acciderit; atque objectio multiplici responsione diluitur.

35. Iterum alia quæstio subrepat unde mors acciderit Adæ, utrum a natura ligni ejusmodi, an vero a Deo. Si naturæ ligni hoc ascribimus, videtur ligni hujus fructus vivificandi insufflationi Dei præstare; siquidem quem vivificaverat insufflatio, fructus hujus ligni traxit ad mortem. Aut si Deum operatorem mortis esse memoramus, dicunt quod gemina cum opinione accusemus: quod aut ita immitis, ut noluerit ignoscere, cum posset; aut si ignoscere non potuerit, videatur infirmus. Videamus igitur quomodo diluendum sit. Nisi fallor, mortis causa inobedientia fuit; et ideo homo ipse sibi mortis est causa, non habens Deum suæ mortis auctorem. Neque enim si medicus præscripsit ægrotanti a quibus videatur cavendum, atque ille ab interdictis non putaverit abstinendum, causa ei mortis est medicus: sed utique ipse sibi reus mortis est propriæ. Itaque Deus quasi bonus medicus prohibuit, ne Adam nocitura gustaret.

dum non esse mandato.

^b Libenter legeremus, *duo reliquorum*; nisi mss. et edit. reclamarent.

^c Mss. duo, *scientiam boni et mali habere non potuit.*

^a Ita mss. S. Remigii, ac S. Theodorici. Vet. autem edit., *Ergo scivit deferendum esse mandatum.* Mss. Gem., Th., Div. et Laud., *Ergo scivit deferendum esse mandato.* Mich., *deserendum non esse mandatum.* Denique edit. Rom., *Ergo qui scivit deferen-*

36. Iterum accipe : Scire bonum melius est, quam nescire ; et ei qui bonum sciât , pulchrum est scire quod malum est, ^a ut sciât cavere quod malum est, et ut prudens subeat custodiæ cautionem. Rursus autem non salis est hoc solum **160** scire quod malum est ; ne cum malum scias , scientia boni incipias defraudari. Pulchrius est igitur ut utrumque norimus ; ut et quia scimus bonum , fugiamus quod malum est ; et ex eo quod cognoscimus malum , boni gratiam præferamus. Sed ita debes utrumque scire, ut et profunde noveris , et quod noveris exsequaris , actusque scientiæ congruat. Alioquin tolerabiliorem Scriptura indicat eum (*Luc. xii, 47*), qui utrumque nesciat, quam qui perfunctorie utrumque cognovit. Gravatur enim scire, quod vel exsequi vel vitare ^b non possis : gravatur scire sine usu atque opere cognitionis profundæ. Denique obest ad existimationem medico scire quid prosit, et quid noceat ægro ; nisi cognitione ea quemadmodum oportet, utatur : et ideo non est cognitio bona, nisi ea utaris ut oportet.

37. Item accipe : Non frustra lignum scientiæ boni et mali productum est in medio paradiso : et si cuiusque homini productum esset, superflua interdictio. Sed neque frustra factum est, neque alii, nisi homini factum est, qui mandatum accepit ; ut non solo eo, sed eo cum cæteris uteretur. Nam si multa discutias, complura reperies et plane innumera, quæ ei qui uti nesciat, possint nocere. Nec ipsas divitias invenies fructuosas, si habens dives subsidia largitalis, neget alimenta pauperibus, excludat inopem subsidio destitutum, aliena extorqueat, quia prævalet potestate. Pulchritudo ipsa et gratior corporis forma frequenter ^c in vitium, quam deformitas trahit. Numquid igitur quisquam deformiores, quam pulchriores filios habere desiderat, et inopes potius liberos suos cupit esse, quam divites? Plura sunt huiusmodi quæ non ad imprudentiam largientis referenda sunt, sed ad male utentis errorem. Et ideo utentem accusandum potius quam donantem.

CAPUT VIII.

Solvuntur quæstiones de præscientia Dei circa prævaricationes Adæ, et opinionem boni et mali humanis mentibus divinitus impressam.

38. Iterum quæstio : Sciebat prævaricaturum Deus Adam mandata sua, an nesciebat? Si nesciebat, non est ista divinæ potestatis assertio : si autem sciebat, et nihilominus sciens negligenda mandavit, non est Dei aliquid superfluum præcipere. Superfluum autem præcepit protoplasto illi Adæ, quod cum noverat minime servaturum : nihil autem Deus superfluum facit ; ergo non est Scriptura ex Deo. Hoc enim objiciunt, qui Vetus non recipiunt Testamentum, et has interserunt quæstiones. Verum hi sua

^a Rom. edit. : ut sciât pravum vitare, et prudens jubet custodia.

^b Ita mss. et edit. antiq. magno consensu. At

sententia et opinione vincendi sunt. Cum enim novi Testamenti non refutant fidem, exemplo sunt arguendi, ut velis credant : quoniam cum sibi divina præcepta et facta convenient, unius auctoris Testamentum utrumque liquet esse credendum. Discant igitur non superfluum, non injustum etiam prævaricatorum præscriptum esse mandatum. Nam et ipse Dominus Jesus elegit Judam, quem proditorem sciebat. Quem si per **161** imprudentiam electum putant, divinæ derogant potestati. Sed hoc æstimare non possunt, cum Scriptura dicat : Quia sciebat Jesus quis eum proditurus esset (*Joan. vi, 65*). Conticescant igitur repugnatores isti veteris Testamenti.

39. Sed quoniam etiam gentilibus, si forte istud objecerint, respondendum videtur, qui exemplum non recipiunt, rationem exigunt ; accipiant etiam ipsi qua ratione Dei Filius vel prævaricatorum mandaverit, vel elegerit proditorem. Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores, etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem. Et ideo nec proditorem debuit præterire ; ut adverterent omnes, quod in electione etiam proditoris sui servandorum omnium insigne prætendit, nec in eo læsus est vel Adam, quia mandatum accepit, vel Judas, quia electus est. Non enim necessitatem Deus vel illi prævaricationis, vel huic proditoris imposuit, quia uterque si quod acceperat, custodisset, a peccato abstinere potuisset. Denique nec Judæos omnes credituros sciebat, et tamen ait : Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (*Matth. xv, 24*). Ergo non in mandante culpa est, sed in prævaricante peccatum est. Et quod in Deo fuit, ostendit omnibus quod omnes voluit liberare. Nec tamen dico quia prævaricationem nesciebat futuram, immo quia sciebat assero : sed non ideo pereuntis proditoris invidiam in se debuit derivare, ut ascriberetur Deo, quod uterque sit lapsus. Nunc autem uterque redarguitur, atque reconvincitur ; quia et ille mandatum ne laberetur accepit, et hic etiam in apostolatus munus adscitus est, ut vel beneficio Dei revocaretur a proditoris affectu ; simul ut dum alii revincuntur, prodesset omnibus. Non enim consisteret peccatum, si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse non esset : quæ nisi aliqua malitiæ fuissent semina, vel subsistere vel eminere non posset. Quid est enim peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, et cælestium inobedientia præceptorum? Non enim auribus corporis de mandatis cælestibus judicamus : sed cum esset Dei verbum, opiniones quædam nobis boni et mali pullularunt ; dum id quod malum est, naturaliter intelligimus esse vitandum, et id quod bonum est naturaliter nobis intelligimus esse præceptum. In eo igitur vocem Domini videmur audire, quod alia interdicit, alia præcipiat. Et ideo si quis non obedierit illis quæ semel a Deo præcepta credimus, poenæ

Rom. edit. : vitare non velis, et non possis.

^c Rom. cod. in vitium deformitatis trahit.

obnoxius æstimatur. Dei autem præceptum non quasi A in tabulis lapideis atramento legimus inscriptum, sed cordibus nostris tenemus impressum spiritu Dei vivi. Ergo opinio nostra ipsa sibi legem facit. Si enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Opinio igitur humana sibi tamquam Dei lex est.

40. Iterum hinc aliam faciunt quæstionem, ut ad invicem mandati ejus quod diximus in hominis opinionem consistere, hanc ipsam opinionem **162** impressam a Deo nobis tamquam præscriptum divinæ legis accusent. Noverat, inquit, hominem peccaturum qui creavit eum, et has opiniones boni et mali impressit, an non noverat? Ut si dixeris quia non noverat, B alienum a majestate Dei sentias: si autem dixeris quia sciens Deus peccaturum hominem, communes tamen opiniones ei boni et mali impressit; ut propter admixtionem malorum vitæ perpetuitatem servare non posset, sicut in illo non præsumptum futuri, ita in hoc non bonum Deum significare videaris. Atque hinc argumentantur quia non est creatura hominis a Deo facta. Nam sicut supra ostendimus eos dicere quod non est mandatum Dei, sic et hic dicunt: Non ergo creatura hominis a Deo, quia Deus malum non fecit. Homo autem opinionem accepit mali, dum a malis præcipitur abstinere. Hoc autem genere alium bonum Deum, alium operatorem hominis conantur asserere. Quibus respondendum est illico secundum opinionem suam. Si enim hominem nolunt a Deo factum, C quia peccator est homo, et hoc refugiunt, ne bonus Deus peccatorem fecisse videatur, quia non putant bonum qui fecerit peccatorem; dicant utrum operatorem hominis a Deo factum putent. Si enim a Deo factus est ille, ut dicunt, operator hominis, quomodo bonus Deus operatorem mali fecit? Utiq̄ue non bonus, nam qui peccatorem facit non bonus; cavendum ne gravius sit operatorem peccatoris fecisse. Debit enim bonus Deus prohibere nativitatem ejus, qui peccati substantiam habebat inducere. Quod si dicunt non esse genitum operatorem mali, requirendum utrum bonus Deus potuerit inhibere quoquo modo incipientem malitiam, an non potuerit? Si enim non potuit, infirmus: si potuit, et non fecit, non bonus. Ergo si sibi ista non congruunt, nec D suæ sibi hæreticorum conveniunt opiniones, requiremus ne forte rationis fuerit, qua causa Deus sive geniti sive non geniti illius operatoris siverit malitiam introire in hunc mundum, cum possit inhibere.

41. Itaque servantes unum et eundem Deum bonum atque operatorem, id si possumus, astruamus, quod gratiæ^a utrique conveniat, nec accusationis

^a Rom. edit., quod gratiæ utrique conveniat. Melius aliæ cum miss.... utrique conveniat, id est, gratiæ Dei boni, et operatoris.

^b Mss. Th., Div., Big. et Gem., Communicat: non male; in sacris enim litteris idem est commune, quod pollutum seu inquinatum. Et post tria vel quatuor

eorum declinemus invidiam, qui ita dicunt: Quomodo bonus Deus qui non solum passus est introire in hunc mundum malitiam: sed etiam in tantam confusionem venire permisit. Verum hæc accusatio tunc locum haberet, si ita animæ vim et intima secreta mentis inficeret; ut nullo pacto posset aboleri, et immedicabilium vulnerum menti atque animæ nostræ virus insideret; esset enim aprior hujus querelæ locus, quod cum omnia possit Deus, hominem tamen perire sit passus. Verum cum Deus nostri misericors respuendi erroris remedia reservaverit, abolendique omnis contagii non aboleverit facultatem; quomodo irrationabile vel injustum est, si permisit nostrum materiale tentari quadam trepidatione fragilitatis humanæ; ut sceleratior postea gratia per penitentiam delictorum in hominis rediret affectum, et fragilitatis suæ conscius quod tam facile a divinorum mandatorum **163** serie deviando trepidaverit, tamquam clavum animæ fluctuantis mandata coelestia timeret amittere; divinæ misericordiæ plus tribuens quod recepit amissum, et sibi aliquid usurpans gratiæ quod revertatur.

CAPUT IX.

An decuerit a Deo præceptum homini de cibo dari; et cur in proponenda poena non dictum fuerit, moriemini, sed morte moriemini?

42. Nunc quæ sit illa ratio consideremus, quid sit istud quod cum mandatum daret homini, de illa admirabili beataque vita præscribens, ne contra faciens morte moreretur, de manducando et non manducando putaverit esse mandandum. Sunt enim qui putant nequaquam mandatum istud convenire cœli et terræ atque omnium Creatori; nequaquam dignum incolis paradisi, eo quod illa vita similis Angelorum sit. Et ideo non terrenum et corruptibilem hunc cibum esui fuisse possumus æstimare; quia qui non bibunt, neque manducant, erunt sicut angeli in cœlo. Cum igitur in cibo neque præmium sit, quia esca nos non commendat Deo; neque magnum periculum sit, quia non quod intrat in os,^b coinquinat hominem, sed quod exit de ore: videtur sine dubio a tanto auctore non esse præceptum, nisi hunc cibum ad illum propheticum referas, quia pro magno præmio Dominus sanctis pollicetur suis: *Ecce qui serviunt mihi, manducant: vos autem esurietis* (Esai. Lxv, 15). Hic est enim cibus in quo vita definitur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis vivus atque coelestis ipse Dominus est, qui vitam dat huic mundo. Unde et ipse ait: *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam* (Joan., vi, 54). Erat ergo panis aliquis de quo præscriperat edendum paradisi incolis. Quis ille? Accipe

verba mss. Big., Gem., Mich., videatur; Rem., Th., videtur sine dubio tanto auctore præceptum; S. Theod., indignum tanto auctore. Edit. Gill. ac Rom., a tanto auctore præceptum; Div. Laud. cum edit. Am. et Era., sine dubio a tanto auctore non esse præceptum.

quem dicat : *Panem*, inquit, *angelorum manducavit* A homo (*Ps. LXXVII, 25*). Est enim bonus panis, si facias voluntatem Dei. Vis scire quam bonus panis? Ipse Filius manducat hunc panem, de quo ait : *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælis est* (*Joan. IV, 34*).

43. Iterum videamus qua ratione Dominus Deus Adæ dixerit, *morte moriemini* : quid intersit, utrum aliquis dicat, *moriemini*, an addat, *morte moriemini*. Ostendere enim debemus nihil superfluum in Dei esse mandato. Itaque hoc arbitror. Cum duo sibi sint contraria mors et vita, secundum simplicem sermonem a vita vivere dicimus, a morte mori. Si autem geminare velis utramque, quia vita vitam facit, dicitur, *vita vivit*, sicut habes in lege. Et quia mors mortem facit, dicitur, *morte morietur*. Non est autem superflua ista geminatio : est enim vita ad mortem, et est mors ad vitam ; quia quis et dum vivit, **164** moritur ; et dum moritur vivit. Fiunt ergo quatuor distinctiones vita vivere, morte mori, a morte vivere, vita mori. Cum igitur hæc ita se habeant, usus et consuetudinis præjudicium debemus excludere ; quia usus hoc habet ut communiter dicatur vivere, et qui vitæ ^b vivit, et qui morti vivit : et communiter dicatur mori vel ille qui morti moritur, vel ille qui vitæ moritur. Itaque ex quatuor illis duo significat, ut dicat viventem vivere, nec melius deteriusque distinguat, et dicat morientem mori, nec inter malam et bonam mortem videatur esse discretio. Nam indiscreta quædam vita significatur, qualis irrationalium aut etiam parvulorum, et indiscreta mors æque.

44. Sequestrato igitur usu communi, quid sit vita vivere, et quid sit morte mori, et quid sit vivere morti, et mori vitæ consideremus. Puto enim secundum Scripturas, quia vita vivere admirabilem quamdam illam vitam beatamque significet, et hunc vivendi usum spirandique munus cum beatæ vitæ gratia veluti conjunctum, et quadam participatione permixtum demonstrare videatur. Hoc est enim vita vivere, virtute vivere, beatæ vitæ actus habere in istius corporis vita. Contra autem morte mori quid est aliud, nisi cum morte corporis deformitatem significare morientis, cujus et caro communi vivendi munere defraudetur, et anima vitæ æternæ usum habere non possit? Est etiam qui vita moritur, ut ^D qui vivit corpore, sed actu moritur suo : quales illi sunt, de quibus ait Propheta : *Descendant in infernum viventes* (*Ps. LIV, 16*). Et illa de qua Apostolus dicit : *Quoniam vivens mortua est* (*I Tim. LVII, 6*). Quartum superest, quod sunt qui etiam morte vivunt, ut mar-

^a Mss. omnes, *morte vivere, vita mori*. At contra edit., *morti vivere, vitæ mori*.

^b Mss. S. Th., *vel ille qui morti moritur, vel ille qui vitæ*. Itaque ex quatuor illis, etc. Rem., *vel ille qui morte moritur, vel ille qui vita vivit*. Itaque, etc., in quorum neutro habetur, *et qui vitæ vivit, et qui morti vivit*.

^c Ms. Rem., *moriuntur carne, sed vivunt gratia mortuorum*.

tyres sancti, qui utique moriuntur ut vivant. Moritur ^e caro, sed vivit gratia mortuorum. Ergo absit a nobis, ut participes mortis vivamus : sed contra participes vitæ moriamur. Sanctus enim nec vitæ istius se vult esse participem, qui ait : *Cupio dissolvi, et cum Christo esse ; multo enim melius* (*Philip. I, 3*). Et alius, *Heu me, quod incolatus meus prolongatus est* (*Ps. CXIX, 5*)? Dolens utique cum consortia vitæ speret æternæ, istius vitæ fragilitate se contineri. Et ideo possum e contrario dicere, quia etsi vitæ vivere bonum est ; vitæ tamen vivere ambiguum sit, Potest enim dici quis vitæ vivere, hoc est, vitæ æternæ istius vita corporis militare. Potest etiam dici vitæ vivere, hoc est, vel quemcumque, vel sanctum istius vitæ habere desiderium corporalis ; ut verbi gratia, si quis ideo honeste putet esse vivendum, ut is longævitate vitæ bonis actibus consequatur, quales plerique infirmiores sunt quos hæc vita delectat.

45. Sicut ergo vitæ vivere quid sit accepimus, quid sit morti mori accipiamus, vel morti ^d vivere. Possunt enim esse qui moriantur morti, et qui vivant vitæ. Nam ^e qui non ita vivit, ut secundum mortem animæ suæ vivat, is morti moritur, **165** quia non est obnoxius morti, id est, nexus eum ærumnosæ mortis amisit, non constringitur vinculis mortis æternæ. Mortuus est morti, hoc est, mortuus est peccato, mortuus est pœnæ : cui contrarium est pœnæ vivere, hoc est, quando quis vivit ad pœnam, vivit ad mortem. Qui autem moritur ad pœnam, moritur ad mortem. Est etiam qui in hac vita positus moriatur ad vitam, sicut ille qui ait : *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Galat. II, 20*). Peccato enim mortuus est, Deo vivit, hoc est, mors in eo mortua est, sed vita vivit, qui est Dominus Jesus. Ergo bona vita eorum qui Deo vivunt, mala vita eorum qui peccato vivunt. Est etiam media vita, ut animantium cæterorum, sicut habes scriptum : *Producat terra animam viventem secundum genus* (*Gen. I, 24*). Est etiam vita mortuorum, ut Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ; quia Deus mortuorum non est, sed vivorum. Sunt etiam quibus communitas est quædam mortis et vitæ, de quibus ait Apostolus dicens : *Si commortui estis, et convivetis. Si enim complantati, inquit, sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus : scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci ; ut destruat corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui ^f enim mortuus est, justificatus est a peccato* (*Rom. VI, 5*). Sicut autem figuras multas vitæ diximus, ita etiam mortis inveniemus. Dici-

^d Mss. et vet. edit. magno consensu, *vel morte mori*.

^e Mss. S. Rem. et S. Th., *Nam qui non vitæ vivit, secundum mortem animæ suæ vivit. Is morti moritur, qui non est obnoxius, etc.*

^f Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Hæc in mss. quinque desiderantur.

tur enim mors mala, secundum illud: *Anima quæ peccat, ipsa morietur* (Ezech. xviii, 20). Dicitur et mors communiter, sicut habes verbi gratia: ^a Quia Adam vixit tot annos, et mortuus est, et appositus est ad patres suos. Dicitur etiam mors per baptismatis sacramentum, sicut habes: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in morte* (Rom. vi, 4). Et alibi: *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus etiam quod simul vivemus cum illo* (Ibid. 8). Vides quia mors quidem ^b appellatione dicatur, sed hæc vita sit nostra.

CAPUT X.

Cur hominem Deus non approbarit nisi post factam mulierem, et id maxime quod per hanc ille deceptus peccaverit; itemque cur eadem non de terra, ut Adam, sed de costa ejus creata sit?

46. Item alia quæstio, quia dixit Dominus: *Non est bonum solum esse hominem* (Gen. ii, 18). Primo omnium cognosce quia in superioribus, ubi hominem fluxit Deus de limo terræ, non addidit: *Et vidit Deus quia bonum est* (Gen. i, 11 et seq.), quemadmodum in singulis operibus suis. Nam si dixisset illic bonum esse, quia homo factus est, inveniretur hoc esse contrarium, ut hic non esse bonum diceret, cum in superioribus bonum esse dixisset. Sed hoc ibi cognosce, ubi solum Adam fecit. Cæterum ubi communiter comprehendit et virum et mulierem factos, licet ne ibi quidem dixerit specialiter; tamen quia postea habes: *Vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce erant bona valde* (Gen. i, 31), evidenter declaratur bonum esse quod et vir sit factus, et mulier.

47. Sed ex hac quæstione alia quæstio rursus **166** emergit. Quomodo enim quando solus factus est Adam, non dictum est bonum esse factum Adam: quando autem et mulier ex eo facta est, tunc esse bona omnia comprehensum est? Licet illic omnem laudaverit creaturam, et universitatis creatio sit probata, quoniam in homine ^c naturæ prædicta communitas est: tamen non videtur otiosum, qua ratione ubi solus factus est Adam, non solum nequaquam prædicatio boni complacito operi adjecta sit; sed etiam dictum sit non esse bonum solum hominem; cum sciamus quod antequam fieret mulier, non erraverit Adam; postea vero quam mulier est facta, prior divinum prævaricata mandatum, etiam virum suum traxerit in errorem, et incentivum ejus exstiterit. Si igitur vero culpæ auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta? Verum si consideres quia Deo universitatis est cura, invenies plus placere Domino debuisse id in quo esset causa universitatis, quam condemnandum fuisse illud in quo esset causa peccati. Et ideo quia ex viro solo non poterat huma-

^a Ita mss. et vet. edit. Rom., *Abraham vixit annos. ad populum suum.* Haud male forsitan legeretur, *Quia quidam*, etc. ut esset exemplum indeterminatum. Sed sine auctoritate in textum nihil intrudimus.

^b Ita mss. Vat., Th., Div., S. Th., Laud. et edit. Am. et Era. M.s. vero Big., Gem. et Mich., *vides*

ni esse generis propagatio, pronuntiavit Dominus non esse bonum solum esse hominem. Maluit enim Deus plures esse quos salvos facere posset, et quibus donaret peccatum, quam unum solum Adam, qui liber esset a culpa. Denique quia idem utriusque auctor est operis, venit in hunc mundum, ut salvos faceret peccatores. Postremo nec Cain parricidii reum priusquam generaret filios, passus est interire. Ergo propter generationem successionis humanæ debuit mulier adjici viro (Vid. S. Aug. l. ii contra Jul. Pel., c. 7, n. 20). Denique hoc ipsa verba declarant dicentis Dei, non bonum solum esse hominem. Nam etsi mulier prior peccatura erat, tamen redemptionem sibi paritura non debuit ab usu divinæ operationis excludi. Quamvis enim Adam non est seductus, mulier autem seducta et in prævaricatione fuerit, salva tamen, inquit, erit per filiorum generationem, inter quos generavit et Christum (I Tim. ii, 14 et 15).

48. Nec illud otiosum (53, q. 5, c. *Nec illud*), quod non de eadem terra de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier; ut sciremus unam in viro et muliere corporis esse naturam, unum fontem generis humani. Ideo non duo a principio facti vir et mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres, sed primum vir, deinde ex eo mulier. Unam enim naturam volens hominum constituere Deus, ab uno principio creaturæ hujus incipiens multarum et disparium naturarum eripuit facultatem. *Faciamus*, inquit, *ei adjutorium simile sibi* (Gen. ii, 18). Adjutorium ad generationem constitutionis humanæ intelligimus. Et vere bonum adjutorium. Nam si pro meliore accipis adjutorium, major quædam in causa generationis operatio mulieris reperitur; sicut istius terræ quæ semina primo accepta cohibendo paulatim fotu suo adolescere facit, et producit in segetem. In eo igitur adjutorium bonum mulieris, quamquam etiam inferior dicatur adjutor; ut et in usu reperimus humano, quia dignitate potiores **167** plerumque adjutorem meriti inferioris adsciscunt.

CAPUT XI.

Quomodo animalia ducta fuerint ad Adam; quid sopor ejusdem et costæ ædificatio nos doceat; quid etiam memorata animalia in paradysum adducta significant; et quo pacto justi in paradysum rapiantur?

49. Specta nunc cur Deus adhuc fluxerit de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli et adduxerit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Qua ratione hoc factum est, cum tantummodo bestias agri, et volatilia cœli ad Adam adduxerit Deus? Erant enim pecora secundum genus suum. Denique habes infra: *Quia imposuit Adam nomina omnibus pecoribus, et omnibus bestiis agri. Adæ autem non est inventus ad-*

quia mors quidem appellatione judicatur, sed hæc, etc. Edit. Gil., *vides dicatur sed hæc vita, vita sit nostra.* Rom. denique, *vides quia hæc mors dicatur, sed vita sit nostra.*

^c Ita sex mss. et edit. vet. Codex Div. et Rom. edit., *creaturæ prædicata*, etc. At Rem. ac Th., *quoniam in bona naturæ prædicata.*

jutor similis illi (Gen. ii, 20). Quæ igitur absolutio est, nisi quia indomitæ bestię, et volatilia cœli divina potestate ad hominem deducuntur? De pecoribus autem domitis congregandis et homo habuit potestatem. Itaque illud divinæ operationis fuerit, hoc humanæ diligentię. Simul accipe qua cāusa omnia deducta sint ad Adam, ut in omnibus videret ex utroque sexu substantiam constare naturæ, id est, ex masculo et femina, et ipse usu exemploque cognosceret necessarium sibi consortium mulieris adjutum.

50. *Et immisit, inquit, Deus soporem in Adam, et obdormivit* (Ibid., 21). Quis est iste sopor, nisi quia paulisper ad conjugium copulandum cum intendimus animum, veluti intentos oculos ad Dei regnum inclinare atque inflectere videmur ad quemdam somnum istius mundi, et paulisper obdormire divinis, dum in sæcularibus mundanisque requiescimus? Denique posteaquam soporem immisit in Adam, et dormivit, tunc *ædificavit Dominus Deus costam quam sumpsit de Adam in mulierem*. Bene, *ædificavit*, dixit, ubi de mulieris creatione loquebatur, quia in viro et muliere domus videtur quædam plena esse perfectio. Qui sine uxore est, quasi sine domo sit, sic habetur. Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur. Considera quia ex corpore costam sumpsit, non ex anima portionem; hoc ^a est, non anima ex anima, sed os de ossibus meis et caro de carne mea hæc vocabitur mulier.

51. Ergo causam humanæ generationis agnovimus. Sed quia plerosque movet qui diligentius intuentur, quomodo si vel primo magnum munus Dei fuit circa homines, ut in paradiso homines collocarentur, vel postea magnorum remuneratio videretur esse meritorum, ut ad paradysum justus unusquisque rapiatur, dicuntur etiam bestię et pecora agri, et volatilia cœli in paradiso fuisse. Unde plerique paradysum animam hominis esse voluerunt, in qua virtutum quædam germina pullulaverint: hominem autem et ad operandum, et ad custodiendum paradysum esse positum, hoc est, mentem hominis cujus virtus animam videtur excolere, nec solum excolere, sed etiam cum excoluerit, custodire. **168** Bestię autem agri, et volatilia cœli quæ adducuntur ad Adam, nostri irrationabiles motus sunt, eo quod bestię vel pecora, quædam diversæ sint corporis passiones, vel turbulentiore, vel etiam languidiore. Volatilia autem cœli quid aliud æstimamus, nisi inanes cogitationes quæ velut volatiliū more nostram circumvolant animam, et huc atque illuc vario motu sæpe traducunt? Propterea nullus inventus est menti nostræ similis adjutor, nisi sensus, hoc est, *αἰσθησις*. Similem sibi solam *νοῦς* noster potuit invenire.

52. Sed forte arguas, quia hæc quoque Deus in

^a Ita mss. omnes cum ant. edit. At Rom. edit., hoc est, non animam ex anima, sed os de ossibus, et carnem de carne. Hæc mulier vocabitur.

^b Mss. Rem. et Div., de cogitatibus judicare.

^c Mss. Gem., S. Th. et S. Mich., factus es unus

A tali paradiso locavit, hæc est, passiones corporis, et vanitatem quamdam fluctuantium vel inanium cogitationum, quod ipse nostri fuerit auctor erroris. Considera quid dicat: *Habete, inquit, potestatem piscium maris, et volatiliū cœli, et omnium repentium quæ repunt super terram* (Gen. i, 28). Vides quod ille tibi tribuerit potestatem; ut de omnibus judicare tu debeas, singulorum genera judicii tui sobria definitione discernere. Vocavit ad te omnia Deus; ut supra omnia mentem tuam cognosceres. Cur quæ tibi similia minime reperisti, adsciscere tibi et copulare voluisti? Dedit tibi certe sensum quo universa cognosceres, et ^b de cognitis judicares, meritoque de illo fecundo paradysi agro ejectus es, quia non potuisti servare mandatum. Sciebat enim Deus esse te fragilem, sciebat judicare non posse; ideo dixit quasi fragilioribus: *Nolite judicare ut non judicemini* (Matth. vii, 1). Ergo quia scivit infirmum te esse ad judicandum, voluit obedientem esse mandato; ideo præceptum posuit. Quod si non prævaricatus esses, periculum incerti judicii incidere nequivisses. Itaque quoniam judicare voluisti, ideo addidit: *Ecce Adam ^c factus est tamquam unus ex nobis, ut sciat bonum et malum* (Gen. iii, 22). Voluisti tibi arrogare judicium, ideo poenam pravi judicii refutare non debes. Posuit tamen te contra paradysum, ne memoriam ejus possis abolere.

53. Denique justī in paradysum sæpe rapiuntur, sicut et Paulus raptus est in paradysum, et audit verba ineffabilia. Et tu si a primo cœlo ad secundum, a secundo ad tertium mentis tuæ vigore rapiaris, hoc est, quod primum unusquisque homo est corporalis, secundo animalis, tertio spiritalis: si ita rapiaris ad tertium cœlum, ut videas fulgorem gratiæ spiritalis (animalis enim homo quæ sunt spiritus Dei nescit), et ideo tertii cœli ascensio tibi est ^d necessaria, ut rapiaris in paradysum: rapieris jam sine periculo, ut possis dijudicare omnia, quia spiritalis dijudicat omnia, ipse autem a nemine dijudicatur. Et fortasse quasi adhuc fragilis, audies verba ineffabilia quæ non liceat homini loqui: et tunc quod acceperis reservato, et quod audieris custodito. Paulus apostolus custodiebat ne laberetur, vel alios certe faceret errare. Aut fortasse ideo dicit Paulus, *quæ nqn liceat homini loqui* (II Cor. xii, 6 et 7); quia erat adhuc in corpore constitutus, hoc est, videbat istius corporis passiones, videbat legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ (Vid. S. Aug. l. ii contra Julian. Pel., c. 5, n. 13). Hoc enim malo intelligi, ne videamur quemdam **169** adhuc futuri periculi ^e jactare terrorem. Si enim vel propter hanc vitam securitas, ut nullos prævaricationis post hanc futuræ laqueos formidemus: ergo quicumque fuerit in paradiso ascensione virtutis audiet mysteria Dei arcana illa atque secreta: audiet dicen-

ex nobis, ut scias bonum et malum.

^d Mss. Gem., Big., S. Th. et S. Mich., necessaria. Rapieris in paradysum, rapieris, etc.

^e Ita mss. octo. Alii, et edit. omnes, jactare errorem.

tem Dominum ^a tamquam latroni illi a scelere ad A confessionem, et ad fidem a latrocinio revertenti: *Hodie mecum eris in paradiso (Luc. xxiii, 43).*

CAPUT XII.

Serpentis qualis fuerit sapientia: quomodo mulierem aggressus sit; qualisque hujus responsio, quam longa digressio de quadam circa eam rem dubitatione consequitur.

54. *Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum^b quæ erant super terram, quas fecit Dominus Deus, et dixit serpens mulieri: Quid utique dixit Deus, ne edatis ab omni ligno quod est in paradiso (Gen. iii, 1)?* Cum dicit sapientior serpentem, intelligis quem loquatur, id est, illum adversarium nostrum qui tantum habet hujus sapientiam mundi (*Vid. S. Aug. lib. ii contra Jul. Pel., c. 5, n. 15*). Sed et voluptas atque delectatio bene sapiens dicitur, quia et sapientia carnis ^c appellatur sapientia, sicut habes: *Quia sapientia carnis inimica est Deo (Rom. viii, 7)*. Et ad exquisita delectationum genera astuti sunt, quia appetentes sunt voluptatum. Sive ergo delectationem intelligas, quædam est divino adversa mandato, et inimica sensibus nostris. Unde sanctus Paulus ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati (Rom. vii, 23)*. Si autem ad diabolum referas, verus inimicus est generis humani. Quæ autem causa inimicitiarum nisi invidia? Sicut Salomon ait: *Quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (Sap. ii, 24)*. Invidiæ autem causa beatitudo hominis in paradiso C positi, et ideo quoniam ipse diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, invidit homini, eo quod figuratus e limo, ut incola paradisi esset, electus est. Considerabat enim diabolus quod ipse qui fuisset superioris naturæ, in hæc sæcularia et mundana deciderat; homo autem inferioris naturæ sperabat æterna. Hoc est ergo quod invidet dicens: *Iste inferior adipiscitur quod ego servare non potui? Iste de terris migrabit ad cælum, cum ego de cælo lapsus in terra sim? Multas vias habeo quibus hominem decipere possim. De limo factus est, terra ei mater est, corruptibilibus involutus est. Et si anima superioris naturæ, tamen et ipsa lapsui potest esse obnoxia, in corporis carcere constituta; quando ego lapsum vitare non potui. Est igitur via prima, ut decipiatur, D dum conditione sua majora desiderat. Hic enim quidam conatus est industriæ. Deinde carnis est, quod non habeat, desiderare. Postremo in quo videor ego omnibus esse sapientior, nisi circumscribam hominem, et versutia et fraude contendam? Itaque machinatus est, ut non primo Adam adoriretur, sed Adam per mulierem circumscribere conaretur. Non adorsus est eum qui coram acceperat cœleste mandatum: sed eam 170 adorsus est quæ a viro didicerat, non a*

Deo quid observaret, acceperat. Neque enim habes quia mulieri dixit Deus, sed quia Adæ dixit; et ideo per Adam cognovisse mulier æstimanda est.

55. Cognoscens igitur hoc loco tentamenti genus, plurima etiam aliis locis tentamenti genera reperies. Alia sunt per principem istius mundi, qui quædam venena sapientiæ in hunc mundum evomuit; ut vera putarent homines esse quæ falsa sunt, et specie quædam hominum caperetur affectus. Non enim semper quasi apertus hostis ingreditur: sed sunt quædam potestates quæ amorem simulent, gratiamque prætentant; ut paulatim cogitationibus nostris venenum suæ iniquitatis infundant, a quibus oriuntur illa peccata quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate nascuntur. Sunt etiam aliæ potestates quæ veluti colluctantur nobiscum. Unde et Apostolus ait: *Quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, et potestates, et rectores hujus mundi, tenebrarum harum, adversus nequitiam spiritualium quæ sunt in cœlestibus (Ephes. vi, 12)*. Volunt enim hac quadam contentione nos frangere, et veluti quoddam animæ nostræ corpus elidere. Unde et Paulus quasi bonus athleta non solum ictus adversantium potestatum vitare cognoverat, verum etiam adversantes ferire. Unde et ait: *Percutio pugnis, non ut aera cædens (I Cor. ix, 26)*. Et ideo quasi bonus athleta ad coronam meruit pervenire. Ergo multiplicia tentamenta sunt diaboli. Et ideo bilinguis serpens habetur atque lethalis, eo quod diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. Sunt et alii ministri qui et cordis et vocis suæ infectas veneno veluti verborum suorum jaclant sagittas, quibus Dominus ait: *Generatio viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali (Matth. xii, 34)?*

56. *Et dixit serpens mulieri: Quid utique dixit Deus, ne edatis ex omni ligno quod est in paradiso? Et dixit mulier serpenti: Ex omni ligno paradisi manducabimus: de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus: Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, ne moriamini (Gen. iii, 2 et 3)*. Cum audieris sapientior omnibus esse serpentem, hic ejus jam quære versutiam. Simulat se verba Dei dicere, et ^d proprios intexit dolos. Cum enim dixisset Deus: *Ex omni ligno quod est in paradiso edetis ad escam: de ligno autem quod est scientiæ boni et mali non edetis, qua die autem manducabitis ex eo, morte moriemini (Ibid. ii, 16 et 17)*; serpens quasi interrogans mulierem, cum dixisset Deus: *Ex omni ligno quod est in paradiso edetis: de ligno autem uno non edetis, inseruit mendacium, ut diceret: Ab omni ligno non edetis: cum de uno tantum ligno scientiæ boni et mali præceperit Deus non esse gustandum. Qua ratione autem fefellerit, nihil mirum, quia iis qui aliquem circumscribere conantur, consuetudo est fal-*

^a Mss. decem optimæ notæ, ac vet. edit., ad fidei latrocinium. Quatuor cum edit. Rom., ad fidem a latrocinio.

^b Antiqui aliquot mss., quæ repunt super terram.

^c Ms. Div., appellatur sapientia, quæ est divino mandato adversa.

^d Rem., et propius intexit dolos.

lere. Non est igitur interrogatio otiosa serpentis. Sed ut scias in mandato nullum vitium esse potuisse, respondit mulier, ut habes : *Ex omni ligno paradisi manducabimus : de fructu autem ligni quod est in medio paradiso, dixit Deus : Non manducabitis ex eo, neque tangetis* **171** *ex eo, ne morte moriamini.* In mandato quidem nullum vitium est, sed in relatione mandati. Etenim quantum præsens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia jungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas, vel detrahas, prævaricatio quædam videtur esse mandati. Pura enim (3 qu. ix, c. Pura) et simplex mandati forma servanda, vel testimonii series intimanda est. Plerumque testis dum aliquid ad seriem gestorum ex suo adjicit, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur vel quod bonum videtur, addendum est. Namque hic quid offensionis habet prima specie quod addidit mulier : *Neque tangetis ex eo quidquam? Tangentis enim Deus non dixerat, sed non edetis.* Sed tamen lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, superfluum addidit, vel addendo de proprio semiplenum intellexit Dei esse mandatum. Docet igitur nos præsentis series lectionis neque detrahere aliquid divinis debere mandatis, neque addere. Nam si Joannes hoc iudicavit de suis scriptis : *Si quis apposuerit, inquit, ad hoc, adjiciet in illum Deus plagas, quæ scriptæ sunt in libro isto : et qui dempserit de verbis his prophetiæ hujus, delebit Deus partem illius de libro vitæ (Apoc. xxii, 18 et 19) : quanto nihil divinis mandatis est detrahendum !* Hinc ergo cœpit prævaricatio prima esse mandati. Et plerique putant hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse : ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, ut adderet mandasse Deum : *Neque tangetis ex eo quidquam.* Habemus enim quia Adam, non Eva mandatum acceperit a Deo. Nondum enim mulier formata fuerat. Ipsa quidem verba Adæ quibus mulieri dixit formam seriemque mandati, non prodit lectio : sed intelligimus per virum ad mulierem seriem transisse mandati. Viderint tamen alii quid sentiant ; mihi tamen videtur a muliere cœpisse vitium, inchoasse mendacium. Nam etsi de duobus videatur incertum, tamen sexus prodit qui prius potuerit errare. Adde quia præjudicio illa constringitur, cujus et postea prior error inventus est. Viro enim mulier, non mulieri vir auctor erroris est. Unde et Paulus ait : *Adam, inquit, non est deceptus : mulier autem seducta in prævaricatione fuit (I Tim. ii, 14).*

57. Nunc videamus utrum præter adjectionem quæ mandato est applicata, quod additum est obfuisse videatur. Nam re vera si bonum est : *Neque tangetis ex eo*, et ad cautionem proficiebat, cur Deus hoc minime interdixit, immo non interdicens permisisse videatur ? Itaque utrumque quærendum, qua ratione nec permiserit, nec interdixit. Sunt enim qui dicant, Qua ratione ^a quod fecit videri, non jussit et tangi ? Verum cum in eo ligno audieris naturam

^a Mss. Big., S. Th., Torn., Colb., quod fecit, edi non, etc. ; Gem., quod fecit edendum ; Mich., quod fecit, edere non jussit, et tangi non prohibuit.

A fuisse scientiæ boni et mali, potest æstimari quia noluit te malum tangere. Satis est enim nobis videre Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, secundum vocem Domini (Luc. x, 18), et ^b dantem escam non luminis, sed noctis et tenebrarum filiis ; quia scriptum est : *Dedit eum in escam populis Æthiopum (Ps. lxxiii, 14).* Hoc igitur de eo dictum est, quod non mandaverit **172** tangi. Quod autem non prohibuerit, quid intelligam accipe. Sunt multa quæ noceant, si ante voluerimus haurire, quam quæ sint illa cognoscere. Nam et de cibis et potu plerumque usu venit. Quippe si id quod amarum est, ante cognoscas, induis patientiam ; et si intelligas illa quæ sunt amara prodesse, induis tolerantiam, ne offendat amaritudo te repentina, et incipias rejicere profutura. Prodest ergo ante cognoscere ; ut ex eo quod cognoveris profuturum, nec amara fastidias. Sed hæc minus nocere possunt : illud quod magis, nisi provideatur, nocere possit, advertite.

58. Gentilis quidam est, ad fidem tendit : catechumenus est, majorem vult accipere doctrinæ et fidei plenitudinem ; caveat ne dum vult discere, male discat, et discat a Photino, discat ab Ario, discat a Sabellio : tradat se hujusmodi magistris quorum quædam eum teneat auctoritas ; et inductus quadam magistrorum præsumptione, teneris sensibus impressa dijudicare non noverit. Prius igitur oculis mentis perspiciat ^c quid sequatur : videat ubi vita sit : tangat denique divinarum vitalia lectionum, ut nullo pravo offendatur interprete. Legit illi Sabellius : *Ego in Patre, et Pater in me (Joan. xiv, 10)*, et dicit unam esse personam. Legit Photinus : *Quia mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I Tim. ii, 5)*. Et alibi : *Quid me vultis occidere hominem (Joan. viii, 40) ?* Legit etiam Arius quia dixit : *Quoniam Pater major me est (Joan. xiv, 28)*. Legitur quidem manifestum : sed qua ratione dictum sit, debet ante pertractare secum, ut rationem dictorum possit advertere. Ducitur quadam magistrorum auctoritate ; et profuisset ei non quæsisse, quam talem invenisse doctorem. Sed etiam gentilis si quis Scripturas accipiat, legit : *Oculum pro oculo, dentem pro dente (Lev. xxiv, 20)*. Legit etiam : *Si scandalizaverit te dextera tua, abscinde illam (Matth. v, 30)* ; non intelligit sensum, non advertit divini arcana sermonis, pejus labitur, quam si non legisset. Et ideo docuit quemadmodum Dei Verbum investigare deberent, non perfunctorie, non improvide, sed diligenter atque sollicitè : *Quod erat, inquit, ab initio, quod audivimus, et quod vidimus, oculis nostris perspeximus, et manus nostræ perscrutatae sunt de Verbo vitæ : et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis (I Joan. i, 1 et 2)*. Vides quod ante velut manibus quibusdam perscrutatus sit Dei verbum, et postea annuntiaverit : et ideo nihil Adæ et Evæ fortasse nocuisset verbum, si pertractantibus diligenter mentis quibusdam manibus ante tetigissent.

^b S. Th. et edit. Era., datum in escam : non male.

^c Mss. SS. Th. et Remig., quem sequatur.

Infirmi enim pertractando, et diligentius requirendo, uniuscujusque quam non intelligunt, possunt investigare naturam. Certe illi infirmi id lignum in quo scientiam mali esse cognoverant, ante quemadmodum tangerent, debuerant perscrutari. Nam et mali sæpe nobis potest prodesse cognitio. Et ideo diaboli fraudes vel in hac legimus lectione, vel in prophetia (*Ezech. xxviii, 18*), ut discamus quemadmodum artes ejus cavere possimus. Cognoscenda sunt enim tentamenta ejus, non ut sequamur, sed ut docti instructique caveamus.

173 59. Sunt hoc loco qui dubitationem habeant, ^a utrum ex omni ligno ita dixerit Deus esse gustandum, ut cum de omni ligno, ita de scientiæ boni et mali ligno gustaretur; an vero de omni ligno gustandum, de solo ligno scientiæ boni et mali dixerit non esse gustandum? Qui ne id quidem putant inutilis esse rationis, quod quamvis noxia esca hujus ligni fuerit; tamen si cum cæteris ederetur, noxia esse non possit: quandoquidem etiam antidotum theriacum de corpore serpentis confici solere dicitur, quod utique virus corpusque serpentis, cum solum sumitur, nocet; cum admiscetur aliis, sanitati est et saluti. Scientia quoque boni et mali, si quid scientiæ habeat, si quis vitæ semper intendat, si quis cætera virtutum genera consequatur, nequaquam inutilis æstimatur. Hac igitur ratione plerique putaverunt posse etiam illud intelligi; ut videatur Deus id inhibuisse, ne absque cæteris solum lignum scientiæ boni et mali gustaretur, non prohibuisse cum cæteris. Et hoc ideo putant dictum, quia ait Deus ad Adam: *Quis tibi indicavit quoniam nudus es, nisi de ligno a quo præceperam tibi, ab hoc solo ne manducares, manducasti* (*Gen. iii, 11*)? Quod videretur dare aliquem interpretandi locum, nisi mulier in superioribus, dicente serpente: *Quid utique dixit Deus, ne edatis ab omni ligno quod est in paradiso: respondisset: ^b Quod est in medio paradiso, dixit Deus: Non manducabitis ex eo.* In quo quamvis mulieris prævaricatoriæ fides videatur infirmior, tamen non omnibus Adam spoliabo virtutibus, ut videatur in paradiso nullam assecutus fuisse virtutem, nihil de cæteris gustavisse lignis, ^c priusque culpam incidisse, quam fructus esse aliquos consecutus. Non spoliabo ergo Adam, ne genus humanum omne dispoliam, quod innocens est antequam sensum accipiat scientiæ boni et mali. Neque enim otiose dictum est: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth. xviii, 3*). Puer enim cum maledicitur, non remaledicit: cum percutitur non repercutit: ambitionum et rapinarum tentamenta non novit.

^a Ita mss. septem cum edit. antiq. In mss. vero totidem deest, *de solo ligno scientiæ boni et mali dixerit non esse gustandum.* At Rom. edit. totum locum sic exhibebat: *habeant, cum ex omni ligno dixerit Dominus Adæ: Comedes ex eo; utrum cum omni ligno etiam lignum scientiæ boni et mali dixerit esse manducandum: an vero de omni ligno, de solo autem scientiæ boni et mali dixerit non esse gustandum.*

A 60. Unde verius puto, quod ne cum aliis quidem fructibus lignum edendum esse præceperit. Nam etsi bona scientia perfecto, imperfecto tamen inutilis est. Imperfectum ausim omnem hominem dicere, quando ipse Paulus quasi imperfectus dicat: *Non quoniam acceperim, aut quo jam perfectus sim: sequor autem si comprehendam* (*Philipp. i, 12*). Et ideo imperfectis dicit Dominus: *Notite judicare, ut non judicemini* (*Matth. vii, 1*). Ergo imperfecto inutilis scientia. Denique, *peccatum nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces* (*Rom. vii, 7*). Et infra: *Sine lege enim peccatum mortuum est* (*Ibid., 8*). Quid enim mihi proderat scire quod vitare non poteram? Quid mihi proderat scire quod lex carnis meæ impugnaret? Impugnatur Paulus, et videt *legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ, et captivari se in lege peccati* (*Rom. vii, 23*), nec de conscientia sua præsumit (*Vid. S. Aug. lib. ii contra Jul. Pel., c. 5, n. 13*); sed per Christi gratiam **174** confidit se a mortis corpore liberandum: et tu quemquam opinaris scientem non posse peccare? Paulus dicit: *Non enim quod volo facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago* (*Rom. vii, 19*): et tu arbitraris homini prodesse scientiam, quæ delicti augeat invidiam? Esto tamen ut perfectus peccare non possit. In Adam Deus omnes homines prævidebat, et ideo promiscue generi non conveniebat humano habere scientiam boni et mali, quam per carnis vitia, ut oportebat, exercere non poterat.

CAPUT XIII.

C *Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacii; et de deceptione mulieris, et lapsu Adæ. Quemadmodum etiam cognoverint se esse nudos, et succinctoria sibi fecerint, quidve per ea significetur.*

61. Discamus igitur tentamenta diaboli plena esse mendacii; vix enim unum verum videtur ex iis quæ pollicitus est, reliqua falsa composuit. Sic enim habes: *Et dixit serpens mulieri: Non morte moriemini* (*Gen. iii, 4*). Ecce unum falsum; nam morte mortuus est homo, qui secutus est promissa serpentis. Deinde addidit: *Scit, inquit, Deus quia quacumque die manducaveritis ex eo, adaperientur oculi vestri* (*Ibid., 5*). Hoc solum verum, quia infra habes: *Quia manducaverunt ambo, et aperti sunt oculi eorum* (*Ibid., 7*). Sed hoc verum quod noceret. Denique non omnibus aperire oculos utile, quia scriptum est: *Videbunt et non videbunt* (*Esai. vi, 9*). Sed statim agglutinatum mendacium est, quia adjunxit: *Et eritis sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen. iii, 5*). In quo licet advertere idololatriæ auctorem esse serpentem, eo quod plures deos induxisse in hominum videatur errorem quædam serpentis astutia. Et hoc

^b Rom. edit., *ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni.* Sed hæc in mss. sicut et in vet. edit. desiderantur. Mss. S. Theod. et Laud., *de ligno quod est in medio, etc.*

^c Sic mss. Div., Clar., Torn., S. Th. et edit. Era. Alii mss. atque edit. Am., Gill. et Rom., *priusquam culpam incidisset:*

fefellit, ^a quia homo sicut dii. Non solum enim sicut dii esse homines desierunt, sed etiam qui quasi dii erant, quibus dictum est: *Ego dixi, dii estis*, sui gratiam perdidit (Ps. LXXXI, 6).

62. *Et vidit mulier quia bonum est lignum ad manducandum, et quia gratum oculis ad videndum, et speciosum est ad intuendum* (Gen. III, 6). Infirma auctor iudicii quæ de eo quod non gustaverat, iudicabat. Et ideo non facile, nisi id quod diligentius pertractaverimus, quod interiore probaverimus affectu, videtur ad opus aliquod esse sumendum. Accipiens, inquit, *de fructu ejus manducavit, et dedit viro suo simul, et manducaverunt ambo*. Bene prætermisum est ubi dicitur Adam; quia non sua culpa, sed vitio lapsus uxoris est.

63. *Et aperti sunt, inquit, oculi eorum, et cognoverunt quod nudi essent* (Ibid., 7). Et ante quidem nudi erant, sed non sine virtutum integumentis (*De Pœnit. dist. 2, c. Ut cognoverunt*). Nudi erant propter morum simplicitatem, et quod amictum fraudis natura nesciret. Nunc autem multis simulationum involucris mens humana velatur. Ergo posteaquam spoliatos se illa sinceritate et simplicitate viderunt integræ incorruptæque naturæ, quærere mundana et manufacta **175** coeperunt, quibus nuda suæ mentis operirent: delectationes delectationibus, et mundi hujus umbratiles voluptates velut folia foliis assuentes, quibus obumbrarent genitale secretum. Nam quomodo clausos oculos corporis habuit Adam, qui omnia animantia ita vidit, ut his et nomen imponeret? Quomodo cognoverunt, id est, interiore et altiore scientiâ non tunicam sibi, sed virtutum deesse velamina?

64. *Et assuerunt, inquit, folia ficus, et fecerunt sibi succinctoria* (Ibid. 7). Ficum hoc loco pro qua specie debeamus accipere divinarum nos docet series lectionum: quandoquidem sanctos esse qui sub vite et ficu requiescunt Scriptura memoraverit (*Mich. IV, 4*), et Salomon dixerit: *Quis plantat ficum, et de fructu ejus non manducat* (*Prov. XXVII, 18*), et Dominus ad ficum venerit; sed ideo sit offensus, quia non invenerit fructum, sed folia tantum. Docet ergo me Adam quid sint folia, qui posteaquam peccavit, de foliis ficus fecerit sibi succinctorium, qui de fructibus magis ejus gustare debuerit. Justus fructum eligit, folia peccator. Quis est fructus? **D** *Fructus, inquit, spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, ^b continentia, dilectio* (*Galat. V, 22*). Non habebat fructum, qui gaudium non habebat. Non habebat fidem, qui prævaricatus erat mandatum Dei. Non habebat continentiam, qui de interdicto sibi gustaverat ligno.

65. Ergo quicumque prævaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur; et fit ipse sibi turpis: vult se operire quibusdam ficus foliis, fortasse quibusdam inanibus, vel umbratilibus sermonibus, quos

^a Ita octo mss. melioris notæ, ac edit. vet. Mss. autem SS. Th. et Mich., *quia non homo sicut dii*. S. Remig., *quia homines non sicut dii*. At in Rom. edit.

compositis mendaciis assuens, et verbum de verbo struens, ad operiendam conscientiam suæ mentis, factique velamen peccator intexit, ut pudenda sua contegat. Jacit enim supra se folia, qui culpam velare desiderans aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis præterdit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris. Et de Scripturis divinis frequenter promit exempla, quibus justos in culpam perhibet incidisse, dicens si forte in stupris fuerit deprehensus: Et Abraham cum ancilla concubuit (*Gen. XVI, 4*), et David alienam adamavit et sibi adscivit uxorem (*II Reg. XI, 4 et 27*). Assuit enim sibi quædam folia, quædam exempla de prophetarum serie scripturarum, fructum earum non putat requirendum.

66. Nonne tibi videntur etiam Judæi folia assuere, dum legis spiritalis verba corporaliter interpretantur? Quorum interpretatio fructum omnem viriditatis amittit, damnata maledicto ariditatis æternæ. Bona igitur interpretatio, hoc est, spiritalis ficus est fructuosa, sub qua justis sanctisque requiescunt. Quam qui plantaverit in animis singulorum, sicut Paulus ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit* (*I Cor. III, 6*), manducabit ex ea fructum. Mala autem interpretatio fructum ferre, viriditatem servare non poterit.

67. Quod igitur gravius est (*Vid. S. Aug. II cont. Jul. Pelag., c. 6, n. 16*), hac se Adam interpretatione succinxit eo loco, ubi fructu magis castitatis se succingere debuisset. In lumbis enim quibus præcingimur, quædam semina generationis esse dicuntur; et ideo male ibi succinctus est Adam foliis inutilibus, ubi futuræ generationis **176** non fructum futurum, sed quædam peccata signaret; quæ manserunt usque in adventum Domini Salvatoris. Cæterum posteaquam Dominus advenit, ficum invenit incultam: rogatus ne eam juberet excidi, ut coleretur permisit. Et ideo jam non foliis, sed divino sermone succingimur; quia ipse Dominus ait: *Sint lumbi vestri succincti, et lucernæ ardentes* (*Luc. XII, 35*). Unde etiam pecuniam in zonis nostris portare prohibet (*Matth. X, 9*); non enim sæcularia, sed æterna debet zona nostra servare.

CAPUT XIV.

D *De voce Domini deambulantis ad vesperam, et increpatione Adam, Ubi es? Cur præterea primus increpatur Adam, cum prior mulier gustaverit: et de mulieris excusatione, ac mysteriis per illa designatis.*

68. *Et audierunt, inquit, vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad vesperam* (*Gen. III, 8*). Quæ est deambulatio Dei qui ubique semper est? Sed puto deambulationem quamdam esse Dei per divinarum seriem Scripturarum, in quibus Dei quædam versatur præsentia; cum audimus quia ipse aspicit sic legas, et fefellit dicens, eritis sicut dii.

^b Rom. edit., *continentia, castitas.*

omnia, et oculi Domini super justos : cum legimus A quia Jesus sciebat cogitationes eorum (*Luc. vi, 8*) : cum legimus : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris (Matth. ix, 4)*? Ergo dum hæc recensemus, quasi deambulantes cognoscimus Deum. Fugerat ergo peccator, non quo Dei posset latere conspectum : sed intra conscientiam suam latere cupiebat, opera sua lucere volebat. Justus enim est facie ad faciem videre ; quia justus mens non solum Deo præsens est, sed etiam cum Deo disputat, sicut scriptum est : *Judicate pupillo, et justificare viduam, et venite disputemus, dicit Dominus (Esai. i, 17 et 18)*. Ergo cum legit peccator has Scripturas divinas, audit vocem Dei quasi ambulantis ad vesperam. Quid est ad vesperam, nisi quia culpam suam sero cognoscit, et sero venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ B errorem prævenire debuerat? Nam dum culpa fervet in corpore, et anima exagitur corporis passionibus, non cogitat Deum sensus errantis, hoc est, non audit Deum ambulantes in Scripturis divinis, ambulantes in mentibus singulorum. Dicit enim Deus, Quoniam inhabitabo in illis, et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus (*Levit. xxvi, 12*). Ergo cum in animæ sensum redierit potestatis formido divinæ, tum erubescimus, tunc nos gestimus abscondere, tunc in peccatorum nostrorum positi cogitationibus, in medio ligni paradisi ubi peccavimus, deprehendimur, latere cupientes, et arbitantes quod Deus non requirat occulta. Sed scrutator animorum et cogitationum usque ad divisionem animæ penetrans dicit : *Adam, ubi es (Gen. iii, 9)*?

69. Quomodo loquitur Deus? Numquid voce corporea? Non utique, sed virtute quadam præstantiore, quam vox corporis potest esse, fundit oracula. Hanc vocem ejus prophetæ audierunt; hanc vocem fideles audiunt, impii non intelligunt. Denique in Evangelio habes, quia audivit evangelista dicentem Patrem : *Et clarificavi, et 177 iterum clarificabo (Joan. xii, 28)*; sed Judæi non audierunt. Dicebant enim : *Tonitruum factum est (Ibid., 29)*. Illic ergo, sicut supra habes, quia sentiebatur deambulans Deus qui non deambulabat : sic audiebatur loquens Deus, qui non loquebatur.

70. Sed quid loquatur, consideremus : *Adam, ubi es*? Adhuc in his remedium sanitatis est, qui audiunt Dei verbum. Denique Judæi qui sibi cluserunt aures D ne audirent, hodieque non merentur audire. Deinde habent remedium qui se absconderunt. Nam qui absconditur, erubescit : qui erubescit, convertitur; sicut scriptum est : *Confundantur, et convertantur omnes valde velociter (Ps. vi, 11)*. Deinde hoc ipsum quod vocat, indicium sanaturus est, quia Dominus quos miseratur, et vocat. Dicendo autem, *Ubi es?* non locum quærit qui novit arcanum; neque enim Deus clausos

habebat oculos, ut non videret latentem. Denique ideo dixit : *Factus est Adam tamquam unus ex nobis (Gen. iii, 22)*; quia aperuit oculos. ^a Et hic quidem aperuit oculos, ut culpam suam videret, quam vitare non potuit. Magis enim postquam peccavimus, nescio quomodo nostra delicta cognoscimus : et tunc peccatum esse intelligimus, quod antequam peccaremus, non putabamus esse peccatum. Certe non quasi peccatum putabamus esse damnandum; nam si damnaremus, non admitteremus. Deus autem omnium videt culpas, et omnium delicta cognoscit : super omnem animam, super omnium occulta oculos habet. ^b Quid est ergo : *Adam, ubi es?* Id est, non in quo, sed in quibus es. Non ergo interrogatio est, sed increpatio. De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, de qua gratia in quam miseriam recidisti? Dereliquisti vitam æternam, et accumulatus es morti, consepultus errori. Ubi ^c est illa tua bene sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubi ergo es? Hoc est, non in quo loco quæro, sed in quo statu. Quo te perduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum quem ante quærebas? Fortasse moveat cur ante increpatur Adam, cum mulier ante gustaverit? Sed a prævaricatione sexus infirmior cœperit, a verecundia et excusatione fortior; ut femina erroris causa fuerit, vir pudoris.

71. Et dixit mulier : *Serpens decepit me, et manducavi (Gen. iii, 13; De Pœnit. dist 1, c. Serpens)*. Veniabilis culpa quam sequitur confessio delictorum. Ideo non desperata mulier quæ non reticuit Deo, sed magis C confessa peccatum est, quam ^d medicabilis secuta sententia est. Bonum est condemnari in peccato, et flagellari in delicto, ut cum hominibus flagellemur. Denique Cain quia voluit crimen negare indignus judicatus est, qui puniretur in peccato : sed remissus est sine præscripto pœnæ, fortasse non tam majori crimine parricidii (illud enim commisit in fratrem) quam sacrilegii, quod Deo credidit mentiendum dicens : *Nescio : numquid ego custos fratris mei sum (Gen. iv, 9)*? Et ideo accusatori diabolo ejus accusatio reservata est; ut cum ejus angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari. **178** Denique de talibus dictum est : *Non est declinatio mortis eorum... et cum hominibus non flagellabuntur (Ps. lxxii, 4 et 5)*. Alia ergo ratio mulieris, quæ licet in culpam prævaricationis inciderat, tamen de paradisi lignis habebat adhuc virtutis escam; et ideo dixit peccatum suum, et reputatum est ei ad veniam. Justus enim accusator est sui in principio sermonis. Neque enim potest quisquam justificari a peccato (*De Pœnit. dist. 1, c. Non potest*), nisi fuerit peccatum ante confessus. Unde Dominus ait : *Dic iniquitates tuas, ut justificeris (Esai. xliii, 26)*.

72. Ergo quia Eva ipsa confessa delictum est, mi-

^a In mss. nonnullis, et Rom. edit. desunt, *Et hic quidem aperuit oculos.*

^b Mss. Gem., SS. Th. et Remig., *Quid ergo? Adam, ubi es? Id est, nunc in quibus es?* Th., Big., Mich., *non in quibus es.* Alii vero, et edit. omnes ut in textu.

^c Mss. SS. Th. et Mich., *Ubi es? Illa tua bene sibi conscia confidentia timoris in te.* S. Mich., *tuam culpam fatetur.*

^d Eadem edit., *medicinalis secuta, etc.*

tior sequitur et profutura sententia, quæ condemnaret errorem, et veniam, non negaret, ut ad virum suum conversa serviret. Primum ne eam facile delectaret errare: deinde ut sub fortiore vase locata non traduceret virum, sed magis viri consilio et ipsa regeretur. In quo quidem mysterium Christi et Ecclesiæ evidenter agnosco. Designatur enim Ecclesiæ ad Christum futura conversio, et religiosa servitus subdita Dei Verbo, quæ multo sit melior, quam sæculi hujus libertas. Denique scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (Deut. vi, 13). Hæc igitur servitus Dei donum est. Denique inter benedictiones numeratur hujus servitutis obsequium; nam et Isaac in loco benedictionis eam dedit Esau filio suo, ut serviret fratri suo. Denique benedictionem ille poscebat; etsi unam sibi cognovisset esse præreptam, tamen aliam postulabat dicens: *Numquid una benedictio tibi est, Pater* (Gen. xxvii, 38)? Per hanc igitur servitatem ille qui per gulam primitias suas ante vendiderat, et studio venationis agrestis gratiam benedictionis amiserat, credidit se ipso futurum esse meliorem, si typum Christi veneraretur in fratre. Hæc enim servitute pollet populus Christianus, sicut et Dominus ad discipulos suos ait: *Qui vult inter vos primus esse, sit omnium servus* (Matth. xx, 27). Denique hanc servitatem operatur charitas, quæ et spe major et fide est. Unde scriptum est: *Per charitatem servite invicem vobis* (Galat. v, 13). Hoc est ergo mysterium quod ait Apostolus esse in Christo et in Ecclesia (Ephes. v, 32). Hæc enim vere in prævaricatione ante fuit, sed salva erit per filiorum generationem in fide, et charitate, et sanctificatione, cum castitate. Prævaricata utique in patribus generatio hominum salvatur per filios; ut quod in Judæis offenderat, in Christiana posteritate corrigeret.

CAPUT XV.

Peccatum mulieris quare venia dignum; quidve per serpentem, feminam, ac virum significetur. Qualis serpentis condemnatio; et in quibus ab Adami condemnatione distinguatur.

73. Serpens, inquit, ^a me persuasit: et hoc veniale Deo visum est: eo quod nosset multas ad decipiendum vias esse serpentis (quia transfiguratur in angelum lucis, et ministri ejus sicut ministri justitiæ ^b sunt) falsa imponentis **179** rebus singulis nomina, ut temeritatem dicat esse virtutem, et avaritiæ nomen imponat industriæ. Serpens enim mulierem decepit, virum mulier ad prævaricationem de veritate deduxit. Serpentis typum accepit delectatio corporalis: mulier symbolum sensus est nostri, vir ^c mentis. Delectatio itaque sensum movet, sensus menti

^a Rom. edit. sola, *mihî suasit: et hoc mulieris peccatum veniale Deo*, etc.

^b M. s. quatuor. et edit. Am. atque Era., *ministri justitiæ, Sunt falsa imponentis*, etc. Edit. Gill. ac Rom., *ministri justitiæ sunt, falsa imponentes*, etc. Verum cum in mss. omnibus legatur, *imponentis... dicant!.. imponat, non autem ut in edit., dicant... im-*

A transfundit quam acceperit passionem. Delectatio igitur prima est origo peccati, ideoque non mireris, cur ante serpens damnetur judicio Dei, secundo mulier, tertio vir. Secundum erroris ordinem, damnationis quoque ordo servatus est. Delectatio enim sensum, sensus autem mentem captivam facere consuevit. Ut scias autem quia serpens typus est delectationis, damnationem ejus adverte.

74. *Supra pectus, inquit, tuum et in utero tuo ambulabis* (Gen. iii, 14). Qui sunt qui in utero suo ambulabant, nisi qui ventri et gulæ vivunt, quorum deus venter est, et gloria in pudendis eorum, qui terrena sapiunt, et cibo onerati ad terrena curvantur? Bene ergo delectationi ait, quæ cibus intenta terram videtur manducare: *Supra pectus tuum, et in utero tuo ambulabis, et terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ.* ^d Tollenda est omnis excusatio diaboli; ne forte malitiæ suæ aliquid possit obtendere, ut dicat iniquitatem suam ex condemnatione venisse; et ideo ad nocendum hominibus pertinaciter obniti, quia ideo damnatus est ut noceret: quod videtur esse proximum opinioni, si tanquam damnationis accipimus istam sententiam. Non enim Deus ad hoc serpentem damnavit, ut noceat: sed quid futurus esset, ostendit. Et quidem tentatio illa quod amplius hominibus prosit, superius demonstravimus (c. 2, n. 9): sed tamen cum legerimus quod scriptum est, dicente Deo: *Honorificantes me honorificabo, et contemptor mei honore privabitur* (I Reg. ii, 30), licet nobis ex his verbis aliquid æstimare. Deus enim operatur quod bonum est, non quod malum. Ergo doceant te verba divina, quia operatur gloriam, pœnam relinquit. *Honorificantes me, inquit, honorificabo*, honorem honorum operationis suæ esse declarans. Et contemptores, inquit, mei, non dixit honore privabo; sed, honore privabuntur; non suæ operationi deputans eorum injuriam, sed quid futurum esset, ostendens. Ergo hic non dixit: Facio te supra pectus tuum, et in utero tuo ambulare, et terram manducare omnes dies vitæ tuæ: sed: *Ambulabis, inquit, et manducabis*; ut prædixisse magis de serpente quæ futura sunt, videretur, quam præscripsisse quid faceret. Terra enim, inquit, tibi cibus erit, non anima: nam et hoc peccatoribus prodest. Unde et Apostolus tradidit hujusmodi in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Pectore autem et ventre ait reptare serpentem, non tam propter corporis figuram, quam quod propter terrenas cogitationes de illa ^e cœlesti beatitudine sit lapsus. Pectus enim frequenter recessus quidam accipitur sapientiæ. Et ideo Apostolus supra pectus Christi reclinat caput, non in terram dejicit. Ergo si sapientia diaboli feris immanissimis **180** comparatur, qui ponant, restituendam locum putavimus, sicut in textu.

^e Ita mss. Clar., Gem., Colb., Big., SS. Remig. et Th. Alii tamen et edit. omnes, *vir mentis delectatio. Itaque sensus*, etc.

^d Mss. fere ad unum, *Colligenda est omnis excusatio.*

^e Mss. aliquot boni ævi, *cœlesti benedictione.*

bus intra pedes pectus sit : et etiam homines qui terrena sapiunt, nec interiore affectu eriguntur ad cœlum, utero videntur reptare per terram; utique ventrem animæ nostræ non corruptibilibus sæculi hujus implere, sed magis Dei verbo satiare debemus. Bene igitur David personam suscipiens Adæ dicit : *Humiliata est in pulvere anima mea, adhæsit in terra venter meus* (Ps. XLIII, 25). Adhæsit enim dum configuratur serpenti, qui pascitur in iniquitate terrena. Ideoque nos Apostolus configurari dicit oportere Christo (Rom. vi, 5), ut virtus Christi prætendat in nobis. Quæ sententia non putatur in serpente gravis, cum etiam Adam, qui levius peccavit, tali condemnatur sententia.

75. Scriptum est enim : *Maledicta terra in operibus tuis : in tristitia manducabis eam omnes dies vitæ tuæ* (Gen. III, 17). Videtur certe similitudo quædam esse sententiæ : sed tamen in ipsa similitudine magna discretio. Interest enim utrum manducet aliquis terram, sicut serpenti dictum est, quia terram manducabit : an vero sicut homini dictum est, *in tristitia manducabis*. Adjectio enim ista : *In tristitia*, discretionem facit. Discretio quam vim habeat, considera. Bonum est mihi in tristitia magis terram manducare, quam in delectatione, hoc est, ut in actu quodam et sensu corporis contristari videar, quam delectari in peccato. Multi enim propter nimias iniquitates non suscipiunt peccati conscientiam. At vero ille qui ait : *Castigo corpus meum, et servituti redigo* (I Cor. IX, 27), contristatur in nostrorum pœnitentia peccatorum; quia sua tanta delicta non habuit, ut in his contristari deberet. Denique et nobis suadet utilem istam esse tristitiam, quæ secundum Deum, non secundum sæculum est. Oportet, inquit, vos contristari in pœnitentiam secundum Deum (II Cor. VII, 9 et 10); nam secundum Deum tristitia salutem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur. Sed et de veteri Testamento accipe illos ad gratiam pervenisse, qui contristabantur in

^a Big., Gem., Torn., SS. Th. et Mich., *In tristitia, inquit, manducabis fenum agri, ut quemdam, etc.*

^b Clar., Rem. et S. Th., *ad animam dictum est.*

operibus corporalibus; illos vero in supplicio remansisse, qui delectabantur hujus mundi operibus. Denique Hebræi qui ingemiscebant in laboribus Ægypti, justorum gratiam consecuti sunt (Exod. II, 24). Et quia panem in tristitia manducaverunt, esca donati sunt spiritali (Exod. XVI, 13 et seq.) : Ægyptii vero qui talia opera cum exultatione celebrabant, regi detestabili servientes, nullam veniam sunt adepti.

76. Sed est et illa distinctio, quod serpenti dicitur quia terram manducabit; Adæ autem : ^a *In tristitia, inquit, manducabis, et cum sudore manducabis, et manducabis fenum agri* (Gen. III, 18 et 19); ut quemdam intelligamus in his esse processum et quando terram manducamus, in quadam malitia esse videamur : quando fenum, in quodam processu : quando vero panem, cum consummata fuerit fortitudo. Ergo et nos habeamus processum vitæ hujus, sicut habuit et Paulus qui dicit : *Vivo autem jam non ego* (Galat. II, 20), hoc est, non ego qui terram ante manducabam : non ego qui fenum, quia omnis caro fenum : **181** *Sed vivit in me Christus*, hoc est, vivit panis ille vivus qui venit e cœlo, vivit sapientia, vivit gratia, vivit justitia, vivit resurrectio.

77. Deinde considera quia non est maledictus homo, sed maledictus est serpens : nec terra in se maledicta est; sed *Maledicta*, inquit, *in operibus tuis*, ^b quod ad Adam dictum est. Tunc terra maledicta est, si habeas opera terrena, id est opera sæcularia. Et maledicta non in universum; sed ut spinas et tribulos generet, nisi **182** fuerit humanæ studio operationis exercitata. Quod si ^c eam exerceuerimus, in labore quidem et sudore, sed tamen panem manducabimus. Repugnat enim lex carnis legi mentis. Et laborandum nobis est ac desudandum, ut castigemus corpus, et servituti redigamus, et quæ sunt spiritalia seminemus. Si enim carnalia seminaverimus, quæ carnalia sunt metemus : si vero spiritalia seminaverimus, metemus ea quæ sunt spiritalia. (S. Aug., l. II cont. Jul. Pelag., c. 5).

^c Edit. Rom., *Quod si etiam exerceuerimus. . . sudore erimus; sed tamen, etc.*

IN LIBROS DE CAIN ET ABEL ADMONITIO.

Ambrosius in ipso exordio libri de Incarnatione Dominica loquens de duobus Gratiani cubiculariis, Arianae sectæ hominibus, qui ejus concioni fide polliciti sese ad futuros, obligatam fidem non liberabant, sermonem ad institutam Caini et Abelis historiam se convertere profiteretur. Itaque [dum illi, inquit, forsitan veniunt, ad istos qui propositi sunt, deflectamus agricolas, quorum alter, hoc est, Cain, etc. Ex quibus sane non levis suspicio injici potest commentationem de Cain et Abel haud prius editam fuisse, quam illa pronuntiarentur ab Ambrosio. Et huic conjecturæ inde fortassis non nihil videatur accedere confirmationis, quod et eadem fides, quam vir sanctus in libro de Incarnatione Arianis explicato, etiam in opere de quo agimus, plurimum commendatur, et in utroque eadem Geneseos verba non absimili ratione exponantur. Cum autem memorata disputatio de Incarnatione Dominica vix ante annum 382, ut suo loco dicitur, habita fuerit, hinc forsitan possit aliquis colligere eidem quoque tempore tractatum de Cain et Abel esse tribuendum. Verumtamen ut hunc antiquiorem existimemus, ut pote operi de Paradiso supparem, primis ejusdem verbis adducimur. Ibi siquidem ita S. Doctor : De Paradiso, inquit, in superioribus. . . digessimus. . . Nunc sequentem adörriamur

historiam et ea quæ secundum Scripturas annexa sunt divinas, nostro opere prosequamur. *Hæc certe dubitare nequitiam sinunt, quin opellam hanc quæ in mss. duobus post librum de Paradiso exarata, inscribitur de Cain et Abel liber secundus, eidem libro subjunxerit; quam proinde circiter an. 375, scriptam fuisse crediderimus. Præter conjecturas a nobis in superiori admonitione propositas, huc etiam facit utriusque operis character, qui dubio procul non tantam, quantam aliorum, maturitatem præfert, sed quodam modo, ut voce utamur Ambrosii, juvenescit. Itaque quod ille in loco e commentatione de Incarnatione Dominica superius laudato se ad Cainum atque Abelem deflectere significat, autumamus ideo dictum, quia forte amborum fratrum historia, cujus lectio quotannis certo tempore in Ecclesia recurrebat, tunc ad populum fuerat recitata.*

Quidnam tractetur in hoc opere, tum ipsa ejus inscriptio, tum quæ a nobis supra dicta sunt, satis declarant. Quod vero ad tractandi rationem attinet, argumentum suum ubique fere mysticis interpretationibus exponit et illustrat. Immoratur præsertim in explicandis Caini et Abelis sacrificiis, qua in re multo majorem totius commentationis partem insumit. Quamvis autem hic non tam multus sit in exagitandis confutandisque hæreticis, quam in libro de Paradiso; sed liberius oratorio stylo indulgeat: interdum tamen nonnulla catholicæ fidei dogmata, quæ imbuendis fidelium animis putabat utiliora, satis subtiliter insinuat. Ea vero quæ ad fingendos mores conducunt, fusius accuratiusque prosequitur.

Hinc quidem non temere fecisse nobis videbitur, qui prius opus hoc publice peroratum, ac postea in eam, qua nunc habetur, formam redactum esse existimabit. Tametsi non sit dissimulandum id in aliis Ambrosianis operibus, in quibus oratorii dicendi modi etiamnum exstant, facilius animadverti.

Fatendum porro Sanctum hunc nostrum plurima e Philone in lucubrationem suam transtulisse. Confer, si vacat, quæ dicit in hæc Geneseos verba: Possedi hominem per Deum, cum Judæi illius libro de Cherubim, et hinc ea desumpta esse nullo negotio deprehendes. Similiter etiam a medio primo capite prioris libri ad caput octavum posterioris, non minimam partem libro ejusdem auctoris de Sacrificiis Abel et Cain, deberi manifestum est. Attamen in tribus ultimis libri secundi capitibus, ubi Ambrosius reliqua ad illam ipsam historiam pertinentia paucis expedit, e libro, cui titulus: De eo quod deterius potiori insidiari soleat, in quo eadem a Philone fusius pertractantur, tres omnino locos imitatus est. Verum et istic et ubicumque aliquid ex hoc auctore mutuatur, summa semper utitur libertate; ita ut, cum lubet, philonianis sententiis adjiciat, detrahat et contrarias quoque nonnumquam anteponat.

Cæterum a nobis impetrare non possumus, ut hujus operis divisionem ab Ambrosio profectam arbitremur. Malumus illam tribuere Sciolo cuiquam, qui cum pleraque omnia, de quibus apud Philonem libris duobus agitur, in hoc tractatu contineri adverteret, eum quoque bifariam dividendum esse judicavit: sed adeo præpostere illud præstitit, ut ibi posuerit secundi libri initium, ubi ne caput quidem incipere oporteret. Longe sane commodius ab eo loco, ubi vir sanctus ad agendum de secundo sacrificii Caini vitio aggreditur, initium duceret secundus liber. Cum autem divisio illa etsi absurda ab antiquissimi ævi manuscriptis ad editionum tempora pervenerit, nos quoque eam, ne qua in citationibus confusio oriatur, censuimus esse retinendam.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE CAIN ET ABEL

LIBRI DUO^a.

LIBER PRIMUS.

183 CAPUT PRIMUM.

Post brevem a libro superiori ad huncce transitionem agitur de ortu Cain et Abel; ac per hos sicut et per Esau et Jacob, duas hominum sectas sibi invicem oppositas præsignari ostenditur.

1. De paradiso in superioribus pro captu nostro, ut potuimus, quod Dominus infudit, sensus invenit, digessimus, in quibus Adam atque Evæ lapsus est comprehensus. Nunc quoniam illa penes auctores non stetit culpa: sed quod pejus est, deteriore invenit

A hæredem, sequentem adoriamur historiam, et ea quæ secundum Scripturas annexa sunt divinas, nostro opere prosequamur.

2. Adam autem cognovit Evam mulierem suam, quæ concepit et peperit Cain, et dixit: *Acquisivi hominem per Deum (Gen. iv, 1)*. Quæ acquirimus, ex quo, et a quo, et per quid acquiramus, considerari solet: ex quo, tanquam ex materia: a quo, quis auctor: per quid, tanquam per aliquod instrumentum. Numquid hic sic dicit: *Acquisivi hominem per Deum; ut*

^a Scripti circ. an. 375.

Deum intelligas instrumentum? Non utique : sed ut A intelligas auctorem et operatorem Deum. Unde magis Deo detulit, quia dixit : *Acquisivi hominem per Deum*, ut et nos cum aliquid acquirimus, vel omnes eventus secundos Deo magis deferre, quam nobis arrogare debemus.

3. Et adjecit parere Abel (*Ibid.* 2). Cum adjicitur aliquid, quod prius erat tollitur. Idque colligitur a ex arithmeticae portionibus, aut animae cogitationibus : addito enim numero, fit alius numerus, aboletur superior : et cogitatio accedens nova excludit superiorem. Ergo cum adjicitur Abel, **184** aufertur Cain. Quod nominum interpretatione plenius deprehenditur. Cain etenim dictus est acquisitio, quod omnia sibi acquireret : Abel qui omnia referret ad Deum pia devotus^b mentis attentione, nihil sibi arrogans, ut superior frater, sed totum tribuens conditori quod accepisset ab eo.

4. Duæ itaque sectæ sunt sub duorum fratrum nomine compugnantes invicem, et contrariæ sibi. Una quæ totum mentis suæ deputat tamquam principali, et quasi cuidam cogitationis, et sensus, et motus omnis auctori; hoc est, quæ omnes inventiones humano ascribit ingenio. Altera quæ tamquam operatori et creatori omnium Deo defert, et ejus tanquam parentis atque rectoris subdit omnia gubernaculo. Illa^c prior, Cain significatur : hæc posterior, Abel dicitur. Has duas sectas una anima parturit; et ideo germanæ habentur, quod uno fundantur utero : sed contrariæ sunt; quia oportet eas cum quodam animæ partu editæ fuerint, dividi ac separari. Compugnantibus enim hospitium C unum perpetuo esse non potest. Denique Rebecca cum duas naturas humani ingenii parturiret, unam mali, alteram boni, easque exsilire intra uterum sentiret suum (Esau enim typus erat malitiæ, Jacob figuram bonitatis gerebat), mirata quidnam illud esset quod discordiam quamdam concepti cerneret fetus, consuluit Deum, ut passionem proderet, medelam daret. Itaque precanti est responsum redditum : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo exhibunt* (*Gen.* xxv, 23). Quod si ad animam referas, eandem^d generatricem boni et mali intelliges, quia ex eodem fonte animæ utrumque dimanat, sed hoc sobrii solet esse verique iudicii; ut repudiato malo enutriet quod bonum est, atque confirmet. Prius ergo^e quam pariat bonum, hoc est, reverentiam Deo debitam; **185** ut ipsi totum deferat, f sua non præferat : cum D vero genuerit confessionem quæ defertur Deo, deponit cordis sui tumorem. Adjiciens ergo Deus bonum animæ dogma Abel, abstulit improbum dogma Cain.

CAPUT II.

In Cain Judæorum figuram esse, Christianorum in Abel. Hujus occasione quædam attextuntur de patribus, sed præsertim de sepultura Isaac per quem Christi incarnatio, et Moysis per quem ejusdem doctoratus exprimitur. Denique eorundem Moysis et Christi comparantur inter se sepulturæ.

5. Ego tamen hoc loco secundum Scripturam mysterium magis duorum populorum intelligo, quod Deus adjiciens Ecclesiæ suæ fidem piæ plebis, abstulit perfidiam populi prævaricantis, quandoquidem verba ipsa hoc significare videantur, dicente Deo : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo exhibunt* (*Gen.* xxv, 23). Hæc figura Synagogæ et Ecclesiæ in his duobus fratribus ante præcessit Cain et Abel. Per Cain parricidialis populus intelligitur Judæorum, qui Domini, et auctoris sui et secundum Mariæ virginis partum fratris, ut ita dicam, sanguinem persecutus est. Per Abel autem intelligitur Christianus adhærens Deo, sicut et David ait : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Ps.* lxxii, 28); ut cœlestibus se attexteret, et a terrenis separaret. Alibi : *Defecit*, inquit, *anima mea in verbum tuum* (*Ps.* cxviii, 81); eo quod ordinem vivendi atque usum non in terrenis voluptatibus, sed in verbi agnitione posuisset. Ex quo cognoscitur nec illud otiose scriptum esse, sed perpense atque examine, quod legimus in Regnorum libris : *Et appositus est ad patres suos* (*III Reg.* ii, 44 et 21). Intelligi enim datur quod patrum similis fuerit fide. Unde claret non ad sepulturam corporis, sed ad consortium vitæ relatum.

6. Denique de Isaac non perfunctorie scriptum putatur (*Gen.* xxxv, 29), quod requirens corporis istius speciem quæ animæ suæ attextebatur, appositus sit ad genus suum; eo quod patris sui moribus adhæserit. Pulchre autem ad genus ait, non ad populum, sicut alibi. Nam legimus aliis locis appositos fuisse ad populum suum, sed isti non tam præstantes : præstantior autem qui paucorum similis fuerit, et non plurimorum : plures in populo suo quam in genere; et præstantius ducitur paucorum similem esse, quam plurimorum. Qui ergo Dei erat generatus promissione, qui ad sacrificium probandæ pietatis electus, qui unius uxoris, hoc est, solius sapientiæ societate contentus superni illius generis quod est unum sibi que semper conveniens, non plebeïæ vilitatis imitator astruendus fuit Scripturæ divinæ testimonio. Etenim s ubi labor, doctrina, meditatio, illic cum pluribus

^a Ms. unus Vat. et vet. edit., *proportionibus*.

^b Ita tres mss. et ant. edit. At ms. unus Vat. sicut et nota margin. Gill., *mentis intentione*.

^c Ita tres mss. et edit. vet. In uno autem ms. Vat. ad marg., *Illa prior... hac posteriore*, etc. Vat. vero al. et edit. Rom., *Illa prior per Cain significatur, hæc posterior per Abel*.

^d Edit. omnes, *genitricem*. Ms. unus Vat., *generationem*; tres alii *generatricem*.

^e Sic mss. Edit. autem, *quam pariat, bonum est*

exhibere reverentiam Deo debitam; ut ipsi totum deferat, sua non præferat.

^f Edit. omnes, *sua non præferat*, id est non dicat esse propria. Mss. tamen negationem omittunt : nec male si vox sua posita sit pro voce ejus, ut referatur ad Deum.

^g Edit. omnes, et quatuor mss., *ubi labor, doctrinæ meditatio*. Divionensis, *ubi labor, doctrina*, etc. Melius. Hic enim doctrina idem est, ac disciplina et institutio.

commune collegium, et quoddam populare consortium est. Audiendo enim plerique proficiunt, quos nominavit populum. Ubi autem non humana traditione, sed ingeniosa collectione sine usu laboris disciplina percipitur, illic sublimis generis incorrupta sinceritas **186** est. Et ideo Isaac tamquam Dei munus ad genus suum magis, quam ad populum appositus legitur, ut divinorum potius quam humanorum imitorem esse sedulum recognoscas.

7. Beata et illa mens quæ species et ipsum genus supergrediens meretur audire quod dictum est ad Moysen, cum separaretur a populo: *Tu autem sta mecum (Deut. v, 31)*! Nam sicut in Isaac Dominicæ incarnationis typus humanæ generationis supergressus consuetudinem, vicit priores; ita ut in eo non vulgaris popularisque gratia, sed specialis prærogativa præcelleret, sicut lectio docet: *Abrahæ enim dictæ sunt promissiones et semini ejus: non dicit et seminibus tamquam in multis, sed sicut uni, hoc est, semini tuo, quod est Christus (Galat. iii, 16)*: ita etiam in Moyse venturi Doctoris figura, qui legem doceret, Evangelium prædicaret, impleret Testamentum vetus, novum conderet, cœleste populis alimentum daret, humanæ dignitatem conditionis excessit eo usque, ut Dei donaretur nomine, sicut habemus scriptum, dicente Domino: *Posui te in Deum Pharaoni (Exod. vii, 1)*. Etenim victor passionum omnium, nec ullis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cœlestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat.

8. Et ideo non legimus de eo sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est: ^a sed per verbum Dei mortuus est (*Deut. xxxiv, 5*). Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adjec-tionem capit. Unde et addidit Scriptura: *Quia nemo scit sepulturam ejus usque in hodiernum diem (Ibid. 6)*, ut translationem magis, quam interitum ejus intelligas. Mors enim secessio quædam est animæ et corporis. Mortuus igitur est per verbum Dei, ut ait Scriptura, non secundum verbum; ut advertas non nuntium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui translatus magis, quam derelictus est, cuius nemo novit sepulturam. Quis enim in terrenis reliquias ejus potuit deprehendere, quem secum esse Dei Filius in Evangelio demonstravit (*Matth. xvii, 3*)? Denique et Elias simul est visus, qui translatus curru est, non sepultus nec mortuus legitur (*IV Reg. ii, 11*)? ^b Vivit enim qui cum Dei Filio est. Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo autem Dei

^a Ex his colligere sibi videntur quidam recentiores Ambrosii fuisse opinionem, mortuum Moysen non esse; tamen si verba ejus, licet paulo obscuriora, perpendantur attentius, animadvertentes illum ibi Philonis sententiam exprimere voluisse, quem quidem de Moysis morte sensu spiritali disseruisse constat, de littérali non ita sollicitum.

A cœli firmati sunt. Per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tamquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tamquam verbi cœlestis operatione donatus et munere; ut quietem magis caro ejus, quam bustum acceperit.

9. Bene autem inter dominum et servum servatur distantia. Ut prærogativam domini intelligas, servi gratiam, de Moyse legitur, quia sepulturam ejus nemo scit: de Christo autem, sepultura ejus de terra sublata est (*Esai. liii, 8*); quia ille secundum mysterium legis exspectabat redemptionem, ut resurgeret: hic secundum Evangelii **187** donum redemptionem non exspectabat, sed donabat. Et ideo sepultura ejus ignorata non est, sed elevata, quam diutius creatura tenere non potuit; quia per ipsum omnis creatura properavit a corruptionis servitiis elevari. Nemo ergo scit sepulturam Moysi, quia vitam ejus omnes noverunt: Christi autem sepulturam vidimus; sed nunc jam non novimus, qui resurrectionem ejus agnovimus. Debuit enim cognosci tumulus ejus, ut resurrectio manifestaretur; et ideo in Evangelio (*Matth. xxvii, 60 et seq.*) tumulus summa expressione describitur: in lege non quaeritur; quia licet resurrectionem ejus lex annuntiaverit (*Esai. xi, 10*), nobis tamen Evangelii series plenissime comprobavit.

CAPUT III.

Per Abel et Cain sapientiæ humanæ processus, qui in Christo solo inventus non est, designari; per ordinem quo uterque fratrum nominantur, nec non per eorundem officia significari Abelem etsi juniorem, fratre tamen esse præstantiorem.

10. Ergo ut quod proposuimus, compleamus: *Adjecit, inquit, parere Abel, hoc est, meliorem Eva quæ graviter ante peccaverat, ex se generavit sententiam ut superioris sententiæ aboleret errorem. Mentior nisi hoc in universis comprobatur. Ita enim nascimur, ut ante infirmus infantiae sensus in nobis sit, postea pueritiæ corporis tantummodo curam sciens, nullum cultum, nullam habens observantiam divinorum. Unde et evidenti naturæ novitate ortum Jesum Christum ex virgine ut probaret propheta, ait: *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel: butyrum et mel^c manducabit, quoniam priusquam sciat malum aut bonum: non credit malitiæ, ut eligat quod bonum est (Esai. vii, 14 et seq.)*. Et infra: *Priusquam sciat puer vocare patrem ac matrem, accipiet virtutem Damasci et spolia Samaritæ contra regem Assyriorum (Esai. viii, 4)*. Solus enim fuit qui non est captus sæculi hujus vanitate et carnali tumore; ut pote qui se humiliavit factus obediens usque ad mortem, longe uniuscujusque no-*

^b Ms. Floriacensis, sed per verbum Dei, cum Dei filio est.

^c Vet. edit. cum ms. Laud., manducabit, priusquam sciat malum aut bonum, non credit, etc. Rom., manducabit, et ideo priusquam sciat malum aut bonum, non credit, etc. Nos locum ex mss. duobus Vat. et totidem Gallicis restituimus.

strum dissimilis, quia nos frustra extollimur mente carnis inflati. Unde et nemo sine peccato, nec unius diei infans: ille autem peccatum non fecit. Et ideo in nobis ante nascitur Cain seipsum præferens: postea Abel generatur, in quo sit reverentia divinitatis. Prius ergo irrepit quod malum est, postea agnoscitur quod bonum est. Ubi autem bonum, ibi justum; ubi justitia, ibi sanctitas, hoc est, Abel qui adhæret Deo.

11. *Et factus est, inquit, Abel pastor ovium, Cain autem operabatur terram (Gen. iv, 2).* Non est otiosum quod cum ante generatus sit Cain, ut lectio docet, prælatus sit hoc loco Abel; nec idem sit ordo nominum, qui est ordo naturæ. Quid sibi vult mutatio ordinis; ut prius junioris meminerit, ubi describitur vitæ status operisque usus? Officiorum interrogemus distantiam, ut colligamus causam prælationis. Operari terram usu prius est, gratia inferius, quam oves pascere. Hoc enim instar est cujusdam doctoris et principis, meritoque senior a vetustioribus inchoavit, junior recentiora prætulit, quæ nullas spinas, **188** nullos tribulos germinarent, nulli sententiæ essent obnoxia. Denique peccati reus Adam de paradiso dimissus est voluptatis, ut operaretur terram. Recte ergo ubi nascuntur hi fratres, servatur etiam in prædicando ordo naturæ: ubi vero exprimitur disciplina vivendi, seniori junior antefertur; quia etsi tempore junior, virtute præstantior est. Innocentia enim tempore posterior est, quam malitia, et quadam supparitate, sed meritorum nobilitate antiquior. *Senectus enim venerabilis est, non annis incana, sed moribus. Et ætas, inquit, senectutis vita immaculata (Sap. iv, 8).* Ubi ergo generatio exprimitur, præveniat Cain: ubi disciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel. Adolescentiam igitur, et ipsam in exordiis juventutem variarum illecebris passionum fervere quis abnuat: sed ubi maturior ætas successerit, tanquam pubescentis lasciviæ tempestate discussa, tranquillitatem refundi, et in quosdam portus quietos lassæ animæ navigium subducere? Itaque graves motus nostræ adolescentiæ fida senectutis statione placidantur.

CAPUT IV.

Malitiam tempore priorem esse, virtutem dignitate: Hoc ipsum per Esau et Jacob designari, sicut et per duas Scripturæ mulieres; quarum altera virtutis, altera voluptatis imago est. Denique hujus ultimæ artes describuntur.

12. Ne ergo dubites talibus naturæ admonitis exemplis, quod malitia præcedat tempore, sed juvenescat infirmitate. Habet illa ætatis stipendium: virtus autem prærogativam gloriæ, qua plerumque justo cedit iniquis. Cujus rei testis est fidelis divina Scriptura, quæ docet Esau cognomine stultitiæ virum cessisse patienter primatus suos fratri suo Ja-

^a Vet. edit. *cognoscens det illi dotem. Rom., cognoscet, ut det illi dupla.* Nimirum ex LXX, ubi legas: ἐπιγνώσεται δοῦναι αὐτῷ διπλά, etc.

acob; ita ut diceret: *Ut quid mihi primatus (Gen. xxv, 32)?* Sed quos iste posthabuit, hos vir cognomento exercitationis præditus quæsit mereri. Nonne tibi videtur Esau tamquam in agone victus, et propriæ mentis infirmitate imparem se existimans cessisse victori coronam, quem videbat nullis passionum illecebris inflecti, quarum ipse pulverem suslinere non poterat? *Ut quid mihi, inquit, primatus?* Apud ignavos enim nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur; studia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Unde et Dominus in Evangelio ait: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum cogitur, et cogentes diripiunt illud (Matth. xi, 12).* Et alibi: *Quærite regnum Dei, et ecce omnia præsto sunt vobis (Matth. vi, 33).* Non dormientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus et laborantibus pollicentur præmia: et labori merces parata est, qui licet non sit suavis ad gratiam, tamen fructuosus ad præmium est.

13. Docet hoc sermo legis, sicut scriptum invenimus: *Si fuerint, inquit, uni homini duæ uxores, una earum dilecta, et altera odibilis, et pepererint ei ambæ filios dilecta et odibilis, et primitivus fuerit filius mulieris odibilis; qua die hæredes reliquerit filios in substantia sua, non poterit primatum dare filio mulieris dilectæ, omittens filium odibilis: **189** sed primitivum filium odibilis^a cognoscet dare illi dotem ex omnibus quæ inveniuntur ei; quia ipse initium filiorum ejus est, et ipsi debentur primitiæ (Deut. xxi, 15 et seq.).* Quam profunda latent mysteriorum secreta in litteris! Recognosce, anima, partus tuos, et odibilis istius mulieris quære mysterium. Intra te ea invenies, si requiras. Repete cogitationes, relege sensus tuos, et cui primitiæ debeantur, agnosces. Duæ enim mulieres unicuique nostrum cohabitant, inimicitias ac discordiis dissidentes, velut quibusdam zelotypiæ contentionibus nostræ replentes animæ domum. Una earum nobis suavitati et amori est, blanda conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas. Hanc nobis opinamur sociam ac domesticam: illam alteram immitem, asperam, feram credimus, cui nomen virtus est.

14. Illa igitur meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, et ludentibus jacularans palpebris retia, quibus pretiosas juvenum animas capit (oculus enim meretricis (Prov. vii, 10 et seq.) laqueus peccatoris), quemcumque viderit^b dubio sensu prætereuntem in angulo transitus domus suæ sermonibus adoritur gratiosis, faciens juvenum volare corda, domi inquieta, in plâteis vaga, osculis prodiga, pudore vilis, amictu dives, genas picta. Etenim quia verum decorem naturæ habere non potest, adulterinis lucis affectatæ pulchritudinis lenocinatur speciem, non veritatem. Vitiorum succincta comitatu et quodam nequitiarum choro circumfusa, dux criminum, talibus verborum machinis murum mentis aggreditur

^b Rom. edit., *sensu indignum; LXX etiam ibi sequitur; illi enim: νεανίαν ἐνδεῆ φρενῶν.*

humanæ : *Sacrificium pacis est mihi, hodie reddo vota mea : hac ex causa progressa sum obviam tibi, desiderans faciem tuam^a invenire. Institis texui lectum meum, et tapetis ab Ægypto stravi. Aspersi lectum meum croco, domum autem meam cinnamomo. Veni, fruamur amicitia usque in diluculum : veni, et colluctemur cupidine (Prov. vii, 14 et seq.).* Hanc enim per os Salomonis speciem fornicariæ videmus expressam. Nam quid tam meretricium, quam sæcularis voluptas quæ a fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens; et penetrat cito si tu in plateam prospiciens, id est, in publicas transeuntium vias; non in legis interna mysteria obtutum tuæ mentis intendas. Ea profecto est quæ validioribus vinculis velut cubile quoddam consociatæ nobis communitatis intexit, ut qui reclinaverit se, ligetur; et opprobriosæ fraudis velamine operit corporis sui stratum, ad sollicitandos juvenum animos absentiam viri, hoc est, incuriam legis obtexens. Lex enim absens peccantibus est, nam si adesset, non delinqueretur; et ideo ait : *Non enim adest vir meus in domo : abiit autem viam longissimam involucro pecuniæ accepto in manu (Ibid., 19, 20).* Quid hoc esse dicam, nisi forte quia divites putant nihil esse quod non cedat suæ pecuniæ, et in gratiam sui legem velint esse venalem? Spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet, thesauros demonstrat, regna **190** promittit, amores spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplabilem cupiditatem. *Seducens, inquit, eum multo blandimento sermonum, et laqueis labiorum suorum alligans, domum adusque attraxit. At ille secutus eam circumvenitur (Ibid., 21).* Nitebat aula regio luxu splendida cælatis parietibus, et humida natabant pavimenta vino. Flagrabat unguento humus, spinis cooperta piscium, et marcentibus jam floribus lubrica. Illic comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, ^b concentus cœnantium, saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lascivientium plausus, confusa omnia, nihil naturæ ordine. Saltatrices tonsæ, et crispantes pueri coma, epulantium cruditas, edentium ructus, ebriorum sitis, hesternæ crapula, hodierna temulentia, repleta vomitu bibentium pocula majore odore ebrietatis, quam si recentia tantum vina flagrarent. Ipsa in medio stans : *Bibite, inquit, et inebriamini, ut cadat unusquisque, et non resurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditissimus. Ille meus est, qui suus non est. Ille mihi gratior, qui sibi nequior. Calix aureus Babylonis in manu mea inebrians omnem terram, a vino meo biberunt omnes gentes. Qui est ergo insipientior divertat ad me, et indigentibus sapientia præcipio dicens : Panibus absconditis suaviter utimini, et aquam furtim dul-*

^a Mss. duo Vat. et Laud., *inveni te*. Cum his faciunt LXX, qui sic habent : *πρωθυσα τὸ σὸν πρόσωπον εὐρησά σε*. Et post pauca iidem mss., *colluctemur cupidine*.

^b Ita vet. edit. cum mss. Vat. uno, et Div. ; Rom.

ciorem bibite. Manducemus et bibamus ; cras enim moriemur. Transiet vita nostra tamquam vestigia nubis, et tamquam nebula dissipabitur (Prov. ix, 17). Venite ergo, fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra : ubique relinquamus signa lætitiæ (Sap. ii, 8 et seq.). Hæc omnia relinquuntur, nihil secum quis feret, nisi quod corporis voluptate perceperit. Denique ego istam institui Philosophiam ; nec est alia verior, nisi ea quæ bonum asserit quod suave atque jucundum sit. Ergo vel Philosophiæ vel sapientiæ Salomonis credite.

CAPUT V.

B *Sollicitato a voluptate virtus saniora consulit; quomodo diabolicis tentationibus resistendum, et a quo etiam temporalia expetenda, quamque illa improbis noxia sint, docet; invitat ad convivium sapientiæ, et quid ejus ebrietas a vinolentia discrepet, aperit; ac tandem avaritiæ mala declarat.*

15. His auditis, velut cervus sagittatus in jecore hæret saucius. Quem miserans virtus, et casurum cito videns, improvise^c occurrit, verita ne inter moras illecebris demulcentibus mens capiatur humana. Palam, inquit, apparui tibi non quærenti me. Ne fallat imprudentem, et circumveniat te mulier effrenata et **191** luxuriosa quæ non novit pudorem : sedet in foribus domus in sella, palam in plateis advocans prætereuntes (Prov. ix, 14 et 15). *Nunc igitur, fili, audi me, intende verbis oris mei. Non declinet in vias ejus cor tuum. Multos enim vulnerando dejecit, et sunt innumerabiles quos trucidavit. Vix inferorum domus ejus, deducentes in secessum mortis (Prov. vii, 24 et seq.). Aufer igitur tibi pravum os et injusta labia longe a te propelle. Oculi tui recta videant (Prov. iv, 24 et 25) : noli intendere fallaci mulieri (Prov. v; 2).* Mella enim distillabunt a labiis mulieris fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces tuas, postea vero amariorem felle invenies. Dies me citius defecerit quam vitia ejus exponam, quæ tamen in Proverbiis ore sapientiæ descripta atque expressa sunt (Prov. vi, 24 et seq.). Non te vincat formæ concupiscentia. Adulterina est, fucis illita, nequaquam vero ac sincero fulgens decore. Neque capiaris oculis; circumfusa enim retia sunt (Cant. ii, 8 et 9). Esto magis similis illius et sequere eum qui salit super montes, et transilit super colles, prospiciens per fenestras, eminens super retia. Mala sunt voluptatis vincula. Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat : multa mentitur, falsa adjungit, vera subducit, spondet pecuniam, aurum offert ; sed aufert disciplinam (Prov. viii, 10). Tu autem accipe potius disciplinam, quam pecuniam,

autem cum aliis, *concentus canentium.*

^c Mss. Vat. unus, Div. et Flor. necnon edit. vet., *occurrit veritate*. Ms. Laud., *occurrit veritas*. Melius Vat. Alter, et edit. Rom., *occurrit, verita ne*, etc.

et scientiam super aurum probatum. Melior est enim lapidibus pretiosis (*Prov. iii, 10 et seq.*). Non te celabo quæ summa ejus feruntur, ^a ne videar deoperire quæ displiceant in voluptate, et obumbrare quæ placeant. Elevat enim et extollit mentem suasoriis verbis, ostendit omnia regna terræ, dicens: hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Ibi tu cave ne rapiaris a præterlabentibus et non manentibus, in quibus magna tentatio est.

16. Docuit te certe Dominus Jesus quemadmodum adversus hujusmodi tentationes resistas. Tetenderat diabolus primum laqueum gulæ dicens: *Si filius Dei es, dic huic lapidi, ut panis fiat* (*Matth. iv, 3 et 4*). Respondit Dominus: *Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei*. Laqueum solvit hoc dicto. Posuit iterum diabolus secundum jactantiæ laqueum, qui etiam bonam mentem prosperis currentem semitis solet strangulare: *Et duxit illum, inquit, in Hierusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc. Scriptum est enim quod angelis suis mandavit de te, ut conservent te, quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (*Ibid. 5 et 6*). Itaque cum posset sine ullo periculo mittere se Dominus Jesus, cui suppeterent spiritales volatus; tamen ne jactantiæ genus esset, respondit diabolo: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Ibid., 7*). Simul docuit nos cavere ne faciamus voluntatem diaboli. Si ergo vere jactantia declinanda est, quanto magis nemo debet falsa jactare pro veris? Tertius superest laqueus avaritiæ atque ambitionis. Ostendit in monte posito omnia regna orbis terræ in momento temporis (*Ibid., 8, et seq.*). Bene in momento, quia diuturna esse nequeunt. Paululum exspecta, et cito transeunt. Itaque qui sequuntur ea, in monte sibi esse videntur: sed non sunt perpetui, sicut habes scriptum: *Vidi impium superexaltatum et* **192** *elevatum super cedros Libani, et transivi, et ecce non erat* (*Ps. xxxvi, 55*). Sed qui ea maximi facit, adorare videtur diabolus, cujus Deus venter est, et in pudendis gloria. Tu autem in Deo gloriam quære, qui tibi ait: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth. iv, 10*), a quo æterna accipias, non temporalia.

17. Tamen si quem etiam ista delectent, ab eo moderatius petantur qui verus omnium fons est. ^b Nam et ipsa peculiarja quæ possidere sibi videtur diabolus, aliena sunt, sicut ipse dixit: *Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam eorum, quia mihi tradita sunt* (*Ibid., 9*). Ab eo ergo spera, licet brevis vitæ non sit longum viaticum requirendum; tamen ab eo spera qui universam creaturam condidit, qui diabolo ea ad tempus tradidit, non ut possideat, sed ut tentet. Non enim poterat corona esse sine certamine. Probandi erant dubii, ut justii coronarentur.

18. Dedit itaque diabolo ea, quia in his ipsis pœna

accipientis est, si uti nesciat. Quid est enim thesaurus luxurioso, nisi sumptus luxuriæ? Unde non luxuriosus, sed frugi probatur. Et ideo utere quasi frugi iis quæ tibi apponuntur, ut non cum manducas multum, odibilis fias: *Vigiliæ enim et tormenta viro edaci* (*Eccli. xxxi, 25*). Et infra: *Si coactus fueris in edendo, surge et vome, et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem* (*Ibid., 25*). Plurimos itaque gula sua occidit, nullum frugalitas: innumeris vina nocuerunt, nulli parcimonia. Plerique inter epulas sudere animas, et mensas proprio replevere sanguine. Aliis cruditas vocem simul rapuit et sensum: et si aliquibus cruditas noxia non fuit, his ruinam fecit ebrietas. Alios enim in crimen egit ebrietas; etsi ipsa ^c crimen sit, alios ad egestatem redegit. Postremo audi quos Christus excludat: *Cum intraverit, inquit, paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium dicentes: Aperi nobis. Et respondens dicet: Nescio vos unde estis, recedite a me, omnes operarii iniquitatis. Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio unde estis* (*Luc. xiii, 25 et seq.*). Audisti quid de manducantibus dixerit. Audi nunc quid de jejulantibus dicat: *Beati qui nunc esuriunt et sitiunt, quia saturabuntur* (*Luc. vi, 21*). Et infra: *Væ vobis qui saturati estis, quoniam esurietis* (*Ibid., 25*).

19. Sed vis manducare, vis bibere? Veni ad convivium sapientiæ quæ invitat omnes cum magna prædicatione dicens: *Venite et edite panes meos, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov. ix, 5*). Delectant cantica quæ epulantem demulceant? Audi hortantem, audi cantantem Ecclesiam, non solum in canticis, sed etiam in Canticis canticorum: *Manducate, proximi mei, et bibite, et inebriamini, ^d patres mei* (*Cant. v, 1*). Sed hæc ebrietas sobrios facit; hæc ebrietas gratiæ, non temulentia est. Lætitiã generat, non titubantiam. Nec verearis ne in convivio Ecclesiæ aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diversi potus, aut convivæ nobiles desint, aut decentes ministri. Quid Christo nobilius, qui in convivio Ecclesiæ et ministrat et ministratur? Istius convivæ recumbentis annecte **193** te lateri, ac te Deo conjunge; non fastidias mensam quam Christus elegit dicens: *Introivi in hortum meum, soror mea sponsa, vindemiavi myrrham cum aromatibus meis: manducavi panem meum cum melle meo, et bibi vinum cum lacte meo* (*Ibid.*). In horto, hoc est, in paradiso est convivium Ecclesiæ, ubi erat prius Adam, quam peccatum committeret. Ibi recumbebat Eva priusquam culpam crearet et pareret. Ibi vindemiabis myrrham, hoc est, Christi sepulturam; ut consepultus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum ille surrexit ex mortuis, et tu resurgas. Ibi manducabis panem qui confirmat

^a Edit. omnes, et mss. duo Vat., *ne videar operire*, etc. Melius mss. Div., Flor. et Laud.,... *deoperire*.

^b Ita edit. omnes. At ms. Vat. unus, et Laud., *Nam ipsa pecunia, et quæ*, etc. Vat. vero alter, Div. ac Flor., *Nam et ipsa pecuniaria, quæ*, etc.

^c Edit. omnes, *crimen non sit*; contra mss. fidem.

^d Sic edit. antiq. cum mss. Vat. uno, Div. et Laud. Rom. autem cum aliis, *fratres mei*, ut etiam LXX; Vulg. vero, *charissimi*.

cor hominis. Mel gustabis, quo tuorum dulcescat A
meatus faucium. Vinum bibes cum lacte, hoc est,
cum splendore et sinceritate : sive quod pura simp-
licitas sit; sive quod immaculata gratia, quæ in re-
missionem sumitur peccatorum; sive quod parvulos
consolationis suæ lactet uberibus, ut ablactati in de-
liciis, in plenitudinem perfectæ ætatis adolescant.
Succede ergo in hoc convivium. An metuis ne angu-
stior domus et brevis convivii locus te comprimat?
O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens
locus possessionis ejus! Magnus, et non habet fi-
nem, altus, et immensus (*Baruch. III, 24*). Ibi fue-
runt gigantes illi, qui ab initio fuerunt statura magna
scientes prælium. Non hos elegit Dominus. Et me-
rito non elegit, quia prælium, non pacem sciebant.
Et ideo tu pacem disce, ut eligaris a Deo. Sed ne B
forte incomptam domus magnitudinem putes, et di-
versoria te columnata delectent: sapientia ædificavit
sibi domum, ^a et fulsit columnas septem. Ipse etiam
Dominus Jesus multas mansiones apud Patrem suum
esse commemorat (*Joan. XIV, 2*). In hac ergo domo
epulaberis animæ cibos, potusque mentis; ut postea
non esurias, neque sitias umquam. Qui enim man-
ducat, manducat usque ad satietatem; et qui bibit,
usque ad ebrietatem bibit.

20. Sed hæc ebrietas pudicitiae custos est: illa
vini ebrietas fomes libidinis, quo per carnes vapo-
rantur interna viscera, animus ignescit, anima exu-
ritur. Sævus criminum stimulus libido est, quæ
numquam manere quietum patitur affectum. Nocte
fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio ab-
ducit, a ratione revocat, aufert consilium, amantes
inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiundo
inflammatur, usuque accenditur. Nullus peccandi mo-
dus, et inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis
extingui non potest. Et ideo ait Apostolus: *Fugite
fornicationem* (*I Cor. VI, 18*); ut veloci fuga tamquam
furiosæ dominæ declinare sævitiam, et tetro servitio
exire possimus.

21. Nam quid de avaritia dicam, insatiabili pecu-
niæ cupiditate, et quadam æris libidine, quæ quo
plura abstulerit, eo magis inopem esse se credit?
Omnibus invida, sibi vilis, in summis divitiis inops,
affectu extenuat quod censu abundat. Nullus rapiendi
modus, ubi nulla mensura cupiendi. Sic inflammatur
animum, sic igne suo pascit eum, ut hoc loco distet, D
quod illa formarum adultera sit, ista terrarum. Ele-
menta concutit, mare sulcat, terram effodit, cælum
votis fatigat, nec sereno grata nec nubilo, **194** con-
demnat proventus annuos, fetusque terrarum arguit.
Sed hæc ægritudo est animæ, non sanitas. Denique
Ecclesiastes dicit: *Est languor malus quem vidi sub
sole, divitias custodiri in malum possidentis eas* (*Eccl.
V, 12*). Et supra: *Qui diligit argentum, non satiabitur
argento* (*Ibid., 9*). Et: *Nec est finis acquisitionis eorum*
(*Baruc. III, 18*). Si quæris thesauros, accipe invis-
biles et occultos quos in cœli altissimis, non quos in

^a Edit., *Et sculpsit*. Mss., *Et fulsit*. Nempe ex
LXX interp. ubi legitur, *καὶ ὑπήρεισε στύλους ἐπέτα*.

A terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu, et eris
dives qualicumque censu; quia non in abundantia
divitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide.
Istæ te divitiæ verum divitem facient, si sis in Deum
dives.

CAPUT VI.

*Virtutem studio et labore comparari. Hoc Jacobi qui
primatum in fratrem adeptus est, probatur exemplo;
et mystica de Abraham, Moyse, ac iisdem duobus
fratribus exponuntur.*

22. Audisti voluptatis mysteria, audisti etiam co-
piarum nostrarum munera, quas ego non suppellectili
operiendas, sed Scripturæ nudis sermonibus demon-
strandis putavi; ut sua ipsa luce fulgerent, et ex se
ipsæ vocem emitterent sui invicem. Neque enim sol
et luna interprete indigent. Habent interpretem ful-
gorem sui luminis, quo totus repletus orbis est. Illis
illuminatio est fides sine indice, quædam, ut ita
dicam, intestata testis quæ alieno non indiget testi-
monio, ut subito se universorum oculis effundit. Non
ergo nuntiantur opera nostra, sed clamant, et se
ipsa nuntiant. Sane ut et hoc quod laboriosum in
nostris ducitur, non præteream, fides exigitur, stu-
dium desideratur, facta quærentur. His enim tribus
Dominus Jesus devotionis humanæ officia definivit
dicens: *Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis:
pulsate, et aperietur vobis* (*Matth. VII, 7*). Et infra:
*Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, similis
est viro sapienti* (*Ibid., 24*).

C 23. Hæc qui studiose fuerit prosecutus, primatus
benedictionis accipiet, sicut patriarcha Jacob qui
continentia et fide humanarum supplantavit vestigia
passionum. Iste ait: *Misericordiam mei habuit Deus,
et sunt mihi omnia* (*Gen. XXXIII, 11*). Hanc itaque
misericordiam nos fide, studio, operibusque merea-
mur, quibus disciplinis invenit Israel gratiam Dei, et
per ipsam omnia. Non enim mundi hujus copias, sed
virtutum disciplinas sibi suppetere gaudebat. Has
nobis substituamus hæredes, quas sanctus Abraham
in Isaac filio suo substituit sibi, omnem operum suo-
rum deputans hæreditatem sapienti et justo viro, nec
ullum jus hæreditarium ancillis vel ancillarum filiis
derelinquens, sed tantummodo donationis munera.
Perfectæ enim virtutes totum accipiunt gloriæ patri-
monium, usitatis et mediocribus vile aliquid asper-
gitur. Et ideo Agar quæ advena Latine dicitur atque
accola, et Cethura quæ odorifera significatur, hære-
des non sunt. Qui enim mediis utitur disciplinis,
accola, non inhabitator est sapientiæ. Odore asper-
sus, non fructu expletur. Sanitatem autem cibus,
non odor invehit, quia odor fructuum nuntius est.
Principales itaque disciplinas sequentibus, et **195**
indigenas accolis agnoscimus præferendas.

24. Hoc secundum ingenium. ^b At vero secundum
mysterium Abraham pater gentium semini suo legi-
timo, quod est Christus, hæreditatem omnem fidei

Vulg., *Et excidit*, etc.

^b Cod. Div., *At vero secundum ministerium*.

suæ detulit, qui in hac terra velut advena fuit; ut vitæ hujus odorem magis quam fructum referret. Hæc cum audit mens, avertit se a voluptate, virtutique adjungit, veri decoris admirans gratiam, purum affectum, simplicem sententiam, mediocrem vestem, hoc est, non in persuasionem sermonis, sed in ostensione Spiritus (I Cor. 11, 4), qualis est apostolicæ forma sententiæ, amictum sapientiæ atque pietatis omni pretiosior auro refulgens, tunc chorum prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, ac justitiæ suscipiens quæ flagrabant odorem disciplinarum, incutiens reverentiam, infundens gratiam. Itaque talibus mota elegit studia virtutis, quibus Jacob vir plenus exercitationis mentem intendit suam. Et ideo ovium pastor inducitur (Gen. xxx, 31 et seq.); eo quod imperitare corpori et sensibus ejus ac voluptatibus, votique modum tenere, ne velut ovis vagetur incerta, præstantius æstimatur, quam regere populos, vel præesse urbibus. Difficilius enim quispiam se, quam alterum regit. Animum vincere, iracundiam cohibere, compugnantesque leges carnis et mentis in unum cogere immortalis cujusdam est viri quem inferni porta non ceperit. Denique ipse sibi Legislator vindicavit hoc munus; ut oves pasceret Jetro (Exod. 11, 1), qui dicitur superfluous, et ageret in desertum: eo quod irrationabilem et superflui vulgarisque sermonis loquacitatem indiscreta quædam sobriæ doctrinæ coegit mysteria. Ideoque Ægyptiis abominationi erant pastores ovium. Omnes enim qui corporis dediti passionibus hujusmodi, et voluptatibus indulgent suis, disceptatorem verbi, doctoremque virtutis quadam execratione declinant. Et ideo per ænigmata hæc docuit Moy-es (Gen. 14, 4) apta Deo esse sacrificia, quæ refugit omnis insipiens, hoc est, opera et præcepta virtutis. Ideoque pastor Abel, Cain autem operator terræ legitur, qui in fratre suo vir insipiens formam speciemque virtutis expressam ferre non potuit.

CAPUT VII.

Indicato duplici defectu sacrificii Cain, ostendit tria vitia in nostris oblationibus obrepere posse; nec non divina testimonia quibus eadem vitia proscribuntur, adducit.

25. Et factum est, post dies obtulit Cain ex fructibus terræ munus Domino (Gen. 14, 3). Duplex culpa: una quod post dies obtulit, altera quod ex fructibus, non ex primis fructibus. Sacrificium autem et celeritate commendatur et gratia. Unde præceptum est: Si voveris votum, non facias moram reddere illud. Melius est enim non vovere votum, quam vovere, et non reddere (Eccl. 5, 3, 4). Cum enim moram facis, non reddis. Votum est autem postulatio bonorum a Deo cum solvendi muneris promissione. Et ideo cum impetraveris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Sed interdum aut negligentibus irrepit oblivio impetratorum, aut tumidis et elatis. Arrogare eventus **196** sibi hebetis cordis est, et bonum quod agit vel quod a Deo consequitur, propriis virtutibus

PATROL. XIV.

vindicare, nec auctoris deputare gratiæ, sed ipsum se suorum bonorum auctorem ducere. Tertium genus est peccati quidem minoris, sed supparis arrogantiae eorum scilicet qui datorem bonorum Deum non negant: sed quæ acciderint, ea sibi propter prudentiam suam, cæterarumque merita virtutum jure delata arbitrantur. Propterea etiam divina dignos habitos gratia, quod nequaquam viderentur indigni quibus talia divinis beneficiis provenirent.

26. Ne quid ergo hujusmodi accidat, unde votum tuum tibi in peccatum fiat, lex te informavit atque instruxit, dicente Domino qui legem dedit: *Attende tibi, ne obliviscaris beneficia Domini Dei tui, et non custodias mandata et judicia, et justitias illius quæ ego præcipio tibi hodie; ne cum manducaveris, et repletus fueris, et cum domos bonas ædificaveris, et habitare cæperis in eis, et oves tuæ et boves tui cum repleti fuerint, et cum ære, argento et auro completus fueris, et omnia possidere cæperis, et plena fuerint horrea tua, exaltes cor tuum, et obliviscaris Dominum Deum tuum (Deut. 10, 11 et seq.).* Tunc ergo oblivisceris Dominum, cum oblitus fueris tui. Si autem cognoscas infirmum te esse, cognosces Deum esse supra omnia, et immemor esse non poteris, ut ei reverentiam debitam solvas.

27. Disce nunc quemadmodum unusquisque moneatur, ne se ipse auctorem suorum putet bonorum. *Ne dicas, inquit, in corde tuo: Virtus mea et potentia mea fecit mihi virtutem hanc magnam: sed in mente tua habebis Dominum Deum tuum; quoniam ipse dat vires, ut facias virtutes (Ibid. 17 et 18).* Unde bene Apostolus (I Cor. xv, 9) quasi legis interpres non gloriabatur in virtute sua: sed minimum Apostolorum se esse dicebat, et quidquid esset, gratiæ divinæ esse non meriti sui, nihilque nos habere quod non acceperimus. *Quid enim, inquit, habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (I Cor. 14, 7)?* Didicisti ergo humilitatem magis sequi, quam arrogantiam; sedulitatem affectare, quam potestatem. Accepisti salutaria præcepta, noli negligere utilia instrumenta medicinæ, quibus fibra omnis lethalis vulneris excutitur.

28. Ille quoque qui se justificat, ne inflatur cordis sui tumore; et ipse accepit salubre mandatum, in hujusmodi sententiam resultante oraculo: *Ne dicas in corde tuo, cum consumere cæperit Dominus Deus tuus gentes illas a conspectu tuo, dicens: Propter justitiam meam induxit me Dominus possidere terram istam: sed propter iniquitates gentium istarum extirpavit illos Dominus a facie tua (Deut. 19, 4 et 5).* Non propter justitiam tuam, non propter bonitatem tuam, nec propter æquitatem cordis tui intras possidere terram istam: sed propter iniquitatem gentium disperdet eos Dominus a conspectu tuo, et restituet Testamentum tuum quod juravit patribus vestris. Testamentum perfecta Dei gratia est; nihil enim imperfectum dat Deus: perfecta autem virtus est, et opera virtutis. Testamentum autem dicitur, quo defertur bonorum hæreditas. Merito et testa-

mentum dicitur, et divinum, cum ea quæ vere bona sunt, attestazione mandatorum cœlestium conferuntur. Et Testamentum **197** dicitur, quoniam sanguine dedicatum est: vetus in typo, novum in veritate. Quo Testamento divinæ gratiæ pignus tenemus; quia sic dilexit Deus hunc mundum, ut unigenitum Filium suum pro nobis omnibus daret. Unde perfectionem gratiæ prædicans Apostolus ait: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit (Rom. VIII, 32)?*

CAPUT VIII.

Exemplo sacrificii Abraham qualitates queis Deo grata fit oblatio, exprimuntur, nempe celeritas, continuatio et fides. Celeritatem Deus in utroque Testamento præcipit; quam et ipse exhibet, cum non tantum cito largiatur, sed etiam nos præveniat.

29. Prima igitur voti gratia est celeritas solutionis. Denique Abraham filium suum ad holocaustum iussus offerre, non post dies, ut Cain obtulit: sed *exurgens mane stravit asinam suam, et adhibuit secum duos pueros, et Isaac filium suum; et concidens ligna ad holocaustum, surgens abiit, et venit ad locum quem dixerat ei Deus, die tertia (Gen. xxii, 3)*. Primo adverte immolaturi studium maturum atque festinum; ut mora exspectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum: deinde ut sterneret asinam suam, obsequium omne ipse suscipere, et sacrificio necessaria præpararet, ^a duabus quoque fide et spe virtutibus comitantibus, hostiam suam duceret, de potestate Dei certus, et de bonitate securus.

30. Quod autem ait, *die tertia*; vel quod continua esse debeat et perpetua devotio. Tripartitum est enim tempus, præteritum, præsens et futurum. Quo admonemur quod nec præteritorum beneficiorum Dei, vel præsentium, vel futurorum irrepere debeat ulla oblivio, sed tenax gratiæ memoria perseverare, et obedientia non deesse. Vel quia is qui sacrificat, in unum splendorem, in unam lucem debeat credere Trinitatis. Ei ^b enim qui fideliter sacrificat, dies lucet, nox nulla est. Sic et in Exodo Moyses ait: *Viam trium dierum ibimus, et immolabimus Domino Deo nostro (Exod. iii, 18)*. Sed etiam alibi cum visus esset Deus Abrahæ ad ilicem Mambre: *Respicens, inquit, Abraham oculis suis vidit, et ecce tres viri stabant super eum. Et videns occurrit obviam illis ad ositum tabernaculi sui, et adoravit super terram, et dixit: Domine, si inveni gratiam ante te (Gen. xviii, 2 et 3)*. Tres videt, unum adorat. Tres mensuras offert similaginis (*Ibid.*, 6). Nam etsi immensus Deus, tamen mensuram omnium tenet, sicut scriptum est: *Quis mensus est manu aquam, et cœlum palmo, et universam terram clausa manu (Esai. xl, 12)?* Perfectæ

^a Sic edit. omnes. Mss. contra magno consensu, *duabus quoque fidei virtutibus*, etc. Non male; si modo duas virtutes fidei comites intelligas, spem videlicet, et charitatem.

^b Abest a ms. Flor., *Ei enim qui fideliter sacrificat, dies lucet, nox nulla est.*

^c Vel. edit. et quædam Paris., *quod utique præve-*

A igitur in personis singulis Trinitati, interiore mentis arcano, hoc est, similaginis spiritalis sanctus Patriarcha sacrificium deferebat. Hæc est similago, quam in Evangelio molet mulier illa, quæ assumetur: *Una enim, inquit, assumetur, altera relinquetur (Matth. xxiv, 41)*. Assumetur Ecclesia, relinquetur Synagoga. Vel mens bona assumitur, improba derelinquitur. **198** Ut scias autem quia et Abraham in Christum credidit: *Abraham, inquit, diem meum vidit, et gavisus est (Joan. viii, 56)*. Et qui credit in Christum, credit et in Patrem. Et qui perfecte credit in Patrem, credit in Filium et Spiritum sanctum. Tres ergo mensuræ, una similago, hoc est, unum erat sacrificium quod venerabili Trinitati, pari quadam mensura devotionis, et congrua plenitudine pietatis oblatum est.

31. Adhuc cognosce celeris studia devotionis: *Cucurrit, inquit, et accepit vitulum unum tenerum et bonum, et dedit puero, et festinavit facere eum (Gen. xviii, 7)*. Ubique impigra devotio, et ideo Deo fuit munus ejus acceptum. Habes et alibi, ut solis ortum oratione prævenias: *Occurre, inquit, ad solis ortum (Sap. xvi, 28)*. Habes in Evangelio dicentem Dominum Jesum: *Zacchæe, festinans descende (Luc. xix, 5)*. Et ille quia impetraverat quod volebat, ut Christum videret; et amplius impetraverat, ut videretur et vocaretur a Christo, festinans descendit, et excepit illum gaudens; et ideo probavit Dominus ejus affectum, et eum celeri remuneratione donavit dicens: *Quia hodie salus domui huic facta est (Ibid., 9)*. **C** Festinavit enim et Dominus ad beneficium; et ideo non exspectavit, ut promitteret, et postea impleret; sed antea fecit, et postea declaravit. Dixit enim: *Facta est salus*: quod ^e utique prævenientis fuit, non promittentis. Justus igitur votum suum celeritate commendat. Et patres nostri festinantes manducabant pascha, succincti lumbos, et pedes suos calceamentorum ^d induti vinculis, et tamquam corporeum onus deponentes, ut essent parati ad transitum; pascha enim Domini transitus est a passionibus ad exercitia virtutis. Et ideo pascha Domini dicitur; quoniam et tunc in typo illo agni veritas Dominicæ passionis annuntiabatur, et nunc ejus celebratur gratia.

32. Cito ergo hoc quære anima; ut cito etiam audias, sicut audivit et Jacob: *Quid est hoc quod tam cito invenisti, fili (Gen. xxvii, 20)?* Et ille secundum dogma respondit: *Quod tradidit Dominus Deus tuus in manus meas*. Cito dat Deus; quia dixit, et facta sunt: mandavit, et creata sunt. Verbum enim Dei ^e non sicut quidam ait, opus est, sed operans, sicut habes scriptum: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor (Joan. v, 17)*. Prævenit omnium *servit, non promittenti.*

^d Rom. edit. sola, *succincti lumbos tamquam corporeum onus deponentes, et pedes suos calceamentorum induti vinculis, et baculos in manibus tenentes, ut, etc.*

^e Ita omnes mss. et vet. edit.; Rom. autem, *non sicut quoddam opus est, sed est operans.*

nia; est enim ante omnia sicut Pater, et in omnibus sicut idem Pater, penetrans omnia. Validum enim et acutum, et omni gladio acutius est, penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus, artuumque et medullarum. Præveniens omnium cogitationes, de quo ait Pater Deus: *Jam videbis si comprehendit te Verbum meum, aut non* (Num. xi, 23). Ubi enim Deus, et Verbum est, sicut dixit: *Venimus et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv, 23). Et sicut habes in aliis de Deo lectum: *Ego steti hic priusquam tu* (Exod., xvii, 6): ita et Verbum dicit: *Priusquam stares sub arbore fici, vidi te* (Joan. i, 48). Et de ipso dictum est Verbo, hoc est, Filio Dei: *Medius autem vestrum stat quem vos nescitis* (Ibid., 26). Ubi-cumque enim sancti, ^a ibi in eorum medio Dei **199** Verbum in singulorum præcordiis complens maria et terras. Et cum hic est, etiam alibi est; non mutato loco, sed repleto utique sui præsentia. Ubique enim est, qui per omnia, et in omnibus, nullum locum immunem sui relinquens. Et ubi adest, erat: et ubi erat, adest. Et ideo qui novit velox esse Verbum Dei, cito petit, et cito impetrat.

CAPUT IX.

Pharao propter moram in obediendo arguitur. Commendatur in oratione humilitas, secretum ac brevitatis, cum reprehensione verborum. Quomodo orandi formam Dominus docuerit; ac tandem pro quibus præcipue orandum?

33. At vero Pharao qui opinionibus et vanis inanibus studium impendebat suum (ranis repleta Ægypto, sonum inanem rerum et strepitum vanum reddentibus) dicenti Moysi: *Constitu mihi quando pro te orem, et pro famulis tuis, et pro populo tuo, ut exterminet Dominus ranas* (Exod. viii, 9); cum debuerit in tanta positus necessitate rogare, ut jam oraret nec differret, respondit: *Crastina die; otiosus et negligens, moræ pœnam Ægypti soluturus excidio*. Itaque iste ubi impetrabat, immemor fiebat gratiæ; et exaltatus mente carnis suæ, obliviscebatur Deum.

34. Humilitas autem commendat orationem. Siquidem et Phariseus ille reprehensus est qui jejunia sua velut beneficia enumerabat, et tamquam objectabat Deo, et se criminum memorabat exsortem. Publicanus autem prædicatus est, *qui a longe stans nolebat oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Domine Deus, propitius esto mihi peccatori* (Luc. xviii, 13). Et ideo divina eum sententia prætulit dicens: *Quia descendit hic publicanus justificatus magis, quam phariseus* (Ibid., 14). Ille enim justificatur qui peccatum proprium confitetur, sicut locutus est ipse Dominus: *Dic iniquitates tuas, ut justificeris* (Esai. xliii, 26). Et David ait: *Sacri-*

ficium Deo, spiritus contribulatus (Ps. l, 19). Et iterum: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (Ibid.). ^b Hieremias quoque ait: *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te* (Baruch. iii, 1). Ergo et Pharao (Exod. v, 2), ^c et rex Assyrius qui dicebat: *Quis deorum gentium istarum liberabit terram suam de manu mea; quoniam liberabit Dominus Deus tuus Hierusalem de manu mea* (IV Reg. xviii, 35)? exaltatione sua dejecti sunt. Justus autem, sicut Jacob, ad auctorem Deum refert quæcumque fuerit bona consecutus, dicens de omnibus quæcumque sibi prosperare cognoverit: *Quoniam tradidit ea Dominus Deus in manus meas* (Gen. xxvii, 20). Hæc igitur melior votorum suorum solutio est, sicut et David ait: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua* (Ps. xlix, 14). Laudare Deum, commendare est votum, et solvere. Unde et Samaritanus ille aliis antefertur, qui cum leprosis aliis novem secundum præceptum Domini, mundatus a lepra, solus regressus ad Christum amplificabat Deum, et agebat gratias. De quo Jesus ait: *Non fuit ex illis qui rediret, et gratias ageret Deo, nisi hic alienigena.... Et ait illi: Surge, et vade; quia fides tua te salvum fecit* (Luc. xvii, 18).

35. Est etiam illa commendandæ orationis et voti disciplina; ut non divulgemus orationem, sed abscondita teneamus mysteria, sicut tenuit Abraham, qui subinericias fecit (Gen. xviii, 6). Tenuerunt et patres qui coxere conspersum quod extulerant de Ægypto, subinericia facientes azyma, quæ Græce ἐζυρῶφια dicuntur, eo quod abscondantur in cinere; significantes fermentum illud quod abscondit mulier illa Evangelica (Luc. xiii, 21) in farinæ mensuris tribus, donec fermentaretur totum, mysteriorum quoque inuentes premendam esse doctrinam. Quod apertius Dominus in Evangelio docuit dicens: *Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio Patrem tuum ora in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi: orantes autem nolite multum loqui* (Matth. vi, 5). Et infra: *Scit enim Pater vester quid vobis opus sit, antequam petatis ab eo* (Ibid., 8). Cubiculum tuum, mentis arcenum, animique secretum est. In hoc cubiculum tuum intra, ^d hoc est, intra in alta præcordia, totus ingredi de corporis tui exteriori vestibulo; et claude ostium tuum.

36. Quod sit ostium tuum, disce: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circuitus labiis meis* (Ps. cxl, 5). Et Paulus petit orari pro se: *Ut aperiat mihi, inquit, ostium verbi, ad loquendum mysterium Christi* (Coloss. iv, 5). Sed ille ut pote electus ad Evangelii prædicationem, recte sibi ostium verbi optabat aperiri; quia de ore ejus exibat salus gen-

^a Mss. Div. et Flor., ideo in medio Dei Verbum.

^b Non moveat quod locum hunc nomine Hieremiæ citatum non nisi in prophetia Baruch reperire sit. Ita enim ultimum hunc laudatum esse apud plurimos constat, quod is esset Hieremiæ convictor ac notarius.

^c Rex desideratur in quatuor mss. pro quo in uno Vaticano legitur, et Rapsaces Assyrius.

^d Edit. Rom. contra mss. et ant. edit. fidem ita locum consarcinarat, hoc est, egredere de corporis tui exteriori vestibulo, et totus intra in alta præcordia cordis tui.

tium, de ore ejus prodibat vita populorum. Nos autem claudamus ostium, ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat. Intrat culpa, si lapsus exierit. Audi quomodo intret culpa. *In multiloquio*, inquit, *non effugies peccatum* (Prov. x, 19). Exivit multiloquium, peccatum intravit; quia in multiloquio nequaquam qui exeat sermo, trutinatur, imprudenter labitur, licet ipsum ultra mensuram aliquid loqui grande peccatum sit.

37. Et ideo cave ne imprudenter loquaris; labia enim imprudentis inducunt eum ad mala. Cave ne in oratione te extollas; oratio enim humiliantis se nubes penetrabit. Cave ne incaute Symboli vel Dominicæ orationis divulges mysteria. An nescis quam grave sit in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? Certe Dominus per Prophetam docuit hoc grave esse maledictum dicens: *Et oratio ejus fiat in peccatum* (Ps. cviii, 7); nisi forte mediocre id tibi putas esse. Diffidere est enim de potentia Dei, æstimare quod non audiaris, nisi clamaveris. Clament opera tua, clament fides, clament affectus, clament passiones tuæ, clament sanguis tuus, sicut sancti Abel, de quo dixit Deus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui ad me clamat* (Gen. iv, 10). Audit enim te in occultis, qui mundat in occultis. Nos nisi loquentem aliquem audire non possumus: apud Deum loquuntur non verba, sed cogitationes. Et ut hoc verum scias, dicebat Dominus Jesus ad Judæos: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (Matth. ix, 4)? Non interrogantis vox ista est, sed scientis. Quod tibi manifestat Evangelista dicens: *Jesus* **201** *autem sciebat cogitationes eorum* (Luc. vi, 8). Sicut ergo Filius novit, novit et Pater. Filium nosse cognovisti, Patrem nosse, audi consiliarium et testem Patris dicentem: *Scit enim Pater vester quid vobis opus sit, antequam petatis ab eo* (Matth. vi, 5). Coque ergo subcinericiam tuam vapore Spiritus sancti; coque etiam animi passiones verbi calore. Et si crudiores sunt passiones tuæ nuper fortasse de Ægypto egredientes, operito eas, et lento calore excoque; ne fortiolem ignem ferre non possint, et semiustulentur potius quam coquantur. ^a Sunt enim plurima quæ cruda displiceant, cocta delectent. Fove igitur pectore tuo alta mysteria; ne præmaturo sermone et infidis auribus vel infirmis quasi incocta committas, atque auditor avertatur et cum horrore fastidiat, qui si coctiora gustaret, spiritualis cibi perciperet suavitatem.

38. Divine autem Dominus Jesus et bonitatem te docuit Patris, qui bona noverit dare (Luc. xi, 13); ut quæ bona sunt a bono poscas: et impense et frequenter monuit orandum; non ut fastidiosa conti-

^a Sic edit. Rom. cum duobus mss. Vet. autem edit. et alii mss. legunt, *Sunt enim plurima, quæ præmaturo sermone*, etc., ommissis quæ interponuntur in nostra, et Rom. edit.

^b Mss. quatuor, *sed assidua. Frequenter offunduntur plerumque inania longæ precationi*, etc.

^c Vet. edit. et quatuor mss., *pro te roges, tantum-*

^a nuetur oratio, ^b sed ut assidua frequenter effundatur (*Ibid.*, 9). Plerumque enim inanis gloria longæ precationi, intermissæ autem prorsus obrepat incuria. Deinde monet (*Matt.* xviii, 15) ut cum ipse veniam tibi poscis, tum maxime largiendam aliis noveris, quo precem tuam operis tui voce commendes. Apostolus quoque docet (*I Tim.* ii, 8) orandum sine ira et disceptatione, ut non turbetur, non interpoletur oratio tua. Docet etiam orandum in omni loco, cum Salvator dicat: *Intra in cubiculum tuum* (*Matt.* vi, 6). Sed intellige non cubiculum conclusum parietibus, quo tua membra claudantur: sed cubiculum quod in te est, in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo versantur sensus tui. Hoc orationis tuæ cubiculum ubique tecum est, et ubique secretum est, cujus arbiter nullus est nisi solus Deus.

39. Orandum autem præcipue et pro populo doceris (*I Tim.* ii, 1), hoc est, pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ, in quo mutue charitatis est insigne. Si enim pro te roges tantum, ^c solus pro te rogabis. Et si pro se tantum singuli orent, minor ^d peccatoris quam intercedentis est gratia. Nunc autem quia singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis. Ergo ut concludamus, si pro te roges tantum, solus, ut diximus, pro te rogabis. Si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Siquidem et tu in omnibus es. Ita magna remuneratio est, ut orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia: In quo arrogantia nulla, sed humilitas major est, et fructus **C** uberior.

202 CAPUT X.

Exposito primo sacrificii, Cain defectu transitur ad alterum, quod scilicet non obtulerit de primitiis. Primitias animæ præcipue offerendas, et quæ illæ sint. Easdem Abelem obtulisse, ac legem offerendas præcepisse. Ibidem quinam dicantur Chananæi: item cur Deus jurasse memoretur: non posse sine illius ope animi motus pacari. Denique hos partus offerri debere ad quos sexus distinctio nihil conferat.

40. Sed jam est tempus alio transire, quoniam de eo quod post dies obtulit Cain plene diximus. Factus est indicium resupini, cum ipsa postulatio voti matura esse debeat; ne videamur de humanis artibus, hoc est, medendi peritia, herbarumque succis sperasse magis remedium, quam de Deo subsidium poposcisse. Ad ipsum enim prius est confugiendum, qui nostræ curare possit animæ passiones. Verum homines quidam præpostero ordine ante sibi ab hominibus opem arcessunt: ubi autem humana subsidia dederint, tunc opinantur divini postulandam favori gratiam.

modo pro te rogabis. Et infra, si pro te roges, tantum, ut diximus, pro te rogabis.

^d Ita vet. edit. et mss., excepto Flor. qui loco peccatoris, legit precatoris. Hanc vocem etiam exhibet edit. Rom. sed expunxit, *quam intercedentis*. Forte quod videretur idem esse peccator, qui intercedens; cum tamen intercedens intelligendus sit is, qui intercedit, id est, ut vulgo dicunt, qui se opponit.

41. Concluso ergo illo et convicto Cain crimine, aliud oblationis vitium discutiamus. *Obtulit*, inquit, *ex fructibus terræ*, non a primis fructibus primitias Deo. Hoc est primitias sibi prius vindicare : Deo au em sequentia deferre. Itaque cum vere anima corpori tamquam servo domina sit præferenda, utique primitias ejus, hoc est, animæ prius quam corporis offerre debemus. Primitiæ animæ primatus sunt bonarum disciplinarum. Quæ licet tempore posteriores sint, quam corporis primitiæ, quæ sunt esca, incrementum, visus, auditus, et tactus, odor, vox (mens autem et sensus pars animæ) pars corporis est, tamen priores sunt disciplinis. Quarum primitiva est puro corde et simplici sermone oblata Deo gratiarum actio.

42. Hæc munera obtulit Abel, et ideo respexit Deus in munera ejus, quoniam e primitivis obtulit. Accedit ergo quia de primitivis ovium, et de adipibus earum. Considera quia non de insensibilibus, sed de animantibus obtulit. Plus est enim animalis, quam terrenus; siquidem animalis proximus spiritali est. Non enim prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Quod animale spirat, habet vitalem spiritum : non ita quod de terrarum est fructibus. Deinde obtulit non secundæ, sed primæ; non exigua, sed pingua : talia enim lex probavit, et jussit offerri, sicut scriptum est : *Et erit, inquit, cum inducet te Deus in terram Chananæorum, sicut juravit patribus tuis, et dabit tibi; tolles omne quod aperit vulvam masculinum Domino. Omne quod aperit vulvam de armentis et pecoribus tuis, quæcumque nata fuerint tibi masculina, sanctifica Domino. Omne quod aperit vulvam asinæ, mutabis illud ove : si autem non mutabis, redimes 203 illud (Exod. XIII, 11 et seq.)*. Quid tam profundi mysterii, tam altæ secretæque sapientiæ, a quam ut in venis quibusdam verborum simplicium deprehendas atque haurias ubertatem gratiæ spiritalis? Chananæi enim mobiles et inquieti sunt. Cum igitur in eorum terram fueris ingressus, quos advertis propter levitatem, inquietudinem, et instabilitatem morum, possessione dejectos, tu teneto constantiam. Non te vilis ratio, non levis sermo perturbet; hoc est enim Chananæus, mobilis sermo, affectus instabilis, et inquieta contentio : sed magis tranquillitatem cordis, et animi serenitatem placidus servato; ut tamquam in salo maris tutam navibus stationem, portu quodam tuæ mentis exhibeas.

45. Hanc possessionem tibi Dominus pollicetur, et quodam sacramenti promittit vinculo, ut constantiam tuam firmet. Neque enim ideo Deus jurat, quod fide credentis indigeat, aut testimoniorum astipulationibus destitutus suffragium sacramenti requirat, sicut homines qui fidem nobis adsciscimus sacramento, et ideo juramus, ut credamur vera dixisse. Deus autem et cum loquitur fidelis est, cujus sermo

^a Mss. omnes, et vet. edit., *quam in quibusdam invenis verborum simplicium? Deprehendas licet, atque haurias, etc.*

A sacramentum est. Non enim propter sacramentum fidelis omnipotens Deus, sed propter Deum etiam sacramentum fidele est. Qua ratione igitur Moyses jurantem Deum inducit? Quia nos usu quodam mortalium claudimur, et velut echini cortice quodam nos vulgaris opinionis involvimus, aut velut cochleæ quæ nisi intra testæ operimentum sint, spirare non possunt, nec aerem liberum carpere aut sustinere : sic nos non nisi intra quædam humanæ consuetudinis latibula terrena versamur. Unde quia illud verius solemus credere, quod jurejurando firmatur; ne nostra claudicet fides, jurare describitur Deus qui ipse non jurat, sed jurantium judex, et ultor est pejerantium. Denique scriptum est : *Juravit Dominus, et non poenitebit eum : Tu es sacerdos in æternum (Ps. cix, 4)*. Servavit utique quod juravit, dedit nobis æternum principem sacerdotum : ut et tu quod juraveris, ita noveris esse servandum; ut quia per eum juras qui non mentitur, scias eum futurum, si mentiaris, ultorem.

44. Expulsis igitur inquietis et mobilibus cogitationibus, dabit tibi Deus vacuum possessionem cordis et mentis; ut eam cultu quodam tranquillitatis exerceas, et fructum ex ea capias, nec sustineas in ea Chananæos, hoc est, turbidos sensus recurrere; eradices gentilium vitiorum omnem conceptum; lucos eorum diruas quibus obumbratur veritas, et quidam cœlestis liber visus cogitationis horrore tenebræ disceptationis absconditur.

45. Sed hoc nisi divino donatus munere efficere non potes; ideo ait : *Dabit tibi Deus (Exod. XIII, 11)*, hoc est, 204 cogitationes optimas, placida consilia, tranquillitas inventiones. Cum dederit hæc, tolles omne quod aperit vulvam masculinum, et sanctificabis Domino. Non totum exigit a te Deus, qui totum donavit. Multa enim ad usum substantiæ largitur humanæ, et hoc non potest esse divinum sacrificium, ubi est usus naturæ. Edere, bibere, dormire, aliaque etiam ministeria corporis dono sunt tibi collata, non a te relata Deo munera. Quidquid autem sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia : sicut e contrario illa quæ cum in usu naturæ humanæ sint, non coinquant hominem; sed quod exit de ore, furta, falsa testimonia, sacrilegia, hæc sunt quæ coinquant hominem.

D 46. Interiora ergo nostra mundemus, ut possit oblatio non displicere. Ibi queramus omne quod aperit vulvam masculinum, hoc est, justum et principale, quod sanctificare Domino debeamus. Neque enim hi nos corporei ^b coitus, conceptus partusque sanctificant, quibus vulva feminea deflorato pudore virginitatis aperitur. Nam etsi mulier sanctificat virum, et vir mulierem; tamen plerumque contingit virginis vulvam etiam sine conjugii sanctitate reserari. Neque rursus sola virilis est gratia, mulier autem sanctificationis aliena est, aut utrius-

^b Ita Mss. et Rom. edit. Vet. vero edit., *corporei fetus.*

que sexus confusa natura est, ut uterque corporeos fundatur in partus. Habent sua munia viri, habent mulieres sexus sui officia discreta. Generatio ista successionis humanæ mulierem decet, impossibilis eadem viro.

47. Ergo si carnis usui non quadrat hic sensus, officia animæ discutiamus. Istam sane invenio, quæ nullo discreta sit sexu: et cum sexum non habeat, utriusque sexus munera repræsentat, nubit, concipit, parit. Et sicut feminis dedit vulvam natura, in qua uniuscujusque animantis generatio per menstruas formatur ætates: ita est quædam virtus animæ quæ velut quodam vulvæ genitalis secreto cogitationum nostrarum suscipere semina, conceptus fo-

vere, partus solet edere. Neque enim aliter diceret Esaias: *In utero accepimus, et parturivimus spiritum salutis* (Esai. xxvi 18); nisi vulvam animæ novisset. Harum generationum quædam femineæ sunt, malitia, petulantia, luxuries, intemperantia, impudicitia, aliaque hujusmodi vitia, quibus animi nostri quædam enervatur virilitas. Masculinæ sunt, castitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, quibus mens nostra, et caro ipsa firmatur, et ad obeunda impigre munia virtutis erigitur. Hos partus alvus ille propheticus parturivit. Et ideo ait: *In utero accepimus et parturivimus spiritum salutis. Masculum igitur et parturivit, et peperit, qui spiritum salutis effudit.*

LIBER SECUNDUS.

205 CAPUT I.

Animæ partus mature producendos: eorum quæ forma sit? Plebeios sensus mentis imperio domitari posse; duplex enim esse sensuum nostrorum genus; et in utro consistent primitiva Deo offerenda? Postremo de coniunctione qua constamus, ejusque primitiis disputatur.

1. Hos partus anima nostra parturiat, nec solum parturiat, ^a sed etiam pariat, et diebus pariat impletis; ne immaturos partus dies judicii deprehendat. De his enim partibus dixit Dominus Jesus: *Væ prægnantibus et nutriendis in illis diebus* (Luc. xxi, 25)? Maturius igitur absolvatur hic partus, et cogitationes nostræ honorum operum processibus explicentur; ut nihil imperfectum finis noster inveniat, nihil inexplicatum terminus vitæ nostræ offendat, nihil tamquam in incubæ positum usus nostri operis derelinquat. Festina igitur anima formare partus tuos, properantius absolvere, celerius quos genueris enutrire.

2. Quæ tanti formæ sit partus, demonstrat Apostolus dicens: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. iv, 19). In hanc formam tota mentis nostræ coalescant viscera, et in illo genitali alvo animæ nostræ Christus refulgeat. Partus noster fides sit, nutrimenta nostra præcepta doctrinæ sint. His quædam cordis nostri imbuatur infantia, instituatur pueritia, juvenulescat adolescentia, senecta canescat. Ætas enim senectutis vita est immaculata. Itaque ea demum bona est animæ senectus, quam nulla perfidiæ inquinamenta maculaverint. Et ideo partus suos ab hæc macula Paulus defendit: *Ego vos, inquit, genui in Evangelio* (I Cor. iv, 15); ne cuius sæva insusurratio rudis fidei tentaret infantiam. Masculina igitur generabat, qui in virum perfectum populos quos docebat, fidei gestiebat unitate concurrere, et in agnitione Filii

^a Edit. addebant, *secundum quod legitur; sed etiam, etc.* Mss. vero ut in textu.

^b In mss. Div. et Laud. desideratur vox, *separa-*

B Dei perfectam plenitudinis Christi tenere mensuram (Ephes. iv, 15). Hoc enim sacrificium acceptabile Deo noverat, de quo scriptum est: ^b *Separabis omne quod aperit vulvam masculinum, Domino* (Exod. xiii, 11). Et qui addidit: *Omne quod aperit vulvam de armentis et de pecoribus quæ sunt tibi, masculinum sanctifica Domino* (Ibid., 12); ne quid obscuritatis habeat, consideremus.

5. Dixerat de principalibus generationibus, hoc est, plenis capacibusque rationis: addidit et de gregalibus, hoc est, reliquis velut plebeis sensibus, qui irrationalibus comparantur jumentis. Quæ tamen cum a rectore aliquo gubernantur, facile mansuescunt; et imperata exsequi, et jugum subire, et ad vocem magistri accelerare gradum, aut sistere, aut deflectere, aut aliqua munia sui operis quæ jubentur, humano quodam famulatu obire consueverunt. Tantum valet institutio, ut vincat naturam! Itaque illa **206** quæ consortium nostræ substantiæ non habent, agnoscunt tamen nostræ vocis imperium: et cum suæ naturæ nullam rationem habeant, nostræ rationem capessunt, et quodammodo transfusam acquirunt. Equos videmus popularibus incitari studiis, gaudere plausibus, blanditiis delectari magistri. Torvos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere; et cum sint ipsi terribiles, discunt timere. Cæditur canis, ut pavescat leo: et qui sua injuria exasperatur, coercetur aliena, alteriusque exemplo frangitur. Quoties parata præda et cibo obvio famem perpeli malunt, dum offensam magistri verentur? Quoties repentino impulsu motu aperta ad morsus ora jussi resolvunt? Ita dum nostræ voluntati obsequuntur, suæ obliviscuntur. Non ita illæ feræ, vel illa armenta equorum, vel genus omne pecudum, quæ sine rectore vagantur ullo; et omni domitoris gubernaculo destituta exa-

bis; et post pauca in eodem, et Vat. secunda vox, *sanctifica.*

sperantur. Et ideo appositi sunt armentarii, opilio-
nes, cæterique pastores, quidam magistri gregum
officia sua singulis animantium sibi commissorum
conditione formantes.

4. Videtur ergo et sensuum nostrorum quoddam
genus aliud domitum et mansuetum: aliud indomi-
tum quod armentario quodam motu mentis velut
deside atque resoluta proruat ad irrationabiles de-
lectationes corporis: mansuetum autem quod velut
duci cuidam moderationi mentis se subiciat et
subdat. Quæcumque ergo ejus naturæ reguntur, ea
sunt masculina atque perfecta: quæcumque autem
sine duce ullo plebeia præsumptione quadam domi-
nantur, velut civitatis alicujus quæ regis optimatum-
que consilio privata sit, ita corporis sui omnem
statum et virilem vigorem muliebri quadam disso-
lutione effeminant. Ex his illa lex carnis est, quæ
legem Apostolicæ mentis impugnans, captivam tra-
hebat eam quadam lege peccati. Et ideo ut de illo
mortis corpore liberaretur, spem suam Paulus
omnem non in sua virtute, sed in Christi gratia
reponerat (Rom. vii, 25). Unde liquet quod hæ com-
motiones quæ secundum legem mentis sunt, ex di-
vino favore procedunt, alii autem sensus ex vo-
luptate corporea.

5. Illa igitur quæ sancta sunt, primitiva sunt nostrorum
sensuum: ista velut de quodam grege sunt, et
vilitate plebeia: ^a quæ varia videtur Moyses nomi-
nibus significasse diversis. Hoc enim declarat etiam
illa area legis mystica, de qua ait: *Initia areæ tuæ
et lacus tui non novissima facies. Primitiva filiorum
tuorum dabis mihi (Exod. xxii, 29)*. Sanctæ commo-
tiones sensuum nostrorum, quæ secundum virtutes
sunt, ipsæ sunt primitivæ areæ spiritualis: propterea
etiam rurali areæ comparantur, in qua ventilantur
frumenta. Sicut enim in hac rurali area excutitur
triticum atque hordeum; **207** et dum sæpius ven-
tilatur, separatur a paleis; quia paleæ cæteraque
purgamenta messis in diversum levis auræ spiramine
dissipantur; illa verò quæ solidiora sunt, in locum
eundem excusso pulvere relabuntur: ita cogitatio-
num nostrarum fruges quæ sunt solidæ atque opti-
mæ, puram atque sinceram exhibent virtutis alimo-
niam, sicut scriptum est: *Quia non in solo pane
vivit homo; sed in omni verbo Dei (Luc. iv, 4)*: quæ
autem inutiles sunt et vacuæ; disperguntur ut fumas
ac nebulae; quia sicut fumus oculis, sic iniquitas
utentibus ea. Et recte fumo iniquitas comparatur,
quæ velut quadam sæculari caligine aciem mentis
obducit.

6. Et ideo Dominus dicit: *Cum intraveritis in
terram in quam induco vos, et cum manducare cœpe-
ritis de panibus terræ illius, offeretis oblationem sepa-
ratam Domino, primitias conspersiois vestræ, panem*

*sicut oblationem de areâ: sic offeretis primitias^b confu-
sionum vestrarum, et dabitur Domino (Num. xv, 2 et seq.)*.
Confusio nos sumus, diversorum elementorum qua-
dam commixtionem compositi. Siquidem frigidum
calido, et humidum sicco miscetur in nobis. Hæc
consersio multas habet carnis illecébras, et pluri-
mas delectationes: sed non sunt hi primitivi hujus
corporis sensus, quia ex anima et corpore consta-
mus et spiritu. Hæc est consersio principalis, in
qua sanctificari nos Apostolus cupit, sicut ait: *Ipse
autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; ut integer
spiritus vester et anima et corpus sine querela in die
Domini nostri Jesu Christi servetur (I Thess. v, 23)*.
Cujus consersiois primitivæ spirituales sunt, hoc
est, inventiones et generationes sensuum qui ex vi-
gore animæ procedunt. Sed non omnes primitivi
sensus, nisi qui malitiæ et improbitatis, atque omnis
erroris exsortes sunt. Sunt autem necessariæ cor-
poris delectationes, ut dormiendi, edendi, bibendi,
deambulandi, et cæteri sensus hujusmodi; sed non
in his primitivæ. Et ideo non in his, sed in illis Do-
mini sacramentum, ubi castitas, pietas, ubi fides
atque devotio. Cujus rei manifestum et evidens
exemplum est oblatio patriarchæ Isaac, quem sacri-
ficii modo obtulit patrem nullius motu passionis in-
flexus humanæ, mundam offerens Deo hostiam,
vacuamque formidinis, et corporeæ cupiditatis in-
munem, cum ipsa pietas patris devotioni cederet
immolantis.

CAPUT II.

C *Primitias non tempore, sed sanctitate æstimari: cum
fide quæ imprimis necessaria est, conjungendū ad
verum sacrificium bona opéra: fructu mutandum
laborem, atque animam ab inutilibus liberandam
esse.*

7. Nunc consideremus quæ sit vis primitiarum,
et utrum tempore æstimentur primitivæ, an sancti-
tate, hoc est, utrum omnia **208** primogenita san-
ctificationem habeant primitiarum. Primitivæ etenim
fructuum sanctæ secundum legem (Num. xviii, 8);
quia in his optimum festinæ fidei sacrificium est:
sed sunt sanctæ devotione, non tempore; quia non
proventus sanctificat, sed devotio. Denique ubi celer
proventus est, si devotio moretur, offensa contra-
hitur. Non ergo omnia primogenita sancta: sed
omnia quæ sancta sunt, sunt etiam primogenita.
Denique Cain primogenitus, sed non sanctus. Sanctus
quoque Israel Dei populus, sed non primus
ætate; et tamen primogenitus appellatur, sicut
scriptum est in prophetis: *Primogenitus meus Israël
(Exod. iv, 22)*. Et Levi sanctus, sed non primoge-
nitus; nam tertius Liæ filius legitur (Gen. xxix, 34):
et tamen levitæ primogeniti nuncupati, quibus ab eo
nomen est derivatum. Scriptum est enim in Numere-

*consersio nos sumus. At in sensu inter consersio-
nem et confusionem hoc loco nulla est diversitas;
quod ex ipsis Ambrosii verbis manifestum est.*

^c Edit. omnes, *Ipse autem Deus Pater.*

^a Ita ms. Div. Cæteri, *quod varia . . . significasse diversis. Vat. unus, . . . significasse Judæis. Vel. edit., quod varie . . . significasse diversis. Rom. vero, quod variis . . . significasse Judæis.*

^b Rom. edit., *consersionum vestrarum . . .*

ris: *Ecce tuli levitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito qui aperit vulvam a filiis Israel, et erunt mihi levitæ; mihi enim omne primitivum. In qua die percussi omne primogenitum Ægypti, sanctificavi omne primogenitum Israel (Num. iii, 12 et 13).* Ergo levitæ primogeniti nuncupati, qui sanctificatione utique cæteris filiis Israel antelati sunt. Quæ ratione primogeniti sint, audi Apostolum dicentem: *Sed appropinquastis Sion monti, et civitati Dei vivi Hierusalem quæ in cælo est, et decem millibus lætantium Angelorum, a et Ecclesiarum primitivarum, quæ scriptæ sunt in cælo (Hebr. xii, 22).* Quatuor ordines fecit, montis Sion, civitatis Hierusalem, celebritatis angelorum, et Ecclesiarum primitivarum. Tulit ergo Dominus Deus de medio populi Israel levitas; quia non humanarum eos consortes voluit esse curarum, B sed divinæ religionis ministros. Et primogenitos sibi fecit qui vulvam aperiunt spiritalem; et ideo non erant ab utero naturæ, sicut diversorum criminum peccatores: sed b destructis cultoribus sæcularibus eliguntur. Unde non habent cum plebeia possessione consortium, nec in medio populi computantur; quia verbum Dei in medio sui possident, sicut scriptum est in Evangelio: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum (Matt. xviii, 20).* Et alibi: *Medius vestrum stat quem vos nescitis (Joan. 1, 26).*

8. Hinc ergo cognoscimus quod ante omnia fides nos commendare Deo debeat. Cum fidem habuerimus, elaboremus ut opera nostra perfecta sint. Si quidem hoc plenum est et perfectum sacrificium, sicut ipse Dominus docet nos dicens: De donis et c datis tuis observabitis offerre mihi in diebus festis meis, nihil detrahentes, neque dispersentes; sed plena et integra et perfecta offerentes. Festus autem dies Domini est, ubi perfectarum virtutum gratia est. Quæ tunc perfectæ sunt, si sollicitudinum sæcularium, et corporalis illecebræ victor animus delinimenta voluptatis excludat, liber a sæculo, Deo deditus, nihil de tramite directæ intentionis immi-nuens, nec affectus sui tempora nunc luxuriæ dividens, 209 nunc labori. Solus itaque sapiens hanc celebrat solemnitatem, nullus alius. Immunem enim huiusmodi passionum animam reperire difficile est. Divide ergo secundum rationem animæ principalia et obedientia, et tunc quid masculinum, quidve femininum sit deprehendes. Nulla enim sine labore virtus, quia labor processus virtutis est. Quod etiam legis ipsius verba significant, quæ dicit: *Omne quod aperit vulvam asinæ, mutabis ove (Exod. xiii, 13).*

a Edit. ant., et Ecclesiarum primitiarum (Gill., primitivarum) quæ scriptæ sunt in cælo . . . Angelorum, et Ecclesiarum primitivarum. Mss. tres cum Gill. edit. consentiunt. Vat. autem unus, et Ecclesiam primitiarum. Laud., et Ecclesiam primitivarum. Et hic cum Div., quæ scriptæ sunt, etc. Totum vero locum edit. Rom. exhibet in hunc modum: *et Ecclesiarum primitivorum, qui scripti sunt . . . Angelorum, et Ecclesiarum primitivorum.*

b Ita ms. Flor. At vet. edit. mss. Div. et Vat.

A Immunda enim animalia lex a sacrificio separavit, et pro his ad vicem munda jussit offerri. Asinæ ergo partum, hoc est, immundum jubet mutari ove, quæ munda et apta sacrificio est (Levit. xxvii, 27). Hoc est secundum litteram. Cæterum si quis d sensum spiritualis legis altius persequatur, libet considerare quod asina laboriosum sit animal, ovis fructuosum. Fructu ergo dicit mutandum laborem, ut finis operis sui fructus sit. Vel certe hoc modo: omnem laborem tuum, omnem industriam puro et simplici commendabis affectu.

9. *Si autem non mutabis, inquit, redimes (Exod., xiii, 13).* Jubetur ergo secundum litteram, ut animal aliud pro immundo animali offeratur, aut pretium; ne inter decimas fructuum vel minus aliquid, vel immundum videatur offerri. Intellectus autem profundior liberandam animam tuam docet, ut desistat ab iis quæ fructum non habent. Qui enim redimit se, liberat et quodam exuit debito. Relinquenda sunt opera quæ verum fructum, bonosque processus habere non possunt; qualia sunt ista mundana quorum usus non potest esse diuturnus. In quibus ipse nudus et veri vacuus effectus est; et quamvis summo quæsitus fuerit labore, animam nihil juvat. Ea enim quæ servitutem animæ inferunt, inutilia sunt omnia, etsi non desit effectus. Magna videtur præliantium victoria, triumphantium gloria: sed frequenter ipsos videmus qui vicerint, rursus bellorum subjacere incertis et transferri ad hostem eventu prælii, et eo ipso quo victores ante fuerint, fieri miseres. Opus est ergo ut opera tua ad Deum dirigas, et ejus tibi aspiret favor. Athleta ipse qui suis non alienis decernit viribus, quoties congregitur, dubios casus subire se credit. Et cum ad coronam pervenerit, intelligit citius hanc mundi gloriam tamquam coronæ ipsius folia marcescere. Gubernator cum in portus navim subduxerit, vix finem impostum labori putat, et statim quærit laboris exordium. Solvitur corpore anima, et post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri iudicii ambiguo suspenditur. Ita finis nullus, ubi finis putatur. Unde votis et pura conscientia et spiritu charitatis adhæreamus Deo nostro, et divinum nobis conciliemus favorem: precantes ut a sæcularibus curis tamquam ab immitibus et agrestibus dominis possimus absolvi atque exui, mundanoque exire servitio, in libertatem supernæ cognitionis quæ vera et sola est libertas, vocati.

210 CAPUT III.

Quod dixerat laborem fructu mutandum, exemplo

unus, destructis cultoribus eliguntur; alter Vat. et Laud., destructis sæcularibus eliguntur. Denique Rom. edit., destitutis cultoribus sæcularibus eliguntur.

c Mss. duo Vat. et Laud., et datis suis. Div. ac vet. edit., et datis tuis. Rom. edit., et datis meis. Sed locum illum his verbis in Scriptura nusquam reperimus; eumque ex variis Levitici præceptis concinnatum putamus.

d Edit. omnes; sensum spiritualis intelligentiæ altius, etc.

Judæorum in Ægypto servientium, et Evangelii testimonio confirmat; quoniam ex loco, et quo pacto liberanda sit anima, declarat; et Christum verum levitem, id est, liberatorem nostrum esse. Denique pulchra de utilitate quam affert justorum familiaritas, proponit.

10. Et ut præceptum legis exemplo astruamus, cum deprimerent Ægyptii Judæorum populorum in operibus variis, et luto ac lapide, ingemuerunt filii Israel, et Domini provocaverunt in se misericordiam. Et dixit ad Moysen: *Ego exaudivi gemitum filiorum Israel, quomodo Ægyptii in servitute depriment eos, et memor factus sum Testamenti mei. Vade et dic filiis Israel, ego Dominus, et educam vos de potentia Ægyptiorum, et eruam vos de servitute eorum, et liberabo vos in brachio excelso, et iudicio magno, et sumam vos mihi in plebem, et ero vester Deus, et scietis quoniam ego sum Dominus Deus vester qui educam vos de potentia Ægyptiorum, et inducam vos in terram in quam extendi manum meam (Exod. iii, 7 et seq.).* Ecce quomodo populus Hebræorum fructu mutavit laborem, ut qui in luto operabatur, a spe regni operaretur æterni. Et ideo Dominus in Evangelio inanem populorum gentilium miseratus laborem, qui lateres construerent lutulentæ superstitioni, et voluptati corporis dediti, solidum fidei murum ædificare non possent, velut ad quosdam asinæ fetus locutus ait: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia sum mitis et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (Matt. xi, 28 et seq.)* Qua vocatione plenius mihi videor verba legis et mysteria recognoscere: quia asinam aut commutandam ove docuit, aut redimendam pecunia; ut non solum asinæ partum ove, hoc est, mundis immunda mutemus, sed etiam redimamus. Quod videtur exprimi, si prius sacrificio purificationis, et mysterio baptismatis delictorum nostrorum inquinamenta lavemus; crimina quoque nostra bonis operibus, fideique pretio, et miseratione redimamus.

11. Pretium nostrum sanguinis est Christi. Unde et apostolus Petrus ait: Non auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine (I Pet. i, 18.) Et Paulus dicit: *Pretio empti estis, nolite effici servi hominum (I Cor. vii, 23).* Unde non otiose miramur in Evangelio quod super pullum asinæ sederit Dominus Jesus (Marc. xi, 7); quia populus gentilis cœpit esse Christi hostia, quia secundum legem habebatur immundus. Unde et de levitis scriptum est (Exod. xii, 13) quod sint redemptiones eorum; eo quod et sanctitate vitæ suæ et oratione peccata plebis lavarent. In quibus figura agni præcessit mysteriis verum venturum levitem, qui proprii corporis passione tolleretur peccatum mundi. Levites significatur susceptus pro me, vel ipse mihi levis; ipse enim perfectæ virtutis habet imperitendæ populo sanitatis indicium. Ipse ergo qui pro

^a Mss. Laud., *spem regni operiretur æterni.*

^b Ita mss. Edit. vero, *lavarent. In quibus figuralis*

salute universorum expectatus advenit, pro me est utero editus virginali, **211** pro me oblati, pro me gustavit mortem, pro me resurrexit. In quo omnium hominum suscepta est redemptio, assumpta est resurrectio. Ipse est verus levites; ut nos levitas faceret adhærere Deo, ipsi continuas preces fundere, de ipso salutem sperare, fugere terrena negotia, in Dei possessione numerari, sicut scriptum est: *Domine, posside nos (Exod. xxxiv, 9.)* Ea est enim sola possessio, quæ nullis obnoxia tempestatibus perpetuæ gratiæ ferat fructus. Redemptor levites est, quia vir sapiens redemptio insipientis est. Qui tamquam medicus ægrum insipientis animum fovet, et quædam aspergit solidiora menti prudentiæ medicamina, imitatus illum medicum qui de cœlo venit, ut demonstraret hominibus prudentiæ vias, et sapientiæ semitas parvulis revelaret. Videbat enim laborantes non posse sine remedio salvari, et ideo medicinam tribuebat ægris. Ideo omnibus opem sanitatis detulit; ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi ascribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere: Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia; eo quod ii qui pereunt, sua pereunt negligentia: qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Denique et Sodoma si habuisset quinquaginta justos, non esset eversa, et si decem habuisset, esset redempta; eo quod sermo remissionis peccatorum animam servitute exuat, et disciplinæ plenitudo perfectæ mentem non sinat edaci libidinum vapore consumi.

12. Plurimum tamen refert, et moralem ædificat affectum, si etiam numerum justorum simpliciter accipiamus prodesse populorum saluti. Comprimit et resecat invidiam, confundit improbitatem, virtutem incitat, auget gratiam. Nemo enim invidere debet alteri laudem quæ sibi prosit: atque improbus quisque redemptorem suum dum suscipit, frequenter imitatur; certe veneratur, plerumque etiam diligit. Ipse etiam si aliis profuturum sciat, studiis augetur, eaque gratia connectit populos, accumulatur charitatem civium, urbium gloriam. Quam beata civitas quæ plurimos justos habet, quam celebrabilis ore omnium: quomodo benedicatur tota de parte, et beatus atque perpetuus ejus status æstimatur! Quam gaudeo cum aliquos mites ac sapientes diu vivere video, cum virgines castas, viduas graves aspicio longævus, velut quamdam incanam Ecclesiæ curiam quæ prætendat ipso quodam vultu et specie gravitatis quod revereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur! Non enim ipsis gaudeo, cum vivendo multa subeant tædia sæculi hujus, sed quia prosunt pluribus. Similiter dum aliquis hujusmodi decidit, quamvis longa senectute depositus, afficior; quia destituitur grex juvenum muro senili. Denique perituræ urbis, aut malorum imminentium, vel futuræ agni præcessit mysterium, etc.

labris hoc primum indicium est, ^a si decedant viri consultiores, vel etiam graviores feminæ. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Sicut ergo urbs tota solidatur atque urgetur cœtu sapientium, vel obitu labefactatur: ita sermo gravis, et quidem senilis **212** plenius prudentiæ stabilire uniuscujusque animam, et confirmare mentem solet. Jam si accedat multarum lectionum usus, plurimorum præceptorum et consiliorum quidam senatus, velut perpetuum urbis ejus quæ in singulorum est præcordiis, statum efficit.

CAPUT IV.

Quare Moyses levitas appellavit primogenitos et redemptores, eorumque urbes redemptrices designavit? Cur non sit absurdum piis cohabitare facinorosos? De duabus in Deo virtutibus, misericordia et justitia, atque earum ministris; deque eo quod malitiæ egressus semper virtutis operetur ingressum, et contra; ut Evangelicis exemplis comprobatur.

13: Ideo ergo primogenitos et redemptores cæterorum levitas Moyses appellavit (Num. III, 12); quod maturioris et utilis sententiæ viri altero senectutem quamdam animæ præferant, altero redemptionem conferant. Unde et civitates levitarum in veteri Testamento redemptrices significavit Moyses (Num. xxxv, 6); quia is qui confugit ad eam animam, in qua habitat Dei Verbum, quæ urbis modo munita atque vallata sit, perpetuam libertatem acquirit sibi. Sicut enim in civitatibus levitarum erat pœnarum remissio; ut si quis ad eas confugeret, qui non voluntariam necem hominis admiserat, nulli eum occidere liceret intra urbes dumtaxat positum levitarum: ita quem peccati proprii pœnitet, quod aut imprudenter aut invitus admisit, si levitarum adhiereat incolatui, et ab illis præceptoribus qui Dei mandata dispensant, recedendum non putet, lex ipsa ab omni eum commissi flagitii pœna supplicioque liberat.

14: Nec absurdum putes quod facinorosi cohabitant piis, ac maculosi sacratis. Opus enim habent purificari qui aliquo polluti sunt delictorum contagio. Et quodammodo diverso genere causa concurrit. Sicut enim levites mundanis voluptatibus abdicatus, exsil est culpæ, ita sanguinis reus, fugitivus est patriæ. Sed hoc interest, quod iste necessitate suos deserit propter metum legis: minister autem Dei humanarum consortiis renuntiat passionum, et quadam carnalis illecebræ se abdicat necessitudine propter studia virtutis. Etiam illud non abhorret a vero, quod et iste velut quasdam in se manus injicit; ut

A interficiat voluptates sui corporis, et quemdam suæ carnis operetur interitum. Interfecit nempe Moyses Ægyptium, et fugax factus est de terra Ægypti, ut declinaret ejus terræ tyrannum. Sed non ante illum interfecisset Ægyptium hominem, nisi prius in se nequitiae spiritalis Ægyptium interemisset, et abdicasset se regalium luxu honorum, majus patrimonium æstimans thesauris Ægypti opprobrium Christi. Quod stultis quidem videtur opprobrium: nobis autem illud opprobrium Dominicæ crucis virtus Dei est atque sapientia.

15. Accedit eo, quod duo quædam in Deo principalia sunt genera virtutum, unum quo remittit, aliud quo vindicat. Remittuntur peccata ^b per Dei verbum, cujus levites interpretes et quidem exsecutor est (23, q. 5, cap. Remittuntur; et de Pœnit. dist. 1, cap. Verbum Dei): remittuntur etiam per **213** officium sacerdotis, sacrumque ministerium: puniuntur quoque per homines, sicut per iudices, qui potestate ad tempus utuntur, sicut Apostolus docet dicens: *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa; c Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat; enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* (Rom. xiii, 4). Puniantur peccata etiam per populos, sicut legimus (Esai. xiii, 17); quia sæpe ab alienigenis Dei jussu excitatis propter divinæ majestatis offensam subjectus factus est populus Judæorum. Nec is quidem (45, q. 1, cap. Nec is qui) qui invitus aliquod fecerit homicidium, extra ministerium est. Siquidem lex ait de eo: *Quia Deus dedit eum in manus ejus* (Exod. xxi, 13). Manus ergo ejus instrumenti modo divinæ ultioni ministerium præbuerunt. Levites igitur minister remissionis est: percussor autem qui tamen non ex dispositione, sed præter voluntatem fecerit homicidium, divinæ minister est ultionis.

16. Illud quoque specta, quia cum interficitur impius, Christus infunditur. Et ubi abominatio aboletur, sanctificatio ^d congregatur; quia Dominus dixit: *In ea die qua interfeci omne primogenitum Ægypti, sanctificavi mihi omne primogenitum Israel* (Num. III, 13). Quod non ad unum diem afflictionis Ægypti referes, sed ad omnè tempus. Cum enim rehuntiatur improbitati (32, q. 1, cap. Cum renuntiat), statim adsciscitur virtus. Egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum: eodemque studio quo crinien excluditur, innocentia copulatur. Habes hoc in Evangelio (Joan. xiii, 2); quia ubi Satanas immisit se in cor Judæ, Christus recessit ab eo, momentoque eo quo illum recepit, hunc amisit. Denique sic scriptum est: *Et post*

^a Vet. edit. et duo mss., *si decidant*; unus, *si decidantur*. Omnes edit., *virii consultiores*; mss., *virii consultiores*.

^b Gratianus de Pœnit., dist., c. *Verbum Dei*, et Magister sent. in iv, dist. 18, in hoc loco citando nec verba nec sensum Ambrosii exhibent.

^c Codex Vat. unus, *Dei enim minister est vindex in iram, tibi in bonum*. Edit. Era. et Gill., *Dei enim ministra est tibi in bonum*.

^d Mss. duo: *consecratur*. Edit. Rom., *cumulatur*. Vet. cum tribus aliis mss., *congregatur*. Et post tria verba ubi Rom. edit. cum duobus mss., *die qua interfeci*, etc.; ibi vel. edit. cum tribus aliis codicibus, *die in qua interfecero*: . . . *sanctificabo mihi*, etc.; sic etiam Gratian. loco citato. Sed hæc lectio cum sacro textu minus consentit, legitur enim ἐν ἡμέρᾳ ἐπάταξα πᾶν πρωτότοκον . . . ἠγάπα ἐμοί, etc.

buccellam introivit in eum Satanas (*Ibid.*, 27). Dixit ergo illi Jesus : *Quod facis, fac celerius. Quid illud? Ut quia introierat in illum Satanas, ipse abiret a Christo. Ejicitur itaque et excluditur, eo quod jam cum Domino Jesu esse non possit; quia coeperat esse cum diabolo: nulla enim communicatio Christi cum Belial. Unde statim imperio expulsus accessit, sicut legimus, dicente Evangelista: Qui cum accepisset buccellam, exivit continuo (*Ibid.*, 30); erat enim nox. Non solum exivit, sed continuo, et nocte exivit. Nec mirum si noctis tenebras habebat, qui Christum deserebat. Verum sicut ipse receptus a diabolo, exclusus a Christo est: ita Zachæus renuntians avaritiæ, Christum recepit. Meritoque videns studium ejus, quod in arborem ascendisset, ut transeuntem Jesum videret, dicit Dominus: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua manere me oportet. Et descendit festinans, et excepit illum gaudens (*Luc.* xix, 5 et 6).* Sed excipiendo Christam, exclusit avaritiam, relegavit perfidiam, renuntiavit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Christus, nisi ut vitia excludat; quia non cohabitatur erroribus. Denique de templo ejiciebat nummularios, quia ipse volebat habitare. Unde Zachæus hoc intelligens, quia Christi veteri suo suscipere affectu non poterat, superiora vitia exire suo jussit hospitio, ut Christus intraret. Merito igitur **214** Pharisæis obmurmurantibus quod Dominus Jesus ad hominem peccatorem divertisset manere, dixit ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si cui aliquid fraude abstuli, reddo quadruplum (*Ibid.*, 8).* In quo illis respondit qui dicebant peccatorem Christo hospitium non debuisse præbere: Hoc est, jabi non sum publicanus, non sum ille Zachæus, non prædō, non fraudator. Reddo quæ sustuli, reddo quæ auferre consueveram. Jam dono pauperibus, quos ante nudabam: jam mea confero, qui aliena rapiebam. Fugerunt crimina postquam Christus intravit. Discussa est omnis carnalium cæcitas passionum, ubi æternæ vitæ lumen infusum est.*

CAPUT V.

Adipes ac pinguedo sacrificiorum et hostiarum quid significant.

17. Diximus de primogenitis, dicamus etiam de adipibus, de quibus satis docet David dicens: *Sicut D adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Ps.* lxxii, 6).* Et supra ait: *Et holocaustum tuum pingue fiat (*Ps.* xix, 4).* Hoc docens acceptabile esse sacrificium, quod pingue, quod nitidum, et quodam pabulo fidei ac devotionis, verbique cælestis uberiore alimonia saginatum est. Frequenter pingue opus dicimus quod spissum et operosum intelligi velimus: et optima hostia prædicatur, quæ non sit tenuis, non sit exilis.

^a Rom. edit., quæ auferre consueveram.

^b Edit. vet. ac Paris. quædam, quod optimum cupimus declarare.

^c Apud Philonem a quo hæc desumpsit Ambrosius, legitur καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἐπειρά, id est, et tandem com-

Unde et sacrificium pingue recte nuncupamus, ^b quod optimum cupimus declarare: Sed etiam illud documento, est quod pingues vacca prophetica interpretatione annis fertilibus comparatæ sunt (*Gen.* xli, 26).

CAPUT VI.

Quid sibi velit quod Dominus ait: Si recte offeras, non recte autem divides, peccasti, quiesce; et de quatuor generibus quibus sacrificia commendabantur, quorum si quid desit, sacrificium non probatur, cum pulcherrima istorum morali interpretatione.

18. Nunc consideremus quid sit quod ait Dominus: *Si recte offeras, non autem recte divides, peccasti, quiesce.* Quod indicium est Deum non muneribus oblati placari, sed offerentis affectu. Denique condemnati oblato muneris Cain, quia pro conscientia insinceræ oblationis intellexit Deo sacrificium suum non probatum, et tristis est factus. Quando enim mens sibi recti est conscia, gratulatur, et infusione quadam spiritali repletur animus gaudio, cum alicujus vel studia, vel opera a Deo probantur. Tristitia igitur Cain conscientia testimonium, repulsæ indicium est. Et quamvis obtulit munus; tamen quia non recte et jure divisit, culpam incidit.

19. Quatuor enim genera sunt quibus sacrificia commendabantur. Si aut novæ novorum essent, aut frixa, aut divisa, ^c aut continua. Novæ novorum primo tempore anni, quæ ^d specie in primogenitis fructibus æstimabantur: nunc autem revelatum est eos significari, qui per baptismatis **215** sacramenta renovantur. Hoc est enim vere sacrificium primitivum, quando unusquisque se offert hostiam; et a se incipit, ut postea munus suum possit offerre (*Rom.* xii, 1). Novæ igitur fides renovatorum, valida, pubescens; incrementum virtutis acquirens, non remissa, non fessa, non senio quoddam marida, et vigore ignava, apta sacrificio est, quæ pullulet quodam virenti germine sapientiæ, et juvenili divinæ cognitionis fervore pubescat; habeat tamen succum doctrinæ veteris. Sicut enim novi, ita et veteris Testamenti debet doctrina concurrere, quia scriptum est: *Manducate vetera veterum, et vetera a facie novorum auferite (*Levit.* xxvi, 10).* Cibus nobis sit cognitio patriarcharum; epuletur animus in prophetarum oraculis: tali sagina mens pascatur interior. Sed jam non species agni sit, at veritas corporis Christi. Non umbra legis perstringat oculos: sed aperte Dominicæ gratia passionis, et splendor resurrectionis aciem mentis illuminet.

20. Si autem offeres sacrificium de primitivis ovibus, frixum in igne, frixum pingue, offeres sacrificium primitivorum, sicut scriptum est (*Levit.* vii, 2): quod significat fidem tuam velut igni probatam esse

minuta. Sed in interpretatione allegorica non differunt.

^d Sic tres mss. et edit. ant. Ms. Laud., quæ spicæ. Lectio forte non contemnenda. Rom. edit., quæ spicæ.

debere, et sancto fervere spiritu. Denique coxit len- A tem Jacob, et fratri primatus benedictionis eripuit, quos utique solida consequeretur fides. ^a Hic ergo robustus et vividus augebatur: ille autem qui cibum suum coquere nesciebat, fatigatus atque deficiens defluebat. Uratur igitur verbo Domini sicut igne virtus animæ tuæ. Vide ustum Joseph, sicut scriptum est: *Eloquium Domini ussit eum (Ps. civ, 19)*. Torreatur fides tua sicut spicæ messium. Tunc enim maturitatem fructuum præferunt, cum eas primo solis processu tempora æstiva torruerint. Sermo igitur plurimus Scripturarum animam confirmat, et quodam spiritalis gratiæ colorat vapore; rationabilia quoque inventa corroborat, dissolvitque omnem vim irrationabilium passionum. Ideoque Esau laxatis virtutis suæ nexibus dissolutus est. Illi autem qui succincti B lumbos non crudum, neque coctum in aqua, sed assatum in igni caput agni edere jubebantur, sicut habes in Exodo, forti ac fideli animo, pedestri itinere maria transfretarunt (*Exod. xii, 9*). In Evangelio quoque assos pisces Dominus Jesus manducabat, sicut scriptum est (*Luc. xxiv, 43*), in quo plenitudo sancti Spiritus redundabat. Et fortasse ideo deficiebat Esau, quia coctum in aqua desiderabat cibum, quem Jacob quasi inhabilem sibi donavit infirmo.

21. Oblationem atque orationem oportet non confusam esse, sed competenti divisione distinctam. ^b In omni enim re confusione melior est distinctio; multo magis in oratione atque oblatione, quæ nisi certas divisiones habeat, fit obscurior. Ideoque hostiæ plerumque membra lex dividi jubet, et C holocausta offerri (*Levit. i, 6*); ut sine admixtione et ^c operimento aliquo nudum sacrificium sit; eo quod nuda atque omnibus exuta involucris debeat fides nostra fervere; ^d ne vagis et fallacibus opinionibus induatur, sed pura atque sincera simplicitas mentis appareat. Deinde in partes dividatur congruas. Virtus enim **216** genus est, quæ dividitur in plurimas species: sed principales quatuor sunt, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Redoleat igitur oratio tua prudentiam erga cognitionem Dei, et veritatem fidei: redoleat temperantiam quam etiam a conjugibus exigendam putavit Apostolus dicens: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi (1 Cor. vii, 5)*. ^e Et lex castigatos ante hesternum et nudivestianum diem ad sacrificium D accedere jubet (*Exod., xix, 10*). Fortitudinem teneat oratio, ut nullo interpoletur metu, nulla lassitudine deficiat. Tunc enim debet esse intentio ad precandum robustior, cum urgemur adversis. Justitiam custodiat precatio, quam si tenuisset Judas, non in peccatum facta esset ejus oratio. Quando enim magis ab injustis operatis ac pravis studiis abstinere debemus, quam tunc quando Dei justitiam deprecamur? Et ideo Do-

^a Cod. Div. et Laud., *Hic ergo rubus (forte rubeus) et individuus.*

^b Mss. duo Vat., Div. et Laud. cum antiq. edit., *In omni enim confusione melior est distinctio.*

^c Vet. edit. cum quatuor mss., *operimento aque; e*

minus, ut cordi nobis esset justitia: *Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum (Matt. v, 10)*. Hæc enim defuit Judæ; nam si adfuisset, non tradidisset Dominum, non prodidisset magistrum. Defuit sacrificio etiam Cain istius, qui si tenuisset justitiam, Domino debuit primitiva munera, non posteriora deferre. Defuit itaque ei divisio, ideoque responsum ait: *Si recte offeras, non autem recte divides, peccasti, quiesce.* Vides quantum sit vitii. Ubi deest divisio, ibi totum sacrificium refutatur.

22. Superest ut de continua et jugi oratione dicamus, quod immorari nos et vacare orationi oportet. Pernoctabat Dominus in oratione, non ut sibimet prodesset, sed ut nos doceret. Frequens enim oratio quamdam operatur disciplinam orandi; quia ipse usus docibiles Dei facit, indocibiles negligentia. Bona igitur exercitatio. Denique corporis virtus exercitatione augetur frequenti: at inexercitata minuitur et labitur. Plurimi enim exercitii dissuetudine etiam naturalem dissolvere virtutem. Similiter animæ fortitudo exercitationis assiduitate solidatur; ut labor ipse disciplinæ sit non oneri futurus, sed usui. Hunc cibum menti nostræ deferamus, qui multa attritus meditatione ac politus, cor hominis sicut illud cæleste manna confirmet. Quod non otiose tritum ac politum accipimus; eo quod cælestium scripturarum alloquia diu terere ac polire debemus, toto animo et corde versantes; ut succus ille spiritalis cibi in omnes se venas animæ diffundat. Ergo si tamquam pubescens adolescat fides, quæ defectum senescentis devotionis ableget, et spiritu ferveat, et congrua distinctione teneatur mensura legitimæ divisionis, et assiduitas commendat gratiam; tunc fit illud pingue, et tamquam adipale precatiois genus, de quo dicit Propheta: *Impinguasti in oleo caput meum (Ps. xxii, 5)*. Sicut enim agni multo lacte pinguescunt, et sicut oves bene pastæ adipe nitent: ita apostolico succo pasta fidelium pinguescit oratio.

23. Horum si desit aliquid quæ superius diximus, sacrificium non probatur. Ideoque dictum est ad Cain: *Si recte offeras, non autem recte 217 divides, peccasti.* Namque mundus ipse distincte legitur factus, cum esset ante incomposita pars ejus; quia *Terra erat invisibilis, et incomposita (Gen. i, 2)*. Nempe lux primum facta est, et vocavit Deus lucem, et separavit Deus inter lucem et tenebras, et vocatæ sunt tenebræ nox. Et per ordinem singula quod facta sint legimus, cælum, terra, ligna fructifera, animalia diversa. Distributa autem sunt leviora superioribus, ut aer et ignis: graviora inferioribus, hoc est, terra et aqua. Utique simul omnia fieri jubere potuit Deus: sed distinctionem servare maluit, quam nos in omnibus imitemur negotiis, et maxime in vicissitudinibus

quibus unus Vat., *mundum sacrificium sit.*

^d Vet. edit. et cod. Flor., *Ne vanis et fallacibus.* Rom. sola, *ne variis, etc.*

^e Edit. omnes; *Et lex castigatos; etc.*

gratiarum, in quibus non satis est reddere quod acceperis, sed commendare quod reddas. Nam si quis debitum solvat, et in referendo injuriam faciat creditori, intolerabilius est utique, quam non reddidisse quod debebat. Non ergo quantitas solutionis, sed animus reddentis, et qualitas consideratur, et affectus. Recte igitur Cain obtulit; quia oblatio insigne devotionis, et indicium gratiarum est: sed non recte divisit; quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, ut a gratia inchoaret auctoris. Etenim divisionis hic ordo est, ut prima secundis, non primis secunda præcurrant; et cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferantur.

CAPUT VII.

Deum qui in Adamo docuit non peccandum, in Caino docuisse non defendendum peccatum. Et ibi quam proclive sit ab impietate in alia scelera præcipitari. **B**

24. Sed quia Cain confudit hunc ordinem, dicitur ei: *Peccasti, quiesce* (Gen. iv, 7). Omnia docet Deus. Primum ne pecces, ut in Adam monuit: secundo, si peccaveris, quiescas, ut in Cain doceris. Erubescere enim debemus, et condemnare peccatum, non defendere; quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Et silendo corrigimur, contentione prolabimur. Sit saltem verecundia, ubi non est absolutio. Inde illud: *Justus in exordio sermonis accusator est sui* (Prov. xviii, 17). Et iterum ab ipso Domino alibi dictum legimus: *Dic iniquitates tuas, ut justificeris* (Esai. xlvi, 26). Quanta pudoris gratia, ut justitiam teneat verecundia, quam culpæ reatus abstulerit! Ideo autem ait: *Quiesce*, quoniam non habes quod excuses. Culpæ ipsius ad te conversio est. Non enim frater ei^a addicitur, sed error ascribitur, cujus ipse sibi auctor est. In te, inquit (Gen. iv, 7), revertitur crimen, quod a te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis, quam mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas tua, tu princeps es illius (Ibid.).

25. Bene ait: *Tu princeps es illius*. Etenim impietas mater quædam est delictorum; et qui graviora peccaverit, in cætera facile prolabitur. Quomodo enim potest ab humanis temperare qui divina violavit, et hominibus bonus esse qui Deum læsit? Atrociorum igitur scelerum reatum vitia reliqua sequuntur; quoniam quo flagitiosa propenderint, eo inclinant cætera. Tu ergo princeps operis tui, tu dux criminis. Non te invitum, **218** non imprudentem error attraxit: sed voluntarius reus iudicio, non lapsu fecisti dolum, quo divinæ injuriæ reum ipse convincis.

CAPUT VIII.

Cain admonitione sprete insolentiam et crimen auget.

Ejusdem verbis: Eamus in campum, significari ostenditur pravis actionibus deserta loca et sterilia convenire.

26. Admonitus igitur ut quiesceret, auget insolentiam,

^a Antiq. edit., adjicitur. Rom. et mss., addicitur.

^b Edit. vet., ostenderet futura supplicia noxiora. Rom., ostenderet quanto forent noxiora futura supplicia. Mss. quatuor, ostenderet quanta essent futura

iam, acerbat flagitium. Quid igitur sibi vult quod ait: *Eamus in campum* (Ibid., 8); nisi quia locus nudus gignentium eligitur parricidio? Ubi enim frater habebat occidi, nisi ubi fructus deesset? Tamquam præsagens natura tanti sceleris loco germinat denegaverat; quia non conveniebat, ut idem solum et contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, et fructus secundum naturam germinaret. Merito ipse dicit: *Eamus in campum*. Non dicit: *Eamus in paradisum*, ubi poma florent, non in aliquem cultum et fructiferum locum. Ipsi parricidæ indicant fructum se sceleris habere non posse, nec penes eos fructum manere, qui tantæ impietati præbuerint officium. Nam ipsam refugiunt elementorum benignitatem, ut iste Cain qui videtur veritus, ne largior boni terra proventus triste facinus impediret, et liberalitatis assuetudine genitalis, quæ facit sibi fetus et fructus varios germinascere, in hoc quoque criminis apparatu vel muta specie sui fraternum revocaret affectum. Latro diem refugit quasi criminis testem, lucem adulter erubescit quasi adulterii consciam, parricida terrarum fecunditatem fugit. Quomodo enim poterat communis partus videre consortia, qui consortem sui sanguinis trucidabat? Joseph in lacum mittitur siccum, Ammon intra domum occiditur. Justum igitur natura est impertita iudicium, ea loca in quibus erat futurum parricidium, muneris sui dote privando: ut ex innocentis soli quadam damnatione ostenderet^b quanta essent futura supplicia noxiorum. Propter scelus igitur hominum et ipsa elementa damnantur. Denique David montibus, in quibus Jonathas cum patre interemptus est, perpetuæ pœnam sterilitatis optavit dicens: *Montes qui estis in Gelboe, neque ros, neque pluvia cadat super vos, cœ montes mortis* (II Reg. i, 21).

CAPUT IX.

Deum interrogasse Cainum, non ut disceret, sed ut eum ad confitendum induceret. Hujus responsio in Deum ac naturam impia; eique opposita Dei responsio germanitatis pietatem egregie docere ostenditur. A Deo justos audiri etiam mortuos, quod nimirum ei vivant, et peccatores mortui sint. Hos malis præsentibus ac futuris cruciari, magis tamen sollicitari præsentibus.

27. Nunc consideremus qua ratione interrogavit Deus Cain ubi esset frater suus, quasi nesciret occisum. Sed quod ad scientiam Dei spectat, negantem arguit, et insipienti quasi sciens respondit: *Vox sanguinis fratris tui ad me clamat* (Gen. iv, 10): quod autem ad rationem profundam attinet, **219** peccantes admonet ad pœnitentiam. Confessio enim pœnarum compendium est. Inde in iudiciis sæcularibus impositi equuleo torquentur negantes, et quædam tangit iudicem miseratio confitentis. Est quædam

supplicia noxiora. Legendum forte, quanto essent, etc. Nos vero Land. codicis lectionem, ut omnium optimam, sumus secuti.

^c *Montes mortis* in sola Rom. edit. desiderantur.

in peccatis verecundia, et poenitentiae portio crimen fateri, ^a nec derivare culpam, sed recognoscere. Mitigat judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. ^b Vult te provocare ad poenitentiam Deus, vult de se sperari indulgentiam, vult demonstrare tua confessione quod non sit auctor malitiae. Nam qui peccatum suum ad quamdam referunt, ut gentiles asserunt, decreti aut operis sui necessitatem, divina arguere videntur, quasi ipsorum vis causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua coactus occiderit, quasi invitus occidit. Ea vero quae a nobis sunt, excusationem non habent: quae autem praeter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quanto gravius peccato ipso ad Deum referre quod feceris, et reatus tui invidiam transfundere in auctorem non criminis, sed innocentiae.

28. Perpende autem parricidae responsionem: *Nescio*, inquit, *numquid custos fratris mei ego sum* (*Gen. iv, 9*)? Etsi contumaciam prodat hic sermo, sonat tamen quia si bonum fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis. Quem enim magis, quam fratrem servare debuerat? Sed quomodo germanitatis servaret officium, qui necessitudinis ^c non agnovisset affectum? Aut quomodo fieri posset, ut naturae obedientiam deferret, qui Deo reverentiam non exhiberet? Negat primum quasi apud ignorantem: recusat fraternae munus custodiae, quasi exsors naturae: declinat judicem, quasi liber arbitrii. Quid miraris si pietatem non agnovit, qui non agnovit auctorem? Et ideo doceris hac serie Scripturarum fidem esse radicem virtutum omnium. Unde et Aposto-

29. Congruue igitur respondit Dominus tam imprudenter neganti, dicens: *Vox sanguinis fratris tui ad me clamat* (*Gen. iv, 10*), hoc est, cur nescis ubi est frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos frater te latere non debuit. An quia parentes tui accusatores esse non possunt? Nolo enim ut ea necessitudo quae est auctor salutis, fiat auctor periculi. In te solo leges suas natura amiserit. Ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accusare non debent? Sed eo major est condemnatio tua. Nam si chara necessitudinis nomina accusare non debent, multo magis non debent occidere. Sed si me testem abnuis, et refugis arbitrum, vox sanguinis fratris tui testis est, quae ad me clamat. Illa te majore auctoritate arguit, quam si frater viveret. Soli eratis, quis eum potuit alter occidere? Si accusas parentes, parricidam probas. Potuit fratrem

^a Ms. Laud., *nec dejurare culpam*. Melius alii et edit., *derivare*. Est autem culpam derivare, eam a se in alium transferre.

^b Tres mss., *Vult te provocare ad veniam*.

^c Div., *non agnovisset effectum*.

^d Ita edit. tum priscae, tum recentiores. Contra vero mss. omnes, *hoc est, innocentiam et gratiam ger-*

manitatis etiam in ipsa morte servat. Potuit parricida **220** esse, qui de parricidis se ortum probare desiderat.

30. Et bene ait: *Vox sanguinis fratris tui clamat*, non frater clamat. Hoc ^d innocentia et gratia germanitatis etiam in ipsa morte servat. Non accusat frater Abel, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima ejus, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Simul ^e querela criminoso adimitur. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimem proprio facinore confitetur. Minor est sermo, quam factum. Est tamen etiam terra testis, quae cepit sanguinem. Et bene ait: *Vox sanguinis fratris tui de terra clamat*: non dixit, de fratris clamat corpore, sed *de terra clamat*. Et si frater parcat, terra non parcat. Si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est, in te et testis et iudex: testis acrior, quae adhuc parricidii tui sanguine madet: iudex asperior, quae tanto scelere coinquinata est, ut aperiret os suum, et exciperet sanguinem fratris tui de manu tua. Et illa quidem aperuit os suum, quasi exceptura de fratribus verba pietatis, nihil timens cum fratres videret, quae sciret jus germanitatis amoris incitatum esse, non odii. Nam quomodo poterat parricidium suspectare, quae adhuc non viderat homicidium? Sed tu effudisti sanguinem, cujus dolens ipsa contagium: ^f *Non augebit*, inquit, *virtutem suam dare tibi*. Quam innocens ultio, ut quae tam graviter violata fuerit, satis habens non prodesse, non quaerat nocere.

31. Non mediocre etiam dogma quod ait: *Vox sanguinis fratris tui ad me clamat*; quia Deus justos suos audit etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. Et merito pro viventibus habentur; quia etiam si corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur aeterna. Justorum ergo audit sanguinem: avertit se autem a precibus impiorum; quoniam etiam si videantur vivere, miseres tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam. Quid enim aliud est quam sepulta, quae intra humum volvitur, et terrenae avaritiae cupiditatibus, caeterisque vitiis includitur, ut gratiae coelestis auram spirare non possit? Hujus modi peccator a terra maledictus est, quae est infima et postrema pars mundi. Superius utique caelum, et quae in caelo sunt, sol, luna, et stellae, Throni, Dominationes, Principatus, et Potestates, Cherubim et Seraphim. Non est ergo dubium quod eum et superiora damnaverint, quem inferiora dam-

manitatis etiam in ipsa morte servat. Difficile sit, ultra lectio melior, pronuntiare.

^e Edit. omnes ac mss. Flor. et Vat. unus, *querela criminosa*: Vat. alter., Div. ac Laud., *querela criminoso*.

^f Codices Vat. unus. Div. ac Flor., *non audebat*, inquit, *virtutem*, etc. Tamen apud LXX constanter legere est: *ὄ προσθήσει τὴν ἰσχὺν αὐτῆς δοῦναι σοι*. Pro quo habetur in Vulg., *Non dabit tibi fructus suos*.

narunt. Nam quomodo ^a absolvitur pura illic coelestique sententia quem nec terræ potuerunt absolvere? Et ideo gemens et tremens jubetur esse super terram.

32. Evidens generalisque ratio, quia omni improbo mala adsunt, et adfutura sunt. Quæ adsunt, tristitiam operantur; quæ futura, formidinem. Sed improbum plus præsentia, quam futura **221** sollicitant. Unde et Cain dixit ad Deum: *Major causa mea est, quam ut dimittatur mihi. Si derelinques me hodie, a facie tua abscondam me.* Nihil enim gravius quam errantem a Deo deseri, ut se revocare non possit. Mors peccatoris finem peccandi affert: vita autem divino gubernaculo destituta præcipitatur, et in graviora prolabitur; ut si gregem pastor relinquat, incursent bestię: ita cum Deus deserit hominem, **B** ingruit diabolus. Grave est præsertim insipientibus non habere rectorem. Serpit malitia, vulnus augeatur, ubi medicina defuerit. Abscondit se autem qui velare vult culpam, et tegere peccatum. Qui enim male agit odit lucem, et tenebras et suorum quærit latibula delictorum. Justus autem non abscondere se a Domino Deo suo, sed ipse magis se offerre consuevit dicens: Ecce sum ego qui non habeo criminiosam conscientiam, quam timeam deprehendi.

33. Merito ergo se abscondit male conscius, et ait: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Angustæ mentis homo præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, et divinum judicium non reformidat, interitum solum corporis deprecatur. Sed a quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? **C** Potuit quidem et incursus bestiarum timere, qui legis divinæ jura violaverat; nec præsumere de subjectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit et parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim et parentes de filio discere, quod didicerunt posteri de parente.

CAPUT X.

Dei comminatio, Si quis occiderit Cain, etc., moraliter explicatur; in signo posito super eodem divina clementia declaratur, sicut et in eo Caini dementia, quod mortem temporalem plus timuerit, quam æternam. Hinc pulchre disseritur de incorruptibilitate animæ, ac futura vita. Tandem judicium non præpropere ferendum, nec rursus inultum crimen sinendum esse ostenditur.

34. Nunc consideremus qua causa dixerit Deus: *Omnis qui occiderit Cain septies vindictam exsolvet (Gen. iv, 15);* et qua ratione signum super eum ponitur, ne occidatur parricida, cum prospectum non fuerit, ne innocens occideretur. Octavus est homo, habet rationabile quo præstet cæteris, habet et quinque corporis sensus, habet etiam vocem, habet et generandi gratiam. Hæc septem nisi illo rationabili

A regantur, subjecta morti sunt; et ideo stultus in his habet omne periculum sui. Qui ergo rationabile illud amiserit, frustra de istorum sibi usu septem carnalium munerum blandietur. Dissolvuntur hæc omnia, nisi habentibus quibusdam rationis astricta sint. Mors itaque rationis, mortem operatur irrationabilium passionum. Sed illud melius quod septimus numerus quietis et remissionis est. Ergo qui alii non pepercit peccatori, et munus ei remissionis peccatorum inviderit, ipse sibi spem remissionis eripiet, et erit in eo pari mensura vindicta de gratia.

35. Quod autem signum posuit super Cain, ne quis eum occideret, reflectere voluit errantem, **222** et beneficio suo invitare ad correctionem. Ipsi enim nos facilius committere solemus, quorum habemus gratiam. Nec tamen magna concedit: sed in eo ipso imprudentiam insipientis ulciscitur, qui cum esset perpetuis suppliciis obnoxius, non remitti sibi poenam poposcit, sed vitam corporis hujus ^b obsecrandam putavit, in qua plus ærumnæ est, quam voluptatis. Mors enim una est in secessione animæ et corporis, et in fine istius vitæ, quæ simul ut venit, omnes corporis dolores auferre, non augere consuevit. Metus vero qui hanc vitam viventibus frequenter ingruunt, mœstitiæ, dolores, gemitus, diversique cruciatus, gravitatum, et ægritudinum vulnera plurimas etiam mortes generi humano inferunt, ut ista mors remedium esse videatur, non poena. Non enim peremptoria est, per quam non adimitur vita, sed ad meliora transfertur. Nam si nocentes moriantur, qui gradum a peccatis revocare noluerint; vel inviti tamen finem non naturæ, sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquant, quibus vita fenus est delictorum. Si autem bonæ spei compotes sunt, migrare magis quam deficere credendi sunt.

36. Inseritur hoc loco dogma de incorruptione animæ, quod ipsa vera et beata vita sit, quam unusquisque bene conscius vivit multo purius ac beatius, cum hujus carnis anima nostra deposuerit involucrum, et quodam carcere isto fuerit absoluta corporeo; in illum superiorem revolans locum, unde nostris infusa visceribus compassione corporis hujus ingemuit, donec commissi gubernaculi munus impleret; ut carnis hujus irrationabiles motus rationabili ducum regeret et coerceret. Inde est quod postea **D** prophetæ in captivitatem cum populo Judæorum transierunt; ne reliqua plebs sanctorum destituta præsidio, consilioque viduata graviolem subiret ærumnam: sed magis frequentibus commonita oraculis prophetarum, ad Dominum Deum suum pio rediret affectu; ne adversis captivitatis attrita prorueret in perfidiæ peccatum, salutisque perpetuæ remedium desperaret.

37. Redarguuntur itaque hoc in loco qui unicam hanc vitam putent esse, quæ sit in hoc sæculo (omnia plena lapsus, plena mœroris sunt) et redar-

^a Edit. ac pauci mss., *absolvitur puræ illi cœlestique sententiæ.*

^b Ita mss. omnes. Vet. autem edit., *observandam putavit. Sola Rom. edit., servandam putavit.*

guuntur simplici serie gestorum. Ecce enim justus, A reum, homines quoque^a in vindicando nullam patientiam moderationemque servarent, sed statim reos supplicio darent. Divinæ autem sententiæ providentia hujusmodi est, ut magnanimitatem et patientiam doceret iudices; ne quis præpropere rapere studio vindictæ, et ipsa deliberationis immaturitate puniret innoxium, aut pœnam^b acerbaret irati: nec tamen penitus inultum esse pateretur in eo qui nullam pœnitentiam sceleris induisset. **224** Repulit enim eum a facie sua, et a parentibus abdicatum separatæ habitationis quodam relegavit exilio; eo quod ab humana mansuetudine transisset ad sævitiam bestiarum. Verumtamen non homicidio voluit homicidam vindicari, qui mavult peccatoris correctionem, quam mortem. Unde in Lamech septuagies septies vindicatur; quia gravior culpa ejus est, qui nec post damnationem se correxit alterius. Cain impetu quodam improvido ante peccaverat: Lamech utique quod in altero reprehensum adverterat, cavere debuerat. Suo quippe iudici sententia debebatur, ne quis passim reum esse feriendum putaret. Et ut ad mysterium venias, non debuit interimere eum, qui usque ad naturalem terminum mortis suæ agendæ habebat spatium pœnitentiæ. Excusare posset quod se redemisset vel sera actione pœnitentiæ, nisi eum præmatura pœna rapuisset.

38. Tertium est, quoniam cum parricidium esset admissum, hoc est, scelerum principatus, ubi peccatum obrepsit, statim et lex divinæ mansuetudinis prorogari debuit; ne si continuo vindicatum esset in

223 labore, qua pœna nihil gravius quam ut quis ipse sibi majorum causa pœnarum sit. Vide igitur quam perpetua vita justorum, et nulla sit improborum! Justus sanguis clamat et mortui, vita autem peccatoris absconditur.

^a Ms. unus Vat. cum vet. edit., in *judicando*. Alii et edit. Rom., in *vindicando*.

^b Ita edit. omnes magno consensu. At mss. duo, *acerbaret ingrati*: Alii tres, *acervaret irati*: quid si C

inultum esse. Gill. ac Rom. cum Vat., cum Latinio legas, *errati*? Rursus hoc ipso loco edit. Am. atque Era. cum mss. Flor., Div. et Laud., *nec tamen penitus indultum esse*. Gill. ac Rom. cum Vat., inultum esse.

IN LIBRUM DE NOE ET ARCA ADMONITIO.

Etsi dubitari non possit quin liber de Noe et Arca, vel potius, uti citatur ab Augustino (Cont. Jul. Pelag., l. II, c. 2, et l. IV, cont. duas epist. Pel. c. 11), et in codice Corbeiensi nuncupatur, de Arca Noe, Ambrosio sit ascribendus; affirmari tamen nequaquam potest eum ad nostram ætatem integrum ac plane incorruptum pervenisse. Lacunis siquidem et frequentioribus et manifestioribus interscinditur, quam ut de temporis in eundem injuria queri, vel incredibilem scriptorum oscitantiam accusare non liceat. Enimvero ut hic ejusmodi omissionum, quæ suis quæque locis indicabuntur, omnia exempla non proferamus, evidentem sane ac enormem ἀνακολουθίαν deprehendere est in illis cap. 25 verbis: Sed si quis epulas fortiores sibi exhibere non possit, hujusmodi tamen habeat passiones quæ non noceant, sed delectent. Ideo in principio S. Moyses informavit nos atque instruxit de insufflatione animæ, ut non laberemur opinionibus diversis philosophorum, etc. Quæ hic, amabo, sensus cohærentia et consecutio? Sed planum fiet caput ab initio perlegenti non modo illum e Genesi versum: Verumtamen carnem in sanguine animæ non comedetis (Gen., IX, 5), prætermissum esse: at ea quoque desiderari omnia, quibus hæc eadem verba sanctus doctor explicuerat, et unde collegerat in hunc modum: Ideo in principio, etc. Constat igitur Ambrosianum hoc opus mutilum esse; nec proinde mirum, si quæ inde non semel laudavit Augustinus (Loc. citat.), illic jam amplius non reperiantur. Dolendum sane optimos quosque manuscriptorum excidisse, ac nos non nisi in vitiosos incidisse ac sæde corruptos. Nihilominus tamen eorum quos nancisci nobis contigit, ac potissimum Corbeiensis, Longipontini ac Vaticanorum beneficio, non paucis nec levibus nævis qui in editiones irrepserant, abstersis, lucubrationem hanc multo emendatiorem exhibemus.

Hoc in opere universim quidem Ambrosii consilium fuit Noe sancti vitam, mores, gesta et mentis altitudinem (Cap. I, n. 1) describere: sed tamen præcipua ejus cura in arcæ constructione ac generali diluvio explicandis collocata est. Singulas sacræ hujus historice partes diligenter expendit, indeque sensum cum litteralem, tum spiritalem sive, ut ipse loquitur, altiorem exprimere omni industria adnititur, ut non temere aliam ejus commentationem reperias, ubi majori studio in utrumque illum sensum scrutandum eruendumque incubuerit. Illic etiam aliorum identidem opiniones non sine multa eruditione in medium profert; si quid tamen ipsi in mentem veniat quod videatur anteponendum, illud candide ac sine ullo supercilio proponit.

Quod ad Philonis scripta, tametsi eum de arca Noe atque diluvio scripsisse, cum de aliis historiae patriarchae ejusdem partibus tractatus ediderit, non videatur a fide alienum; utrum tamen revera sanctus Antistes aliquem hujus auctoris de hoc ipso argumento librum, quem imitaretur, habuerit, divinare non possumus. Illud tantummodo licet affirmare, nonnulla quæ ex Philonianis libris de Agricultura, et sequentibus delibata fuerint, in hoc tractatu deprehendi.

Exstant similiter in eo quædam quasi vestigia concionum (Cap. 1, 13, 19); at non satis clara illa quidem, ut eundem e sermonibus ad populum habitis esse compositum pro re comperta asseveremus: minime tamen dubium est pium doctorem quo tempore huic lucubrationi operam dabat, sæpenumero in fidelium cœtu verba fecisse. Numquam enim ille commisisset, ut solatia sua Ecclesie sibi a Christo demandatæ tum deessent, cum maxime necessaria videbantur. Erant scilicet luctuosissima ea tempora, quippe quæ ipsum coegerint statim ab exordio hujus operis erumpere in hæc verba: Pudet filiis supervivere, tædet cum tot adversa audiamus charissimorum, lucem hanc carere: ipsarum Ecclesiarum diversos fluctus tempestatesque vel præsentis subire, vel animo recipere, quis tam fortis, ut patienter ferat?

Porro illa difficillimorum temporum mentio nobis quodammodo facem præfert, cujus ope hujus descriptionis ætatem detegamus. Non deerunt forsitan qui putent non alia tempora hoc loco intelligenda, quam ea quibus occiso Gratiano, fugatoque Valentiniano ac Justina, ariana muliere, orthodoxis omnibus, ipsique imprimis Ambrosio inimicissima, quæ non ita pridem in Mediolanensem Ecclesiam impotentia muliebri perbarchata fuerat, Maximus tyrannus totam invasit Italiam. Cui opinioni et illud accedet subsidium, quod cum damna illa non nisi anno 387 evenerint, nihil prohibere poterit, quin commentationem hanc alii libri de Patriarchis proxime secuti sint. Illos quippe iisdem a se fuisse subjunctos Ambrosius in priori libro de Abraham videtur innuere, ubi sic præfatur: Quoniam per ordinem hujus quoque patriarchæ gesta considerare animum subiit. Verum cum calamitates illas ita defleat, ut se loqui de re magis auribus, quam oculis sibi cognita significet, illud arbitramur commodius quadrare in id temporis, quo posteaquam Valens imperator qui Ecclesias omnes atque orthodoxos immani crudelitate vexaverat, flammis esset absumptus, ingens barbarorum multitudo Thraciam universam atque Illyricum usque ad Alpes Julianas igne ferroque devastavit. Quorum irruptionem dirissima pestis ac fames consecutæ pene quidquid hominum ac jumentorum barbaricos gladios vitaverat, depastæ sunt. Huc adde illa cognationem haud exiguam habere cum iis, quibus Ambrosium nostrum charissimi fratris sui Satiri eodem ferme tempore extincti mortem persecutum esse reperimus. Neque vero aliis commentationibus de Patriarchis ita connexum putamus huncce librum, ut eas non potuerit aliquot annorum intervallo præcurrere. Favet huic opinioni, tum quod illæ non turbatis, sed pacatis temporibus videantur in lucem editæ; tum quod initio libri de Joseph cum alios patriarchas recenset, Noachi quasi de eo jam oblitus, sese scripsisse non meminerit. His itaque de causis nihil succurrit verisimilius, quam ut eidem operi tribuamus annum 379; sub quod etiam tempus multa ab Ambrosio sublimiter scripta Chronicorum testantur conditores (Prosper, Cassiod., et cæt.). Nam quod libros de Officiis (lib. 1, c. 19) in quibus eum de quo disputamus, laudatum constat, Baronius et qui ejus secuti sunt auctoritatem, anno 377 negant dici posse antiquiores, nobis quidem hac in re non ita facile cum illis conveniet. Sed alius erit hujus difficultatis examinandæ locus. Interim hic omittendum non arbitramur Ambrosium in hoc libro de Noe et Arca (cap. 17) prodidisse, in Italia Indictionum usum recenti memoria fuisse receptum.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE NOE ET ARCA

LIBER UNUS.^a

227 CAPUT I.

Noë virum justum, qui ad renovandum semen hominum relictus fuit, omnium imitationi proponendum esse; ut et nos ab omni istius mundi sollicitudine, atque operibus iniquitatis requiescamus.

1. Noë sancti adorimur vitam, mores, gesta, al-

itudinem quoque mentis explanare, si possumus. Nam cum ipsa ^b prophetia (Hier. xvii, 9) dixerit nihil difficilius quam hominis interiora comprehendere, quanto magis difficile viri justî mentem cognoscere? Etenim quem Dominus Deus ad renovandum semen hominum reservavit, ut esset justi-

^a Scriptus circ. an 379.

^b Cod. Vat., Corb. et Longipontinus, *Philosophia* dixerit. Nec forsan male; non enim Ambrosio moris-

est Prophetiæ nomine Scripturam citare: potuit tamen illud imitari ex ep. II Pet. 1, 21.

tiæ seminarium; dignum est, ut nos quoque describamus eum ad imitationem omnium, et requiescimus in eo ab omni istius mundi sollicitudine, quam quotidie diversis exagitationibus sustinemus. Pudet filiis supervivere, tædet cum tot adversa audiamus a clarissimorum, lucem hanc carpere: ipsarum Ecclesiarum diversos fluctus tempestatesque vel præsentēs subire, vel animo recipere, quis tam fortis ut patienter ferat? Et ideo nobis quoque affectanda hæc requies fuit; ut dum Noe sanctum majore intentione consideramus, reficiamur et nos, sicut omne genus in illo requievit ab operibus suis atque mœstitia.

2. Unde et Noe dicitur, quod Latine dicitur justus vel requies. Denique et parentes ejus dixerunt: Quia hic faciet nos requiescere ab operibus, et a tristitia, et a terra cui maledixit Dominus Deus (Gen. v, 29). Quod utique si ad ea quæ facta sunt referendum putes, cum diluvium sub eo factum sit, non requies hominibus, sed interitus videatur illatus; nec remissio malorum, sed cumulus miseriarum. Verum si justus viri mentem consideres, advertas justitiam solam esse, quæ aliis potius 228 nata est, quam sibi; non quod sibi utile est querat, sed quod omnibus: hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis, hæc revocat a tristitia; quia dum ea quæ justa sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiae securitate, non dolemus gravem dolorem. Nihil enim est quod majoris doloris sit, quam culpæ reatus. Requiescimus etiam ab omni cura terrenæ conversationis, quæ corpus nostrum atque animam frequentibus vexat doloribus, vitamque alterit.

CAPUT II.

Quid nomina filiorum Noe significant; quidve ordo quo illa recensentur? Id exemplo instructæ aciei, ac naturæ ipsius instituto exponitur. Denique cur in declarandis eorum generationibus invertatur ordo, fuse declaratur.

3. Huic vero tres filii nati, Sem, Cham, Japhet. Quæ nomina significant bonum, et malum, et indifferens; ut et naturæ gratia bonitatem habuisse, et malorum tentamenta ei nequaquam defuisse, et indifferentibus, hoc est, velut suppellectili virtutum abundasse videatur. Qua ratione autem malum in medio posuerit, ratio evidens est; quia naturæ bonum omnibus inest: nec quasi naufragos in lucem D projicit, sed suffulsit et viribus; ut non opprimantur tentamenti malitiæ, nec tamquam invalidi succumbant: sed munit et vestit velut quibusdam tegumentis indifferentibus, quæ sunt salus, valetudo bona, pulchritudo, impigritia, divitiæ, gloria, generis claritudo; ut ea dote muniti tueantur bonitatem naturæ, et malum illud includant, ne possit nocere, et quasi clausum strangulent.

4. Nonne cernimus velut aciem quamdam virtu-

^a Rom. edit.; clarissimorum.

^b Edit. Rom., singulæ earum. Melius vet. et mss., eorum. Refertur enim ad, quæ bona habet. . . . quæ adjuvent. Eodem loco ubi edit., fatigentur, Corb.

tum ordinatam in prælium; ut inferiores in medio sint, dextera lævaque velut in cornibus validiores, per quos tota acies robur accipiat? Unde et quidam poeta Græcus ait: κακούς δ' ἐς 229 μέσσον ἔλασεν (Homer., Iliad. Δ), hoc est, malos autem in medium inseruit. Ita ergo et natura quasi bonus dux, imperante Deo, quæ nos ad hujus mundi prælia generare noverit; quæ bona habet, primo ordine constituit; quæ officiant, secundo; quæ adjuvent, tertio: ut tamquam in medio inclusus hostis, geminatis quocumque se contulerit, opprimatur viribus; ne ^b singulæ eorum velut æqualis fatigentur præliis, et evadendi de angustiis naturalibus, ac serpendi latius facultatem haberet.

5. Sed quia ubi generantur, hic ordo est: ubi autem generant, Japheth primo loco scribitur, tertio Cham; ideo ne contraria nos posterioribus dixisse quis arbitretur, etiam illius loci explananda ratio est. Bonum quidem quod velut in quadam naturæ nobilitate est, præcedit: malum autem sequitur; sunt enim cogitationes mentis contrariæ, quæ utique oriuntur postea. Hæc quamdiu velut intus clausa sunt, nec tamquam in herbis germinant, quodam sinu bonæ mentis foventur, ne prodeant. Nam quamdiu in voluntate est malum, non in ἐντελεχεία, hoc est, in opere atque effectu, bonitas mentis gubernatoris velut aurigæ modo cohibet vel refrenat malitiam tentantem prorumpere: cum vero efferverit, atque in ulcus eruperit, ne possit latius serpere, et finitima contaminare; tunc justa succedit providentia, ne illud indifferens quod vulgo secundum bonum dicunt, velut loco cedat, cum jam ferventi malo non possit resistere. Itaque ne latius fundat virus noxium, et plurimas inficiat generando corruptiones, illud primum bonum quod natura bonum est, dum locum mutat, ordinem mutat; ut quasi laboranti cornui opem ferat, et eam partem aciei suscipiat quæ plus laborat; virtus enim bellatoris difficilioribus locis est necessaria; sicut etiam boni custodis præsentia ibi frequentior, ubi muri fragiliores. Ac ne qua pars sine defensore sit, dum illud bonum incliniora sustentat, tunc illud indifferens locum superiorem suscipit, velut deputante sibi eam partem perfectiori bono; nihil enim virtute perfectius. Indifferentia autem non habent robur validæ virtutis, sed ejus augent et diffundunt gratiam: Unde Japheth dictus est, quod latitudo significatur Latine.

CAPUT III.

Secuturo diluvio universam generationem ideo abundasse filiorum procreatione; ut bona concessa divinæ benignitati, eadem revocata ac pœnas irrogatas nostræ iniquitati imputemus.

6. Nec solum sanctus Noe abundavit filiorum

et Long. præferunt, fatigare. Non aspernanda lectio, si pro singulæ, quæ vox ubique habetur, legeretur singula.

generatione; sed etiam universa se effudit quam A maxime eo tempore generatio. Quod non otiosum videtur. Secuturo enim diluvio non debuit aestimari defuisse gratiam fecunditatis illi generationi, quam diluvia absorbuerunt: ut quod fuit humani generis abundantia, divinæ deputetur gratiæ; quod diluvium **230** secutum est, nostris ascribatur iniquitatibus, qui peccatis nostris avertimus Domini misericordiam. Sic et in posterioribus invenies, quod securam Ægypti sterilitatem præcessit totidem annorum fecunditas (*Gen. xli, 26 et 27*). Principale est enim virtutis inchoare a beneficiis, et præseminare gratiam. Unde et David ait: *Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine (Ps. c, 1)*. Præcedit beneficii gratia, sequitur censura sobriæ disciplinæ. Divinum est igitur quod bona præmittuntur, nostrum B quod mutantur.

7. Ipse hoc declarat Deus dicens: *Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia carnes sunt (Gen. vi, 3)*. Spiritus sanctus spiritus sapientiæ est, spiritus cognitionis. Habet ergo sapientiam, habet et disciplinam, sicut et de Beseleel qui sacrum tabernaculum divino oraculo jussus est facere, ait Scriptura: *Quia repletus est spiritu prudentiæ et disciplinæ (Exod. xxxi, 3)*. Hic ergo spiritus datur hominibus, sed non permanet. Qua autem ratione non permanet, causa proditur, quia caro sunt. Carnis enim natura disciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. Denique de solo Domino Jesu scriptum est: *Super quem videritis Spiritum descendentem de cælo, et manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto (Joan. i, C 55)*. In eo enim manebat, quem nulla corruptelæ carnalis impedimenta revocabant, quominus incorruptæ et impermixtæ ordinem disciplinæ teneret, cujus caro non vidit corruptionem.

CAPUT IV.

Gigantibus qui vixerunt ætate Noe, similes esse homines cultui carnis suæ studentes. Qui dicantur filii Dei; et quo pacto Deus dicatur irasci aut moveri: quare etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe gratiam apud Deum invenerit.

8. *Gigantes autem erant in terra in diebus illis (Gen. vi. 4)*. Non poetarum more gigantes illos terræ fi-

^a Ita edit. Atms. Corb., Vat. et Long., *contemptum superiorum*. Et post pauca edit. omnes, *mentis vigori*. . .; *prisæ, aversantur; recentiores, adversantur*. Nos vero locum restituimus ex mss.

^b Vet. edit. *securitate*. Quæ quidem lectio minime absurda est, cum nulla pœna sit gravior, quam in peccatis voluntariis securitas: attamen mss. legunt *severitate*, quod magis congruit cum Philone lib. *Ὅτι ἀπρεπτον τὸ Θεῖον*, unde locum hunc imitatus videtur Ambrosius.

^c Vocem *animæ* edit. Rom. sustulit, forsitan ut superfluum. Sixtus autem Sen. Bibl. l. v, ann. 77, paulo aliter hunc Ambrosii locum retulit. His nempe verbis: *Plerumque filios Dei, seu viros fideles Scriptura Angelos vocat*, etc. Sed unde hoc sumptum quis divinet? Voluit haud dubie Vir doctissimus sic ostendere hanc non fuisse Ambrosii opinionem ut ex Angelis, naturis scilicet spiritualibus, et ut cum Philone loqua-

lios vult videri divinæ Scripturæ conditor: sed ex angelis et mulieribus generatos asserit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem. Et consideremus, ne forte gigantum sint similes homines cultui studentes carnis suæ, animæ autem nullam curam habentes: sicut illi qui de terra secundum poeticam fabulam orti, mole corporis sui freti, feruntur habuisse ^a contemptum superiorum. An dispare æstimandi sunt qui cum ex anima constant et corpore, mentis vigorem quo nihil habet anima pretiosius, aversantur, et se carnis hujus imitatores velut maternæ exhibent stoliditatis hæredes? Itaque in vanum laborant, cœlum votis usurpantes superbis, et terrenis operibus incubantes, qui electione inferioris, et contemptu superioris B consortii, tamquam voluntariis obnoxii peccatis graviori condemnantur ^b severitate.

9. Plerumque Angelos filios Dei vocat Scriptura; **231** quia ex nullo homine generantur ^c animæ. Itaque viros fideles filios suos dicere non est aspernatus Deus. Sicut ergo viri probabilis vitæ filii Dei vocantur (*Job i, 6*): ita quorum carnalia sunt opera, hos filios dicimus carnis Scripturarum auctoritate (*Ps. lxxxii, 6*). Dicit enim Johannes Evangelista: *Quia quotquot Dominum Jesum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (Joan. i, 12 et 13)*. Ideo postea habes quia iratus Dominus est, quoniam quamvis cogitaret, hoc est C sciret, quia homo positus in terræ regione, carnem portans, sine peccato esse non possit (terra enim velut quidam tentationum locus est, caroque corruptelæ illecebra) tamen cum haberent mentem rationis capacem virtutemque animæ infusam corpori, sine consideratione aliqua in lapsum ruerunt, ex quo revocare se nollent. Neque enim Deus cogitat sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia; neque irascitur quasi mutabilis: sed ideo hæc leguntur, ut exprimat peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offensam; tamquam eo usque increverit culpa, ut etiam Deus qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.

D mur, *ψυχῶν*, verum ex filiis Seth, nimirum justis hominibus gigantes generatos esse crederet, quemadmodum interpretatur Augustinus de Civ. Dei l. xv, c. 23. Veri tamen similis est Ambrosii Philonis sententiam ac verba hoc loco mutuatum de angelis malis, quos in aere versari docet, locutum esse, sicut id clarius exposuit in Psal. cxviii, Serm. 2, versu ult., quod quidem nec ipsemet Augustinus Quæst. 3 in Gen. omnino ausus est improbare. Quamquam ingenue fateamur Doctorem nostrum antiquis Patribus qui hæc eadem bonis angelis attribuunt, hic, et in fin. l. i de Virgin. subscribere potuisse. Horum, si vacat, seriem longam videbis apud eundem Sixt. loco cit., Pamel. Parad. 1, Tert., et Coqueum in c. 23 l. xv de Civ. Dei. Cæterum idem ipse Ambr. multis locis angelos atque animas natura esse incorporea clare profitetur.

10. Minitatus est præterea quod deleret hominem : *Ab homine, inquit, usque ad pecus, et a reptilibus usque ad volatilia cœli delebo* (*Gen. vi, 7*). Quid læserant irrationabilia ? Sed quia propter hominem illa facta erant, eo utique deleta propter quem facta sunt, consequens erat ut etiam illa delerentur ; quia non erat qui his uteretur. Sensu autem altiore illud manifestatur, quia homo mens est quæ est rationis capax ; homo enim definitur animal vivum, mortale, rationale. Principali igitur extincto, etiam sensus omnis exstinguitur ; eo quod nihil reliqui ad salutem supersit, cum salutis fundamentum virtus defecerit. Ad condemnationem autem cæterorum, et ad expressionem pietatis divinæ dicitur Noe apud Deum gratiam invenisse. Simul ostenditur quod hominem justum non obumbret aliorum offensio, quando ipse ad totius generis reservatur seminarium, qui non generationis nobilitate, sed justitiæ et perfectionis merito laudatur. Probat enim viri genus virtutis pro sapia est ; quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur : animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.

232 CAPUT V.

Terram iniquitate hominum fuisse corruptam ; item omnis hominis tempus ante Dominum esse duplici modo intelligi : denique pro toto homine carnem sumi, cujus illecebris anima nostra corrumpitur.

11. *Corrupta est autem terra coram Deo, et impleta est, inquit, iniquitate* (*Gen. vi, 11*). Causa terrenæ corruptelæ manifesta est, eo quod iniquitas hominum terram corruperit. Unde et Dominus Deus ait : *Tempus omnis hominis venit ante me, quia repleta est terra iniquitatibus suis* (*Ibid., 13*). Tempus quidem omnium hominum in conspectu Dei, et in ejus voluntate est. Non enim, ut vulgo aiunt, fatale decretum alligatur : sed tamen specialiter hic dictum puto ; quia in Evangelio Dominus redempturus hominum genus passione sui corporis, et emundaturus sanguine suo, sacramentoque baptismatis, ait : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te* (*Joan. xvii, 1*). Ergo quia in diluvio per arcam Noe servatæ sunt reliquæ generis humani ad seminarium reparationis et renovationis futuræ, ideo præmisit hic : *Tempus omnis hominis venit ; quia repleta est terra iniquitatibus suis*. Hoc in figura ; in veritate autem ait : *Reliquiæ per dilectionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom. xi, 5*). Ideoque exclamat Apostolus dicens : *Superabundavit peccatum, ut superabundaret et gratia* (*Rom. v, 20*).

12. *Corruptit, inquit, omnis caro viam suam* (*Gen. vi, 12*). Carnem hic posuit pro homine terreno, in

^a Edit. Rom., *tempus omnium hominum venit coram me, quia repleta est terra iniquitate ab eis*. Ita etiam infra, sed utroque loco contra mss. et vet. edit. auctoritatem.

^b Rom. edit. sola, *spiritualiter*.

^c Sic edit. Mss. autem, *velut regio quædam, et locus est voluptatis*.

A quo carnis illecebra viam ejus corruperit. Qui si intellexisset quod munus accepisset a Deo, non utique passus esset, ut caro obstaret animæ virtutibus. Itaque caro causa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ velut origo et locus est quidam voluptatis, ex qua velut a fonte prorumpunt concupiscentiarum malarumque passionum flumina, lateque exundant. Quibus demergitur animæ quoddam excusso gubernatore remigium, cum ipsa mens velut quibusdam tempestatibus et procellis victa loco suo cedit. Pulchre autem ait, quia homo viam naturæ suæ corrumpit. Nam via sua in paradiso erat, in illo beatitudinum tramite, in illo virtutum flore, et in illa incorruptibili gratia, quam viam terrenis inquinavit vestigiis. Alii habent : *Viam ipsius, hoc est, Dei*. Hoc solet verbo Domini declarare.

CAPUT VI.

De constructione arcae, in qua humani corporis figura describitur ; et cujus nidi singulas ejusdem corporis humani partes significant. Quomodo illæ bitumine, ut firmiter sibi cohæreant, sint liniendæ.

13. Sed jam de ipsa Noe arca dicendum, quam si quis velit impensius considerare, inveniet in ejus ædificatione descriptam humani 233 figuram corporis. Quid est enim quod ait Deus : *Fac igitur tibi arcam de lignis quadratis* (*Gen. vi, 14*) ? Quadratum certe hoc appellamus, quod omnibus bene consistat partibus, et conveniat sibi. Itaque et Deus auctor nostri corporis, naturæque fabricator astruitur, et opus ipsum perfectum esse iis sermonibus significatur. Quadrata autem hominis membra esse evidens ratio, si consideres pectus hominis, consideres ventrem pari mensura longitudinis et latitudinis, nisi cum voluptatibus et epulis ventre distento mensura naturalis exceditur. Jam pedes, et manus, brachia, femora, et crura quadripartita quis non ipso visu advertat ? Sunt autem pleraque eorum, et si non ejusdem longitudinis, aut latitudinis ; tamen quæ analogiam ita servant, ut in iis quoque congrua mensura ratioque concurrat : longitudo prolixior quam latitudo sit, latitudo quam altitudo. Et sicut ligni arcae trina distantia est ; siquidem trecentorum cubitorum longitudinem, et quinquaginta cubitorum altitudinem, et triginta cubitorum altitudinem servandam esse præscripsit : ita et in nostro corpore summa est, et media, et minima distantia. Summa secundum longitudinem, media secundum latitudinem, minima secundum altitudinem ; totum tamen corpus attextum ex singulis membris quadratum videtur. Nam et in usu ita est, ut eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate, et validos robusti qualitate corporis æstimamus.

^d Edit. omnes, *Domini declarari*. Melius mss. *Domini declarare*. Subintelligendum enim, *Scriptura viam*. Pendet autem hujus loci sensus ex eo quod legatur apud LXX, τὴν ὁδὸν αὐτοῦ. Videsis Nabili notas ad illum versum ; et Philonem lib. Ὅτι ἀτρεπτον τὸ Θεῶν

• Ita Corb. et Long. Edit. vero : *ipso usu*.

14. Quid etiam sibi vult quod ait : *Nidos facies in A* *arca (Ibid.), nequaquam silendum videtur. Natura-*
liter enim dictum arbitror, eo quod omne corpus
nostrum attextum est sicut nidus ; ut spiritus vitalis
omnes partes viscerum penetret , atque de principali
nostro fundat se per artus singulos. Nidi quidam
sunt oculi nostri, quibus se visus inserit. Nidi sunt
nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infun-
dit , et velut in foveam altam dejicit. Nidus est na-
rium, qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus
major cæteris hiatus oris , in quo nutritur , donec
adolescat sapor ; et unde vox evolat. In quo latet lin-
gua quæ velut organum vocis, sonos ejus artifici sua-
vitæ modulatur ; et cum sit ipsa irrationabilis, ra-
tionabilem vocem exprimit. Nidus est hemieranium.
Nidus est membrana illa quæ cerebrum fovet, et
intra cohibet. Nidi sunt viscera pulmonis et cordis.
Spiritus quidem nostri, hoc est, ejus quem carpimus,
et quo alimur in hac vita, nidus est pulmo : sangui-
nis autem et spiritus nidus est cor. Duo sunt enim
ejus uteri : unus quo sanguinem velut quodam sinu
suscipit, et transfundit in venas : alter quo rigatus
ex illo superiori deducit in arterias jugi meatu. Ossa
quoque validiora nidos habent. Sunt enim intus ca-
vata, in quibus foraminibus est medulla. In visceribus
ipsis mollioribus nidi cupiditatis aut doloris sunt. Et
alia si quis consideret, etiam plures nidos inveniet
in hac fabrica humani corporis. Unde puto et illum
in Psalmo non solum mystice, sed etiam naturalita-
ter dixisse : Etenim passer invenit sibi domum, et
*turtur nidum, ubi reponat pullos **234** suos (Ps. LXXXIII, C*
4). Est enim jam in hoc corpore nidus pudicitæ, in
quo erat nidus irrationabilis concupiscentiæ. Sed ubi
ante partus deformes nutriebat libido , ibi nunc de-
coræ castitatis adolescit hæreditas.

15. *Illines, inquit, eam bitumine (Gen. vi, 14). Ex*
multis ossibus, nervisque, et cæteris aliis constat
humanum corpus. Et foris igitur et intus apta com-
page connexum sibi adhæret, et habitudine propria
quam ἀφῆν Græci dicunt, tenetur ; ut intus clausus
spiritus qui infunditur, vel spiritalis substantia quæ
intus operatur, veluti geminis constricta vinculis non
evagetur : sed ad unitatem ^a aptam et continentem ,
connexionemque validam cohibetur. Ideo bitumine
constringi arca jubetur ; est enim bitumen vehemen-
tis ad constringendum naturæ. Unde græce dicitur D
νόφα, παρὰ τοῦ συνάπτειν, quod disjuncta connectat,
nexuque constringat indissolubili, ita ut naturali
unitate sibi credas convenire. Ob hanc causam intus
et foris bitumine arca constringitur, ne connexio illa
facile rumpatur.

CAPUT VII.

Arca Noe cum arca fœderis comparatur ; cujus dimen-
sionibus denotari ostenditur singulas humani corpo-

^a Edit., *aptam et continentem* ; mss., *aptam et continenterem*.

^b Vet. edit., *regnum impertiat, responsa proferre*.
 Mss., *regimen impertiat, responsa proferre*. Demum
 Rom. edit., *regimen impertiat, responsa proferat*. Hanc

ris partes ad usum aliquem et decorem esse compo-
sitas.

16. Alibi autem, hoc est, in Exodo etiam deauratur foris et intus arca illa (*Exod. xxv, 11*), quæ in sanctis est mundi intelligibilis imitatrix imago. Sicut enim pretiosius aurum bitumine : ita illa quæ in sanctis est arca, quam ista præstantior. Denique hic simpliciter ligna posuit : ibi autem ligna quidem, sed imputribilia comprehendit, declarans merita sanctorum. Addidit etiam illic supportatoria immobilia esse, quod sanctorum statio stabilis et firma sit ; quia vitæ probabilis tramitem virtutis ductu secuti sunt, corruptelæ declinantes consortia. Hæc autem arca, utpote in diluvio, huc atque illuc motu impellebatur incerto ; eo quod peccatorum status mobilis sit, et vitæ eorum quodam redundantium passionum diluvio corruptioni obnoxia errore inconstanti vagentur.

17. Nec illud prætereundum quod cum dixisset : *Et facies arcam trecentorum cubitorum longitudine, et quinquaginta cubitorum latitudine, et triginta cubitorum altitudine, addidit : Colligens facies arcam, et in cubito consummabis eam a summo (Gen. vi, 15 et 16) : ut reliquo corpori mensuræ sibi convenientis ad gratiam decore quadraret caput hominis, et tamquam regale arcæ adjungeret, ex quo cum sensus omnes ad cæteras partes corporis transfunderentur ; tum maxime oculi, velut speculatores et custodes naturæ appositæ providentiæ, prope totum orbis nostri statum desuper contuerentur. Ipsaque mens illic locata secundum plurimorum sententiam, et maxime Salomonis qui ait : *Oculi sapientis in capite ejus (Eccles. ii, 14) : quasi in aula imperiali virtutum concilium sibi contrahat, quo stipata conitatu et ipsa munitior sit, et tamquam ex edito quodam loco tuendi totius corporis ^b regimen impertiat, responsa proferat, **235** per quem possimus nos ipsos non solum retro respicere, nec solum quod ante pedes est videre, sed etiam cœli ipsius secreta profundo obtutu spectare sapientiæ. Ibi igitur summa nostræ salutis, ibi gratia. Inde custodia, inde etiam pulchritudo toti corpori acquiritur, quæ primum in vultu vernat. Decet enim præstantiorem esse aulæ regalis nitorem, in qua sicut visus major, ita splendor est.**

18. Namque si spectes singula quæ in hominis forma ad usum aliquem composita videntur, ut oculi ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad loquendum, ita usus ministrant, ut præstent decorem. Quam deformes sunt vultus cæcorum ! Et quid mirum si vultus hominis absque oculis deformis est, quando ipsum cœlum sine sole non habet suum decorem ? Tristes sine sole dies ducimus, noctes sine luna non placent ; ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina, et quædam est in cœlo ipso cæcitatæ deformitas. Pili ipsi qui

porro lectionem secuti sumus, quod non alia occurreret emendatio. Nisi quis malit *responsa proferre* græco more dictum pro responsa, id est, jussa proferendo. Confer hunc locum cum e. 9 l. vi Hexaem. ii. 55 et seq.

orbem oculorum prætexunt, et velut ^a quamdam aciem prætendunt, ne sorde aliqua vel pulveris caligine pupilla lædatur; et ipsi excipiunt si quid fuerit illatum quod oculum possit lædere. Si lippitudine intercidant, quam dedecet, si palpebra contractior fuerit, si radantur supercilia quæ præliosorum monilium specie velut intexta gemmis refulgent!

19. Aurium quoque ut necessarius usus, ita decora species: quas si quis truncaverit, toti vultui infert deformitatem. In quibus ita elaboravit opus suum natura; ut ipsi anfractus cavernarum mira providentia sinuati, plurimum utilitatis afferant, ne repente feriat secreta capitis sonus. Denique sæpe multos improvise clangore consternari videmus, et attonitos aut vocis alicujus aut tumultus sono expavescere. Sordes ipsæ quæ inter eosdem gignuntur anfractus, **B** velut quodam glutino auditum ligant. Simul si vehementior pulsus fuerit alicujus sonus, infringitur ac retardatur, ut prænuntiatus potius mulceat, quam improvisus interna concutiat. Vermiculi quoque si aurem penetrare tentaverint, quodam sordium visco tenentur.

20. Nares simæ contra naturam videntur: jam si incisæ fuerint, quomodo potest vita subsistere, sublato spirandi meatu; quemadmodum pecudis magis facies, quam vultus hominis æstimatur?

21. Capilli capitis quam grato amictu caput vestiunt, velut quidam aulæ regię stipatores; ne cerebrum aura lædat, aut imber feriat, aut sol adurat. Quos ita tamen dedit natura, ut pro sexu aut prolixiores placeant, aut recisi; et pro ætate, aut plerumque **C** pro temporis et anni qualitate. In senibus grata canities, in pueris prodigiosa: delectat ^b tonderi ætate pressius, hyeme indulgentius; mulieribus ornamento est coma, dedecori est viris. Denique Apostolus evidentius expressit hoc dicens: *Nam ipse natura docet vos quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; mulier vero si capillos habeat, gloria est illi* (I Cor. xi, 14, 15).

236 ²² Quid de ipsa regia loquar, per quam aulici sermones prodeunt, quidam mentis nostræ indices, animique internuntii? Quid de ipso dentium ordine, qui cum suo opere toti quidem corpori vires ministrent, tum etiam modulatores sunt vocis ipsius? De quibus si qui ceciderint, vox claudicat.

23. Hæc de capite prolixius diximus; quia oportuit **D** sensus omnes in summo locari, unde omnia per reliquas partes officia dividerentur. Capiti autem nostro a tergo cervix proxima, dextera lævaque brachia sunt, quæ arcem imperialem tanquam fidentur custodia. Denique hæc in nobis validiora quæ propiora capiti, hæc præstantiora. Pectus quoque velut quoddam sacrarium sapientiæ, et stomachus velut quidam testis, ut medici aiunt, et conscius se-

cretorum capitis, compassionisque consors, cui sua omnia vel salubria, vel adversa transfundat. Latera, naticæ, femora, et crura mensuræ latitudinem ipsa specie significant; pedumque gressus qui etsi exiliores videntur, fiunt tamen latiores cum incedimus.

CAPUT VIII.

Per ostium e transverso in arca positum decenter exprimi partem corporis ignobiliorem; cui ex Apostolo honorem abundantiorum circumdamus. Hoc ipsum cum Ecclesiæ membris, tum eidem Ecclesiæ ac Synagogæ accommodatur.

24. Pulchre autem addidit: *Ostium ex ^c adverso facies* (Gen. vi, 16), eam partem declarans corporis per quam cibos egerere consuevimus; ut quæ putamus ignobilia esse corporis, his honorem abundantiorum circumdaret. Quod multo gratius Scriptura expressit quam Socrates in libro Platonis dixisse legitur. Nam cum istud in Moysi scriptis sive ipse Socrates, sive Plato qui in Ægypto fuit, potuerit, vel legere, vel ab aliis percipere qui legerant; decoro motus invento ostium sibi apertum putavit, ut operatoris nostri consilium prædicaret: laudans eo quod id potissimum decori convenerit, ut ductus quosdam vel exitus cuniculorum nostrorum a tergo averteret; ne in purgationibus ventris conspectus noster offenderetur. At vero Apostolus: *Quæ videntur, inquit, membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt, uno ac simplici verbo descriptiones Philosophiæ supergressus; et quæ putamus ignobilia esse membra corporis, his honorem abundantiorum circumdamus; et quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorum habent* (I Cor. xii, 22 et 23). Sobrietatis enim nostræ et temperantiæ indicium præcipue illic cognoscitur. Helluones enim aut distenduntur cruditate usque ad periculum, aut plerumque solvantur visceribus exinanitis.

25. Quod pulchre etiam ad Ecclesiæ membra Apostolus retulit (*Ibid.*, 27 et seq.). Quæ enim inhonesta sunt nostra ac superflua, nisi luxuria, nisi lascivia? Quibus si quis juventæ irretitus tempore, cum ad maturiorem ætatem processerit, veniat ad baptismum, renuntiet superioribus, moresque priores exuat, peccata deponat, conspeliatur cum **237** Domino Jesu Christo, crucifigatur ei mundus, et ipse mundo; nonne is peccatorum remissione donatus, abundantiorum ^d honestatem, quam ille catechumenus, cujus vita innocentior, habere æstimatur? Et ut Apostoli ipsius exemplo utamur, Judæus erat, persecutor erat: vocatus ad gratiam Christi, cœpit esse Apostolus. Et quia plus ei dimissum est, plus cœpit diligere, abundantius cæteris apostolis laborare, vas electionis factus, doctor gentium missus. Nonne etiam apostolorum ipsorum plurimis ube-

^a Ms. Corb. et Long., *velut quadam acie.*

^b Desideratur in vet. edit. et Vat. ms. *vox, tonderi*, quam nos e codice Corb. et Long. reposuimus. At Rom. edit. habet, *desecta pressius*. non male, si quis ei ms. suffragetur.

^c Corb. ms. et Long., *ex transverso facies..... superflua ciborum egerere.*

^d Miss Corb. et Long., *honestatem habet, quam... innocentior æstimabatur.*

riorem et honestiorem consecutus est gloriam, qui ante et inhonestus et ingloriosus fuit, cum persequeretur Ecclesiam Dei? Pauper iste debilis in Ecclesia ipse te redemit suis votis.

26. Et ut majora aperiamus mysteria, quid tam ignobile quam gentilis populus? Pauper, ut pote qui nulla haberet eloquia Dei, debilis et utroque pede claudus, qui nec in legem, nec in Evangelium credidisset, vocatus tamen credidit ei, baptizatus accepit gratiam. Itaque quia plus ei dimissum est, plus diligit. Remansit Judæorum populus, licet uno pede claudus: quamquam ei in ipsa lege claudicet. Itaque ille qui gloriosissimus habebatur, amisit omnia, mirabilem consiliarium, et prudentem architectum, et sapientem auditorem. Iste qui ^a ignobilis erat, adeptus omnia fidei titulo, tropæo martyrum, Angelorum gloriatur consortio. Ergo Plato quod potuit, sermonis nitorem adhibuit: Apostolus autem qui habebat Dei spiritum, revelavit mysterium. Satis dictum est de ostio; quoniam qui retro erant, priores facti sunt.

CAPUT IX.

Per inferiora arcæ nos edoceri ciborum receptacula minimi esse facienda; et hac occasione de intestinorum conformatione ac usu disputatur. Exoriri ex intemperantia diluvium, quodve adhibendum ei remedium sit, ostenditur.

27. Nunc illud quæremus, quid sit quod ait Dominus: *Inferiora arcæ bicamerata et tricamerata facies* (Gen. vi, 16). Inferiora quidem dicendo, advertimus quod pulchre nos sentire voluerit inferiori loco æstima-
C manda ciborum receptacula, hoc est, ea viscera quæ acceptum conficiunt cibum. Corruptibilis enim esca est: quod autem corruptibile non superioribus, sed inferioribus comparandum. Simul quia cibus deorsum fertur, cujus exigua portio viribus corporis, alimonixque proficit: reliqua vero pars alvo purganda deducitur; quia intestina sunt per quæ descendunt ciborum superflua.

28. Ita operator noster instituit, ut non extenta a stomacho ad imum, sed sinuata sint ac reflexa; quo vitæ nostræ usus propagaretur. Nam si extenderentur intestina hominis quæ suscipiunt et deducunt cibum, statim sine ulla pertransiret mora; et necesse esset jugiter esurire nos, jugiter epulari, aut deficiente alimentorum substantia deficere illico. Nunc autem in
D illa intestinorum reflexione ac sinuatione bipartita ac tripartita adhæret cibus et descendendo **238** paulatim vires ministrat, succum infundit corpori, tenet satietatem, differt edendi appetentiam: nec subita effusio, nec repentina evacuatio est, nec inexplebilis appetentia est, nec insatiabilis epulandi libido. Primum ergo indigentia est, et fames: deinde ex his sequeretur edendi sine intermissione continuatio. Quid autem deformius, quam semper ventri studere, qui cum repletur, vacuandus est; cum vacuatur, replendus? Tertium quid superat, nisi mors inter ipsos cibos

A epulasque permixta? Quomodo enim poterant diutius vitam procedere, simul edentes, et esurientes, et bibentes, sitientesque, et priusquam replerentur exinantes omne quod sumpserant, statimque esurientes? Nunc autem dum paulatim descendit esca, famem et cruditatem naturalis temperat providentia. Primum enim in stomacho quem plerique ventrem appellant superiorem, cibus conficitur: deinde coquitur in jecore, atque eo digeritur vapore. Succus ejus dividitur certis viscerum portionibus, ex quo omne corpus valescit. Quod satis juniorum incrementa, senum testificatur perseverantia. Reliquum cibi in ventrem defluit, quem omnes ventrem appellamus sine adiectione, plerique dicunt ventrem inferiorem; ex quo limus necesse est qui plenus jam corruptionis descenderat, egeratur per illud ex transverso ostium.

29. Hæc cum ita affabre naturali institutione ad Dei præceptionem composita videantur; tamen si non edendi a nobis, agendique modus servetur, tamquam exuberantibus passionibus generatur diluvium, et quædam totius labes corporis. Intemperantia enim accendit libidinem, cruditatem generat, corruptelam creat. Itaque aut duritia interna tenduntur, et quantuntur doloribus, aut incocto ciborum humore et indigestionis asperitate interior quidam intestinorum amictus raditur; quia velut chartæ specie geminus eorum amictus asseritur: unus exterior quem continuum aiunt periti, vel qui curiosius scrutati sunt, a summo ad imum directus: alius interior tamquam
C lateribus attextus; unde aiunt non totum solvi cum raditur. Nam si continuus esset interior, immedicabilis ejus scisura foret, illic per moram adjunctio-
D num adhærere ciborum reliquias. Quæ si adjunctiones solvantur, transire semesos cibos, et potus defluos, hoc est hominis diluvium.

30. Unde mihi videtur per arcæ hujus figuram voluisse Deum nos edocere, quemadmodum ab hoc ^b speciali tulli simus diluvio. Corruptela enim diluvii causa est: ea ubi irrepserit, aperiuntur aquæ, ebulliunt omnes fontes cupiditatum; ut totum corpus tanto et tam profundò vitiorum fluvio mergatur. Nihil est enim quod tam miseræ servituti subjiciat hominem, quam libido, atque ejusmodi cupiditates quæ jugo quodam criminum gravi deprimunt miseram conscientiam, ut se nequeat attollere, utpote quæ libertatem innocentix amiserit. Maximum ergo in hoc diluvio est remedium, ut justum **239** præferas, eumque mandati cœlestis exsecutorem eligas. Quis est justus in nobis, nisi mentis vigor qui intra istam arcam includat omne animantium genus, quod est super terram? Cohibe ergo et tu omnes irrationabiles passiones tuas; omnesque sensus tuos menti subijce, animique imperiis assuesce. Evolare foras non sinas cupiditates tuas, exire in vulgus libidinem; et per rationabilem mentem poteris etiam irrationabilia tua, et immunda peccata ab omni periculo diluvii liberare.

^a Vet. edit., *immobilis*. Rom. et mss., *ignobilis*.

^b Ita mss. Corb., Long. et Vat. et edit. ant. At edit. Rom. et al. Vat., *spiritali*.

CAPUT X.

*De tribus causis ob quas muta inanimantia per dilu-
vium subjecta sint pœnæ, et quemadmodum sensus
nostri peccato moriantur; ac Deus testamentum
suum cum justo statuerit.*

31. *Quæcumque, inquit, sunt in terra, morientur
(Gen. vi, 17). Quid utique muta deliquerant animan-
tia? qua causa subjecta sunt pœnæ, quæ peccandi
sensus non habent? Sed quemadmodum in bello cum
imperator ab hoste occiditur, commoritur ejus exer-
citus, atque omnis comminuitur virtus militaris: sic
non discrepare a justitia visum est, cum interiret
homo cui regalem quamdam Dominus Deus in omne
animantium genus potestatem dedit, ut omnibus vola-
tilibus, feris, bestiis imperiali præset auctoritate, B
quod etiam pecudes, et quæcumque erant irrationa-
bilia commorerentur animalia. Denique si quando
est pestilentia, corrupto cœli tractu, prius ea quæ
sunt irrationabilia lues dira contaminat, et maxime
canes, equos, boves; atque ea inficit quæ cum homi-
nibus conversari videntur: sic morbi vis etiam ge-
nus humanum implicat. Hæc igitur prima causa, ut
arbitror, justæ assertionis.*

32. Secunda illa, quia nemo accusat naturam, cur
reliqua corporis nostri membra moriantur solo ca-
pite sublato, cum multos videamus amputatis mani-
bus et pedibus supervivere. Sed non eadem cæterorum
membrorum est prærogativa, quæ capitis; ideoque
abscisso eo, unde sensus nostri in reliquum corpus
prodeunt, commoriantur etiam omnia membra: nec C
in eo aut operatoris providentia deseritur, aut sub-
stantiæ humanæ fragilitas redarguitur. Similiter ergo
nemo nunc arguat, quia caput et principale quoddam
cæterorum animalium homo est, quo moriente non
debet mirum videri, si cætera commoriantur animalia.

33. Tertium illud est, quia rationis expertia non
propter se, sed propter hominem generata sunt ani-
malia; hominis enim causa esse præcepta sunt, ut
eorum subjectione humana præstaret conditio. De-
nique gratiæ hominis attribuit Propheta dicens: *Om-
nia subjecisti sub pedibus, oves et boves universas,
insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris
(Ps. viii, 8);* quia propter ipsum illa omnia: alia pro-
pter utilitatem, alia delectationis gratia, alia volu-
ptatis. Consequens ergo erat, ut cum deleteretur homo D
a facie terræ 240 propter quem facta sunt, etiam ip-
sa pari deleterentur occasu. Hæc secundum simplicem
lectionis expositionem.

34. Altior autem et profundior interpretatio illud
attexit, quod ubi anima mole passionum curvatur
gravi, et quasi diversarum cupiditatum mergitur
æstu, terrenæ omnes cogitationes et concupiscentiæ
in præceps ruunt; quia peccator unusquisque quo
graviora flagitia commiserit, eo fit insolentior. Nam-
que usu atque exercitatione improbitas augetur, et

^a Edit. Rom., *actiones singulæ*. Aliæ, et mss., *pas-
siones*. Sic etiam infra eadem Rom. edit., *infert cri-
mina*, ubi aliæ, et mss., *refert crimina*.

A impunitate nutritur audacia. Recedit itaque ab omni
respectu honestatis, et in eo terrena omnia moriuntur
lethalis peccati acerbitate, quæ vera et perpetua
morte peccatorem deleat. Nemo enim gravius mo-
ritur, quam qui peccato vivit. Moriuntur in ^a eo sin-
gulæ passiones: moritur visus qui peccatum annun-
tiat, qui mulieri fallaci intendit, qui capitur alieni
vultus decore, quem oculi meretricis ligaverint,
quem aspectus illaqueaverit fornicariæ. Annon vide-
tur mori, qui sibi libidinis telum impresserit, qui
spontaneus in foveam mortis irruerit? Moritur et au-
ditus, cum refert crimina, cum sollicitantis adulteri
sermonem annuntiat, cum inserit animis verba me-
reticis quæ seducit juvenem multo blandimento
sermonis; laqueis autem labiorum suorum illigat eum.
Moritur vox silentio, si non confiteatur Deo. Mori-
tur multiloquio; quia scriptum est: *Ex multiloquio
non effugies peccatum (Prov. x, 19)*. Moritur per ira-
cundiam, cum prætergreditur mensuram ultionis.
Omnis namque postremo sensus moritur, si minister
sit iniquitatis.

35. Et ideo quia terrena omnia moriuntur diluvio,
solus autem justus in æternum manet, ad ipsum di-
citur: *Statuam testamentum meum ad te (Gen. vi, 18)*;
quia ipse divinæ est hæres gratiæ, ipse cœlestis pos-
sessor hæreditatis, beatissimorum consors honorum.
Et homines quidem cum moriuntur, patrimonium
suum testamento transcribere solent; nec cedit hæ-
reditas, donec vivit testator: Deus autem cum sit
sempiternus, transfundit justis divinæ hæreditatem C
substantiæ; et ipse non indigens donat sua sine ullo
donationis dispendio, quem non gravant suorum
consortes honorum, magisque fruitur eo quo nos
utimur. Denique Dominus Jesus pauper factus est,
cum dives esset, ut nos illius inopia ditaremur. qui
Testamentum utrumque suo consummavit sanguine;
ut nos vitæ suæ cohæredes, et mortis faceret hære-
des, quo et vitæ haberemus consortium, et mortis
beneficium. Multum autem tribuit justo, dicendo:
Statuam testamentum meum ad te; eo quod rationa-
bilis et fidelis vir sit testamentum Dei. Ipse est enim
hæreditas, ipse possessio, in quo virtus divini testa-
menti est, in quo fructus iudicii, in quo hæreditas
promissionis, de quo David dicit: *Ecce hæreditas Do-
mini, filii merces fructus ventris (Ps. cxxvi, 3)*. Sed jam
salva expositione profundioris mysterii ad reliqua
pergamus.

241 CAPUT XI.

*Virum justum sibi ac suis saluti esse; licet nonnum-
quam studium relaxanti obrepat error. Non semper
justum esse apud Deum qui justus sit apud homines.
Denique mentem inter passiones quasi patrisfami-
lias obire officium.*

36. *Intra, inquit, tu et omnis domus tua in arcam;
quia te vidi justum coram me in generatione ista (Gen.*

^b Edit. ant., *Moritur ex silentio*: melius Rom. et
cod. Corb. ac Long., *Moritur vox silentio*.

vi, 18). Manifeste fides propheticae sententiae etiam A hoc astruitur loco, quia stultus sibi soli stultus est, sapiens autem sibi et plurimis sapit (*Prov. ix, 12*). Itaque Noe justi merito etiam domus ejus in diluvio servatur. Sic in mari navigantes, et in bello exercitus, si illis non desit gubernatoris peritia, istis imperatoris prudentia, a periculo tuti sunt aliena ope. Sed quia boni imperatoris bonus exercitus est; ideo etiam in eo laudem justi intelligimus non praeteriri, qui talem instituit domum suam, ut virtutis fulgeret consortio; meritoque invenit salutem cognatio. Nec repugnat, quia postea aut filius, aut uxor offendit. Dormiebat justus, cum erraret filius (*Gen. ix, 22 et seq.*). Femina quoque utpote sexus fragilioris mole periculi turbata (*Ibid. 19, 26*), quae totum orbem divino incendio perire crederet, quid miraris si virum non potuit sequi, cum ipse justus ab angelis B monitus vix evaserit? Quid autem mirum si homini obrepit error, aut se relaxat intentio? Argue ergo quia et justus inebriatus est. Sed haec loco suo reservanda arbitror (*Infra, c. 29*).

37. Nunc quod superest consideremus. Pulchre enim dixit: *Quia vidi te justum coram me in generatione ista*. Multi hominibus justus videntur, pauci Deo: aliter hominibus, aliter Deo. Hominibus secundum vitae speciem; Deo secundum puritatem animi, virtutis veritatem; homines quae foris sunt probant: Deus quae intus examinat. Peripse autem addidit: *In generatione ista*; ut neque superiores condemnaret, neque posteriores excluderet, recteque diluvium factum astrueret interitu C generationis ejus quae non haberet consortium aequitatis. Haec secundum litteram.

38. Altior autem sensus provocat nos, ut hoc putemus vigorem mentis in anima esse, et animam in corpore, quod est paterfamilias in domo sua. Quod enim in anima mens, hoc anima in corpore. Si mens tuta est, tuta est domus, tuta anima: si anima incolumis, incolumis caro. Mens enim sobria passiones omnes cohibet, sensus gubernat, sermonem regit. Ideoque bene dicit Dominus justo, *intra tu*, hoc est, in teipsum intra, in tuam mentem, in tuae animae principale; ibi salus est, ibi gubernaculum; foris diluvium, foris periculum. Si autem intus fueris, et foris tutus es; quia ubi mens sui arbitra est, bonae sunt cogitationes, bonae sunt executiones. Si enim D nihil vitii mentem obumbret, sinceræ cogitationes sunt. Si studio sit castitas, cordi sit **242** temperantia, nulla inardescit flamma libidinis, nulla ulcera proserpunt aegritudinis. Sobrietas enim mentis, medicina est corporis.

^a Mss. Corb. et Vat., *quia alpha est ad similitudinem*, etc. Hinc nobis videtur a vero non abhorre aliquid prius de primo numero fuisse dictum, quo postea sublato non minimum obscuritatis toti huic loco subortum est.

^b Ita mss. Corb. et Long. Vat. autem cum edit. Gill. ac Rom., *non est dubium quin rationabile*. Am.

CAPUT XII.

Septena animalia munda utriusque sexus et bina immunda in arcam induci, quod septimus numerus sacer ac plenus sit, secus vero secundus. In nobis septenarium quoddam femineum esse, sed ad virilem conditionem ab erudito viro promoveri. Postremo humanam naturam designari contrariorum capacem.

39. Nunc consideremus qua ratione induci in arcam jubet a jumentis mundis septem et septem, masculum et feminam (*Gen. vii, 2*): ab immundis autem duo et duo, ut nutriatur semen in omnem terram. Et ut ego arbitror, inire mundam asserit hebdomadam; quia mundus et sacer septimus numerus. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur. Ideoque virgo dicitur, quia nihil ex se generat; meritoque tamquam materni exors immunisque partus, et muliebris copulae, etsi hebdomas femineo nuncupetur vocabulo, virilis habet sanctificationis gratiam: *Omnis enim masculus adaperiens vulvam sanctus Domino vocabitur* (*Exod. xxxiv, 19*). Et in propheta habes: *Effudit, et peperit masculum* (*Esai. lxvi, 7*), id est, sanctum. Secundus autem numerus non est plenus, quia divisus. Quod autem non est plenum, vacuum habetur. Septimus autem numerus plenus, quia hebdomas, ut decas; et similis illius primi, ^a quia facta est ad similitudinem illius qui est semper, a quo profluunt, et moventur quae sunt in omni genere virtutes. Haec naturalia.

40. De moralibus autem ut dicamus, ^b non est dubium quod irrationabile animae nostrae in quinque sensus dividatur, et vocem, et generatorium, quae natura videntur esse feminea; quia sensus nostri in materialia et saecularia cito repunt. Unde claret eos mollioris naturae habere substantiam. Sed erudito et industrio viro munda omnia; quia sapientia exercitati viri et virtus firmamentum his virili transfundit iudicio. Ergo prudentis et ^c proposito gubernantis ex infirmioris sexus qualitate in fortio rem substantiam transferuntur. Valida enim sapientis et fixa sententia est; non mutabilis, ut stulti et insipientis qui consilio nutat incerto, ut improbi qui non quod verum et justum sit eligit, sed quod sibi commodum velit, scindit a vero, secernit a justo. Justitia enim singulare est bonum, per se ipsa suo tanti spectatur pretio. Iniquitas vero velut dividua parit, nunc odio inflexa, nunc quaestu, et ea quae sunt dividenda confundit. Stultus enim ut luna mutatur, et versicolor, aut humorum varietate difformis animam suam in leprosi corporis speciem turpi contagione commaculat, salubres cogitationes noxiis saepe permiscens.

et Era., *non est dubium. Quod enim rationabile.*

^c Edit. Am. ac Era., *propositum gubernantis ex infirmioris sexu qualitate in fortio rem substantiam transferuntur*. Gill. et Rom., *propositum gubernantis est infirmioris sexus qualitatem... transferre*. Mss. Corb. et Long. melius ut in textu, ubi subintelligenda vox, sensus.

41. Sed fortasse quia munda et immunda induci **A** **243** in arcam ^a præcipi cernis animantia, jure movere possit quia dixi honestis disceptationibus indecoras non esse miscendas. Nec ego abnuo irrationabilium quidem, mundorum tamen motuum aliqua esse semina et quasi principia in anima nostra, et eorum qui mundi non sint. Natura enim hominis contrarium capax est, ut et malitiæ in ea sit vis, et virtutis ingressus; meritoque in principio libri hujus qui est Genesis, per arboris speciem in paradisi medio legisti boni et mali scientiam (*Gen. ii, 9*). De quo ligno scientiæ boni et mali præceptum est non esse gustandum; eo quod mens nostra in qua est cognitio et disciplina, boni et mali recipit notionem. Itaque naturæ opifex sicut ad propagandum, vel etiam reparandum genus animantia reservavit, ut **B** universæ terræ animantium semine replerentur: ita etiam corporis nostri terrenam substantiam vacuum non putavit passionum hujusmodi tamquam immundorum animalium relinquendam, quæ cum deliciis et luxurie tamquam vice diluvii ingurgitatur, memoratis fluctuat passionibus. Ubi autem sobrietate et continentia unusquisque inundantium evacuaverit diluvium passionum, et quamdam animæ retexerit siccitatem, vivificare incipit suum corpus, et animæ puritatem, ^b cui regimen sapientia est.

CAPUT XIII.

Cur ingresso Noe in arcam, post septem dies diluvium factum sit? Item cur Moyses dixerit illud quadraginta diebus et quadraginta noctibus duravisse; quæve ratione quadraginta dies perseveraverit? Quo pacto in ipsa pænæ comminatione divina misericordia eluceat. Post quæ liberalis Noe obedientia consideratur.

42. Illud quoque studio est quærere, quæ causa est cur postea quam ingressus est Noe in arcam, et induxit animantia, post septem dies diluvium factum sit. Non enim otiosum videtur, quod non aut plures, aut pauciores interpositi sunt dies, sed tot quot in constitutione mundi fuerunt. Sex enim diebus factus est mundus (*Gen. ii, 2*), septimo die requievit Deus ab operibus suis. Quo declaravit indicio ipsum esse auctorem mundi, atque diluvii. Mundum propter bonitatem suam condidit, diluvium fecit nostrorum merito delictorum. Admoniti sunt igitur homines vel ex numero dierum quibus mundus est conditus, quod conditorem suum non lacrymis solum et precatione, sed correctione morum reconciliare debuerant. Ergo spatium dedit ad pœnitentiam Dominus, magis voleas ignoscere, quam punire; ut imminentis diluvii terrore suspensus, ad veniam cogeret postulandam; quo dum periculum futuræ mortis horrescunt, impietati atque injustitiæ renuntia-

^a Edit. omnes, *præcipit carnis animantia*. Mss. *præcipi cernis*, etc.

^b Sic mss. Edit. vero, *cui regnum sapientia est*.

^c Sic edit. Gill. ac Rom. Edit. vero Am. cum mss. *Cerb.*, Long. et Vat. *formata in costam viri*. Erä., denique *formata e costa viro*, etc.

rent. Secundum est, ut hinc quoque Domini supra modum misericordiam colligamus; quia multorum annorum offensionem a constitutione mundi in finem usque contractam, paucis diebus, si pœnituisset **244** eos, voluit relaxare. Est enim Deus peccati immemor, virtutis remunerator, sicut ipse ait in propheta: *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates, et memor non ero: tu autem memor esto, et judicemur: dic iniquitates tuas, ut justificeris* (*Esai. xliii, 25*). Cum enim adverterit veram animæ refusam esse virtutem, tantum ei honoris adtribuit, ut non solum veniam superiorum indulgeat peccatorum, verum etiam gratiam et justificationem impertiat. Expectavit ergo et septimo die, ipso quo ab operatione requievit; ut si venia posceretur, sequeretur correctio, et ab indignatione requiesceret.

43. Istud quoque curæ fuit non prætermittere, eo quod diluvium factum dixerit, *quadraginta diebus*, et addiderit, *quadraginta noctibus* (*Gen. vii, 12*). Scimus enim diem dici quem sol terram illuminans signat; noctem quam circumfusæ tenebræ a claritate disternant; et plerumque a nobis ita diem significari ut noctem non comprehendamus, plerumque ut complectamur. Significantes enim mensem tringinta dierum, significamus et noctes. Unde cum satis fuisset Moysi dixisse diluvium fuisse *quadraginta diebus*, cur addiderit, *et quadraginta noctibus*, quæritur. Et aliqui ita acceperunt qui ante nos fuerunt, ut et virorum et mulierum factus diluvio interitus demonstraretur, diem ad virum referentes qui sit purior, similis lucis, noctem ad mulierem quæ viro dormiente creata describitur (*Gen. ii, 21*): simulque quia vir prior quasi auctor, qui virtutem moveat mulieris, atque in partus excitet: actu ille clarior publico; ista obscurior, tamquam domesticis clausa parietibus et nocti proxima, secundo orta loco, et creationis suæ ^e formata jam costæ viri debens gratiam, superiori quoque potioris obnoxia privilegio, et pariendi usu materialibus comparanda. Consonans autem in utroque numerus periculi, quia peccata etiam consonantia; meritoque non distant spatia temporum, quia non distant merita delictorum.

44. ^d Non mediocriter etiam scrutantur plerique qua ratione quadraginta dies diluvium fuerit. Et possumus dicere materialem numerum tristioribus, hoc est delendæ creaturæ deputatum: hebdomadam autem constitutioni totius mundi, hoc est, lætioribus. Sed fortasse referatur, quid quod etiam lex quadraginta diebus lata est (*Exod. xxiv, 18*), tot dies observavit Moyses in monte Sina, et demoratus est, cum præscripta Legis acciperet? Recte ergo eodem numero declinandorum peccatorum præcepta tribuuntur, quo pænæ culpa est persoluta; ut co-

^d Ab his tantum verbis tractatum incipiunt mss. Tornacensis, Valliclarensis, Colbertinus ac Mazarinus. Et Bart. Urbinas in Mill. Ambrosiano libri de Noe et Arca primas voces in mss. adserit esse illas, *non mediocriter*.

gnoscamus quod de eodem vitæ tempore debeat ex A correctione laus comparari, quo potest punienda culpa committi. Unde nunc jam non pœnæ præscripti sunt dies quadraginta, sed vitæ; ut hoc numero jejuniis et orationibus crebrioribus nostrorum levemus supplicia peccatorum, atque ad præscripta legis intenti, devotione ac fide nostrum corrigamus errorem. Itaque per Domini resurrectionem quadragesimus dies jam non habetur novissimus, sed primus; atque inde vita **245** numeratur, ubi ante mortis numerus ad consummationem mundi et humani generis excidium computabatur.

45. *Et delebo, inquit Dominus, omnem resurrectionem carnis a facie terræ. O cœlestium pulchritudo verborum, si quis se a decore intellectu piæ mentis examinet! Indignatur Deus peccatis nostris, sed non obliviscitur pietatis. Minatur supplicium, sed non permittit excidium. Moderatur vindictam, revocat severitatem. Deleturum se dicit omnem carnem non a terra, sed a facie terræ. Florem decutit, radicem servat: sicut ut in profundo substantiæ virtus maneat humanæ, quæ in superficie laboret, intus impassibilis perseveret, immunisque noxæ ad eorum substitutionem qui non sint reatui obnoxii, reservetur. Pulchre autem posuit, *Delebo*, tamquam litterarum apices qui delentur sine fraude librorum, et sine immutatione tabularum. Atramentum deletur, sed lignum manet. Delentur elementa, ut scribantur plerumque meliora. Atramentum tollitur, substantia non exterminatur. Delebo, inquit, corruptelam carnis, ut scribam incorruptionem. Delebo resurrectionem carnis a facie terræ, ut scribam in cœlestibus resurgentes. Delebo de libro terræ, ut scribam in libro vitæ. Deleantur, Domine meus, Domine, deleantur cito elementa ferri, ut scribantur elementa Christi. Aboleatur resurrectio terrena, ut cœlestis gratia redundet. Veni, Moyses, præpara gremium, legem accipe, suscipe apices quos jam misericordia divina non deleat. Suscipe tabulas quas Dominus statuat in æternum. Utinam ipse non frangas. Et ipsas mihi mea culpa sustulerat, nisi Dominus reddidisset. Jure quidem Moyses indignatus est, ne haberent divina privilegia, qui non deferrent obsequia. Sed puto quod non mihi eas, sed Judæis fregeris. Fregisti Judæis, recepisti mihi. Fractæ sunt priores, ut posteriores manerent. Fregisti eas in pectoribus Judæorum. Quid enim proderat ut tabulas tenerent, quarum præscripta tenere non possent? Ecce secundas tabulas dicunt se tenere, sed non tenent. Dicunt se legere divina elementa, sed non legunt (*Deut. ix, 10*). Digito Dei scriptas esse tabulas Moyses dicit: illi digitum Dei non legunt, ferrum legunt. Atramentum vident, spiritum Dei non vident. Sed Ecclesia nescit atramentum, spiritum novit. Ideoque Paulus novit scribere non atramento,*

^a Ita mss. Corb., Long., Valc. et Colb. cum vet. edit. Rom. autem, *o sacrilegum, o ineptum populum Judæorum*. Cod. Vat., *o sacrilegium ineptum Judæorum*. Maz. tandem, *o sacrilegium ineptum populi Judæorum*.

sed spiritu Dei vivi (*II Cor. iii, 2 et 3*). ^a O sacrilegum ineptum populum Judæorum! Homo spiritu Dei scribit, et homo sub lege nutritus, et illi volunt Deum atramento scripsisse, non spiritu.

46. Ergo ut ad superiora redeamus, delet Deus resurrectionem carnis, tamquam apicem scriptionem: quo declaratur quod superfluum hominum nativitatem propter impietatem ejus deleverit specie litterarum: substantiam autem et conversationem ^b generis servaret humani velut perpetuitate tabularum, ut ex ea semen reliquum pullularet. Cui sententiæ convenire etiam **246** illud videtur quod ait: *Delebo, inquit, omnem resurrectionem carnis*. Resurrectioni autem communi usu naturæ contraria videtur esse purgatio; quia purgatione reciditur, et reprimitur resurrectionis luxuria. Omne tamen quod purgatur, speciem amittit, substantiam suam servat, atque meliorat. Repressit igitur ^c Dominus qui jam purgatione diluvii corporeum usum, conversationemque generationis ejus quæ degeneraverat a decore naturæ et accepti muneris, venustat. Hæc secundum litteram. Quod autem ad altiorem pertinet sensum diluvii species typus est purgationis animæ nostræ. Itaque cum mens nostra se a corporalibus mundi hujus illecebris quibus ante delectabatur, abluerit, bonis quoque cogitationibus veteris colluviem cupiditatis absterget, tamquam purioribus absorbens aquis turbidorum prius amaritudinem fluentorum.

47. *Et fecit, inquit, omnia Noe quæ mandavit ei Dominus Deus (Gen. vii, 5)*. Justus mandata accepit, servus imperia. Hic amici censetur loco qui fecerit quæcumque exsequenda suscepit: ille qui mutat obsequiis, oneri servitutis addicitur. Denique et dominus Jesus dicit in Evangelio: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Jam non dicam vos servos (Joan. xv, 14 et 15)*. Mandatur ergo ut amico, mandatur ut ei qui valida charitate, sobrio consilio ea quæ mandata sunt, exsequatur: Nec fefellit Dominum judicium suum, implevit justus universa, non partem, sed universa quæ mandata sunt ei; et ideo Scripturæ divinæ accepit testimonium. Nec superfluum putes quia simul posuit Dominum et Deum; nam et Deus in Domino, et Dominus in Deo: sed ut Patris et Filii intelligas commune præceptum. Aliqui tamen ante nos sic interpretati sunt, eo quod Dominum et Deum dicendo hoc loco, et vindicaturi et ignoscituri geminam expresserit potestatem: et qui hic vindicat prius in peccatores, ideo ante Dominum dixerit; quoniam vero postea, ut justis seminarium propagetur indulget, ideo Deum postea nominaverit. Denique facturus mundum Deus dicitur: *In principio fecit Deus cœlum et terram. Et dixit Deus, fiat lux.*

^b Edit. omnes, *generis servare humani voluit*. Mss. Colb., Corb., Long. et Maz. ut in textu.

^c Ita mss. quatuor melioris notæ. Alii vero et edit., *Dominus purgatione diluvii. . . muneris venustate.*

CAPUT XIV.

Diluvium verno tempore accidisse, ut magis eo cruciantur homines; et sexcentesimo anno Noe, ut hominum interitus cum eorum creatione congrueret. Item per fontium abyssi, et cataractarum cœli ruptionem mentis atque corporis diluvium significari.

48. Est etiam illa non perfunctoria consideratio, quod sexcentesimo anno Noe, ^a mense secundo, vigesima et septima mensis sit diluvium. Secundum mensem verni esse temporis non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fetura se fundit. Tunc ergo fecit diluvium, **247** quando dolor eorum major foret, qui in sua abundantia puniebantur, tunc ultio terribilior tamquam dicentis Dei: Ecce omnia secundum liberalitatis divinæ providentiæ gratiam dives natura generavit, omnia in usum hominum germinavit terra fecundior, segetes spectantur, tritico et hordeo campi replentur, comæ arborum venturi fructus floribus vestiuntur: non deest terra obsequiis suis, non bestię desunt muneribus suis, quæ solemnnes solvuntur in partus, ut homini nihil desit: homo solus partibus suis deest, nescit auctorem suum a quo ei omnia ministrantur, negligit conditorem. Despiciat homo remuneratorem suum, cum Deus opus suum non despexerit. Pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis divitiis consumatur homo, cum sua dote moriatur. Nihil ante hominem terra deliquerat, nullis erravit in fructibus: in homine solo se degenerasse cognoscit, spinas et tribulos pro fructibus ferens. Quod solum munus admirabile est, principale mentis interiit. Cur igitur omnia illa servantur? Ideo non post collectos fructus infunditur aqua, ne beneficium magis quam diluvium terra sentiret. Denique verno apud Ægyptios tempore, sed mense diverso Nilus exundat, ut jaciendis seminibus terra mollescat, et blandiore sinu, clementiore gremio semina missa suscipiantur. Quod autem sexcentesimo Noe anno sit diluvium, illud videtur ostendere quia sexto die Adam creatus est. Idem numerus, hoc est, qui par dicitur, et in auctore et in reparatore servatur; quia fons sexagesimi et sexcentesimi sextus est numerus. Idem autem et primus et septimus mensis dicitur. Sed magis primum observare debemus; quod post diluvium verno tempore colendorum cura reparatur agrorum, et placidi atque uberris soli incipiat fetura procedere. Quo significatur numquam Deum eo numero vel tempore interitum hominum fuisse facturum, quo fecit exordium; nisi immanibus delictis esset offensus. Simul veniam temporis et numeri ratio promittit; quod etiam iratus admoneatur tam præcedentibus causis beneficiorum

^a Abest ab omnibus tum mss. tum edit. ant., mense secundo. Excipe tamen cod. Maz. in quo secunda manu restitutum est: sicut et, secundum mensem; ubi prima manu habet cum Corb., Valc.; Long. et Colb., septimum.

^b Edit. Am. et Gill. cum ms. Maz., purgetur; Era. et Rom. cum aliis mss., perurgetur.

A suorum, ut non penitus deleat eorum substantiam, quos ipse donavit.

49. Et rupti sunt omnes fontes abyssi, et cataractæ cœli apertæ sunt (Gen. vii, 11). Vim diluvii convenienter Scriptura expressit, dicens cœlum et terram pariter esse commota, e quibus elementis constat istius mundi omne principium. Undique ergo influentibus aquarum molibus conclusum genus hominum ^b perurgetur. Hæc secundum litteram. Quod autem ad altiore pertinet sensum, cœli simbolo mens humana significatur, terræ autem appellatione corpus et sensus. Magna igitur naufragia, quando mentis pariter et corporis sensuumque omnium turbo et procella miscentur. Diligenter dicta pensemus. Plerumque fraus mentis et dolus suum exercent venenum, sed tamen sobrietas corporis et continentia obumbrant mentis improbitatem. Frequenter incerto fidei atque opinionis suæ mens lubrica **248** est, sed tamen caro deliciis et luxuria ^c vacat, ut frugalitas errorem mentis excuset, sicut multi sunt hæreticorum qui prætereundere volunt corporis continentiam, ut assertionis suæ fidem testimonio sobriæ carnis acquirant: etsi sensu lubrici, tamen quo minus turpes, aliquanto excusabiliores habentur. Cum autem venena mentis, et contagia corporeæ obscenitatis sensum omnem, ^d vigoremque confundunt; atque animus incerto lubricus motu, malitiæ fetidus atramento, crudelitatis furore succensus, etiam corporalibus flagitiis incitatur, avarus quoque affectus impatiens mediocrium facultatum, luxuriæ cupiditate, effundendique libidine præcipitatur in facinus appetendæ salutis alienæ; tunc magnum est diluvium omnibus pariter ingruentibus passionibus: tunc se insipientia, injustitia, temeritas, improbitas, perfidia de superiori parte tamquam cataractæ mentis videntur effundere. Inde erumpunt de corporis fonte terreni libido, temulentia, luxuria, postremo diversorum criminum prolapsiones, quæ penitus et corporis robur et vigorem mentis effeminant.

CAPUT XV.

Per arcam a foris clausam et in aquis fluctuantem, corpus hominis corio tectum et variis motibus agitatum: per quindecim aquæ cubitos queis montes superabantur, humanos sensus: denique per mortem omnis carnis, animæ passionibus corruptæ interitum adumbrari: superbos autem præcipue delendos cum justus interim extinctis pravis motibus in corpore quasi incorporeus remaneat.

50. Et clausit Dominus a foris arcam (Gen. vii, 16). Sermo manifestus est secundum litteram. Claudenda fuit arca, et tuto sepienda munimine; ne

^c Omnes omnino edit. cum mss. Torn. ac Vat., et luxuriæ vacat, ut fragilitas. At mss. Corb. Colb. et Maz. cum Latini conjectura, luxuria vacat; et Corb. cum eodem Latin., ut frugalitas.

^d Edit. omnes, virorem. Mss. contra cum Latino, vigorem.

eam vaga diluvii fluenta penetrarent. Altioris quo- A que sensus non incongrua interpretatio, si corpus humanum cui arca hæc quæ describitur, figuratur, septem corio judicemus a frigore æstuque defendi, quod artifex Deus ad omnium membrorum protectionem naturalibus vestivit exuviis, et quodam circumfuso induit operimento, ut neque frigore congelascat, nec æstivo calore solvatur.

51. Exundavit igitur aqua, et levavit arcam, et fe- rebatur super summum aquarum. Non immerito exundavit aqua, quando coeli cataractæ apertæ sunt, et de terra rupti sunt fontes aquarum et flumina. Quod magna emphasi dictum est. Ubi enim eruptio, ibi irrevocabilis effusio sit necesse est; nec retineri facilis ingentium prolapsio fluentorum. Manifestum est igitur quod scriptum est. Verum si altius spectan- dum putes, caro nostra diversis agitatur et frei modo fluctuat passionibus, quibus huc atque illuc tanquam super undas molestiarum suarum nunc fame, nunc siti, nunc cupiditate, nunc gaudio, nunc dolore jactatur.

52. Illud quoque non prætermittendum arbitror, quia Scriptura non præteriit, quantis numero **249** cubitis aqua super terram fuerit; quindecim enim cubitis super excelsos montes aquam fuisse dixit. Simplex itaque intellectus patet. Allegoria autem quinque sensus complectitur, qui sunt in corpore nostro velut excelsi montes, qui hanc carnem passionum obrumbrant, et plerumque incursantur bestiis, et exagitantur condensa et opaca eorum. Unde et Dominus per nationum credentium fidem veniens ad Ecclesiam suam, venit a Libano^a sicut ait Habacuc propheta dicens: *Dominus a Libano veniet, a monte umbroso et opaco* (Hab. iii, 3). Ecclesia quoque venit a Libano, sicut habent Cantica Cantorum. Ita enim legimus: *Ades huc a Libano, sponsa, ades huc a Libano. Transibis et pertransibis a principio fidei, a cubilibus leonum, et montibus pardorum* (Cant. iv, 8), quo gentiles populi, qui velut bestialium passionum graves patiebantur incursus, nunc altitudine fidei, et sublimitate devotionis meant. Per hos igitur montes Christus advenit, comprimens Evangelicis disputationibus feroces istius corporis motus, atque illam altitudinem cordis, et se extolentem superbiam obedientia et humilitate sui destruens: meritoque fructus mansuetudinis ferre cœperunt, quos ante gravium diluvia passionum subruerant. De numero autem cubitorum sic quidam ante nos æstimaverunt, quod quinque sensus triplicem collectionem habeant; eo quod visus visibile videt, et auditus audibile audit, et odoratus odorabile odoratur, et gustus gustabile gustat, et tactus^b quod tangendi substantiæ subjacet, tangit. Ideo quinque sensus tripliciter æstimati sunt, vel secundum illud: *Scribe tibi tripliciter* (Prov. xxi, 20). Ego tamen com-

modius puto illud, ut sensus terreni hominis atque animalis et spiritalis accipiam, quos illa diluvii fluenta transcenderint.

53. Merito mortua est omnis caro quæ movebatur. Quod et secundum litteram liquet, et proprie ac naturaliter carnis corruptelam indicio procellosæ commotionis expressit. Commotio enim vitiosa non est nisi per affectus corruptionem. Movet enim voluptates caro, et ipsa voluptatibus commovetur. Talis autem commotio corruptelam creat. Causa ergo corruptelæ commotio istius mundi est, per quam anima uniuscujusque degenerat. Cum enim vitiosæ passiones mentem movent, corruptela generatur; cum excitant studia virtutum, disciplinæ profectus est. Omnis igitur qui erat in arida, mortuus est: nec enim poterant non mori quos tanti diluvii unda demerserat. Hoc secundum scriptum seriemque verborum. Cæterum si allegoriam quæras, non dubium est quia exemplo ligni aridioris quod simul ut lambere cœperit, ignis exurit: ita anima nisi diversarum humescat rore virtutum, poculo quodam irrigata sapientiæ, et fonte justitiæ, atque irriguo castitatis, tanquam arefacta radice vitali, cupiditatum deflagrat incendio, vel profluvio carnis illisa procumbit. Unde semper epulari debet animus honorum operum cogitationes, **250** ut prudentiæ succo mens inebriata pinguescat; quo non facile diluvii corporalis cedat injuriæ, atque arido incuriæ situ evirata moriatur. Ideoque nos admonet Dominus a fonte sapientiæ non recedere, pocula virtutis haurire; ne quis sole iniquitatis areseat, et procellam persecutionis sustinere non possit (*Baruch. iii, 20 et seq.*). Scriptum est enim: *Quod si in humido hoc faciunt, in arido quid fiet* (Luc. xxiii, 31)?

54. *Delevit, inquit, Deus omne quod erat super faciem terræ* (Gen. vii, 23). Scripti evidens explanatio. Allegoria autem expositam nobis declarat superbiam, quæ se extollit in hac terrena fragilique substantia, et immemor divinorum, humana despiciens, ipsum arrogantis viri habitum, incessumque deformat: quales describit Esaias Judææ filias, oculorum micantes nutibus, et alta se cervice jactantes (*Esai. iii, 16*). Sunt enim hujusmodi erigentes supercilia, inflato corde, elato pectore, cervice resupina: qui solum quidem vestigiis pedum perstringant, toto autem se librent corpore, et inani suspendant examine: in priora gressu procedant, ad posteriora verticem reclinantes: cœlum spectent, terram autem fastidiant, tanquam cervicis dolore suffixi, ut eam inclinare non possint. Hos igitur delevit de libro vitæ Deus dicens: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (Luc. xiv, 11): nec inter merita sanctorum^d commentis adhærere facit cœlestibus.

55. Omnibus igitur qui extra arcam fuerunt, inte-

^a Hæc verba, sicut ait Habacuc.... usque ad illa, sicut habent Cantica, auctoritate mss. omnium Gallicanorum, restituimus, cum prius in edit. omnibus desiderarentur.

^b Rom. edit., quod tangibili materiæ subjacet.

^c Edit. ant., arida incuriæ siti evirata. Rom. et Vat. cod., arida incuriæ situ evirata. Alii denique mss., arido incuriæ situ evirata; Maz., eviscerata.

^d Id est, commentariis cœlestibus sive ut paulo ante dixerat, libro vitæ.

reemptis, derelictus est Noe solus in arca cum iis qui cum ipso erant (Gen. vii, 23). Non indiget interpretatione sermo simplicior. Concurrit intellectus cum littera. Altior autem et interior significatio demonstrat justum virum, amatoremque sapientiæ, tamquam arborem fructuosam, internecatis quæ escam ejus solebant arrodere, comam obumbrare, coarctare processus ramorum, velut exsortem irrationabilium passionum solum remansisse cum suis. ^a Sui autem sunt puræ animi disceptationes, quæ virtuti adhæreant. Et bene addidit in arca remansisse, quasi vix credibile amputatis corporalibus passionibus videretur eum adhuc versari in corpore : quo licet jam terrenis careret contagiis, incorruptam licet, corporis tamen adhuc substantiam reservabat : et velut incorporeus in corpore, superferebatur diluvio, non absorbebatur ; corpus quidem gerens quasi in arcæ positus interno, sed qui corpus ipsum, insuperabilis passionibus, quasi incorporeus, in medio tantorum motuum gubernaret.

CAPUT XVI.

Cur dictum sit : Memor fuit Dominus Noe, nulla ejus uxoris ac filiorum ejus facta mentione? Cur item bestię prius, quam jumenta nominata sint; et qualis spiritus super terram inductus, ut aquæ cessarent?

56. Memor fuit Dominus Noe, et bestiarum, et jumentorum (Gen. viii, 1). Moventur plerique qua causa non dixerit Scriptor, quod etiam uxoris **251** et filiorum Noe memor fuit Dominus, cum bestiarum et jumentorum fuerit memor. Sed cum dixerit quod Noe memor fuerit, in auctore et præsule domus necessitudines ejus reliquas comprehendit. Simul exprimi videtur quidam reliquarum consensus necessitudinum. Etenim cum omnes invicem sibi chari sunt, una est domus : cum autem discrepant, separantur et scinduntur in plures domos. Ubi ergo charitas, ibi senioris nomine de quo pendent cæteri, domus omnis significatur : ut si quis arborem dicat, utique comprehendit et ramos : si quis ramum nominet, etiam fructus qui in eo sunt, pariter uno atque eodem sermone complectitur.

57. Nec illud otiosum quod primo dixit, quia memor fuit Dominus Noe, deinde bestiarum, postea jumentorum, hoc est, cur non ea animantia quæ mitiora sunt, post hominem nominavit, sed ferociora. In quo videtur illa esse ratio, ut ea quæ ferociora erant, utriusque partis vicinitate mansuescerent. Quod videtur etiam in illo versu poetico declarari : κακοῦς δ' ἐξ μέσσοῦ ἐλάσσειν (Homerus, Iliad. Δ). Hinc enim etiam poeta usurpavit, ut dispositionem dimicaturi ita ordinaret exercitus ; quo inferiores collocaret in medio, quo magis hinc inde a fortioribus juvantur, et dimicationem utriusque partis assumerent. In his scriptis series manifestatur. Altiore

^a Rom. edit., Sui autem sunt juris. Male ; hic enim sui idem significat, atque familia Noe, ut patet ex antecedentibus.

A autem sensu certum est quod justus in medio habet non in parte cogitationes cordis sui : et quoad carpit hanc vitam, habeat necesse est in corpore tamquam in illa arca bestias graves. Nulla enim mens est, nulla anima, quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. Itaque insipientis anima ferinos acuit motus, atque adolet venena serpentum : sapientis autem vigor mitigat et coercescit.

58. Et induxit Dominus spiritum super terram, et cessavit aqua (Gen. viii, 1). Non puto hoc ita dictum, ut spiritus nomine ventum accipiamus. Neque enim ventus poterat siccare diluvium. Alioquin cum mare ventis exagitetur quotidie, exinaniretur profecto. Nam quomodo non evacuaretur mare ventorum vi, cui cessisset toto diffusum orbe diluvium usque ad Herculis, ut aiunt, columnas, et mare Magnum tectis montium excelsorum verticibus exæstians? ^b Spiritus igitur divini virtute invisibili diluvium illud repressum esse non dubium est, cœlesti operatione, non flatu. Unde scriptum est : Omnia a te expectant, ut des illis cibum in tempore : aperiente te manuum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur. Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ (Ps. ciii, 27 et seq.). Est ergo Spiritus cujus operationi cedere universa videantur, in quo cœli ipsius virtus sit, sicut scriptum est : Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Ps. xxxii, 6) : qui Spiritus est creator universorum, sicut etiam Job dicit : Spiritus divinus qui fecit me (Job. xxxiii, 4).

252 CAPUT XVII.

Clausos aquarum fontes et cataractas indicare causas erroris ad animæ sanitatem esse recidendus : dinumerationem temporis quo sedit arca, initio anni, id est, verna tempestate cœpisse ac desiisse diluvium ; iisdemque numeris crevisse et decrevisse : ostium arcæ reseratum, mentem per sensus naturam contemplando ad cognitionem Dei pervenire : demum emissionem corvi, culpæ depulsionem ex anima ad quam extinctis passionibus non revertitur.

59. Nunc consideremus quid sit quod ait Scriptura divina : Clausi sunt fontes aquarum, et cataractæ cœli (Gen. viii, 2). Nec obscurum arbitror. His enim causis minuitur diluvium quibus crevit. Erupti erant fontes aquarum, apertæ fuerant cataractæ cœli, ut undique influentibus aquis terra inundaretur. Debuerant claudi ea ex quibus diluvii origo manavit, ut ejus inciperet esse defectus. Hoc littera sonat. Subtilior autem interpretatio exprimit, eo quod diluvium animæ vitio mentis et luxuriæ corporalis influxerat, ut malitia passioni, passio malitiæ misceretur : ingrediente medico Dei Verbo ad visitationem animæ quæ diutina aegritudine laborabat disceptationum improbitate, et passionum acerbitate, prius

^b Omnes edit., Spiritus igitur virtute. Omnes mss. divini virtute.

debuerunt causæ ægritudinis amputari. Principium enim medicinæ est causas languoris incidere; ne diutius ea quæ nocent, ad incrementum ægritudinis ministrentur. Quod nos etiam lex docet (*Levit. xiii, 5 et 6*); cum enim steterit lepra, ut jam non diffundatur, tunc ait mundam esse lepræ stationem quamdam et mansionem. Quidquid enim præter naturam movetur immundum est. Hæc igitur est animæ sanitas, hæc salubritas mentis, ut affluentia cesset erroris, sistatur culpa, ne serpat. Cessante incentivo culpæ atque delicti salus tuta est, atque inoffensus vigor animæ se refundit.

60. *Et sedit, inquit, arca a septimo mense, septima et vigesima mensis (Gen. viii, 4)*. Nisi diligenter intendas, etiam secundum litteram difficilis loci istius comprehensio est. Et primum omnium cavendum, ne quem septimi mensis repetitio crebra perturbet. Sic enim scriptum est, sexcentesimo anno^b secundum Hebraicam veritatem, mense vero primo, septima et vigesima die mensis cœpisse diluvium: centum quinquaginta diebus fuisse infusionem aquarum, sedisse arcam in monte septimo mense, septima et vigesima mensis: postea minui cœpisse aquas misericordia Dei, centum quinquaginta diebus diminutionem aquarum factam, postea apparuisse capita montium: deinde post quadraginta dies aperuisse ostium arcæ sanctum Noe, dimissum corvum non revertisse, dimissam columbam revertisse vacuum, iterum^c post septem dies dimissam revertisse cum ramo olivæ, tertio post septem dies dimissam non revertisse, tunc advertisse Noe quod aqua omnis recessisset. Ac sic annus conclusus **253** ostenditur sexcentesimo primo anno Noe, ^d in secundo anno septima et vigesima mensis. Quod igitur ad explanationem apertam pertinet, eodem mense atque eodem die restituitur æqualitas terræ post diluvium, quo corrupta est incipiente infusione diluvii. Veris enim tempore omnis ager viret, et terra parturit fructus. Tunc incipiunt^e gemmare arbores, germinare fructus. Divitem ergo reformavit Dominus et restituit qualitatem. Mense igitur secundo, hoc est, aprili (primus enim mensis martius est quo habet justus natalem, quando noctium dierumque æqualitas æstimatur, hoc est, octavo, ut Romani putant, vel ut alii, quinto kal. April.); mense, inquam, secundo, hoc est, aprili, septima et vigesima mensis ^D cœpit diluvium. Ver igitur initium anni æstimatur,

^a Cod. Maz. in glossa et manu recentiori quater secundo, et semel secundi, ubi in textu cum aliis mss. et edit. habet septimo et septimi.

^b M-s. Corb., Long., Colb. et Maz., sexcentesimo anno, mense septimo. Edit. et alii mss. ut in textu, nisi quod Rom. pro septimo, reposuit secundo. Et Vale. utrumque habet nempe mense secundo, septimo mense, etc. Unde valde suspicamur voces secundum Hebraicam veritatem, ex conjectura in alios mss. et inde in editiones irrepsisse. Fatemur autem non videri absurdum fecisse, qui reposuerunt, mense vero secundo; ut intelliges e cap. 14, n. 48, et hoc ipso cap. columna sequenti. Alioquin minus sibi constaret Ambrosii supputatio. Sed in numeris scribendis quam facile labantur librarii, nemo nescit.

non secundum usum temporis, sed secundum naturæ prerogativam; ut quia tunc spes anni inchoat, et incipit se fructus ostendere, tunc videatur anni esse principium. Septimus autem mensis secundum numerum is qui September dicitur, computatur; quia etsi a septembri mense annus videatur incipere, sicut Indictionum præsentium usus ostendit (tunc enim seminum jactus), vere tamen ex quo plenior gratia se incipit demonstrare, ex eo anni origo subducitur; et ideo qui alia ratione primus putatur, diversa æstimatione septimus habetur. Tunc ergo sedit arca, hoc est, in mense septimo, septima et vigesima mensis ^e super montem quadrati. Ex illo minui diluvium cœpit. Simul considera quia eisdem numeris quibus aliqua incipiunt, resolvuntur; ut diluvium cœpit secundo mense anni, septima et vigesima mensis: centum quinquaginta diebus influxit diluvium, centum quinquaginta diebus aliis cessit diluvium: quadraginta diebus nimia vis cœlesti imbre et fontium eruptione exæstuavit, quadraginta diebus aliis ^b exactis postquam visa sunt capita montium, undecimo mense, primo die mensis, dimisit corvum sanctus Noe: ita constat eodem numero quo cumulatum est, diluvium esse imminutum. Unde docet nos Scriptura ordinem esse servandum.

61. Quod autem ostium sit arcæ quod aperuit justus, secundum corporis rationem supra dictum est. Secundum altiorem autem interpretationem illud dicendum videtur, quod corporis sensus velut ostiorum similes habentur. Per hos enim tanquam per ostia ingreditur in nostram mentem velut quædam sensibilibus comprehensio. Ergo mens nostra per hos sensus respicere videtur, et maxime per visionem, quæ omnibus sensibus corporis præstabilior æstimatur; quia domestica est luminis, et per eam aspicientes cœlum, terram, maria, solem quoque, lunam, et stellas quibus axis ornatur, intelligimus Deum esse operatorem mundi atque rectorem, nec sine auctore Deo tantorumque operum conditore hæc potuisse fieri credimus, aut posse consistere.

62. Per hanc igitur fenestram corvum primum **254** justus emisit. Quærenda causa, nec tamen latet quantum ad litteram pertinet; quia plerique quasi annuntium futurorum corvum æstimant, et voces ejus observant, volatusque rimantur. Sensus autem altior significat ⁱ quod mens justus quando mundare se incipit, quæ tenebrosa sunt, et immunda, et te-

^c Mss. quinque probatiores restituunt, post septem dies; quæ verba in aliis, atque in edit. desiderantur.

^d Rom. edit. et ms. Torn. ad marginem, in secundo mense.

^e Rom. edit., germinare arbores, germinare fructus.

^f Vide quæ dicuntur tom. ii, in epist. ad Episc. Æmiliæ.

^g Rom. edit., super montem Ararath.

^h Ita mss. quinque, ac edit. Am.; Vat. autem, et aliæ edit., exactis visa sunt capita montium: undecimo, etc.

ⁱ Edit. omnes, ac mss. duo, quod omnis justus. Alii, ut in textu.

meraria primo a se repellit. Siquidem omnis impudentia, atque culpa tenebrosa est, et mortuis pascitur, sicut corvus: lumini autem vicina virtus quæ mentis puritate et simplicitate resplendet. Et ideo tamquam emittitur et fugatur culpa, et separatur ab innocentia, ut nihil remaneat in viri justi mente tenebrosum. Denique egressus corvus non revertitur ad justum; quia fugitans omnis culpa est æquitatis, nec probitati videtur et justitiæ convenire. Denique evasisse se credit injustus tamquam de vinculis, cum justus ab ejus se consortio separaverit, diluvii cujusdam et corruptelæ familiaris, ut corvus qui cum siccitatem terræ nusquam inveniret, non reversus, est, sed ^a remansit.

63. Considerandum etiam quare non regressum dixerit corvum, ^b *donec siccaret aqua a terra* (Gen. VIII, 7), quasi vero postea sit regressus. Sed hæc locutio familiaris est Scripturæ divinæ. Siquidem et in Evangelio habes scriptum de sancta Maria, quod non cognoverit eam Joseph donec peperit filium, cum utique nec postea cognoverit (Matth. I, 25). Deinde quæ est locutio ista, ut diceret, *donec siccaret aqua a terra*, non terra ab aqua? Et quidem usus loquendi etiam hoc habere consuevit: tamen nonnulli ante nos æstimaverunt, eo quod immoderata quædam videatur vis exprimi passionum hæc locutione verborum; quia turbidis passionibus ac procellosis consummatur anima, deficientibus autem et velut arescentibus virtutem resumat. Non redit igitur culpæ species in animam justi, quasi siccam et mortuam derelinquens, et cui jam nocere non possit.

CAPUT XVIII.

Ut corvus malitiam, sic virtutem columba exprimit.

Ad hanc recipiendam semper justum esse paratum ostendit Noe; idemque columbam septem aliis diebus retinens patientiam in corrigendo necessariam docet.

64. Nec illud vacuum, quod postea columba dimittitur. Malitiam etenim simplicitas, et culpam virtus resolvit. Malitia igitur amat diluvium, et consortium justæ mentis refugit, et quasi desolata, et sine aliqua statione remanet nullam habens cum virtute communionem. Virtus autem redit amans justorum consortia, et largiendæ familiarior utilitati, quæ conferat salutaria, et cavenda ea quæ sunt nocitura, commoneat: sicut columba dimissa cum videret cessasse aquam, regressa est tamquam plena justitiæ; ut ei a quo missa fuerat, nuntiaret quid adhuc cavere deberet, atque exspectando fructu meliore postea potiretur. Quod **255** autem columba non inveniens requiem suam regreditur ad eum, manifestum indicium dedit per hujusmodi aves quantum intersit inter malitiam et virtutem, exprimi. Siquidem corvus ante dimis-

sus, cum aliquanto videretur amplius exundare diluvium, visus est locum invenisse residendi. Et certe non est hujusmodi corvus ut aliæ aves quæ in aquis conversationem habere consuerunt. Cum ergo corvus ubi remaneret invenisse videatur, columba autem non invenerit, evidens ratio est altiore interpretatione signari, quia malitia inquietis passionibus et cupiditatibus quibus corrumpitur anima, se miscere consuevit, et quasi cognatis et domesticis delectatur, ibique commorationem suam locat: virtus autem prima statim specie visionis offensa regredi festinavit ad mentem animamque justi, quod illic diversorium sibi tutissimum sit locatum; eo quod alibi tamquam columba, ita hujusmodi virtus stationem tutissimam invenire non possit. Tarde enim inter astutias istius mundi, et sæcularium fluctus cupiditatum, portum solet invenire simplicitas.

65. Itaque ^c sicut justitia velut visendi gratia progressa paulisper, ad mentem optimam redire festinat, nec longius discedit a justo; ita etiam justus et studiosus virtutis ubi virtutem appropinquare cognoverit, gremium suæ mentis expandit. Quid enim sibi vult quod vir, studiosus virtutis Noe extendens manum suscepit eam, et introduxit ad se? Quod etsi secundum litteram planum videtur, non tamen facile colligas, nisi viri sapientis tibi nota sit consuetudo, qui velut speculatrice virtute utitur, et ei explorandorum negotiorum gerendorumque prærogativam quamdam videtur committere. Ea ergo virtus expendit naturas, ut si qua earum sibi videtur committere profectum, ei possit adjungere. Communis enim quædam est bonitas sapientiæ et liberalis et larga utilitatis; ita ut quas morigeras sibi cernit, associet: ubi autem proposito suo viderit aliquorum recalitrare naturam, velut ad hospitium familiare sibi revolat et recurrit, quam sapiens et industrius tamquam manu quadam mentis festinat excipere, omne cor aperiens suum quo etiam eam absentem tenebat. Numquam enim potest sapiens exsors esse propriæ virtutis.

66. Quid præterea sibi velit quod tenuit septem diebus aliis columbam, et iterum emisit eam; nisi ut advertas quod bonum sapientis, optimumque propositum semper sibi etiam alios adjungere studet, errantes emendare, corrigere vagantes? Si quem in principio resilire conspexerit, tamen commutandi ejus et corrigendi non desperet profectum. Sicut enim bonus medicus, etsi tempus medicinæ non sit, tamen visitationis speculam ante præmittit; deinde non negligit justæ exspectationis excubias, et paulisper passionibus cedens, opperitur facultatem medendi, quæ cum fuerit oblata, suum non intermittit officium: ita ergo et sapiens verbis ac disputationibus, **256** tamquam medicus medicamentis, contrarias curare

^a Post vocem, *remansit*, additur in Rom. edit. *donec siccaretur aqua*; sed nulla alia edit. vel mss. suffragante.

^b Edit. Rom., *donec siccaretur aqua a facie terræ*, ut etiam infra. Aliæ vero edit. et mss. magno con-

sensu, *donec siccaret aqua a terra*. Ubi subauditur, *se*, ellipsi familiari apud Latinos.

^c Mss. Corb. et Long., *sicut virtus*. Colb., *sicut justus*. Male.

desiderat passiones. Et quia in omnibus remedio divini favoris utendum est; ideo septem expectavit dies quibus mundus omnis describitur absolutus (*Gen. II, 2*), et operatori requies ministrata; ut ex illo auctore omnium sumeretur disciplina operationis humanæ.

CAPUT XIX.

Columba quare dicatur ad vesperam regressa cum olivæ ramo in ore : item unde aquas defecisse Noe cognoverit : tandem cur eadem columba post dies septem tertio emissa non reversa sit ?

67. *Regressa est igitur columba ad vesperam, habens folium oleæ, et ramum in ore suo (Gen. VIII, 11).* Non otiose posuit et vesperam, et regressam, et habentem oleæ folium, et ramulum in ore suo, ut non fugitantem virtutem arbitreris profectus futuri, si quos possit acquirere; neque rursus tamquam sine lumine eam fuisse cognoscas, et quibusdam tenebris occultam, sed diurno candore fulgentem expectasse usque ad occasum diei, et sic ad eum regressam, apud quem etiam vesperi tenebras habere non posset. Folium quoque quod secum detulit, etsi breve illud folium detulisse videatur, spem eorum quos sui poeniteret erroris, etsi non magnam, aliquam tamen significavit. Folium enim sine virgulto esse non poterat. Ergo quasi germinantis ^a correctionis, licet non magnum aliquod, tamen vexit insigne et folium oleæ, in qua arbore oliva generatur, ex qua oleum conficitur, quo materiale hoc lumen fovetur, et tenebrarum fugatur obscuritas. Quid autem magis quam lumen familiare virtuti est? Folium ergo et ramulus insigne est correctionis; correctio autem quasi radicem sui poenitentiam habet, quæ poenitentia non potest in turbidis, sed in iis qui spiritalem jam sermonem acceperint, germinare. In ore quoque non frustra ramulus oleæ videtur esse delatus, eo quod virtus et sapientia in sermone sui habeat claritudinem, et ipsa statim specie lumen ejus effulgeat, maxime cum pacifica loquitur; quoniam hunc quoque ramulum pacem petentes præferre consueverunt. Tulit ramulum, eo quod simplicitas puritate ac sinceritate semina quædam auribus nostris utilitatis infundit: et bonæ ^b doctrina virtutis aut ad industriam provocat, et invitat ad præmium bonæ sibi consciunt disciplinæ, aut gerendæ poenitentia, et ^c sequendæ conversationis cupiditatem injicit peccatori.

68. Unde et præterea cognoverit sanctus Noe quia defecerit aqua a terra, sicut scriptum est (*Ibid.*), considerandum videtur. Primo omnium secundum litteram, quia potuit intelligere utrum siccum, an humidum folium esset allatum. Deinde quoniam non

^a Edit. omnes et cod. Vat., *corruptionis*. Sex mss. melioris notæ, *correctionis*, seu *correptionis*.

^b Sic mss. Corb., Long., Torn., Colb. et Maz., cum edit. Am. et Era. At Vat. cod. cum edit. Gill. et Rom., *doctrinam virtutis*. Item paulo post ubi edit. et codices duo, *commisum disciplinæ*. Corb., Vat. unus, et Long., *consciunt disciplinæ*.

est hujusmodi columba, ut possit fructus latentes sub aqua eruere. Sed utrum illud folium ante diluvium fuerit exortum, an tempore diluvii, contuendum est tibi. Si ante diluvium, vir justus gavisus est fructum de veteri **257** semine aliquem reservatum, et inde collegit misericordiæ insigne divinæ, quod jam diluvium removisset, quæ fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluvia. Si diluvii tempore natum est folium, advertit utique justus nova semina misericordiæ fructificasse coelestis, ut radices arborum viverent, et quasi resumpta anima fetus germinarent vetustos, atque in assuetos partus redirent, quorum indicium præmissa folia demonstrarent.

69. Sed hoc alta potius interpretatione collegit. **B** quia Dominus Deus noster quamvis acerbis iniquitatis nostræ offensus esset erroribus; tamen antiqua nobis prosapiæ patriæque virtutis semen aliquod vel exiguum reservaret, ne penitus operis et creaturæ suæ omne circa humanum genus amputaretur insigne. Unde et Esaias ait: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes essemus (Esai. I, 9)*, in alterius nomine civitatis exprimens cæcitatibus indicium, in alterius sterilitatem. Ita enim lingua patria Chaldæi nuncuparunt Sodomam et Gomorrhæam, cæcitatibus et sterilitatem significantes. Meritoque Dominus in hujusmodi specie civitatum amputavit magis humana vitia, quam puniendos homines ^d judicavit.

70. Tertio dimittitur columba post septem dies, **C** atque eadem non regreditur. Unde consideremus, ne id quod supra diximus inveniatur esse contrarium. Si verbo quidem columba, opere autem virtus non revertitur ad justum; ergo destitutus est justus, et defraudatus munere suo? Nequaquam. Numquam enim vir hujusmodi a virtute disjungitur, nec cum ex ore emittit justitiam, disputationemque alterius virtutis inducit, virtute se exuit, et imitanda aliis æquitate dispoliât: sed vice solis alios illuminat, cum radios suæ lucis emittit. Ignis nempe calefacit appropinquantes, ita ut calorem naturæ suæ ipse possideat. Numquid deficit lux diei, cum totum mundum illuminat claritate? Habet inoffensum cursum suum, illibatamque naturam. Sic et ista in columbæ specie virtus, cum adhuc ferveret diluvium, secundum avem tamen in terris, secundum virtutem in hominum passionibus revertitur ad justum; quia in iniquorum pectoribus virtus ut posset hæerere, non potuerat invenire. Et ideo in illo secundo diversorio sui regrediens hæret atque requiescit. At vero ubi deferbuerint diluvia passionum, et auditi verbi compertæque doctrinæ plurimi studuerint esse consortes, jam non unius patrimonium, sed commune bonum

^c Rom. edit. *sequendæ conversionis*, commodo quidem sensu: sed ea lectio nullo nec mss. nec edit. confirmatur.

^d Vat. cod. et edit., *indicavit*. Corb. Long., Vale., Torn. et Maz., *judicavit*; Colb. vero *indicavit*, an *judicavit* habeat, haud facile sit statuere.

esse incipit disciplina virtutis, et tamquam sapientiæ poculum hauritur a plurimis qui ante sitientes bibere noluerunt, sicut nunc fervent diluvia in pectoribus Judæorum; et cum aqua cœlestis doctrinæ exundet, potus exuberet, non putant esse potandum. Evangelium legitur, virtus exit de sermone **258** cœlesti, tractat Sacerdos in Ecclesia. Sed ne forte intra arcam positus solus non possit audiri, interdum et egressus Ecclesiam, ubi Judæus occurrerit, monet, exemplum affert cœlestium Scripturarum. Claudunt aures, ne vel invidiosus fons abluat, et verbi Domini humor aspergat. Si qui vero crediderint, currunt ad fontem, doctrinam expetunt, insinuari sibi Evangelium concupiscunt, nec satiantur assiduitate potandi. Ita fonte sapientiæ certatim repleti desiderant, quem ante fugere gestiebant. Quem fontem? Audi **B** dicentem: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (Joan. vii, 37 et 38).

CAPUT XX.

Quod alio die imminuta aqua, alio siccata terra memoretur, eo significari justum Noe in duabus generationibus primum fuisse. Per denudationem arcæ abdicationem corporeæ delectationis exprimi. Quare primus vel secundus mensis, verni temporis dies dictus. Postremo difficultas de folio reperto dissolvitur.

71. In primo et sexcentesimo ^a anno vitæ Noe, primo die mensis imminutam aquam dicit a facie terræ; in secundo autem mense, septima et vicesima die mensis siccata terram esse commemorat. Quid sibi vult illa adjectio de aquæ imminutione, cum supputata ratio superior annum conclusisse videatur, qui annus a secundo mense incipit, et in secundum mensem anni alterius usque progreditur? Nisi forte hic justus formam declaratam velimus accipere; ut primus annus is fuerit, quo cœpit diluvium, ^b post sexcentimum scilicet annus primus; primus iterum annus et primus mensis post sexcentimum annum, quando imminuta est aqua a facie terræ: eo quod justus in peccatorum generatione quæ propter delicta deleta est, virtute primus erat, et in secunda generatione, quæ cœpit post diluvium, et ordine, quia primus secundæ generationis fuit, et merito primus evaserat. Recte enim ei honor defertur qui **D** et primæ generationis primus fuit, et posterioris principium; qui meruerit et de illa evadere, et isti ad seminarium propagari. Cum enim alii deperissent, solus vitæ egregiæ merito, et prærogativa vir-

^a Rom. edit. totum hunc locum contra mss. et aliarum edit. fidem ita mutavit, anno Noe primo mense imminutam... septima et decima die... commemorat septima et vicesima mensis aperuit Noe arcam. Quid sibi vult illa adjectio primi mensis de aquæ, etc.

^b Ad emendationem hujus loci mss. et edit. ant. conveniunt, præterquam in una vocula: namque ubi edit. habent, eo ordine; mss. omnes legunt, et ordine. Quædam autem edit. Paris. ita præferrebant, sexcentimus scilicet annus; primus iterum annus et primus

lutiis apud Deum dives, non est expertus malitiæ corruptelam, per quem factum est ne totum corpus generis humani vel abolitum videretur in terris, vel a Dei abscissum gratia relinqueretur.

72. *Et denudavit, inquit, Noe tectum arcæ* (Gen. viii, 13). Cum arcam sicut supra interpretati sumus (Supra, c. vi), pro specie corporis acceperimus, quid sit denudari corpus intelligamus secundum altiore scilicet sensum. Cæterum liquet quemadmodum arca potuerit aperiri secundum litteram. Quid igitur tectum humani corporis sit quod clausum in diluvio **259** fuit, nisi forte delectationem accipiamus, quæ operiebat hoc corpus nostrum, et quasi tegebat per illum Adæ errorem? Et eo maxime tectis similis æstimatur; quia sensus omnis in capite, inde delectatio quæ corpus omne subjectum habebat. Sed ubi mens justus viri sobria atque integra a corruptione diluvii, divinæ cognitionis inflammata desiderio exsilire atque evolare voluit in superiora, detexit omnia quæ erant impedimento, et speciem voluptatis, quæ quodam operimento cæteras tegebat partes corporis redoperuit ac retextit; ut non solum corpus a servitio dominatricis ignobilis liberaret, verum etiam ea quæ erant incorporalia comprehenderet; quæ enim non videntur æterna sunt. Et ideo justus quem non videbat Dominum requirebat, corruptelæ exsors, cupidus æternitatis.

73. Quod autem ait primum mensem vel secundum, eumque esse verni temporis diem, habes et alibi dictum: *Hic mensis primus erit vobis in diebus* **C** *anni* (Exod. xii, 2). Qui enim in gratia primus post periculum, hic recte prærogativam primi mensis accepit.

74. Nec te autem moveat quod diximus supra folium in ramo repertum post diluvium fuisse generari (Supra, cap. xix): etsi sub aqua plerumque herbæ soleant germinare: tamen ut scrupulus omnis possit auferri, quid magnum si Deo jubente, uno die quo imminuta fuerit aqua, statim germinavit et terra, cum idem sit fructuum reparator et conditor, atque operis sui usum non fuerit oblitus? Denique habes et in Genesi statim quod jusserit ut terra herbam pabuli germinaret, et lignum fructiferum cum fructu suo, et statim ejecit terra herbam pabuli, habentem semen secundum genus, et lignum fructiferum; et ille dies unus fuerit, quo hæc Deus jussit aut fecit (Gen. i, 11). Ergo beneficii sui Deus non immemor, ^c immemor autem nostræ iniquitatis, opus suum ejusdem qua cœpit temporis quantitate reparavit.

mensis post sexcentimum omnium; cætera ut in textu: quædam vero præter descripta verba post vocem, diluvium, infra positam ita prosequuntur: eo ordine primus fuit. Recte igitur primus ei honor defertur, quia et primæ generationis primus fuit qui evaserat, et posterioris principium, qui meruerit isti ad seminarium, etc.

^c Sic. mss. Val., Corb., Long. Alii vero et edit., memor autem nostræ iniquitatis, opus suum ejusdem. Cod. Maz., eadem qua cœpit, etc.

CAPUT XXI.

Cur Noe ut exiret ex arca Dei præceptum expectaverit.

Quomodo per ordinem quo idem cum suis ingressus atque egressus describitur, abstinencia generationis nec non ejusdem usus designetur? Demum quid ille ordo spiritali intellectu nos edoceat?

75. Et dixit Dominus Deus ad Noe: Exi de arca tu, et uxor tua, et filii tui (Gen. viii, 16). Itaque recedente aqua et siccata terra exire potuit Noe de arca. Sed justus nihil sibi arrogat, sed totum se divino committit imperio. Et maxime qui coelesti fuerat ingressus oraculo, coeleste debuit, ut egrederetur, expectare responsum. Verecunda enim justitia est; quia inverecunda iniquitas quæ usurpat indebita, nec reveretur auctorem.

76. Nunc quæramus qua ratione quamdiu ingrediebantur in arcam hic ordo fuit ingredientium, ut primo ipse ingrederetur et filii ejus; deinde ejus uxor, et uxores filiorum ejus: quando autem exierunt, commutatum sit. Nam scriptum est: Exiit ipse, et uxor ejus, et filii, et uxores filiorum ejus (Ibid., 18). Et littera quidem significat in ingressu **260** abstinenciam generationis, in egressu generationis usum. Tunc enim pater cum filiis prius introivit, et filii cum parente, et postea uxor ejus, et filiorum ejus uxores, id est, non commiscetur sexus in introitu, commiscetur in egressu. Aperte igitur velut ordine ipso ingressionis vocem quamdam justus emittit, tempus illud non esse concubitus, neque deliciarum, quo omnibus immineret interitus. Unde in Evangelio Dominus ait (Luc. xvii, 26 et 27), C reprehendens quod temporibus Noe manducarent et biberent, uxores ducerent, et filias nuptum traderent; et ideo propter intemperantiam eorum supervenisse diluvium. Mœroris igitur tempus illud, non lætitiæ erat. Et inde justus consortio non delectabatur uxoris, vel filii justi petebant copulam conjugalem. Quam enim indecorum, ut quo tempore viventes morerentur, tunc perituri generarentur? Postea autem recte ad seminarium cæterorum ^a successit usus et cura conjugii, cum diluvium recessit. Itaque non viri cum viris, sed feminae cum viris exeunt; ut virilis in se interdicta permixtio, permixta autem virilis et feminei legitima sorte conjugii copula videretur.

77. Sensus autem altior hoc habet: ubi periculum ^D est, viriles quædam et fortiores disceptationes menti adhæreant, et eo se mens quasi quamdam tueatur sobolem filiorum, quo tempestatibus et gravioribus passionibus acies quædam virilis occurrit. Decurso autem periculo, nihil obest si molliores cogitationes validioribus copulentur; non ut effeminentur a mollioribus fortiores, sed ut molliores sensus velut quibusdam virilibus roborentur, cum omnia

^a In omnibus edit. desideratur verbum, *successit*, quod ex cod. Gorb., Long., Colb. et Maz. restitui-mus.

^b Rom. edit. sola, *ex adolescentia sua. Non ergo adjiciam percüttere omnem carnem, sicut feci, omnibus*

A consilia nostra ad virtutem, justitiam, integritatem, fortitudinem dirigantur, et quodam usu seminarioque virtutum creari atque adolescere possint validiora consilia. Non est igitur utile, cum vitiorum aliqua confusio est quæ mentem occupet, serere aliquas cogitationes, atque generare et parturire mentem. Cum autem compressæ fuerint cupiditates, et mens requieverit, tunc seminario quodam disceptationis accepto, virtutes possunt et bona opera germinari.

CAPUT XXII.

Qua de causa Noe aram injussus Deo ædificavit; quidve Deo, et non Domino: quare etiam holocausta e bestiis ac volatilibus mundis obtulerit; et quid sit quod ait Dominus: Recogitans non adjiciam maledicere terram, etc.

78. Et ædificavit, inquit, Noe aram Deo (Gen. viii, 20). Qua ratione supra Dominus admonuit quæ faceret, et fecit Noe omnia: hoc autem quod non admonitus est fecerit, fortasse requiratur. Sed utique Dominus non debuit quasi avarus mercedem gratiæ postulare, et justus eam intellexit veram actionem gratiarum esse quæ non juberetur, sed deferretur. Itaque nec dilationem passus est. Etenim grata animi virtus passionem dubitationis excludit: qui autem debitum gratiæ ut a se exigatur expectat, ingratus est. Quod autem ædificavit, inquit, Deo, et non dixit Domino, sed Deo; secundum nominis interpretationem, **261** non coacta videtur hæc actio esse gratiarum quasi Domino; sed virtus justii morigera et grata quasi Deo. Quod imperiale est sequestravit; quod beneficii nominavit.

79. Et sumpsit a bestiis, et a volatilibus mundis, et obtulit, inquit, holocausta (Ibid.). Littera evidens est quod ea quæ incontaminata sunt, debemus offerre, in quibus affectus reluceat offerentis. Altior autem interpretatio hoc habet, quod bestia mundæ videntur sensus esse sapientis; volatilia autem intellectus, qui sunt longe subtiliores atque leviores.

80. Nunc vero consideremus diligentius quid sit quod ait: Et dixit Dominus Deus: Recogitans non adjiciam maledicere terram propter opera hominum; quia permanet cor hominis diligenter super mala ^b a juventute (Ibid., 21). Non ergo adhuc percuteret omnem terram, sicut fecit, omnibus diebus terræ. Etsi vindicaverat in hominum genus; tamen cognoverat quia vindicta legis ad timorem proficit, et cognitionem doctrinæ, magis quam ad naturæ commutationem, quæ corrigi in aliquibus potest, in omnibus mutari non potest. Vindicavit ergo Dominus, ut timeremus: pepercit, ut reservaremur. Et vindicavit semel ad exemplum timoris, pepercit, in reliquum, ne dominaretur semper amaritudo peccati;

diebus terræ. Cum mss. consentit Nobilius in hunc locum, nisi quod paulo superius interpunctionem sic putat esse restituendam: *Et dixit Dominus recogitans: Non adjiciam, etc.* Quod Hebræo melius respondere assentit.

simul quia si quis peccata cupiat sæpius vindicare, A asper magis quam censorius habetur. Ideoque dicit Dominus: *Non adjiciam ultra maledicere terræ, propter opera hominum*, id est, quia pietatem suam circa universitatem hominum voluit declarare, et tamen securitatem et negligentiam quamdam mentibus humanis afferre non debuit, in paucos vindicat, plures reservat. Deinde cum dicit: *Non^a adjiciam*, ostendit quod allevet magis ærumnas hominum quam ingravet, sciens quod penitus peccata hominum auferri non queant. Tamquam in proverbio: Si quis reti subtili haurire cupiat aquam, sic qui malitiam ex pectoribus hominum conatur auferre.

81. ^b *Non adjiciam*, inquit, *maledicere terræ propter peccata hominum; quia permanet sensus hominis diligenter super mala a juventute*. Vide quomodo studiose nos delinquere Deus significet, dicendo permanere super mala sensum hominis diligenter: quod dicto significare videtur diligenter cor hominis ad peccata propendere, et inesse principali nostro lubricum delinquendi, et quod pejus est, studium non deesse. Ideo enim ait, *diligenter*, quasi solliciti simus, ne immunitas culpæ nobis possit obrepere. Deinde non in unum malum dixit, sed *super mala*. Et, *a juventute*, addidit; ex illa enim ætate crescit malitia, licet alibi legerimus quod non sit sine peccato nec unius diei infans (*Job. xiv, 5*). Sed et infantia sine peccato non sit propter corporis infirmitatem, diligentia autem et studium peccandi incipiat a juventute; ut puer quasi infirmus peccet, juvenis tamquam improbus, qui studiose cupiat peccata **262** C committere, et in criminibus gloriatur. Apud ple-rosque enim innocentia pro ignavia, et culpa pro laude habetur. Ita se luxuria et deliciis et adulteriorum affectibus juvenes jactare consuerunt. Crescit ergo cum ætatibus culpa. Omne igitur genus hominum jam non consumendum declarat, cum dicit: *Non adjiciam percutere omnem carnem*: sed in parte vindicta servatur.

CAPUT XXIII.

Quod ait Dominus: Semen et messis, frigus et æstus non requiescent, ad litteram et moraliter explicatur.

82. Quid sit etiam quod ait: *Semen et messis, frigus et æstus, hyems et æstas, die et nocte non requiescent* (*Gen. viii, 22*). Secundum litteram significat D permansura manentibus secundum institutionem Domini, et statum suum temporibus incorrupta futura animalia, vel nemorosa omnia. Nam cum cor-

^a Edit. Rom., *Non adjiciam percutere omnem carnem*.

^b Ita mss. et priscae edit. magno consensu. Edit. Rom., *Non adjiciam, inquit, ultra maledicere terram propter opera hominum, quia permanet cor hominis diligenter propter mala ex adolescentia sua*.

^c In sola Rom. edit. legitur, *dies et nox*.

^d Omnes edit. et plures mss., *opere finiatur*. Elegantius Corb. et Long., *opere ferietur*.

^e Ita sex mss. et edit. Am. ac Era. At in aliis legas, *terra renovetur*. Iterum hoc eodem loco Vat. cod.

rumpuntur tempora, corrumpuntur etiam illa quæ temporibus suis quæque gignuntur. Si autem confusio sit temporum, quomodo possunt confusione facta etiam ea quæ sunt gignentia permanere? Ergo tempora sunt quæ aut corrumpunt aut reservant, prout ipsa sui habuerint qualitatem. Ideoque annus ex contrariis ducitur, vere, autumno, æstate, hyeme, sicut harmonia cantilenæ permixtis gravibus et acutis videtur consistere. Sic ergo et mundus iste ex contrariis continetur, aere et terra, igni et aqua. Nostra quoque corpora frigore et calore, humore et siccitate, quemdam naturæ ordinem servant. Nam si naturalis ordo ac mensura confunditur, tunc necesse est sequatur interitus. Ergo certum ordinem temporum Dominus, remota confusione diluvii, ad perseverantiam mundi promittit futurum.

83. Altior autem sensus hoc habet, ut per semen intelligamus principium, per messem intelligamus finem. In utroque salutis est causa. Alterum sine altero imperfectum est; quia ubi principium est finis quaeritur, nec potest esse sublato fine principium, et finis in principium recurrit. Ergo semper in eadem recursurum dum in hoc mundo est, genus memorat humanum, ut cum incipit annus, finiatur: cum finitur, incipiat, non medio mundo tempore resolvatur. Ita et mens quando aliquid videtur incipere, ad finem usque contendat, et operis sui terminum quaerat. Quando finit aliquod opus, non quasi consummato ^d opere ferietur: sed in alia recurrat opera, et semper incrementa virtutis exerceat; quando quidem videt quod in fructus suos semper ^e terra revocetur, qui diversi aut vere et æstate, ut in partibus Orientis, aut æstate autumnoque nascantur, ut in partibus Occidentis.

84. Alio tempore terrarum seminaria partus suos edunt: alio autem tempore fructus arborum carpinus. Dividui ergo fructus sunt necessarii, **263** et voluptuarii: necessarii ex seminibus terrarum; at vero ex arborum fructibus voluptuarii. Itaque corpus nostrum tamquam vere, hoc est, aere, cibo pascitur naturali. ^f *Ἄεϛ* autem Græco nomine, ver Latino dicitur. Ideo Scriptura de partibus Orientis, et maxime Ægypti per quam transivit Hebræus, vel ex partibus Phoeniciæ sumpsit exemplum. Anima autem voluptuariis, hoc est sapientiæ fructibus alitur: cui iterum, ut corpori nostro contrarium frigus et æstus, ita timor et iracundia videntur adversa. Sed quia in corpore est ^g, necesse est et iracundiam habeat et timorem, nec potest sine hac esse corporeæ necessi-

habet, qui diversi vere et æstate, autumnoque nascantur, alio, etc.

^f Vocem *Ἄεϛ* cum edit. superiores, Latinis, mss. autem partim Latinis, partim confusis characteribus exhiberent, qui ultimas edit. Paris. curavere, sensum minus assecuti reposuere: *Aer autem Græco nomine, vel Latino dicitur*. Male. Illic siquidem *ἄεϛ* per metathesim ponitur pro *ἔαϛ*, vernum tempus. Nisi scribere malis per contractionem *ἄεϛ*, quod apud auctores frequens occurrit.

^g Ita emendavimus mss. subsidio. Hic enim edit. exhibent magno consensu, *in corpore est, et iracun-*

tate naturæ. Et ideo mens sapientis moderamina A^e quia uterque a terrenis vitiis temperabat. Ille qui ita generatus est, ut nihil terreno deberet contagio : iste qui et in periculis fuerat approbatus, et examinatus in passionibus, et repertus quod in confusione non fuisset^d obnoxius passioni.

85. *Die quoque et nocte quod ait, per diem intelligis illuminantem virtutem, per noctem recognoscis tenebrosam insipientiam. Itaque et in timore tamquam in frigore potest esse illuminans virtus. Similiter et iracundiam potest reprimere temperantia ; ut in timore aliqui non penitus resolvantur, et magis timorem dirigant ad opera virtutis. Verbi gratia, si persecutor insistat, ut plus Deum timeas, et perpetua magis supplicia, quam præsentia putes esse vitanda, quæ dum times, accendaris ad gloriam, perfidiæ iratus et sceleri. Rursus iracundia succensus divino commotionem timore modereris.*

CAPUT XXIV.

De prærogativa potestatis hominibus in cætera animalia per benedictionem qua Noe cum suis donatus est, divinitus attributa. Et quomodo intelligatur Dominus eisdem hominibus in escam dedisse omnia reptilia, cum eorum quædam venata sint.

86. *Et benedixit Dominus Noe et filios ejus, dicens : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et dominamini ejus : et^a timor vester et tremor erit omnibus bestiis terræ, et omnibus avibus cæli, et in omnibus quæ moventur super terram, et in omnibus piscibus maris (Gen. ix, 1 et 2). Hæc prærogativa potestatis in cæteris animalibus videtur hominibus attributa et in superioribus partibus. Sed eo loco ubi dixit quod Deus hominem fecit, dicitur : Masculum C^e et feminam fecit eos, et benedixit eis dicens : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et dominamini ejus, et potestatem habete super pisces maris, et volatilia, et bestias terræ, et reptilia (Gen. i, 28). Quod eo admonui, ut intelligas geminam hominis generationem expressam : unam secundum imaginem Dei, alteram secundum figmentum de luto terræ. Denique illa creatio hominis de luto terræ videtur esse facta post mundum, postquam requievit Deus ab operibus suis. Sero quodammodo^b terrenæ statuxæ figmentum gignitur. 264 *Non erat pluvia super terram, nec homo terram operabatur. Tunc de limo terræ finxit Deus hominem, et insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem (Gen. ii, 5 et 7). Ille autem sexto die, quasi perfecto numero D* quo omnia conclusa sunt opera Dei, quasi perfecta operatione constitutus homo secundum imaginem Dei est, cui etiam iste comparatur qui in diluvio justus inventus est. Et ideo supra terrena omnia eum constituit Deus, sicut et illum ad imaginem Dei factum,*

diam habet et timorem, nec potest sine hac esse in corpore necessitate naturæ.

^a Hic a mss. in eo tantum recedunt edit. vet. quod omittunt : *bestiis terræ, et omnibus avibus cæli, et in omnibus.* Edit. autem Rom. totum locum concinnaverat in hunc modum : *timor vestri, et tremor erit super omnes bestias terræ, et super omnia volatilia cæli, et super omnia quæ moventur super terram, et omnes pisces maris, etc.*

87. Altior autem sensus habet quod justus magnitudine et multitudine virtutis augetur, atque doctrina; et replet terram, quasi cor quoddam in quo sit receptaculum intelligibilium. Ita nihil vacuum sapientiæ esse patitur, quod insipientia possit invadere. Domitis igitur non solum terrenis omnibus passionibus, sed etiam sensibus corporalibus, bestias quoque sibi quodam terrore subjicit et timore, in quibus species videtur inesse malitiæ atque feritatis. Immitis enim et agrestis est omnis malitia, et inflatur B^e aërio quodam tumore. Nec illud obscurum, quod reptilia quædam lethalium quamdam habent speciem passionum, a quibus venenum quoddam menti videtur infundi. Omnibus ergo his imperat justus quibus non commiscetur : sed coercet ea, si mens ejus non delectatione, non cupiditate ducatur, non tristitia et timore frangatur ; non etiam luxuria atque deliciis tamquam lubricum et caducum vitæ hujus agat cursum, sed continentia et temperantia abigat a se vir sapiens hujusmodi passiones.

88. Sed quia subdidit statim : *Omnia reptilia quæ sunt viva, erunt vobis in escam (Gen. ix, 3)*; ne forte te moveat quia ante de reptilibus diximus venenatis, cognosce alia esse reptilia venenata, alia mansueta. De mansuetis igitur reptilibus accipe, quæ C^e etsi non omnia ventre et pectore repunt sicut colubri, tam exiguos tamen pedes habent, ut repere magis quam ambulare videantur. Ergo venenatorum reptilium^e similes immundas in corpore accipe passiones, mansuetorum autem decoras. Omnis enim affectus qui est præter deformis delectationis illecebram, passio quidem est, sed bona passio. Cupiditas mollior, et ira, et timor, hæc noxiæ animæ passiones sunt ; affectus autem innoxii, passiones bonæ sunt. Et his vivendi quidam nobis usus ministratur, et causa : harum cibo utimur ad vitæ gratiam, harum epulis delectamur.

265 CAPUT XXV.

An oleribus magis quam cornibus vescendum Dominus præceperit ; et quemadmodum nos munierit Moyses contra opiniones philosophorum de anima quorum varia placita referuntur : item qua ratione sit distinguendum inter animæ partem rationalem et sensitivam ; quidve anima sanguis dicatur ?

89. Quid est etiam quod ait : *Sicut olera pabuli dedi vobis omnia (Gen. ix, 3)* ? In quo et ii qui simpli-

^b Ms. Long., *terrenæ substantiæ figmentum.*

^c Edit. omnes, ac mss. non pauci, *quia utrumque a vitiis terrenis temperabat.* Mss. Corb. et Colb., *quia uterque, etc.*

^d Mss. Corb., Long. et Vat., *obnoxius confusio.*

^e Ita cod. Vat. et Maz. cum edit. Mss. vero Corb. et Colb., *similes in mundo corpore passiones.* Long. melius, *similes immundo corpore passiones.*

citer intelligunt, ut non expendant sermonis examen, non nobis videntur esse contrarii. Sunt enim qui putant quod olera ad escam nobis Dei nutu attributa videantur, quò his magis quam carnalibus epulis uti debeamus : ego autem libenter his acquiescerem, ut generi hominum, ad parcimoniam magis et temperantiam, olerum usus inolesceret; nisi viderem ab his qui non libenter accipiunt, posse referri mihi quia non omnia olera escæ hominum inveniuntur accommodata. Deinde quia non omne hominum genus sapientiæ et continentiae amore ducitur, ut continentiam sequi possit. Et ideo quod generale præceptum est, ad portiunculam paucorum hominum derivare non possumus, omnibus enim hominibus hoc præceptum datur.

90. Ideoque consideremus quid dixerit : *Sicut olera*, inquit, *pabuli dedi vobis omnia*, non olera omnia dedi vobis ad escam. Utantur igitur qui utuntur carne, tamquam oleribus, non ad distentionem, nec ad arvinam corporis, quam epulæ carnis facere consueverunt. Sed quemadmodum et olera non omnia ad escæ usum habilia sunt, ita etiam non omne vivum reptile accommodum ad usum epulandi. Siquidem ab omnibus venenatis abstinere debemus, licet huc quoque processerit luxuriâ, ut magis delectationi consulat quam periculo, et in plerisque resecto quod dicitur venenatum naturaliter inesse, reliquam partem ad cibum vindicet; quæ etsi non plena periculi, tamen vicina periculo est, et corruptela aliqua necesse est in totius succum se carnis infuderit. Plerique etiam sagittis venenatis transfigunt cervos et hujusmodi velocia animalia, et postea resecta quadam parte membrorum, reliquo corpore ad cibum utuntur.

91. Quod autem ad altiorem sensum pertinet, hoc est, unde magis dictum est quod irrationabiles passionem ita debeant menti sapientis, ut olera rustico esse subjecta; atque ita his utamur tamquam reptilibus cogitationibus, ut agricola oleribus, quæ licet obesse non possunt, cibi tamen non habent gratiam fortioris. Generale enim omnibus et commune præceptum, non altiora indicit genera virtutum, quæ utique paucorum sunt. Sed et si quis virtutum epulas fortiores sibi exhibere non possit, hujusmodi tamen habeat passionem, quæ non noceant, sed delectent^b.

92. Ideo in principio sanctus Moyses informavit nos atque instruxit de insufflatione animæ, **266** ut non laberemur opinionibus diversis philosophorum, qui sibi ipsi constare non possunt. Plerique enim varia senserunt, ut Critias et ejus discipuli, sanguinem esse animam dicentes, istam utique animam qua vivimus, quæ est sensibilis, non illam animam quæ rationalis et intelligibilis inte-

rioris hominis aestimatur. Hippocrates autem etsi Critiæ non improbavit ingenium, nec disputationem ejus redarguit; tamen sententiæ non acquievit. Aristoteles ἐντελεχειῶν dixit (lib. 1 de Anima, text. 29 et 30). Ignem alii esse voluerunt. Nos igitur hujusmodi divisionem teneamus; ut separemus quod est rationale animæ, cujus substantia divinus est spiritus, sicut ait Scriptura : *Quia insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ* (Gen. ii, 7).^c Esse autem in ea nutrimentum quoddam vitale quo hoc corpus animatur, esse etiam delectabile. Illarum igitur et vitalis et delectabilis animæ partium substantia sanguis appellatur a quibusdam; licet etiam Scriptura dixerit : *Anima totius carnis, sanguis est* (Levit. xvii, 11 et seq.) Proprie igitur animam carnis sanguinem appellavit.

In carne enim delectatio et passio est, non mens et ratiocinatio. Tamen si diligenter intendas, hic locus illum explanat. Cum enim hoc loco animam sanguinem dixerit, utique significavit aliud esse animam, aliud sanguinem, ut sit animæ substantia spiritus vitalis : sed ipsum spiritum vitalem non per se tantum et sine sanguine usum afferre vivendi, sed commisceri sanguini; quia sunt quæ vocantur arteriæ velut receptacula spiritus, quæ non solum aerem purum amplectuntur : sed etiam sanguinem, sed minorem longe sanguinis portionem. Gemina enim cum vasa sint, aliud est venæ quæ φλέψ græce appellatur, aliud arteriæ. Vena plus habet sanguinis, quam spiritus, hoc est, φλέψ : arteria minus habet sanguinis, multo amplius spiritus. Jam temperatio pro diversitate naturæ est hominum singulorum.

93. Altior autem sensus delectare te debet, qui significat sanguinem animam ideo dictum, quia sanguis calidus et ignitus est, sicut est virtus. Quicumque igitur studio fuerit virtutis accensus, et vaporem laudis assumpserit, omnes delicias ventris excludit. Ea igitur cogitationum quæ sunt carnalia atque terrena, in virtutis, inquit, ardore positi rejicietis, quasi inhabilia spiritali cibo. Non enim carnem manducabat, hoc est, terrenum aliquod cogitabat, qui dixit : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in caelis est* (Joan. iv, 34), studia hominibus virtutis inspirans, et cupiditatem divinæ cogitationis infundens. Ergo terrenæ cogitationes et infirmæ, quasi eviratæ et sine usu sanguinis habentur. Et ille deviratus dicitur, qui sanguinis plurimum amiserit, etenim sanguinis effusione frigescit. Quisquis igitur diligens virtutum est, cibos ablegat et rejicit corporales, nisi quantum scit satis esse naturæ. Quisquis autem negligentior tamquam lubricum et aquosum vitæ istius fuerit cursum secutus, quasi amissis vestigiis in uterum decidit et ventrem. Itaque ea quæ sunt terrena desiderat, **267** cibi cœlestis alienus : et qui non possit dicere : *Nostra conversatio in caelis est*

^a Mss. Corb., Vale., Colb. et Maz. cum quibusdam Paris. edit., ad ruinam corporis.

^b Hic aliquid omissum esse vel cæco pateat. Vide quæ in admonitione de hoc diximus.

^c Edit., quæ Romanam secutæ sunt, reposuere

partim, *Est autem... est etiam*; partim... *Esse autem... est etiam*. Sed vet. omnes cum mss. utroque loco legunt, *esse*; ubi aliquid e verbis superius positum, nimirum *voluerunt*, vel *teneamus*, mente splendendum.

(Philipp. iii, 20). Ideoque ut ad secretos provocaret, ait idem: *Ne tetigeritis, ne attaminaveritis, ne gustaveritis quæ sunt ad corruptelam ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in observatione religionis et humilitate cordis, non in indulgentia corporis, non in honore aliquo ad saturitatem et diligentiam carnis (Coloss. ii, 21 et seq.).*

CAPUT XXVI.

Pejorem bestiis esse qui fratrem, id est, ejusdem naturæ consortem occiderit; majus tamen periculum a fratribus ipsis germanis metuendum; eisque fraternum nomen non abrogari, ut eorum magis gravetur impietas. Unde morale dogma, cuique a propriis cogitationibus ac verbis cavendum. Qualis in fusi sanguinis auctorem comminatio: qui dictum de homine, ad imaginem Dei fecit eum: quidve addita vindictæ causa nos doceat.

94. Denique hunc sensum esse posteriora approbant; sic enim ait: *Etenim vestrum sanguinem, et animarum vestrarum exquiram de omnibus bestiis, et de manu hominis (Gen. ix, 5).* Bestiali malitiæ comparavit, imo etiam a acervavit iniquitatem hominis ultra bestiarum feritatem, dicendo: *De manu hominis fratris.* Etenim bestię nihil nobiscum habent commune naturæ, nullo velut fraterno jure devinctæ sunt. Si nocent hominibus, quasi extraneis nocent. Naturæ jura non violant, germanitatis non obliviscuntur affectum. Ideo gravius homo peccat qui fratri insidiatur: et Dominus severius vindicaturum se esse promisit dicens: *Sanguinem hominis de manu fratris ejus exquiram.* An non frater est quem rationabilis naturæ quidam uterus effudit, et ejusdem matris nobis generatio copulavit? Eadem enim natura omnium mater est hominum; et ideo fratres sumus omnes, una atque eadem matre generati, cognationisque eodem jure devincti.

95. Ideoque et Dominus fratrem appellavit et eum fratrem a quo sanguis fratris exquiritur, significans magis ab his periculum pertimescendum qui fraterno sibi jure sociantur. Hinc etenim insidiæ, hinc pericula frequentiora hominibus comparantur, et ut specialia comprehendamus, quod fratribus specialius in hæreditatis divisione frequenter odia succrescunt. Deinde si fratri amplius collatum fuerit a parentibus, fratres alii indignantur magis, et gratiam a parentibus collatam parricidio auferre conantur. Ista magis bella suspecta, bella non ^b civium tantum, sed singularum

^a Omnes edit. *acerbavit*. Mss. melius, *acervavit*, id est, exageravit. Et hoc semel monendum, ubi habetur in edit. verbum, *acerbo*, semper fere in mss. legi, *acervo*.

^b Hic magna tum in mss. tum in edit. corruptio. Cod. Corb., Colb., Vale. ac edit. Am., Gill. et quædam Paris., *non tibi tantum, sed singularum domorum*. Mss. Vat., Long. et Era. edit., *sed singularium domorum*. Aliæ Paris., *non sibi tantum, sed singularium donorum*. Locum tamen e cod. Maz. sat bene restitimus.

^c Edit. Rom., *per hoc intelligimus, non solum ab*

domorum. Illos ergo Dominus ad ultionis judicium comprehendit, quos magis insidiaturos sibi esse cognovit.

96. Tertium est quod in eo fratrem dixit, non **268** quod dignus pietatis nomine parricida sit: sed quo magis pietatis gravetur vocabulo, atque inde fiat sceleris incrementum, quo justior sit vindicta scelesti. Ergo Dominus Deus noster ultionem promittit: ut vel sic frangatur metu, qui pietatis est oblitus; et sciat quod etiamsi homines effugiat homicida, Dei tamen judicium non possit evadere, sed majori et æterno supplicio reservetur.

97. Altiore autem sensu hoc intelligimus, non solum ab extraneorum insidiis; verum etiam a nostris, hoc est, domesticis cogitationibus nobis cavendum. Deinde observandum nobis non solum a malitia mentis, verum etiam ab ipsis sermonibus nostris. Ideoque ait: *De multiloquio non effugies peccatum (Prov. x, 19).* Ergo hoc significari videtur non solum operis nostri, sed etiam sermonis qui est magis domesticus, rationem Domino esse reddendam. Et ideo diligentius considerandum, ne vel sermone, vel opere contrahamus offensam; quia sicut ore confessio fit ad salutem, sic ore fit lapsus ad mortem.

98. *Qui effuderit, inquit, sanguinem hominis, pro sanguine hominis ejus, effundetur (Gen. ix, 6).* Non erravit locutio, sed emphasis est, id est, exaggeratio facta verborum est, eo quod is qui effuderit sanguinem hominis, ipse quasi sanguis effundetur, quod spem ei posteritatis eripiat; quia sicut sanguis effusus in terram, hac atque illac spargitur, ita impiorum anima e corporeæ fragilitatis more solvatur (*Job. xxxiii, 28*); quia et de anima dictum est mortem ejus esse corruptionem, eo quod gratiæ cœlestis munere defraudetur, et velut collisa malitiæ scopulis salubritatis suæ corpus imminuat.

99. Movet etiam plerosque quod dixerit: *Ad imaginem Dei fecit hominem (Gen. ix, 6)*: et non dixerit: *Ad imaginem meam, cum ipse sit Deus.* Sed intellige et Patrem esse, et Filium esse. Et licet per Filium omnia facta sunt, tamen legimus quia Pater fecerit omnia, et fecerit per Filium, sicut scriptum est: *Omnia in sapientia fecisti (Ps. ciii, 24)*. Sive ergo Pater dicit, ad imaginem Verbi fecit: sive Filius dicit, ad imaginem Dei Patris fecit. Et ideo familiarem quamdam et domesticam Deo demonstrat hominis esse naturam, id est, rationabilis hominis secundum quod ad imaginem Dei creati sumus; eaque causa inultum non esse apud Deum quod in domesti-

extraneorum, verum etiam a nostrorum, hoc est, domesticorum cogitationibus. Sed lectionem nostram magno consensu præferunt mss. ac vet. edit. nisi quod in iisdem edit. vox *insidiis*, non legitur.

^d Ambrosius hoc loco reddit sententiam LXX Interp. Sic enim illi: *Ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται.* Ubi vocem *Ὁ ἐκχέων* referri ad verbum *ἐκχυθήσεται* manifestum est. Edit. tamen Vulg. sic legit: *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.*

^e Ita cod. mss. et edit. Rom. Vel. autem, *a corpore fragilitatis more solvatur.*

eam animal sibi videat crudeliter et impie esse commissum.

100. Causa ergo vindictæ addita facit, ut primum excludamus philosophorum quorundam opiniones, qui negant Deum habere curam super homines : deinde scientes prærogativam nostræ ultionis apud Deum manere, neque in alios committamus quod divino iudicio vindicandum sit ; neque mortem nisi vehementius pertimescamus, cum sciamus necei hominis innocentis apud Deum nullum esse contemptum.

269 CAPUT XXVII.

Promittitur diluvium numquam ejusmodi futurum esse, ut terram omnem corrumpat ; idque ad animi passiones traducitur. In arcu qui dicitur ponendus in nubibus, non intelligendam iridem ostenditur, sed divinæ virtutis intensiōnem ac remissionem.

101. ^a Non erit, inquit, diluvium, ut corrumpat omnem terram (Gen. ix, 11). Dubium videtur : utrum enim, diluvium non erit, intelligendum sit quod diluvium corrumpat terram ; hoc enim diluvia facere consuerunt : an vero non erit tale diluvium quo terra omnis corrumpatur, quod posteriora aperiunt, cum dicit omnem terram non corrumpendam ? Ostendit enim diluvia quidem esse futura, sed non talia quibus possit omnis terra corrumpi.

102. Sensus autem hoc altior habet, quod jam providentia futura sit Domini, ne tantum sit diluvium corporalium passionum, ut anima omnis intereat. Et quidem non audeo dicere quia videtur Dominus statuere, quod nullius anima possit penitus interire. Quid enim de parricida dicimus ? Quid etiam de homicida ? Quid de adultero ? Quid de prævaricatore ? Quas ei partes animæ ad veniam reservamus ? Unde magis illud arbitror quod provocet Dominus Deus, ut etiam si quis leviores alias habeat passiones, non penitus divinam desperet gratiam, nec omnimodis victurum se esse disfidat. Sed etiam si est luxuriosus, nec potest studium vitare luxuriæ, ab adulterio tamen studeat temperare ; sit epulandi delectatio, non stuprandi sit. Etiam si nescio quis avarus qui aliena diripuit, ejecit pupillos, eliminavit viduas, vel postea tamen in poenitentiam regressus restituat quod abstulit. Denique Zachæus ideo veniam meruit, quia non solum restitutum se, sed quadruplum promisit quibus aliqua sustulisset, pauperibus quoque medietatem sui patrimonii donaturum.

103. Consideremus etiam diligentius quid sit, quod ait : *Arcum meum ponam in nube, et erit signum testamenti æterni inter me et inter terram : et erit cum innubilavero nubes super terram, parebit arcus meus in nube, et memor ero testamenti mei* (Gen. ix, 13 et seq.). Non enim sicut plerique arbitrantur, arcum istum

^a Mss. et vet. edit. hic consentiunt, nisi quod pro *omnem terram*, recentiores aliquot mss. cum vet. edit. legunt, *omnem hominem*, Sed. Rom. edit. ita repo-

A dicit quem aiunt homines esse, quo pluviarum signa aliqua declarentur, in quo colores diversi tamquam radorum solis nunc rutilantium, nunc lumine lucentium clariore figurantur : unde et pluvia futura significatur, eo quod inconstantia quædam serenitatis ^b versicolora specie demonstratur. Arcum hunc irim quidam appellant : sed absit ut hunc arcum Dei esse dicamus. Hic enim arcus qui iris dicitur, per diem videri solet, nocte non apparet. Etiam per ipsum diem, si obductus aer tetrus nubibus fuerit, nec sic quidem videtur, nisi forte cum graviores nubes se cœperint relaxare.

104. Ergo videamus ne quia arcus quo sagittæ jaciuntur, nunc tenditur, nunc resolvitur, quamdam extensionem et remissionem videatur Scriptura **270** B significare, per quam neque penitus per nimiam extensionem universa rumpantur ; sed sit quædam mensura, et quoddam divinæ virtutis examen. Est ergo virtus invisibilis Dei quæ et specie istius arcus extendendi et remittendi moderatur pro divina voluntate, misericordia, potestate, quæ neque omnia confundi nimia solutione, neque dirumpi nimia irruptione patiat. Quam ideo in nubibus dicit poni, quia tunc maxime opus est divinæ auxilio providentiæ, quando agmina nubium in procellas tempestatesque coguntur. Ideoque dicit : *Arcum meum ponam in nube*, non sagittam ponam. Arcus enim instrumentum jaculandæ sagittæ est. Itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta. Et ideo Dominus in nube arcum magis quam sagittam ponit, id est, non illud quod vulneret ; sed quod habeat terroris indicium, C vulneris effectum habere non soleat.

CAPUT XXVIII.

Enumeratis tribus Noe filiis, generationem Cham ideo prius esse memoratam, ut ejus peccatum amplificetur, et ex eodem profecta impia generatio demonstratur : quod moraliter de mala passione improbe passionis genitrice intelligendum.

105. Qua ratione autem cum supra tres filios Noe computaverit, Sem, Cham, Japheth (Gen. ix, 18), hoc loco unius comprehenderit medii filii generationem ? Hoc est quod ait : *Cham autem pater erat Chanaan : isti tres erant filii Noe* (Ibid., 19). Et maxime cum illi duo justus, iste medius injustus. Injusti ergo prius generatio, quam justorum comprehenditur. Neque enim possumus negare quod scriptum est : sed ad coacervandum delictum ipsius addita ejus est generatio ; quia cum haberet filium et pater esset, solus ipse patrem non cognovit, qui magis cognoscere debuisset. Et ideo improbum habere meruit filium, quia improbus fuerat patri. Simul significat ex illo Chanaan Chananæos fuisse, qui post multas generationes a populo justo oppressi cesserunt in ejus possessionem. Auctorem ergo Chananæorum Chanaan fuisse manifestum est, qui fuit D
suis : *Non ultra erit, inquit, diluvium aquæ. Cætera ut nos in textu.*

^b Maz.cod., *diversi colores illa specie demonstrantur.*

filius hujus Cham qui impius in patre exstitit.

106. Altior autem sensus nominum interpretatione signatur. Cham enim calor est, Chanaan turbatio eorum. Qui enim calet, continuo movetur et perturbatur; ideoque evidentissime declaratur non tam hominem patrem hominum fuisse: sed passionem malam improbæ passionis generatricem, quæ esset a patris moribus, hoc est, ab usu virtutis aliena.

271 CAPUT XXIX.

Quomodo Noe factus sit agricola; quodve inter agricolam et operatorem terræ discrimen: et quomodo carnem suam alter excolit, alter operatur? Quare idem Noe vineam primum plantaverit, id est, rem non necessariam, cum fontes ad potum sufficiant: cur etiam de illo scriptum: Et bibit de vino: ubi de gemina ebrietate; ac postremo de gemina animæ nudatione disseritur.

107. Et cæpit Noe homo agricola esse terræ (Gen. ix, 20). Videtur quidem prima specie Adæ illi qui de terra factus est, comparari Noe vir justus; quia et de illo scriptum est quod de paradiso ejectus cœperit operari terram (Gen. iii, 23): de isto quoque quoniam egressus ex arca factus sit agricola. Et prope modum in utroque præcesserat quædam forma diluvii, quia et ^a Noe post diluvium, et Adam post mundi constitutionem secundum signum corporis. Nam ut mundus fieret, congregata est aqua in unam congregationem, ut videretur terra quæ ante non poterat per aquarum confusionem videri. Ergo sicut ille primigenes magister terram videtur operatus, ita etiam egressus ex arca Noe seminationis et culturæ auctor est factus. Hæc putantur similia: sed si verba consideres quæ jam vim sensus altioris exprimunt, aliud est operatorem terræ esse, aliud agricolam. Alius enim tamquam mercenarii, alius tamquam patrisfamilias loco fungitur. Denique Cain qui fratrem occidit, erat operarius terræ. Et ut scias quia operari terram magis servile quam liberum sit, maledicto parricidalis ejus operatio comprehenditur. Denique scriptum est: *Quoniam operaberis terram, et non augebit virtutem suam dare tibi: gemens et tremens eris super terram* (Gen. iv, 12).

108. Terra autem caro nostra est quam improbus operatur, bonus autem excolit. ^b Ille quasi mercedem quærat e terra; iste quasi bonæ fructus capiat et gratiam disciplinæ; ut magis fructiferum faciat agrum suum, et qui Domini possit respondere culturis, et indulgentiam cultoris ostendat. Operator autem quid aliud nisi escam tantummodo corporis sui quærit, ventris magis usui studens, atque id solum explicare contentus, quod sibi prodesse possit ad victum? Ille

A vero alius fructuum utilitate pascitur. Quos fructus habeat justus agnoscis. Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas. Bonus ergo agricola habet continentiam, castitatem, ut si quæ arbores cito curvantur in terram, et effusius germinant, eas velut quadam temperantiæ suæ falce succidat, ut abiciant quod infirmum est, germinent quod decorum.

109. Quid est quod justus primum vineam plantat, et non aut triticum aut hordeum? Unde autem vinea post diluvium corruptionemque terræ? Sed de hoc supra diximus (Cap. 19 et 20); quia veris tempore etiam corruptarum radices vitium pullulare **272** potuerunt. Unde et illud majore sollicitudine solvendum arbitror, quia justus prius quæ voluptuaria, quam quæ necessaria sunt requirit. **B** Necessarii enim fructus sunt tritici et hordei, sine quibus non possumus vivere: vinum autem voluptuarium, et causa delectationis datum. Quod quia justus est, ideo sibi magis hoc quod secundum erat, quam quod primum est, vindicavit. Necessaria enim alimenta vivendi Deo detulit, ^c quod erat. Superfluum autem vinum hominibus, et non necessarium.

110. Sed forte dicas ita sine potu non posse homines vivere, quemadmodum etiam sine cibo. Necessarius est ergo potus, sicut cibus: non abnuo. Siti utique necessarius a Domino constitutus: non repugno. Et ideo ad potum necessarium fontes et flumina convenit derivare, quæ non utique manu hominis effecta, sed Domini Dei nostri jussu et operatione fluxerunt. At ne quia diximus operationem Domini, ad illud retorqueas quod operatio Cain videtur maledictiones habuisse; considera non operationem maledicti nomen accipere, sed quod scriptum est, operari terram. Qui enim operatur terram mercenarius est. Ille autem non mercenarius, sed Dominus, qui ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (Joan. v, 17). Quid operatur hujusmodi operator? Audi: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælis est* (Joan. iv, 34).

111. Et bibit, inquit, de vino, et inebriatus est (Gen. ix, 21). Non dixit, vinum bibit; neque justus vinum ebibit; sed *de vino*, hoc est, de ejus portione libavit. Ebriosi est omne absorbere vinum, et intemperantis evacuare quod sumpserit: ^d continenti autem utendum mensura legitima est. Ebrietatis itaque species gemina est, una quæ titubationem corpori afferat, atque ejus supplantet vestigia, sensumque perturbet: altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, et omnem infirmitatem videatur avertere. Unde Apostolus ait: *Vino modico utere propter frequentes tuas infirmitates* (I Tim. v, 23). Sicut enim isto bibendi moderamine vinum non infirmitati est,

^a Ita mss. et vet. edit. Rom. vero, *Noe post diluvium vixit, et Adam..... corporis formatus est.*

^b Edit. omnes, et mss. aliquot, *quærit e terra, iste quasi boni fructus capit gratiam disciplinæ.* Corb. vero, Long., Colb. et Maz., ut nos in textu.

^c Manifesta est hoc loco lacuna, sed cui nec mss.

nec edit. mederi queant. Putamus tamen eam non male suppleri posse addita vocula *primum*, quam nihilominus inducere in textum ausi non sumus.

^d Sic mss. Corb., Colb. et Maz. Edit. autem omnes, *continentia autem utendi mensura legitima est.*

sed saluti, atque omnem infirmitatem allevat corporis: ita etiam ebrietas illa præclara omnem infirmitatem carnis excludit, de qua scriptum est: *Et poculum inebrians [quam præclarum est (Ps. xxii, 5)]* quæ sit ista ebrietas? *Inebriamini*, inquit, *non vino in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto (Ephes. v, 18)*, sicut Apostolus dixit. Et secundum litteram igitur cautio est, et secundum altiore[m] sapientis sensum, laudatio est. Cautus est qui etsi nudatur, in domo tamen nudatur sua, ubi operimenta non desint, et quædam tegmina ebrietatis; ut vitia sua norit abscondere.

112. Corporalia igitur nudum corpus tegunt, ut parietes et tecta: animæ autem quæ sint operimenta videamus. Sed tunc operimenta [reperimus, si enudationem ejus discussimus. Gemina autem nudatio sapientis. Gemino igitur amictu mens nostra vestitur, si aut peccatum imprudens admiserit; hæc est enim enudatio velut **273** ebriæ mentis, ut nesciat quod delinquat, quasi quæ temulentia quadam ignorantia in vitium deducta labatur: aut rursus negligentia et ignorantia somno sepulta errorem suum non nesciat. Quæ cum inciderimus, imo cum peccata plura inciderimus etiam per scientiam (est enim naturalis quædam etiam nostræ infirmitatis ebrietas, ut impetu delectationis feramur in vitium, sicut plerique juvenili accensi calore, aut luxuria et delectatione flammati, aut avaritiæ rapti cupiditate), certe omnibus his medicina quærat, ut aliquis legat hujusmodi infirmitatem suam, primum pudore quodam et verecundia; ut etiam si in lubrico sit adhuc positus delinquendi, det tamen emendationis insigne. Etenim plurimum interest utrum peccata sua jactare desideret. In altero enim turpis impudentia, in altero tolerabilis verecundia spem futuræ correctionis ostendit.

113. Alia est autem denudatio animæ, quia velut quamdam sarcinam corporis abjicit atque exiit, sicut sepulcrum quoddam carnis effugiens. Sepulcrum enim patens est guttur hujusmodi hominum, in quo sepulcro velut accumulatur anima delectationibus et cupiditatum passionibus onerata diversis. Exiit igitur se a congestione terrena, et quasi retia quædam circumfusa evadit atque effugit, quæcumque se ab omni nudaverit passionum laqueo, et omnem illam deformem speciem terrenæ labis averterit, ut lucem D videat decoris æterni.

CAPUT XXX.

Quare Cham tum dictus sit pater Chanaan, cum hic nondum esset genitus; et qua ratione in persona Cham patrem deridentis intelligendum improbos omnes, si bonos viros in culpam incidisse contingat, exsultare.

114. Quæro nunc cur non simpliciter dixerit:

^a Omnes edit., errorem suum nesciat. Mss. non nesciat.

^b Ms. Torn. et Valc. cum edit. omnibus, *Et reus amictu; Corb., Long. et Colb., Et redopertus; Maz.,*

A Vidit Cham nudationem patris; sed: Vidit Cham pater Chanaan (Gen. ix, 22)? Utique Chanaan natus non erat: cur ergo nomen addidit filii; nisi ut et vitio auctoris deformaretur hæreditas, et auctor filii nequitia gravaretur? Et pater igitur in filio, et in patre filius redarguuntur, habentes stultitiæ, nequitia, impietatis quoque commune consortium. Nec poterat fieri ut bonum generaret filium, qui ipse bono patri nequam, et filius et naturæ et eruditionis degener exstitisset. Hæc secundum litteram.

115. Quod autem ad altiore[m] sensum pertinet, omnes mores pessimi erroribus delectantur alienis: nec solum erroribus, sed etiam iis quæ ipsis videntur mala esse, etiamsi non sint. Nudum enim Noe se non sentiebat qui amictu erat indutus sapientiæ. Denique nec Adam in paradiso positus nudum se putabat, nisi postea quam prævaricationis commisit errorem. ^b Et redopertus amictu sapientiæ ac justitiæ, mandatorum cœlestium prævaricatione nudatus, nudum se vidit, et foliis operiendum putavit. Ridet igitur Cham nudatum patrem videns. Omnis namque **274** improbus quoniam ipse devius disciplinæ est, aliorum lapsus non solum pro sui erroris solatio accipit, quod consortes invenerit culpæ: verum etiam improbo lætatur affectu, tamquam sua ipse delicta correxerit. Mala mens ergo lætatur præter propositum aliquid accidisse sapienti; cum utique corporis lapsus in vitio esse non debeat, etiamsi lapsus putetur, nisi animus quoque inclinetur in culpam. Postremo veniabilia judicentur hujusmodi errata, non odio prosequenda, non habenda ludibrio. Sed mens, ut dixi, improba, cum putat errasse sapientem, insultandum arbitratur ei cujus sibi putat mores esse contrarios, quod peccatum suum velut tacito quodam sapientis testimonio redarguatur; eoque lætandum sibi, quod justo viro nec eruditio ipsius profuerit, nec justitia suffragata sit, nec ea quæ secundum corpus sunt, habuerint prosperos cursus. Hæc enim pro summis bonis apud improbos æstimantur in divitiis aut honore posita, quæ tamen nullum fructum ad laudem virtutis conferunt. Propterea insipientiæ defensores videntur, qui virtutis amatorem prosperorum munere esse fraudatum, qui omne bonum temporalibus magis quam perpetuis æstimandum putant.

CAPUT XXXI.

Sem et Japheth pietas commendatur; et quid sit quod retrorsum dicuntur ambulasse, exponitur. Tum quomodo sobrius factus sit Noe. Denique cur Scriptura, cum prius Cham medium posuisset, eum nunc juniorem appellaverit.

116. Quid est quod Sem et Japheth imposuerunt vestimentum super humeros suos, et perrexerunt retrorsum, et operuerunt nudum patrem, et ^c non viderunt

Et recompertus amictu. Cætera mss. atque edit. prope modum inter se consentiunt.

^c Edit. Rom.; *et facies eorum non viderunt, etc.*

nudationem ejus (Gen. ix, 23)? Littera evidentem pietatis expressit affectum, quod nudatum amictu patrem boni filii videre caverunt, ne paterna reverentia vel ipso minueretur aspectu. Siquidem etiam tacito vultu pietas frequenter offenditur. Unde etiam Romæ vetus fuisse usus dicitur, ne filii cum parentibus et maxime puberes intrarent lavacrum.

117. Sensus autem altior hoc habet, quia insipiens præsentia tantummodo videt quæ in oculis sunt, futura non respicit, præterita non cogitat. Sapiens autem et præterita recordatur, et futura considerat. Omnis ergo mens sapiens retrorsum ambulat, hoc est, præterita spectat; nec naturæ quodam usu impeditur: nihil vacuum, nihil nudum suorum patitur esse gestorum. Operit quæ aliter gesta sunt amictu quodam et gratia vel præsentis operis, vel futuri; B ut nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat. Unde et Apostolus superiora obliviscebatur, priora appetebat: sed obliviscebatur, ut absconderet persecutionis errores, ut tegeret superiora delicta, a bonisque operibus obumbraret. Beati enim et illi quorum tecta sunt peccata (Psal. xxxi, 1); id est, si tegantur bonis factis, et operiantur virtutum sequentibus disciplinis.

275 118. Et sobrius, inquit, factus est Noe a vino (Gen. ix, 24). Manifestum est ex ebrietate, intercedente somno, sobrios fieri homines: mens autem sobria est, quando et præterita et futura cognoscit. Sobria ergo erat mens justis, etiam quando ebria putabatur. Est enim præclarum poculum inebrians justos. Ille autem vere inebriatus erat, C qui ridebat patrem. Qui enim neque præteritam generationis gratiam, neque præsentem reverentiam patris, neque futuram poenam paternæ injuriæ considerabat, vere ebrius erat; et quod putabat videre se, non videbat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat. Nam si vidisset patrem, non utique risisset. Neque enim ridendus, sed reverendus est pater. Multo autem amplius mentem justis insipiens videre non poterat. Quomodo enim videbat, qui in eo putabat b ebrietatis errorem, ubi erat perfectus sapientiæ cæterarumque virtutum vapor? Sicut scriptum est: Vapor est enim virtutis Dei (Sap. vii, 25). Quando enim mens magis sobria est, quam tunc quando naturam omnium rerum, temporumque præsentium et futurorum ita spectat negotia, ut nullo in eo temporalis titubantia ebrietatis appareat? D

119. Quæro etiam qua ratione cum ante medium dixerit inter filios Cham, nunc juniorem constituat. Sic enim scriptum est: Cognovit Noe omnia quæ fecit ei filius junior (Gen. ix, 24). Numquid ante Scripturam in ordine generationis erravit? Non utique. Quid ergo? Contraria nunc scripta sunt? Non arbitror. Quomodo igitur solvitur, nisi juniorem non

^a Sic. mss. omnes Gallicani et Rom. edit. Vet. antem edit. cum Vat. cod., bonisque operibus abundaret.

^b Vocem, ebrietatis, restituimus auctoritate mss. Corb. ac Long., cum in aliis ac edit. omnibus lege-

retur, dubietatis. A ætate, non tempore accipias: sed rudem sensu et in quadam intellectus infantia constitutum, qui provectoris doctrinam ætatis non hauserit, nec perceperit senile consilium? Cani enim quidam sunt sensus hominum. Et ideo inquit: Cum veneris ad seniorum concilium, claude os tuum (Eccli. xxxii, 13). Et alibi habet sententia: Discendum enim tibi prius est, quam loquendum (Ibid., 18, 19). Aures ergo paratas habe, ut aliquid de sapientium consiliis consequaris. Lingua reprimenda est, auditio præparanda.

CAPUT XXXII.

Cur in benedictione Sem dictum fuerit: Benedictus Dominus Deus Sem; et cur hujus servituti non Cham qui peccavit, sed filius ejus addicatur? Ad extremum benedictio Japheth exponitur.

120. Benedicens filium suum Sem ait Noe: Benedictus Dominus Deus Sem; et erit Chanaan servus ejus (Gen. ix, 26). Et Dominum et Deum dixit, et specialiter Deum filii sui cui nomen Sem est; eo quod Deus justorum est, hoc est, Deus montium, non vallium, qui gratiam habeant virtutis excelsæ. Deinde qua ratione cum filius ejus Cham peccaverit, non ipsum sed filium ejus servituti addixit? Et fortasse ideo quod pater plus afficitur injuriis filii sui, maxime quarum ipse reus et auctor existat, et vehementius contristatur sui peccati damnationem a filio persolutam, qui non tam suo, quam patris merito puniretur. 276 Deinde quia qui doctrinæ paternæ discipulus esset filius, et pessimarum æmulus cogitationum, uno corpore uterque uteretur et mente, eademque malitia. Indifferentem igitur vel paternæ, vel suæ malitiæ filius pretium luit; quoniam improbitatis commune consortium est. Quod igitur pro patris solvit improbitate, sine dubio et pro sua solvit, culpæ ejus reus: vel certe diutius poena producit, cum etiam ad filium usque pertendit, et successoris afflictio in tempora multa profertur. Hoc secundum litteram.

121. Cæterum non tam hic homines quam mores comprehenduntur, quorum in utroque una natura. Nam Cham calor, Chanaan commotio et inquietudo: qui autem calidus est, utique inquietus atque commotior est. In duobus igitur erat una passio, et unus affectus. Itaque cum c alter addicatur, uterque damnatur.

122. Cum sanctus igitur Noe benedicens filium suum Japheth ait: Dilatet Dominus Japheth, habitet in domibus Sem, et fiat Chanaan servus ejus (Ibid., 27); diximus supra Japheth quasi indifferens bonum significari (Sup., cap. 2). Indifferentia autem latitudinem habet, quæ est in salute, vigore, decore, fortitudine, divitiis, gratia, nobilitate, amicis, po-

retur, dubietatis. c Edit. Am. cum Parisinis aliquot ibi habent addicatur, ubi aliæ cum mss., addicatur. Melius, hic enim agitur de servitute.

testatibus, et cæteris. Sed hæc licet indifferentia bona sint; tamen plerisque nocuerunt, qui ea non cum sapientia et iustitia possederunt. Multos enim ebrios fecere divitiæ, nobilitas et potestas superbos, pulchritudo luxuriosos, ^a cujus suffragio alienæ mentis corruperint castitatem. Ergo pro utentis affectu horum quæ diximus, indifferentiæ sunt, quorum usus aut virtutibus regitur; aut certe sine gubernatione virtutum fraudi esse incipiunt, quæ possunt esse utilitati.

CAPUT XXXIII.

De ccccl annis quos Noe post diluvium vixisse traditur; tum de posteritate Japheth ad litteram ac moraliter.

123. Nunc quoniam post diluvium Noe dicitur (Gen. ix, 28) vixisse trecentis et quinquaginta annis, nequaquam prætereundum putamus. Nam in trecentis crucem Christi significari certum est, cujus typo justus a diluvio liberatus est. In quinquaginta Jubilæus est numerus remissionis quo Spiritus sanctus missus a coelo est, gratiam humanis pectoribus infundens. Perfecto igitur numero remissionis et gratiæ justus curriculum vitæ hujus implevit.

124. De generatione Japheth, inquit, *Rhodus et aliæ insulæ sunt nationum* (Gen. x, 5). Non immerito latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem naturæ, hoc est, maritimam generatio ejus processit. Vere enim tamquam latitudo non fuit eo contenta, quod in usum hominibus natura præscripserat, hoc est, terræ possessione: verum etiam introgressa est mare, et ad insulas usque processit. Hoc secundum litteram.

125. Secundum altiorem autem sensum, ea quæ extra sunt, quæ dicuntur bona, divitiæ, potestates, **277** honores quasi diffunduntur latius; nec tantum his contenti sunt divites, quæ in manibus et in conspectu sunt: sed longe lateque diffundunt suas cupiditates, dum aut pecuniarum compendium de ulterioribus quæritur, aut honor a pluribus, aut potestas diffusior, aut cupiditas.

CAPUT XXXIV.

Qualis Cham illius improbi filius senior fuerit: et de

^a Omnes edit., *cujus suffragatio alienæ mentis corrupit castitatem.* Mss. vero ut nos in textu.

^b Deerant in cunctis edit. sequentia: *Unde dictum est: Sicut Nembroth gigas venator ante Deum; quæ*

filio Chus Nembroth gigante et venatore, cujus nomen exponitur, et a quo regnum Babylonis cæpisse memoratur.

126. Nunc quæro qua ratione Cham illius improbi filium seniore Scriptura fuisse memoraverit? Duo genera terræ, unum velut arenosum et pulverulentum, imo, ut expressius dicam, pulvis: aliud genus terræ fructiferum atque secundum, hoc est, terra solidior et profunda. Quid igitur improbus nisi pulverem generat, ex quo generatio esse non possit? Ideoque Propheta pulverem impiis comparavit dicens: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (Psal. i, 4). Eo quod etiam secundum altiorem sensum infecunda sit impiorum anima, quæ fructus utiles generare non possit.

127. Qua ratione etiam Chus Nembroth gigantem genuerit, qui erat venator ante Deum? **278** ^b Unde dictum est: *Sicut Nembroth gigas venator ante Deum* (Gen. x, 9). Quid igitur aliud pulvis et arena generaret, nisi terrenum hominem; eo quod impius cœlestibus terrena præponat. Gigantes enim fabulæ inducunt adversum supera voluisse pugnare, et terreno ascensu scandendum ad cœlestia putaverunt.

128. Altiore autem sensu illud significatur, quod qui terrenas diligit voluptates, eas sequitur, et putat his se posse ad Dei gratiam pervenire, et regnum cœlestis hujusmodi erroribus deferendum, is adversum cœlestia contumaci præliatur affectu. Propterea et in proverbio est de eo qui deliquerit: *Sicut Nembroth gigas venator ante Deum.* Nembroth autem per interpretationem dicitur Æthiops. Color Æthiopsis tenebras animæ squaloremque significat, qui ^c adversus lumen est, claritatis exsors, tenebris involutus, nocti similior quam diei. Venatoris quoque usus in silvis, inter feras ac bestias conversatio ejus. Irrationabilis ergo miscetur irrationabilibus passionibus; et ea quæ sunt malitiæ agrestis atque præduræ venator hujusmodi explorare consuevit, atque his potiri atque delectari. Denique Nembroth hujus principium regni Babylon, hoc est, confusio; eo quod malitia et potestas non in simplicitate et puritate, non in distinctione virtutis, sed in confusione vitiorum est.

tamen in omnibus mss. reperiuntur.

^c Edit. omnes, et cod. Vat. ac Torn., *adversus lumen.* Melius mss. Corb., Colb., Long. et Maz., *adversus lumen*, id est, contrarius.

FRAGMENTUM LIBRI DE ARCA NOE.

Veluti est illud in libro quem de Arca Noe conscripsit beatus Ambrosius: Per unum, inquit, Dominum Jesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit justus esse, cum generatio omnis erraret, nisi natus ex Virgine generationis obnoxie privilegio minime teneretur. Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea, dicit is qui justus præ cæteris putabatur. Quem igitur jam justum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant. Omnes

sub peccato ab Adam, in omnes regnabat mors. Veniat solus justus in conspectu Dei, de quo jam non cum exceptione dicatur: Non peccavit in labiis suis, sed peccatum non fecit. *Huic dic si audes, etc.*

Citat hoc fragmentum Augustinus duobus locis, nimirum l. ii contra Jul., c. 2, et l. iv contra duas epist. Pelag., cap. 11. Hæc autem verba pertinere putamus ad finem capitis tertii; ut ex utriusque collatione quivis colligat.

IN LIBROS DE ABRAHAM ADMONITIO.

Totum operis hujus argumentum tametsi prima ipsa ejusdem verba satis aperte complecti videantur, tamen cum non omnino suis careant difficultatibus, lectori minime ingratum nos credidimus esse facturos, si eas ad majorem lectionis facilitatem hic enodare ac evolvere conaremur.

De titulo quidem ita legis (Lib. I, cap. 1), Abraham libri hujus titulus est. Quibus e vocibus gemina potest nasci dubitatio. Primum enim cur Ambrosius, libri hujus, dixit, non librorum? Dividitur certe commentatio hæc in duos libros; et divisionem aliquam necessariam esse tum magnum illud utriusque discrimen clare loquitur, tum sanctus ipse Auctor, qui primis eorundem librorum capitibus lucubrationem suam se partiturum, atque adeo id sibi jam ab initio primi fuisse propositum satis declarat. Quapropter nobis persuaderetur haud invita illud operis libro unico ab Ambrosio comprehensum, partibus vero duabus: at illas secutis temporibus librorum vocabulo ab iis qui summopere easdem inter se discrepare animadverterunt, fuisse inscriptas. Etenim liber primus a Jona Aurelianensium episcopo, qui sub Carolo Calvo imperatore floruit, in lib. II de Institut. laicali haud semel nominatur (Cap. 2, 4, 5, 29); et apud Hugonem de sancto Victore citatus reperitur liber secundus (Lib. II de claustr. anim., cap. 8). Alteram autem circa titulum difficultatem movet quod Gratianus (23, q. 5, c. Dicit, et 32, q. 2 et 4, etc.), ac B. Thomas (2-2. q. 66, a. 8, a. 1; Ibid., q. 154, a. 6 et alibi) aliique nonnulli quæ testimonia ex hoc tractatu depromunt, ea in libro de Patriarchis exstare dicunt. Sed a fide neutiquam abhorret auctores illos in excerptis ac libris suis SS. Patrum opera eo titulo qui tunc temporis usitator erat, laudare solitos. Quamobrem diu antea hanc memorato operi factam inscriptionem jure dixeris. Et forte non alius huic rei locum dedit, quam Cassiodorus. Cum enim ita loquitur: Item sanctus Ambrosius de Patriarchis septem libros edidit, qui multa loca veteris Testamenti factis quæstionibus suaviter enodavit (De Institut. div. lect. cap. 1), dubium non est quin inter alios libros de Patriarchis tractatum quoque de Abraham complexus fuerit. Nec illud cuiquam absurdum videri debet, quando revera sanctus Doctor de præcipuis patriarchis commentationes elucubraverit, quas ipsemet initio libri de Joseph recenset, atque inter se comparat. Ut ut sit, dubitare potest nemo huic ipsi de quo loquimur, operi titulum de Abraham inditum ab Ambrosio fuisse, cujus etiam rei ratio hæc ab ipso redditur: Quoniam, inquit, per ordinem hujus quoque Patriarchæ gesta considerare animum subiit. Quibus sane verbis operis summa quasi oculis subjicitur. Quocirca illud non alio, quam de Abraham in mss. inscriptum titulo reperire est.

Profitetur quoque sanctus Antistes sese ut isti commentationi stylum admoveret, divina auctoritate fuisse inductum (L. I, c. 1): Cum Dominus Deus noster, inquit, hunc locupletem benedictionis suæ dote donaverit, ut ejus gratia provocaret cæteros, institutio corrigeret: Moyses quoque imitandum eundem nobis descripserit, etc. Itaque pius Doctor sanctum Patriarcham auditoribus suis aut lectoribus eo consilio ponebat ob oculos, ut ad ejus exemplar, tamquam ad speculum, vitiorum cœnum detergerent, atque ad absolutissimam vitæ ac sapientiæ Christianæ contenderent perfectionem. At vero quæ his subjungit, satis indicant eum non modo ad fovendam promovendamque Christianorum pietatem allaborasse, verum etiam ad explodendam philosophorum vanitatem, qui sapientis cujus ille vivam ac solidam in Abrahamo imaginem luxisse demonstrat, commentitiam solum adumbrationem sive in Platonicæ republica, sive in Xenophontico sapiente ostentabant. Eam ob rem subinde singularibus ejusdem Patriarchæ factis astruit quidquid isti adeo magnifice prædicarent, ab hoc præstitum esse, ac longe ante ipsorum ætatem a Moyse in sacris codicibus consignatum. Neque vero mireris sanctum Præsulem hanc scribendi rationem sequi voluisse; quandoquidem adversus hujusmodi homines disputabat (August., Epist. 31), qui summa cæcitate ac temeritate Christum Dominum divinas illas leges, quas ipsi non habere in admiratione non poterant, in Platonis scriptis didicisse asseverabant.

Ante Ambrosium Philo Judæus librum vulgaverat sub hoc titulo: Vita sapientis per doctrinam perfecti, sive de legibus non scriptis, sive de Abrahamo; cui libro quosdam alios de clarioribus nonnullis hujus Patriarchæ actionibus subjunxerat. Verumtamen si scriptorem illum in operis argumento secutus est Ambrosius, videtur tamen ab ejusdem verbis et sentiis, quæ ipsum in superioribus nonnullis tractatibus liberiori manu decerpisse animadvertimus, in hoc ferme abstinuisse.

Methodum porro hic amplexus est ab ea quæ aliis suis in lucubrationibus deprehenditur, longe diversam. Etenim in priori libro quidquid Scriptura de vita Abrahami ab accepto divinitus jusso exeundi ex Charra ad usque ipsius obitum tradit, ad moralem intelligentiam accommodat, propositaque illius devotione, hoc est, in exsequendis Dei mandatis obedientia, reliquas ejusdem virtutes prosequitur: in posteriori vero primas memorati Patriarchæ actiones spiritali sive, ut ipse vocat, altiori sensu interpretans, varios animæ in virtute gradus ac progressus aperit, eandemque animam cum in Adamo decidisset, in Abrahamo resurgere atque ad perfectionem eniti docet. Diximus autem primas actiones, non vero omnes; eo quod illum tractatum post circumcisionem Patriarchæ, et promissam Isaaci nativitatem actutum claudat, ejus hospitalitatem paucis attingens. Atque adeo secundus liber ea fere sola complectitur, quæ in prioribus quatuor primi capitibus fuerant explanata. Quamvis

in illo quoque nonnulla quæ in hoc omittuntur, tractata reperias. Atqui non aliam causam cur secundum librum ulterius prosequi noluerit esse autumamus, nisi quod jam in animum induxisset etiam in Isaac novum tractatum de animæ perfectione, vel, ut ipse ait, variis ejus processibus elucubrare.

Cum, autem ad informationem morum utilitatem multo uberiores e primo libro quam e secundo Christiani haurire possint, non sine divina providentia factum videtur, ut ille haud paulo incorruptior atque perfectior ad nos transmissus fuerit, quam iste in quo loci complures occurrunt miserum in modum hiatis aliisque vitiis deturpati. Non paucos quidem neque contemnendos pristinae integritati restituimus; ingenue tamen fatendum est in fine ejusdem libri adhuc confusi aliquid superesse, cui remedium asserre manu exarati codices nequiverint. Credibile est ibi quædam vel transposita, vel avulsa, vel etiam forte ab hæretico aliquo, ut patrocinium erroribus suis pararet, fuisse interjecta.

Primum librum constat e sermonibus compositum esse, quos sanctus Præsul ad catechumenos qui jam nomen dederant ad baptismum et competentes erant, habuerat (Lib. 1, c. 4, 7 et ult.). Hos potissimum ipse per se docere consueverat; et quod ore tradidisset, postmodum in libros redigere. Id autem eo facere instituerat, sive quo illorum postulatis morem gereret, sive quod ipse sponte sua eisdem prospiceret, ne quæ pretiosis illis baptismi sui temporibus audierant promiserantque, sibi unquam excidere ex memoria paterentur, ac simul ut in utilitatis consortium alii quoque admitterentur Christiani. Non ita quidem manifestum est librum secundum ex similibus constare concionibus: verum cum huic rei nihil sit quod videamus repugnare, de hoc etiam libro idem judicium atque de primo ferre non immerito possumus.

In retegenda eorundem librorum ætate plusculum difficultatis est. Nihilominus tamen cum ex conjunctione atque ordine quo illi sequentibus commentationibus de Patriarchis connectuntur, tum ex ipsomet Ambrosio qui sub initium librorum de Joseph, et de Mysteriis, satis aperte indicat illos omnes minime diversis temporibus ab se fuisse compositos, satis evidenter colligitur eosdem anno circiter 387 quo librum de Josepho in lucem prodixisse suo loco probabimus, tribui oportere.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE ABRAHAM

LIBRI DUO ^a.

LIBER PRIMUS.

281 CAPUT I.

Libri titulus ac tractandi ratio exponitur: tum quæ utilitas ex Abrahami exemplis petenda sit, auctoritate divina, et philosophorum collatione demonstratur.

1. Abraham libri hujus titulus est, quoniam per ordinem hujus quoque Patriarchæ gesta considerare animum subiit. De quo nobis moralis primo erit tractatus et simplex. Nam etsi altiori disputatione processus quidam et forma virtutis, et species quædam exprimitur; tamen ^b forensia quoque actuum ejus vestigia spectare, virtutis profectus est. Etenim si ea quæ natura ad victum generavit hominum non unius, sed geminae aut etiam uberiores gratiæ sunt, quanto magis ea quibus epulantur animi, non angusti, sed abundantioris usus, et multiplicis cibi esse æstimari convenit.

2. Non mediocrè autem aut otiosum negotium.

^a Scripti circ. an. 387.

^b Edit. Am. cum mss. quatuor, forensia quæque. Hic autem forensia vestigia, pro morum signis exterioribus sumuntur.

A Etenim cum Dominus Deus noster hunc locupleti benedictionis suæ dote donaverit; ut ejus gratia provocaret cæteros, institutio corrigeret: Moyses quoque imitandum nobis describeret; ut corda hominum in vitium labentia, hujus viri contuitu, velut e quodam terreno busto resuscitaret, non perfunctorium debet videri; si nos quoque scrupulosius ejusdem viri versemus vestigia. Nam si sapientes hujus mundi, ut Plato ipse princeps philosophorum, non veram aliquam, sed fictam et adumbratam sibi eam quam legimus ^c πολιτείαν proposuit persequendam (Plato, l. iv de Republ.); ut doceret qualem rempublicam esse oporteret: atque ita quam nec audierat, nec viderat **282** in aliqua urbe describendam putavit, ut ii quibus hoc munus est, quemadmodum ^d rempublicam regerent, institui possent: et si condiscipulus Platonis Xenophon ille Socraticus fictis et ipse rebus personam voluit informare sapientis in eo libro, quem κόρον παιδείαν inscribit; ut ex intimo

^c Ita mss. quinque ævi melioris. Alii vero et edit., πολιν proposuit edificandam.

^d Mss. fere ad unum, rempublicam gererent.

Philosophiæ sinu justî regis et sapientis disciplina procederet : quanto magis nos non compositam figuram sapientis viri, sed expressam virtutem, et divino institutam magisterio recensere intentius, et vias ejus debemus persequi, quem Moyses ita descripsit, ut retro quodammodo se ipse respiceret?

CAPUT II.

Devotio Abrahæ quomodo divini præcepti verbis probata? Quid sit exire de cognatione, quove pacto ejusdem patriarchæ obedientiam Dei promissio secuta sit? Idem invocato Domino, sibi ob uxoris pulchritudinem timet, cavetque. At Pharaon propter illius raptum castigatus, quantum sit adulterii crimen indicio est: unde Abrahæ exemplo ad studium devotionis provocamur.

3. Magnus plane vir, et multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia non potuerit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quam quod iste gessit, majorque ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. Itaque cujusmodi fuerit in eo viro devotio, consideremus. Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum: meritoque hanc ab eo primam exegit Deus dicens: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (Gen. XII, 1). Satis fuerat dixisse de terra tua. Ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo: sed ideo addidit singula, ut ejus affectum **283** probaret ne forte ^a aut imprudentem cepisse videretur, aut fraus aliqua mandatis pararetur cœlestibus. Sed sicut cocervanda fuerunt præcepta, ne quid lateret: ita etiam proponenda præmia, ne forte desperaret. Tentatur ut fortis, incitatur ut fidelis, ^b provocatur ut justus, meritoque exivit quemadmodum locutus est illi Dominus.

4. *Et exivit cum eo Loth* (Ibid., 4). Hoc autem quod pro magno inter septem Sapientum dicta celebratur *ἔπειτα θεῶν*, id est, sequere Deum, perfecit ^c Abraham, factoque Sapientum dicta prævenit, et secutus Deum exivit de terra sua. Sed quia ante terra ei fuerat alia, hoc est, regio Chaldæorum de qua exivit Thare Pater Abrahæ, et in Charram demigravit; et quia secum eduxit nepotem suum, cui dictum fuerat: *Exi de cognatione tua*; consideremus ne forte hoc sit exire de terra sua de hujus terræ, hoc est, de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exivit Paulus qui dixit: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (Philip: III, 10); et de illecebris et delectationibus corporalibus quas velut cognatas animæ nostræ dixit, quam compati necesse est corpori, donec ejus colligata vinculo adhæret. Ergo exire de conversa-

^a Edit. omnes, ac pauci mss. *imprudenter cepisse*. Alii vero majori numero et auctoritate, *imprudentem cepisse*. hoc est, decepisse.

^b Era. in textu, et Gill. in margine, *probatur ut justus*.

^c Sic edit. Rom. ex Vat. cod. a quibus quam minimum abest Regius in quo legitur, *perfecit: factis enim Abraham Sapientum*, etc. Reliqui autem mss. et

tionem terrenam, et sæcularibus oblectamentis et superioris vitæ moribus atque actibus debemus; ut non solum loca, sed etiam nosmetipsos mutemus. Si cupimus adhærere Christo, deseramus corruptibilia. Sunt autem corruptibilia in nobis caro, delectatio, vox ^d obnoxia passionibus corporalibus. Per vocem autem passiones intelligimus. Unde quoniam anima nostra *διμερής* est, hoc est, bipertita, et rationale habens et irrationale, quod dividitur per carnem et delectationis corporalis illecebras, cæterasque passiones corporis: qui justus est vir, rationale animæ suæ ab irrationabili disjungere debet ac segregare. Hoc est enim exire de Charra, tamquam de cavernis quibusdam, et cuniculis, latibulisque egredi. Latere enim criminosa conscientia est. Et nos igitur sequentes Abraham exeamus de latibulis. Si enim filii Abrahæ sumus, opera Abrahæ faciamus; ut luceant opera nostra coram Deo, et coram hominibus. Justus dicit opera sua regi: peccator seipsum occultat, sicut Adam se occultare cupiebat, sed latere non poterat. Paruit itaque Abraham mandato, nec ulla legitur mora intervenisse.

5. *Egressus perambulavit terram usque ad Sichem* (Gen. XII, 6), quod interpretatione latina dicitur humerus vel cervix, per quæ executionem præscripti operis intelligimus. Siquidem et infra habemus scriptum: *Supposuit humerum suum ad laborandum* (Gen. XLIX, 15). Unde per figuram locorum id expressum advertimus, quod devotionem suam sanctus Abraham non solum studio, sed etiam efficacia probaverit fructuosa, qua ad quercum usque pervenerit. **284** Quo loco apparuit illi Dominus, et dixit: *Semini tuo dabo terram hanc* (Gen. XII, 7). Vide quomodo promisso frequenti tamquam invalidum adhuc informet atque instituat; et ^e ipse memor sui totum Deo deputet, nihil sibi vindicet. Ideo et *aram ædificavit Deo, qui apparuit ei; et recessit inde in montem contra Orientem Bethel* (Ibid.), surgentem adhuc sibi solempniens justitiæ videre. Ideoque non in vallibus, sed in monte tabernaculum sibi locavit, quia Deus montium est, et non vallium.

6. *Et invocavit nomen Domini* (Ibid., 8). Ubi Bethel, id est, domus Dei, ibi et ara: ubi ara, ibi et invocatio Dei nostri. Non inmeritoque processus tantos habuit, quia Deum sperabat sibi auxilio fore. **D** Exercetur athleta Dei, et ^f probatur adversis: in desertum abiit, fames incidit, in Ægyptum descendit. Compererat in Ægypto lascivam esse juvenum luxuriam, petulantem cupiditatem, voluptatum intemperantiam. Advertibat inter hujusmodi viros intutam uxoris pudicitiam fore, sibi que conjugis pulchritudinem periculo futuram: monuit uxorem, ut sororem

edit. omisso, *perfecit*; legunt, *factoque prævenit Abraham Sapientum*, etc.

^d Rom. edit., *obnoxia passionibus corruptibilibus*.

^e Mss. Vat., Reg. ac Rom. edit. *Et ipse immemor sui*. Non male. Melius tamen alii mss. atque edit.... *memor sui*, id est, conditionis et infirmitatis propriæ.

^f Ita sex mss. melioris notæ. Alii autem atque edit. *et duratur adversis*. . . . *famem incidit*.

se diceret. Quo docetur non magnopere decorem conjugis quærendum, qui viro necem plerumque gignere solet. Non enim tam pulchritudo mulieris, quam virtus ejus et gravitas delectat virum. Qui suavitatem quærit conjugii, ^a non superiorem censu ambiat, quam necessitates non teneant maritales: si non monilibus ornatam, sed moribus. Offendit plerumque virum, si se uxor nobiliorem noverit. Hæc proxima superbæ sunt. Sara non facultatibus dilior, non genere splendidior erat; ideo virum imparem non putabat, ideo quasi parem gratia diligebat, ideo non censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum proprium quocumque pergeret, sequebatur: externa adiit, sororem se ejus adseruit, contenta si ita esset necesse, se periclitari pudore, quam virum salute. Ut tueretur maritum mentita est germanitatem; ne insidiatores pudoris ejus tamquam æmulum et vindicem uxoris necarent. Denique simul ut viderunt illam Ægyptii, admirati quod speciosa esset valde, induxerunt illam ad regem suum, et cum Abraham bene egerunt, tamquam fratrem ejus quæ placuisset regi, honorantes.

7. *Afflixit autem Dominus Pharaon afflictationibus magnis et sævissimis, et domum ejus propter Saran uxorem Abrahæ (Gen. xii, 17).* Magnum testimonium documentumque ^b castitatis tuendæ. Locus ita hortatorius, ut unusquisque se castum præbeat, alienum non affectet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate ^c alienam uxorem incessat, non incuria aut stultitia provocetur mariti, aut absentia longiore. Adest præsul conjugii Deus quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irrideat: vicem absentis mariti tuetur, servat excubias, imo sine excubiis deprehendit reum antequam **285** faciat quod paraverit; in animis singulorum, in mentibus universorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter fefelleris, non fallis Deum: et si maritum evaseris, et si judicem fori luseris, non evadis judicem totius mundi. Ille gravius ulciscitur injuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti. Major est enim injuria auctorem, quam custodem thalami spretum et non consideratum.

8. Ipse quoque Pharaon, licet rex Ægyptiorum quem et insolentia regalis potentia supinaret, et Ægypti lascivia atque luxuries a studio castitatis abduceret, vocavit Abraham, et arguit eum dicens: *Quid hoc fecisti mihi? Quare non dixisti mihi quia uxor tua est: sed dixisti mihi quia soror tua est: et*

^a Edit. omnes, non tam superiorem censu ambiat, quam necessitates non terreat maritales: non monilibus, etc. Vocula tam deest Am. et mss. omnibus. Sed hi fere ad unum nostræ lectioni adstipulantur. Porro quod legunt, quam necessitates non teneant maritales, ita interpretare ac si diceretur, quæ ob divitias insolescens conjugalis necessitudinis seu conjunctionis leges recuset observare.

^b Ita quinque mss. probatoris notæ. Alii vero et edit. castitatis. Intuendus locus . . . uxorem incestet.

^c Edit., alienam uxorem incestet. Quidam mss. . . . incestet; potiores ut nos in textu.

^d Mss. aliquot, externis ac barbaris erroribus.

^e Edit. omnes, licet nullis constringantur legibus,

A sumpseram eam mihi uxorem? Et nunc ecce mulier tua ante te (Ibid., 18, et 19). Etsi natura ferus ac barbarus, tamen significat etiam ^d exteris ac barbaris moribus esse curam pudoris, et adulterii etiam sibi crimen cavendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si barbarus jus novit naturæ: muta animalia ^e quæ nullis tenentur legibus, sunt tamen aliqua quæ non solum paribus suis copulæ servant fidem; verum etiam coitus unius castitatem custodiant. Ita major lex naturæ, quam legum præscriptio est. Non mirum ergo si et iste Ægyptius rex Deum timuit qui hominem non timebat, et pœnam solvit adulterii, qui nullis reus tenebatur legibus: statimque ubi alienam esse cognovit uxorem, non solum marito reddidit, verum etiam prosecutores dedit qui deducerent eum; ne quis de populo barbaro irrogaret violentiam vel peculio viri, vel uxoris pudori.

9. Pulcherrimus est hic locus ad incitandum studium devotionis, quod is qui Deum sequitur tutus semper est. Et ideo Deum præferre debemus omnibus, nec patriæ contuitus, nec parentum filiorumque gratia, nec uxoris contemplatio nos revocare debet ab executione præceptorum cœlestium; quia Deus nobis omnia illa largitur, et potens est servare quæ donat. Itaque magnum exemplum devotionis Abrahamæ, quod cum uxore speciosa descendit in Ægyptum. Erat quidem justo viro cura conjugalis pudicitia: sed majus erat studium maturandæ devotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cœlestibus. Itaque quoniam propter Deum contempsit omnia, recepit a Deo multiplicata omnia: sed primam Deus pudicitia tribuit remunerationem, quam gratam sciebat conjugii. Nam quia studio ^f obeundi cœlestis oraculi uxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam conjugii defendit.

286 CAPUT III.

De cæteris Abrahamæ virtutibus, nimirum de prudentia ejus in rescindendis rixarum causis, justitia in dividendo, ubi et de imprudentia Loth amœnis utilia postponentis, ejusque pœna: tum de patri in ipsum caritate, pietate in Deum, continentia in victoria, et mercedis a Deo propositæ electione; ac tandem de accepto futuræ posteritatis et Christi nascituri promisso.

10. Primas igitur partes sibi justo ordine vindicant tamen, etc. Mss. duo, quæ nullius sunt, tamen, etc. Alii ut in contextu.

^f Reg. ms. obeundi solvendique votum cœlestis oraculi. Et post pauca, ubi complures mss. et edit. omnes legunt, castimoniam; ibi Corb. et alii aliquot habent, castimonium. Nec forsitan male: legitur enim apud Augustinum in psal. xxix, num. 15, sanctimonium pro sanctimonia, vel sanctimonialium professione. Porro non defuere qui Abrahamum proditi uxoris Saræ pudoris accusarent; quem tamen recte SS. Patres defendunt; scilicet Ambr. hoc in libro; Aug. cont. Faustum, lib. xxii, c. 55, et Quæst. 26 super Gen. et alibi; Hier. de Trad. Heb. in Gen.; Theodor. Quæst. 62 in Gen., et alii plures.

cavit devotio. Videamus et cæterarum virtutum gratiam. Mulcebatur sanctus Abraham nepotis præsentia cui patrium affectum exhibebat. Incidit rixa inter servulos nepotis et patruum. Advertit prudentior servulorum dissensionibus dominorum concordiam solvi solere, ^a amputavit fibram discordiæ, ne contagium serperet. Tolerabilius enim putavit ut copula sequestraretur, quam gratia dirimeretur. Quod te facere oportet, si forte hujusmodi aliquid incidetis, ut seminarium dissensionis auferas. Neque enim tu fortior quam Abraham. Ille declinanda censuit, non despicienda servulorum jurgia. Et si tu fortior, cave ne alter infirmior qui aurem præbeat servulorum susurris. Frequenter indivisa servitia inter parentes discordiam serunt. Divide potius, ut maneat amicitia. Indivisa domus duos non sustinet. **B** Nonne melius est emigrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia?

11. Ipsa quoque ejusmodi esse debeat divisio, Patriarcha edocet. Firmior dividat, infirmior eligat, ne habeat quod queratur. Electionis enim suæ partem non poterit calumniari. Non residet occasio resiliendi cui datur optio eligendi, nec divisor gravatur. Nam quo prudentior, eo cautior; ut nec in divisione circumscribatur, nec in electione fraudetur.

12. Divisit Abraham, quia non capiebat, inquit, illos terra habitare simul (Gen. xiii, 6), quia nimium divites erant. Sæculare vitium ut divites terra non capiat. Nihil enim satis est divitum cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto avidior ad possidendum **C** est. Extendere agri terminos cupit, et vicinum excludere. Numquid hujusmodi Abraham? Minime, quamvis in principio et ipse imperfectior. Unde enim perfectio ante adventum Christi? Nondum venerat qui diceret: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, et da pauperibus, et veni, sequere me (Matth. xix, 21). Tamen ut minime avarus electionem offert, ut justus dissensionem amputat. Non sit, inquit, rixa inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos, quia homines nos fratres sumus. Nonne ecce tota terra ante te est? Discede a me: si tu in sinistram, ego in dexteram: vel si tu in dexteram, ego in sinistram (Gen. xiii, 8 et seq.).

13. Et ^b levavit oculos Lot, et elegit irriguam regionem, **287** inquit, Jordanis; quia tota rigabatur, et

^a Mss. non pauci, amputavit fimbriam discordiæ.

^b Hic tantum differunt inter se mss. et vet. edit. in voce irriguam, pro qua solus Corb. cum vet. edit. habet, irrigua. Rom. autem edit. ita reposuerat, Et elevavit oculos suos Lot, et elegit irrigua (regionem scilicet Jordanis) quia tota, inquit, irrigabatur, antequam everteret Deus Sodomam et Gomorrhā, sicut paradisi Dei. Sed ab omnibus nonnihil discrepant LXX. Sic enim illi: καὶ ἐπάρας Λὼτ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ἐπεὶ δὲ πᾶσαν τὴν περὶ χωρὸν τοῦ Ἰορδάνου. ὅτι πᾶσα ἦν ποτιζομένη πρὸ τοῦ καταστρέψαι τὸν Θεὸν Σόδομα καὶ Γόμορρα, ὡς ὁ παράδεισος τοῦ Θεοῦ. Cum iisdem hoc loco Vulg. satis convenit, quam consule.

^c Subobscura locutio, quam tamen idem hic valere existimamus, ac felices sive commodæ; ut sit

erat sicut paradisi Dei. Plerumque possessiones obveniunt hæreditariæ, aliæ utiliores, aliæ amœniores. Non utique in portione ^e secundæ sunt. Nam incipit minui singularum meritum. Sed si non queunt partes de utilioribus convenire, conferantur amœnæ utilioribus. Diversa hominum ingenia sunt: alios utilia, alios amœna delectant. Infirmiter amœniora eligit, utiliora fastidit. Villicus nonnumquam utilis est, vel ^d actor agri confertur urbano. Si insipiens sit elector aut cocum eligit, aut ^e vocalem quem venustioris gratiæ putat, refutat utiliorem. Plerumque etiam ^f ubi fructus non impares sunt, prudentior amœniora declinat. Cito invidiam movent, cito in se excitant mentem avari. Hic tamen nihil dixit Scriptura de eo quod alia pars utilior, alia amœnior fuerit; ne ^g studio Abraham cepisse oculos adolescentis videretur. Amœnam partem unam descripsit, non addidit alteram utiliorem. Necesse erat ut de tota regione duas partes faceret: deinde præsentia, non absentia dividebat. Una regio capere utrumque non poterat. Quod potuit summæ esse justitiæ, electionem obtulit.

14. Lot amœnam elegit, quæ cito prædonum oculos incurrit. Hinc bellum inter reges, adversariorum victoria, incolarum captivitas. Itaque etiam Lot infirmioris consilii pretium luit, non terrarum infecunditate, sed amœnitatis invidia deceptus, ut etiam ipse captivus abduceretur; quoniam vitio servilis nequitiae ^h a potiore deflexerat, et partem flagitiosissimorum elegerat; Sodomam enim luxuria atque lascivia est. Ideoque declinatio latina interpretatione dicitur Lot, quod is vitia eligit qui a virtute declinat, et ab æquitate deflectit.

15. Quo comperto Abram numeravit servulos suos vernaculos (Gen. xiv, 14); et cum trecentis decem et octo viris adeptus victoriam, liberavit nepotem. Probatur divisionis affectus, quando sic amabat nepotem, ut pro eo nec belli declinaret periculum. Quid est, numeravit? Hoc est, elegit. Unde illud non solum ad scientiam Dei refertur, sed etiam ad gratiam justorum, quod in Evangelio dixit Dominus Jesus: Et capilli vestri omnes numerati sunt (Luc. xii, 7). Cognovit autem Dominus qui sunt ipsius: eos autem qui non sunt ipsius, non dignatur cognoscere. Numeravit autem trecentos decem et octo, ut scias non quantitatem numeri, sed meritum electio-

D sensus: Non sat commodæ sunt in divisione hujusmodi possessiones; quia minuitur meritum utiliorum, quod sint minus amœnæ, et amœniorum, quod sint minus utiles.

^d Actor agri idem est ac rusticus œconomus.

^e Vocalis hic dicitur vel qui scite canit, vel moderande vocis pronuntiationisque magister, quem etiam phonasem vocitabant.

^f Sic locum restituimus ex mss. Corb., Colb. et Maz., cum in aliis, non secus ac in edit. omnibus legere sit, ubi fructus impares sunt.

^g Studio, hoc est, de industria, seu dedita opera.

^h Mss. duo, a prudentiore deflexerat; unus, haud prudentior deflexerat.

nis expressum. Eos enim adscivit, quos dignos numero judicavit fidelium, qui in Domini nostri Jesu Christi passionem crederent. Trecentos enim τ Græca littera significat, decem et octo autem ^a summam ⁱⁿ exprimit. Fidei ergo merito Abraham vicit, non populoso exercitu. Denique eos quibus quinque regum arma cesserunt, cum paucis egressus vernaculis triumphavit.

16. Sed qui vincit non debet sibi arrogare victoriam, sed deferre Deo. Hoc Abraham docet, qui triumpho factus humilior est, non superbius. **288** Sacrificium denique obtulit, decimas dedit; ideoque ei Melchisedech qui interpretatione Latina dicitur rex justitiæ, rex pacis, benedixit: *Erat enim sacerdos summi Dei (Gen. 1, 18)*. Quis est rex justitiæ sacerdos Dei, nisi cui dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (Ps. cix, 4)*, hoc est, Dei Filius, sacerdos Patris, qui sui corporis sacrificio Patrem nostris repropitiavit delictis.

17. Quantum autem illud quod de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi mercedis susceptio, et beneficii arrodit gratiam. Plurimum enim refert utrum pecuniæ, an gloriæ dimicaveris: alter mercenarii loco ducitur: alter dignus habetur conservatoris gloria. Jure sanctus de præda usurpare aliquid vel oblatum recusat, ne dicat qui dedit: quia ego divitem feci eum; hoc solum sibi satis esse testatur, quod pastui præliantium juvenum profecisset. Dicit aliquis (23, q. 5, c. *Dicat aliquis*): Cum ipse vice- rit, quomodo idicet ad regem Sodomorum, Nihil **C** sumam abs te; cum præda utique in potestate victoris fuerit? Docet militarem disciplinam, ut regi serventur omnia. Sane iis qui secum fuissent in adjumentum fortasse sociati, partem emolumenti tribuendam asserit tamquam mercedem laboris.

18. Ideoque quoniam sibi mercedem ab homine non quæsivit, a Deo accepit, sicut legimus scriptum; quia *post hæc verba factum est verbum Domini ad Abram in visu dicens: Noli timere Abram, ego protegam te, merces tua multa erit valde (Gen. xv, 1)*. Non est serus ad remunerandum Dominus, et cito promittit, et multa largitur; ne infirmos animos per dilationem aliquam subeat poenitentia contempsisse præsentia: et velut quadam usuraria largitate compensat, ut uberiora restituat ei qui captus non fue- **D** rit oblatione præsentium.

19. Ab ipso quoque Domino mercedem quam postulet, consideremus. Non divitias ut avarus exposcit, non longævitatē vitæ istius, ut meticulosus mortis, non potentiam; sed dignum quærit sui hæredem laboris: *Quid mihi, inquit, dabis? Ego autem dimittor sine filiis (Ibid., 2)*. Et infra: *quia mihi semen non dedisti, vernaculus meus mihi hæres erit (Ibid., 3)*. Discant ergo homines conjugia non spernere, nec sibi sociare impares; ne hujusmodi suscipiant liberos, quos hæredes habere non possint;

^a Ita edit. Era. ac Rom. At Am. et Gill. cum mss. Torn. Theod. et Reg., *summam in exprimit nomen. fi-*

A ut vel transfundendæ hæreditatis contemplatione, si nullo contuitu pudoris moventur, digno studeant matrimonio.

20. Sed si Abrahæ sententia ad corrigendum minus proficit, accipe oraculum Dei hujusmodi condemnantis hæreditatem: *Non erit, inquit, hæres tuus hic: sed alter qui exierit de te, ille hæres tuus erit (Ibid., 4)*. Quem dicit alterum? Peperit enim et Agar filium Ismael, sed non ipsum dicit, sed dicit sanctum Isaac. Et ideo addidit: *Qui exierit de te*. Ille enim vere exivit ex Abraham, qui legitimo conjugio procreatus est. Sed per Isaac legitimum filium, illum verum legitimum possumus intelligere **289** Dominum Jesum Christum, quem in principio Evangelii secundum Matthæum Abrahæ filium legitimus (Matth. 1, 1), qui verum se Abrahæ gessit hæredem, auctoris illuminans successionem, per quem Abraham respexit in cælum, et splendorem posteritatis suæ agnovit non minus illustrem, quam stellarum cœlestium fulget claritas. *Sicut enim stella differt a stella in claritate, ita et resurrectio mortuorum (I Cor. xv, 41)*. Apostolus dicit. Eo quod resurrectionis suæ donans consortia, homines quos mors solebat terris abscondere, regni cœlestis fecit esse participes.

21. Quomodo autem Abrahæ propago diffusa est, nisi per hæreditatem fidei, per quam cælo comparatur, conferimur angelis, æquamur stellis? Ideo ait: *Sic erit semen tuum*. Et credidit, inquit, Abraham Deo (Gen. xv, 6). Quid credidit? Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum. Ut scias quia hoc credidit, Dominus ait: *Abraham diem meum vidit, et gavisus est (Joan. vii, 56)*. Ideo *reputatum est illi ad justitiam*, quia rationem non quæsivit, sed promptissima fide credidit. Bonum est ut rationem præveniat fides; ne tamquam ab homine, ita a Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus! Imitemur ergo Abraham, ut hæredes simus terræ per justitiam fidei, per quam ille mundi hæres factus est.

CAPUT IV.

Abraham ab adulterii crimine ob susceptum ex ancilla filium defenditur: nempe quod ab humana fragilitate non esset immunis, et tunc Chaldæorum superstitiones vix reliquisset: deinde quod in legem ut pote necdum latam non peccaverit: postea quod non libidine, sed amore prolis inductus sit; ubi multa contra adulterium disputantur: defenditur ultimo quod illud ipsum mysterium non peccatum fuerit. Ad extremum quæritur an decuerit circumcisionem institui postea revocandam, et minimum in se perfectionis continentem.

22. Sed fortasse dicat aliquis: Quomodo Abraham nobis imitandum proponis, **290** cum de ancilla suscepit filium? Aut quid sibi vult hoc esse, ut tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cujus tanta opera dei. Cod. vero Corb. Long. Colb. et Maz. *summa Jesu exprimit nomen.*

miramur? Et ideo ne quodam more navigantium locum hunc quem plerique vadosum putant, declinasse videamur, rationem ejus explanare cordi est. Non abnuo quod Abraham de ancilla suscepit filium; ut cognoscas quoniam non superioris cujusdam naturæ ac substantiæ fuit Abraham, sed unus est numero et fragilitate universorum hominum. Denique et de regione Chaldæorum vocatus est, quos superstitioni vanæ intentos esse magis quam cæteros accepimus; et ideo majorem invenit gratiam apud Deum, ^a quia superioribus renuntiavit, ad priora se extendit, ut sequeretur Deum. Propositus est enim ad imitandum tibi, ut et tu advertas, quod si peccatis renunties, possis emereri Domini misericordiam.

25. Movere tamen aliquos potest, quod jam cum Deo loquebatur, et ad ancillam introivit, sicut scriptum est: *Quia dixit Sara ad Abram: Ecce conclusit me Dominus, ut non pariam: intra ergo ad ancillam meam, ^b ut filios facias ex illa (Gen. xvi, 2; 32, q. 4, c. Dixit Sara).* Et ita factum est. Sed consideremus, primum quia Abraham ante legem Moysis, et ante Evangelium fuit: ^c nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit: nec ante legem ulla rei damnatio est; sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prævenit. Deus in paradiso licet conjugium laudaverit (*Gen. i, 28*) non adulterium damnaverit. Non vult enim mortem peccatoris, et ideo quod præmii est pollicetur: quod pœnæ, non

^a Edit. omnino omnes, *quia posterioribus.* Contra mss. omnes, *quia superioribus.* Melius, ut per se quisque satis intelliget.

^b Sic mss. omnes. Edit. autem, *ut filium facias ex illa.* LXX Interp., *ὡς τεκνοποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς.* Sic legitur in multis cod. scriptis: tamen in quibusdam invenire est, *τεκνοποιήσης.* Vide Nobil. in eadem verba.

^c Nonnulli occasionem ex his verbis arripuerunt, ut Ambrosium perperam de adulterio sensisse calumniarentur. Atqui certum est S. Doctorem constanter docuisse prohibitum fuisse adulterium lege naturali, eamque legem a nemine ignorari (puta invincibiliter) umquam potuisse. Id quidem tum ex aliis ipsius operibus cognoscere est, tum ex hoc ipso libro liquido constat. Etenim ubi narrat quemadmodum Pharaon Saram quam in palatium abductam uxorem ducere cogitabat, postquam conjugatam esse cognovit, Abrahamo restituit, ita loquitur: *Etsi natura ferus ac barbarus tamen significat. . . et adulterii crimen sibi esse cavendum. Qui præterdit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si barbarus jus novit naturæ. . . Ita major lex naturæ, quam legum præscriptio est.* Neque vero putandum est hæc de solo adulterio quo uxor aliena polluitur, esse intelligenda. Nam præterquam quod generalia verba sunt, proindeque ad unam adulterii speciem non restringenda, vir sanctus hoc ipso capite asserit *quod mulieri non licet, viro non licere: et c. 7, omnes viri mulierisque concubitus nulla legitimi matrimonii sorte celebratos habere suam culpam.* Itaque dicendum existimamus eum ideo scripsisse adulterium ante latam Moysis legem non visum fuisse interdictum, ut significaret illis temporibus eam circa adulterium ignorantiam extitisse; quæ etsi non omnino culpam tolleret, haud mediocriter tamen illam minueret, id est, vincibilem ignorantiam. Nemo enim negaverit istam in jure naturali posse inveniri, et excusare, ut aiunt

A exigit. Mavult enim mitibus provocare, quam terere sævioribus. Et tu peccasti cum gentilis esses, habes excusationem: venisti ad Ecclesiam, audisti legem: *Non adulterabis (Exod. xx, 14)*, jam excusationem delicti non habes. Tamen quoniam cum his mihi sermo est, qui ad gratiam baptismatis nomen dederunt, si quis tantum crimen fecit, sciat sibi tribuendam veniam; sed quasi ei qui crimen commiserit, in reliquum tamen abstinendum noverit. Denique illi adulteræ quam in Evangelio obtulerunt ^d scribæ Phariseorum, **291** ignovit quidem Dominus superiora, sed ait: *Vade, et amodo vide ne pecces (Joan. viii, 11).* Quod cum illi dicit, tibi dicit. Fecisti gentilis adulterium, fecisti catechumenus? Ignoscitur tibi, remittitur tibi per baptismum. Vade, et post hæc vide ne pecces. Habes unam Abrahæ defensionem.

24. Secunda illa est, quod non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem posthabuissent thorum, sed studio quærendæ posteritatis et propagandæ sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat generis humani: erat etiam religionis, ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ. Denique et Lot sancti filiæ hanc causam quærendæ posteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum; et ideo publici muneris gratia privatam ^e culpam prætexuit. Nec otiosum est quod uxor auctor facti inducitur; ut excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur:

C celebriores Theologi, sin minus a toto, saltem a tanto; eamque esse de qua scriptum sit *Luc. xii, 48: Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et hoc sufficiebat cum ad excusandum Abrahamum apud eos quos alloquebatur, qui eadem perpetraverant ante suam ad fidem conversionem; tum ad eosdem ab hujusmodi crimine in posterum revocandos, cum jam ipsis nulla de ignorantia suppeteret excusatio. Hanc autem responsionem eo magis admittendam remur, quod Ambrosius infra, num. 27, hanc Patriarchæ actionem Deo minus probatam esse testetur, ac lib. de Paradiso c. 15, n. 65, atque alibi de eadem tamquam de vero peccato loquatur. Cæterum dici etiam potest S. Doctorem adulterii nomine nihil aliud intellexisse quam polygamiam; eaque usum verbi duritie, ut efficacius catechumenos absterreret a pellicatu. Nec vero mirum si paulo vehementior hac in re fuerit Ambrosius, quando de tertiis nuptiis quas divina ac naturali lege nunquam non licitas fuisse constat, Basilii, ep. 1, ad Amph., c. 4, dixerit eas *polygamiam* appellari, vel potius *castigatam fornicationem.* Ipse quoque Tertullianus, l. de Monog., c. 6, Abrahami polygamiam defendens, eam tamen *ancillæ concubinatum* vocat: quo etiam sensu Leo Magnus ep. ad Rust., c. 4, Agar Abrahæ concubinam dicit; id est, secundariam uxorem. Quin immo Judæi Josephus, l. 1 Antiq. c. 14 et 18, ac Philo, l. Quod Deus sit immut., licet Patriarcharum suorum ubique observantissimi, non alio tamen modo appellant secundarias eorum uxores quam concubinas, et filios ex illis procreatos, quam nothos ac illegitimos, quod non multo levius esse putaveris, quam dicere hujusmodi conjugium adulterium esse *quod nondum interdictum videbatur.*

^d Edit. Era. cum posterioribus omnibus, *Scribæ et Pharisei.* Am. autem et mss. omnes, *scribæ Phariseorum.*

^e Latinius legendum conjectat *culpam prætexunt.*

simul ut discant mulieres diligere viros, nec agitari vana suspitione pellicatus, aut invidere privignis, si ipsæ liberos non susceperint. Uxori bonæ cordi erat excusare apud virum sterilitatem suam; et ne causa esset viro quod is liberos non haberet, suadet ut intraret ad ancillam. Hoc fecit Lia, hoc Rachel postea. Disce mulier zelum deponere, qui sæpe mulieres in furorem incitat.

25. Sed et vos moneo, viri, maxime qui ad gratiam Domini tenditis, non commisceri adulterino corpori (qui enim se jungit meretrici unum corpus est) nec dare hanc occasionem divortii mulieribus. Nemo sibi blandiatur de legibus hominum (33, q. 4, cap. Nemo.). Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in eam quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit adulterii damnatur crimine. Ergo advertistis quid debeatis cavere, ne quis sacramentis se indignum præbeat.

26. Accipite etiam aliud, quia hujusmodi intemperantia solvit charitatem conjugii, superbas ancillas facit, iracundas matronas, discordes conjuges, concubinas procaces, inverecundos maritos. Simul ut de domino conceperit ancilla, spernit dominam suam tamquam ditior partu: domina se despici dolet, maritum auctorem injuriarum suarum arguit. Denique Sara ipsa marito ancillæ suæ potestatem dederat, et postea dicit ad eum: *Injuriam accipio ego ex te: ego dedi ancillam meam in sinum tuum; ubi autem videt conceptum esse, spreta sum, inquit, coram ab ea: judicet Deus inter me et te* (Gen. xvi, 5). Quantus dolor, quam gravis querela sit feminarum lectione exponitur. Da improvidum et levem maritum qui morigerari nesciat, et divortii causas exhibet. Sed Abraham, vir moderatus et prudens: *Ecce, inquit, ancilla tua in manibus tuis, utere ea quomodo tibi placuerit* (Ibid., 6). Maluit enim uxorem tenere, quam famulam. Nec hoc tamen plenum remedium. Accepit potestatem^a irata uxor, et immoderatus ultione permissa utitur. Quod si Sara moderationem non tenuit, quæ tenebit? Ideoque scriptum est: *Et afflixit eam Sara, et fugit a facie ejus.* (Ibid.) Duo sunt quæ comprehendit **292** Scriptura; ut et dominæ gravem indignationem exprimeret, et ancillæ timorem ac superbiam. Quod afflixit eam Sara, ad iracundiam affligentis refertur: quod Agar fugit, contumeliam servili patientia non ferebat, quæ sibi herilis contubernii vindicabat fastigium: indignata est injuriam, quæ induerat insolentiam. Denique interroganti angelo quo iret, respondit: *A facie Saræ dominæ meæ ego fugio* (Ibid., 8). Et hoc tumore immodici, ut prius nomen Saræ diceret, postea dominam significaret. Illud ad injuriam præmissum,

Sed nihil hic mutandum cum verbum prætexuit, referatur ad vocem gratia.

^a Mss. Vat., Reg., Valc., Theod. et Maz. secunda manu, *miranda uxor.*

^b Ita Corb., Valc., Colb. et Maz. Edit. vero, et

A hoc ad expressionem personæ additum. Non placuit angelo ancillæ insolentia; et ideo dixit illi: *Revertere ad dominam tuam* (Ibid., 9). Utique non latuisset angelum, si vi suppliciorum victa fugisset, et magis reprehendisset verberantis sævitiam, quam fugientis discessionem: sed ut ostenderet quia tamquam superba fugiebat, ^b ne superba esset dominæ, addidit: *Et humilia te sub manibus ejus* (Ibid.). Opto igitur ut hoc vitium nullus incidat: sed si quis incidit, discat ancillam suam humiliare uxori suæ; ne dum vult ancillam vindicare, excludat uxorem.

27. Ergo Abraham et unus de populo erat gentili, et causa posteritatis introierat ad ancillam; quia uxor ejus sterilitatem suam obumbrare cupiens, auctor ejus facti fuerat viro: et tamen non otiosum est quod post hoc Deus statim, quia alia ejus opera probaret, ^c vel hujus facti pœnitentiam, dixit illi: *Ego sum Deus tuus, emerere in conspectu meo, et esto sine querela* (Gen. xvii, 1), quasi adhuc plene non emeruisse, qui desperaret sterilis partum uxoris, et de ancilla posteritatem quæreret. *Esto, inquit, sine querela*, hoc est, irreprehensibilis; ut de te non queratur uxor, nec quisquam tua facta reprehendat. Mutat enim nomen, littera addita, ut de Abram vocaretur Abraham, hoc est, de patre vano, sicut habet Latina interpretatio, vocaretur pater sublimis, pater electus; vel de patre fieret et pater filii. Vanus erat cum Deum nesciret: electus factus est postquam cognovit Deum. Pater erat cum de ancilla prolem haberet: sed pater filii non erat; quia non erat ei filius, qui non erat legitimo susceptus conjugio. Peperit Sara, et factus est pater filii. Circumcidi jubetur accepturus veri seminis hæreditatem. Nonne evidenter circumcisio carnis præceptum est castimonie, ut aliquis resecat libidinem carnis, et indomitas luxu ac lascivia refrenet cupiditates? Etenim circumcisionis vocabulo id præscribitur, ut omnis impuritatis fœtor abstergatur, et incentivum libidinis auferatur. Duabus usi sumus defensionibus.

28. Tertia quoque est quam nobis Apostoli Pauli tribuit auctoritas, qui ait: Illa quæ gessit Abraham ut de ancilla susciperet sobolem, in figuram facta sunt, et secundum allegoriam dicta. Allegoria est cum aliud geritur (et aliud figuratur; sicut etiam ipse Apostolus docet dicens: *Sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuerit, unum de ancilla, et unum de libera; sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera* **293** *per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Nam hæc sunt duo testamenta: unum quidem a monte Sina in servitutem generans quod est Agar* (Galat. iv, 21 et seq.), duos populos ostendens de Abrahæ generatione manare: unum Judæorum, qui legis syllabis serviat; eo quod

alii mss. *ne subjecta esset dominæ.* Excipe Torn. in quo utrumque legitur hoc modo, *ne non subjecta superba esset dominæ.*

^c Sic Mss. omnes cum edit. Am.; Era. vero, et aliæ, *pro hujus facti pœnitentia.*

de ancilla in servitute videatur esse generatus : alterum Christianum, qui ad remissionem peccatorum cœlestis gratiæ libertatem acceperit. Quod ergo putas esse peccatum, advertis esse mysterium, quo ea quæ posterioribus erant futura temporibus, revelabantur. Denique addidit : *Vos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii uestis (Galat., iv, 28). Ideo, inquit, nolite quærere opera legis; quoniam non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi (Galat. ii, 16). Et ut scias quia Christianis dixit: Et nos, inquit, in Christum Jesum credimus; ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis (Ibid.).* Agnoscamus ergo quoniam hæc quæ in figuram contingebant, illis crimini non erant: nobis autem erunt, si ad correptionem nostram scripta cavere nolimus: sed magis id agamus, ut cum simus liberæ filii, quæ est Sara, ^a ne legis laqueis serviamus, cum Abraham liberam tenuerit, ancillam ejecerit.

29. Quo loco (*Gen. xvii, 10*) plerosque moveri scio: si enim bona est circumcisio, hodieque teneri debuit: si inutilis, mandari non debuit, divino præsertim oraculo. Sed cum Apostolus dixerit Paulus (*Rom. iv, 11*): *Quia Abraham signum accepit circumcissionis: utique signum non ipsa res, sed alterius rei est, hoc est, non veritas, sed indicium veritatis. Denique ipse exposuit et expressit dicens (Ibid.): Signum accepit circumcissionis, signaculum justitiæ et fidei.* Unde non incongrue intelligimus quia circumcisio corporalis signum circumcissionis est spiritualis. Ergo signum mansit donec veniret veritas. Advenit Dominus Jesus, qui ait: *Ego sum via, veritas, et vita (Joan. xiv, 6).* ^b Quia non partem exiguum corporis in signo, sed totum circumcidit hominem in veritate, signum detraxit, veritatem induxit; quia postea quam venit quod perfectum est, quod ex parte erat, evacuatum est; et ideo cessavit circumcisio partis, ubi refulsit circumcisio universitatis. Jam enim non ex parte, sed totus homo salvatur in corpore, salvatur in anima. Scriptum est enim: *Qui vult post me venire, abneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Matth. xvi, 24).* Hæc est perfectio circumcissionis; quia ^c per corporis oblationem redimitur anima, de qua ipse Dominus ait: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam (Luc. ix, 24).*

30. Superest illa nunc quæstionis portio, utrum debuerit pars præmitti, cum esset ventura perfectio. Qui locus facilis est ad diluendum, ^d si consideremus quibus pars mandata sit, quibus servata perfectio. Pars enim mandata est secundum legem populo Judæorum, illi dura cervice, illi infirmo, illi qui

^a Edit. Rom. *a legis laqueis eruamur.* Commoda lectio, sed quam nec ms. ullus, nec edit. stabiliunt. Nobis autem mss. Corb., Colb. ac Maz. locum restituere, cum in aliis non secus ac in priscis edit. particula *ne*, ommitteretur.

^b Omnes edit. *Qui non partem . . . signum destruxit.* Mss. autem omnes ut in contextu.

^c Mss. duo; *per corporis ablationem.*

A Deum suum non cognovit. Cum ergo partem non potuerit sustinere, quomodo perfectionem servare potuisset? Ut si puerulum litteris imbuas, a singulis litterarum elementis ²⁹⁴ inchoandum est tibi, ut a singulis apicibus ad syllabas, a syllabis eum per ordinem ad nomina, orationemque deducas. Nec potest mare quisquam navigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus navigaverit. Denique si quid aut conficiendi itineris, aut levandi oneris puero velis provectorique mandare, numquid æquanda onera sunt, aut æquandus labor? Ita igitur noveris his perfectionem circumcissionis esse servatam, ^e qui a Christo instituti, validioribus idonei viderentur; ut fideles probarentur, quorum multitudo innumera crucem tolleret; suamque pro Christo animam devoveret, et increduli non possent resistere, qui in totius corporis immolatione quæri salutem putarent, qui exiguum circumcissionis suæ sanguinem salutarem arbitrarentur.

31. Considerandum autem quod in præputio positum vocavit Deus, in præputio adhuc manenti legitimi filii promissa est hæreditas; ut non Judæorum tantummodo patrem, ut ipsi asserunt, sed omnium credentium auctorem per fidem credas. ^f Sara quoque ante circumcisionem viri in unius litteræ adjectione non mediocri remuneratione benedicitur, ut principatum virtutis et gratiæ haberet; de qua nationes et reges gentium spondet futuros, ut in ipsa typus non Synagogæ, sed Ecclesiæ constitueretur. Quod autem promisso ex ea filio, risit Abraham, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Denique ^C procidit in faciem, qui adoravit, et credidit, et adjecit: *Si mihi centum annorum nascetur filius, et si Sara nonaginta annorum pariet. Et dixit: Ismael hic vivat in conspectu tuo (Gen. xvii, 17 et 18).* Non est incredulus in promissis, nec avarus in votis. Hoc est, non dubito quod facias, ut et centum annorum seni dones filium, et naturæ auctor naturæ metas relaxes. Beatus cui ista donantur: sed tamen etiam hic Ismael quem habeo de vernacula, si vivat in conspectu tuo, abundat mihi gratia. Denique Dominus et probavit ejus affectum, et petitionem non abnuit, et sua promissa firmavit.

CAPUT V.

D *De hospitalitate Abraham hospitum explorantis adventum, eisque obviam properantis. Commendatur eadem virtus, et vana quorundam excusatio diluitur. Quam diligentem in ea se præbuerit idem sanctus, et quomodo uxorem in meriti partem adsciverit? Quid oblata ab utroque mystice significant? Postremo facta*

^d Additur in edit., *vel ad discernendum*; quod in mss. non invenitur.

^e Rom. edit. *sola, qui a Christi institutis validioribus, etc.*

^f Docet Vulg. nomen uxoris Abraham ita mutatum, ut ex Sarai vocata fuerit Sara; LXX vero eam ex Sara quo nomine prius nuncupabatur, Sarram nominatam tradunt; quibus mss. nostri concinentes hoc nomen fere non aliter scriptum exhibent.

ministranti Abrahamo filii promissio, sicut et Saræ risus exponitur.

52. Diximus de Abrahæ devotione, ac fide, de prudentia, justitia, charitate, parcimonia: nunc etiam de hospitalitate dicamus. Est enim non mediocris ea virtus. Unde et Apostolus principaliter eam in episcopo esse oportere geminæ scriptiois docuit auctoritate; ut præsit sit advenientibus, et occurrat obviam, et itinera exploret, et adsit non quærentibus, et rapiat **295** prætergredientes. Ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie. Quando alii quiescebant, iste hospitem explorabat adventus. Merito illi Deus apparuit ad quercum Mambre, quia fructum hospitalitatis studiosissime requirebat.

53. *Et respiciens, inquit, oculis vidit, et ecce tres viri stabant secus illum. Et cum vidisset illos, cucurrit obviam illis (Gen. xviii, 2).* Vide primo fidei mysterium. Deus illi apparuit, et tres aspexit. ^a Cui Deus refulget, Trinitatem videt, non sine Filio Patrem suscipit, nec sine Spiritu sancto Filium confitetur. Hæc alibi plenius (*In lib. de Resurrectione carnis*). Nunc moralis persequendi propositum est loci. Non otiosus sedet, qui longe aspicit: nec aspexisse contentus, cucurrit obviam. Festinavit occurrere, quia non satis est recte facere, nisi ^b etiam maturare quod facias. Festinanter enim manducare pascha lex jubet (*Exod. xii, 11*). Uberiores enim fructus habet celebrata devotio. Disce ergo quam impiger esse debeas, ut possis prævenire hospitem; ne quis præveniat, et te boni muneris defraudet copia.

54. Bona est hospitalitas, habet mercedem suam, ^c primum humanæ gratiæ, deinde quod majus est, remunerationis divinæ. Omnes in hoc incolatu hospites sumus; ad tempus enim habitandi habemus hospitium: emigramus propere. Caveamus ne si nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus; etiam nobis post vitæ istius cursum sanctorum hospitia denegentur. Unde in Evangelio Salvator dicit: *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula sua (Luc. xvi, 9).* Deinde etiam in hoc corpore sitis plerumque oboritur peregrinandi necessitas. Quod ergo aliis negaveris, id in te ipse decernis: et quod aliis detuleris, eo te facies dignum videri. Si omnes eam sententiam non suscipiendi hospites sequantur, ubi erit requies peregrinantibus? Relictis igitur humanis habitaculis, ^d captabimus recessus ferarum, bestiarum cubilia.

55. Sed pauperiem præterdis. Non opes a te hospes requirit, sed gratiam; non ornatum convivium, sed cibum obvium. *Melior est, inquit, hospitalitas cum oleribus ad amicitiam et gratiam, quam si vitulos occidas ad præsepia cum inimicitias (Prov. xv, 17).* Hæc grata hominibus, et accepta Deo. Unde Domi-

^a Vet. edit. et quædam Paris. cum paucis mss., *cui Deus refulsit in Trinitate*, etc. Aliæ vero et mss. plures, potioresque, *cui Deus refulget, Trinitatem videt.*

^b Edit. Gill. ac Rom., *nisi etiam matures*. Am. autem, Era, et mss. omnes, *nisi etiam maturare*;

nus Jesus in Evangelio (*Matth. x, 42*) eum quicumque dederit hospiti potum aquæ frigidæ, cœlestium asserit præmiorum non exsortem futurum. Denique Jacob oves adacquavit Rachel, et gratiam reperit, et uxorem acquisivit. Deinde qui scis an Deum suscipias, cum hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque angelos ejus hospitio suscepit: quamvis et cum hospitem suscipis, suscipias Deum, sicut scriptum in Evangelio legis, dicente Domino Jesu: *Hospes eram, et collegistis me Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis (Matth. xxv, 35 et 40).* Unius horæ hospitio vidua illa quæ suscepit **296** Eliam, et exiguo cibo pavit, perpetuum toto tempore famis invenit alimentum, et mercedem accepit mirabilem, ut numquam de hydria farina deficeret. Elisæus quoque defuncti pignoris resuscitatione donata, solvit hospitii pensionem.

56. Non sola tamen facilitas susceptionis, sed etiam sedulitas susipientis et affectus quæritur. Utrumque te Abraham docet. Cucurrit obviam, rogavit prior dicens: *Domine, si inveni gratiam ante te, ne præterieris servum tuum: sumatur aqua, et laventur pedes vestri, et refrigerate sub arbore: et sumam panem, et manducate, et post hæc transietis: propter quod declinastis ad servum vestrum (Gen. xviii, 3 et seq.).* Tres vidit, et unum Dominum appellavit, ipsius solius se servum fatetur. Deinde conversus ad duos quos ministros arbitrabatur, etiam ipsis deferre gestit obsequium, jam non jure debito servitutis obstrictus, sed blando sedulitatis nomine, usque famulatus.

57. *Et festinavit Abraham in tabernaculum ad Saræ, et dixit ei: Festina et consperge tres mensuras similaginis, et fac subcinericia (Ibid., 6).* Bonus maritus exsortem religiosi muneris esse non patitur uxorem, nec avare sibi totum munus usurpat. Recte igitur et pietatis, et verecundiæ causa servatur. Quod pietatis est, vult esse commune: quod pudoris est, integrum manet Saræ. Ante tabernaculum vir hospitium explorat adventus: intra tabernaculum Sara tuetur femine verecundiam, et opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus invitat, intus Sara convivium adornat. Nec solum ipse festinat Abraham, sed etiam festinandum dixit uxori, sociam devotionis ostendens, nec fide disparem.

58. *Consperge, inquit, tres mensuras similaginis, et fac subcinericia.* Græce. *ἐγχεύματα* dicuntur, hoc est, abscondita; eo quod latere debeat omne mysterium, et quasi ^e operiri fido silentio, ne profanis temere divulgetur auribus. Hoc pascitur divina majestas, hunc epulatur affectum, qui parcus loquendi sit, nec sacra in medium ferat. Breviter autem fidei myste-

ubi ellipsim verbi, *coneris*, vel alterius hujusmodi, vel forte etiam librariorum peccatum esse dicendum est.

^e Ita mss. septem. Unicus autem, atque edit., *fidei silentio*. Forte, *fideli silentio*, ut est apud Horatium de sacris Cereris Eleusinae lib. iii, Ode 2.

rium docet Sara, unius similaginis tres mensuras faciens, quæ typum Ecclesiæ habet cui dicitur: *Lætare sterilis, quæ non parit: erumpe et clama, quæ non parturis* (Esai. LIV, 1). Hæc^a est enim quæ intimo fidem spiritu fovet, ejusdem divinitatis asserens Trinitatem, pari quadam mensura atque reverentia Patrem, Filiumque, et sanctum adorans Spiritum, et majestatis unitate concelebrans, personarumque proprietate distinguens, hac devotionem tuam fidei assertionem consperge.

39. Mulier similaginem offerat, hoc est, interiora spiritalis frumenti vel grani illius de quo dictum est, quod nisi in terram ceciderit, nullum fructum afferat. Unde et prima vidit Maria Dominicæ resurrectionis mysterium, et festinavit non passim omnibus, sed solis Petro et Johanni intimare sacræ salutis nuntium. **B** Vir currat **297** ad boves, sumat vitulum, et sacramentum Dominicæ passionis festinato impiger studio, non lento otio remissus accipiat, tradat illud puero qui innocentiam teneræ servet ætatis, dolum nesciat, referre non noverit, incorrupti corporis castimoniam custodiat. De quo ait Dominus Jesus: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut puer isle, non intrabitis in regnum cælorum* (Matth. XVIII, 3). Huic puero et similibus ejus etiam sanctus David divinæ laudationis dispensat officium dicens: *Laudate, pueri, Dominum* (Ps. CXII, 1).

40. Nec illud otiosum, quod cucurrit ad boves, tenerum vitulum et bonum sumpsit, et cum lacte apposuit. Denique et in Exodo cum pascha Domini declararet, ait Moyses: *Agnus sine macula, mundus, consummatus, anniculus, masculus erit vobis^b ab ovibus et hædis. Sumetis et occidetis*, inquit, *illum tota multitudo synagogæ ad vespertinum* (Exod. XII, 5). Unde et hic merities esse describitur, quando Abraham Domino offert hospitium. Sed ad cœnani vitulus immolatur, et cum lacte manducatur, hoc est, non in sanguine, sed cum fidei puritate. Bonus vitulus, ut pote qui peccata dilueret. Tener, quia non dura cervice, sed molli jugum legis agnovit, crucis patibulum non recusavit. Et merito tener, de ejus capite et pedibus et internis nihil relictum est, et os non est contritum ab eo, sed totus epulantium cibo cessit. Talem nobis Legis figuravit umbra, talem veritas Evangelii demonstravit (Joan. XIX, 36).

41. *Manducaverunt*, inquit, *illi: Abraham autem stabat sub arbore* (Gen. XVIII, 8). Advertimus^c humilitatis officium commendare humilitatem. Abraham stabat, et tu primam accubitionis partem occupas? Denique ea humilitas invenit gratiam, ut promitteretur ei filius.

42. *Dixit autem ad illum: Ubi est Sara uxor tua? Qui respondit, et dixit: Ecce in tabernaculo* (Ibid., 9).

^a Omnes edit. ac duo mss., *Hæc enim quæ intimo fidem spiritu fovet, ejusdem divinitatis asserens Trinitatem, pari quadam . . . hac; An., hæc devotionem . . . conspergit. Alii mss. melioris notæ ut in contextu, exceptis duobus ubi legas . . . majestatis unitatem . . . proprietatem distinguens; hac devotionem fidei assertionem, alter conspergit, alter consperge.*

A Numquid ignorabat Dominus qui in posterioribus Sodomorum futura excidia denuntiat, ubi Sara esset? Non ignorabat: sed docere nos voluit, quantus pudor esse debeat feminarum; ne procaci occursum hospitum in se oculos inflectant; salva verecundia ministerium suum exerceant. Abraham quoque auribus tuis ingerit in tabernaculo Saram degere; ut discas quid ab uxore exigas. Proveciore ætate jam Sara juvenilem custodit verecundiam, ideo Dominus spondit ei filium. *Defecerant*, inquit, *Saræ fieri muliebria* (Ibid., 41). Non otiose additum, ne putares femineæ adhuc possibilitatis fuisse, ut pareret.

43. *Risit autem Sara* (Ibid., 10). Quod indicium futuri magis, quam incredulitatis arbitror. Risit enim, licet adhuc nesciens quid rideret, quod publicam esset in Isaac paritura lætitiâ. Ideo negavit se risisse, quia ignoravit: ideo risit, quia prophetavit.

298 CAPUT VI.

Sodomorum excidium Abrahæ prædicitur, prædicaturque divina in tolerandis peccatoribus, ac peccatis examinandis et condonandis indulgentia. Angeli vespere adventantes apud Lot hospitantur. Immani scelere Sodomitarum cumulantur flagitia. Oblatis filiabus conatur Lot eorum furorem mitigare, quos angeli cæcitate percussunt. Idem Lot generis sequi recusantibus, prohibitus ne retro respiciat, edicitur; et qua ratione ad nos quoque illud pertineat? Excusatio demum filiarum cum parente incestu, ebrietatis mala describuntur.

44. *Exsurgentes autem viri conspexerunt in faciem Sodomæ et Gomorrhæ* (Ibid., 16). Sicut visitatio Domini timentibus exhibetur, ita etiam impiis poena peccati reponitur. Abraham deducebat hospites, ad humanitatis gratiam addebat obsequia. Nam Sodomitæ pro pietatis officiis impuritatis augebant flagitia.

45. *Non celabo*, inquit, *Abraham puerum meum quæ ego faciam* (Gen. XVII, 1). Senilis utique ætatis Abraham in superioribus Scriptura signavit, quia nonaginta et novem processisset annos: quomodo hunc puerum dicit? Sed cum immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, stanti patientissimum, deducendi studiosissimum expresse- rit, nonne convenire nomen pueri videtur officiis?

D Merito puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam et obsequium deferrebat. Datur itaque justo benedictionis gratia, et posteritatis hæreditas.

46. Offensa autem peccatorum exponitur. *Clamor*, inquit, *Sodomorum et Gomorrhæ impletus est* (Ibid., 20). Magna Domini patientia, ut non statim peccatorem puniat, sed diu differat exspectans correctionem;

^b Mss. Corb. Colb. et Máz., *ab ovibus tædis.*

^c Ita edit. omnes, sed mendose. Mirum verò quod ei vitio nullus opituletur mss. Alii quippe præferunt, *humilitatis officio commendari humilitatem; alii, humilitatis officium commendari humilitate; nulli, quod legendum res ipsa clamat, humanitatis officium commendari humilitate.*

nec commoveatur ad ulciscendum, nisi peccator A mensuram excedat. Unde et Dominus Jesus in Evangelio ad Judæos ait: *Implete mensuram patrum vestrorum (Matt. xxiii, 32).*

47. *Descendam itaque, ut videam secundum clamorem illorum venientem ad me, si consummabuntur: sin autem, ut sciam (Gen. xviii, 21).* Non ignorabat Dominus peccata Sodomorum: sed propter te instruendum verba hujusmodi loquebatur; ut tu propius scruteris eorum commissa, in quos vindicandum arbitraris. *Descendam, inquit, ut videam, hoc est, etiam tu descendere cura, descende indaginis studio; ne quid sit quod fallat, aut lateat absentem; ut oculis facinus deprehendas. Eminus positi multa nescire possunt. Quem clamorem autem ait, nisi forte quia ei quem nihil latet, clamant omnia, clamare videntur singulorum crimina? Denique ad Cain dicitur: Sanguis fratris tui ad me clamat (Gen. iv, 10), hoc est, non latet, sed clamat parricidium tuum. Itaque velut excitatur Deus flagitiorum nostrorum clamoribus; ut aliquando vindicet, qui libenter a ignoscit.*

48. Denique Abrahæ petenti ne simul perderet justos, tamquam iniquos, et interroganti, *Si fuerint quinquaginta justi in civitate, perdes illos (Gen. xviii, 24 et 26)?* **299** respondit: *Non perdam civitatem, si fuerint in ea quinquaginta justi, et totum locum servabo.* Et sic per ordinem interrogationum, et responsionum vicem, etiam si decem justos invenerit in civitate, tamen propter paucorum justitiam impunitatem toti populo promittit. Unde discimus quantus murus sit patriæ vir justus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis, nec temere derogare. Illorum etenim nos fides servat, illorum justitia ab excidio defendit. Sodoma quoque si habuisset viros decem justos, potuit non perire.

49. Quid sibi autem vult quod illi qui ad Abraham simul cum Domino venerant, Sodomam petierunt viri, nisi ut acerbaretur crimen eorum, si quos justus honoraverat, his majore sacrilegio impii vim conarentur inferre? Nam quod viros dixit, evidens est ratio; quia speciem præferebant virorum.

50. Sodomam venerunt vespere, meridie ad Abraham; quia justo refulget angelorum præsentia, impiis tenebras affert. Tamen potest referri etiam ad tempus Dominicæ passionis, quod vesperi venerunt ad eum, qui a Sodomitanis contagionibus, et totius D urbis excidio erat liberandus. Vesper erat antequam Christus veniret; quia totus erat mundus in tenebris. Vesper erat omnibus quos immanium delictorum squalor tenebrosus urgebat. Venit Dominus Jesus,

^a Hic locus in edit. Rom. ita luxatus erat, ut post vocem, *ignoscit*, interposito sequenti Geneseos versu: *Et profecti viri inde, petierunt Sodomam: continuaretur hoc pacto: Quid autem sibi vult, etc., usque ad, præferebant virorum: postea resumerentur ista: Denique Abrahæ, etc., usque ad, potuit non perire, quibus caput concludebatur. Nos omnia ex mss. et ant. edit. pristinae integritati reddidimus.*

^b Sic omnes edit. cum tribus mss. probatoris notæ. Alii vero præferunt: *ille qui inter quos habitaret*

redemit sanguine suo mundum, lucem attulit. *Venerunt autem angeli duo in Sodomam ad vesperam (Gen. xix, 1).* Ubi gratia largienda est, Christus adest: ubi exercenda severitas, soli adsunt ministri, deest Jesus.

51. *Sedebat Lot ad portam (Ibid.).* Emendaverant Lot sanctum adversa captivitas, et sollicitiorem fecerant. Itaque processu ætatis didicerat imitari parentem. Ad portam itaque sedebat, ut exciperet advenientes. Denique *exsurrexit obviam illis.* Perfectior cucurrit obviam: iste, *exsurrexit, et adoravit in faciem super terram, et dixit: Ecce domini declinate in domum pueri vestri (Ibid., 1 et 2).* Et coegit illos divertere, qui dicebant: *In platea manebimus.* Comendatur hic justis sanctitas, et angelorum gratia. Illi nolebant adventum suum hospiti graviolem videri: ille ^b quidem inter quos habitaret, sciebat; tamen domum suam offerebat periculis, quibus auferret hospites. Certe quo tardius acquiescebant, diutius tentando, plenius comprobabant.

52. *Viri autem civitatis Sodomorum circumdederunt domum ab infante usque ad senem, totus populus pariter (Ibid., 5).* Præstruitur judicii divini æquitas, ne forte quis diceret: Quid peccaverunt pueri, ut omnes excidio involverentur? Ita nullus illic justus, nullus innocens fuit. Audi Scripturam testificantem quia *circumdederunt domum ab infante usque ad senem, totus populus pariter.* Nulla ætas erat culpæ immunis, ideo nullus **300** immunis exitii fuit. Et qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum. Effetæ C vires senum, sed mens plena libidinis. Offerebat (52, q. 7, cap. Offerebat) sanctus Lot filiarum pudorem. Nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat; tamen minus erat secundum naturam coire, quam adversum naturam delinquere. Præferebat domus suæ verecundiæ hospitalitatem gratiam, etiam apud barbaras gentes inviolabilem. Denique illic quoque inoffensa hospitalitas est, ubi nec germanitas satis tuta est.

53. Percusserunt autem illos angeli cæcitate, ut et ostium domus quod aperire cupiebant, non reperirent. Illic mirabilis quidem angelorum declaratur potestas; ut offusa impuris cæcitate, non reperirentur domus ostia. Sed etiam illud ostenditur, quia cæca est omnis libido, et ante se non videt. Quod vero hospitem manibus revocatus est sanctus Lot in domum demonstratur immemor periculi, memor fidei non eripuisse se periculo, sed obtulisse.

54. ^c Ponitur pietatis locus, quod manifestata sibi per angelos totius regionis eversione, et generos habere Lot sanctus inducitur, et monere eos ut fugerent; simul ne deserendo eos, nec admonendo, *mi-*

sciebat, tutamen (nonnulli tutam) domum suam offerebat. Utra lectio potior, lectoris esto judicium.

^e Ita sex mss. Alii vero et edit., *Munitur pietatis locus.* Quæ verba Rom. edit. duodecim retro lineis retraxerat, et nonnullis mutatis hanc seriem ibi contexerat: *Munitur pietatis locus, ut inoffensa illic hospitalitas quoque foret, etc.* Hanc vero locum ita consarcinavit: *Quod generos Lot habere sanctus inducitur, et manifestata ei totius regionis eversione, illos monere ut fugerent docetur.* Sed toto hoc capite mul-

nus plus videretur circa filiarum maritos : vel erroris earum causa ipsi assignaretur, quæ destitutæ virili consortio concubitus inebriati expetissent patris. Non ergo indefensum Scriptura virum sanctum relinquit; cum et tradidisse maritis filias, et monuisse generos inducitur. Sed visum est illis quod derideret eos, et tamen adhuc morabatur Lot, ut persuaderet generis suis; et pene non esset profectus, ut evaderet, nisi urgentibus angelis et tenentibus manus ejus, egredi coactus esset.

55. Non ergo profectus, sed eductus est : et mandatum accepit ne respiceret retro, nec resisteret in tota regione illa, sed in montem ascenderet. Hoc cum illi dicitur, omnibus dicitur. Si vis ergo et tu evadere, ne respicias retro, sed ante. Aspice ubi Christus est, qui dicat tibi : *Vade retro me*, sicut Petro dicit : *Vade retro me* (Matth. xvi, 25), ut Christum sequeretur, Christum videret. Retro Sodomia est plena flagitii, retro Gomorrha vitiiis scatens, criminum regio. *Ne tetigeritis, inquit Apostolus, ne attaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam* (Coloss. ii, 21). Fuge ergo Sodomam, ^a relinque ocius Gomorrhā, desere elementa hujus mundi, ne te imminetia involvant pericula : non resistas fugiens, nec in tota vitiorum regione remoreris. Qui non respexit, evasit : quæ respexit, non potuit evadere.

56. Excusantur autem filix sancti Lot, quia putaverunt non vicinæ regionis, sed totius orbis ^b fuisse illud excidium, et se solas cum patre superstites ex omnibus populis remansisse. Et ideo ne genus deficeret humanum, paternum petiisse **301** concubitus; ut semen generationis humanæ de patre suo resuscitarent. Non ergo libidinis vitium fuit, sed generationis remedium, quod non puto criminis duci loco. Nam et Eva de viro assumpta, supra cujus costam ædificata est mulier, os de ossibus ejus, et caro de carne ejus; tamen propter seriem successionis humanæ viro mixta est. Subducitur tamen huic admissio conscientia viri justis; inebriatus enim vino quid gereret nesciebat. Unde non mirum si puellas decepit opinio, quæ putarent totius populos orbis periisse. Non eadem esset Lot sancti excusatio, qui audierat ab Angelis locum illum, non totum mundum esse periturum.

57. Sane discimus vitandam ebrietatem (15, q. 1, c. *Sane discimus*), per quam crimina cavere non possumus. Nam quæ sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est quod ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis : ipsam quoque mentem subruit, et animum capit, sensum extorquet. Nesciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, jacent sepulti. Ideoque si qua per vinum de-

ta mutavit, multa detraxit, plura etiam addidit insertis e cap. xix Gen. septem aut octo locis, quos nusquam in aliis edit. aut mss. reperias.

^a Edit. omnes, *relinque ocius, desere elementa*, etc. Mss. sex, *relinque socios, desere elementa*. Aptius vero Long. et Theod., *relinque ocius Gomorrhā*, etc.

^b Sex mss., *fuisse illud incendium*. Alii, et edit., *excidium*. Neque vero mireris si tanto stii-

liquerint, apud sapientes iudices venia quidem facta donantur : sed levitatis notantur auctores. Quanta ipsa deformitas, ut solvantur vires, incessus vacillet?

58. Multi se fortes putant, num fortiores quam Lot? Num continentiores quam Noe? Non utique vitia Patriarcharum Scriptura exposuit, quos victos vino legimus : sed ut tu disceres quid caveres. Ille nudus jacuit, iste filiarum errori patuit. Et Noe justus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur : sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Lot filiabus se credidit, et per senectutem madidam vino solutus, commisit incestum ignorans : tu sic bibe, ne capiaris. Instruant te Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmetur magisterium cautionis.

CAPUT VII.

Mors Abimelech ob tentatam Saræ pudicitiam a Deo intentata, quantum sit adulterii crimen monstrat. Quare ejusdem rei causa Pharaos, gravius quam Abimelech castigatus? Quo etiam pacto ab hujus domo sublata Abrahami precibus sterilitas datam Ecclesiæ fecunditatem signaverit? Nascitur Isaac, et a matre lactatur. Ismael autem Saræ impulsu et divino responso ejicitur : et quæ in his includantur morum præcepta.

59. Denique iterum tentatur Saræ pudicitia, ut exigatur omnium. Nam et Abimelech in uxorem sibi eam sumpserat, et dixit ei in nocte Deus : *Ecce tu morieris propter mulierem* (Gen. xx, 3). Advertimus adulterium divino iudicio morte puniri. Ideoque addidit : *Hæc autem commoratur cum viro*. Habet quidem omnis viri mulierisque concubitus nulla legitimi matrimonii sorte celebratus, suam culpam. Discite enim qui ad gratiam baptismatis tenditis, velut quidam fidei candidati, continentia disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem, præter uxorem. Ideoque conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas, **302** et cum aliena muliere delinquas. Vincit es uxori, noli quærere solutionem : quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam et aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii, hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam. Tolerabilior est si lateat culpa, quam si culpæ usurpetur auctoritas. Nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugii : tamen locus iste docet gravius crimen esse, ubi celebrati conjugii jura temerantur, et uxoris pudor solvitur. Ideoque cum prætenderet Abimelech quod uxorem alienam esse ignoraverit, quam sororem esse vir-

dio Ambrosius filias Lot ab incestu, et ipsum Lot qui easdem prius Sodomitarum libidini obtulerat, nitatur excusare. Id enim eo faciebat ut Manichæos castigaret, qui hac occasione maxima crimina in Scriptura approbati deblaterabant. Hos egregie confutat Aug. lib. xxii cont. Faust et alibi. Vide etiam Hajmon. Estium, et alios in hunc locum.

ipse suam dixerit, respondit ei Dominus : *Et ego A cognovi quoniam puro corde fecisti hoc, et peperci tibi, ut non peccares in me : propter hoc non sum passus te tangere illam (Ibid., 6).* Cognoscimus velut præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui : et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam solvat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium.

60. Fortasse te moveat qua ratione Pharaon^a quaestionibus ab omnipotente Deo graviter afflicto sit, ut supra legimus, cum et ipse ignoraverit uxorem esse Abrahæ Saram, quam sororem audierat (*Genes. xii, 17*) : Abimelech autem nullam poenam exceperit. Verum Ægypti regem noveris ducem fuisse vitiorum, qui quo plus habuerit licentiæ, eo plus flagitii commiserit : Abimelech autem adeo fidelis aestimatus sit Deo, ut meruerit audire : *Et ego cognovi quoniam puro corde fecisti hoc, rex non afflictionis, ut Ægyptius, b sed munitionis, quod Gerarum quibus præerat, docet interpretatio.* Non ergo est dubium cæteris operibus ejus indignationem Domini esse revocantam, qui vere interioris arbiter est conscientiæ, et animi ac mentis interpretis. Denique non ut Pharaon ille conventus a Moyse, c recusavit et sprevit mandatum Dei, nec obsequium distulit : sed statim vocavit Abraham, uxorem suam ei reddidit, pretio se ipse mulctavit quod vidisset alienam, dotem pudoris exsolvit.

61. Hinc quoque colligi potest Abimelech regem clementiora meruisse, quod Abraham pro eo rogavit et impetravit. Peperit enim et uxor ejus, et ancilla ejus, quas ante concluderat Deus propter Saram uxorem Abrahæ : quod æque ad d œconomiam pertinet, ut Saræ partus Dei donatus promissione, etiam hoc fulciretur testimonio ; cum advertas Dei offensione et fecundas sterilescere, et rursus Domini voluntate steriles fecundari, juxta quod scriptum est, *Nonne sterilem et parientem ego feci, dicit Dominus (Esai. lxvi, 9)* ? Quamvis ad Synagogæ illud et Ecclesiæ mysterium dictum accipiatur ; quia et Synagoga partus habere desivit, quæ successivis fraudata est posteritate, et congregatio nationum quæ sterilis erat cum Deum ignoraret, partus habere cœperit æternos. Unde lectum est, *Lætare sterilis, quæ non parit : erumpe et exclama, quæ non parturit ; quoniam plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (Esai. liv, 1).*

303 62. *Genitus est autem Abrahæ filius Isaac, cum esset annorum centum (Gen. xxi, 5).* Et tu si perfectus fueris, habebis posteritatem lætitiæ, et exultationis hæreditatem. *Dixit et Sara : Risum mihi fecit Dominus : Quicumque enim audierit, congratulabitur*

^a Hoc est, cruciatibus seu tormentis ; quæ ideo quaestiones dicuntur, quia in causis capitalibus per ea veritas quaeri solet.

^b Rom. edit. cum tribus mss., *sed munitionis, quod Gerarum, etc.* Vet. cum aliis, *sed munitionis, etc.* Melius ; non enim obscurum est quin S. vir Gerarum velit eosdem esse, ac Gerasenos, quos septos

mili (Ibid., 6). Non utique hoc de generatione hac intelligitur quæ casibus plerisque obnoxia est, ut interdum non generasse melius fuerit : sed de generatione qua unusquisque peccator agens poenitentiam, cum redimitur a morte, angelis solet exhibere lætitiã.

63. *Et dixit Sara : Quis annuntiabit Abrahæ quoniam lactet infantem Sara (Ibid., 7)* ? Moralis locus. Provocantur feminae meminisse dignitatis suæ, et lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, e quo filios propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint uberibus suis.

64. *Fecit autem Abraham cœnam magnam, qua die ablactatus est Isaac filius ejus (Ibid., 8).* Non mediocre istud nec usitatum. Non enim quia a nutricis lacte subductus est puer, magnum convivium exhibuit Abraham : sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, et virtutis alimento, non adhuc, ut Corinthius, lacte potandus : sed epulis solidioribus mandatorum cœlestium mentis suæ lacertos firmans.

65. Prosperitatem cito sequitur invidia. Pepererat Sara, ablactaverat filium : *Vidit ancillæ filium ludentem cum filio suo Isaac, et dixit ad Abraham : Ejice ancillam, et filium ejus ; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac (Ibid., 9 et 10).* Durum hoc visum Abrahæ erat, ut ejiceret filium suum, licet eum quem susceperat ex vernacula. Et tu noli te miscere ancillæ, ne suscipias ex illa filium, et uxor tua non patiatur cohæredem illum filio suo fieri. Vides enim hinc solvi gratiam matrimonii. Certe si incidisti, et habes filium, ejice ancillam, et filium ejus. Melius est enim ut ancilla quam uxor recedat, et filius ancillæ quam legitimus ejiciatur. Quod si dubitaveris, si contempseris uxoris tuæ sententiam et durum tibi visum fuerit, dicit tibi Deus quod dixit et Abrahæ ; quod illi enim dixit, tibi dicit, et omnibus dicit : *Non sit durum ante te de puero, et de ancilla. Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem ejus ; quoniam in Isaac vocabitur tibi semen (Ibid., 12).* Nusquam alibi dixit : *Audi vocem uxoris tuæ, nisi hic, id est, fecisti injuriam uxori tuæ, et non mitigasti affectum ejus, suscepisti ex ancilla filium, et non honorasti uxoris filium.* Numquid potest in ancillæ filio semen tuum vocari ? Non utique ; in legitimo enim filio vera successio est. Sed vereris, quia filius tuus est, ne forte ejectus intereat atque occidat. Non ei deerit mea gratia. Omnes alit Deus noster, suffulcit universos, et justos et injustos. Denique et pluit super justos et injustos. Sicut fecit Abraham, facito et tu. Ejice ancillam, ut securã uxor et inoffensa maneat domi. Ejice et ancillæ filium, ut non habeat hæreditatis consortium, qui non habet originis privilegium.

vel muratos interpretantur.

^c Vat. cod. *recusavit, ut impleteret mandatum Dei.*

^d *œconomia*, hic idem est, atque divini consilii dispositio.

^e Edit. omnes : *Hic honos quo se propriis commendent viris.* Mss. Theod., Torn. et Vale., *Hoc bonum quo se, etc.* Alii quinque, ut in contextu.

304 CAPUT VIII.

Abrahamum Deus varie tentat, sed maxime dato immolandi filii præcepto. Ejusdem præcepti singula verba expenduntur, et perfecta Patriarchæ obedientia in ejus profectioe, ac reliquo sacrificii apparatu declaratur. Postremo post expositum mysterium in ariete Isaaci vice oblato figuratum, tertia proponitur ejusdem Abrahami benedictio.

66. *Et factum est post hæc verba, Deus tentavit Abraham (Gen. xxii, 1). Aliter Deus tentat, aliter diabolus. Diabolus tentat ut subruat: Deus tentat, ut coronet. Denique probatos sibi tentat. Unde et David dicit: Proba me Deus, et tenta me (Psal. cxxxviii, 23). Et sanctum Abraham probavit ante, et sic tentavit; ne si ante tentaret quam probasset, gravaret: probavit eum cum exire de Charra jussit, et obedientem reperit (Gen. xii, xiv, xvii). Probavit cum fidei titulo fretus liberavit nepotem, cum de præda nihil attigit, cum promisit seni filium, et cum esset centum annorum, quamvis Saræ genitalia consideraret emortua; tamen credidit, nec fide hæsitavit, qui posset hæsitare ratione sterilitatis aut senectutis: probavit eum hospitii sedulitate (Gen. xviii, 1 et seq.). Probatum igitur, quasi fortiorem tentandum putavit majoribus, et quibusdam imperiis durioribus. Et hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis: tentatur autem compositis et fictis. Non enim (22, q. 2, cap. Si quælibet, § Non enim) volebat Deus immolari a patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit: sed tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, nec paternæ pietatis contemplatione vim devotionis inflecteret.*

67. *Et dixit ad eum: Abraham, Abraham (Gen. xxii, 1)! Repetitione nominis mentem excitat, ut esset paratior. Denique respondit ille: Ecce ego. Et dixit: Accipe filium tuum amantissimum, quem dilexisti Isaac, et vade in terram excelsam, et offeres mihi illum holocaustum in uno montium, quem tibi dixero (Ibid., 2). Non sinit otiosum esse affectum patris. A principio eum stimulat, et pungit pietatis aculeis, et filii nomen addidit ad nomen necessitudinis, et vim amoris. Non satis putavit dixisse filium, adjungit, amantissimum quem dilexisti Isaac. Quid est quod ait: Quem dilexisti: et non dixit, quem diligis? Possumus quidem uti ad defensionem Scripturæ consuetudine divinæ, quia præteritum plerumque ponit pro venturis vel præsentibus, ut in Evangelio habes: Hic est filius meus dilectissimus, in quo complacui (Matt. iii, 17), cum utique semper in Filio placeat Pater. Et in Psalmo habes: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis (Ps. cix, 1), cum semper sedeat. Possumus tamen et amantissimum ad præsens accipere, et quem dilexisti ad id, ut non recenti quodam impulsu amoris, sed inolito diu et probato amore significaret dilectum. Quod enim ad*

A tempus augetur, ad tempus resolvitur: quod autem diu aut semper placuit, cito aboleri non potest. Potest et illud non absurdum videri, quia morituros plus diligimus. Hoc est, quem ante dilexisti: quasi jam diligat immolandum. Nec otiose addidit 305 nomen sancti Isaac, hoc est, eum quem suscepisti de uxore unicum, suscepisti in senectute, suscepisti tamquam fidei tuæ præmium, remunerationem operum tuorum, suscepisti ex promissione Dei, non conjugis fecunditate, ex qua alium sperare possis. Offeres mihi holocaustum: sed prius vade in terram excelsam. Interponitur spatium, ne præcipitari subito videatur affectus, ut illa dilatione obrepat pietatis gratia, desiderium patris. Adjecit: In uno montium quem tibi dixero. Et hic similiter, ut dum ascenderet senex, infringeretur impetus, lassaret dextera, deficeret intentio: dum quæreret montem discere, dedisceret apparatus.

68. *Exsurgens autem non solum sequenti die, sed etiam diluculo, ut attulisse nox moras studio festinantis patris videretur: Stravit asinam suam, et sumpsit secum duos pueros, et Isaac filium suum, et concidit ligna ad holocaustum (Gen. xxii, 3). Docemur parata omnia ad sacrificium deferre: discimus etiam apparatus sacrificii, et ministerii munus ipsi nobis vindicare, non delegare aliis. Senex Abraham, et dives pecoribus, atque abundans servitorum, non quæsivit comitatus sui agmina: ipse quoque ligna concidit, et obsequia majora viribus suis non intermisit.*

69. *Venit autem ad locum quem dixit illi Deus, die tertio (Ibid., 4). Et cum duobus ipse tertius proficiscitur, hostiam suam secum ducens, et die tertio ad locum sacrificii venit. Salutaris hic numerus, et conveniens sacrificaturis. Denique et in posterioribus Moyses dicit ad Pharaonem regem Ægypti: Viam trinum dierum ibimus, et immolabimus Domino Deo nostro, sicut dixit nobis (Exod. viii, 27). Et recte tertio die celebratur Trinitatis sacrificium.*

70. *Et respiciens Abraham oculis vidit locum a longe (Gen. xxii, 4). Sollicite explorat qui properat implere. Quamvis senilem studio celeraret gradum, tamen hoc serum putans præcedebat oculis: vigeabant singulorum officia membrorum, licet senilia membra non possent vigere. Solet hebetari visus senum, ut etiam propinqua non facile conspiciant. Hic non solum vidit locum, sed etiam longe positus aspexit.*

71. *Nec dubitavit vidisse, sed ait pueris suis: Sedete hic cum asina: ego autem et puer pertransibimus usque illuc; et cum adoraverimus, revertemur ad vos (Ibid., 5). Merito typus in asina; quia et veritas in pullo asinæ. In hoc enim animante figuratur populus gentilium, ante oneri subjectus, nunc Christo subditus. Isaac ergo Christi passuri est typus. Venit in*

^a Plures mss. et cunctæ edit. quasi jam non diligat immolandum. At meliori sensu Corb., Colb. et Maz. negationem omittunt; ut patet ex superioribus verbis, quia morituros plus diligimus.

^b Ita mss. Corb., Colb. et Maz. Alii vero cum editis, sperare non possis. Minus bene, cum hæc pendeant e prioribus istis, non conjugis fecunditate,

asina, ut crediturus populus nationum significaretur. Ideoque et Dominus cum ad subeundam pro nobis passionem veniret, pullum asinae solvit, ^a quem ipse consedit etiam mitem atque mansuetum, jam Christo sua terga **306** credentem. Quod autem ait: *Ego et puer pertransibimus viam*, demonstrat quod non deficeret in tanto apparatu pater, non cederet filius: aut quia pertransirent pietatis remedio tanti facinoris austeritatem. Addidit: *Ad vos revertemur*. Prophetavit quod ignorabat (22, q. 2, cap. *Si quaelibet*, § *Prophetavit*). Ipse solus disponebat redire, immolato filio: sed Dominus per os ejus locutus est quod praeparabat. ^b Captiose autem loquebatur cum servulis, ne cognito negotio, impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu.

72. *Acceptit autem ligna holocausti, et imposuit Isaac filio suo: accepit et ignem ipse in manu et machaeram (Gen. xxii, 6)*. Consecratur sacris hostia ^c ministeriis, et commendatur futura. Quae pietatis hostia pii ante ministerii vectura est. Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum crucis portavit. Abraham comitabatur filium, Pater Christum. Nec Isaac solus, nec Jesus solus. Denique ait: *Solum me relinquetis, et non sum solus, quia Pater mecum est (Joan. xvi, 32)*.

73. *Dixit autem Isaac ad Abraham patrem suum, Pater. Qui dixit: Quid vis, fili (Gen. xxii, 7)?* Pulsatur pietatis vocabulis patrius affectus, et fluctibus quibusdam hinc atque inde tunditur. Filius vocat patrem: pater dicit, *Fili*; ut ipso verborum sono se recognoscat pater: quam impossibile est ut ferire ^c possit, cujus se vulnere subicere optaret. Haec nomina vitae solent operari gratiam, non ministerium necis: haec vocabula incitare ad pietatem, non ad mortem solent.

74. Addidit Isaac dicens: *Ecce ligna, ubi est ovis in holocaustum (Ibid.)?* Et hic prophetat sermone, non scientia. Ovis enim a Domino ad sacrificium parabatur. Respondit denique similiter et Abraham: *Deus providebit sibi ovem ad holocaustum, fili (Ibid.)*. Inflexibilis a studio devotionis minister vocare filium frequenter non timet; ita eat intentionis soliditate fundatus: et hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum judicabat filium, si eum immolaret Deo. Non solum autem hoc prophetavit,

^a Omnes edit., quem ipse conscientia mitem atque mansuetum jam Christo sua terga credentem ascenderat. His accedunt Theod. et Valc. excepto quod pro credentem ascenderat, hic legis, cedentem consedit; ille, praebentem fecit. In hoc ei consentit Long. qui caetera cum aliis quatuor lectioni nostrae astipulatur.

^b Captiose, id est, ut notat glossa decreti, caute; nimirum ne videatur Ambrosius docuisse Abraham simulate aut mendaciter locutum. Fuere siquidem qui nihil aliud his Doctoris nostri verbis significari contenderent, nisi S. Patriarcham mentitum esse, quod contra mentem dissimulandi causa sit locutus: prophetasse autem, quod verum dixerit licet nesciens. His Melchior Causus, lib. ii de loc. Theol., c. 4, subscribit. Nec tamen putes hinc Abraham pietati quicquam detrahi; cum veterum Patrum usque ad Au-

quod statim accidit, quia Deus providit sibi pro Isaac hostiam, et reddidit patri filium: verum illud magis, quod non haec hostia divinae esset dispositionis: sed alia esset hostia quam Deus sibi pararet, ut mundaret orbem terrarum: illa esset omnibus acceptior, propter quam multi patres offerrent filios suos, et separari in hoc saeculo a filiis non timerent. Quotidie offerunt patres filios suos, ut moriantur in Christo, et consepeliantur in Domino. Quamvis patres, occisis martyrio filiis, laetiores ab eorum tumulo reverterunt!

75. Venit Abraham ad locum sacrificio praedestinatum; *Et aedificavit ibi aram, et imposuit ligna (Ibid., 9)*. Quanta molimina immolaturi, ne raptus **307** subito ad immolandum aestimaretur? *Et colligatis manibus ac pedibus Isaac filii sui, imposuit eum in aram super ligna (Ibid.)*. Nectit filio manibus suis vincula pater; ne refugiendo filius, et vi ignis excitus peccatum incurreret.

76. *Et dixit Angelus, Abraham, Abraham (Ibid., 11)*. Tenuit quodammodo manum ejus divina vox, et ictum vibrantis occupavit dexteræ. Nec semel vocavit; ne aut plene non audiret, aut fortuitam vocem putaret. Sic revocavit, quemadmodum imperavit. Repetivit vocem, tamquam veritus ne praeveniretur studio devotionis, et una vox impetum ferientis revocare non posset. *Non injicias, inquit, manum in puerum, neque feceris ei quidquam; nunc enim cognovi quia timeas Deum tuum, et non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me (Ibid., 12; 2-2, q. 2, cap. Si quaelibet, § Non enim)*: hoc est dicere: Affectum tuum inquisivi, non factum exegi. Tentavi mentem tuam, si etiam filio dilectissimo non parceres propter me. Non aufero quod donavi ipse, nec haeredem invideo, quem largitus sum non habenti. Nec otiose hic quoque ei dilectissimum filium dixit, ut illud quod supra dixit, *Quem dilexisti*, ita dictum ostenderet, ne aestimares quod jam diligere desiisset.

77. ^d *Et respiciens Abraham vidit, et ecce aries unus haerens in virgulto (Ibid., 13)*. Qua ratione arietem? Quasi praestantem utique caetero gregi. Qua ratione suspensum? Ut adverteres hostiam illam non esse terrenam. Qua causa cornibus suspensum, nisi quod carnem suam virtute superiore a terris levaret? Juxta quod scriptum est: *Cujus principatus*

gustini tempora communis ferme opinio fuerit boni alicujus, vel officii ergo mentiri peccatum non esse. Verum sententiam hanc funditus evertit Augustinus, cui omnes postea suffragati sunt. Tamen Ambrosium in prima non fuisse opinione haud illibenter credimus; tum quia id satis indicat Augustinus epist. 82, tum quia Sanctus ipse noster omne simulationis ac mendacii genus proscrit lib. vii, in cap. xii Lucae, et lib. iii Offic., cap. 9, atque alibi. Unde etiam B. Th. 2-2, q. 111, art. 1, docet Ambrosium istie mysterium et prophetiam agnoscere, non mendacium, aut simulationem.

^e Mss. Theod. et Valc., mysteriis, et commendatur futura pietatis hostia pii ante ministerii vectura.

^d Rom. edit., *Et respiciens Abraham oculis suis vidit, et ecce aries unus suspensus cornibus in virgulto Sabee*.

^a *super humeros ejus (Esai. ix, 6)*. Quis utique significatur, nisi ille de quo scriptum est: *Exaltavit cornu populi sui (Psal. cxlviii, 14)*? Cornu nostrum Christus est, qui præstitit omnibus, sicut legimus, *Speciosus forma præ filiis hominum (Ps. xlv, 3)*. Solus elevatus et exaltatus a terris, quemadmodum ipse nos docet, cum loquitur: *Ego non sum de hoc mundo, ego de supernis sum (Joan. viii, 23)*. Hunc vidit Abraham in isto sacrificio, hujus passionem aspexit. Et ideo ipse Dominus ait de eo: *Abraham diem meum vidit, et gavisus est (Ibid., 56)*.

78. Unde Scriptura: *Vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus videt; ut dicant hodie: In monte Dominus apparuit (Gen. xxii, 14)*, hoc est, quod apparuerit Abrahæ, revelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit: demonstrans etiam **B** genus passionis, cum suspensum ^b ostendit. Virgultum illud patibulum crucis est. Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus omnia traxit ad se; ut ab omnibus cognosceretur. Unde et ipse ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum (Joan. viii, 28)*. Hinc quoque promeruit Deum Abraham.

79. Denique hæc est tertia benedictio. Tres enim plenarias accepit benedictiones: unam post victoriam, qua liberavit nepotem, quando occurrit illi Melchisedech, quando dixit ei Dominus: *Respice in cælum, et numera stellas, si poteris: sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (Gen. xv, 5 et 6)*: aliam quando jussus est Abraham nominari (*Gen. xvii, 5*), et signaculum **308** accepit circumcisionis: tertiam hic, quando dilectissimum filium suum holocaustum Deo non dubitavit offerre. Hæc iterum benedictio præstitit superioribus. In illis enim propagationem seminis Abrahæ promisit futuram: in hac autem ait: *Et benedicentur in semine tuo ^c omnes gentes terræ; quoniam audisti vocem meam (Gen. xxii, 18)*. Et nos ergo audiamus vocem Dei nostri, et obediamus præceptis ejus, si volumus apud eum invenire gratiam.

CAPUT IX.

*Moritur Sara ac sepelitur. Abraham filio suo uxorem providet, eamque ad rem delectum servum juramento sibi obligat: et quid istic lateat mysterii? In eligenda conjugè imprimis ejus religionem ex qua pendent mores, spectandam. Quomodo quærenda proxima, **D** non alienigena, nec invita? Quo item modo in Rebecca designata sit Ecclesia et baptismus. Quas in aures exemplo Rebecæ ambire debeant Christianæ virgines; quidve alia munera eidem puellæ oblata significant? Quam imitandum pudoris exemplum ipsa præbuerit; et quam bene in ejus conjugio vocatio Ecclesiæ atque apostolicum ministerium exprimat!*

80. Locus qui sequitur, habet mortem uxoris,

^a Ita edit. omnes. At quinque mss. melioris notæ, cujus principium. Utraque autem dictio eodem sensu dici potest.

^b Edit. vet., ostendit arietem. Rom., . . . cornibus arietem. Neutrum reperitur in mss. neque adeo necessarium est, cum satis intelligatur e superioribus.

fletum mariti, sepulturæ officium; quibus maritalis affectus probatur. *Et surrexit, inquit, Abraham a mortuo (Gen. xxiii, 3)*. Docemur ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officii deferamus. Festinavit autem ^d pro loco sepulcri pretium solvere, cum gratis daretur; ut non in alienis locis, sed nostris potius ædificemus tumulos parentum vel proximorum. Sæpe enim cum alienationibus possessionum venales fiunt, quæ in iisdem locis sepulturæ sunt. Hoc autem ideo Abraham fecit; quia nondum erant hujusmodi Dei templa, in quibus fidelium Domino reliquiæ condantur.

81. Senuerat Abraham: itaque quod boni est patris, debuit uxorem providere filio: sed propter oraculum Dei non poterat redire eo, unde jussus erat exire. Habitabat autem in terris Chananæorum, ex quo genere legitimam successionem sibi quærere fugiebat.

82. *Et vocavit puerum seniore domus suæ (Gen. xxiv, 2)*, et dixit ei ut iret in Charram, et de proximis suis uxorem peteret juniore domino suo. Disce hinc quod etiam senioris ætatis servuli pueri dicantur a dominis, vel a quibusque potioribus. Unde et quidam poeta hoc sequendum putavit: sive in eorum usu qui sibi docti et sapientes videntur, ipse hoc reperit: sive de nostris ipse transtulit: sive translatum invenit:

Pascite ut ante boves, pueri, submitte tauros.
(Virg. Ecl. i.)

Inde et pueros dicimus, quando servulos significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem.

83. Adverte nunc virtutes boni patrisfamilias, et considera primum, quod munus, et cui mandet; ut et tu ita instituas servulos, ut liberis tuis paternum affectum deferant, et officia exsequantur. **309** Inventus est de servulis senior, tamen qui ad uxorem providendam domino juniore eligeretur, et constrictus ut juraret, mitteret manum sub femur domini sui. Per femur generationem intelligimus: generatio autem Abrahæ Christus est. Unde Apostolus ait: *Abrahæ dicte sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis: sed sicut in uno, et semini tuo, quod est Christus (Gal. iii, 16)*; ostendens per ipsum nobis sanctum sacramentum, per ipsum tutum auxilium fore.

84. Constrinxit autem eum ne de semine Chananæorum uxorem arcessiret domino suo, quorum generis auctor patrem non honoraverat, et ideo maledictionis hæreditatem transmisit in suos; ut cognoscamus fidem, et quamdam hæreditatem de auctoris prosapia in iis requirendam, quos nobis volumus adjungere. Cum sancto enim sanctus eris, et cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, et unus spiritus est. Quo-

Sed mss. Theod. et Vale. legunt, *ostendit virgulto, id est illud, etc.*

^c Ita mss. omnes, et Rom. edit. Vet. autem edit. omnes reges terræ.

^d Nonnulli mss. *Festinat autem pro loculo, etc.*

modo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo cave, Christiane, gentili aut Judæo filiam tuam tradere (28, q. 1, cap. Cave). Cave, inquam, gentilem aut Judæam atque alienigenam, hoc est, hæreticam, et omnem alienam a fide tua uxorem arcessas tibi. Prima conjugii fides castitatis gratia est. Si idola colat quorum prædicantur adulteria, si Christum neget qui præceptor et remunerator est pudicitiae, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, et conjunctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniae, si credas a Deo tuo tibi quod sortitus es, conjugium datum. Unde et Salomon ait: *A Deo, inquit, præparabitur viro uxor* (Prov. xix, 14). Non possunt hoc disparem fide credere, ut ab eo quem non colit, putet sibi connubii impartitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla commonent. Sæpe illecebra muliebris deceptit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere (III Reg. xi, 4). Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Primum ergo in conjugio religio quæritur. Ideo Abraham proximam quæsivit dare filio suo.

85. Et tu proximam quære. Quis est proximus? *Qui fecit, inquit, misericordiam.* In Evangelio hoc dixit Dominus Jesus. Et tu proximam seminis Abraham require, et propinquam proximi tui (Luc. x, 37). Semen Abraham Christus est, ipse est proximus omnium, qui super omnes fecit misericordiam, tollens peccatum mundi. Disce deinde quid in uxore quærat: non aurum, non argentum quæsivit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis.

86. Deinde interrogatus si nollet venire mulier, utrumnam eo filium domini sui duceret: *Attende tibi, inquit, ne revoces filium meum illo. Dominus Deus cæli, et Deus terræ accepit me de domo patris mei, et de terra in qua natus sum, qui locutus est mihi, et juravit dicens: Tibi dabo terram hanc, et semini tuo; ipse mittet Angelum suum ante te, et accipies filio meo uxorem inde. Quod si noluerit tecum venire mulier in terram hanc, purus eris a juramento hoc* (Gen. xxiv, 6 et seq.). Quo proficiat hoc considera diligentius. Non licet tibi accipere alienigenam. Sane si Christianam se faciat, laudem habebis ex ea. Ne te quoque si recusaverit Christiana fieri, studium nuptiarum a fide deflectat, instruit lectio. Abraham sequentem deduci admonuit, residentem non expeti, nec eo filium suum pergere. Sane domini sui qui se ab incolatu terræ in qua habitabat, abduxerat, non defuturam misericordiam, ut præ-

^a Mss. quatuor, *Quadam conjugali copula muniunt eam, etc.* Ex quibus tamen Vale. præfert, .. *copia muniunt, etc.*

^b Cunctæ edit., *copulæ jus.* Cuncti mss., *copula ejus.* Attamen ita scribitur in Corb. ut utrumque pene ex æquo legi possit.

^c Rom. edit. sola, *reliquit hydriam mulier. Reliquit; unde non habuit, quo actus suos, etc.* Verumtamen evidens est virum sanctum non indicare illa Scripturæ verba, *Reliquit ergo hydriam, etc.,* sed po-

aret studio petitoris, et puellæ inclinaret animum. Quasi propheta hoc dixit in causa filii, et quasi moralis doctor docuit sperare de Domino, quod juvare dignetur incrementa fidei quærentem.

87. *Et surgens puer profectus est in Mesopotamiam* (Ibid., 10): et juxta voti seriem quod proficiscens servulus voverat, *occurrit ei Rebecca, habens hydriam super humerum, virgo speciosa valde, quam vir non cognoverat. Descendit autem ad fontem, et implevit hydriam, dedit puero bibere, adaquavit omnes camelos ejus* (Ibid., 15 et seq.). Unde puer Abraham accepit inaures aureas singularum drachmarum, et duas virias dedit in manus ejus, decem aureorum pondus earum, et quæsivit ab ea si locus esset hospitio, et ejus esset filia. Simplicitas quidem moralis exprimitur, quod nullus fuerit vel in conjugii petitione ambitioni locus, sed Dominus præsul conjugii petitionem impleverit. Tamen spectare licet Ecclesiæ mysteria. Ubi invenitur Ecclesia, nisi in Mesopotamia? Ibi quæritur, inde arcessitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lavacro gratiæ, et fletu pœnitentiæ. Etenim nisi peccata propria desleveris, nisi gratiam baptismatis acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, et ^a quædam conjugalis copula. Muniunt eam Tygris, hoc est, prudentia, et Euphrates, hoc est, justitia, et illuminatio fructuosa, a barbaris separans gentibus.

88. *Virgo autem speciosa valde, cujus decorem nulla corruptit ætas. Speciosa valde, quia speciosus et ille præ filiis hominum, qui eam acquisivit sibi. Quam vir non cognoverat; nulli enim viro erat ^b copula ejus, sed soli Christo debita. Hydriam habens super humerum, qua lavat actus hominum. Et quia ex congregatione gentilium constat, qua suos lavit, ideo legis quia descendit ad fontem, et implevit hydriam et ascendit* (Ibid., 16). Samaritana illa venit ad fontem, sicut in Evangelio scriptum est (Joan. iv, 7), sed non descendit: puteus ei videbatur, nec implevit hydriam. Denique ait: ^c Hydriam non habeo. Non habebat unde actus suos lavaret. Hæc sola descendit, hæc sola cognovit fontem verum, hoc est, non aquæ fontem, sed vitæ æternæ, sicut dixit David: *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (Ps. xxxv, 10). Ideoque habuit quod daret sitientibus, quia credidit. Nam quæ non credebatur, ait fonti huic volenti ^d sibi potum dare: *Unde mihi habes dare aquam vivam* (Joan. iv, 11)? Hæc autem habuit unde non solum puerum, sed etiam camelos adaquaret, **311** quæ non solum justos rigare consuevit, sed etiam injustos implere. Ideo accepit inaures aureas, et ^e virias quas mi-

tius ista, *Domine, neque in quo haurias, habes; legisse autem ipsorum loco, Domine, neque in quo hauriam, habeo.* Quod tamen in Bibliis nullis reperire est.

^d Mss. Corb., Long., Colb., Maz. et prima manu Torn., *volenti sibi potum dare aquam vivam. Hæc autem, etc.* Forte non male, si post, *aquam vivam,* mente suppleamus quod supra exprimitur, nempe, *hydriam non habeo;* quod sane aptius quadrat cum sequentibus.

^e Viriæ, idem significant atque annuli, ut ex sequentibus colligere est.

sit Abraham, tamquam meritorum suorum præmia.

89. Fortasse audientes hæc filiae, quæ ad gratiam Domini tenditis, et vos provocemini ut habeatis inaures et virias, et dicatis : Quomodo prohibes hoc, Episcopo, ut habeamus quod Rebecca accepit pro munere, et hortaris ut similes simus Rebeccæ? Sed non has inaures Rebecca habebat et virias, quæ lites in Ecclesia serere solent, quæ labuntur frequenter : alias inaures habebat, quas utinam vos habeatis, alias virias. Inaures Rebeccæ pii auditus insignia, et viriæ Rebeccæ ornamenta factorum sunt. Has inaures habebat, quæ non gravarent aurem, sed demulcerent : has virias, quæ manum non materiali auro onerarent, sed spiritali actu levarent. Ideo et fratri et parentibus in hoc placuit ornatu. Et tu sume inaures quas tibi Abraham reliquit : sume B quas transmisit virias. Audi verba Domini Dei tui, sicut ipse audiebat : exsequere jussa, sicut ipse properavit ^a implere.

90. Pulcherrimus autem locus ad instruendos eos quibus aliquid injungitur, quod non prius manducavit puer Abrahæ appositum sibi panem, quam mandatum Domini exsequeretur. Quo impetrato, vasa aurea et argentea et vestem dedit Rebeccæ. Ubi sponsata est Ecclesia, accepit vasa aurea et argentea, in quibus esset thesaurus fidei ; sunt etenim vasa in honorem, sunt et in contumeliam. Quæ sint ea vasa audi : *Habemus thesaurum in vasis fictilibus* (II Cor. iv, 7). Vasa fictilia corpora nostra sunt : fides nostra thesaurus est. Et fortasse jam etiam ipsa corpora nostra quæ thesaurum istum habent, aurea sunt, C quia sunt plena prudentiæ : et argentea vasa sunt, quæ videntur mandati cœlestis alloquiis refulgere. Honorantur autem et parentes muneribus (32, q. 2, c. *Honorantur*).

91. Consulitur puella non de sponsalibus, nam illa iudicium exspectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum : sed jam desponsata viro de profectionis consulitur die. Nec immerito dilationem non attulit ; jure etenim properare debuit ad maritum. Unde illud Euripideon quod mirantur plerique, unde translatum sit manifestum est. Ait enim in persona mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere, et ad alias petebatur nuptias :

Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μέριμνον ἔχει, κ' οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

(Euripides in *Andromacha*.)

312 Hoc est, Sponsalium quidem meorum pater

^a Post vocem, *implere*, Rom. edit. intrusit sequentia : *Inquit enim, et apposuit illis panes ad comedendum, qui dixit : Non comedam donec loquar ego verba mea.*

^b Ita mss. Edit. autem, *mulier etiam, quæ...* Et post tria verba ubi eadem edit. cum præcipuis mss., *laqueum infirmitatis suæ timet incidere*, tres mss. legunt *infirmitati suæ timet injicere.*

meus curam subibit ; hoc enim non est meum. Ergo quod et ipsi philosophi mirati sunt servate, virgines. Sed etiam, ^b mulieres, si qua, amisso cito marito, adolescentula laqueum infirmitatis suæ timet incidere, ut si vult nubere, nubat tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat ; ne appetentiæ procacioris æstimetur, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vindicet. Expetita magis debet videri a viro, quam ipsa virum expetisse. Verecundiam præmittat, antequam nubat, quod ipsum conjugium plus commendet verecundia. Sed illi verba imitantur, opera imitari nequeunt.

92. Inesse quoque in eo præclarum Ecclesiæ mysterium liquet, eo quod nemo ausus sit eam ante Christum vocare ; soli enim Christo hæc erat vocandarum nationum reposita prærogativa. Vocata autem non fecit moram, et ideo acceptior Domino ; quia populus Judæorum qui erat ad coenam vocatus, dignus non fuit venire : congregatio autem gentium simul ut accessiri se vidit, occurrit.

95. Denique ut scias non sine mysterio esse, cum veheretur camelo, veniebat ad sponsum ; eo quod populus nationum belluina quadam horridus meritorum deformitate, qui formæ suæ nullum haberet decorem, fidem esset atque consensum Ecclesiæ recepturus. Nec illud otiosum (30, q. 5, cap. *Nec illud*), quod cum veniret Rebecca, vidit Isaac deambulantem ; et cum interrogasset, quis esset, cognito quod ipse esset cui duceretur uxor, descendit, et caput suum obnubere cœpit, docens verecundiam C nuptiis præire debere : inde enim et nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnuberent. Discite ergo virgines, quemadmodum servetis verecundiam, nec intecto capite prodeatis ante extraneos, cum Rebecca jam desponsata, designatum maritum aperto capite non putaverit videndum.

94. Quis ille est servulus qui providit has nuptias? Unus utique de Apostolis, et ille maxime qui ait : *Viri fratres, vos scitis quia a diebus antiquis in nobis Deus elegit ex ore meo audire nationes verbum Evangelii* (Act. xv, 7). Vel ille qui doctor appellatus est gentium (I Tim. ii, 7). Ipsi enim ^c cum leguntur, aut Joannes evangelista, acquirunt Christo animam ; ut credat quæ ante non credidit : et cupientibus Christum videre, sermonibus demonstrant suis. Itaque Abraham celebratis filii nuptiis (Gen. xxv, 8), longæva ætate, et bona senectute complevit dies.

^c Vet. edit., *cum leguntur, ait Joannes evangelista, acquirunt Christo animam.* At cum advertissent Rom. editores commodum sensum hinc elici non posse, locum emendaverunt in hanc formam : *Cum audiuntur, acquirunt Christo animam... et cupientibus Christum videre, ut ait Joannes evangelista, sermonibus, etc.* Nostram vero lectionem magno consensu præferunt mss.

313 LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Post expositum moralem sensum, ad profundiorum seu allegoricum transit: et quemadmodum animæ præcipiatur ut exeat de terra sua, et de cognatione sua; nec non a quibus ad perfectam purgationem recedendum sit, explicat. Denique promissam Abraham posteritatem refert.

1. Moralem quidem locum prosecuti sumus, qua potuimus intellectus simplicitate; ut qui legunt, morum possint sibi haurire magisteria: sed quia ex utraque parte acuta est acies gladii, ex utraque parte præliaris; similiter verbum Dei, quod est acutius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ, quocumque converteris, paratum invenies et opportunum, ut animam legentis pertranscat ad revelandum prophetarum Scripturarum ænigmata. Unde non absurdum reor referre ad aliorum sensum, et per historiam diversarum personarum, virtutis formæ quemdam processum explicare; maxime cum jam in Adam intellectus profundioris exordia degustaverimus (*De Paradiso, cap. 2*). Adam etenim mentem diximus, Evam sensum esse significavimus, serpentis specie delectationem expressimus; sed ibi de summa beatitudine, et quadam naturali virtutum amœnitate ^a per circumscriptionem sensus, et delectationis illecebram ^b refluxus ad culpam est: hic autem profectum mentis speculari datur. Hoc enim Legislator provide egit, ut quemadmodum lapsum mentis demonstravit, ut illas erroris caveremus semitas: ita etiam processum mentis, et quemdam superiorem reditum significaret, ut quemadmodum infracta mens reformare se possit, cognosceremus. Purgaverat enim terram Dominus diluvii infusione, laverat humanæ colluvionem fragilitatis: sed non satis erat ad virtutis profectum, nisi ut instrueretur homo quemadmodum se regeret et gubernaret, Abraham mentis loco inducitur. Denique ^c Abraham transitus dicitur: Ergo ut mens quæ in Adam totam se delectationi et illecebris corporalibus dederat, in formam virtutis speciemque transiret, vir sapiens nobis ad imitandum propositus est. Denique Abraham secundum Hebræos, secundum Latinos pater dictus est, eo quod mens paterna qua-

Adam auctoritate, ^d censione, et sollicitudine totum gubernet hominem.

2. Hæc ergo mens erat in Charra, id est, in cavernis, obnoxia variis passionibus. Ideoque **314** dicitur ei: *Exi de terra tua* (*Gen. xii, 1*), id est, de corpore tuo. Exivit de hac terra ille, cujus conversatio in coelis est. *Et de cognatione, inquit, tua.* Cognati sunt animæ nostræ corporis sensus. Dividitur enim in duo anima nostra: in id quod est rationabile, et in id quod est irrationabile. In eo autem quod est irrationabile, sensus sunt: ergo cognati sunt partis rationabilis, hoc est, mentis. *Et de domo tua, inquit, exi.* Domus mentis ^e prolativum est verbum. Sicut enim paterfamilias habitat in domo sua, et in potestate habet quemadmodum regat domum suam: ita etiam mens in sermonibus nostris habitat, et gubernat verba nostra, et vis ejus ac disciplina in sermone elucet. Ut bonus paterfamilias a primo vestibulo domus æstimatur: ita etiam de sermonibus nostris mens nostra perpenditur. Denique etiam ^f modulis vocis pulsatur et revocatur.

3. Ergo qui vult perfectam purgationem consequi, disjungat se ab his tribus, a corpore, a sensibus corporalibus, a voce, in quibus sunt omnes corporis passionibus, et circumscriptiones sensuum, quibus decipimur et illudimur. In nullo enim horum trium bonum. Non in carne, quamvis Epicuri schola, plerique etiam voluptuarii disrumpantur ^g laudantes corporis delectationem; neque in sensibus, qui sæpe luduntur; neque in sono vocis, quæ falsis plerumque animam demulcet ^h cantibus, est perfectum bonum; hæc enim corruptibilia: quod autem vere bonum, hoc incorruptibile. Manifesta autem fides. Mortuo etenim homine, caro corrumpitur, sensus pereunt, vox amittitur, remanet mens immortalis, incorpoream vitam recipiens. Unde in alteram terram vocatur plenam beatitudine, ubi non falsa pro veris, sicut in hac vita: sed vivam rerum cernat substantiam; eo quod excussa corporis, et sensuum, et vocis nebulosa quadam imagine, corruptibilem caliginem deponat, et revelata facie beatæ vitæ gratiam lustret obtutu.

4. *Benedicam, inquit, te, et faciam te in gentem*

^a Edit. Rom., per circumventionem sensus.

^b Mss. duo, deflexus ad culpam est.

^c Abraham nomen videtur Ambrosius deduxisse a voce Abran, qua transitus significatur: aut potius respexisse ad cap. 14, n. 15, ubi secundum LXX Abraham transitor dicitur. Vide Nobilium in eundem locum.

^d Censione, id est, censura, ac moderatione.

^e Omnes edit., prolatum est verbum. Mss. omnes Gallicani, prolativum est verbum. Idem autem significat prolativum atque extensivum. Vox enim, domus, a simplici significatione ad figuratam et metaphoricam extenditur.

^f Edit., modulum vocis pulsatur et revocatur. Idem mss., modulibus vocis, etc., ubi subintellige passionibus, corpus, ac sensus corporeos, quæ supra memorata sunt, quæque modulibus vocis excitari ac mitigari nemo non experitur.

^g Edit. Am., Era., Gill., laudis corporis delectatione. Rom. vocem, laudis, prætermittit. Nos omnium mss. auctoritati credendum putavimus.

^h Ita mss. supra citati, præter Corb. in quo dicitur, cantibus, est, quod recentiori manu additum est. Edit. vero, demulcet cantibus, est perfectum bonum hoc incorruptibile. Manifesta, etc.

magnam (Gen. xii, 2). Immortalitatem spondet, cum A genus promittit. Genus enim immortale videtur esse, personæ mortales sunt singulorum, ut hominum, ut equorum, ut apum. De quibus ait quidam :

At genus immortale manet.
(Virg. l. iv Georg.)

Tamen multo illud melius quod gentem magnam dixit Ecclesiæ perpetuam posteritatem, et generationem illam supernam, quæ vere magna est, ^a ut peccato moriamur Deo renascimur.

315 CAPUT II.

Post Abrahami exitum, Deus illi tamquam amico loquitur. Idem nobis proponitur ad imitandum; ut mens nostra ejus exemplo reformetur. Quare Lot cum illo egressus; quidve sexagesimo anno significetur. Quo tandem pacto sapiens animam suam possideat.

5. Exiit Abraham quemadmodum locutus est ei Dominus (Gen. xii, 4). Hinc ferunt gentiles septem Sapientum sententiam: Sequere Deum, quasi inventum suum; cum longe anterior, non dico, Abraham, sed Moyses fuerit per quem lex data est, dicens: Post Dominum Deum tuum ambulabis (Deut. xiii, 4). Exiit ergo Abraham in quo ^b non tam perfectio ejus, quam animæ ejus devotio, et mentis libertas exiit de corporis vinculis, de illecebris delectationis. Denique sic habes: Exiit Abraham quemadmodum locutus est illi Deus. Supra habes, Exi, dixisse Deum, in quo apertum imperium jubentis expressum: hic habes quemadmodum locutus est illi Deus. Quasi quidam confabulationis affectus comprehenditur; omnia enim fecit quæ statuta sunt. Ante factum igitur Deus dicit quasi obnoxio, post factum loquitur quasi amico. Amicus est enim Deo, qui facit quæ imperata sunt. Unde et in Evangelio suo dicit Dominus Jesus: Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dico vos servos (Joan. xv, 14 et 15). Sed, ut dixi, processus viri sapientis propositus est nobis ad imitandum, scriptus ad experimentum, non perfectio. Adhuc enim reformat se mens in Abraham, quæ in homine primo lapsa est. Et ideo per gradus et incrementa se colligit.

6. Unde et addidit: Et exiit cum eo Lot (Gen. xii, 4), hoc est, declinatio. Id enim nominis significat interpretatio; eo quod ut viantes incognitam carpendes viam, semitis aliquibus sæpe falluntur, ut a directo deflectant tramite; et tamen si prudentes sunt, non deviant, sed cunctabundi licet, regionis

^a Ita mss. Corb., Long., Colb. et Maz. Sed Valc. et edit. Am. et Gill., et peccato moriamur, ideo renascamur. Era., ut peccato moriamur et Deo renascamur. Rom. demum ac ms. Torn., Itaque peccato moriamur, Deo renascamur. Atqui videtur hic nonnihil aut omissum esse aut corruptum, aut etiam forte transpositum. Confer quæ hoc loco dicit de generis immortalitate cum hujus ipsius libri cap. ultimo, et cognationem non minimam animadvertes.

^b Ms. Corb. et alii tres cum edit. Era. ac Gill., profectio; Am. proevectio; Cod. Long., Maz. et edit. Rom., perfectio. Sed hanc diversitatem non aliunde ortam esse putaverimus, quam e primæ syllabæ

ipsius contuitu viam colligunt: ita et Abraham ^c nutabundus quidem, tamen tramitem veri sequebatur. Ducebatur plerumque falsa specie bonorum, sed non penitus inclinabatur. Perfecti est enim non deflectere, prudentis non penitus declinare. Solus autem ille numquam deflectit, de quo scriptum est: Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel: butyrum et mel manducabit, priusquam sciat aut proferat mala, eligat bonum; quoniam priusquam sciat puer bonum aut malum, non credet malitiæ, ut eligat quod bonum est (Esai. vii, 14). Hoc Abraham facere non poterat, ut prius bona eligeret, quam mala sciret. Sed præceptis inhærebat cœlestibus, ne declinaret a vero (Gen. xii, 4). Ideo etiam septuaginta et quinque annorum describitur B exisse de Charra, quod ^d septuagesimo perfecto remissionis numero sensus is sit qui possit inflecti.

316 Delectationes enim horum sensuum faciunt, ut non semper erecta sit mens nostra, sed aliquando se inflectat; ut non intra cavernas corporis, sed se intra latibula voluptatis abscondat.

7. Tamen etiam in his cuniculis positus ita evasit, ut sumeret uxorem suam, et nepotem, et omnem animam quascumque possederat in Charram. Prudentes enim et continentes virtutis atque animæ possessores sunt, decorem morum mansuetorum eligentes. Qui autem amatores corporis sunt, delectationibus ejus irretiuntur; quia irrationabilium in corporis habitudine omnis virtus est, rationabilium autem in virtutibus animæ ac disciplinis. Propterea C scriptum est (Ibid., 5), quia ^e possidebat animam suam, tamquam liberam regens, et nulli servituti obnoxiam. Hoc ergo habet intentio doctoris; eo quod etiam in illis diverticulis et anfractibus constitutus, vel adhuc ævi recentioris, vel nondum perfectioris disciplinæ, ^f vel loci patentis ad vitia habitavit non ita inflexus ad culpam, ut demigrare non posset. Denique mentem suam ab illa lubrica possessione defendit et transtulit.

CAPUT III.

Perambulat Abraham usque ad Sychem, quæ vox exercitationem denotat. Ibi Deum quem dum esset Chaldæus videre non potuerat, cernit: cui aram quidem exstruit, sed non sacrificat; et qua de causa? Iterum tamen excitata ara nomen Domini invocat.

8. Et perambulavit, inquit, Abraham usque ad locum Sychem, ad quercum altam (Gen. xii, 6). Nonne vi-

abbreviationem, quam alii alio modo interpretati sunt.

^c Mss. Corb., Colb. et Maz., nutabundus.

^d Locus obscurus et forte corruptus: cui tamen lucem aliquam adferre potest Philo lib. de Migr. Abrahæ, ubi tradit quinario numero, quo sensus corporei significantur, perfectionem quæ septuagesimo adumbratur, inflecti ac debilitari.

^e Cum hoc in Scriptura nusquam reperiatur, verisimile est alluisse S. Ambrosium ad Gen. xii, 5, ubi ex superioribus intelligimus eum legisse, et omnem animam quam possidebat.

^f Edit. locum patentem ad vitia, non est ita inflexus, etc. Melius mss. vel loci patentis, etc.

dentur superflua esse, nisi rationem requiras, cum et altitudinem quercus non prætermiserit? Sed ubi ratio est, nihil superfluum. Sychem enim vel Numerus, vel cervix significatur, quod est laboris et exercitationis indicium. Unde et Jacob vir exercitatus filio suo Joseph eam præcipuam dedit. Ergo quia neque sine dote naturæ exercitatio ipsa per se perfectionem conferre potest, et naturæ gratia destituitur, si desit exercitatio (est enim ingeniosi administrum diligentia) inducitur is vir ad cujus imitationem formaris, ad naturæ gratiam adjuncta exercitatione, ita fundatior et excelsior factus, ut usque ad quercum altam pertransiret. Quæ arbor ut alta, ita etiam robusta indicio est non facile animam sancti Abrahamæ sæculi hujus procellis esse curvatam, sed mansisse sublimem; ut^a se a terrenis inquisitionibus ad altitudinem divinæ cognitionis elevaret.

9. Denique continuo apparuit illi Deus (*Gen. xii, 7*). Nusquam superius habes quod visus esset illi Deus. Unde liquet eo referendum, quia quamdiu Chaldæus fuit, hoc est, non solum in regione, sed etiam in opinione Chaldæorum, non poterat Deum videre quem intra mundum quærebat. Chaldæi enim mundum superiorem Deum dicunt, **317** et etiam^b sticorum domo, et stellarum cursu ferri asserunt ea quæ terrena sunt, et quodam vinculo coerceri. Unde et Deos stellas appellaverunt, eo quod eas dominatum quemdam habere supernum credant, quia quædam stellis ad terrena compassio est. Oportuit autem eos æstimare, quia quod compatitur, non imperatorium jus nec dominatum, quasi Deus, possit habere in eis quorum ægrecit compassione; cum sit et ipse mortalis et corruptibilis. Mundus quoque cum sit factus, utique ipse Deus non est, sed operator et conditor ejus. Ergo mens quamdiu Chaldaicis erroribus inflectitur, non videt Deum, quem^c in his quærit quæ videntur, non in his quæ non videntur: quæ autem videntur, temporalia sunt; nam quæ non videntur æterna. Sed non temporalis Deus: non igitur videtur. Non ergo mens ea videt Deum, quæ disciplinam Chaldæorum sequitur. Unde nec Abraham primum videbat. Quomodo autem poterat videre eum, supra quem alterum esse arbitrabatur? Ubi vero ad aliam demigravit non regionem, sed veram religionem paratam humilitati, hoc enim significat

^a Sic mss. sex. At cunctæ edit., *ut se æternis.*

^b Rom. edit. sola, *et erraticarum motu stellarum, et fixarum cursu regi.* Quam quidem lectionem facile crediderimus concinnatam fuisse ex istis libris Philonis de Abrahamo verbis: *κατά τε τὰς ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τῶν ἄλλων πλανητῶν καὶ ἀπλανῶν περιόδους... τὸν κόσμον αὐτὸν ὑπέλαβον εἶναι Θεόν.* Verum licet Ambrosium ad istum locum respexisse non eamus inficias, non possumus tamen ab omnibus scriptis, atque editis codicibus discedere. Horum enim quatuor optimæ notæ hæc præferunt, *ut etiam sticorum domus.* Alii cum antiquis edit.... *sticorum domo.* Et his in loco tam difficili visum est adhaerendum: maxime cum satis verisimile sit non insolitum librariorum esse peccatum: S. vero Doctorem primum græcis characteribus exarasse, *στοιχείων δρόμῳ*, id est, planetarum cursu; *στοιχείων* enim pro

A Chanaan, tunc Deum videre coepit, et eum cognoscere esse Deum cujus invisibili virtute advenit omnia regi et gubernari. Hoc ergo Scriptura docet, quia Abraham a stellarum observatione demigrans Deum vidit.

10. Confirmatio testimonii adjungitur (*Gen. xii, 7*); quia in loco aram Domino ædificavit ei qui sibi apparuit. Impressus est enim typus iste validus in anima ejus, et manifesta fides veritatis: suppetit enim grato viro memoria, ingrato irrepit oblivio. Illi hærent a quibus adjuvatur, isti labuntur omnia quæ conferuntur. Statuit autem aram, sed non sacrificavit. Posset movere, nisi meminisses processus mentis hujus, Scripturæ serie servari. Et ideo spectabat a Deo genus discere sacrificandi. Advertebat enim irrationalis animantis et mutæ pecudis sacrificium dignum divino cultu hostiam non videri. Nondum in Isaac typum cognoverat passionis futuræ, nondum Melchisedech dederat ei benedictionis gratiam, ut ista cognosceret.

11. *Recessit, inquit, inde in montem, contra Orientem Bethel (Ibid., 8).* Incrementum devotionis montis significat eminentia, cujus ascensio indicium est uberioris processus. Contra Orientem ideo, quia propheta tabat venturum justitiæ solem; quod illic Sapientia pararet sibi domum, et inde per virginem suam prædestinaret exortum. Volebat ergo cognoscendorum jam mysteriorum lumen accipere. Sicut enim sole mundus, ita splendore sapientiæ tota mens illuminabitur. Meritoque posuit contra^d Orientem Bethlehem. Domus **318** enim Dei dicitur Bethlehem, in qua natus est Christus. Unde ait per prophetam Deus: *Et tu, Bethlehem, non es minima inter principes Juda; ex te enim exiet princeps, qui regat populum meum (Mich. v, 2).* Non dixit contra Bethlehem, sed tabernaculum ipsum Bethlehem appellavit. Ecclesia enim justorum est tabernaculum. Jam illa quis non miretur mysteria, quod Bethlehem juxta mare Galilææ est ab Oriente. Etenim vel anima quæ meretur templum Dei appellari, vel Ecclesia tunditur sæcularium curarum fluctibus, sed non subruitur: cæditur, sed non labefactatur, commotiones fluctuum et insurrectiones passionum corporalium facilis premere ac mitigare. Spectat aliorum naufragia, ipsa immunis et exsors periculi, parata semper ut illucescat sibi Chri-

D sole ac luna sumi eruditissimus Cangius in Gloss. med. lat., ad verbum, *elementum*, docet. Nec forte absurdum fuerit eandem vocem pro reliquis etiam planetis usurpare; ut æque pateat ac *elementum*, quo vocabulo eisdem planetas significari laudatus Cangius auctor est, quem consule. Sed si lubeat dictionem, *domus*, vel *domo* retinere, id etiam licebit sensu nihil mutato, cum *planetarum domus* sit astrologis usitata locutio. Confer hunc locum cum lib. Hexaem., cap. 4.

^e Ita quatuor mss. melioris notæ. Alii vero et edit., *quem in his quæ videntur, non in his quæ non videntur, esse putant.*

^d Omnes edit. legunt, *Bethel*; mss. vero hic et in sequentibus numquam non habent, *Bethlehem*; quam vocem ex Bethel deducere videtur Ambrosius.

stus, atque ejus illuminatione jucunditatem acquirat sibi. Sicut enim oculi pascuntur primo diei lumine: ita etiam mens nostra afitur inventis sapientiæ, et quibusdam ejus radiis videtur splendescere. Visibilis enim solis radiis terræ vaporantur: invisibiles autem radii cordis nostri penetrant interiores recessus.

12. Iterum ædificavit aram, et invocavit in nomine Domini (Gen. xii, 8). Processus fidei in Domini invocatione significavit. Hoc adjecit superioribus.

CAPUT IV.

Abraham ubi commoratus esset in deserto quo mentis tranquillitas adumbratur, in Ægyptum quæ tentatio est, descendit fame compulsus. Cur ibi Saram sororem appellaverit, non uxorem? Hanc dum Pharaon cum objurgatione marito reddit, mentem continentia renuntiantem signat.

13. Et abiit Abraham, et demoratus est in deserto (Ibid., 9). Tunc probatur mens, quando in quodam deserto est, ubi nulla cupiditatum lascivia, nulla abundantia pecuniæ, nullus sumptus luxuriæ. Utinam in hoc deserto esse possim, destitutus ab omni incentivo cupiditatum, derelictus ab omni delinquendi studio, exspoliatus jactantia et timore. Sed quia vel Deus nos tentari patitur, vel tentator incursat, cum sibi videtur in deserto mens esse quieta ab omni terrenarum voluptatum appetentia, in Ægyptum impellitur, ubi compungi possit. Stimulus enim mentis caro nostra est, et passiones ejus compunctiones sunt nostræ. Ipsa est Ægyptus nostra, hoc est, caro nostra, ipsa est afflictio. In hanc descendit mens nostra, quando cogitat quæ carnalia sunt. Tunc autem ascendit, quando invisibilia desiderat. Ideo et Abraham dicitur descendisse in Ægyptum, ut affligeretur. Patitur hoc mens nostra, interdum separat se a copore, secernit ut singulariter agat, incorporabilibus intendere atque **319** adhærere cupiens. Interdum propter colligationem animæ et corporis inclinatur ad carnales voluptates quibus infirma subicitur, fortior non tenetur. Afflictiones igitur forti viro coronæ sunt, invalido infirmitates sunt. Unde et ille non timebat afflictiones quibus probaretur merito, qui dicit: *Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullamque requiem habuit caro nostra: sed in omnibus sumus afflictati: foris pugna, intus timores* (II Cor. vii, 5).

14. Sed ut descenderet in Ægyptum fames coegit (Gen. xii, 10). Exoritur enim sæva mentis fames, quando appetentia carnis hujus exundat, et expectatæ aquæ salutis adversæ sunt. Redigunt nos in angustias corporis, cum habendi cupiditas irrepit, luxuria suavitate est, cordi jactantia. Tentamur omnes. Inflexitur etiam sobrius animus, descendit

^a Ita mss. omnes. Edit. autem, *luxuriæ suavitate, et cordis jactantia tentantur omnes.*

^b Mss. Corb. ac Long, *grande sobriæ mentis mysterium.*

^c Ita mss. omnes. Am. autem ac Era., *est viri de-*

in Ægyptum, hoc est in afflictionem corporis. Sic tamen descendit, ut quasi advena ad tempus incolere, non quasi civis possidere videatur. Justus enim dixit: *Advena sum in terra hac* (Ps. cxviii, 19). Et alibi: *Heu me, quod incolatus meus prolongatus est* (Ps. cxix, 5).

15. Descendens autem Abraham in Ægyptum (Gen. xii, 11), hoc est, ad feros et barbaros mores, qui virtuti deferre nescirent; ne nocerent per invidiam, dixit Saræ, ne se uxorem ejus diceret, sed sororem appellaret. Et hinc ^b grande virtutis mysterium, cui cito invidetur. Et ideo ut invidiam reprimat, humiliorem se præstare debet. Non sibi principatum super omnes vindicet: non sibi soli sapientiam quasi præcipuam arroget. Hæc est quam sibi Salomon uxorem acquisivit. Uxor enim præcipue ^c est uni debita. Itaque omnes cupiunt tali se copula dignos videri, ut doleant aliquem sibi præferri. Quis tanta solus potiatur pulchritudine? Soror autem quodam vel jure germanitatis, vel nomine plerisque sociatur. Et ideo verum amatorem suum integrum ab injuria reservat.

16. Unde ^e videntes eam Ægyptii (Gen. xii, 15), qui non possent discernere, nec virtutis formam cognoscere, vulgari aestimantes judicio, induxerunt ad tyrannum, hoc est, ad mentem superbam quæ pondus sapientiæ non sustinuit, et ideo afflictata est. Etenim cum animam improbam virtutis intraverit sermo, redarguit eam culpæ, errorisque pudore afficit, et prolapsionis torquet dolore. Namque dum in quodam sumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam insipientiæ mens obducitur, et fumo quodam iniquitatis oculi ejus caligantur; ne videat eorum, quæ concupiscit, deformitatem. Sed cum omnis nebula transierit, et sapientiæ fulgore fulserit, gravia tormenta exercentur in quodam male conscii secretario. Itaque gravior nostra mens iudex est conscientia reatu, et iudicio poenitentia. Quod si vel ægra per culpam, vel invalida per infirmitatem, non potuerit ferre ac perpeti virtutis præsentiam, dimittit eam, atque a se relegat, nec patitur eam volvi in se, et adhærere cogitationibus suis. Et ut infirmiores oculi lucem refugiant, ita mens invalida sapientiæ fulgorem non sustinet. Tales erant Geraseni **320** qui rogabant ut transiret de finibus eorum Dominus Jesus (Matth. viii, 54).

17. Denique et iste rex Ægypti ait ad Abraham: *Quid hoc fecisti mihi? Quare non dixisti mihi, quia uxor tua est? sed dixisti quia soror tua est, et sumpseram mihi uxorem. Et nunc ecce mulier tua ante te, accipe, et recurre hinc* (Gen. xii, 18 et 19). Intueamur animo intemperantem aliquem qui intuitus castitatis gratiam quodam captus ejus decore sequendam putet. Deinde pedissequas ejus nesciens ^d quibus

bita. Vitio procul dubio codicum quibus usi sunt: quod vitium ut Gill. et Rom. edit. emendarent, resposuere, est viro debita.

^d Omnes edit. cum Torn. cod., *quibus colligata incedit.*

comitata incedit, et stipata advenit, sobrietatem scilicet, modestiam ac verecundiam, parcimoniam cibi, fugam lasciviæ, procacitatis, petulantiae, ^a cautionem seriam, sollicitam custodiam, subito aut ebrietatis succensus calore, aut ipsius carnis æstu, aut occursu formæ decentioris nequaquam se teneat, nec legi carnis repugnet; nonne dicit: Putavi rem faciliorem, castimoniam sequi: supra humeros meos, supra vires meas est. Rarus cui ista jungantur. Vale, castitas, recede, recede de finibus sensuum meorum. Recurre cito eo unde huc venisti: non sustineo præsentiam tuam, affligor gravibus quæstionibus, dum tenendam te arbitror, quam tenere non possum.

18. Conversus deinde ad aliquem monitorem sui, qui studuerit in se jus mentem inducere assuetudinem castimoniam, allegans non arduam fore, nec impossibilem, sed pluribus sociam, finitimam studiosis, ^b convenientem voluntariis, Quid hoc, inquit, fecisti mihi? Quare non dixisti mihi quia uxor tua est? Hoc est, quæ non perfunctorie, sed legitimo teneatur conjugio, secum maximam vehat dotem, quæ invehat gravia onera matrimonii, et duræ fenus conjunctionis: sed dixisti sororem, nullis astrictam legibus, et naturæ sociam, non jure aliquo dotalis census superbam ac potentem. Itaque imprudens onerum ejus copulandam eam mihi et tenendam putaveram, sed intellexi quod pondus sit in ea et sarcina. Ecce mulierem tuam, id est, ecce persuasio tua ante te, accipe, et recurre. Nolo ante me sit, nolo in meis cogitationibus. Tolle te hinc cum tuis consiliis, cum tua admonitione, cito tolle, cito recurre, moras tuas non fero, afflictiones sunt mihi: satis est, quod ante deceptus sum. Et misit alumnos suos quibus vagatur plerumque mens intemperantior, volvens animo cogitationes luxuriæ, ambitionis, avaritiæ, et diversas ^c illecebras offendens; ut eliminarent, ac longe propellerent castimoniam, ne recursum faceret in eos fines quibus fuerat expulsa; quo ^d [secura] jam et arbitrii senioris libera, in peccatis suis redargui non formidaret.

321 CAPUT V.

Discedit Abraham ex Ægypto cum Sara uxore, ac suis omnibus, hoc est, veris animæ divitiis. Ejus reditus in Bethel quid significet? Quidve Lot auro et argento dives non dicatur?

19. Discessit itaque Abraham inde habens secum uxorem suam Saram (Gen. XIII, 1), hoc est, principalem, non servientem. Ideo et dicitur illi: Audi Saram uxorem tuam (Gen. XXI, 12). Quæ enim servitio delictorum se exuit, principatum habet, non servi-

^a Vet. edit., *cautionem femineam*. Rom. cum quinque mss., *cautiorem feriam*. Quibus omnibus videtur potior Corb. in quo legas, *cautionem seriam*.

^b Voluntarii hoc loco dicuntur ii, qui non coacte, sed sua sponte atque ex animo ad aliquid feruntur.

^c Omnes edit., *illecebras offerens*; omnes mss., *offendens*.

A tutem. Mens ergo validior principalem virtutem secum habet, hoc est, imperitantem corporis sensibus, non obedientem. Quæ de Ægypto secum omnia retulit, nihil ibi disciplinarum suarum amisit. Non colorata est intemperantia, insolentia, flagitiorum immodestia, non exspoliata est amictum sedulæ sobrietatis, non exuta vestimento pudoris.

20. *Erat dives valde* (Gen. XIII, 2), ut pote cui nihil bonorum deerat, quæ non alieni erat appetens, quæ nullius indigebat, quod suum dici vellet. Hoc est enim esse divitem, habere quod satis voluntati sit. Mensuram enim frugalitas habet, census non habet, cujus modus in arbitrio quærentis est. Erat autem dives pecoribus, argento, et auro. Quid sibi hoc vult? Non mihi videntur in homine justo sæculares divitiæ laudari. Unde in pecoribus corporales sensus intelligo, quia et ipsi irrationabiles sunt; in argento sermonem, in auro mentem. Merito dives erat Abraham, quia regebat sensus irrationabiles. Denique et domuit, et mansuetos fecit, ut fierent rationabiles. Habebat sermonem fidei colore splendendum, purgatum spiritualis gratia disciplinæ: habebat mentem plenam prudentiæ. Et ideo auro comparatur mens bona; quia sicut aurum cæteris præstat metallis, ita mens bona in homine cæteris potior est humanæ substantiæ portionibus. In tribus igitur census sapientis, in sensu, sermone, mente: gradus quidam per ordinem factus, sicut etiam in Apostolo legimus: *Manet autem spes, fides, claritas, tria hæc, major autem his est charitas* (I Cor. XIII, 13). Et mens igitur major est; quia ipsa est quæ molit spiritale frumentum, ut purgationem sensuum, sermonumque proferat. Servatur ubique persona sapientis viri.

21. Denique eo inducitur rediisse Abraham (Gen. XIII, 3), hoc est, in Bethel, unde in Ægyptum descenderat, ut agnoscamus quod etiam justi in domo Dei positi, et verbo Dei intenti tentantur quidem sæcularibus afflictationibus; sed non alienantur a domo Dei, et a custodia præceptorum coelestium. ^d Suis contentos esse finibus, non extolli divitiarum copiis, et rebus secundum gratiam voluptatum fluentibus, hoc esse mentis optimæ: meditari semper principium et finem, eo procedere, et inde ingredi, hoc esse bonum. Bonum **322** autem sapientia est. Nemo enim bonus, nisi unus Deus. Ab eo procedimus, creati per ipsum: ad eum revertimur, quia cum Christo esse multo melius. Et ut scias quia bonum est congruere principium et finem, ipse ait bonus Jesus: *Ego sum A et Ω, principium et finis* (Apoc. I, 8).

22. Mens igitur nostra cum ipso semper sit: ab ejus templo, ab ejus verbo numquam recedat. Semper in lectione Scripturarum sit, meditationibus, oratio-

^d Edit. omnes cum tribus mss., *Si vis contentus esse... hoc scias esse mentis... hoc est bonum*. Sed credibile est locum ita concinnatum esse ab aliquo lectionis, quæ in quatuor antiquioribus mss. præferatur, sensum non assequente. Facile autem illum esset assecutus, si verbum, *agnoscamus*, supra expressum subintelligi animadvertisset.

nibus; ut ^a sermo ejus qui est, semper operetur in A nobis, et ut quotidie procedentes in Ecclesiam, vel domesticis incubantes orationibus; ab ipso incipiamus, et in ipso desinamus. Ita totius hie vitæ nostræ dies, et cursus diei ab se sumat principium, et ipsi desinat. Sicut enim a principio vitæ credere, ^b et initiari Deo, salus est: ita perseverantia usque in finem necessaria est. Est autem mentis optimæ diligentia; ut verbo Dei intenta nihil faciat irrationabile, unde tristitia subeat: ut jugiter actuum suorum bene conscia, lætitiæ bonæ servet conscientiam. Quod enim bonum hoc sine timore et sine tristitia est, id est, securitatis plenum et gratiæ. ^c Possessio enim justi gratum esse Deo: insipientium autem nullus gradus. Ideo Esaias, appropinquante bono, ait: *Fugiet dolor, et tristitia, et gemitus (Esai. xxxv, 10)*. B Joannes quoque in Apocalypsi: *Et ipse, inquit, Deus cum illis erit, et delebit omnem lacrymam de oculis eorum, et mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor ulterius (Apoc. xxi, 3 et 4)*. In resurrectione enim justorum lætitiæ jugis erit et gratia, cum illud bonum cœperit esse cum sanctis suis, quando requiescent in sinu Abrahæ, positi in ejus tabernaculo, quod inter domum vel sermonem Dei et gratiam fixum est: significans innocentiam fidelium agere gratias auctori suo, qui non habent unde eos pœniteat in hoc mundo fuisse.

23. Factis itaque simplicibus Abrahæ magnarum institutionum documenta explicantur. Merito dives, qui etiam disputationes philosophorum divites facit, qui de ejus actu præcepta formarent sua.

24. Ejus ergo divitias Scriptura expresserat: supererat cognoscere utrumnam Lot quoque nepos ejus, et ipse ut pote ejusdem successionis, dives fuerit: sed Scriptura eum pecoris tantum abundantem asserit. Denique sic habet: *Et Lot qui simul ambulabat cum Abram, erant oves et boves, etc., d tabernacula (Gen. xiii, 5)*. Non habebat argentum, quia nondum justus. Etenim argentum ignitum lingua justi. Non habebat aurum, quod habebat ille qui vidit Christi posteriora, de quo scriptum est: *Et posteriora ejus in specie auri (Ps. lxxvii, 14)*. Vidit illum Abraham, sicut testatus est Dominus dicens: *Abraham diem meum vidit, et gavisus est (Joan. viii, 56)*. Et ideo auri speciem habere meruit et possidere.

323 CAPUT VI.

Quo sensu scriptum sit: Et Lot qui ambulabat cum Abram, itemque: non capiebat eos terra. De pastoribus, et rixa inter eos orta, quam sedare conatur Abraham. Idem cum frustra Lot retinere

^a Id est, sermo Dei, quæ locutio ex Philone desumpta est, λόγος τοῦ Θεοῦ: neque fere usquam aliter is Deum vocat quam ὁ Θεός; nempe quia hoc nomine se appellari Moysi dixerat ipsemet Deus, Exod. 3. 14.

^b Mss. Torn., Valc. atque edit., et imitari salus est; Maz., et imitari Deo salus est; Colb. omittit, et initiari. Sed veram lectionem Corb. et Long. restituere.

tentasset, illum cum bona gratia dimittit. De imperitiâ ac insolentia Lot in eligendo; deque Sodomitarum peccatis.

25. Nunc illud nequaquam prætereundum arbitrator, quod videtur etiam doctiores movisse; quæ ratione sic scriptum sit: *Et Lot qui ambulabat cum Abram (Gen. xiii, 5)*; quasi alter esset Lot qui non ambulabat cum eo, secundum quod accepimus. Et putant plerique non solvi quæstionem. Ergo ut illis satisfaciamus, et a regula Scripturæ non recedamus, unam personam dicimus, duo negotia, quod in uno eodemque viro duæ res significantur: numero unus est, officio duplex. Declinatio enim dicitur Lot, sicut habet Latina interpretatio. Declinat autem quisque aut bonum aut malum. Cum ergo Lot declinaret malum, hoc est, errorem, flagitium, crimen, jungebatur patruo: cum declinaret bonum, hoc est, justum, innocentem, sanctum, religiosum, sociabatur flagitio. Bene ergo dixit: *Et Lot qui ambulabat cum Abram*; quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum auctoribus. Postea enim cœpit habitare in Sodomis. Ideoque quasi a seipso mutatus, velut alter accipitur; non solum a justo viro, sed a seipso desciscens.

26. Denique quia studio jam deflecti cœperat a patruo, *Non capiebat eos terra (Gen. xiii, 6)*. Nulla enim spatia possunt satis esse discordibus: quietis et pacificis etiam angusta abundant: dissonis moribus etiam spatiosa arctantur. Et quia a principio dixi (*supra, c. i hujus libri*) mentem hie formari hominis, quæ a principio imperfecta fuerat, sed per incrementa et gradus quosdam proficit, ideo ait: *Non capiebat eos terra*: hoc est, una anima motus diversos non recipiebat naturaliter sibi repugnantes. Potest tamen fieri ut interdum non omnia in uno eodemque perfecta sint; possit tamen aliqua vitia sua operire, vel motus suos temperare: si aut plura bona sint quibus pauciora vitia operiat: aut repentinam commotionem consilio maturiore reflectat. Verum si ex utraque parte plura concurrant dissona ac repugnantia, habitatio discrepantium virtutum ac passionum in una anima solvatur necesse est. Figure ergo animam secundum physiologos terram appellavit. Nam et Salomon ait: *Tamquam agricultura homo imprudens (Prov. xxiv)*; quæ si fecunda sit opimis segetum fructibus, abscondere potest spinas: sin vero spinæ concurrant aristis, secandi nulla est copia.

27. Qui igitur pastores sint (*Gen. xiii, 7*), et quorum animantium, et quæ rixa inter pastores Abrahæ et inter pastores Lot consideremus. Pastores sunt

^c Sic mss: Corb., Long., Colb. et Maz. Alii vero, et cunctæ edit., *Possessio enim justi grata est Deo*: quod hic non ita bene apteque quadrare patebit consideranti.

^d Rom edit., et armenta. Cæteræ, ac omnes mss., et tabernacula. Utrumque defendi potest ex LXX: nam in quibusdam illorum codicibus legitur καὶ κτήνη, in aliis, καὶ σκηνὰι.

magistri gregum, vel diligentes et sobrii, non sistentes A agrorum culta obteri pedis vestigio, atque aduri sentibus: vel negligentes et remissi, qui non revo-cent pecus suam, quo herbosa et **324** non fructuosa pascatur, sed libere vagari per varios agri fructus sinant. Istorum ergo pastorum solers custodia necessaria est; ne forte ascribatur diligentibus, quod evertit negligentium incuria. Sed quia non sermo de visibilibus, ideo cujus pecoris pastores sint prius consideremus. Pastores hos definire possumus. *Pastores*, inquit, *jumentorum* (*Gen. xiii, 7*). Jumenta autem sensus corporis irrationabiles significari accepimus. Qui sunt ergo pastores sensuum, nisi præceptores, et quasi quidam rectores gregum, duces eorum, vel monitores alicujus sermonis, vel mentis nostræ cogitationes? Qui si pastoralis disciplinæ B gnari et tenaces sunt, non permittunt longius sensuum gregem vagari, et inutilibus aut noxiis inhærere pabulis: ^a sed provido ductore revocant, et frenos rationis admovent, atque obsistunt renitentibus. Mali autem præceptores, vel inutilis disceptationis, permittunt eos impetu suo ferri, et in præruptum ac periculum ruere, et culta obterere, fructuosa depasci; ut si qui sunt in eadem anima virtutum hujusmodi fructus, eos quoque dissipent. Hinc ergo cogitationum nostrarum discordia. Cum caro repugnat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, non mediocris pugna est, quando ipse Apostolus vas electionis dominicæ dicit: *Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quod est in membris meis* (*Rom. vii, 25*). Sedare hanc pugnam ipse nequiverat, et ideo ad Christum confugit dicens: *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Ibid., 24*)? Hoc est, ne delectationibus carnis adhæream. Quis igitur est qui his me solvat vinculis, ^b et liberum societ Deo, sensusque ad sobrietatem animæ magis detorqueat, quam ad corporis temulentiam? Sed quia inter homines tantum non potuit rectorem invenire, conversus ad Deum: *Gratia*, inquit, *Dei per Jesum Christum Dominum* (*Ibid., 25*). Si fortior suis non commisit viribus, quod corpus mortis evaderet, sed auxilium quæsit a Christo; quid nos facere oportet infirmiores? Hanc pugnam gravem esse cognovit Abraham, et ideo in principio cavendum putavit. Sapienti enim pacis est studium, imprudenti D amica jurgia.

28. *Non sit*, inquit, *rixa inter me et inter te, et pastores meos et pastores tuos; quia homines nos fratres sumus* (*Gen. xiii, 8*). Patruum legimus Abraham, et Lot ejus nepotem; quomodo eum fratrem appellat? Sed adverte quia causas concordie sapiens adhibet. Unde præmisit, *Homines nos sumus*. Omnes autem homines unius naturæ partus sunt, intra ejus con-

^a Edit. et pauci mss., sed provido ductore.

^b Ita mss. Corb., Long., Colb. et Maz. Alii vero, ac edit., et liberum faciat, sensusque, etc. Torn., et liberum societ, sensusque.

^c Mss. Corb., Valc. et Torn. prima manu, cujus irrationabile cognatos, etc.; Colb. et Maz., cujus ir-

cepti viscera, et uno foci atque effusi utero. Unde nobis jure quodam germanitatis velut fratres connectimur ab uno patre conditi, et una matre tamquam fratres uterini editi. Et ideo cum simus rationabilis naturæ soboles, tamquam uterini nos diligere debemus amore mutuo, non impugnare ac persequi. Multo autem verius ad unam animam refertur; ^c cujus rationabile cognatos habet, ut supra diximus (*Cap. 1 hujus libri*), sensus irrationabiles: quod autem rationabile, virtutum habet copulam. Unde fraternæ **325** quadam sibi copulantur necessitudine vitia virtutesque hominis; quia illa carnalis istæ rationabilis animæ sunt. Caro autem atque anima veluti quadam lege sociantur conjugii, ex quibus homo constat. Homo igitur velut portiones suas scederare debet, atque ad pacem cogere. Sed quia nemo erat tantus qui carnem vinceret; ideo, *Venit pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem macerie solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum edictis evacuans, ut duos conderet in semetipso, in uno novo homine faciens pacem, ut conciliaret utrosque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso* (*Ephes. ii, 14 et seq.*). Recte igitur se ut hominem infelicem dixit Apostolus (*Rom. vii, 24*), qui tantum bellum intra se pateretur, quod non ^d possit restinguere. Denique cum de una portiuncula passionum, hoc est iracundia, diceret Salomon: *Melior est, inquit, sapiens forti: qui autem iracundiam continet, melior est quam qui urbem capit* (*Prov. xvi, 32*). Beatus igitur qui hoc bellum evaserit etiam non C advena et peregrinus, sed civis sanctorum et domesticus Dei, quem in terris positum terrena non quatiant.

29. Hunc affectum servare cupiebat Abraham. Itaque ut vir pacificus ait primo: *Non sit rixa inter me et inter te*. Inde ait: *Et inter pastores meos, et pastores tuos*. Tertium posuit: *Ecce*, inquit, *tota terra ante te*, hoc est, si non potest convenire, cedo omnibus, totum cape, si de loco aut possessione dissensio est. Quod si moribus non convenit, discede a me. Quanta ante præmisit, ne cogere discedere? Sed etiam hoc virtutis ac disciplinæ est. Dixit enim ante nos vir ex Philosophiæ profectus disciplina, quatuor hæc bono viro inesse: Ut elaboret primum ut omnes sibi amicos faciat: secundum, ut si non potest amicos facere, certe nec inimicos: tertium, ut si nec istud suppetit, ex sententia discedat: quartum, si quis cedentem persequatur, vindicet se, ut potest. Sed illa tria superiora in Abraham non sermonibus nudis, sed vires operibus agnoscimus.

30. Quartum autem non ita est, quando etiam circa cedentem servavit affectum parentis; ut eum non solum non persequeretur, sed etiam captum erueret ac liberaret. Denique Apostolus cum tria illa doceat, *rationabile virtutum habet copulam*. Sed aliorum atque edit. genuinam lectionem esse tum collectio subjecta satis docet, nimirum: *Unde fraternæ quadam, etc.*, tum etiam locus i cap. qui ad marginem indicatur.

^d Amerb., Eras. et quidam mss., possit restringere.

quartum præceptis suis solvit, quod addiderat Philosophia. Ait enim cum pacificum populum Dei informare vellet: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (Rom. xii, 18): deinde si hoc non potest, certe, nec discordias, nec inimicitias. Ideoque addidit: *Non vos vindicantes, charissimi* (Ibid., 19), in quo et tertium illud excluditur, ut vindicare nos nequaquam velimus: *Sed date locum iræ*. Habes et quartum, ut discedas magis, et vindictam Deo committas, quam tibi exigas; quamquam et hoc secundum legem magis dictum voluit videri. Nam secundum Evangelium supra habes: *Benedicite eos qui vos persequuntur* (Matth. v, 44). Habemus hæc præcepta ad Timotheum in secunda epistola: *Propter quam causam, inquit, admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum* **326** *mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis* (II Tim. i, 6 et 7). Et iterum: *Tu autem, fili charissime, fortitudinem cape in gratia* (II Tim. ii, 1). Habes ergo primæ præceptum sententiæ ut erga omnes gratiam locet: deinde si non potest præceptis suis omnes acquirere, caveat ne verbis aliquos exasperet, hoc est, ne inimicos faciat. Unde ait infra: *Hæc commoneo, testificans coram Deo, noli verbis contendere, in nihil utile, nisi ad subversionem audientium* (Ibid., 14). Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Pulchre post pauca subiecit, et causam præstitit, quam Philosophia non vidit: *Cum modestia, inquit, corrigentem eos qui resistunt, ne quando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem* (Ibid., 25). Ad tertium quoque illud, ut discedamus ab eis cum quibus nobis convenire non potest, habes additum, cum præcepit ut loquatur quæ decent sanam doctrinam, deinde pugnas legis declinet, hoc est, primum gratiam seminet, deinde nullo litigando avertat: tertium est ut hæreticum hominem post unam correptionem devitet; quia subversus est qui hujusmodi est, et delinquit, cum sit a semetipso damnatus (Tit. iii, 10 et 11). Quam argute suo judicio damnatum nostræ ultioni subtrahit, quasi indignum in quem vindicetur! David autem evidenter studium vindictæ amovet dicens: *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (Psal. vii, 5).

51. Ergo mens viri sapientis ejusdem animæ vel lapsus, vel irrationabiles motus studet corrigere, sibi que conjungere. Potest enim fieri ut quæ interdum displicent, emendentur cum gratiâ. Effusio patrimonii si recidatur, habet liberalitatem sine dispendio. Verecundia interdum remissior est; si confirmetur, habet et pudoris gratiam, et propositi constantiam. Commotio si temperetur, indignationis horrorem de-

^a Videtur hic aliqua transpositio esse, et quod tertium dicit dicendum potius quartum; et contra. Sed in hoc nihil nos mss. juvare possunt.

^b Omnes edit. ac mss. Torn. et Vale., non exasperat. Intemperantia reprehendit ardorem libidinis, quam conjugio coerceat. Reliqui mss. ut in textu; nisi quod prima manu Corb. legebat, non exasperet intemperantiam: deprehendit ardorem libidinis, conjugio coerceat. Quæ lectio forte aliis duabus anteponenda.

A ponit, assumit laudem vigoris. Quod si emendare non potest, non exasperet intemperantia. Deprehendit ardorem libidinis quam conjugio coerceat, nedum quæritur continentia, obrepat impudicitia. Ideoque bonorum magister: *Dico, inquit, non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. Quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri* (I Cor. vii, 8). Sunt aliquæ mulieres immaturo destitutæ maritorum obitu, et se continere nequeunt. *Volo, inquit, juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario* (I Tim. v, 14). Quod si aliquæ deliciæ delectant, et luxuriari in Christo volunt, viduitatis affectantes gloriam, germanitatem autem non custodientes, eas devitandas judicat, ut habes scriptum: *Adolescentiores viduas devita* (Ibid., 11).

52. Recte igitur Abraham cum bona venia voluit nepotem dimittere, quem deflectentem a se tenere non poterat. Sic et mens bona a præcipiti et dimerso irrationabilium lapsu secernat se ac separet. *Si tu, inquit, in sinistram, ego in dexteram: vel si tu in dexteram, ego in sinistram* (Gen. xiii, 9), hoc est, quæ tibi in dextera sunt, mihi in sinistra sunt: et quæ tibi in sinistra, mihi in dextera sunt. Viro enim Imprudenti in dextera sunt, quæ sunt **327** corporis: ea præfert, ea constituit in meliorem partem, divitias quoque et honores præponit: at vero immortalitatis adipiscendæ gratiam ad sinistram habet, quæ sapienti ad dexteram est. Longitudo enim vitæ in dextera ejus. Omnesque animæ virtutes insipiens vir in sinistram eiecit: prudens autem vir has sibi ad dexteram locat; quæ autem corporis, in sinistram.

53. *Et levavit, inquit, Lot oculos, et aspexit omnem regionem Jordanis* (Gen. xiii, 10). Deflectentibus a vero amica jactantia est. Denique ut Abraham humilior, qui electionem obtulit: ita Lot insolentius, qui electionem usurpavit. Virtus se humiliat, extollit autem se iniquitas: qui se debuit committere maturiori, ut esset tutior. Denique eligere nescivit. Nam primo levavit oculos, et aspexit regionem, hoc est, illam rem quæ non esset prima ordine, sed tertia, hoc est novissima. Prima sunt enim quæ sunt animæ bona: secunda, quæ corporis, id est, salus, virtus, pulchritudo, formæ gratia: tertia sunt, quæ accidunt, hoc est, divitiæ, potestates, patria, amici, gloria. Regio igitur tertio loco ponitur; est enim res habitationis.

54. Vidit igitur regionem quæ irrigabatur, priusquam everteret Deus Sodomam et Gomorrhæm, sicut paradisus Dei, et terra Ægypti, usque dum venias Zoithopa (Ibid.). In quo nisi diligenter intendis, num-

^c Mss. unus aut alter, gravitatem autem, etc.; melius alii ac edit., germanitatem, hoc est, veritatem et sinceritatem.

^d Ita quinque mss. Edit. autem, et diverso rationabilium lapsu.

^e Rom. edit. donec veniatur in Segor. Ita etiam Vulg. ubi LXX legunt εως ελθειν εις Ζογορα. Sed a mss. et ant. edit. recedere non iunt animi.

quid in ea errasse eum dicere potes, quod elegit vicina Jordanis, et ea quæ irrigabantur sicut paradysus Dei? Non utique secundum litteram. Sed cum Jordanis descensio dicatur, descendit qui deseruit virtutis consortium, et speciem elegit, non veritatem. Paradysus perfectæ beatitudinis amœnitas est, vel animæ fructuosæ fundamenta, in qua sapientiæ sint, justitiæ cæterarumque virtutum plantaria. Terra autem Ægypti corporalem substantiam significat, cujus plantaria sunt sensus, et passiones corporis. Sicut enim vireta virtutum fontem habent Christum, et spiritualis ubertatem gratiæ, quo exuberent: ita intemperantia fons quidam est passionum corporalium, quo aluntur superflua.

35. Pulchre autem ait Scriptura (*Gen. xiii, 11*): *elegit sibi Lot*, hoc est, declinatio; quia posuit Deus ante nos bonum et malum, ut unusquisque eligat quod velit. Non eligamus ergo quod specie videatur jucundius, sed quod veritate præstet; ne cum sit nobis tributa optio ut sequamur potiora, levemus oculos inflexi falso amœnitas decore: veritatem autem naturæ velut deflexis obtutibus obumbremus.

36. Quod autem homines in Sodomis sævi erant, (*Ibid.*, 13), et peccatores in conspectu Domini valde, non mediocris hic est œconomia, ut advertas mitem Deum gravi peccatorum moveri acerbitate ad ulciscendum, nec immerito non potuisse exorare Abraham Sodomitanis veniam, quia supra modum flagitiosi erant. Plerique sunt quo nequiores, eo tectiores, qui hominum subterfugiunt indaginem, ubi res sine arbitro geruntur, aut falso testimonio justus circumvenitur. Manet tamen ante Deum justus, etiamsi condemnetur **328** ab hominibus; quia Deus non judiciorum exitus, nec cum intextis nequitiae commentis negotia, sed nudam spectat negotiorum naturam. In examine autem hominum falsæ opinionis error plerumque obducit vim veritatis. Manebat apud Deum Susanna pudica valde, etiam cum damnaretur adulterii; quia Deus non assertionibus falsorum testium facti examinabat fidem: sed intimæ conscientiam mentis interrogabat.

CAPUT VII.

Ex verbis Domini ad Abraham philosophos hoc suum dogma: Omnia esse sapientis, hausisse, atque inibi quæ possessio Abraham divinitus sit promissa? Quinque reges, nempe corporis sensus, a quatuor, hoc est, corporalibus illecebris devincuntur: at Sodomorum equitatum idem patriarcha in Christi nomine pugnans revocat, vitia scilicet refrænat ac errores.

37. Sequitur locus quo evidentem docemur quantum mens^a superfluis portionis irrationabilis exhaustis proficiat, et quantum vitia vitiis adjuncta mali afferant. Non enim otiose Scriptura posuit: *Et dixit Deus ad Abraham, postquam recessit Lot ab illo: Respice oculis tuis et vide a loco in quo nunc tu es, ad Africam, et Aquilonem, et Orientem, et mare; quia omnem terram quantum vides, tibi dabo eam, et semi-*

^a Sic mss. Corb., Long., Colb. et Maz. Edit. vero cum Torn. et Vale., *superfluis portionibus et irrationabili-*

ni tuo in æternum (*Gen. xiii, 14 et 15*). Hinc tamquam a fonte hauserunt Stoici philosophi dogmatis sui sententiam: omnia sapientis esse (*Diogen. Laer., lib. vii, in Vita Zenonis*). Oriens enim et Occidens, Septentrio, et Meridies portiones sunt universitatis. His enim totus mundus includitur. Hæc cum promisit Deus daturum se Abraham, quid aliud declarat, nisi sapienti et fideli præsto omnia, deesse nihil? Unde et Salomon in Proverbiis ait: *ejus qui fidelis sit, totus mundus divitiarum* (*Prov. xvii, 6*). Quanto prior Salomon quam Zenon Stoicorum magister, atque auctor sectæ ipsius! Quanto prior quam ipse pater philosophiæ Plato, vel ejus inventor nominis Pythagoras! quis autem fidelis, nisi sapiens? Stultus enim sicut luna immutatur: sapiens autem immobilis fide permanet.

38. Sed forte dicas: Quomodo sapientis totus mundus est? Quoniam ipsa natura dat illi sortem omnium, etiamsi ipse nihil possideat. Domina est enim et possessor omnium sapientia, quæ sua putat naturæ munera; quoniam in usum hominum data sunt, nec ullis indiget, etiam si desint ei ad victum necessaria. Namque ut musicus organa, aut medicus medicamenta, aut nauclerus quæ ad navis instrumentum necessaria sunt, etiamsi quando non habeat; habet tamen eo ipso quo possit his uti, etiamsi ad tempus usus eorum non suppetat: quanto magis sapiens suum judicat quidquid naturæ est, qui vivit secundum naturam! Non enim amittit jus suum, qui meminit se ad imaginem Dei factum, et ad homines a Domino Deo dictum: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et dominamini in eam, et imperate piscibus maris, et volatilibus cæli, et omnibus pecoribus et omnibus serpentibus qui super terram* (*Gen. i, 28*). Et novit quia sapientia omnium mater est, et ipsa orbem terrarum possidet. Denique Salomon qui sapientiam poposcit et accepit a Domino Deo nostro: *Ipsa mihi, inquit, dedit eorum quæ sunt scientiam veram; ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutem elementorum, initium et consummationem et medietatem omnium rerum, et divisiones temporum, et anni cursus, et stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias herbarum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt*^b *abscondita et improvisa* (*Sap. vii. 17 et seq.*).

^D Sed hæc nulli nisi perfecto suppetunt.

39. Denique Abraham quamdiu adhærebat ei Lot, hoc est, deflexio morum, sortem horum non acceperat. Ubi vero deflexionis ambiguo quodam atque anfractu absolutus, rectas virtutum semitas continuis animæ suæ gressibus cœpit carpere, in omnem terram possessor mittitur, atque dicitur ei: *Surge, et perambula terram in longitudinem et in latitudinem; quia tibi dabo eam, et semini tuo in æternum* (*Gen. xiii, 17*). Ergo qui sapientiam meruerit, et non fuerit ancillæ filius, non peccati servus, non successioni carnis obnoxius; sed liberæ, id est, Saræ illius non servientis, sed *bus exhaustis.*

^b Rom. edit., *abscondita et perspicua.*

principantis, bonæ stirpis, bonæ indolis, perfectæ titulo virtutis hæreditatem acquireret universitatis. Dicitur ergo Abraham: *Surge*. Non corporalem resurrectionem significat, sed spiritalem, hoc est, *Surge qui dormis* (*Ephes. v, 14*), surge a terrenis, surge a corporalibus, relinque terrena, cælum aspice; *et exsurge a mortuis*, hoc est opinionibus vanis, et disputationibus Chaldæorum. Intuere mundum, intuere etiam illum qui potest totum donare mundum. In possessionem, inquit, tibi dabo mundum, quem Deum ante credebas.

40. *Perambula terram in longitudinem ejus et latitudinem*. Utique intra momentum terram istam Persarum interclusam imperiis, ab Indiæ quoque littoribus ad Herculis, ut aiunt, columnas, vel Britanniæ extrema confinia, non potuit perambulare. Et potuit quasi indevotus videri, qui cœlesti oraculo non obedisset, si obeundæ hujus terræ mandatum accepisset: sed cum sit ejus devotio probata; quia ad quercum tantummodo Mambre transtulerat tabernaculum (*Ibidem, 18*), utique terram, hoc est, virtutem possumus perfectam intelligere, quæ bonos fructus daret, et fecundas inventiones, cogitationumque primitias, meritorum vindemiam, frumento, vino et oleo repleret interiorem domum, terram resurrectionis quam promisit patribus nostris fluentem lac et mel (*Exod. iii, 17*), suavitatem vitæ, jucunditatis gratiam, splendorem gloriæ, cujus hæres primus factus est primogenitus a mortuis Dei Filius Jesus Christus. Et ideo non seminibus dixit, sed semini (*Galat. iii, 16*); ut declararet illum, qui hanc hæreditatem humano generi primus acquireret.

41. Cognovimus bonæ mentis profectum, quæ a vitio lubricæ deflexionis exurgens^a quæsiuit **330** statim præmium sapientiæ, hæreditatem justitiæ. Quantum autem noceant levitati vitia adjuncta, docet sequentium series lectionum. Nam illi quatuor reges qui de quinque regibus triumphaverunt, et adduxerunt equitatum Sodomorum totum, coeperunt etiam Lot filium fratris Abraham, et discesserunt. Quinque reges (*Gen. xiv, 1 et seq.*) quinque sensus corporis nostri sunt, visus, odoratus, gustus, tactus, auditus: quatuor reges, illecebræ corporales atque mundanæ sunt; quoniam et caro hominis, et mundus quatuor constat elementis. Merito reges dicuntur, quia habet suum culpa dominatum, habet regnum grande. Unde Apostolus ait: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom. vi, 12*). Sensus igitur nostri facile corporalibus delectationibus et sæcularibus cedunt, et quadam eorum potestate capiuntur. Corporales enim delectationes et illecebras hujus sæculi non vincit, nisi mens quæ fuerit spiritalis, adhærens Deo, et se totam a terrenis separans. Deflexio omnis his capi-

Sic mss. omnes. At edit. nulla excepta: *Quæsiuit statum primum sapientiæ*.

^b Hæc verba, *et percussit eos, et persecutus est*, quæ in mss. ac priscis edit. desunt, restituit edit. Rom., non male. Neque enim aliunde factum putamus, ut omitterentur; nisi quia scriptor compendio uti vo-

atur. Unde Joannes ait: *Væ habitantibus in terra* (*Apoc. viii, 13*). Non utique omnes homines comprehendit, qui tunc vitæ hujus cursum conficerent (sunt enim et in terris positi quorum conversatio in cœlis est), sed eos quos terrenæ conversationis affectus, ac hujus sæculi vicerit gratia. Ergo non habitatores, sed accolæ sumus terræ hujus. Accola enim temporalis diversorii spem gerit: habitator autem spem omnem atque usum suæ illic substantiæ locare videtur, ubi habitandum putaverit. Itaque qui est terræ accola, habitator cœli est: qui autem habitator terræ, possessor est mortis.

42. *Numeravit Abram trecentos decem et octo vernaculos suos*,^b *et percussit eos, et persecutus est usque Choba, quæ est ad dextram Damasci* (*Gen. xiv, 14 et 15*). Et numerus vitalis est. In ipso enim vita, si credamus in passione in nomine Domini Jesu. Nam hæc est nominis interpretatio hujus; quod diximus Choba (*Lib. i de Abraham, c. 2*), id est vita. Ipsa ad dextram Damasci pulchre esse dicitur. Agni enim ad dexteram, hædi ad sinistram. Scit exercitata mens quos ad prælium consummandum sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus ducat vexillis. Non^c aquilarum præfert imagines, nec dracones: sed in cruce Christi, et in Jesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis. Merito ergo mens exercitata, quæ recepit veram sapientiam justivi. Justitia autem solers correptionis est, ac arguendo revocat peccatores, et stringit passionum impetus.

43. Ideo dicit Scriptura, quia *revocavit omnem equitatum Sodomorum*, hoc est, habenas tenuit, frenationis imposuit, revocavit culpam, stravit errorem. Equus enim stare nescit, velox ad impetum, cervicem exaltans suam, hinniens ad libidinem. Quid tam simile peccati? Fervet enim primo culpa impetu et omnem recti cogitationem prævenit, motuque immaturo exsilit, ut eam difficile ratio revocare possit. Fertur in præceps, et ascensorem suum projicit in mare istud hujus sæculi, cervice tumida recusans jugum correptionis. **331** Est specialis quædam forma libidinis, quæ vocem mutet hominis, verba amantis corrumpat,^d suisque se prodat sermonibus. Denique ad Judam per Jeremiam dicit Dominus Deus: *Nunc videbitur ignominia tua, et adulterium tuum, et hinnitus, et alienatio fornicationis tuæ supra colles* (*Jerem. xiii, 25 et 26*). Hunc justus revocavit equitatum: mores quoque declinantis convertit, et ad se vocavit, ut imitatores sui fierent, qui deflexerant; quia sensus nostri ad disciplinam mentis recurrunt.

44. Substantiam quoque recepit. Non patrimonium utique significat, sed vitalem animæ substantiam, in qua sit pretiosus census, non stipula, non fenum; in qua fidelis sit alloquii splendor, in qua nostræ censens indicasset cætera supplenda usque ad vocem Choba.

^c Apud Romanos legionis signum erat aquila, draco cohortis. Veget. lib. xi, c. 13.

^d Mss. sex. Gall. cum Am., *suisque se probat* (Long. *probet*) *sermonibus*. Verum quam proclive sit calamo inter voces, *prodat* et *probat* errare nemo non videt.

sus subsistat spei. Hæc est enim vera nostra substantia, quæ est sapientiæ dives copiis, hæc immortalis substantia: corporis autem, vel accidentium diurnus magis quam diuturnus usus. Unde quidam recte non putant patrimonii dici substantiam. Non enim subsistimus in eo, cum et illis quibus desit pecunia, vitæ tamen non desit substantia.

CAPUT VIII.

Discit mens nostra in Melchisedech devotionem erga Dei cultum, in rege Sodomorum tentationem etiam postquam victa sit, adhuc metuendam, in Abrahamo contagium intemperantiæ declinandum. Quare huic merces tantum post victoriam promittatur; isque posteritatis curam præferat? Ad extremum eodem Abrahamo ab aruspiciæ superstitionibus defenso, sacrificii ab ipso oblati multiplex interpretatio subjungitur.

45. De Melchisedech in tractatu morali plene diximus (*Lib. 1 de Abraham, c. 3*), in quo et mysterium nequaquam præteritum ac prætermissum est. Hoc loco autem satis est illud admonere solum, quod mens plena prudentiæ justitiæque devotior sit erga Dei cultum, et decimas^a terræ gignentia in fructibus, juxta altiore prudentiam in eo solvat; ut perfectionem omnium sensuum atque operum suorum Deo deferat, nihil sibi arroget, quæ se regere non potest, divino nisi favore fulta sit. Denique ubi se vicisse putat, tentatur atque incessitur. Hoc exprimit et docet lectio, quia semper adversum passiones corporis mens nostra tamquam in excubiis debet prætere. Quid enim est quod ait: *Rex, inquit, Sodomorum exivit obviam Abræ, et dixit: Da mihi homines, equos autem sume tibi (Gen. xiv, 21)*; nisi quod post has luxuriæ victorias vis quædam libidinis potest rationabili mentis subrepere, ut infundat ei irrationabiles passiones?

46. Sed perfectæ mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere, abstinere a terrenis. Ideo Abraham dicit: *Nihil sumam ab omnibus tuis (Ib., 25)*. Quasi contagium declinat **332** intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum, delectationes mundi rejicit, quærens quæ supra mundum sunt, hoc est, extendere manus ad Dominum. Manus operaria virtus est animæ. Hanc non ad terrenæ arboris pomum, sed ad Dominum extendit: *Qui fecit, inquit, cælum et terram (Ibid.)*, hoc est, intelligibilem et visibilem substantiam. Intelligibilis enim *oðta* cælum est: visibilis vel sensibilis substantia terra est. Ergo significat quod virtutem animæ

suæ ad superiora extendat; ut ex illa intelligibili substantia theoreticæ vitæ induat altitudinem, spectans non illa quæ videntur, sed quæ non videntur, hoc est, non terrena, non corporalia, non præsentia, sed incorporalia, æterna, cœlestia: de ista autem visibili substantia operatoriæ atque civilis disciplinæ capessat gratiam.

47. Subtexuit his oraculum Domini dicentis: *Noli timere, Abram, ego protegā te, merces tua multa erit valde (Gen. xv, 1)*. Quæro cur post belli eventum? Spondendæ mercedis locus nunc erat. Minus enim mirabile faceret, si secutus promissum Dei esset hostem adorsus. Victoriæ securus processerat ad triumphum magis invitatus, quam promptus ad gloriam, vel ad ulciscendum pietatis dolorem paratus. **B** Propositum piæ mentis mercedem non expetit, sed pro mercede habet boni facti conscientiam, et justis operis affectum. Angustæ mentes invitentur promissis, erigantur speratis mercedibus: bona mens quæ sine responsi cœlestis syngrapha certamen arripuit, geminæ laudis fructum acquirit sibi; ut et confidentissimæ fortitudinis, et plenissimæ devotionis gratiam locet. Quod de sancto Abraham æstimari convenit; ^b quia et divinum favorem non despici se justis duxit doloribus, et hostem perculit despectu periculi, quod gloriose sibi pro ultione pietatis subeundum putavit. Dei quoque in eo prædicatur justitia, qui remunerationem piis mentibus non ex necessitate promissi, sed ex æquitatis suæ contemplatione largitur, judicans dignum fore quod hi qui militant sine aliqua mercedis humanæ remuneratione repositum habeant præmium in ejus bonitate, cui devovendas animas suas æstimaverint. Simul quia adoræis bellicis ex usu ipsius victoriæ, aut hominum gratia paratum est præmium; pietatis autem, et parcimoniæ, puritatis, cæterarumque velut privatarum virtutum a Deo solvitur. Quæ manifesta sunt hominibus, ipsi remunerantur. Non omnia autem manifesta, sed alia manifesta, alia incerta, et maxime occulta cordis. Unde et ille ait: *Incerta et occulta cordis manifestasti mihi (Ps. L, 8)*, quorum spectator et scrutator Deus est. Non ergo magnam mercedem promississet Abraham, nisi puram animam ab omni contagione delictorum judicasset.

48. Sanctæ tamen et propheticæ mentis cura major posteritatis perpetuæ est. Partus enim sapientiæ **333** et fidei hæreditatem desiderat. Ideo ait: *Quid mihi dabis? Ego autem dimittor sine filiis (Gen. xv, 2)*. Ecclesiæ sobolem desiderabat, eam successionem petebat quæ non esset servilis, sed libera: non secundum carnem, sed secundum gratiam. Ideoque hujus-

^a Rom. edit., *terræ gignentium*. Aliæ ac mss. omnes, *terræ gignentia*. Est autem ibi ellipsis dictionum, quæ sunt, vel scilicet. Vox etiam, *gignentia*, passive sumitur pro genitis, quemadmodum vehens dicitur a probatis auctoribus is qui vehitur.

^b Nullam hoc loco differentiam mss. vel edit. præ se ferunt, nisi quod ubi omnes edit. et plerique mss. habent, *justis erroribus*, Corb. legit, *justis doloribus*. Magis commode, cum de dolore quo patriarcha ob

fratris filium captum atque abductum affectus erat, hic agatur. Atqui videtur ulcus aliquod in aliis verbis delitescere; neque enim aptum sensum hinc elicias, si *despici se*, in *despexisse*, aut *divinum favorem*, in *divino favore*, non mutaveris.

^c Constante in Bibliis legitur, *incerta et occulta sapientiæ tuæ*. Tamen ante Ambrosium Origenes hunc locum laudavit ut in textu. Videsis Philocæliæ cap. 48.

modi responsum divinum resultavit, ^a quo edoctus A
 audivit : *Respice in cœlum, et numera stellas, si potes
 numerare. Et dixit, sic erit semen tuum. Et credidit
 Abram Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (Gen. xv,
 6). Quid credidit? Hoc est, non solum multitudinem
 populorum in Christum credentium, sed etiam cœ-
 lestis gratiæ splendorem, et resurrectionem vitæ im-
 mortalis soboli Ecclesiæ deferendam. Quid est au-
 tem quod ait : *Eduxit eum foras* (Ibid.)? Tamquam
 foras educitur propheta, ut exeat fores corporis, et
 angustias carnis operientis, ac Spiritus sancti infusio-
 nem, et velut quamdam descensionem videat. Opor-
 tet nos quoque exire ex his diversorii nostri angus-
 tiis, mundare animæ nostræ locum ab omni inquinam-
 ento, projicere sordes malevolentiae, si volumus
 spiritum recipere sapientiæ; quia in malevolam ani-
 mam non introibit sapientia. Credidit autem Abra-
 ham, non auri, non argenti illectus testimonio : sed
 quia corde credidit ad justitiam. In quo probatum est
 ejus meritum, in eo persolutum est præmium.

49. Denique statim fidei ejus testimonium Domi-
 nus dedit dicens : *Ego sum Dominus Deus tuus qui
 eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram hanc,
 ut hæres esses ejus* (Gen. xv, 7). Et quia deposuerat
 Abraham studium Chaldæorum, quærit nunc : *Quo-
 modo, inquit, intelligam quia hæres ejus sum* (Ibidem,
 8)? Hoc est, jam divinationes magorum repudiavi,
 doce me quomodo sciam me futurum terræ ejus hæ-
 redem. Qui quærit quomodo sciat, non dubitat, ma-
 nifestante Deo, cognoscere se posse : sed formam
 vult acquirendæ cognitionis advertere. Nam et in
 Evangelio Maria cum audisset ab angelo quia virgo
 paritura esset filium, respondit : *Quomodo fiet istud
 quoniam virum non cognovi* (Luc. i, 34)? Et jure re-
 spondit, hoc est : Cum id quod naturæ est, non sup-
 petat, quia non solet parere quæ viro non fuerat co-
 pulata, quæro quomodo præter instituta naturæ pos-
 sim virgo generare?

50. *Dixit autem illi Dominus Deus : Sume mihi vi-
 tulum trimum, et capram trimam, et arietem trimum,
 et turturem, et columbam* (Gen. xv, 9). Præteriremi
 hujusmodi interpretationem sacrificii, nisi quibus-
 dam scrupulum hinc nasci adverterem, eo quod
 aruspiciæ quædam scribi videatur solemnitas; quod
 post immolationem divisa sunt animalia, et contra
 faciem alterutrum posita, et consedit illis Abraham. D
 Sed si vim interrogationis præmissæ et futuræ re-
 sponsionis consideremus, advertere poterimus spei

^a Mss. Torn., Valc. et ant. edit., *quo electus audi-
 vit. Rom., quod electus audivit. Mss. Corb., Long.,
 Colb. et Maz., quo edoctus, etc.*

^b Desunt in mss. aliquot, ac in edit. omnibus, hæc
 verba, *dixerunt vitulam*. Quod autem ad græcas vo-
 ces, eas Am. ex mss. quo propius potuit, imitatus
 est : verum cum illæ ut pote vitiosæ Era. displi-
 cuissent, ipse aliam originationem commentus est
 in hunc modum. Græci *δάμαλον ἀπὸ τοῦ δαμάσθαι
 λίαν, eo quod dometur nimis*. Quam phrasin etsi mu-
 tilam sequentes edit. amplexæ sunt. Nos vero locum
 in codice Corb. et aliis nonnullis scrupulosius inspi-
 cientes, lectionem nostram eliciimus. Porro *domari*

nostræ et fidei 334 convenire hujus sacrificii di-
 sciplinam. Vitulus enim aratorum animal est, de-
 ditum terreno labori. Capra ad aquarum similitudi-
 nem per ænigmata figuratur, eo quod *αἷξ* græce *πάρε-
 τὸ αἶσσειν* nomen acceperit, ab eo quod est impetu
 ferri. Sic enim currit sicut et aqua. Possumus vel
 de fluviorum sono, cursu, vel maris violentis æsti-
 mare fluctibus. Aeri autem comparatur aries, quia
 omnibus animantibus utilius hoc animal generi esse
 humano reperitur; quandoquidem et vestis nobis
 usum exhibet, sicut aer hujus spiritus vitalem nobis
 ministrat substantiam. Unde et hunc ordinem factum
 puto, ut prius diceret : Sume mihi vitulum et capram,
 et tertio loco diceret arietem; eo quod prima illa,
 hoc est, vitulus et capra terris et mari materialibus
 B comparentur elementis, et quia feminea dicantur :
 at vero aries masculinum quoddam animal est, vehe-
 mens natura, et violentum cornibus. Similiter autem
 aeris hujus spiritus vitalis est, ut masculus auctor et
 causa gignentium, movens terrarum genitalia, et vel-
 ut quadam se miscens copula. Aliud ergo ad terram,
 aliud ad mare, aliud ad aerem vitalem mystice figu-
 ratur horum trium animantium genus.

51. Hæc traditio naturalis est : sed moralis etiam
 concurret et suppetit. In omnibus enim hominibus caro,
 sensus, et verbum est. Caro nostra vitula est : labo-
 rat, ut serat; laborat, ut colligat; laborat, ut pariat; in-
 numeris fatigatur laboribus. Unde et Græci ^b *δάμαλον*
 dixerunt vitulam *ἀπὸ τοῦ δαμάσθαι μὲν αὐτήν*; eo quod
 dometur injuriis. Masculorum boum labore, aratro, et
 C jugo fungitur, femineos partus repræsentat cum multo
 ubere. Caro quoque nostra vitæ istius subjugatur ne-
 cessitatibus, crebris quatitur doloribus, et multarum
 ærumnarum quodam curvata partu senescit. Jam illud
 quis ignorat, quod vehementior sit virtus animæ, cui
 velut nupta adhæret in istius vitæ cursu corporalis sub-
 stantia? Sensus autem nostri caprarum modo velut saltu
 quodam exsiliunt, et pascuntur præruptioribus, impetu
 suo ipsi commotiones excitantes animæ, et concu-
 tientes eam. Ad omnem occasionem præsto sunt,
 vel occursu femineæ pulchritudinis, vel odore suavi-
 tatis alicujus. Auditum pariter et tactum moventur velo-
 citer, quibus etiam animæ inflectunt constantiam, et
 velut a natura sui alienant eam. Unde et plerique ^c
^d *ἀφορμήν* dictam putant, quia *ὄρμη* impetus dicitur;
 D eo quod ex quodam impetu sensuum, inflexionis at-
 que alienationis nostræ causa, nascatur. Feminei au-
 tem sexus speciem habet, ^d ut etiam sensus nostri

injuriis hic non videtur aliud significare, quam domari
 labore ac verberibus.

^e Cum dictio hæc mendose in quibusdam mss. et
 primis operum Ambr. edit. legeretur, Era. reposuit
 ex conjectura *ὄρμητικὴν*. Atqui mss. melioris notæ
 satis aperte præferunt *ἀφορμήν*, hoc est, sine im-
 petu, id enim in spiritalibus ea vox significat, cum
 eadem contrarium sonet in corporalibus. Erit igitur
 sensus animam ideo impetus ac motus ex natura sua
 vacuum dici, quod non in ipsa, sed in corpore eo-
 rundem motuum fons et origo resideat.

^d Am. cum aliquot mss., *et etiam sensus nostri ec-
 tasis græce, etc.* Quod quidem Era. emendavit, et

αισθήσεις græce dicuntur femineo vocabulo. Effeta-
rum modo animantum cito vacuantur, ubi partus suæ
generationis, delectationisque effuderint, et iterum

335 excitatis cupiditatibus novos referunt impetus.

52. In ariete vero verbi ac sermonis nostri habe-
tur similitudo, quod sit vehemens, sicut et sermo
noster efficax operationis, et quadam ornatus nostri
et tegminis causa sit. Aries per usum vestium ordine
quodam gregem ducens, sicut ordo quidam vitæ
ususque nostri verbo explicatur. Arbitror autem
quod illud verbum magis intelligere debeamus, quod
est Verbum Dei, cum quo aries iste habere videatur
non mediocrem cognationem. Quod Verbum nos vere
tegmine velleris sui vestivit, et in domum introduxit
æternæ salutis. *Qui se pro nobis immolandum obtulit,
qui tamquam ovis ad victimam ductus est, et sicut aries
coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum
(Esai. LIII, 7).* Ex quo ordinem quemdam substantiæ
habemus et sacræ redemptionis, quod per ipsum
conditi ac redempti sumus. Duplex igitur causa per
Verbum naturalis et moralis: naturalis qua condidit,
moralis qua redemit. Philosophia quoque geminam
speciem sui constituit in verbo, naturalem et mora-
lem. Rationabilis enim utriusque portio est. Natu-
ralem secundum mundi creationem, quam verbo
assignat: moralem secundum justitiam, et æqualita-
tem vivendi, cujus vita et ratio de verbo.

53. Qua causa cum ^a dies quadraginta compleren-
tur ex Mariæ virginis partu, tulerunt Dominum ne-
strum Jesum in Jerusalem, ut offerrent Domino se-
cundum legem, et ut darent hostiam par turturum,
aut duos pullos columbarum (*Luc. II, 22 et seq.*); eo
quod in columba spiritalis gratia sit, in turture in-
corruptæ generationis natura, vel immaculati corpo-
ris castimonia. Merito ergo ad sacrificium jubentur
post arietem turtur et columba sumi ut verbo adhæ-
rere intelligas incorruptam castimoniam, et spirita-
lem gratiam. Et hoc ipso quidem quod aves posuit,
intelligere possumus cœlestium meritorum volatus.
Sunt enim volucres cœli quæ veniunt et habitant in
ramis ejus arboris quæ de grano sinapis surrexerit,
cui cœlorum regnum comparatur (*Matth. XIII, 32*).
Et Ezechiel apertos sibi cœlos dicit, et vidisse inter
alia etiam rotam unam super terram conjunctam
animalibus quatuor (*Ezech. I, 15*). Et infra: *Audie-
bam, inquit, vocem alarum eorum, sicut vocem aqua-
rum multarum, et vocem sublimis Dei; et cum irent,
ut vox verbi, sicut vocem castrorum (Ibid., 24).*

reliquæ postea edit. reposita voce *αισθήσεις*, quæ in
melioribus mss. reperitur. Tamen in his nonnulla
verborum diversitas est; sic enim isti, *ut etiam sen-
sus nostri manet, αισθήσεις*, etc.; ubi certe subintelli-
gendum videtur *species feminea*. Rursus ubi cunctæ
edit. legunt, *effetarum modo animarum*, melius legi-
tur in cunctis mss. *animantum*.

^a Ms. Corb., *cum dies octo complerentur*, etc.

^b Mss. Corb., Long., Colb., Maz., dictionem,
avem, restituunt; cum in aliis, atque in omnibus edit.
omittatur.

^c Desiderabantur in edit. quæ sequuntur inter
duos uncinos comprehensa; legebaturque locus hoc

54. Unde quidam ad libros philosophiæ derivarunt,
eo quod ipsum cœlum volucris simile sit. Denique
Plato currum volucris dixit esse cœlum, ex eo quod
propheta dixerat: *Cum irent animalia, ibant et rotæ
conjunctæ illis; et cum elevarent se animalia a terra,
elevabantur rotæ (Ibid., 21)*. Sed propheta non cœ-
lum ipsum ^b avem dixit, sed aves esse in cœlo. De-
nique et David ait: *Cœli enarrant gloriam Dei (Psal.
xviii, 1)*, hoc est, potestates cœlestes; velut cum
spectatur pulchrum elementum, prædicatur operator.
Animam autem describit propheta, cujus motus sunt
quatuor velut equi, *λογιστικόν, θυμητικόν, ἐπιθυμητι-
κόν, διορατικόν*. Hæc **336** animalia quatuor, id est,
homo *λογιστικόν*, leo *θυμητικόν*, vitulus *ἐπιθυμητικόν*,
aquila *διορατικόν*. Ideo ratio præmissa est, ut reliqua
B rationem sequantur. Ideo cum homine a dextris est
leo, id est, cum ratione commotio a dextris est. Ista
animalia quando elevantur, elevantur etiam rotæ.
Rota autem vita est super terram, qua vivimus. Si
animæ nostræ motus quatuor elevantur, elevatur et
vita nostra. Ideoque addidit: *Quoniam spiritus vitæ,
inquit, erat in rotis (Ezech. I, 20)*. Anima ergo ma-
gis currus est, quæ ait in Canticis canticorum: *Pos-
uisti me currus Aminadab (Cant. vi, 11)*, id est, Do-
mini nostri. Non ergo philosophiæ traditioni descri-
ptio concurrens prophetica. Denique vocem alarum
audisse se dicit propheta. Istæ alæ virtutes sunt
quæ ^c maximo et duplici plausu prudentiæ, fortitu-
dinis, temperantiæ, justitiæ suavem decorem, vitæ
cantilenam resultant. Plato autem dulces quosdam
C sonitus siderum mutuavit spheræ cœlestis generari
conversione, famam magis et pompam, quam veri-
tatem secutus. Nam licet Origenes quoque noster,
hoc est, ecclesiastico vir officio deditus, planetarum
stellarum quamdam inenarrabilem motu harmoniam
esse suavissimi illius soni cœlestis asserat, tamen
etiam ipsum plurimum indulgere philosophorum tra-
ditioni pleraque ejus scripta testantur; quod eo
scripsi, ut et ab aruspiciæ et a philosophiæ tradi-
tione sacrificii istius interpretationem secernerem.
Velint alii doctrinam probare suam, ego juxta Apo-
stolum timidus malo, quam doctus videri, qui ait:
*Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam et ina-
nem seductionem secundum traditionem hominum, se-
cundum elementum hujus mundi, et non secundum*

D *Christum (Coloss. II, 8)*.

55. Quod autem ait: *Divisit Abraham corpora, et
consedit illis (Genes. xv, 11)*, ne quis extispicium

modo: *Virtutes sunt quæ de te poscuntur*. Sed omissa
primus exhibuit Gill. in variis lectionibus ad calcem
suæ edit., auctoritate duorum codicum antiquissimæ
manus, scilicet Dionysiani ac Sorbonici. Nos vero
eadem in textum restituimus, freti mss. Corb.,
Long., Colb. et Maz., quorum primus 800 annos
æquat, aut superat. Et quidem Ambrosiana esse mi-
nime negabit, qui stylum, materiæ cognationem at-
que ordinem diligentius introspererit. His adde quod
nonnulla citantur a Bart. Urbinatæ in Milleloquio
Ambrosiano ad vocem, *cœlum*: unde colligas hoc
fragmenti in Italiæ quoque mss. quibus usus est, ex-
stitisse.

utet, aruspiciâ verba esse non nego; sic enim A audio : sed divisionem corporum quadrupedum, cum actio factam astruat, non factam avium; utique si inspectio fuisset istorum, etiam avium facta esset divisio, ut fieret inspectio. Quid si fidei nostræ hoc convenit? Et ideo quod supra aruspiciam verbi nominis dat traditio requiramus. Diximus supra quia in titula terram accipimus, in capra aquam, in ariete erem, quod ipso nomine colligitur, quod trima ad sacrificium sumi jubentur; quia terra ipsa inter tres dividitur species sui; aut enim continens, aut insula, aut peninsula est: aqua ipsa in tria, quia aut mare est, aut fluvii, aut lacus; nam fontes, aut putei privata negotia nequaquam digna divisione generali et publica; putei latent, fontes aliis originem præstant. Aer quoque habet divisiones temporum veris, æstatis, autumnii, hiberni; et hæc mundana divisio est. Quo hoc proficiat? Ut cognoscamus Deum esse hominum auctorem moderatoremque omnium, qui omni-um ordinem rebus dederit, et ea divisione distincterit, ut his colligas posse tibi Deum conferre quæ te postulas, et quæ spondet implere.

337 56. Itaque Abraham quia promittenti Domino erræ hæreditatem responderat: *Unde cognoscam quia pateres ero terræ hujus* (Gen. xv, 8), per illas species hostiarum informatur, ut credat Deum esse supra mundum, qui universa quæ mundi sunt provida distinctione diviserit: sed ea quæ sunt divisa resolvi postea, ea autem quæ non sunt divisa (aves enim, hoc est, turturem et columbam non divisit) numquam resolvi; fides enim manet integra, quæ columbæ honore in sublime subrigitur, lustrans superna, et spiritalibus alarum remigiis cœlum circumvolans. Turturi quoque mens illa confertur, quæ avis usu stius secretis alitur, intelligibilem illam et indivisam quærens Trinitatis substantiam, refugiens plebem quamdam creaturarum et corporeæ se non misceat congregationi, atque ab omni passionum turbe secernens. Hoc sacrificium de te postitur. Qui tales offert hostias, fidem et castimoniam mentis, simplicitatis gratiam, charitatis et pacis affectum, ipse se beatæ illius terræ agnoscit hæredem: sicut etiam Dominus apertius in Evangelio declaravit dicens: *a Beati pacifici, quoniam ipsi possidebunt terram* (Matth. v, 4).

57. Accipe aliam divisionem. Caro quoque nostra ipsa Dei ordinatione divisa habet membra omnia. Duo oculi sunt, binæ aures, duæ genæ, nares divisæ, dentium geminatus ordo, ubera, scapulæ, manus, latera, femora, genua, crura, pedes; nonne bina omnia, ut subnixâ geminatis subsidiis omnia nostra habere videantur officia? Anima etiam divisionem partium patitur portionum. Nam διορατικὸν, hoc est, ^b

^a Ita mss. Corb., Long., Colb. et Maz. alii vero, priscæ edit., *Beati pacifici, quoniam ipsi Deum videbunt, vel quoniam ipsi possidebunt terram*. A quibus omnibus discedens Rom., habet ut Vulgata, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, vel beati spiritus, quoniam ipsi possidebunt terram*.

^b Superiora, supple, animæ, cujus ideo partes su-

superiora, quæsi oculi quidam contrarii, rationabile est et irrationabile. Rationabile ipsum dividitur circa mentem et sermonem. Sensibile ejus in auditum et visum, quibus vitæ hujus cumulatur gratia. Nam odor et gustus vitalis usus videntur necessarium præbere ministerium. Nares jugi flatu aspirationem recipiendo vitalem, continuato quodam substantiam hominis cibo pascunt. Gustus autem potu epulisque generatur. Quintus vero sensus, hoc est, tactus, velut admixtus est illis quatuor. Odor et gustus quædam magis alimenta sunt corporis, quibus hujus carnis militia subsistit. Visus vero et auditus mentem adjuvant. Hæc sunt divisiones quæ secundum carnem nostram animamque a summo operatore divisæ sunt.

58. Unde oportet nos colligere quia etiam iste mundus velut per membra quædam gemina, et tamquam ἀντιπρόσωπα distributus est: terra in montes et in campos; ut sunt partes nostri corporis elatiores aliæ, aliæ planiores. Eminent scapulæ, et pedum superiora, vel manuum: latera vero et inferiora cervicis, velut ^c valles trita et concava. Quod et de vola manus intelligere licet. Nam in ipso calcaneo pedis eminere alia, media autem sinuata esse quis dubitat? Aqua in mari salsa, in flumine dulcis, vel in fontibus. Est aer hiberno frigidus, veris mensibus temperatus, calidus æstate. Ergo ista divisit operator. Mentem autem nostram, quæ modo avium, virtutum **338** diversarum et vigoris sui vecta remigiis, super cœlum evolat, non divisit; quia Trinitati adheret dividenti omnia, soli indivisæ. Unde philosophi superiores mundi hujus substantiam quam æthera vocant, non ex cæterorum elementorum volunt admixtione constare: sed splendidam, et multo refulgentem lumine, quæ non terræ sordidum, nec aquarum humidum, nec aeris nebulosum, nec ignis ipsius rutilum quidquam recipiat, ex quinta quadam οὐσία esse asserunt, et velut volucrum mundi hujus mentem velociorem purioremque esse cæteris partibus. Nam aliæ mixtæ sibi et concretæ sunt. Nos autem nihil materialis compositionis immune atque alienum putamus, præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam, quæ vere pura ac simplex sinceræ impermixtæque naturæ est: quamvis aliqui putent de illa quinta οὐσία lucem esse clariorem, de qua dixerit David quod Deus sit circumdatus lucem sicut vestimentum (Ps. ciii, 2). Et Apostolus scripserit de ipso omnipotente Deo, quod *solus habeat immortalitatem, et lucem habitet inaccessibilem* (I Tim. vi, 16).

59. Qua autem ratione dixerit quod aves descenderint supra divisa corpora vitulæ, capræ, atque arietis (Gen. xv, 11), non facile reperio, nisi quod omnia terrena, maritima, atque ipsa aëria plena

periores esse dicit, facultatem cogitandi ac ratiocinandi, et facultatem sentiendi; quia his passiones, sive facultates irascendi et concupiscendi inferiores sunt, ac minus necessariae. Sub διορατικῷ vero id quod λογιστικὸν dixerat, hoc loco comprehenditur.

^c Edit. omnes, *valles terræ et concava*, contra mss. omnium auctoritatem.

sunt insidiarum ac perturbationum. Videntur enim aves istæ cibi causa descendisse supra corpora. Naturaliter autem violentiores potioresque viribus super infirmiores irruunt, et quasi mortuis corporibus incumbunt, ex improvise frequentius irruentes: vel, quod verius puto, quia princeps mundi hujus, et volucres cœli, spiritualium nequitiae quæ sunt in cœlestibus, eos qui mundana sollicitudine curaque divisi sunt, gravi motu incessant, et velut cadavera mortuorum dilacerent dente aspero. De his enim dictum est: *Relinque mortuos sepelire mortuos suos* (Luc. ix, 60); quia sunt de regno diaboli qui in seipsum divisus est. Qui autem sunt de regno Dei, quibus dicit Jesus: *Regnum Dei intra vos est* (Luc. xvii, 21), hi non sunt divisi, quia adhærent Deo; *quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus est: Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino unus spiritus est* (I Cor. vi, 16 et 17). Isti ergo non sunt mortua corpora; ut volucres cœli comedant eos, sed sunt spiritus; facit enim Deus angelos suos spiritus. Denique supra columbam et turtorem non descenderunt, quia divisæ istæ aves non erant. Non sunt enim divisi justi quibus dicitur, ut sint simplices sicut columbæ (Matth. x, 16). Ideoque dicit David, quia et *passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi reponat pullos suos* (Ps. lxxxiii, 4). Hæc spectabat Abraham, hæc profundo et spirituali considerabat intuitu.

60. Ideoque scriptum est: *Consedit illis Abram* (Gen. xv, 12), non quasi aruspiciæ, sed quasi cœlestis revelationis interpres, signa divinæ operationis explorans. Mens enim directa ad Christi gratiam videbat hunc mundum plenum esse iniquitatis, quæ velut a summo cœli volaret, et opprimeret infirmos terræ: pudicitiam autem, fidem, sinceritatem nullis esse obnoxias passionibus: **339** avaritiam vero, et sollicitudines sæculi quibus suffocantur qui habent voluptates divitiarum, dilacerari ac dividi. ^a Unde et divitiæ dictæ sunt curæ et cogitationes mundi hujus (Matth. xiii, 22); quod mentem dividant, atque in diversum scindant, et in partes trahant, nec sinant incorruptam esse et integram. Vir ergo pacificæ mentis considerabat, et considerabat quatenus prohibere cominus posset ea mala, quæ hominibus invehuntur; mens enim sapientis viri ac justi mederi studet humanis casibus, et prohibere ac resecare animarum nostrarum labores.

CAPUT IX.

Quare ceciderit excessus ac timor super Abraham; quidve redditum eidem oraculum de suæ posteritatis peregrinatione et servitute in Ægypto, de morte propria, deque liberatione posteritatis ejusdem si-

^a Am. atque Era., *Unde et divisæ dictæ sunt, quod, etc.* Gill., *Unde et divitiæ dictæ sunt curæ, quod, etc.* Rom. omittit, *curæ*. Videntur autem hic significare Ambrosium vocem, *divitiæ*, a verbo, *divido*, voluisse deductam, cum minime obscurum sit virum sanctum alludere ad locum e parabola seminum, quem notavimus. Nostram autem lectionem constituunt non

gnificet? Quo denique visio flammæ atque fornæ pertineat?

61. Denique quam hoc Abraham spirituali et prophetico affectu fecerit sequentia docent. Nam *occasu excessus cecidit super eum: et ecce timor ignis et tenebrosus incubuit super eum* (Gen. xv, 12). Excessus prophetis fieri solet, sicut habes Prophetam dixisse: *Ego dixi in excessu meo, omnis mendax* (Ps. cxv, 2). Excedit enim mens prophetae velut fines quosdam humanæ prudentiæ, quando completur Deo. Et ante evacuat se cogitationibus disceptationibus sæculi hujus; ut adveniendi gratia spirituali puram se et exinanitam præbeat, superveniat in eam Spiritus sanctus magna se vi infundat ita ut mens hominis subito turbetur. Denique Angelus venit ad Mariam, et cum sedulitate et gravitate venit; et tamen Maria mota est in introitu eius. Unde Angelus ait ad eam: *Ne timeas, Maria, inisti enim gratiam apud Deum: et ecce concipies in utero, et paries filium* (Luc. i, 30 et 31). Cognoscitur ergo quia quando venit gratia Dei super prophetam mentem, subito irruit, et inde incubuisse et cecidisse super prophetas Spiritum sanctum legimus; et excessum patitur, et turbatur, et timet, et quibusdam ignorantiae et imprudentiæ tenebris offunditur sicut et in Actibus Apostolorum legimus (Act. ix, 17) quia circumfulsit super Saulum de cœlo, et cecidit et horrore animi turbatus est, et audivit vocem cœlo dicentem: *Saule, Saule, quid me persequeris* (Ibid.)? Desinit enim videre sæcularia, qui incipit audire divina. Unde et timorem Abrahæ et tenebras mirari non debes, quasi præter virtutem aut meritum ejus acciderint, cum prophetarum consuetudinem congruere advertas, ^b quando adjuncta, ut cogitant futura.

62. Continuo autem dictum habes ad eum: *Sciendo scies quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et servitio opprimentur, et nocebunt et humiliabunt eos annis quadringentis* (Gen. xv, 13). Merito tenebrosus **340** horror et magnus factus quia magna oracula deferebantur, cum de populo colorum dabatur præceptum. Quomodo tam facile pere istud mens humana poterat, maxime quæ adhibebatur, ut in hac peregrinaretur terra? Non est tam quæ futura erant declarabantur, quam præstare debantur quæ facienda nobis forent: *Peregrinum erit semen tuum*; sive quia omnes homines peregrini esse debeamus in hac terra, omnium enim pater est Abraham: sive quia verum semen Abrahæ peregrinaretur in hoc mundo. Illud enim verum semen est, de quo dictum est: *In Isaac semen tuum* (Gen. xxi, 12). Denique qui se Abraham heredem agnoscebat ait: *Advena ego sum in*

modo sex mss. quos consulimus; sed etiam, etc. Gill. in variis lectionibus Sorb. exemplar, et Di. vetustissimum; quæ in istis bibliothecis jam non inveniuntur.

^b Omnes edit. cum tribus mss., *quando cognoscant futura*. Mss. quinque, *quando adjuncta*, etc. Subintelligendum, *sunt timor et tenebræ*, etc.

terra et peregrinus, sicut omnes patres mei (Ps. xxxviii, 15). Qui enim peregrinus hic fuerit, civis in cœlo est; qui autem in hac terra omnem animæ suæ substantiam constituendam putaverit, hæreditatemque hujus terræ^a acquirendam exultaverit, a Dei regno excludetur. Unde Apostolus ad fideles viros, et cives Hierusalem illius quæ in cœlo est, et Ecclesiæ filios dicit: *Ergo jam non estis advenæ atque peregrini: sed estis cives sanctorum, et domestici Dei* (Ephes. ii, 19). Non ergo hæc terra nostra est, de qua potest princeps mundi hujus dicere ostendens omnia regna orbis terræ: *Tibi dabo potestatem hanc, si procidens adoraveris me* (Matth. iv, 8): erunt omnia tua quæ sibi alieni vindicant, et servitio opprimunt populum Dei; ut servis ejus nocere, et humiliare conentur sanctos Dei. Denique ipse Filius Dei nihil sibi ex hoc mundo vindicandum putavit, unde ait: *Venit mundi hujus princeps, et in me inveniet nihil* (Joan. xiv, 30). Diversi ergo Domini in servitute nos volunt tenere, incessat diabolus, infestant angeli ejus, passiones motusque corporis velut domestici atque intestini hostes inquietant. Foris pugnæ, intus timores: foris pugnæ, intus cupiditates. Aliena est enim interni corporis substantia puritati cordis; et ideo impugnat, vel certe repugnat. Bellum ergo quotidianum est, et intra castra eadem grave prælium, donec Deus misericors diabolum atque ministros ejus judicet, passiones restinguat, ac subiciat^b menti sedulæ, exquirat animas nostras de omnibus offensionis, et periculi nostri auctoribus, qui ait: *Sanguinem animarum vestrarum exquiram de manibus omnium bestiarum* (Gen. ix, 5). Et Joannes vidit et dixit: *Quia mors et infernus missi sunt in stagnum ignis* (Apoc. xx, 15).

63. Itaque exhibunt justis, ut nihil de suo dimittant in hac terra; ne spolia eorum resideant apud incolas et possessores istius terræ.^c Qui etiam sic abibunt de terra Ægypti ista, ut vasa quæ sumpserunt ab Ægyptiis mutuo (Exod. xii, 35 et 36), vel aurea, inquit, vel argentea quibus ad tempus uterentur, secum auferant, et deprædentur Ægyptiis. Hæc vasa acceperunt voluntate Domini, et secum ea auferunt, quia resurrectionis filii sunt, quibus dicitur: **341** *Non peribit capillus de capite vestro* (Luc. xxi, 18). Vasa hæc Ægyptii dederunt, quæ de terra afflictionis

sunt assumpta. Et sunt alia aurea, alia argentea, quia omnis creatura Dei bona, et maxime hominis in terris præstantissima, quam honoravit Deus, ut inspiraret in faciem ejus spiritum vitæ, et omnibus præficeret animantibus. Hæc illa sunt vasa de quibus dicit Apostolus: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus* (I Cor. iv, 7). Hæc est vestis Ægyptiorum qua vestitur anima nostra; ut locupletior hinc recedat, et quo hic vehementer laborabat, liberetur. Non solum enim omnis creatura ingemiscit, et parturit, sed etiam nos; donec veniat redemptio corporis nostri. Habet Dominus curam operis sui, habet naturæ promptæ in plerisque^d ad rationem ac benevolentiam. Neque enim excidi et perire patimur arbores, quarum circa primos fructus nobis fetura prorumpit, si posteriore ætate eas aut ventus decutiat,^e aut sol adurat, aut sufficienda et subministranda virtute siccitatibus deficiat substantia: sed melioribus auris differimus examinandas. Et ideo Dominus Deus noster bonæ voluntatis remunerator, etiam^f primæ feturæ atque indolis contemplationem habens omne colligi patitur animæ nostræ patrimonium et reservari, futuri adventus illud probaturus temperie.

64. Memor itaque sui munæris quod immortale voluit esse æquis, sed si culpa non obrepisset et gravis, quæ fecit ut non expediret homines & diu vivere, ait ad Abraham: *Tu autem ibis ad parentes tuos cum pace, nutritus in senectute bona* (Gen. xv, 15). Patitur nos discedere ex hoc sæculo, ut secessionem animæ hoc corpus resolvatur in terram suam, et fiat finis peccati: deinde per resurrectionem reformetur divinæ liberalitatis gratia. Ideoque dicit ad Abraham: *Tu ibis ad patres tuos*. Nonnulli putaverunt patres esse elementa, ex quibus constat carō nostra dum vivimus, et in quæ resolvimur. Sed nos qui meminimus matrem nobis esse Hierusalem, quæ sursum est, quæ libera est, quæ est mater omnium nostrum, sicut dicit Apostolus (Galat. iv, 26), illos asserimus patres qui vitæ merito et ordine præcesserunt. Erat illic Abel pia victima, erat pius et sanctus Enoch, erat Noe, ad eos promittitur Abraham transitus. Transit enim qui de hac vita recedens ad vitam demigrat alteram, qua vivit mens sapientis et justis viri qui nutritus est in pace. Nam insipiens in

^a Rom. edit., *acquirendam sibi existimaverit*. Aliæ D omnes cum mss. omnibus, ... *exultaverit*. Hic autem sensus esse potest, exultaverit quod sibi acquirenda sit, etc.

^b Rom. edit. sola, *menti sedulæ; Et gentem, cui servient, judicabo ego, dicit Dominus. Exquirat, etc.* Item post aliquot lineas, *in stagnum ignis. Post hæc vero revertentur huc cum suppellectili multa. Itaque, etc.*

^c Edit. omnes cum tribus mss., *Quæ etiamsi abibunt de terra ista vasa, etc.* Mendose. Nos quatuor mss. auctoritate locum correptionem damus.

^d Ita cuncti mss. et vet. edit. præter quam quod ubi nostri *ad rationem*, Vat. cum edit. legit, *ad orationem*. Subintellige utrobique, *curam*, post verbum *habet*. At edit. Rom. ita præ se fert, *habet naturæ propriæ in plerisque rationem, etc.*

^e Hanc lectionem quæ trium mss. ac edit. omnium est, eo retinemus quod alia non occurrat emendatior. Etenim mss. Corb., Long., Colb. et Maz. sic habent, *ut sol adurat: sed melioribus... examinandas; ut sufficienda et subministranda virtute siccitatibus deficiat vestris, animæ deficiat substantia*; Colb. ac Maz. loco primi, *deficiat*, legunt, *desiccet*. Quæ quidem aperte vitiosa sunt et a recentioribus mss. ac edit. ita dissident, ut neutra lectio germana esse videatur. Si quis veram nactus fuerit, eam publicæ utilitati non invidet.

^f Omnes edit. ac tres mss., *primæ feturæ indolis*, ut etiam supra aliquot retro lineis, *nobis futura prorumpunt*. Sed quatuor mss. melioris notæ locum restituunt.

^g Rom. edit., *diu vivere. Patitur nos discedere*, omissis vocibus intermediis.

bello nutritur et in discordiis : justus in senectute bona vivit. Non dixit longa, sed *bona* (*Gen. xv, 15*), quia justus bene senescit : injustorum autem nemo, quamvis cervis vivacibus diuturniore vita vixerit. Nam diu vivere commune sapientibus atque insipientibus est : bene autem vivere speciale sapientis est, cuius senectus venerabilis, et ætas senectutis vita immaculata : non diuturna, inquit (*Sap. iv, 8 et seq.*), neque numero annorum computata, nec capillis canis **342** in capite, sed sensibus. Ille ergo bene senescit, qui bene senserit.

65. *Quarta autem generatione revertentur* (*Gen. xv, 16*). Historia quidem de Judæis videtur convenire, qui in Ægyptum transierunt, et de Ægypto exierunt. Quadringenti enim et triginta anni eorum illic exacti sunt : sed non omnes centenos, et quot excurrunt, annos vixerunt, sicut Moyses, aut Jesus Nave ; ut quartæ generationis tempus conveniat. Unde mysticum aliquid magis requiramus, a eo quod tetras omnibus numeris apta sit, et radix quædam decimæ ac fundamentum, hebdomadis quoque media. Denique nonagesimus tertius psalmus scribitur quarta Sabbati ; eo quod hic numerus medius sit priorum et sequentium. Tres enim præcedunt eum, primus, secundus, tertius ; et tres sequuntur, quintus, sextus, septimus. Qui hunc psalmum canit, velut aptis numeris vitam istius mundi transigit, quasi tetragonus, et stabilis, atque perfectus. In quatuor libris plenum Evangelium atque perfectum est. Quatuor animalia mystica sunt. Mundi quoque istius partes quatuor sunt, ex quibus congregati filii Ecclesiæ C regnum Christi sacratissimum propagarunt, venientes ab Oriente atque Occidente, Septentrione et Meridie. Quadripartito igitur latere sancta surrexit Ecclesia. Decas quoque ex isto numero assurgit. Si enim connectas ab uno usque ad quatuor, hoc modo decimam facies. Computa unum, adde illi duo, fiunt tres : adde tribus tres, fiunt sex : et ad sex adde quatuor, fiunt decem. Tetras igitur decem implet, decas numerum omnem complectitur. Quatuor quoque ætates sunt hominis, pueritia, adolescentia, juvenus, maturitas. Paulatim assurgit et fundatur. Sapientia itaque summa prudentiæ quarto ætatum ordine venit. Meritoque ut si quis ante sub rege Ægypti fuit, maturioris tamen consilii exit de potestate ejus, et legem sibi agnoscit sequendam. Tunc fit D ei istius vitæ mare pervium. Similis ratio his quæ gignuntur solo. Ubi semen sparsum fuerit, solvitur humo ; et primo prorumpit in radicem, deinde germinat, formatur fructus, et postea maturescit. Arbores quoque ipsæ primum fructum ferunt, deinde ipse adolescit fructus, accessu temporis mutat colorem, quarto ordine consummatur, hoc est, novissi-

^a Sic mss. omnes, et edit. exceptis. ultimis Paris., in quibus, *eo quod trias*, etc. Vitiose. Non enim ternario numero, sed quaternario quæ sequuntur, possunt convenire.

^b Colb., Long., Corb. et Maz., *pro ipsis aeriis*, non male. Cum enim supra cap. 8, n. 50, aerem per arietem significari scripserit Ambrosius, potuit hoc

mo. Ita ergo et nos in terra hac afflictionis fugiamus lateres formare : sed lacrymis et gemitu provocemus Domini misericordiam ; ut mittat nobis Moysen et Aaron, hoc est, legem et sacerdotem : sed illum verum Sacerdotem et sacerdotum principem, qui licet inter homines versaretur, dicebatur : *Ecce spiritus ante faciem nostram Christus Dominus* (*Thren. iv, 20*) ; et liberet nos de terra Ægypti, ut pascha Domini celebremus. Feramus etiam fructum fidei ab ipsa pueritia, augeamus in adolescentia, coloremus **343** in juventute, compleamus in senectute. Jam enim securis ad radicem arboris posita est ; ut qui facit, fructum ferat. Adultam etiam maturamque segetem nostram messor inveniat ; ut maturos fructus in apothecis recondat, ne immaturos hyems deprehendat, B ventus decutiat, pluvia corrumpat.

66. Ego tamen arbitror significari magis inter adventum Domini priorem, et secundum qui futurus est iudicii dies, tempus medium. Ideo enim et ad solis occasum viro hujusmodi factus est pavor magnus, quia occidente jam mundo, futurum sacrificium declarabatur, quo mundus redimeretur, fides esset hostia, quæ non divideretur a filiis Abrahæ. Nam qui eam dividunt, non sunt Abrahæ filii. Fides comparatur regno cælorum : *Simile est enim regnum cælorum grano sinapis...* (*Matth. xiii, 31*). Et : *Simile est regnum cælorum negotianti* (*Ibid., 45 et 46*) qui emit agrum, et invenit in eo margaritam pretiosam. Regnum cælorum indivisum est ; quia regnum Trinitatis unum est. Ideo perpetuum atque æternum, quia C indivisum ; omne enim regnum divisum facile destruetur. Hostia etiam foret pudicitia Trinitati dicata, post illud sacrificium, vitulæ quoque pro laboribus, quia sacerdotalis est victima : capræ autem, quia pro peccatis hostia : arietis, quia pro omni mundo, et pro ipsis ^b arietibus vel cælestibus, non solum pro hominibus, nec solum pro agnis, sed etiam pro hædis quos peccatricis generationis fetore exuit. Testificatur oraculum futuros adhuc in terra afflictionis Abrahæ filios ; ut in agone multorum et gravium certaminum se probent : et ita cum multa suppellectili aureorum et argenteorum vasorum spoliis optimis exeant et revertantur animæ, atque exeant pretiosa possidentes corpora diversarum virtutum, et præcipue castimonie possessionum thesauro repleta, sumpturæ etiam Christi iudicio de diabolo, et ejus ministris, cæterisque qui sibi voluerunt nocere, vindictam. Tunc erit pavor magnus etiam justorum. Nemo enim sine peccato. Omnes habebunt quod timeant ; quia impleta peccata erunt. Et ^c cum superabundaverit peccatum, superabundabit et gratia.

67. Iterum *cum jam sol esset ad occasum, flamma facta est : et ecce fornax fumigabunda, et lampades* vocabulo designare angelos, unde addidit, *vel cælestibus* ; eo quod ut Philo, auctor ipsi familiarissimus, lib. *de Gigantibus*, tradit : *ψυχαι δὲ εἰσι κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι*. Idem gemina his habet lib. *de confusione linguarum*.

^c Idem mss., *ut cum sup... superabundet gratia*.

ignis quæ pertransierunt per media divisa illa (Gen. xv, 17). Etiam si dubitaretur de superioribus, confirmarent sequentia; quando flammam factam ad occasum legimus, quæ illuminaret vespertina mundi tempora, et fulgeret in tenebris, ac revelaret latentia. Denique continuo visa est fornax fumigabunda. Cujus similitudine exprimi videtur vita humana implicata iniquitatibus sæculi istius atque involuta, non habens veri fulgoris claritudinem, et splendorem sinceri luminis. Intus quasi fornax æstuat diversis cupiditatibus, et quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris velut quodam fumo attextitur, ne videat veritatis **344** faciem. Obumbrantur itaque et obducuntur quadam caligine oculi animæ; ut confundatur globo quodam fumigantis nubiculæ mentis aspectus; ne pura possit spectare negotia, donec cælestes lampadēs dirigat Dominus Jesus, hoc est, fulgorem gloriæ suæ. Quando, inquit, *non indigebunt luce lucernæ, et lumine solis; quoniam ipse Dominus erit lux omnibus* (Apoc. xxii, 5), et ipse illuminabit omnia mundi istius, quorum supra cognita est divisio, nunc manifestata in lumine, non per speculum in ænigmate, nec in parte, sed facie ad faciem veritatis soliditas, atque illud quod perfectum est, possit videri.

CAPUT X.

Cum dicitur Abraham, semini tuo dabo terram hanc; ei vera beatitudo promittitur: magis tamen præfiguratur Ecclesia, cujus typus in Sara sterili, ut Synagogæ atque hæresum in Agar ancilla exprimitur. Quæ debeat esse sapientis vigilantia; et quid sit, quod Abrahæ Deus pollicetur illis verbis, augebo te valde, etc.

68. Post hæc secutum est oraculum Dei dicentis: Semini tuo dabo terram hanc, a flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphraten (Gen. xv, 18). Qui futuram gloriam demonstraverat, debuit etiam conferenda virtutum merita polliceri. Ipse enim et adjutor laborantium, et remunerator innocentium est. Ægyptus hic nomen non regionis, sed fluminis est. Sic enim veteres Nilum vocabant, sive quod ipse regioni nomen dedisset, sive quod regionis accepisset vocabulum. Denique et poeta græcus testificatur ita esse, dicens:

Στήσα δ' ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῶ νείας ἀμφιελίσσας.
(Homer., Odyss., ε)

Angustum autem et vile est, ut putemus quod cælestibus signis terrena sponderit. Itaque consideremus ne forte perfectam beatitudinem et consum-

^a Ambrosius hic et lib. de Parad. c. 3, n. 14, docet Nilum eundem esse ac Geon quem ex Paradiso terrestri fluere Scriptura tradit. Quæ opinio etsi apud Patres communior sit, ab aliquibus tamen rejicitur. Vide Petavium Animad. in Epiph., Scaligerum de emend. Temp. et alios.

^b Mss. aliquot, ac edit. quædam antiquiores, *nec ullius vi*: quod ut emendarent recentiores, induxe-

rationem bonorum meritorum promiserit. Perfecta enim beatitudo ex tribus istis videtur subsistere, corporis, atque animæ, et accidentibus bonis, quæ Græci ἐνόητα dixerunt; ut sit corporis castimonia, patientia, vel temperantia, sit animæ prudentia, atque justitia. Ægyptus igitur flumen corporalia videtur significare. Unde et ^a Geon (Gen. ii, 13) dictus est ipse fluvius; quia de terra figuratus est homo. Euphrates autem quæ sunt animæ; eo quod fons sit justitia cæterarum virtutum, quæ virtutes alias illuminet. Prudentia enim sine justitia nocet: fortitudo quoque nisi eam justitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori quam rationi prior, dominationi quam libertati. Sobrietas et temperantia privata bona sunt, ^b nec ulli usui, nisi justa erga Deum reverentia, et fidei mente pietatem colas. Justitia sola est quæ virtutes omnes complectitur, et commendat omnes. Accidentia quoque sunt negotiationes, mercaturæ, et agriculturæ, competentia quæstus laborum operumque ruralium. Sunt etiam corporis accidentia salubritas, et **345** commoditas valetudinis, decus, fortitudo, quæ ex tempore accidunt, et cum ætate mutantur.

69. Non mediocrem hanc triplicem gratiam putes. Habes enim perfectionem perfectam in Evangelio. Nam cum dicit Dominus Jesus legisperito illi: *Diliges Dominum Deum tuum* (Matth. xxii, 37), animæ justitiam mandat tenendam. Etiam si honorari parentes justum est, quanto magis parenti omnium deferr debet honorificentia? Rursus cum dicit: *Non occides, non adulterium, non furtum facies, non falsum testimonium dices* (Matth. xix, 18), virtutes corporis servandas admonet. In posterioribus vero dicens: ^c *Nemo est qui relinquat domum, aut parentes, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, et non recipiat septies tantum nunc in hoc tempore, in sæculo autem venturo vitam æternam possidebit* (Luc. xviii, 29 et 30); nonne incrementa bonorum accidentium cum animæ corporisque remuneratione promittit?

70. Hæc quæ simplicibus verbis sacra Scriptura exprimit, magno quodam cothurno Aristoteles (Lib. i Ethic. c. 8) et Peripatetici personant, atque extollunt. Pythagoricum quoque dogma esse testificantur sui. Sed quis illorum æquavit Abraham tempore? Quis auctoritate et sapientia Dominum, cujus oraculo Abraham triplicis hujus gratiæ munus agnoscit?

D 71. Dantur autem ei tamquam in disciplinam alienigenæ nationes; ut mens æqui observantissima recidat vitia, emendet errata. Magis tamen evidens Ecclesiæ declaratur mysterium, quia per apostolos ejus qui sunt Israelitæ, quorum patres, et ex quibus patribus Christus secundum carnem sub lege factus

runt, *nec ullius vis*. Sed etsi sensu non careat emendatio, nostram tamen totidem litteris exhibent probatioribus mss., verum ita conjunctis vocibus, ut in earum lectione hallucinari pronum fuerit. Et hinc recentiorum mss. ac edit. corruptio.

^c Hic locus paulo aliter habetur in Bibliis, sed a Cypriano iisdem verbis quater citatur. Vide lib. iii ad Quirin., cap. 16.

est, congreganda Ecclesia foret^a credituris populis nationum. Quos non otiose decem numero significavit, sed ut ostenderet quod illi ante perfidi, ubi mensuram pietatis implerent, ^b profecto essent fidei adepturi coronam.

72. Denique sequitur quia Sara uxor Abraham sterilis fuerat (*Gen. xxvi, 1*): erat autem ei ancilla Ægyptia cui nomen Agar quod ad Ecclesiam pertinere in ea expositione quam de moralibus scripsimus, apostolicis docuimus exemplis (*Lib. I de Abraham. c. 4*). Ecclesia enim sterilis videtur in hoc sæculo; quia non sæcularia parturit, nec præsentia, sed futura, hoc est, non ea quæ videntur. Hujus ancilla est Synagoga, vel omnes hæreses, quæ servos, non liberos creat. Ideoque Agar dicitur habitatio. Etenim temporalis spem fovet, non perpetuæ possessionis gratiam tenet. Itaque ut non insolens partu corporeo fiat ancilla ejus, et jus Ecclesiæ sibi vindicet, dicitur ibi: *Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen. xxi, 10*).

73. Sed etiam in singulis Sara est, et in singulis Agar. Sara virtus vera est, vera sapientia: Agar autem est versutia, tamquam ancilla perfectioris virtutis. Alia enim sapientia spiritalis, alia sapientia hujus mundi. Ideo etiam Ægyptia scribitur; quia philosophica eruditio abundavit in Ægypto. Denique et Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum, sed abiecit eam præferens Ægypti thesauris opprobrium pro **346** Christi nomine. Nam si illam judicasset alicujus momenti esse sapientiam, non utique dixisset: *Precor, Domine, non sum dignus ante hesternam et nudiustertianam diem, neque ex quo coepisti loqui servo tuo; gracili enim colloquutione, et tardiore lingua ego sum* (*Exod. iv, 10*). Denique quasi inerudito respondetur ei quod erudiretur a Domino: *Ego aperiam os tuum, et instruam te quod debeas loqui* (*Ibid., 12*).

74. Præclarum autem mysterium, quod lex non satis plena erat; ut persuaderet populis, et gentes vocaret, vel quia clausa foret usque ad Christi adventum, qui exponens nobis prophetica oracula, et proferens Lectionis veteris testimonia, veluti quoddam os legis aperuit; ut fidei clamor in totum perveniret orbem. Unde et mystice ait Sara: *Conclusit me Dominus ut non pariam; intra ergo ad ancillam meam, et filium facies ex illa* (*Gen. xvi, 2*). Quo agnoscas in prædestinatione fuisse semper Ecclesiam Dei, et paratam fidei fecunditatem, quando juberet Dominus prorumpere, sed voluntate Domini certo reservatam tempori. Denique sic scriptum est: *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Esai. xlix, 8*). Advertimus itaque quod festinabat

A fides Ecclesiæ, sed conclusa erat ejus fecunditas. Quo verbo demonstratur quoniam exspectabat partus sui tempora; quia quod conclusum est aperiri solet. Qua ratione conclusa fuerit, docet te Apostolus dicens: *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnibus misereatur....* (*Rom. xi, 32*) *Ut non volentis neque currentis, sed miserantis Dei* (*Rom. ix, 16*) esset gratia; ne te ipsum justificares, sed omnia tribueres Deo qui te vocavit. Nemo ergo pigrescat, et excusationem prætendat desiderii suæ, quo serius credat, quia scriptum est non volentis, neque currentis esse. Consideret enim quid additum sit, *Sed miserantis, inquit, Dei*. Talem te ergo præbe bonis studiis et prompta fide; ut Deus tui misereatur, et vocet te sicut Ecclesiam vocavit dicens: *Palam factus sum* ^c *non quærentibus me, apparui iis qui de me non interrogabant* (*Esai. lxxv, 1*).

75. Et recte præmissa sunt inferiora, ut meliora sequerentur. Peperit ancilla servos, ut eos Ecclesia liberos faceret, et de servitute populos ad libertatem vocaret, de culpa ad innocentiam, de offensa ad gratiam. Singulorum quoque hominum si spectes ordinem, non omnes a perfectis inchoaverunt, nec apud omnes tempore prima est, sed merito antiquior perfecta virtus. Prudentis igitur mentis est considerare quamdiu imperfecta est anima, quæ sunt secum deliberet, ut vel in posterioribus se exerceat virtutum disciplinis, donec exercitii usu valescat. Dum vero se erroris involucris exuerit, et ab omni enodaverit offensione, consummatam sui purgationem exhibens, ^C tunc suo nitatur ordine magno partus edere.

76. Præterea dicitur Abraham: *Esto sine reprehensione* (*Gen. xvii, 1*); cui dabatur spiritus sapientiæ sanctus, integer, bene mobilis, immaculatus. Oportet igitur viri sapientis animam die noctuque in exercitio jugi specula prætere, numquam somno **347** indulgentem, perpetuis vigiliis intentam Deo ad comprehensionem rerum earum quæ sunt, et singularum causarum cognitionem. Sed etiam futurorum interpretis sapientia est, scit præterita, et de futuris æstimat. Scit versutias sermonum, et solutiones argumentorum. Signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. Non potest igitur bonus atque perfectus non esse qui hanc acquisierit; quia et omnem habet virtutem, et imago bonitatis est. Unde et sæculi istius sophistæ traxerunt definitionem hujusmodi, quod sapiens vir bonus dicendi peritus sit.

77. Redeamus nunc ad donum Dei quo nihil plenius. Quid enim melius sapientia? Quid pejus vanitate? Quid deterius superstitione? Ideoque tamquam ei cui promiserat plenitudinem perfectionis, ait: *Augebo te valde, et ponam te in gentes, et reges de te*

^a Vet. edit., *crediturus populus nationum*. Et paucis versibus interjectis eadem edit., *sterilis fuerat, quod ad Ecc.*, etc. Utrumque locum mss. Corb., Long., Colb. et Maz. nobis restituerunt.

^b Rom. cod. Maz., *perfecta essent*.

^c Vet. edit. cum mss. Colb., Torn., Valc. et Maz.,

factus sum quærentibus me; recentiores, factus sum a non quærentibus me; utraque cum iisdem mss., ... qui me non. Melius cod. Corb. et Long, factus sum non quærentibus me; quibus cum Colb. et Maz., qui de me non, etc.

erunt (*Gen. xvii, 6*):^a quia ejus qui fidelis est, totus mundus divitiarum est, et augetur, non minuitur ut stultus. Ponitur in gentes Abraham, hoc est, fides ejus ad gentes transfertur, et reges sæculi qui crediderunt, et se subjiciunt Domino Jesu cui dicitur: *Tibi offerent reges munera (Ps. lxxvii, 50)*. Nec illud absurdum, quia ex genere Abraham non solum reges erunt dignitate, verum etiam illi reges qui peccato non serviant, nec vincat eos malitia, supra quos regnum mors non habeat. Mentis quoque bonæ cognovimus reges esse et principes inventiones, quæ sicut Abraham mediocris quidem generationis proventus non habet, sed abundat regalibus. Cui data est terra in possessionem: ut dominetur corpori, nec sit captiva carnalium voluptatum, sed quasi famulatu debito obnoxia caro menti serviat. Secundum personam autem Abraham evidens mysterium Ecclesiæ, quæ totum orbem fidei hæreditate possedit, bene pater electionis dicitur, pater fidei, pater piæ confessionis.

CAPUT XI.

Præceptum circumcisionis Abraham datum quid significet; quidve etiam infantibus octavo die non circumcisis intentatum sit exitium? Saræ nomini una littera additur. Abraham in faciem cadit et ridet. Num idem dubitaverit? Ipsi pro Ismaele oranti annuit Dominus, ac filium ex Sarra promittit.

78. Et quia ad perfectum vocatur, oraculum perfectionis accipit. *Circumcidatis*, inquit, *omne masculinum vestrum, et circumcidatis carnem vestram (Gen. xvii, 10 et 11)*: perfecta autem circumcisio spiritualis est. Denique et lectio hoc docet cum dicit: *Circumcidite duritiam cordis vestri (Deut. x, 16)*. Et hic plerique ita accipiunt, ut sit: *Circumcidatis omne masculinum vestrum*, hoc est, mentem vestram; nihil est enim mente validius. Deinde quia masculinum etiam sanctum dicitur: *Omnis masculus adaperiens vulvam sanctus Domino vocabitur (Exod. xiii, 12)*. Quid autem mente sanctius, quæ dat bonarum semina cogitationum, quibus aperit vulvam animæ conclusam pariendi sterilitate; ut possit illas invisibiles **348** generationes edere utero illo videlicet spiritali, de quo dicit Esaias: *In utero accepimus et parturivimus spiritum salutis (Esai. xvi, 18)*? Circumcisio ergo cordis intelligibilis, circumcisio etiam carnis mandatur sensibilis. Illa in veritate, ista in signaculo. Gemina itaque circumcisio; quia et animi et corporis quæritur abstinence. Denique *Ægyptii quartodecimo anno circumcidunt mares, et femine apud eos eodem anno circumcidi feruntur; quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, et feminarum menstrua sumant exordia.*

^a Ita mss. Corb., Long., Colb. et Maz. Alii autem, ac vet. edit., quia qui ejus est. Rom. vero, quia qui ejusmodi est.

^b Mss. supra laudati, passio motus virilis, et feminarum menstrua (passio scilicet) sumat exordia, non male.

^c Quæ hic habes a voce, laborat, ad vocem, Mysterii. cum in edit. deessent, nobis suggestere mss.

A Legis autem lator æternæ signaculum circumcisionis carnalis in solis maribus exigit, eo quod ad mixtionis usum vir muliere vehementior sit; et ideo ipsius impetum infringere voluit circumcisionis signaculo. Vel quia viri licito se errare credunt, si solo se abstineant adulterio: meretricios autem usus tamquam legi naturæ suppetere putant; cum præter conjugium nec viro liceat, nec femine misceri alteri. Altiore autem interpretatione illud panditur, quod si mens purgata et circumcisa sit, exuta superfluis voluptatibus et cogitationibus restringit animam ad sui castimoniam, purisque sensibus infusam bonorum facit partuum generatricem.

79. Octavo autem die circumcidi puerum lex jubet, mystico utique præcepto, quia ipse est resurrectionis dies; dominica enim die resurrexit Dominus Jesus. Ergo si dies resurrectionis circumcisos nos et exutos inveniat delictorum superfluis, ab omni ablutos sorde, mundos a vitiis corporalibus, si hinc mundus exieris, mundus resurges. Circumcide igitur te non carne, sed vitio carnali. Et circumcide tuum non solum vernaculum, sed etiam pretio emptum. Si ad singula referas, vernaculi sunt motus naturales: pretio empti, ratione et doctrina acquisiti. Egent autem et illi et hi, tamquam virgulta, purgatione et incisione luxuriæ; ne evagentur ut sterilia sarmenta, et obumbrent inutilia fructuosus. Velut quædam omni vitio distenta multis incassum laborat: [^e ita cavendum ne etiam nostra mens pluribus occupata, non solum bonos ingeneret partus, sed etiam inutilibus plerisque degeneret; simul ut vitis putata non facile silvescat, dissolvatur cito, sed posteritati reservetur. Nam et ingeniosi multa pariunt, quæ utile est circumcidere, et qui doctrinam diligentia assecuti sunt, videre in se debent inscientiam.] Mysterii autem ratio dilucida. Vernaculi enim Judæi pretio empti sunt gentes quæ crediderunt; quia pretio sanguinis Christi redempta est Ecclesia. Ergo et Judæus, et Græcus, et quicumque crediderit, debet scire se circumcidere a peccatis, ut possit salvus fieri: et domesticus, et alienigena, et justus, et peccator circumcidatur remissione peccatorum, ut peccatum non operetur amplius; quia nemo ascendit in regnum cælorum, nisi per sacramentum baptismatis. Nec proderit superioris justitia temporis, si in fine vite justitiam dereliquerit. Ideo Paulus ait: *Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum.* Sunt enim contraria; **349** quia servitus peccato contrahitur, et pretio peccatum remittitur.

80. Hæc igitur simplici expositione abundare ad intellectum opinamur. Ideoque nec cubos Geometricæ, nec tetragonum numerum Philosophiæ, ^d con-

omnes Gall. Non obscurus quidem hic erat hiatus, qui non male suppletus videretur, si verbis superioribus *incassum laborat*, adderetur vox, *vitis*, vel quid simile.

^d Era., Gill. et Rom. edit., *quaternionem*. Aliæ omnes, ac mss. *confessionem*; sed eodem sensu. Hic enim ea vox sumitur pro illo Pythagoreorum jurejurando, de quo Plutarchus lib. i de Placitis philoso-

fessionem, ut aiunt, Pythagoricam, nec semper virgines, ut appellant; hebdomadis numeros cura discutimus inani, ^a nec mundum radio formamus, nec cœlum in pulvere quærimus, nec intra angustos abacos orbem concludimus: sed verâ aperimus mysteria, unam salutem esse Christi resurrectionem. Complentemur ergo similitudini mortis ejus, ut mereamur resurrectionis consortium. Et vetus homo noster simul sit confixus cruci, ut corpus destruat peccati.

81. Egregie autem infantia in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos; quia sicut ab infantia ^b peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum. Et infans revocandus a peccato est; ne idololatriæ polluat contagio, et ne adorare assuescat idolum, et exosculari simulacrum, parentis ^c violare nidum, pietatem lædere. Simul ne quisquam infletur, quod sibi justus videatur, ætatis maturioris processu Abraham circumcidi jubetur. Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur; quia omnis ætas peccato obnoxia, et ideo omnis ætas sacramento idonea.

82. *Et erit, inquit, testamentum meum in carne vestra (Gen. xvii, 13).* Forsitan referatur hoc loco, quomodo spiritalem dicis circumcisionem, cum oraculum dicat: *Erit testamentum circumcisionis in carne vestra.* Quasi vero animæ solius, et non passionum corporis exigatur temperantia. Nam et visus, et auditus, et odoris, et gustus, et tactus, et vocis ipsius quæritur quædam castimonia; quia et visus procacior habet crimen, et ideo scriptum est: *Noli intendere fallaci mulieri, neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris (Prov. v, 2).* Et in ipso auditu crimen est si seducat te meretrix, et multo blandimento sermonis et laqueis labiorum suorum te alliget. Et in ipso tactu crimen est, ideo tibi dicitur: *Ne multus fueris ad alienam, ^d neque continueris amplexibus non tuam (Ibid., 20).* Et in voce culpa est. Laqueus enim fortissimus est homini sua labia, et abducitur a labiis sui oris. Et mel ipsum noli multum edere, ne evomas. Oportet ergo ut omnium sen-

phorum ita scribit: *Διὸ καὶ ἐφθέγγοντο οἱ Πυθαγορικοὶ, ὡς μεγίστου ὄρκου ὄντος τῆς τετραδος,*

Ὁὐ μὰ τὸν ἀμετέραν ψυχῶν παραδόντα τετρακτῆν Παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.

Hoc est: *Idcirco Pythagorici, quasi magnum esset jusjurandum quaternionis, pronuntiabant: Non, per eum qui animæ nostræ quaternionem præbet naturæ æternæ fontem ac radices habentem.* Jusjurandum autem propterea confessio dicitur, quod illo divinitatem ubique præsentem esse profiteremur contestamurque. Per quaternionem vero jurabant isti, quod cum numerorum omnium magnam rationem haberent, quaternarii tamen habebant maximam. Hujus rei causam eodem loco refert Plut. quia ex tetrade animam nostram putarent esse compositam. Eundem etiam consule lib. de Procreat. Animæ. Neque etiam probabilitate sua caret, quod volunt nonnulli Pythagoram per suam τετρακτῆν intellexisse ipsum Dei nomen τετραγράμματος. Vide Joan. Ger. Vossium lib. de Philos. sectis, cap. 6. Porro quod Ambrosius hebdo-

A suum acuta sit moderatio; ne aut impetus in vitium trahat, aut nimietas lædat, aut mora offensionis sit.

83. Non otiose autem, nec superflue plerique **350** hoc qui sequitur loco moveri videntur. Ecquid ita dixerit Dominus: *Quoniam qui non fuerit circumciscus masculus, et qui non circumciderit carnem præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere suo; quia testamentum meum interrumpit (Gen. xvii, 14).* Grave enim putatur quod infanti octo dierum negligentia parentum fraudi esset futura, ita ut interiret anima ejus; cum ipsa lex etiam homicidæ (qui tamen non voluntarium facinus necandi hominis impleverit) civitates præscripserit (*Josue. xx, 2 et 3*), ad quas confugiendo mereatur sanguinis impunitatem. Quomodo ergo aut illic ratio habetur fortuitæ necis: aut hic ratio infantia non habetur, in qua crimen non potuit esse aut dissimulationis, aut voluntatis; nisi forte putent aliqui, quia in morte filii gravius puniuntur parentes? Sed injustum putatur ut culpa nocentium inferatur pœna innocenti, vel propter pœnam nocentis innocens puniatur, aut fiat consors supplicii, qui dispar est merito. Unde aliqui putant quod de parente dicat exterminando, quod ejus intereat anima, non parvuli. Sed valde ambiguum est; licet suffragetur huic assertioni quod ait, *quia testamentum meum interrumpit.* Itaque hoc ad intelligentem magis, quam ad infantem referendum videtur. Alii graviora parentibus vel silentio minitantem putant Dominum Deum, quo plus timeant majores, quando nec infanti parcitur.

84. Mihi autem satis liquido patet dictum de uniuscujusque mente. Diximus enim masculi nomine mentem significari, quod sit validus mentis vigor, et animam in sui copulam trahat, sitque vehementior tamquam sexu potior, et virili validitate. Ergo hæc ratio est, quod omnis mens quæ non fuerit circumcisa a superfluis corporalibus, et purgata solemnium munere, ut exuat se passionibus et vitiis, interibit. Non caro, inquit, interibit, non homo: sed anima illa interibit, quia potuit salva fieri, si habuisset purgationem. Nuda autem præsidii et incircumcisi

madam dictam fuisse semper virginem scribit, id ex Philonis lib. de Septenario, B, sumptum videtur. Sed locum indicasse sufficiat.

D ^a Sic mss. quatuor melioris notæ. Alii vero et edit. *Nec solis radios formamus.*

^b Ita mss. Corb., Long., Torn. et Valc. Edit. autem Era., Gill. et quædam Paris., *ab infantia circumcisio, ita et morbus.* Paris. vero anni 1661, *ab infantia morbus, ita et circumcisio.* Cum autem neque in Am. neque in mss. Colb. et Maz. vocem, *morbus,* aut *peccatum* reperire sit, hinc suborta videtur illa diversitas.

^c *Violare nidum,* id est, thorum, ut habes Job. xxix, 18, *In nidulo meo moriar, pro in lectulo meo.*

^d Edit. Rom. et quædam Paris., *neque continuearis amplexibus non tuæ.* Ita certe LXX Interp. apud quos legas. *μηδὲ συνέχου ἀγκάλαις τῆς μηΐδίας:* a qua lectione nec multum recedit Vulg., quam consule. Cæterum ab omnibus mss. et ant. edit. discrepare religioni est.

cordis colluvione infirmior salutem generis sui non potuit servare. Omne autem genus videtur immortale, ut ^a homo genus est, ut ullus species est. Homo semper dicitur, ullus non semper, immo non deficit ullus. Deficit qui fidem non habet, persona deficit unius, conditio vel nomen hominum non deficit. Ex diuturno igitur et innoxio in id quod temporale est et noxium peccator deducitur, qui mentis suæ ascribere debet infantiae, quod incautus fuit et intemperans, vel remissionem peccatorum non acquisivit: *Nisi enim quis renatus* **351** *fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. III, 5).* Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate. Habeant tamen illam operam poenarum immunitatem, ^b nescio an habeant regni honorem.

85. Saræ quoque una additur littera, hoc est, R, ut vocaretur Sarra (Gen. xvii, 15). Quod utique par est, ut in superioribus, non unius adjectione pensari litteræ. Non enim munus Deo est una littera, sed virtus litteræ quæ exprimit muneris divini gratiam. Sarra enim dicitur ἀρχὴ ἐμὴ, hoc est, potestas mea, vel principatus mei initium, vel regis. Sara Græce dicitur ἀρχουσα, latine quæ regat. ^c Illa mortalis, ista immortalis: illa specialis, ista generalis. Est namque in me prudentia, in me castimonia, in me virtus, in me justitia, me solum regunt, et mihi dominantur, et sunt mortales. Moriente enim me, solvuntur et moriuntur etiam illa. Quæ autem prudentia generaliter dicitur, quæ castimonia, quæ fortitudo, cæteræque virtutes principales, sed generaliter principales, et reginæ quædam immortales, in his potestas est, immortale illud principale, sicut est regina Ecclesia quæ non me unum, sed universos regat. Ergo speciem in genus, partem in universitatem, corruptibilitatem in incorruptibilitatem conversam videmus: quæ omnia Ecclesiæ convenire certum est. Non enim specialis hæc, sed generalis ratio est, nec partis, sed universitatis salus. Ideoque his præcedentibus cum unumquemque prudentia sua ad hanc principalem et diffusam per omnes salutem deduxerit, in qua fons sapientiæ justitiæque est, requiritur generatio, et ille perfectæ partus jucunditatis, cujus nomen est Isaac. Nulla enim melior est voluptas, quam emendatæ gratia conscientiæ. Hinc Epicurei traxerunt summum bonum voluptatem esse,

^a Genus hic liberiori acceptione pro specie sumitur, sicut et species pro individuo. Quod autem legimus ullum non semper dici, et tamen ullum non deficere, sic interpretamur, ut *ullus*, id est, aliquis, in primo membro hominem certum ac definitum significet, in secundo non item.

^b Cum supra n. 79, dixerit affirmate, *quia nemo ascendit in regnum cælorum, nisi per sacramentum baptismatis*, non injuria quis suspicetur hæc et alia nonnulla quæ pelagianismum sapiunt, ab hæretico aliquo fuisse intrusa. Quam etiam parum tota ultima hujus numeri pars primæ cobæreat, vel cæcus videat.

^c Hic aliquem adfuisse suas nugas Era. et post eum Gill. adnotarant, moti scilicet obscuritate loci. Attamen si quis eum contulerit cum Philonis verbis,

A sed eam corporis magis inquinamento, quam sobrietate mentis æstimaverunt.

86. Quid est autem quod ait: *Et cecidit in faciem Abraham, et risit (Gen. xvii, 17)?* Et hic reverentia significatur, quod timuit Deum velut libero risu lædere, quamvis risus lætitiæ declararet viri justis qui tantis gratulabatur promissis. Non enim dubitatis hic risus, sed credentis fuit. Simul quia cadunt ante Deum omnia, et mutantur et transeunt, sola illa immutabilis stat semper substantia. Aut fortas-e et in hoc mysterio prophetavit Abraham Dominum Jesum; quod per susceptionem dominici corporis et resurrectionem tanti complenda oraculi gratia foret. Adorat igitur non elementum terræ de quo dictum est: *Et adorare scabellum ejus, quoniam sanctum est (Ps. B* *xviii, 5).* Ubi enim corpus, ibi et aquilæ quæ adoraverunt versantem in corpore.

87. *Et dixit, inquit, in corde suo: Si centum annorum nascetur filius, et si Sarra nonaginta annorum pariet (Gen. xvii, 17)?* Græcus ἐν τῇ διαβολῇ posuit, ut possimus **352** æstimare quia cordi suo quasi ^d alternanti secum dixerit: Si centenarius nascetur filius, et nonagenaria pariet? Hoc est ætas generandi præterit, sed Deo omnia sunt possible; et ideo facile etiam istud, ut senibus revocet juvenutis annos, vires refundat, sterilibus det fecunditatem.

88. Nec illud prætereundum, quod promissa ^e sibi generatione legitima respondit Abraham Deo: *Ismael vivat hic in conspectu tuo (Gen. xvii, 18).* Justis est etiam pro peccatoribus intervenire; et ideo vel hoc credant Judæi, quia et pro ipsis intervenit, si tamen credant. Hoc est enim vivere in conspectu Dei, digna Dei Verbo negotia gerere; oculi enim Domini super justos.

89. Unde et Dominus ait: *Etiam. Ecce Sarra uxor tua pariet tibi filium.... De Ismael autem exaudivite (Ibid. 19 et 20).* Etiam cum dicit, confirmat promissa; confirmativum etenim verbum est. Et ideo prius generationem Ecclesiæ confirmat futuram; ut verum cognosceret Propheta quod de Ismael se audisse dixit Deus, providens quia cæcitas Israel ex parte haberet contingere, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. Itaque sicut testamenta hominum prius ^e hæredem serunt, postea legatum exprimunt, melioribus hæreditatem,

D quibus Saræ vocabulum lib. *de Nominum mutat.* exponitur, haud parum luminis ad ejus intelligentiam nanciscetur; idem enim istinc desumptus est.

^d Rom. edit., *altercanti*. At cum aliis, atque omnibus mss. retinenda vox, *alternanti*, quæ ferme eodem sensu ponitur a Virg., iv *Æneid.* :

Hæc alternanti potior sententia visa est.

^e Edit. Rom., *hæredem scribunt*. Aliæ edit. et cuncti mss., *hæredem serunt*. Et post pauca ant. edit., *ita in Deum in testamento unum, et nos, etc.* Quam lectionem Rom. edit. ex conjectura emendare conata haud incommode sic reposuit: *Ita et Deum in testamento usum, et nos hunc morem accepimus, hæres, etc.* Verum potior nobis visa est omnium mss. auctoritas.

inferioribus legata : ita in Domini testamento ; unde et nos hunc morem accepimus ; hæres scribitur natura bonus ; nobilis ; legitimo creatus conjugio ; legato donatur inferior.

90. Promittitur autem generatio sequenti anno (*Ibid.* ; 21) ; ut advenias quam generationem pollicetur Dominus , hoc est ; non illam uteri corporalis Sarræ ; sed istum partum Ecclesiæ , qui esset futurus. Denique et infra ait : *Revertar ad te in futurum , et erit Sarræ filius* (*Gen.* xviii , 10) : In quo utrumque possumus accipere ; et hunc conventum Ecclesiæ , et fideium resurrectionem :

91. Tertiodecimo quoque anno quod circumcidi- tur Ismael ; ratio evidens ; quia is qui incipere habet uti cognitione feminæ ; ante debet recidere in se ardorem libidinis : ut a superfluis abstineat commix-

tionibus ; conjunctioni tantum se legitimæ reservet.

92. Mentem quoque sapientis hospitem esse decet ; ut etiam aliis impertiat sui gratiam ; et prudentiæ suæ fructum aliis quoque dividat , atque ita bonis epulentur doctrinæ cibus , epulumque ejus exhibeat desiderantibus.

95. Tum præterea nesciat nisi secundum naturam vivere , in cujus instituto et ordine Dei lex est : Nulli se transversariæ cupiditati miscere noverit , solius sapientiæ præoptet copulam. Mandatis Dei sæculi istius gloriam , et quamdam præsentis laudis hæreditatem præferre nesciat ; atque ut altaribus Domini suas imolet utilitates , ita judicii ignem non excipiat , neque reformidet ; sed magis etiam ut alios eripiat ; elaboret.

IN LIBRUM DE ISAAC ET ANIMA ADMONITIO.

Quemadmodum sanctus Ambrosius in primo libro de Abraham catechumenis hujus exemplo patriarchæ christianæ religionis , quam in pervigilio paschalis professuri essent , officia præfecerit , in altero autem animæ per Adami peccatum lapsæ resurgendi , atque ad perfectionem eritendi modum demonstraverit , in nostra ad idem opus Admonitione declaravimus. Prosequitur instituta acroamata præceptionesque Antistes vigilantissimus , nec alia de causa secundum memorati operis librum , ubi Isaac natus et circumciscus retulit , extemplo finisse nobis videtur , nisi ut ex ejusdem cum Rebecca conjugio hominis christiani animam , dum in genitali fonte renascitur , arctissimum quoddam spiritualis matrimonii cum Verbo Deo foedus inire ostenderet. Id hoc in libro quem propterea de Isaac et Anima inscriptum voluit , per quam egregie præstitit (*Cap.* 1). Enim vero postquam Isaac nativitate ac morte sua Christi figuram existisse , sicut et Rebecam animæ , paucis aperuit , definita ejusdem animæ natura , totum hominem potissimum in ipsa consistere astruit (*Cap.* 2). Hanc autem docet ideo esse imperfectam , quod rebus corporeis ac sæculi voluptatibus adhærescat ; contra vero primum ad perfectionem gradum facere , si easdem fugiat ; et supra illarum cænum attollat sese. Hinc argumentum propositum aggressus Rebecam talem cum ad Isaac veniret fuisse dicit , quippe quæ divinum in illo Verbum ardentem expetere se testificatur clamans : *Osculetur me ab osculis oris sui* (*cap.* 5). Ipse quidem Ambrosius locum hunc aliosque omnes Cantici canticorum versiculos etiam Ecclesiæ accommodari posse profitetur : sed cum eadem mysteria tum alibi , tum vel maxime in enarratione psalmi cxviii enucleasset , hoc in libro totus incumbit , ut animæ cum Verbo conjugium perpetuo mystici illius epithalamii commentario edisserat. Quod tamen non ita accipias , quasi versum omnino nullum præterierit , cum re ipsa haud pauci , et ii præsertim qui ad sponsi sponsæque pulchritudinem pertinent , omittantur : sed isti quominus unus sit operis contextus nihil vetant. Porro ut distinctius atque ordinatius cœptum procedat , vir sanctus proponit (*Cap.* 6) exponitque gradus quatuor , quibus anima jam graviorum jugo vitiorum libera ad summam illam perfectionem , in qua Deo per charitatem juncta numquam postmodum ab ipso divellitur , conscendit. Cæterum sive naturalem ac minime coactam materiæ dispositionem , sive brevem illam , sed acutam Scripturæ explicandæ rationem spectes , seu denique transitionum quibus aptissime nectuntur singula , concinnitatem , jure dixeris commentationem hanc ejusmodi esse , quæ vix ulli ex aliis Ambrosianis cedat.

Ipsam porro constat libri nomine appellatam , non solum ætate Cassiodori (*Lib.* de Inst. div. cap. 5) et Augustini (*Lib.* 1 contr. ful. Pelag. , c. 9 , et l. ii , c. 5) : sed etiam ab ipsomet Ambrosio in opere sequenti sub hac inscriptione fuisse memoratam. Utrum vero conciones fuerint quæ primitus ad populum habitæ in hunc librum postea transformatae sint , obscurius est. Cum enim eum ferme nihil aliud esse advertamus , quam brevem Cantici canticorum paraphrasim , id argumentum sacro suggestui parum admōdum videtur convenire. Verumtamen ut non aliter hic atque in libris de Abraham factum putemus , tum eorum inter se convenientia adducimur , tum etiam præceptis ad auditorum institutionem maxime accommodis , quæ expositioni ejus inserta nemo non deprehendat. Et hæc causa est cur Cassiodorus senator loco citato de his qui in Canticum canticorum scripserunt agens , suum de hac opella judicium ita reliquerit : Unde , inquit , S. Ambrosius in libro tertio Patriarcharum , ubi de persona Isaac loquitur , multa salubriter luculenterque disseruit.

Hæc eadem Cantica totis decem voluminibus tam mirandum in modum Origenes enodaverat , ut non dubitaret Hieronymus de his scribere (*Ep.* ad Damasum papam) : Cum in cæteris libris omnes vicerit , in Cantico canticorum ipse se vicit. Maxime autem probabile est præstantissimum hoc opus in manus quoque Ambrosii per-

venisse, ac sanctum Antistitem ex laboribus tanti viri a quo reliqui ferme Patres tam multa tamque præclara mutuati sunt, adjumenti aliquid decerpisse. At quando temporum iniquitas thesaurum illum nobis invidit, non licet quidquam exploratum magis aut deprehensum proponere. Si tamen verum fuerit quod adversus Erasmus et alios non paucos contendit Huetius, (Origen. lib. III, § 7), quatuor homilias quæ cum sua præfatione inter Origenis atque Hieronymi opera extant, nulli Patrum Latinorum deberi, sed eas ipsissimum initium esse decem Origenianorum voluminum, quas Rufinus a quo Latine redditæ sunt, more suo interpolavit: aut si malis sæpius laudato senatori accedere, easdem nihil aliud esse affirmanti (Loc. cit.), nisi distributam in tres libros amplificationem, quam ex duabus homiliis alia occasione ab Origene in duo priora Canticorum capita compositis, et ab Hieronymo in Latinum versis, Rufinus consarcinavit: si, inquam, horum alterutrum admittendum sit, ex eorundem Origenis fragmentorum et Ambrosianæ commentationis collatione intelliges illius methodum non imperite sanctum doctorem esse imitatum, idque cum primis ubi triplicem Scripturæ sensum nempe naturalem, moralem ac mysticum distinguit atque edisserit; quamvis in aliis opusculis quæ hactenus a nobis examinata sunt, duos tantum interpretetur, mysticum ac moralem; ubi tamen cum hoc ultimo is quem naturalem in hoc libro vocitat, confunditur.

Porro ut idem tempus ac libris de Abrahamo, nempe annum circiter 387 huic scripto assignemus, facit cum illorum inter se connectio, tum ipsum Ambrosii testimonium quod initio libri de Joseph, sicut et libri de Mysteriis, quem ἀπεσῶς post ipsum elucubravit, reperimus; imo vero obscurum non est sanctum Præsulem ad eosdem quos in opere superiori alloquebatur, in hoc etiam verba facere: at revocari in dubium potest utrum ante festa paschalis id evenerit, an postea. Ipsius quidem descriptionis, in qua de spiritali conjugio quo nihil habet perfectissimorum Christianorum vita sublimius, materia videtur indicari ista non pertinere ad catechumēnos, utpote quibus certa mysteria tegebantur, ipsis postmodum jam baptismate initiatis revelanda. Si tamen ex primis verbis libri de Mysteriis hac de re statuere nos oporteat, dicendum erit eos etiamnum intra catechumēnorum ordinem existisse, ad quos sermonem habebat Ambrosius. Et hoc ipse forsitan innuit, ubi dicit: Venit pascha, venit remissio peccatorum, etc. (Cap. IV, num. 35). Cui autem jam illi in competentium numerum in quem non nisi exeunte quadragesima admittebantur, essent allecti, minime dubitavit sanctus Antistēs in prociñctu ad baptismum positus sacræ hujus conjunctionis mysteria, et gradus quibus ad eam pervenirent, declarare.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE ISAAC ET ANIMA

LIBER UNUS.^a

355 CAPUT PRIMUM.

Commendatur sanctus Isaac tam ex paterna origine et gratia, quam ex Dominicæ generationis et passionis præfiguratione, ac mysterium inter Christum per Isaac designatum, et animam repræsentatam per Rebecam aperitur.

1. In patre nobis sancti Isaac vel origo satis est expressa, vel gratia: ^b cui ad omnem redundat gloriam, quod tanto et tam imitabili viro natus Abraham patri præmium fuit. Neque vero illud mirabile, cum in eo Dominicæ generationis et passionis figura præcesserit. Siquidem et sterilis anus ex promissione Dei peperit eum; ut crederemus quod potens est Deus facere, ut posset et virgo generare, et oblatum unicus ad immolandum, qui et patri non periret, et

A impleret sacrificium. Itaque ipso nomine figuram et gratiam signat, Isaac etenim risus Latine significatur, risus autem insigne lætitiæ est. Quis autem ignorat quod is universorum lætitia sit, qui mortis formidolosæ vel pavore compresso, vel mœrore sublato, factus omnibus est remissio peccatorum? Itaque ille nominabatur, et iste designabatur: ille exprimebatur, et iste annuntiabatur. Ipse est quem jam tunc persequeretur ancilla: ipse est propter quem jam tunc dicebatur: *Expelle ancillam; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (Gen. XXI, 10). Ipse est cui pater alienigenam **356** acquisivit sponsam. Ipse est mitis, humilis, atque mansuetus, qui veniente Rebecca, hoc est, patientia, ^c exivit in campum abalienare. Sapientis enim est segregare se

consarcinavit: *In patre Abraham sancti Isaac vel origo satis est nobis expressa, vel gratia: cum ad omnem..... et tam imitabili viro natus ipse in præmium fuerit: nec non et illud est mirabile quod in eo, etc.*

^c Ita mss. et edit. omnes ant. At sola Rom., exivit

^a Scriptus circ. ann. 387.

^b Hic mss. et edit. vet. inter se consentiunt, nisi quod illorum tres pro sancti Isaac vel origo satis, habent, sancto Isaac vel origo salutis; et ubi mss. omnes, cui ad omnem, etc., edit. præferunt, cum ad omnem..... primum fuit; Rom. vero totum locum ita

a voluptatibus carnis, elevare animam, atque a corpore abducere; hoc est enim se hominem agnoscere. Qui Chaldæorum sermone Enos dicitur, latine homo. Enos autem qui assumpsit et speravit invocare Deum; et ideo creditur esse translatus. Non videtur itaque homo esse, nisi qui in Deum sperat. Qui autem sperat in^a Deum, non degere in terris, sed quasi translatus adhærere Deo, manifesta veri interpretatione signatur.

2. Bonus igitur Isaac verus, utpote plenus gratiæ, et fons lætitiæ. Ad quem fontem veniebat Rebecca, ut impleret hydriam aqua. Dicit enim Scriptura, quia descendens ad fontem, implevit hydriam, et ascendit (Gen. xxiv, 16). Descendit itaque ad sapientiæ fontem vel Ecclesia, vel anima, ut totum vas impleret suum, et hauriret puræ sapientiæ disciplinas, quas haurire Judæi de fonte profluo noluerunt. Quis iste fons sit, audi dicentem: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (Hier. ii, 15). Ad hunc fontem currebat sitiens anima prophetarum, sicut et David dicit: *Sitivit anima mea ad Deum vivum* (Ps. xli, 5); ut sitim suam ubertate divinæ cognitionis expleret, et insipientiæ sanguinem spiritualium rigatu dilueret fluentorum. Hic est enim fluxus sanguinis, sicut significat lex (Levit. xx, 18), qui deoperitur, quando vir sedenti in diebus sanguinis sui mulieri miscetur. Mulier est delectatio corporis et illecebræ. Itaque cave ne vigor mentis tuæ coïtu quodam **357** corporeæ voluptatis inflexus emolliatur; atque in ejus amplexus omnis resolvatur, et fontem ejus aperiat, qui debet esse clausus et septus intentionis studio, et consideratione rationis; *Hortus enim clausus, fons signatus* (Cant. iv, 12). Namque mentis vigore resolutus, ^b sensus se corporalis delectationis effundunt, perniciosi nimis, et in appetentiam plenam gravis periculi proruentes: quos, si mentis vividæ considerata mansisset custodia, refrenasset.

CAPUT II.

Quid sit homo, et in qua potissimum parte consistat; qualisve sit anima ejus tam secundum sui naturam, quam per irrationabilem sui partem, qua obnoxia fit corruptioni.

3. Intuere igitur, o homo, qui sis, quo salutem tuam, vitamque tuearis. Quid est itaque homo? Utrum anima, an caro, an utriusque copula? Aliud enim **D** nos sumus, aliud nostrum: alius qui induitur, et

in campum se exercere, ubi LXX Interp. sequi voluit, apud quod legas, και ἐξῆλθεν Ἰσαὰκ ἀδολεσχεῖσαι. Verum ultimæ dictionis loco Symmachus legebat, λαλῆσαι. Aquila, ὁμιλῆσαι. Vide Nobilium ad eadem verba. Ab alienare autem proprie est animum a seriis gravibusque cogitationibus avocatum relaxare: sed Ambrosius rem ad spiritalem sensum more suo hic, et infra c. 5, n. 6, traducens, vult idem esse atque a curis sæcularibus ad cœlestium rerum meditationem convertere. Vide etiam Commentaria in psal. cxviii octon. 4, versu 5, sicut et epist. ad Chrom. quibus locis verbum ἀδολεσχεῖν per Latinum hallucinari ab interprete redditum tradit.

^a Edit. Rom. *in Deum, placet Deo, mutatur in melius, nec videtur degere.... Deo. Ideo et Enoch dicitur*

A aliud vestimentum. Legimus in Veteri Testamento: *Omnes animæ quæ descenderunt in Ægyptum* (Gen. xlvi, 26), de hominibus dictum. Et alibi dictum est: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam carnes sunt* (Gen. vi, 3). De alterutro ergo legitur, quia homo dicitur et de anima et de carne. Sed illa discretio est, quod ubi anima pro homine ponitur, Hebræus significatur Deo adhærens, non corpori, ut est illud: *Anima benedicta omnis simplex* (Prov. xi, 20). Ubi autem caro pro homine nuncupatur, peccator exprimitur, ut est illud: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato; quod enim operor, non cognosco. Non enim quod volo, ago: sed quod odi, illud facio* (Rom. vii, 14 et 15). Hoc jam posterius et de utroque. Alius est enim qui vult, **B** alius ^c qui odit, alius qui facit. Denique addidit: *Si ergo quod odi, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego illud operor, sed quod habitat in me peccatum* (Ibid., 16 et 17). Illud quoque expressius: *Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.* (Ibid., 23). Et tamen cum utrumque in se concertantem hominem declarasset, hoc est, interiorem et exteriorem, in animæ magis quam in corporis parte se maluit constituere, quod anima sua traheretur captiva ad peccatum, in qua esse se mallet, et esse confirmat dicens: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus* (Ibid., 24)? Tamquam ab extraneo hoste, ita se desiderat liberari a carne.

4. Non ergo sanguis anima, quia carnis est sanguis: neque harmonia anima, quia et hujusmodi harmonia carnis est: neque aer anima, quia aliud est flabilis spiritus, aliud anima: neque ignis est anima, neque ἐντελέχεια: anima sed anima est vivens; quia factus est Adam in animam viventem (Gen. ii, 7); eo quod insensibile atque exanime corpus anima vivificet et gubernet. Est et præstantior homo, de quo dicitur: *Spiritualis autem dijudicat* **358** *omnia: ipse autem a nemine judicatur* (I Cor. ii, 15). Hic est præstantior cæteris. Unde et David dicit: *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, nisi quod visitas eum* (Psal. viii, 5)?... *Homo vanitati similis factus est* (Ps. cxliii, 4). Non ille secundum imaginem Dei homo vanitatis est: sed qui illud amisit, et in peccatum decidit, et in materialia ista dilapsus est, iste homo est vanitatis.

D 5. Anima igitur secundum sui naturam optima est: sed plerumque ^d per irrationabile sui obnoxia

quod non est inventus, quia transtulit eum Deus: quod manifesta interpretatione, etc. Vet. edit. et mss. hoc loco nihil discrepant, nisi quod ubi edit. et quidam mss. habent, viri, in aliis pluribus ac probatoribus legitur veri.

^b Ita mss. plures potioresque. Vat. autem, Theod. et vet. edit., *sensu se corporales delectationes effundunt perniciosæ. . . . proruentes; Theod., profluentes. Vat. alter Valc., Torn. ac Rom. edit., sensim se corporales, etc., ut edit. antiquæ.*

^c Mss. aliquot bonæ manus, *aliud quod odit.*

^d Sic mss. sex probatissimi, cum edit. Rom. At vat. cod. Joy. cum ant. edit., *secundum irrationabilem sui partem; Long., Theod. et Valc., sui motunt. Rursus eodem loco ubi edit. Am. et Era., ad impo-*

fit corruptioni, ut inclinatur ad voluptates corporis, et ad petulantiam, dum mensuram rerum non tenet, aut fallitur opinione, atque inclinata ad materiam agglutinatur corpori. Sic invisibile ejus impeditur, et malitia repletur; quia dum intendit malitiæ, ejus se vitiis replet, et fit defectu bonitatis intemperantior.

CAPUT III.

Perfecta anima terrenis abdicatis, vitiisque domitis Verbum osculari desiderat: cui se Deus Verbum totus infundit. Hoc illa delectata ab eo petit ut attrahatur; quæ omnia etiam Ecclesiæ vir sanctus accomodat.

6. Perfecta autem anima aversatur materiam: omne immoderatum, mobile, malignum refugit ac respuit; nec videt, nec appropinquat ad ullius terrenæ labis corruptionem: divinis intendit, terrenam autem materiam fugit. Fuga autem est, non terras relinquere, sed esse in terris, justitiam et sobrietatem tenere, renuntiare vitiis, non usibus elementorum. ^a Fugiebat (*De Pœnit. dist. 2, cap. Ut cognoverunt, § Fugerat*). David sanctus a facie Saul; non utique, ut terras relinqueret, sed ut immitis, et inobservantis, et perfidi declinaret contagium. Fugiebat autem adhærens Deo, sicut et ipse ait: *Adhæsit anima mea post te (Ps. LXII, 9)*. Abducebat se, et ablevabat vitiis sæculi hujus, elevabat animam suam sicut Isaac in campo, vel abalienabat, vel (ut alii habent) deambulabat. Nam hoc quoque ostendit cum virtutibus familiare habere consortium, ut deambulet unusquisque in innocentia cordis sui, nullo usu terrenis vitiis misceatur, atque irreprehensibilem viam inoffenso mentis carpat vestigio, nec ullum locum in se aperiat corruptioni.

7. Talis erat Isaac cum Rebecam advenientem expectaret, præparans se copulæ spiritali. Veniebat enim jam cœlestibus dotata mysteriis: veniebat magna secum ornamenta aurium et manuum ferens; eo quod auditu et operibus emineat Ecclesiæ pulchritudo, cui recte dictum advertimus: *Esto in millia millium, et semen tuum possideat adversariorum civitates*. Decora igitur Ecclesia, quæ ex inimicis gentibus filios acquisivit. Sed potest hoc etiam ad animam deputari, quæ passiones corporis subigit, et ad virtutum officia convertit, repugnantesque motus sibi obediens **359** efficit. Ergo vel anima Patriarchæ videns mysterium Christi, videns Rebecam venientem cum vasis aureis et argenteis, tamquam Ecclesiam cum populo nationum, mirata pulchritudinem Verbi, et sacramentorum ejus dicit: *Osculetur me ab osculis oris sui (Cant. 1, 4)*. Vel Rebecca videns verum Isaac, verum illud gaudium, veram lætitiâ, desiderat osculari.

8. *Primus animæ processus*. Quid est igitur: *Osculantiam*, et Rom. cum mss. Vat., Torn. ac Theod., et appetentiam, alii mss. et edit. habent, et ad petulantiam. Tertio pro *rationabile ejus*, ut habet edit. Rom., et *visibile ejus*, ut aliæ omnes et mss. nostrates, cod. Vat. præfert, *invisibile ejus*, quem hoc loco sequi libuit. Denique non minor ambigendi locus an

A letur me ab osculis oris sui? Considera vel Ecclesiam jamdiu promisso sibi per Prophetas Dominico adventu, per tempora multa suspensam, vel animam, quæ elevans se a corpore, abdicatis luxuria, atque deliciis, voluptatibusque carnalibus, exuta quoque sollicitudine sæcularium vanitatum, jam dudum infusionem sibi divinæ præsentis, et gratiam Verbi salutaris exoptet, commacerari quod sero veniat, et affligi; ideoque quasi vulneratam charitate, cum moras ejus ferre non possit, conversam ad Patrem rogare, ut mittat sibi Deum Verbum; et causam qua sit ita impatiens declarare, dicentem: *Osculetur me ab osculis oris sui*. Non unum osculum quærit, sed plura oscula; ut desiderium suum possit explere. Quæ enim diligit, non est unius osculi parcitate contenta: sed plura exigit, plura vindicat; et ita se amplius dilecto commendare consuevit. Denique illa in Evangelio sic probata est: quia *non cessavit, inquit, osculari pedes meos... et ideo remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum (Luc. vii, 45 et 47)*. Ergo et hæc anima oscula Verbi multa desiderat, ut illuminetur divinæ cognitionis lumine. Hoc est enim osculum Verbi, lumen scilicet cognitionis sacræ. Osculatur enim nos Deus Verbum, quando cor nostrum, et ipsum principale hominis spiritu divinæ cognitionis illuminat, quo anima donata charitatis pignore nuptiali, læta atque ovans dicit: *Os meum aperui, et duxi spiritum (Ps. cxviii, 151)*. Osculum est enim quo invicem amantes sibi adhærent, et velut gratiæ interioris suavitate potiuntur. Per hoc osculum adhæret anima Deo Verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam ii qui se osculantur, non sunt laborum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere.

9. Ostendens itaque non solam speciem Verbi, et vultum quemdam, sed omnia ejus interiora diligere, adjungit ad osculorum gratiam: *Quia bona, inquit, ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata (Cant. 1, 2)*. Illa osculum poposcit: Deus Verbum se ei totus infudit, et nudavit ei ubera sua, hoc est, dogmata sua, et interioris sapientiæ disciplinas, et unguentorum suorum dulci odore fragravit. Quibus capta, dicit uberiores esse jucunditatem divinæ cognitionis, quam lætitiâ omnium corporeæ voluptatis. Aspirat enim in Verbo odor gratiæ, et remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tamquam exinanito replevit unguento; quia per universos gravis vitiorum colluvies deteresa est.

10. *Propterea, inquit, adolescentulæ dilexerunt te. Attrahe nos, ut post odorem unguentorum tuorum curramus (Ibid., 2 et 5)*. Bona quidem prudentia, sed dulcis misericordia. Illam enim pauci adsequuntur, hæc ad omnes pervenit. Propter hanc, inquit, indulgendum, et *fit defectus*, ut in plerisque mss. et edit. Am. ac Era., Frob. an vero, et *fit defectu*, ut in aliis. Sed ad sensum parum admodum referre existimamus. ^a Gratianus loco cit. Ambrosii sensum refert potius quam verba; quæ tamen a se exhiberi significat.

tiam **360** tuam diligunt te animæ renovatæ spiritu. Unde et ad animam dicitur: *Renovabitur sicut aquilæ juvenus tua* (Ps. cii, 5). Ad animam enim loquebatur, dicens: *Benedic anima mea Dominum* (Ibid., 1). Et ideo festinat ad Verbum, et rogat ut adtrahatur, ne forte derelinquatur; quia currit Dei Verbum, et non est alligatum. Denique exultat tamquam gigas ad currendam viam. Et quia egressus ejus a summo cælo, et occursus ejus usque ad summum ejus, videns se imparem tantæ velocitati dicit: *Attrahere nos*. Bona anima, quæ non pro se sola, sed pro omnibus rogat. *Attrahere*, inquit, *nos*: Habemus enim cupiditatem sequendi, quam unguentorum tuorum inspirat gratia: sed quia cursus tuos æquare non possumus, attrahere nos, ut auxilio tuo fultæ, vestigiis tuis possimus insistere. Si enim tu attraxeris, curremus et nos, et spiritalia velocitatis flabra capiemus. Deponitur enim sarcina quibus manus tua fulcro est, et oleum tuum infunditur, quo curatus est ille qui a latronibus vulneratus est. Ac ne impudens tibi videatur quod ait: *Attrahere nos*, audi dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam* (Matth. xi, 28). Vides quod libenter nos attrahat, ne remaneamus sequentes. Sed qui vult attrahi, currat ^a ut comprehendat: et currat superiora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens; sic enim poterit Christum comprehendere. Unde et Apostolus ait: *Sic currite, ut omnes comprehendatis* (I Cor. ix, 24). Vult et ista ad braviū pervenire, quæ desiderat comprehendere. Prudenter ergo rogat ut attrahatur: quia non omnes sequi possunt. Denique Petro dicenti: *Quo vadis?* Respondit Verbum Dei: *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea* (Joan. xiii, 36). Claves ei commiserat regni cælorum, et sequendo se imparem judicavit. Hanc tamen animam non distulit; quia non præsumebat, sed rogabat.

CAPUT IV.

Introducitur in cubiculum Regis perfecta anima. Cui corporis se contagione fuscata querenti, ut se cognoscat, exeat, etc. Christus præcipit. Eadem equæ Solomonis comparatur. Ad hæc putei quos fodit Isaac, quid significant? Et quo pacto demum Christus revocatus ab anima, saliens redeat, nec non ipsi adblandiatur?

11. Secundus animæ processus.— Denique ait: *Introduxit me rex in cubiculum suum* (Cant. i, 3). Beata anima, quæ Verbi ingreditur penetralia. Insurgens namque de corpore ab omnibus fit remotior quæ intra semet ipsam divinum illud si quo modo assequi possit, scrutatur et quærit. Quod cum potuerit comprehendere, ea quæ sunt intelligibilia supergressa,

^a Edit. ac pauci mss., *ut comprehendatis*; alii plures potioresque, *ut omnes comprehendatis*.

^b Edit. Rom. et primæ ab illa Paris. *nec in suspiciendis*. Reliquæ cum mss. omnibus, *nec in despiciendis*; excepto tamen uno cod. Vat. in quo, *nec inspicendis*. Sed in recepta lectione nihil mutandum; cum *despicere*, non semper idem sit ac *contemnere*, sed a

A in illo confirmatur, atque eo pascitur. Talis erat Paulus qui sciebat se raptum in paradysum: sed sive extra corpus raptum, sive in corpore, nesciebat. Assurrexerat enim anima ejus de corpore, et se a visceribus et vinculis carnis abduxerat atque elevaverat; factusque a semetipso alienus, intra semetipsum tenuit verba ineffabilia quæ audivit, et vulgare non potuit; quia advertit ea loqui homini non licere. Anima ergo bona contemnit visibilia et sensibilia, nec **361** consistit in eis, ^b nec in despiciendis his iminoratur et residet: sed ascendit ad illa æterna et invisibilia, et plena miraculis, puro sensu se piæ mentis attollens. Etenim perfectioni studens, solum illud bonum Divinitatis intendit, nec aliud quidquam requirendum putat; quia tenet quod summum est. Itaque vir hujusmodi, in quo est animæ pulchritudo, solus sibi abundat, quia ipse sibi est satis. Nec solus aliquando est, cui præsul Dominus adest.

12. Denique in illud divini illius introducta secretum: *Exsultemus*, inquit, *et lætemur in te, et diligamus ubera tua super vinum* (Cant. i, 5). Non enim in divitiis, et auri argentique thesauris, non in possessionum fructibus; non in potestatibus, non in conviviis, sed ^c in solo Deo justus exultat.

13. Eadem tamen anima cognoscens se corporis societate fuscata, dicit ad alias animas, vel ad illas cœlestes et appositas sacro ministerio potestates: *Nolite aspicere me quod obfuscata sum; quoniam non est intuitus me sol. Filii matris meæ pugnaverunt adversum me* (Ibid., 5), hoc est, impugnaverunt me corporis passiones, carnis illecebræ coloraverunt; ideo mihi sol justitiæ non refulsit: quo viduata præsidio, devotionem meam, et observantiam plenam servare non potui; hoc est enim: *Vineam meam non custodivi* (Ibid.), quia spinas et non uvam attuli, id est, faciens peccata pro fructibus.

14. Et cum de Verbo loquitur, irradiante sibi Verbi splendore conversa ad ipsum dicit: *Ubi pascis? Ubi manes in meridiano* (Ibid., 6)? Recte dicit: *Ubi pascis?* quia ^d regale est Dei Verbum: *Ubi manes*; quia morale: *In meridiano*, quia mysticum. Siquidem meridie Joseph cum fratribus suis in convivio constitutus futurorum temporum mysteria revelabat. Sed etiam David ait: *Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet: et educet sicut lumen justitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem* (Psalm. xxxvi, 5). Et ipse Paulus circumfussisse sibi lumen meridie asseruit (Act. ix, 5), quando a persecutione est conversus ad gratiam. Queritur ergo quod derelicta sit, quod destituta sit pauper ex divite. Abundabat enim munere gratiarum: sed egere cœpit, ubi divinæ præsentiae sibi copia denegata est; et ideo vel quasi mercenaria habebatis auctoribus sumatur etiam pro *dispicere* et *considerare*.

^c Edit. paucique mss., *in solo Deo exultat*; reliqui melius, *... justus exultat*.

^d Cum ibi allodat ad triplicem Scripturæ sensum, *regale*, dixit pro *naturale*, quia Verbo naturaliter competit regem esse.

beri postulat, quæ ante sibi pretiosioris copulæ gratiam vindicabat.

15. Cui respondit Verbum Dei : *Nisi cognoscās te, decora inter mulieres* (Cant. 1, 7); quæ quæteris quod relicta sis, nisi te cognoscas, nisi te pœniteat lapsus tui, nisi intentionem devotionis approbes, nisi fides tua et sinceritas augeatur, querela nihil proderit. Aut sic : Nisi cognoscās te quia decora es, nisi pulchritudinem naturæ tuæ serves, et corporis te illecebæ non demergant, nec impedimenta detineant, nihil tibi a creaturæ melioris nobilitas suffragabitur.

16. Cognosce igitur te, et naturæ tuæ decorem, et exi quasi exuta vinculis pedem, et nudo exserta vestigio; ut carnalia integumenta non sentias : vestigium mentis tuæ corporalia vincula **362** non implicent; ut pes tuus speciosus appareat. Tales enim sunt qui ad regnum cœlorum annuntiandum eliguntur a Domino, de quibus dictum est : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (Esai. LII, 7)! Talis Moyses, cui dicitur : *Solve calceamentum pedum tuorum* (Exod. III, 5); ut vocaturus populū ad Dei regnum, prius carnis exuvias deponeret, et nudo spiritu, vestigioque mentis incederet. Hoc est ergo quod ait : *Exi tū in calcæneis regum, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum* (Cant. 1, 7); quia per greges regnum intelligimus, eo quod potestatis sui gregibus præsidere. Præsides autem unusquisque sibi quadam potestate regali, si coerceat in se corporis luxus, et servituti redigat carnem suam. Ideoque dictum est : *Regnum Dei intra vos est* (Luc. XVII, 21). Unde pulchre ait ad animam : *Exi*, id est, exi a servitio, exi a carnis imperio atque dominatu : et exi non in carne, sed in spiritu : exi ad regimen potestatis. Ideoque addidit. *Pasce hædos tuos*. Rege eā quæ in sinistra tua sunt; nam si non regantur, facile labuntur. Coerce ^b petulantiam, lasciviam tui corporis, et luxuriam irrationabilem : edoma leves motus, pasce eos non in corporeis tabernaculis, sed in tabernaculis pastorum, qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Israel sicut nemora obumbrantia super flumen, in quibus anima tamquam in procinctu bellico sita bonam exercet militiam, incursus explorat hostiles, virtutis labore quærit victoriam; ut possit equæ illi quæ Salomonis est, comparari, velox ad currendum, habilis ad partum (Cant. 1, 8); quoniam fecunditas animæ desideratur et quæritur.

17. Hæc ergo equa pretiosa est, et currus Pharaō veloces; quod aliqui ad Ecclesiam referunt et ad populum. Sed de hoc mysterio alibi sæpius diximus, et maxime in Psalmo centesimo octavo decimo (Serm. 2 in Psal. cxviii). Hoc autem loco de anima dicen-

^a Omnes edit. ac mss. nonnulli, *naturæ melioris nobilitas*, etc. sed optimi quique legunt, *creaturæ*, etc.

^b Mss. Big. et Ebr., *petulantiam lasciviam tui corporis, et luxuriæ irrationabilis edoma leves motus. Pasce*, etc.

^c Rom. edit. *nam quos foderat Abraham pater ejus, obstruxerunt et impleverunt terra.... patris ejus*. Eadem

duam suscepimus. Hujus equæ similis aestimatur hæc anima, hoc est, prophetiæ vel apostolicæ virtutis, quod in eorum annumeretur grege, qui fecunditate prædicationis suæ totius orbis terrarum spatia refererunt; et quamvis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritalis sensere dispendia. Ideoque laudatur quod cœlesti sibi illuminante præcepto, jam speciosa, jam pulchra sit, quæ vultu præferat castitatis decorem; et redimicula cervicis attollat, in qua sunt patientiæ et humilitatis insignia. Talis animæ diligebat Isaac verus decorem, humilitatem, patientiam; et ideo partus ejus avide requirebat.

18. Concepit autem Rebecca, et patientia sua nodum sterilitatis absolvit. Quid autem pariat prophetica atque apostolica anima consideremus, et quomodo pariat : *Abiit*, inquit, *interrogare Dominum* (Gen. xxv, 22), quia exsultabant infantes in utero ejus. Et responsum accepit : *Duæ gentes in utero tuo sunt* (Ibid., 25); eo quod nihil sponte præsumat : sed in omnibus summum Deum præsullem poseat suorum consiliorum : simul plena pacis atque pietatis duos populos sua fide et prædicatione connectat, et tamquam utero suo claudat.

363 19. Quæ non immerito soror magis quam uxor appellatur, eo quod milis atque pacifica anima communis magis pietatis quam specialis copulæ nomen accipiat; et quia universis magis quam uni se existimet obligatam.

20. Fodit autem puteos Isaac; et plurimos quidem, quos foderat pater ejus, et repleverant illos post mortem Abraham patris illius, alienigenæ. Præ cæteris tamen fodit hos puteos, unum in convalle Gerarum, et invenit ibi puteum aquæ vivæ : et litem fecerunt pastores Gerarum cum pastoribus Isaac; eo quod aquam sibi ejus putei quasi propriam vindicabant, et vocavit nomen ejus Injustitiam. Et fodit alium puteum, in quo orta est disceptatio; et imposuit illi nomen Inimicitias. Et fodit tertium, in quo lis nulla inter pastores commissa est, et vocavit eum Latitudinem. ^d Fodit et puteum Juramenti, et non invenit in eo aquam; et vocavit eum puteum Juramenti.

21. Quis hæc legens, terrena magis quam spiritualia opera esse arbitretur, quod vel Abraham fodit puteos, vel Isaac, tanti videlicet patriarchæ, vel etiam Jacob; sicut et in Evangelio (Joan. iv, 12) reperimus, velut fontes quidam generis humani, et specialiter devotionis ac fidei. Quid est enim puteus aquæ vivæ, nisi profundæ altitudo doctrinæ? Unde et Agar ad puteum angelum vidit, et Jacob ad puteum Rachel sibi invenit uxorem : Moyses quoque

multos Scripturæ locos passim infarcit, quos nusquam alibi reperias.

^d Edit. Rom., *Fodit et alium puteum, et nuntiantes servi invenisse se in eo aquam, vocavit eum*, etc., ne correcte quidem. Duo mss., *Fodit et puteum juramenti. Etenim invenit in eo aquam, et vocavit*, etc. Reliqui vero mss. et edit. nobiscum faciunt : imo et LXX Interpretum auctoritas, quos adi Gen. xxvi, 32, et notas Nobilii ibidem.

secus puteum futuri locavit merita prima conjugii.

22. A puteo igitur visionis, aperire Isaac adorsus est puteos; et bono ordine; ut ejus putei aqua primum rationabile animæ, oculumque ejus dilueret et foveret, quo visum ejus faceret clariorem. Fodit etiam alios puteos plures. Unde et scriptum est: *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus* (Prov. v, 15). Quanto plures fuerint, tanto est uberius redundantia gratiarum. Fodit tamen puteum, quem foderat pater ejus Abraham, de quo litem fecerunt pastores Gerarum, hoc est, maceris. Ubi enim maceria, ibi divisio inter repugnantes, ibi injustitia; et ideo vocavit Injustitiam. Alium quoque fodit, et orta dissensione, vocavit eum Inimicitias. In quibus videtur elucere doctrina moralis; eo quod sublato pariete maceris, solutæ sint in carne hominis inimicitia, et facta sint utraque unum in figura per Isaac, in veritate per Christum; meritoque postea pura aqua in eo puteo sit reperta, tamquam doctrina moralis utilis ad hauriendum. Puteus quoque Latitudinis quid aliud significat nisi de naturalibus disciplinam? Qua causa et Latitudo dicitur, quia sine contentione, sine lite, jam quietus atque securus est, qui mundana hæc et sensibilia fuerit supergressus. Unde superatis jam adversantibus et alienigenis cogitationibus (quid enim tam alienum quam omnia sæcularia, quæ perpetua esse non possunt) potest sapiens dicere: *Dilatavit Dominus nobis, et auxit nos super terram* (Gen. xxvi, 22), quia terrena transcendit. Ultimus est puteus **364** Juramenti, in quo ei visus est Deus, et ait ei: ^a *Noli timere, tecum enim* C *sum* (Ibid., 24). Et benedixit eum. Hæc doctrina jam mystica est.

23. Habes hæc in Salomone; quia Proverbia ejus moralia; Ecclesiastes naturalis, in quo quasi vanitates istius despicit mundi; mystica ejus sunt Cantica canticorum. Habes et in propheta: *Seminate vobis ad justitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis* (Ose. x, 12). Hoc est enim lumen cognitionis, habere charitatis perfectionem. Ideoque dictum est: *Noli timere*; charitas enim timorem excludit foras. Ut cognoscamus autem quia et Salomon ita hos interpretatus est puteos, ut ad moralem doctrinam, et naturalem referret, et mysticam, in singulis libris suis quos de moralibus, vel naturalibus, vel mysticis scripsit, posuit hos puteos. D

24. Nam et in Proverbiis cum declinandam speciem diceret sæcularis illecebræ, ait: *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus, et superfluant tibi aquæ de tuo fonte* (Prov. v, 15). Et infra: *Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, et jucundare cum uxore* (Ibid., xviii); ^b eo quod adversus tentamenta

^a Rom. edit., *Ego sum Deus Abraham patris tui, ne timeas.*

^b Addit Rom. edit., *quæ ab adolescentia tua; eo quod, etc.*

^c Ita sex mss. melioris notæ. Unus, *Et quia ultra ipsum puteus, etc.* Tres alii, et cunctæ edit., *Et quia ipse puteus, etc.*

^d Edit., *Et quia Messias venit qui Christus est.* Mss.,

A mundi remedio nobis vera sapientia sit. Moralis quoque doctrina, quæ imaginem mundanæ voluptatis meretriciis quibusdam illitam fucis irriguo suo diluat, et fluente sui fontis abstergat.

25. De naturalibus quoque habes in Ecclesiaste dictum: *Feci mihi piscinas aquarum ad irrigandum ex his saltum germinantem* (Eccles. ii, 6). Neque te moveat quod pro puteo piscinas posuit; quia et Moyses puteum Latitudinis dixit, eo quod a sollicitudine omni et angustiis absolvitur, qui mundum hunc pia mente transcendit. Non immerito ergo piscinas habet Ecclesiastes, qui vidit nullam abundantiam esse sub sole: sed si quis abundare velit, in Christo abundet.

26. Et de mysticis putens superest nobis, quem B etiam ipsum reperimus in Canticis Canticorum, dicente Scriptura: *Fons hortorum, puteus aquæ vivæ, et impetu descendens a Libano* (Cant. iv, 15). Etenim si mysteriorum altitudinem persequaris, puteus tibi videtur tamquam in profundo sita mystica esse sapientia: si vero haurire velis affluentiam charitatis quæ major et uberius est quam fides et spes, tunc tibi fons est. Exuberat enim charitas, ut et haurire eam cominus, et rigare ejus affluentia hortum tuum possis spiritualibus fructibus redundantem. ^e Et quia ultra ipsum puteum Latitudinis est, qui charitatem habet; ideo dixit, quia ubi charitas est, ibi impetus magnus descendit a Libano. Ne quid autem moveat quod et puteum et fontem eundem dixit, etiam Evangelium te instruat, in quo scriptum est: *Quia* C *venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo, Erat autem ibi fons Jacob. Et fatigatus, inquit, sedebat sic super puteum* (Joan. iv, 5 et 6). Unde ad mysticam doctrinam hunc referri puteum etiam ibi cognoscimus quia ibi Samaritana illa, id est, custos (custos autem coelestium præceptorum) hausit de puteo illo divina **365** mysteria, cognoscens quia Deus spiritus est, et non in loco adoratur, sed in spiritu (Ibid., et seq. 24); ^d et quia Messias Christus est. Et ideo qui adhuc expectatur a Judæis, jam venit. Quibus auditis, mulier illa quæ speciem Ecclesiæ gerit, legis sacramenta cognovit, et credidit.

27. In ipso quoque Canticorum libro Salomon hanc triplicem sapientiam evidenter expressit; licet in Proverbiis dixerit (Prov. xxii, 20), ut tripliciter sibi scriberet, qui sapientiam ejus vellet audire. Ait ergo in Canticis sponsa de sponso: ^e *Ecce es sponsus consobrinus meus equidem pulcher: acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum cedri, lacunaria nostra cupressi* (Cant. i, 15 et 16). Possumus hoc de moralibus accipere. Ubi enim requiescit Christus et Ec-

Et quia Messias Christus est.

^e Sic mss. octo probatiores. Alii aliquot, ac vet. edit., *Ecce sponsus est consobrinus meus. Et ideo pulchra acclinatio, etc.* Rom. vero, *Ecce pulcher es consobrinus meus, ecce pulcher es, et decorus; acclinatio nostra, etc.* LXX interp., Ἰδοὺ εἶ καλὸς ἀδελφιδός μου, καὶ γε ὄρατος, πρὸς κλίτη ἡμῶν σὺσπιος. Vide Notæ Nobilii ad hunc versum.

clesia, nisi in operibus suæ plebis? Denique ubi impudicitia, ubi superbia, ubi iniquitas erat, ibi ait Dominus Jesus: *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (Matth. viii, 20).

28. De naturalibus autem quid accipimus? *In umbra*, inquit, *ejus concupivi et sedi, et fructus ejus dulcis in faucibus meis* (Cant. ii, 5). Qui enim terrena supergreditur, et cui mundana moriuntur (quoniam crucifigitur ei mundus, et ipse mundo) omnia quæ sunt sub sole refugit et contemnit.

29. De mysticis quoque ait: *Introduc me in domum vini, constitue in me charitatem* (Cant. ii, 4). Etenim sicut vineam suam vitis, ita Dominus Jesus populum suum quasi vitis æterna quibusdam brachiis charitatis amplectitur.

30. Considera singula. In moralibus flos est, et inter spinas lilium, sicut ipse ait: *Ego flos campi, et lilium convallium* (Ibid., 1). In moralibus ergo flos est. In naturalibus sol justitiæ, qui oriens et resurgens illuminat, occidens obumbrat. Cave ne tibi occidat, quia scriptum est: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ephes. iv, 26). In mysticis charitas est, quia plenitudo legis est Christus. Et ideo Ecclesia quæ diligit Christum, vulnerata est charitate.

31. Hanc itaque charitatem suscitatur, et resuscitatur donec vocem ejus accipiat, et præsentiam ejus arcesiat; quia quæsitus non solum venit, sed etiam saliens venit: *Saliens super montes, et transiliens super colles* (Cant. ii, 8). Super majoris gratiæ animas salit, inferioris transilit. Vel sic: saliens quomodo venit? Saltu quodam venit in hunc mundum. Apud Patrem erat, in Virginem venit, et ex Virgine in præsepe transilivit. In præsepi erat, et fulgebat in cœlo, descendit in Jordanem, ascendit in crucem, descendit in tumulum, surrexit e tumulo, et sedet ad Patris dexteram. Inde quasi hinnulus cervorum, qui desiderat ad fontes aquarum, descendit ad Paulum, et circumfulsit eum, et exsilivit super Ecclesiam sanctam, quæ est Bethel, quod dicitur domus Dei. Pauli enim vocatio Ecclesiæ firmitudo est.

32. Venit ergo, et primo post parietem est, ut inimicitias animæ et corporis solvat, sublato pariete qui impedimentum concordiæ videbatur adferre. Deinde prospicit per fenestras. Quæ sint fenestræ audi prophetam dicentem: *Fenestræ apertæ 366 sunt e cælo* (Esai. xxiv, 18). Prophetas utique significat, per quos Dominus genus^a respexit humanum priusquam in terras ipse descenderet.

33. Et hodie si qua eum anima multum requirat, multum merebitur misericordiæ; quoniam qui multum requirit, plurimum debetur ei. Si qua ergo anima eum studiosius quærat, longe audit vocem ejus: et quamvis ab aliis requirat, præ ipsis a quibus quærit, audit vocem ejus. Videt eum salientem ad se venire, id est, properantem atque currentem, et transilientem eos qui infirmo corde virtutem ejus capere

^a Edit. quædam Paris., *ad genus respexit humanum, priusquam ipse descenderet, et locutus est*. In ant. autem edit. deest *respexit*, ac *vocula*, et. In

non possunt; denique prospicientem per ænigmata prophetarum, legendo eos et tenendo eorum sermones videt eum prospicientem, sed quasi per fenestram, non adhuc quasi præsentem. Videt eminentem super retia. Quid est hoc, nisi forte quia illa retia nobis sunt, non illi. Retia sunt, eo quod adhuc illa anima intra sensibilia et mundana sit, quæ mentem hominis capere, et quodam sinu proprio consueverunt involvere. Posito ergo adhuc in sæcularibus, sed tamen quærenti eum per retia se ostendit.

34. Denique dicit ad animam ejusmodi: *Exsurge, veni proxima mea* (Cant. ii, 10), id est, exsurge a delectationibus mundi, exsurge a terrenis, et veni ad me, quæ adhuc laboras, et onerata es, quia sollicita es quæ sunt mundi. Veni supra mundum, veni ad me, quia ego vici mundum. Veni prope me jam pulchra æternæ vitæ decore, jam columba, id est, mitis atque mansueta, jam tota plena gratiæ spiritualis. Jure ergo jam retia timere non debet, cum is vocet ad se animam, qui tentamentis et retibus mundi non potuit capi. Nam cum nos homines ambulemus in medio laqueorum, per appetentiam escæ retibus simul et laqueis obnoxii sumus. Ille in corpore positus retia non timebat, sed eminebat super retia, id est, super tentamenta mundi, et corporis passiones; immo et alios eminere faciebat. Ideoque etiam hanc animam fundare volens dicebat: *Exsurge, veni proxima mea, noli timere retia*.

35. *Jam præterit hyems* (Ibid., 11), id est, venit pascha, venit indulgentia, venit remissio peccatorum, cessavit tentatio, imber abiit, procella abiit et quassatio. Ante adventum Christi hyems est, post adventum ejus flores sunt. Unde ait: *Flores visi sunt in terra* (Ibid., 12). Ubi ante spinæ, ibi nunc flores. *Tempus*, inquit, *secandi advenit*. Ubi ante desertum, ibi nunc messis est. *Vox turturis audita est in terra nostra*. Bene addidit propheta, *Nostra*, quasi admirans quod ubi ante impudicitia, ibi nunc castitas.

36. *Ficus protulit grossos suos* (Ibid., 13). Quæ ante quasi infructuosa jubebatur excidi, hæc fructus ferre jam cœpit. Sed quid dubitas quia grossos dixit? Priores discutit, ut posteriores meliores adferat. Grossus sicut Synagogæ fructus abjicitur: Ecclesiæ autem renovatur.

37. Et quamvis plena tranquillitas sit, et adoleverint mysteria, iterum tamen dicit: *Surge segura 367 integumento petra* (Ibid., 14), id est, tuta præsidio passionis meæ, et fidei munimento. Suxerunt enim mel de petra, et oleum de firmissima petra. Hoc integumento animæ piorum indutæ, jam nudæ non sunt, et hæc illis est præmunitio. Ideoque et huic animæ ait: *Et veni tu, columbamea, integumento petra juxta præmunitionem, ostende mihi faciem tuam, et insinua vocem tuam*. Hortatur ad confidentiam, ut non erubescat crucem Christi, nec ejus signaculum. Hortatur ad confessionem, vult omnes insidias demss. vero legitur ut in contextu.

^b Omnes edit., *ab aliis requiratur; præ ipsis a quibus quæritur*, etc. Mss. e contrario, *ab eis requirat*, etc.

moveri; ut bonus odor fidei spiret, ut dies fulgeat, ut adversæ noctis umbra non noceat; quoniam qui juxta Christum est dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (Rom. xxiii, 12). Est et umbra sæcularium quæ præterit, et dies cœlestium Christus qui sanctis suis lucet. Accipit hæc anima bona pignora charitatis.

CAPUT V.

Sponsus denuo sublapsus ab anima in cubili in noctibus, etc., incassum quæritur; et quare? Idem tamen postea invenitur; quomodo ipse teneri debeat? Hunc deinde cum sponsa e deserto ascendentem filia Jerusalem mirantur, atque ad thalamum prosculæ epithalamio celebrant. Ipse quoque animam propius vocatam variis laudibus exornat.

38. *Tertius animæ processus.*—Sed quia semper solliciti esse debemus, semper intenti; et quia Verbum Dei sicut capreola exsilit, aut sicut hinnulus cervorum, semper vigilet anima, et prætendat quæ requirit eum, et quæ tenere desiderat. Ideo quasi sublapsus sibi, *In cubili*, inquit, *meo, in noctibus quæsi quem dilexit anima mea.* Qui bene quærit, in cubili quærat, in noctibus quærat, nec dies feriat, neque noctes sit. Nullum tempus vacet a pietatis officio; et si non invenerit primo, perseveret in requirendo. Ideo quæ dicit: *Exurgam itaque, et quæram in civitate, in foro, in plateis* (Cant. iii, 2). Et fortasse ideo non invenit adhuc, quia in foro quæsit, ubi lites sunt; in plateis, ubi nundinæ rerum venalium. Non enim ulla Christus pecunia comparatur.

39. Possumus et sic intelligere. In cubili quærit Christum, quæ quærit eum cum tranquillitate, cum pace. In noctibus quærit, quoniam per parabolas loquebatur. Posuit enim tenebras latibulum suum; et nox nocti indicat scientiam. Deinde quoniam quæ dicimus in corde nostro, ea nos compungere in cubilibus debent. Sed tamen nec sic invenit, et ideo dicit: *Exurgam*, id est, erigam, et attollam intentionem meam, ut quæram impigre, quæram sollicitè: introibo in civitatem. Est et anima quæ dicit: *Ego civitas munita, ego civitas obsessa* (Esai. xxvii, 3). Est civitas munita per Christum, est civitas illa Hierusalem in cœlo in qua abundant divinæ legis interpretes, et disciplina periti: per eos Verbum Dei quæritur. *Quæram*, inquit, *in foro* illius civitatis, in illo foro ubi tractant jura consulti, ubi oleum venditur, quod Evangelicæ virgines emunt (Matth. xxv, 9) ut semper faces suæ luceant, nec eas fumus iniquitatis extinguat. *Quæram*, inquit, *in plateis* in quibus superfluant aquæ de illis fontibus prorumpentes, **368** de quibus Salomon dicit esse potandum (Prov. v, 15).

40. Dum quærit igitur Christum, invenit custodes qui in ministerio sunt, ab his requirit (Cant. iii, 3). Sed anima quæ Deum quærit, etiam custodes transit. Sunt enim mysteria quæ etiam Angeli concupi-

scunt videre. Unde Petrus ait: *Nuntiata sunt*, inquit, *vobis per eos quibus Evangelizaverunt. Spiritu sancto misso de cœlo, in quem concupiscunt angeli prospicere* (I Petr. i, 12). Ergo qui transierit custodes, Verbum invenit. Transivit Johannes, qui Verbum apud patrem invenit (Joan. i, 1).

41. Multi quoque sunt qui in otio quærent Christum, et non inveniunt, et inveniunt eum in persecutionibus, et cito inveniunt. Et ideo quasi post tentationes, quia periculis fidelium suorum adest: *Quam modicum* inquit, *cum transivi ab eis, inveni eum, tenui eum, et non dimisi eum* (Cant. iii, 4). Omnis enim qui quærit, invenit; et qui invenerit, adhærere debet, ne possit amittere.

42. Et quoniam per Evangelium in terris videmus cœlestia mysteria figurata, ^a veniamus ad illam Mariam, veniamus et ad Magdalenam. Consideremus quemadmodum Christum in cubili corporis sui in quo defunctus jacebat, in noctibus quæserint, quando dixit illis angelus: *Jesum qui crucifixus est quæritis; non est hic, surrexit enim. Quid igitur quæritis viventem cum mortuis* (Matth. xxviii, 5 et seq.)? Quid quæritis in sepulchro eum qui jam in cœlo sit? Quid quæritis in vinculis sepulturæ universorum vincula solventem? Non sepulchrum huic sedes, sed cœlum est. Ideo dixit una ex his: *Quæsi eum, et non inveni eum* (Cant. iii, 1).

43. Tamen dum vadunt Apostolis nuntiare, miseratus quærentes, *occurrit eis Jesus dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum* (Matth. xxviii, 9). Tenetur ergo Jesus, sed delectatur sic teneri, quia fide tenetur. Denique delectavit eum et illa mulier quæ tetigit eum, et curata est sanguinis fluxu, de qua dixit: *Tetigit me aliquis; nam sentio virtutem de me exisse* (Luc. viii, 46). Tange ergo, et fide tene eum, et constringe fideliter pedes ejus; ut virtus de eo exeat, et sanet animam tuam. Et si dicat: *Noli me tangere* (Joan. xx, 17); ^b tu tene; *Nondum enim ascendi ad patrem meum*, dixit semel. Dixit: *Noli me tangere*, quando resurrexit: aut forte illi dixit quæ putabat furto esse sublatum, et non virtute propria resuscitatum. Denique in alio libro habes, quia tenentibus pedes et adorantibus dixit: *Nolite timere* (Matth. xxviii, 10). Tene ergo et tu anima, sicut tenebat et Maria, et dic: *Tenui eum, et non dimittam* (Cant. iii, 4), sicut dicebant ambæ: *Teneamus te. Vade ad Patrem, sed non relinquo te, ne iterum labatur. Tecum eam ducito, jam non errantem, sed arborem vitæ tenentem. Rape tuis pedibus inhærentem, ut tecum ascendat: noli me dimittere, ne iterum serpens venena sua fundat, ne iterum quærat femineum mordere vestigium, ut supplantet Adam. Dicat ergo anima tua: Teneo te, et inducam te in domum matris meæ, et in secretum ejus quæ concepit me; ut cognoscam mysteria tua, ut hauriam sacramenta tua. Suscipe igitur noli, in edit. desiderabantur: sed omnium mss. auctoritate restituta sunt.*

^a Rom. edit. ex uno Vat. cod., *veniamus ad Magdalenam, veniamus et ad alteram Mariam.*

^b Quæ inseruntur inter voces, *tu tene, et, dixit*

Evam jam non ficulneæ foliis adopertam, sed sancto Spiritu, et nova gratia gloriosam; quia jam non tamquam **369** nudata absconditur: sed tamquam circumdata vestimenti splendore fulgentis occurrit, quia vestit eam gratia. Sed nec Adam primò nudus erat quando eum innocentia vestiebat (*De Pœnit. dist. 2, cap. Sed nec Adam*).

44. Videntes itaque eam filia Hierusalem Christo inhærentem, et adhuc ascendentem cum eo (dignatur enim quærentibus frequenter occurrere, et condescendere ut eos elevet) dicunt: *Quæ est hæc quæ^a ascendit a deserto* (*Cant. III, 6*)? Desertus hic terræ locus et incultus videtur, sentibus et spinis nostrorum obsitus delictorum. Mirantur videlicet quomodo anima quæ ante^b in inferno derelinquebatur, inhæreat Dei Verbo, et ascenderit sicut vitis propago, in superiora se subrigens, velut fumus natus ex igni, atque alta petens, tum præterea^c bonis operibus flagret. Odor autem ille orationis piæ redolet suavitatem, quæ dirigitur sicut incensum in conspectu Dei. Et in Apocalypsi legimus quod: *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum* (*Apoc. VIII, 4*), quæ incensa deferuntur per angelum, sanctorum orationes scilicet, super altare illud aureum quod est ante sedem Dei, et tamquam piæ precatationis suave flagrat unguentum; quia de æternorum et invisibilium, non de corporalium petitione compositum est: præcipue tamen myrrham redolet et thus, eo quod peccatis mortua sit, et Deo vivat.

45. Hanc igitur ascendentem et non resistentem videntes, et meritorum ejus odoribus delectatæ, agnoscentes quoque Salomonis illius pacifici esse sponsam, etiam comitatu sedulo prosequantur usque ad lectum Salomonis; eo quod ei vera requies in Christo debeatur. Lectus enim sanctorum Christus est (*Cant. III, 7*), in quo universorum fessa sæcularibus præliis corda requiescunt. In hoc lecto requievit Isaac, et benedixit filium juniorem dicens: *Major serviet minori* (*Gen. xxv, 23*). In hoc lecto recubans Jacob benedixit duodecim Patriarchas. In hoc lecto recubans archisynagogi filia surrexit a morte. In hoc lecto jacens viduæ defunctus mortis vincula Christi vocatus voce dissolvit.

46. Perducta igitur sponsa usque ad sponsi requiem, nuptiale canunt carmen dicentes filiabus Hierusalem: *Egredimini, et videte regem Salomonem in corona qua coronavit eum mater ejus in die sponsalium ejus* (*Cant. III, 11*). Canunt epithalamium, et vocant cæteras potestates cælorum, vel animas; ut videant charitatem quam circa filias Hierusalem habet Christus. Unde et meruit coronari a matre quasi filius charitatis, sicut Paulus ostendit dicens: *Quia Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit*

A in regnum filii charitatis suæ (*Coloss. I, 13*). Charitatis itaque filius et ipse charitas est, non ex accidentibus habens charitatem: sed habens semper in substantia sua sicut regnum, de quo dicit: *Ego in hoc natus sum* (*Joan. XVIII, 17*). Ideoque dicunt: *Egredimini*, id est, exite de sollicitudinibus et cogitationibus sæculi, exite de angustiis corporalibus, exite de vanitatibus mundi, et videte quam rex pacificus in die sponsalium suorum habeat charitatem; quam gloriosus **370** sit, quia corporibus resurrectionem dedit, et animas sibi junxit. Hæc magni est corona certaminis, hoc præclarum munus sponsalium Christi, sanguis ejus et passio. Quid enim plus potuit dare, qui sibi etiam non pepercit,^d et pro nobis in mortem animam suam obtulit?

B 47. Ipse quoque Dominus Jesus delectatus fide animæ hujus, confessione, gratia, et collaudatis ejus meritis, propius eam advocat dicens: *Ades huc a Libano, sponsa, ades huc a Libano: transibis et pertransibis a principio fidei a capite Sanyr, et Hermonum, a speluncis leonum, a montibus pardorum* (*Cant. IV, 8*), hoc est: Egredere de corpore, et totam te exue. Non potes enim mihi adesse, nisi ante peregrineris a corpore; quoniam qui in carne sunt, peregrinantur a Dei regno. *Ades*, inquit, *ades*. Bene repetivit, quia sive præsens, sive absens, adesse et placere Domino Deo tuo debes. *Adesto præsens, adesto absens*, etsi adhuc in corpore es. Mihi enim omnes præsentem sunt, quorum fides mecum est. *Adest mihi*, qui exiit de sæculo. *Adest mihi*, qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego portio sum. *Adest mihi*, qui abfuerit sibi. *Adest mihi*, qui se negaverit sibi. Ille mecum est, qui intra se non est; quoniam qui in carne est, non est in spiritu. Ille mecum est, qui ex se ipso egreditur. Ille juxta me est, qui extra se fuerit. Ille mihi integer est, qui propter me perdiderit animam suam. Et^e ideo, *ades sponsa, ades, transibis a principio fidei*. Transit et pertransit e terris, et pertransit quæ ad Christum pervenit. Transit fidei merito, et operum claritate, quæ lucet sicut Sanyr et Hermonum, hoc est, via lucernæ transit devictis tentationibus sæculi, et superatis nequitias spiritualibus, legitimi petens coronam certaminis; et ideo meruit Christo judicante laudari.

D 48. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradus malorum granatorum cum fructu pomorum Cypri* (*Cant. IV, 12*). Laudatur sponsa, eo quod hortus sit, habens in se odorem agri illius pleni, de quo dicit Isaac: *Odor filii mei tamquam odor agri pleni* (*Gen. XXII, 27*). Bona ergo anima fragrat odore justitiæ. Et fortasse ager est Patriarcha; hortus est anima

^a Mss. aliquot, *quæ descendit a deserto?*

^b *In inferno supple loco*, hoc est, terra quæ ita dicitur respectu cæli, quod supernum est.

^c Edit. Rom. cum mss. aliquot, *bonis operibus flagret.*

^d Mss. aliquot melioris notæ, *et pro nobis mortem suam obtulit.*

^e Edit. omnes, *Ades desponsata, et pertransit cæteros, quæ ad Christum, etc.* Nobis mss. fere omnium lectio magis probatur.

inferioris alicujus, quasi agri portio; et hortus clausus, ne incursetur a bestiis; et fons signatus^a quæ integritate signaculi perseverantiaque fidei propria peccata diluerit. Nam quæ de Ecclesia accepit, habet quod ad virginitatis gratiam referat; eo quod in paradiso delectationis posita sine labore fructus capiat spirituales, ^b ut ei patriarcharum animæ rurali quodam labore fructus suos conferant, quo ista capere possit perpetuam suavitatem. Quæ merito fons signatus dicitur, eo quod imago Dei invisibilis in illa exprimitur. Laudant etiam munera animæ^c quæ missa sunt a sponso, quibus dotata veniebat. Dos autem piæ animæ boni odores sunt, myrrha, aloë, crocum, quibus spirat hortorum gratia, et peccatorum fœtor aboletur.

49. Itaque tanto securâ præconio conquiescere **B** 371 aquilonem gravem ventum petit (*Cant.* iv, 16), ne flores discutiât, spirare austrum, id est, vult hyemem præterire, et mollioris flatus vernare temperiem (*Cant.* v, 1). Invitat sponsum in hortum suum. Descendit sponsus, et fructuum ejus diversitate delectatus, lætatur quod invenerit fortiorem cibum, invenerit etiam dulciorem. Est enim velut panis quidam verbi, et mel: ^d alius vehementior, alius suavior sermo. Est et fides alia ferventior, ut vinum: alia lucidior, ut succus est lactis. Hunc cibum Christus epulatur in nobis, hoc poculum bibit, et ejus potus ebrietate nos provocat, ut ad meliora et optima ab inferioribus faciamus excessum.

CAPUT VI.

Tribus superioribus perfectæ animæ processibus strictim repetitis de quarto fusius disputat. In hoc anima dormiens a sponso excitatur. Sed dum moras trahit in surgendo, transit Verbum. Ipsa vero exiens, per vulnera charitatis requisitum vix tandem invenit, atque ita tenet, ut jam amplius non amittat.

50. Audiens hæc anima hausit mysteriorum ebrietatem cœlestium, et velut soporata a vino, et quasi in excessu vel stupore posita dicit: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). Tum verbi præsentis lumine percussa, cum oculis requievisset inflexis, excitatur a Verbo. Quartus autem hic processus est animæ. Primo etenim charitatis impatiens, et Verbi moras non ferens rogabat, ut oscula mereretur, et meruit desideratum videre. Secundo introducta quoque in cubiculum regis, cum mutua misceret alloquia, **D** in umbra ejus requievit, et subito Verbum ei de medio sermone discessit; quærenti tamen non diu abfuit, sed saliens supra montes et transiliens super colles advenit. Nec multo post quasi capreolus, aut cervorum hinnulus dum affatur dilectam, exsilivit et

^a Edit. omnes, et pauci mss. *quæ integritate signaculi perseverante, quæ fide, etc.* Alii vero plures et potiores.... *perseverantiaque fidei.* Rursus post tria verba, mss. quinque, *Numquid Ecclesia accipit? Habet quod, etc.*; duo, *Numquid non Ecclesia accipit quod habet, ut, etc.* Alii partim, *Nam qui de Ecclesia accepit, habet quod, etc.* partim cum edit. ant. ut nos in textu.

^b Codex. Long., *ut patriarcharum animæ rurali quodam anne sine labore fructus suos conferant.*

A reliquit. Terito cum in cubili, et noctibus, in civitate, in foro, et in plateis quæsitum non reperisset, aliquando orationibus suis^e gratiaque revocavit, adeo ut etiam propius vocaretur a sponso. Quarto ipsa jam ab eo dormiens excitatur, quamvis corde vigilaret, ut continuo vocem pulsantis audiret. Sed moram passa dum surgit, quia velocitatem Verbi non poterat comprehendere, dum aperit ostium, transivit Verbum, et ipsa exivit in verbo ejus, et per vulnera requisitum, sed vulnera charitatis, vix tandem invenit, et tenuit, ut postea non amitteret. Ad summam hæc compendioso sermone perstriuxi (*Sup. cap.* 3, 4 et 5). Nunc discutiamus singula.

51. Et si dormias, si modo devotionem animæ tuæ noverit Christus, venit, et pulsat ejus januam, et dicit: *Aperi mihi, soror mea* (*Cant.* v, 2). Bene soror, quia nuptiæ spirituales sunt Verbi atque animæ. Neque enim animæ norunt conjugiorum fœdera, et usus copulæ corporalis, sed sunt sicut angeli in cœlo. *Aperi, inquit, mihi, sed extraneis claude: claude sæculo, claude mundo, neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras; quia materiale* **372** *lumen tenebrosam infundit caliginem, ut non videatur lumen veræ gloriæ. Aperi ergo mihi, noli aperire adversario, neque locum des diabolo. Aperi ipsam te mihi, noli coarctari, sed dilatare, et adimplebo te. Et quia decurso orbe terrarum, plus molestiarum et offensionis reperi, nec facile habui ubi requiescerem: ideo tu aperi, ut in te Filius hominis reclinet caput, cui non est requies nisi supra humilem et mansuetum.*

52. Audiens anima: *Aperi mihi... et caput roris plenum* (*Ibid.*), hoc est, tentationibus sæcularibus, subito turbata, et quasi surrectura quæ surgere jubebatur, ait, cum aloem redoleret et myrrham insignia sepulturæ: *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos* (*Ibid.*, 3)? Veretur enim ne iterum in tentationes resurgat, ne iterum in culpam redeat atque peccatum, et egressus suos virtutumque processus terrenis incipiat vestigiis inquinare. Certe etiam hoc modo perfectionem virtutis suæ indicat, quæ tantam Christi meruerit charitatem; ut ad eam veniat, et pulset januam ejus, et veniat cum Patre, et cœnet cum eadem anima, et ipsa cum eo, sicut in Apocalypsi dixit Johannes (*Apoc.* iii, 20). Etenim cum in superioribus audisset: *Ades huc a Libano sponsa, ades huc a Libano* (*Cant.* iv, 8); et cum adverteret in carne se Christo adesse non posse, sed tunc adesse, si adesset in spiritu; conformans se ad ejus voluntatem, ut esset et ipsa conformis imagini Christi, jam non

^c Plures mss. *quæ missa sunt sponso.* Unus aut alter, *quæ missa sunt sponsæ.* Alii, ac edit. *quæ missa sunt a sponso.*

^d Mss. Ebr. et Colb. in corpore, ac Big. in glossa, *sermo alius vehementior, alius suavior.* Sed in aliorum atque edit. omnium lectione nihil mutandum.

^e Cunctæ edit. cum paucis mss. *gratia quærentem revocavit.* Non male. At mss. octo, *gratiaque revocavit, id est, gratia et favore quibus anima valet apud sponsum.*

sentit carnis exuvias; jam quasi spiritus exiit se a corporis conjunctionem; jam quasi oblita, et quæ si velit, copulæ illius meminisse non possit, ait: *Exiit tunicam meam, quomodo induam eam?* Exiit enim tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam et Eva post culpam, tunicam corruptelæ, tunicam passionum. *Quomodo induam eam?* Non requirit ut induat: sed ita significat abjectam, ut jam indumento sibi esse non posset. *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hoc est, vestigia mea lavi, dum egredere, ac me elevarem de corporis contubernio, de illa connexionem et familiaritate carnalis amplexus, quomodo inquinabo ea; ut in corporis claustrum, et illum tenebrosam passionum ejus carcerem revertantur?

53. Dum hæc illa dicit, misit operationem suam Verbum tamquam per cavernam, non adhuc facie ad faciem, misit tamquam manum: *Et venter, inquit, meus conturbatus est super eum. Et surrexi ego aperire fratri meo. Manus meæ distillaverunt myrrham, digiti mei myrrha pleni sunt super manus clausuræ* (*Cant. v, 4 et 5*). Quid hoc significet consideremus. Primum operibus suis videtur, ut dixi, Deus Verbum tamquam per cavernam, non plene atque perfecte: deinde augetur amor, et conceptus adolescit, atque ex seminibus ejus quæ quodam utero intelligibili suscepit anima, totam plenitudinem divinitatis ejus habitantem in eo corporaliter, ut legimus, videre desiderat. Surrexit, ut propius illud Dei Verbum videret. Et in hoc ipso processus ejus significatur, quod surrexit per vigorem atque virtutem. Præsentia enim Verbi hausit **373** anima virtutem, sicut præsentia Mariæ, cum utero gravis esset, erudit Joannem in utero constitutum, adeo ut exsiliret in utero, et exsultaret Domini præsentiam recognoscens. Surrexit aperire, et opera ejus et facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima quæ Verbum est receptura, ut moriatur mundo, et consepeliatur Christo. Sic enim Christus invenitur, et tale sibi quærit hospitium. Deinde ipsa ministeria operationum, id est, manus et digiti quibus comprehenditur Christus, mortificantur: quos digitos velut eminentia factorum nostrorum opera possumus aestimare. Itaque velut e complexu suo cum jam extenderet intelligibiles manus suas et digitos, ut comprehenderet Verbum transisse sibi illud, non tamen adhuc pertransisse anima pia dicit. Et hoc processum habet, quando transit et pertransit animam Verbum Dei; quia scriptum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes* (*Luc. II, 35*). Hic adhuc transitur, non pertransitur: ut Maria in posterioribus forte pertransitur, ubi tamquam signaculum ponitur in medio ejus Dominus Jesus.

54. Denique statim alius profectus Verbi transiuntis; quia exiit anima in verbo ejus, hoc est, verbum ejus secuta exiit de corpore, elevans se de

^a Nonnulli mss., *familiaritate carnisque amplexu.*

^b Omnes edit. cum paucis mss., *præmittebat in-*

ejus habitaculo, et peregrinam se faciens ei, ut adesset Deo, et esset civis sanctorum. Simul enim et carnis domestici, et Dei esse non possumus. Ergo in hoc loco exire significatur, ut dixi, anima, quando abducit se a corporis voluptatibus. Denique scriptum est: *Exi de Babylone, fugiens a Chaldæis* (*Esai. XLVIII, 20*). Non utique ut regionem Babylonis Hebræus fugiat, sed ut mores, prophético admonetur alloquio; siquidem sint qui in Babylone sint Hebræi, et de Babylone exisse moribus doceant. Nam et illi de quibus dicit Propheta quod sedebant super flumina Babylonis, sedebant quidem in regione Babylonis, sed in ejus non erant vitii et confusione (*Psal. cxxxvi, 1*). Nam quomodo erant in illa confusione vitiorum, qui flebant gerentes poenitentiam quod de arca devotionis, ac fidei, et virtutis paternæ meritis excidissent? Quæ autem in Verbo exit anima, Verbum requirit.

55. Unde et ista cum quæreret, incidit in custodes qui circumeunt civitatem: *Percusserunt, inquit, me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium a me custodes murorum* (*Cant. v, 7*). Bene quidem quasi sponsa veniebat cum pallio quo obnuberet caput suum cum sponsus occurreret. Sicut Rebecca quæ cognito quod Isaac sibi veniret obvius, descendit de camelo, et pallio se operuit (*Gen. xxiv, 65*): ita et hæc anima nuptialis vestis præveniebat insignia; ne forte rejiceretur, quasi vestem non habens nuptialem; vel ut caput velaret propter angelos. Sed illi percusserunt eam, ut amplius probaretur. Exercentur enim animæ tentationibus. Tulerunt ei pallium, quærentes si verum decorem nudæ virtutis afferret: vel quia sine integumento quis in illam cœlestem civitatem debeat introire, nulla deferens secum operimenta fucorum. Sunt etiam qui requirant, ne qua anima exuvias secum vehat carnalis illecebræ, et concupiscentiam corporalem. Nudatur pallio, cum ejus conscientia manifestatur. Sed est et quæ bene nudatur, **374** cui licet imitari dicentem: *Venit enim princeps hujus mundi, et in me inveniet nihil* (*Joan. xiv, 30*); quia certe in illo solo nihil invenit, qui peccatum non fecit. Beata et illa est in qua non gravia aut multa invenit: sed invenit in ea amictum fidei, et sapientiæ disciplinam.

56. Itaque sine dispendio sui (quia etsi volet quis, non potest veram auferre sapientiam: etsi adversarius obstrepat, ibi tamen vera innoxie conversationis elucet integritas), sine dispendio ergo transivit custodes, et siliabus illius cœlestis civitatis admixta Verbum requirit, et quærendo ejus in se excitat charitatem, et ubi Verbum quærat agnoscit. Quod inter orationes sanctorum moretur, et quod ipsis inhæreat, novit, et quod Ecclesiam suam, vel animas justorum suorum inter lilia pascit, intelligit. Hoc mysterium tibi in Evangelio Dominus demonstravit (*Luc. vi, 1*), cum in sabbato duceret per seminata discipulos. Moyses per desertum duxit popu-

signia.

lum Judæorum (*Deut. xxix, 5*): Christus per seminata ducit, Christus per lilia ducit; quia et per passionem ejus desertum floret ut lilius. Sequamur ergo, ut in die sabbati, illius magni sabbati, in quo requies magna est, fructus colligamus. Nec verearis ne Pharisæi accusent seminata colligentem. Etsi illi accusent, sed Christus excusat, et similes facit quas vult animas se sequentes David illius, qui supra legem panes propositionis manducabat, novæ gratiæ sacramenta prophetica jam tunc mente prospiciens (*I Reg. xxi, 6*).

CAPUT VII.

Anima laudatur a sponso, quod eum tam bene constanterque requisierit: quod fidelis, quod verbo potens, quod una ut columba; denique quod sit fecunda virtutibus, ac vitiis careat.

57. Laudatur itaque a sponso quod tam bene et constanter requisierit eum (*Cant. vi, 3*); ideoque jam non solum soror dicitur, sed etiam beneplacita nominatur, quasi ei complacita qui complacuit Patri; et speciosa sicut Hierusalem, sicut admiratio ordinata, quod civitatis æternæ universa habeat mysteria, et admirationi sit omnibus videntibus eam; quia plena ut æquitas atque perfecta est, et fulgorem de Verbi lumine mutuata, dum id semper intendit; fit etiam terribilis ordine quodam ad summum pro-
 vecta virtutum. Ideoque quasi perfectæ dicit: *Averte oculos tuos a me, noli contra me intendere* (*Ibid., 4*), devotione nimia ac fide possibilitatem naturæ et conditionis propriæ supergressa, quia lucem inaccessiblei e regione intueri est grave. *Averte, inquit, oculos tuos a me*; eo quod plenitudinem divinitatis ejus, et splendorem veri luminis sustinere non possit. Possumus tamen et sic accipere: *Averte oculos tuos a me*. Etsi tu perfecta es, aliæ mihi adhuc redimendæ sunt animæ, aliæ fulciendæ. Elevas enim me videndo: ego autem ideo descendi, ut omnes elevem. Et si surrexi, et habeo Patris sedem, tamen orphanos vos non relinquam paterno quasi præsidio destitutos, sed præsentia mea vos confirmabo. Habes in Evangelio hoc scriptum: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi* (*Matth. xxiii, 20*). Averte ergo oculos a me, quia me elevas. Quanto enim quis ad Dominum intendit, tanto amplius **375** Dominum elevat, et ipse elevatur. Unde et ille ait: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me* (*Psal. xxix, 1*). Sanctus enim exaltat Dominum, peccator humiliat. Vult ergo avertere illam oculos, ne eam considerans quod jam ad superiora sequi possit, elevetur, et cæteras animas derelinquat. Ideo et in Evangelio non omnibus discipulis (*Matth. xvii, 1*), sed perfectioribus suam gloriam demonstravit. Constitue nunc aliquem doctorem, qui rem obscuram velit aperire audientibus: quemadmodum etsi ipse potens in sermone sit et scientia, condescendat tamen ^a ad eorum inscitiam qui non intelligunt, et

A simplici et planiore atque usitato sermone utatur, ut possit intelligi. Quisquis igitur inter audientes vivacior sensu sit, qui facile sequi possit, elevat eum atque excutit. Hunc videns doctor revocat, ut patiat magis doctorem humilioribus et planioribus immorari, quo et cæteri sequi possint.

58. Quod ait Aquila: *Sonans ut revelata*, sonantem ad admirationem dignam retulit, quasi magna et sonora habentem opera: revelata, ad operum claritatem; vel quod ejus animæ opera luceant coram Patre qui in coelis est. Unde non otiose pallium ejus sublatum intelligis, ut aperta meritis et nuda fulgeret.

59. Laudatur præterea quod fidelis, quod verbo potens, quod fructibus fecunda diversis, quod una sicut columba habens spiritus unitatem, in qua sit pax, quæ fecit utraque unum (*Cant. v, 2*): et quæ non sit composita ex diversis elementis discretæ compugnantisque naturæ (*Cant. vi, 3*). Quid enim tam diversum quam ignis et aqua, aer et terra, ex quibus corporis nostri creatura consistit? Anima autem benedicta omnis simplex quæ imitatur dicentem: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, et ipsi in nobis unum sint* (*Joan. xvii, 21*). Hæc est enim consummatio atque perfectio. Unde et addidit: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ego in his, et tu in me, ut sint consummati in unum* (*Ibid., 23*). Hæc est ergo anima columba una atque perfecta, quæ simplex atque spiritualis, neque hujus turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnæ, intus timores sunt. Denique hoc verbo unitatis concordiam et pacem significari Scriptura nos docet dicens: *Multitudo autem credentium habebat cor unum, et animam unam, et non erat separatio in eis ulla* (*Act. iv, 32*).

60. Nec otiose fecunditatis laudatur anima, non solum quod sit fecunda virtutibus; sed etiam quod nihil habeat in se mali. Illud enim decorum atque speciosum est, in quo nihil sit mali. Decorum enim quod bonum: quod autem indecorum, hoc malum. Speciosa fecunditas est bonorum operum: contraria ergo speciositati sterilitas; quoniam qui privatur specie vel decore, in eo est malum: quod autem malum, hoc sterile et infecundum. Cujus rei quod evidentius indicium quam natura est? Terra enim quæ bona est, fertilis atque fecunda: quæ autem mala, ea jejuna atque sterilis: quæ vero fertilis, hæc **376** et decora. Quid enim pleno agro pulebrius, cum seges fluctuat, cum poma irrutilant, vel cum uvarum sarta dependent, aut baccis onusta olea curvescit, vel viridanti gramine montium vertices, vallium humilia vestiuntur? Et ut Scripturæ utamur testimonio (*Gen. xxvii, 27*), Jacob decorus erat; et ideo erat odor agri pleni: Esau hispidus erat et indecorus (*Ibid., 11*); et ideo agrestis erat, qui fructus ullos habere non posset. De ipso quoque Domino posteaquam Ecclesiæ fecunditatem fecit assurgere, pulchre dictum est: *Dominus regnavit, decorem induit* (*Psal.*

^a Sic omnes edit. Mss. contra, *ad eorum scientiam*: quod etiam non malo sensu explicari potest.

xcii, 1). Et alibi : *Confessionem, et speciem induisti* A (Ps. ciii, 2). Liqueat igitur decorum id esse, quod fecundum : indecorum, quod infecundum. Similis est causa animæ soli; quia ea decora anima, quæ fecunda sit meritis, fecunda consiliis : ea indecora quæ ^a sterilis. Infirmities etenim animæ sunt sterilitas et materia; namque eam sterilitas fructu defraudat suo, inopiam infert, timorem incutit, adolet cupiditates, et vanas opiniones : sic anima cadit. Quid ergo est malitia, nisi boni indigentia (Vid. S. August. lib. i contr. Jul. Pelag., cap. 9)? Suo enim defraudatur, atque alienis indiget, exinanitur atque repletur sine ulla mensura et modo. Materialia autem vitia animæ obumbrant gratiam. Ignorantia et concupiscentia animæ sunt ægritudines : sed ^b ad speciem magis quam ad materiam referuntur. Ma- B teria est caro, species est ignorantia et concupiscentia. Cur igitur caro accusatur, cum tantæ sint in specie labe? Quia nihil species potest sine materia. Denique nihil species securis sine materia facit. Quid enim esset concupiscentia, nisi eam caro inflammaret? Friget in senibus, in pueris quoque, quia in his corpus infirmum est : ardet in adolescentibus in quibus vis corporis fervet. Ex bonis igitur mala orta sunt; non enim mala sunt, nisi quæ privantur bonis (Vid. S. Aug., *Ibid.*). Per mala tamen factum est, ut bona eminent. Ergo ^c indigentia boni malitia est, et definitione boni malitia deprehenditur, quoniam per disciplinam boni malum reperitur. Bonum autem nullius eget, sibi abundat, mensuram, et perfectionem, finem quoque tribuit omnibus, in quo C universa constant, et de quo omnia pendent. Hæc boni natura est, quæ mentem replet.

61. Circa hoc versatur anima pura, hoc introspicit, et Deum cernit, bonis omnibus abundat. Unde et ait : *Fauces ejus dulcedines, et totus desiderium* (Cant. v, 16). Omnium enim honorum auctor est Deus; ^d et quæ sunt, ejus profecto omnia sunt. Nusquam illic malum; et si in illo mens nostra maneat, malum nescit. Anima igitur quæ in Deo non manet, ipsa sibi auctor malorum est; itaque peccat : anima autem quæ peccat, ipsa morietur. Aureis enim vinculis

^a Tres mss. ac vet. edit., *quæ sterilis infirmitate. Sed enim animæ sunt. Alii duo, . . . Sed damna animæ sunt.* Reliqui, et Rom. edit. ut in textu.

^b *Speciem*, paulo superius pro pulchritudine sumpserat, nunc sumit pro quadam accidentaliter forma quæ animam, non corpus afficit.

^c Ita mss. paucis exceptis, iisque inferioris ævi, qui cum omnibus edit. habent, *Indigentia boni radix malitiæ est. Definitione, etc.*

^d Rom. edit. cum tribus mss., *et quæ sunt ejus, profecto omnia bona sunt, et nusquam, etc.* Alii mss. ac edit. nobiscum faciunt.

^e Mss. aliquot, *profano fertur præcipitio.*

^f Vet. edit., *quoniam non venit ad fidem.* Rom. cum mss. omnibus, *quoniam fidem non invenit.* Hæc autem ultima lectio magis convenit cum iis quæ Ambrosius, l. ii *Hexaem.*, c. 2, n. 6 et 7, et l. ii *de Abraham*, c. 8, n. 54, tradit. Illic enim agens ex professo de hac harmoniæ cœlestis opinione, in qua non solum gentiles philosophos, sed etiam Christianos homines, et inter hos Origenem fuisse in fragmento

soluta virtutum ^e prona fertur præcipitio, et labitur ad inferiora. Anima autem beata est, quam nulla adversa corporis prælia expugnant. Hæc anima sicut passer laqueo contrito, evolat. Escæ enim malorum sunt voluptates corporeæ. His quisquis intendit, laqueo innectit animam suam.

377 62. Qui autem ab escis ejus temperat, et de tenebris ejus exit, ejus anima fulget, ut diluculum, de qua dicitur : *Quænam hæc est prospiciens tamquam diluculum, speciosa sicut luna* (Cant. vi, 9)? Prospicit enim tamquam de domo libera. Nec dicit : *Tenebræ cooperiunt me, et parietes circumdant me, et quis scit si videt Altissimus* (Eccli. xxiii, 26)? Sed ipsa magis lucem expetit tamquam in superioribus domus suæ, id est, corporis sui, et supra mundum posita divina B intuetur, et ad æterna se elevat, ut Deo adsit, jam lumen suorum operum sicut luna orbem suum toto orbe circumferens.

63. Quod autem Aquila ait : *Sonans sicut sol*, videtur illa axis cœlestis conversio, solisque et lunæ et stellarum cursus, concentusque globorum exprimi : quibusdam etiam nostris videtur; qui ^f quoniam fidem non invenit, saltem propter gratiam suavitalis non videtur alienus.

CAPUT VIII.

Eadem anima refugiens coram laudari, ait se descendisse in hortum nucis, etc., quibus amaritudines ac tentationes designantur. In his illa se non cognoscit, sed a Christo cognoscitur ac regitur, dum perveniat ad palmam. Hujus in ipsam reclinatio tria significat, institutionem, progressum, perfectionem. Quæ sequitur ad charitatem exhortatio.

64. Dum laudatur a sponso, verecunde refugiens coram laudari, deinde sponsi amore revocata ait : *In hortum nucis descendere videre in nativitate torrentis* (Cant. vi, 10). Ubi enim est Ecclesia, nisi ubi virga et gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter, ut in amaritudinibus et tentationibus probetur. Per nucem amaritudines intelligimus, per torrentem tentationes, sed tamen tolerabiles, quia scriptum est : *Torrentem pertransivit anima nostra* (Ps. cxxiii, 5). Itaque de-

a nobis restituto docet (Philonem adjungere poterat), illam rejicit ac validis rationibus confutat. Prima vero lectio aptius accommodari potest cum iis quæ idem Sanctus in præfatione ad Commentaria in Psalmos dicit. Namque licet ibi eam sententiam abs se pro vera admitti minime significet, impossibilem tamen non habendam satis declarat his verbis : *Nec id ab usu naturæ alienum videtur; quandoquidem vox missa gratiose plausu nemoribus resultat aut montibus, etc.* Igitur ex his omnibus locis hujusmodi sensum effici posse arbitramur : Qui concentus etsi plane falsus, tamen quoniam ad fidem nequaquam pertinet, non solum tamquam non injucundus proponi potest, verum etiam tamquam non omnino impossibile. Neque enim repugnat, ut quod nec verum nec probabile judicamus, id non negemus esse possibile. Quod autem ait Sixtus Sen. hanc opinionem inter damnata Marciorum dogmata numerari, idem non tam ipsam opinionem, quam portenta quædam, quæ isti hæretici ex ipsa deducebant, intelligi oportere asserit. Illum adi Bibl. sanctæ lib. v, Annot. 105.

scendit in locum amaritudinis, ubi floret vitis, et malorum granatorum specie diversus et multiplex fructus, qui velut uno tegmine totius corporis fide et charitate munitur. In illa ergo amaritudine non cognovit se anima; corruptibile enim corpus aggravat animam, et terrenum habitaculum cito inclinatur. Cognoscere autem semper se debet. Sed tentatus est et Petrus, et non se cognovit et Petrus; nam si cognovisset, non negavisset auctorem. Sed cognovit eum Christus: denique cognovit, qui etiam eum respexit (cognoscit enim Dominus qui sunt ipsius) et tamquam suum misericordiae suae frenis, ut bonus rector revocavit a lapsu. Rector ergo noster Christus est.

378 65. Ideoque ait anima: *Posuit me currus Aminadab* (Cant. vi, 11). Anima ergo currus qui bonum rectorem sustinet. Si currus est anima, habet equos vel bonos vel malos. Boni equi virtutes sunt animae: mali equi, passiones sunt corporis (Vid. S. August. contr. Jul. Pelag., lib. II, cap. 5, et lib. III, c. 14). Bonus ergo rector malos equos restringit et revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, et aut iracundia protendit, aut timor, et se invicem impediunt, et cursum retardant. At vero boni equi evolant, et a terris ad superiora se subrigunt, animamque elevant: maxime si jugum habeant suave, et onus leve dicentis: *Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (Matth., XI, 29). Ipse rector est qui novit equos proprios gubernare, ut aequalis omnium cursus sit. ^a Si velocior est prudentia, tardior justitia, admonet flagello proprio seguiorem; si temperantia mansuetior, fortitudo durior, novit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent. Itaque licet ^b intelligibili spectaculo videre unamquamque animam cum summo certamine ad coelum rapi, festinantes equos qui priores perveniant ad bravium Christi, quo prius imponatur palma cervicibus. Isti sunt equi subjecti fidei jugo, astricti vinculo charitatis, justitiae frenis, retinaculis sobrietatis. Pulchre ergo ait: *Posuit me currus Aminadab*, hoc est, pater populi: ipse autem qui pater populi, idem pater ^c Naason, id est, serpentum. Jam tu recole quis sicut serpens in cruce pependerit pro salute universorum, et intelligis illam animam esse ^D pacificam, cui Pater Deus praesul sit, Christus agita-

^a Edit. Rom.: *Velociores prudentia tardat; justitia admonet flagello proprio seguiorem; temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit; novit, etc.* Clarus quidem sensus, sed quem edit. ant. et mss. omnibus anteponere non sumus ausi. Cum praecipue verba, quae ex illis representamus, non rejiciendam offerant sententiam.

^b *Intelligibile*, hic et passim idem est Ambrosio, ac spiritale vel mysticum, quod nimirum ea non corporis, sed intellectus oculis cerni possunt.

^c Mss. non pauci, *Naasson, id est, serpentini.*

^d Ita mss. probatiores, atque edit. antiquae. Alii

tor; quia scriptum est et hoc nomen in nostris: *Pater, pater, agitator Israel* (IV Reg. II, 12).

66. Hic ergo agitator dicit: *Convertere, Sunamitis, convertere* (Cant. VI, 12). Bene et quasi agitator, et quasi ad currum dicit: *Convertere, Sunamitis*, hoc est, pacifica. Quae enim pacifica est anima, cito se convertit et corrigit, etiamsi ante peccavit, et magis eam Christus ascendit, et regere dignatur, cui dicitur: *Ascende in equos tuos, et equitatus tuus sanitas* (Habac. III, 8). Et alibi: ^d *Misi equos tuos Tharsis* (Ibid., 15). Ili sunt equi Christi. Ascendit ergo equos suos Christus, ascendit Verbum Dei animas pias.

67. Unde cognosce quia et istam ascendit, et perduxit eam ad locum palmae, quando et dicit ad eam: *Quid pulchra et suavis facta es, charitas, in deliciis tuis? Statura tua similis facta est palmae* (Cant. VII, 6 et seq.). Et ipsa ait: *Dixi, ascendam in palmam*. Sed etiam ipsa charitas palma est; ipsa est enim plenitudo **379** victoriae. Plenitudo enim legis charitas est. Curramus ergo, ut comprehendamus: curramus, ut vincamus. Qui vicit, ascendit in palmam, et manducat fructus ejus. Qui vicit, jam non currit, sed sedet sicut scriptum est: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in sede mea, sicut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in sede ipsius* (Apoc. III, 21). Hinc philosophi curulia illa animarum in suis libris expressere certamina, nec tamen ad palmam pervenire potuerunt; quoniam summitatem Verbi et altitudinem illorum animae nescierunt, quam cognovit haec anima, in qua erat Verbi conversio.

68. Sic enim ait: *Ego fratri meo, et super me conversio ejus* (Cant. VII, 10). Hunc sensum tertio repetit diverse in Canticis canticorum. In principio ait: *Frater meus mihi, et ego ei, qui pascit in liliis, usque dum aspiret dies, et amoveantur umbrae* (Cant. II, 16 et 17). Deinde ait: *Ego fratri meo, et frater meus mihi, qui pascit inter lilia* (Cant. VI, 2). In fine ait: *Ego fratri meo, et super me conversio ejus*. Primum ad institutionem animae, ideo et praemisit: *Frater meus mihi*; illo enim demonstrante se, etiam anima adherendi Deo sumpsit affectum: quod sequitur, secundum profectum: tertium, secundum perfectionem. In primo quasi in institutione adhuc umbras videt anima, necdum Verbi appropinquantis ^e revelatione commota, sed ideo adhuc ei dies Evangelii non refulgebat: in secundo sine umbrarum confusione odores pios carpit: in tertio jam perfecta requiem in se Verbo ministrat; ut convertatur super eam, et

autem ac Rom., *misisti*. Porro cum hic locus iisdem verbis in Bibliis nostris nusquam exstet, eum ex Habac., cap. III, petitum ob convenientiam aliquam existimamus. Ibi enim secundum LXX legimus: *Et superduxisti in mare equos tuos; sed voce Tharsis mare significari Hieronymus auctor est; proindeque ipsa potuit ab aliquo interprete relineri, ubi verterunt alii, εις θάλασσαν.*

^e Edit. omnes, et tres mss. sequioris notae, *revelatione commotas, et ideo*. Alii vero, *revelatione commota, etc.*, hoc est, nondum prorsus a somno excitata, anima videlicet.

caput suum reclinet, atque requiescat, ^a meritumque jam tenens quæ antea quæsitum invenire non poterat, invitat ad agrum suum dicens :

69. *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis* (Cant. vii, 11). Supra ad hortum invitabat, hic ad agrum habentem non solum florum gratiam, sed etiam triticum et hordeum, hoc est, solidiorum firmamenta virtutum, ut fructus ejus aspiciat. *Requiescamus*, inquit, *in castellis*, ad quæ Adam cum de paradiso ejectus esset, fuerat relegatus : in his requiescebat, sed terram operabatur. Qua autem ratione exire eum in agrum velit, intellectus manifestus est ; ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, ^b lassos ablevet, revocet errantes. Nam etsi ista anima nova et vetera servavit ei ; tamen sunt adhuc velut agni, qui lactis succo nutriendi sunt. Ergo quasi perfecta, non pro se, sed pro aliis intervenit, ut de sinu Patris exeat, ut procedat foras tamquam sponsus de thalamo egrediens suo, currat viam ut infirmos lucretur, non in illo secreto Patris solio, et in illa luce immoretur, quo ^c invalidi sequi non queant : sed ut assumatur et inducatur in domum sponsæ atque secretum. Sit foris sibi, ut nobis intus : sit medius nostrum, etsi non videatur a nobis.

70. Unde ait : *Quis dabit te, frater, lactantem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te* (Cant. viii, 1). Bona anima quæ foris est, ut Verbum intus sit : illa extra corpus, ut Verbum habitet in nobis.

380 71. *Assumam te*, inquit, *et inducam te* (Ibid., 2). Recte assumitur et inducitur Verbum Dei ; quia pulsat animam, ut aperiatur sibi ostium. Et nisi apertum sibi ostium invenerit, non intrat. Si quis autem aperuerit januam, intrat et cœnat. Sic sponsa Verbum assumit, ut assumendo doceatur ; unde non immerito ascendit adhuc ad superiores mansiones, et semper ^d processum accipit.

72. Quod significant virtutes quæ dicunt vel animæ : *Quæ est hæc quæ ascendit candida innitens super fratrem suum* (Ibid., 5) ? Superius dixerant : *Quænam est hæc prospiciens tamquam diluculum, speciosa sicut luna, electa sicut sol* (Cant. vi, 9) ? Hic plus quod adjiceretur inventum est, eo quod Verbo Dei innixa ascenderet. Perfectiores enim supra Christum recumbant, sicut et Joannes in Christi pectore recumbebat. Ita ergo et hæc vel incumbebat in Christo, vel supra ipsum se reclinabat, aut certe quoniam de nuptiis loquimur, jam quasi tradita in Christi dextera, in thalamum ducebatur sponso.

75. Et quia jam copula charitatis est, blanditur ei

^a Cunctæ edit., meritoque jam tenens, quem antea. Mss. Joyacensis ac Rem., inventumque jam, etc. Alii ut in contextu.

^b Cod. aliquot, lapsos ablevet, vel ablevet.

^c Omnes edit. cum paucis mss., Quo invalidi equi conscendere non queunt; sed ut... domum sponsæ atque secretum. Sit foris ibi, ut nobis intus sit medius. Nobis octo mss. magis placuit auctoritas, in lectionem nostram conspirantium.

^d Sex mss. bonæ notæ, processum accipit, quod significat virtutes, quæ dicuntur animæ. Duo ; proces-

sus, et dicit : *Sub arbore mali elevavi te, illic parturivit te mater tua, illic parturivit te quæ peperit te* (Cant. viii, 5). Bona anima quæ requiescit sub arbore fructuosa, et maxime boni odoris. Nam si Nathanael bonus in quo dolus nullus erat, sub arbore fici visus est, utique bona quæ sub arbore mali elevata est a sponso suo. Plus est enim elevari, quam videri, plus etiam a sponso elevari. Nam etsi Nathanael videbatur sub arbore, tamen anima ejus sponsa non erat, qui occulte veniebat ad Christum, quia verebatur Judæos. Non erat speciosa sicut luna, electa ut sol, quæ erat in umbra, quia sponsa per diem nubit, publice confitetur. Ideo ista sub arbore mali, illa sub ficu ; quia hæc confessionis suæ odorem diffundebat longius : illa habebat puritatis et innocentiae suavitatem, flagrantiam spiritus non habebat.

74. *Illic*, inquit, *parturivit te mater tua, illic parturivit te quæ peperit te* ; ibi enim nascimur, ubi renascimur. Parturiuntur autem in quibus Christi imago formatur. Unde et ille ait : *Filioli mei quos ego parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. iv, 19). Parturit enim qui in utero accipit spiritum salutis, et aliis infundit.

75. Unde quoniam jam formatus in hac erat Christus, ait : *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum* (Cant. viii, 6). Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte, ut semper confiteamur : in corde, ut semper diligamus ; signaculum in brachio, ut semper operemur. ^e Luceat ergo imago ejus in confessione nostra, luceat in dilectione, luceat in operibus et factis ; ut si fieri potest, tota ejus species exprimat in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia caput viri Christus : ipse oculus noster, ut per illum videamus Patrem : ipse vox nostra, per quem loquamur ad Patrem : ipse dextera, per quem Deo Patri sacrificium nostrum deferamus : **381** ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis et charitatis insigne, quia diligens Pater signavit Filium, sicut legimus : *Quem Pater signavit Deus* (Joan. vi, 27). Charitas itaque nostra Christus. Bona charitas, quando obtulit morti se ^f pro delictis nostris : bona charitas, quæ peccata remisit.

76. Et ideo anima nostra induat charitatem, et charitatem hujusmodi quæ sit valida ut mors ; quia sicut mors finis peccatorum est, ita et charitas ; quoniam qui diligit Dominum, peccare desinit : charitas enim non cogitat malum, neque gaudet super iniquitate, sed omnia sustinet. Nam qui ea quæ sua sunt non quærit, quomodo aliena quæret ? Est et mors

sum accipit virtutis, quod significant animæ quæ dicunt. Alii, atque edit. nobiscum faciunt. Videri nihilominus potest hic aliquid esse transpositum : proindeque legendum hocce modo, processum accipit. Quod significant Virtutes vel animæ quæ dicunt. Nisi malis vocem, animæ esse in casu attributionis. Ibi autem per Virtutes angeli essent intelligendi.

^e Omnes edit., Luceat in lectione ; omnes mss., in dilectione.

^f Sic edit. Am. et mss. fere ad unum. Aliæ autem edit. et mss. unus autem alter, pro dilectis.

illa valida per lavacrum, per quam peccatum omne sepelitur, et culpa dimittitur. Talis erat charitas quam deferebat Evangelica illa mulier, de qua Dominus ait: *Remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum* (Luc vii, 47). Est et illa mors sanctorum martyrum valida, quæ culpam abolet superiorem; et ideo valida, cujus non impar est charitas, quæ adæquatür martyrum passioni; ut auferat meritum delictorum.

77. Zelus quoque ut inferi (Cant. viii, 6); quoniam qui zelum Dei habet, pro Christo nec suis parcat. Itaque et mortem habet charitas, et zelum habet charitas, et alas ignis habet charitas. Denique Christus diligens Moysen, in igne ei apparuit. Et Hieremias habens in se donum divinæ charitatis, dicebat: *Et erat ignis inflammans in ossibus meis: et dissolutus sum undique, et ferre non possum* (Jer. xx, 9). Bona igitur charitas habens alas ignis ardentis, quæ volitat per pectora et corda sanctorum, et exurit quidquid materiale atque terrenum est: quidquid vero sincerum est, probat; et quod contigerit, suo igne meliorat. Hunc ignem in terram misit Dominus Jesus, et refulsit fides, accensa est devotio, illuminata est charitas, justitia resplenduit. Hoc igne inflammavit corda apostolorum suorum, sicut testatur Cleophas dicens: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret Scripturas* (Luc. xxiv, 32)? Alæ igitur ignis flammæ scripturæ sunt divinæ. Denique aperiebat Scripturas, et ignis exibat, atque audientium corda penetrabat. Et vere alæ ignis; quia eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Cum Paulus quoque assumeretur a Christo, vidit circumfussisse super se lumen, et super eos qui simul erant, cecidit a pavore, et probatior resurrexit: denique apostolus factus est, qui persecutor advenerat. Spiritus quoque sanctus descendit, et replevit totam domum in qua erant plurimi sedentes, et visæ sunt dispersitæ linguæ tamquam ignis. Bonæ alæ charitatis, veræ alæ quæ volitabant^a per ora apostolorum, et alæ ignis quæ purgatum sermonem loquebantur. His alis evolavit Enoch raptus ad coelum. His alis evolavit Elias curru igneo, et equis igneis ad superna translatus. His alis Dominus Deus per columnam ignis deducebat Patrum plebem. Has alas habuit Seraphim, quando sumpsit carbonem ignis de altari et tetigit os prophetæ, et iniquitates ejus abstulit, et peccata purgavit. Harum alarum **382** igne purgati sunt filii Levi, et baptizantur populi nationum, sicut testificatur Joannes, dicens de Domino Jesu: *Ipsè vos baptizabit in spiritu et igne* (Matt. iii, 11). Merito uri renes suos volebat et cor suum David, quia alas igneas charitatis sciebat non esse metuendas. Merito Hebræi pueri in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia; quia charitatis eos flamma refrigerabat. Et ut plenius cognoscamus

^a Mss. Th., Rig., Torn., Colb. et Theod. prima manu, *per ora populorum.*

^b Edit. omnes cum mss. nonnullis, *subministrat universam substantiam.* Alii mss. majori numero, at-

quia alas habebat perfecta charitas, audisti Dominum dicentem: *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas* (Matth. xxiii, 27)!

78. Sumamus igitur has alas, quæ sicut flammæ ad superiora dirigant. Exuat unusquisque animam suam involucris sordidioribus, et quasi aurum igne approbet detersam luto. Sic enim purgatur anima, velut aurum optimum. Pulchritudo autem animæ sincera virtus, et decus verior cognitio supernorum; ut videat illud bonum ex quo pendent omnia, ipsum autem ex nullo. Eo igitur vivit, atque intellectum accipit. Vitæ enim fons est summum illud bonum, cujus charitas nobis et desiderium accenditur, cui appropinquare et misceri voluptas est: quod ei qui non videt, desiderio est, et ei qui videt, inest; ideoque universa alia despicit, hoc uno mulcetur et delectatur. Hoc est quod^b subministrat universis substantiam: ipsum autem in semet ipso manens dat aliis, nihil autem in se ex aliis suscipit. De quo Propheta ait: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (Psal. xv, 2). Hoc solum videre desideravit, sicut ipse alibi ait: *Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, et videam delectationem Domini, et considerem templum ejus* (Psal. xxvi, 4). Si quis igitur purum illud, et incorporeum summum illud videre meruerit, quid habeat aliud quod desideret? Denique Petrus in monte gloriæ resurrectionis Christi vidit, et nolebat descendere dicens: *Domine, bonum est nos hic esse* (Matth. xvii, 4). Et quanto incomparabilior est illa divinitatis gloria, et lux inaccessibleis, quam si quis viderit, quid aliud concupiscat? Non regna, non facultates, honores, gloria, potestates. Illis enim uti nihil beatitudinis est, hoc uti beatum est; ut illa despiciens, ad hoc conversus maneat. Hanc igitur videns pulchram imaginem ingrediatur intus, foris relinquat vultum corporis. Nam qui intuetur corpora, non debet introrsum intueri; ne more mergentis in gurgite rapiatur atque absorbeatur, et quasi in profundum demersus nusquam appareat. Fugiamus ergo in patriam verissimam. Illic patria nobis, et illic Pater a quo creati sumus, ubi est Hierusalem civitas quæ est mater omnium.

79. Sed quæ est fuga? Non utique pedum, qui sunt corporis. ^c Isti enim quocumque currunt, in terra currunt, et de solo ad solum transeunt. Nec navibus fugiamus, aut curribus, aut equis qui obligantur et cadunt: sed fugiamus animo, et oculis, aut pedibus interioribus. Assuescamus oculos nostros videre quæ dilucida et clara sunt, spectare vultum continentiæ et temperantiæ, **383** omnesque virtutes, in quibus nihil scabrum, nihil obscurum et tortuosum sit: et se ipsum spectet quis, ^d et conscientiam suam: illum oculum mundet, ne quid sordium

que auctoritate, ut in textu.

^c Ms. Rem., *Istis enim quicumque currunt, etc.*

^d Ita edit. omnes, et mss. aliquot. Verum tres non infimæ notæ habent, et conscientiæ suæ illum ocu-

habeat. Quod enim videtur, non debet dissonare ab eo qui videt, quoniam conformes nos Deus imaginis voluit esse Filii sui. Cognitum igitur nobis est illud bonum, nec longe est ab unoquoque nostrum: *In ipso enim vivimus, et sumus, et movemur. Ipsius enim et genus sumus* (Act. xvii, 28), ut Apostolus a gentiles posuit significare. Ipsum est bonum quod quaerimus, et solum bonum. Nemo enim bonus, nisi unus Deus. Hic est oculus qui magnum illum et verum decorem intuetur. Solem nisi sanus et vicens oculus non aspicit; nec bonum potest videre nisi anima bona. Fiat ergo bonus qui vult videre Dominum, et quod est bonum. Hujus boni similes simus, et secundum id operemur quæ bona sunt. Hoc est bonum quod supra omnem operationem est, supra omnem mentem atque intellectum: ipsum est quod semper manet, ad ipsum convertuntur omnia, in quo habitat plenitudo **384**^b divinitatis, et per ipsum reconcilian-

lum mundet. Quatuor, conscientiam suam per illum oculum mundet. Ibidem, omnes edit. ac mss. quatuor, ne quid sordidum habeat. Alii melius, ne quid sordium, etc.

^a Mss. aliquot, et gentilis posuit. Ipsum est enim bonum quod quaerimus solum (aliqui, summum) bonum. Alii, qui et melioris ævi, nec non ant. edit. ut in contextu; nisi quod Am. ac Gill. legunt, signifi-

tur omnia in ipsum. Et ut plenius definiamus, quid sit bonum: VITA est bonum, quia semper manet, dans vivere et esse omnibus; quia fons est omnium vita Christus, de quo ait propheta: *In umbra ejus vivemus* (Thren. iv, 20). Nunc enim vita nostra abscondita in Christo est: cum autem apparuerit Christus vita nostra, tunc et nos cum illo apparebimus in gloria. Ergo non timeamus mortem; quoniam requies est corporis, animæ autem vel libertas, vel absolutio. Nec vereamur eum qui potest carnem interficere, animam autem non potest; quia non timemus eum qui potest vestimentum auferre, non timemus eum qui potest nostra furari, nos autem non potest. Nos igitur animæ sumus, si volumus esse Hebræi de iis qui sunt socii Jacob, id est, imitatores ejus. Nos animæ sumus, nostra autem membra vestimenta sunt: servanda sunt quidem vestimenta, ne scindantur, ne inveterascant: sed ille magis, qui his utitur, servare se debet et custodire.

cari. Tandem Rom. edit., gentiles voluit monere. Ipsum est, etc. Sed varietati locus non relinquatur, si interpreteris hoc modo: Paulus in sua ad Areopagitas oratione posuit, sive dixit gentiles potestas id significasse, nimirum quod in Deo vivimus, sumus, etc.

^b Ms. Long., divinitatis corporaliter, et per ipsum convertuntur omnia, etc.

IN LIBRUM DE BONO MORTIS ADMONITIO.

Ubi præcipue DE HABITACULIS ANIMARUM POST MORTEM, deque libro IV Esdræ disceptatur.

Quanta libro de Bono mortis cum superiore de Isaac et Anima cognatio intercedat, prima illius verba satis declarant: quæ quidem si quis strictius voluerit interpretari, forte non inconsulto unum esse affirmaverit operis contextum et quasi corpus, cujus liber primus alter dici debeat, alter secundus. Ecquid enim aliud sibi voluisse videtur Ambrosius, cum post librum de Isaac finitum in hanc sententiam: Ergo non timeamus mortem, etc., sequentem auspicatur hisce verbis: Quoniam superiore libro de anima sermonem aliquem conteximus, faciliorem viam putamus de bono mortis conficere aliquid, etc.? Igitur quod in fine ultimæ lucubrationis non satis fuse tractatum fuerat, id in hac uberius atque accuratius discutiendum proponitur.

Hic itaque ostendit sanctus Doctor quod bonum sit, quæve utilitates mortis, quamque illa parum extimescenda. Propositum autem hoc suum satis accurata methodo persequitur. Etenim præmissa vitæ ac mortis definitione, et nonnullis contra mortis utilitatem oppositis, quæ postea diluit, triplicem inveniri mortem demonstrat, ejusque tertium genus quod in animæ atque corporis separatione positum est, bonum esse ac felicitatis plenum evincit, et si quid metuendi vel incommodi habeat, id quidem non mori, sed nostræ ipsorum infirmitati ascribendum. Illud vero, si quid aliud, Viri sancti pietatem declarat, quod omnia ferme ipsius argumenta sacrorum codicum auctoritate nitantur, aut si quod etiam ex naturali ratione desumptum adhibeat, quod jam in simili causa allatum fuisset a philosophis, id numquam non divino quopiam testimonio confirmet. Hinc ansam nactus Christianos docet quam parum huic vitæ omne genus miseriarum plenissimæ adhærendum, quamque studiose sæculo, extinctis corporis delectationibus, cupiditatibus omnibus, mundique illecebris (Cap. 3, etc.), moriendum, ut integræ sanctæque vitæ beneficio mors quam peccatum solum potest reddere formidabilem, non timeatur. Hoc ultimum subinde probat, maximeque totis tribus hujus opellæ capitibus (Cap. 5, 6 et 7). Ad extremum ubi animæ immortalitatem asseruit, quinam futurus sit illius a corporis contubernio segregatæ status, explicat; ac perorando fideles adhortatur, ut omni industria Deo conjungi, eique indivulso animo adhærere satagant, quo post finitum istius vitæ curriculum pervenire contingat ad patriarcharum concilium, sanctorum cœlum, justorumque conventum, ubi servulis suis Dominus Jesus mansiones paravit, ut ubi ille est et non simus (Cap. 12).

Ex omni autem operis hujus œconomia cognoscere est, non solum eo nihil ad morum disciplinam accommodatius inveniri, verum etiam illud libro de Isaac plane synchronum esse, hoc est, editum anno circiter CCELXXXVII. Neque vero hinc quoque videtur male conjici idem illud constare concionibus, quas ad eosdem quos superiores tractatus spectabant, habitas in librum convertit Ambrosius, indita inscriptione de Bono mortis, sub qua non semel citatur ab Augustino (Lib. iv, contr. duas epist. Pelag., cap. 11). Et forte istis omnibus causis factum, ut in uno re-

giorum codicum ita inscriberetur : Liber tertius ex libro de Patriarchis, qui intitulatur de Bono mortis.

Verum quæ S. Doctor de animarum corporibus suis exutarum statu, deque auctore a quo doctrina illa profecta est, sub scriptiois hujusce finem tradit, ea sane nos in duas non minimas difficultates conjiciunt. Primum enim si Doctoris nostri verba stricte atque ex apicibus interpretemur, cogemur liquido confiteri animas ipsius judicio in quibusdam habitaculis (Cap. 10) conclusas adusque generalem resurrectionem servari, eas ibi mercedem debitam operibus suis, sed ante diem ultimum minime reddendam exspectare, interim tamen illas vel bonis quibusdam, vel pœnis affici (Ibid.), prout ipsarum quæque fuit commerita, postremo justorum lætitiâ per quosdam ordines esse digestam (Cap. 11).

Mirum quidem non est hoc modo de animarum statu scripsisse Ambrosium, sed illud propemodum incredibile videri potest, quum in ea quæstione sancti Patres ab ipsis apostolorum temporibus ad Gregorii XI pontificatum, Florentinumque concilium, hoc est, toto ferme quatuordecim sæculorum spatio, incerti ac parum constantes existerint. Non enim solum alius ab alio, ut in hujusmodi quæstionibus necdum ab Ecclesia definitis contingere amat, dissentiunt : verum etiam non satis cohærent sibi ipsi ; cum easdem animas claro divinæ naturæ conspectu frui quibusdam scriptorum suorum locis concedere, rursus quibusdam aliis id ipsum negare videantur. Hujus autem nostri instituti non est diversas illas antiquorum Patrum sententias hic congerere : cui plura hac de re cognoscere libuerit, Alphons. a Castro (Lib. III, adv. Hæres.), Sixt. Sen. (Bibl. l. VI, Annot. 345), Bellarm. (Lib. I de Beat. cap. 1 et seq.), Petav. (Theolog. dogm. de Deo. cap. 13 et 14), atque alios consulat licet. Illud tantum hoc loci admonemus, omnem illam sermonis diversitatem ex variis manasse principiis, quæ sanctis illis viris sacrarum paginarum lectio suppeditabat. Hinc est quod qui Millenariorum errorem amplexi sunt, ab iis eodem argumento futura ante corporum resurrectionem beatifica visio negabatur. Et quamvis qui secuti sunt magno studio eundem errorem impugnarint profigarintque, tamen circa Dei visionem adhuc pendebant ancipites.

Etenim cum ad Christi preceationem qua Patri supplicat pro electis, ut sint, inquit (Joan., XVII, 12), mecum, etc.; cum ad Apostolicum illud : dissolvi, et esse cum Christo multo melius (Philip. I, 25) : cum ad istas voces, regnum cœlorum, vitam æternam, ac similes alias advertunt animum : sed præ cæteris cum eorum quorum obitus Christi resurrectionem anteverit, nec non eorum qui illis per Christum e limbo jam liberatis, vita cesserunt, discrimen examinant, tum vero minime dubitant beatum illum conspectum solutis animabus attribuere, idque potissimum ubi vel martyres solemni, vel alios præstantes viros funebri laudatione prosequuntur. At e contrario tum demum eundem nequaquam videntur admittere, cum similitudines laborantium in vinea, Lazari, Divitis, ac sinus Abrahæ considerant : sed maxime cum illa omnia perpendunt, quæ in Scripturis docemur de postremo judicio, et universali resurrectione, quibus velut duobus cardinibus vertuntur omnes adhortationes promissionesque Christi in suis parabolis, apostolorum in canonicis epistolis, et uno verbo, Apostolo teste, omnis Christianorum fides ; immo etiam spes beatorum Job ac Tobiae, comminationes prophetarum, non secus ac sanctorum orationes. Quin et fatentur ipsi scholastici animæ gloriam id temporis haud mediocriter auctum iri, ita ut nec defuerint qui ipsam quoque intuitivam Dei visionem multo intensiorem perfectioremque fore asseverarent.

Non diffitetur certe magnus Augustinus (Serm. 220 et 238, in Natali Mart.; In Psal. XXXVI, XLIII, CXXVI; lib. XII de Civit. c. 9; lib. XX, c. 14, 15, 16; In Gen. lib. XII, cap. 54 et alibi) ægre admodum capere se quonam pacto divinæ conspectu naturæ potiri illæ animæ queant, quandoquidem ad eum toto nisu atque impetu non ferantur, ad bonum creatum, corporis scilicet societatem, adhuc propensissimæ. Aliunde vero cum hujusmodi propensionem Deo subditam esse posse animadverteret, nec non fore etiam ut post resurrectionem eadem animæ administrandi corporis cura distineantur, hisce causis permotus post inquisitas varias solutiones tandem in Retractationibus (Lib. I, cap. 14), animo etiam tum dubio et ancipiti se esse, ac nihil super hoc definire audere non dissimulat. Augustinianum hoc principium secutus Bernardus (Serm. 3 et 4 de omnib. Sanct.; Serm. 4 in Dedic. Eccl.) ita ejus cancellos transiit, ut justorum spiritibus solam humanitatis Christi visionem seu cognitionem concedere videatur : ad quem hac in sententia propius accedere putamus neminem, quam auctorem Quæst. ad Orthodoxos (Quæst. 75), quæ hactenus inter Justini opera fuerunt editæ. Lectoris est, unde profecta sit illa consensio, judicare. Cæterum proferuntur non pauca Bernardi testimonia (Lib. I, de dil. Deo; Serm. de S. Malach., et de Obit. Humb.; Serm. I in Pentec. 2; de Ascens. 6; in Cant. ep. 98 et 266, et alibi), quibus ipsum justis demortuis nequaquam negare Dei visionem astruatur.

Quæ cum ita sint, non esset cur miraretur quisquam, si aliorum Patrum instar Ambrosius quoque diversis principiis ductus, a sanctis Deum videri quandoque concederet, quandoque negaret. Verum cum locus in hac materia nullus reperiatur celebrior aut difficilior eo de quo agimus, videmur nobis recusare non posse, quin eundem magis sedulo discutiamus. Primo itaque extra controversiam est corporeas habitationes hic non intelligi ab Ambrosio, quippe qui passim tum alibi, tum in hoc libro constanter animam spirituali natura esse prædicet; unde sequitur eam corporali loco non indigere. Deinde reproborum animas ea re torqueri asserit, quod videant justis quædam habitacula, quibus illæ post universalis judicii diem excipiendæ sunt, ab angelis custodiri. Et hæc sunt dubio procul gloriæ domicilia quæ propterea oportet corporea esse, quod animæ

denuo suis corporibus quæ locum utique corporeum implebunt, sint copulandæ. Postremo significat (Cap. 10 et 12) de primis illis habitationibus a Christo dictum: In domo Patris mei mansiones multæ sunt (Joan., xiv, 2). Quis autem nesciat per mansiones illas nihil aliud designari, nisi varios gloriæ gradus quos beatorum animæ qui divino fruuntur conspectu, in cælis adipiscuntur? Quocirca id minime absurdum fore putamus, si quis affirmet sanctum Præsulem, cum domicilia illa et distributam in septem ordines sanctorum beatitudinem tanta animi contentione explicat, potius Dei visionem in rebus certis ponere habereque, quam eandem inficiari. Nonne, amabo, huc etiam facit, quam indidem ducit, illa collectio? Ergo quia justî, inquit (Cap. 11), hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, et lumen illud quod illuminat omnem hominem, etc. Nec semel hoc loco pronuntiat animas justorum cum Christo futuras, haud dubie in felici illa Dei contemplatione, quam apertis verbis Gratiano, Valentiniano, ac Theodosio adjudicat (Orat. de Obi. Valent., et de Ob. Theod.)

Quod si rem penitus introspeciamus, Ambrosium reperiemus sæpenumero iterasse atque astruxisse hoc principium, animæ quominus Deum cernere queat, sola corruptibilis corporis vincula impedimento esse. Id cum aliis ejus in operibus frequenter occurrit, tum in hoc loco non ambigue declaratur ubi ait: Tunc revelata facie gloriam Domini speculari licebit, quam nunc animæ corporis hujus concretis visceribus involutæ, et quibusdam carnis hujus maculis. . . sincere videre non possunt (Cap. 11). Quapropter cum hic legimus ab illis remunerationem debitam (Cap. 10) expectari, quidni intelligere nobis liceat secundam cum suis corporibus conjunctionem, eorundem corporum gloriam, ultimi judicii sententiam, electorum omnium consummationem, ob quam, uti alio loco scribit, sancti ingemiscunt? Quamvis enim, inquit, de suo merito sint securi, tamen quia adhuc futura est redemptio totius corporis Ecclesiæ compatiuntur. Cum enim adhuc membra patiuntur corporis sui, quomodo alia membra licet superiora non compatiuntur (Epist. 39, ad Oront.)? Quod porro de suo merito securi (Cap. 11) prædicantur, quomodo cum alio loco lib. 11 de Cain et Abel (Cap. 2, num. 9) conciliari queat, intelliges ex nota infra ad cap. 11 subjecta.

Non est autem prætermittendum inter scriptores sacros Ambrosio in statuenda animarum beatitudine, petendisque ex apocrypho Esdra testimoniis, omnium simillimum esse Auctorem Operis imperfecti in Matthæum apud Chrysostomum. Judicabit lector num inde duci possit aliquid argumenti confirmandæ illorum sententiæ, a quibus iste in auctorum Ecclesiæ Latinæ album refertur (Homil. 54).

Jam veniendum ad alterum caput, quod videlicet Ambrosius quidquid hic de animabus a corporea societate expeditis tradit, ex libro qui Esdræ quartus inscribitur, sit mutuatus. Non dubitat quidem S. Præsul eum librum inter Scripturas canonicas recensere, illique parentem ascribere prophetam Esdram, quem divinitus afflatum, quidquid sibi a Spiritu sancto revelatum esset, litteris consignasse memorat. Denique profitetur et crebro repetit divina illum pollere auctoritate, nec ulli eorum qui nostris in Bibliis continentur, habendum inferiorem. Neque vero hic tantum ita loquitur, verum etiam in pluribus aliis lucubrationibus, ut puta Commentario in Lucam (Lib. 11), secundo libro de Spiritu sancto (Cap. 7), Oratione de Obitu fratris Satyri (Circa fin.), ad extremum epist. ad Orontianum (Ep. 38), quem ut diligenti ejusdem lectione substantiam animæ spiritalem atque immortalem esse cognoscat, adhortatur.

Moventur plerique omnes neoterici quod sanctus Doctor ad eum modum locutus fuerit de libro quem omni ex parte apocryphum esse autumant, id est, cujus, ut aiunt, non tantum obscurus auctor, et Spiritu sancto dictante scripsisse non creditur: sed etiam cujus obscura in Ecclesia auctoritas; tum quia nullo unquam canone vel apud Judæos vel in Ecclesia recepta sit, sed communi Patrum consensu rejecta; tum quia varii in eo reperiantur errores, cujusmodi est, quod de animarum promptuariis narrat, et similia. Illi quidem Hieronymi auctoritatem jactant, qui adversus Vigilantium disputans, eundem quasi ab Ecclesia minime receptum repudiat, quamvis nondum sibi lectum, cum hæc scriberet. Sic enim ille: Tu vigilans dormis, et dormiens scribis, et proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ a te et a similibus tuis legitur. . . . quem ego librum numquam legi. Quid enim necesse in manus sumere, quod Ecclesia non recipit? Adhuc vehementius alio loco (Epist. ad Domnion. et Rogat.) non tantum in quartum invehitur, sed etiam in tertium, cum tamen ii qui sanctum hunc in ea opinione duces sequuntur, huic libro sese non tantopere insensos exhibeant. Addunt nonnulli nequaquam magnum illum Esdram, scribam ac legis doctorem, cujus tertium esse opinantur, quarti auctorem videri, sed alium cognominem.

Non desuerunt tamen qui de hoc opere æquius benigniusque judicarent. Etenim eo non solum erroris nihil contineri existimarunt, sed etiam auctoritatem ejus præcipuam esse in Ecclesia, quippe quæ nonnulla inde petita precibus suis inseruerit (In Missa ser. 3 Pentecost. et in festis Mart.), et quominus illud ad calcem Bibliorum excuderetur, non prohibuerit. Quin etiam eundem hunc librum inter canonicos descriptum in quibusdam antiqui ævi mss. reperire est, non tamen in omnibus, nec sine discrimine aliquo. Namque in quodam pervetusto codice qui nostra in Bibliotheca asservatur, compactis in unum duobus canonicis libris Esdræ, secundus a primo capite hujusce quarti sumit exordium, haud dubie quia ejus illud initium est: Liber Esdræ prophetæ secundus: tum ex ejus atque tertii libri capitibus inter se permixtis quatuor libelli conficiuntur. Doctissimus Faber, Ludovici XIII præceptor (Epist. ad card. Baron.), quemdam ejusdem quarti libri ms. adeo discrepare ab editione deprehendit, ut varias ejus lectiones card. Baronio transmittendas putaret. Quæ diversitas forte in causa est; cur nonnulla ab

Ambrosio ex eodem libro citata in edito minime reperiantur. Inventus est denique auctor quidam hujus ætatis, qui duos ultimos librorum Esdræ canonicos ac divinæ auctoritatis esse crederet, hancque suam opinionem etiam scripto firmare niteretur (*Genebr. Chron. l. II, ad an. mundi. 568*). Verum quidquid ejus rei sit, constat non solum ex antiquis Patribus Ambrosium ita sensisse. Clemens Alexandrinus (*Lib. III, Strom.*) Esdræ citato quarto illius libro prophetam salutatur, eumque non absimili modo Auctor Operis imp. super Matthæum laudat (*Loc. sup. cit.*), ac demum ad eundem alludere videtur Cyprianus (*Ad. Demetr.*).

Quapropter neuliquam nobis mirum videtur, quod Ambrosius libri quem bona fide, ut ex aliis ejus commentationibus patet, pro canonico habebat, hic auctoritatem commendaverit, extuleritque. Id siquidem, ut ipse proficitur, eo consilio factitabat, ut gentiles qui Christum ejusque discipulos acceptæ a Platone et illis philosophis suæ doctrinæ insinulabant, mendacii argueret; cum ipsum Platonem potius ab Esdra, aliisque nostris auctoribus mutuatum quidquid boni de statu animarum post mortem docuerat, planum faceret. Ethnicis nova non erat hujusmodi criminatio. Celsus eam Origeni (*Orig. l. VII, cont. Cels.*) multis ante annis in eodem prorsus argumento objectarat. Cum autem Ambrosii temporibus adhuc non parum valeret idololatriæ quam Symmachus auctoritate sua tuebatur, potentia; dubium non est quin tunc eadem calumnia renovata fuerit. Quocirca minime mirum videbitur, si ad convellendum mendacium, quod funditus Christianam fidem eversum ibat, S. Doctor quantopere valuit, scriptoris hujus auctoritatem prædicavit. Atqui alia quoque addit sacrarum paginarum testimonia, quibus invicte superbis illis gentilibus demonstrat Platonem et Socratem suum ex istis limpidissimis veritatis fontibus multa hausisse, quæ postea ipsi diluto variarum fabularum cœno corruerint. De Platone quidem adeo constans est eum bene multa sive ex sacris codicibus, ut hic docet Ambrosius, sive, ut volunt alii, a Pythagora, qui et ipse Judæos sapientes audierat, didicisse; ut vulgatum fuerit de ipso illud Numenii Pythagorici dictum: *Τι γὰρ ἐστὶ Πλάτων ἢ Μοῦσῆς ἀττικίζων*;

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE BONO MORTIS

LIBER UNUS^a.

389 CAPUT I.

Connectit hunc librum cum præcedenti; et proponit dubium: Quomodo mors non dicatur mala, licet sit vitæ contraria?

1. Quoniam de anima superiore libro sermonem aliquem conteximus, faciliorem viam putamus de Bono mortis conficere aliquid. Quæ si animæ noceat, malum videri potest: si nihil autem officiat animæ, ne malum quidem. Quod autem malum non est, id etiam bonum; quoniam quod vitiosum, id malum: quod autem vitio caret, id bonum; ideoque bona malis contraria sunt et mala bonis. Denique innocentia est, ubi non est nocendi voluntas; et noxius dicitur, qui non sit innoxius; misericors, qui remittat; immisericors, qui ignoscere atque inflecti nesciat.

2. Sed forte aliquis asserat: Quid tam contrarium, quam vita mortis? Si ergo vita putatur bonum, quomodo mors non est mala? Et ideo quid sit vita, quid etiam mors, consideremus. Vita est spirandi munere frui, mors privari. Hoc autem spirandi munus apud plerosque in bonis ducitur. Hoc est ergo vita, frui bonis: mors contra: bonis exui. Et Scriptura dicit: *Ecce dedi ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum (Deut., xxx, 15)*, vitam bonum

A appellans, mortem malum; vel illa sibi priora, et hæc sibi conferens. Denique ut lectionis divinæ exemplo utamur, in paradiso est positus homo, ut ederet de ligno vitæ, et cæteris paradisi lignis: de ligno autem in quo esset cognitio boni et mali, non ederet: qua die autem ederet, morte moreretur (*Gen., II, 16 et 17*). Non servavit præceptum, et caruit fructu, atque ejectus de paradiso mortem gustavit. Malum igitur mors, quæ pretio damnationis inferitur.

390 CAPUT II.

Præmissa distinctione de triplici genere mortis, ostendit tertium genus medium esse; imo potius bonum judicandum, quod nos vitæ miseris ac peccatis liberet; idem tamen patienter expectandum.

B 3. Sed mortis tria sunt genera. Una mors peccati est, de qua scriptum est: *Anima quæ peccat ipsa morietur (Ezech. xviii, 4)*. Alia mors mystica, quando quis peccato moritur, et Deo vivit, de qua ait Apostolus: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem (Rom. vi, 4)*. Tertia mors est, qua cursum vitæ hujus et munus explemus, id est, animæ corporisque secessio. Advertimus igitur quod una mors sit mala, si propter peccata moriamur: alia

mors bona sit, quæ is qui fuerit mortuus, justificatus est a peccato: tertia mors media sit; nam et bona justis videtur, et plerisque metuenda, quæ cum absolvat omnes, paucos delectat. Sed non hoc mortis est vitium, at nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, et delectatione vitæ istius capimur, et cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quam voluptatis est. At non sancti ac sapientes viri, qui longævitatē peregrinationis hujus ingemiscebant, dissolvi, et cum Christo esse pulchrius æstimantes: denique diem generationis suæ exsecrabantur, sicut quis ait: *Pereat dies illa in qua natus sum* (Job. III, 2).

4. Quid enim est quod hæc vita delectet, plena ærumnarum et sollicitudinum? In qua innumeræ calumniæ, et multæ molestiæ, et multæ lacrymæ eorum qui affliguntur molestiis, et non est, inquit (Thren. I, 2), qui eos consoletur. Et ideo laudat Ecclesiastes *defunctos magis quam viventes. Et optimus, inquit, supra hos duos, qui nondum natus est, qui non vidit hoc malum* (Eccl. IV, 2 et 3). Et alibi idem Ecclesiastes meliorem longævo viro eum asseruit (Eccl. VI, 3), quem abortu ejecit mater sua; quia non vidit hæc mala quæ fiunt in hoc mundo, nec in has venit tenebras, nec in vanitate ambulavit sæculi; et ideo requiem **391** hic magis habebit qui in hanc vitam non venit, quam ille qui venit. Quid enim boni est homini in hac vita, qui in umbra vivit, nec expleri potest cupiditatibus suis? Et si expleatur divitiis, fructum quietis amittit, ^a quia cogitur custodire quod misera aviditate quæsierit; ut miserius eas possideat, cui C prodesse non poterunt. Quid enim miserius quam ut custodia torqueat, quarum abundantia nihil prosit?

5. Itaque si plena oneris vita, utique finis ejus allevamento est; allevamentum autem est bonum, mors autem finis: mors igitur bonum est. Neque enim aliter gavisus est Simeon, qui responsum acceperat non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini; et cum eum parentes in templum inducerent, suscepit manibus suis, et dixit: ^b *Nunc dimittis servum tuum in pace* (Luc. II, 29); quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate. Ita dimitti petit, quasi a vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quædam ^c corporis hujus, et quod est gravius, vincula tentationum, quæ nos alligant, et ad injuriam captivitatis astringunt quadam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus quemadmodum anima decedentis paulatim solvat se vinculis carnis, et ore emissa evolet tamquam carcereo corporis hujus exuta gurgus-

^a Remig., *Quia ergo custodire non prodest, quas misera aviditate quæsierit, necesse est ut miserius eas possideat, cui prodesse non potuerunt. Quid enim, etc.* Ita etiam Theod., sed per correctionem.

^b Rom. edit. hic et infra, *Nunc, Domine, dimitte servum, etc.* Quod quidem cum sensu ac verborum serie satis cohæret: attamen omnes et mss. et edit. vet. a Vulgata non dissentiunt, nisi quod illi omittunt vocem, *Domine*.

^c Eadem Rom. edit. *corporis hujus cogitationes,*

Denique festinabat etiam sanctus David de hoc loco peregrinationis exire, dicens: *Advena ego sum apud te in terra et peregrinus, sicut omnes patres mei* (Ps. XXXVIII, 13). Et ideo tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat, petens pro hujus commorationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam discederet e vita. Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem qui ad vitam æternam non poterit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est. Ideoque dicit: *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, et amplius non ero* (Ps. XXXVIII, 14).

6. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majore oneratur sarcina peccatorum? Ipse Dominus ait: *Sufficit diei malitia sua* (Matth. VI, 34). Et Jacob dixit: *Dies annorum vitæ meæ quos habeo, centum triginta minimi et mali* (Gen. XLVII, 9), non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum malitiæ incrementa cumulantur. Nullus enim dies sine nostro peccato præterit.

7. Unde egregie Apostolus ait: *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum* (Phil. I, 21), aliud ad necessitatem vitæ referens, aliud ad mortis utilitatem. Christus enim nobis vivere est, cui servimus, cui oportet ut a sanctis suis in Evangelii prædicatione deferatur obsequium. Denique et Simeon qui ait: *Nunc dimittis servum tuum* (Luc. II, 29), propter Christum exspectabat. Christus enim rex noster est; et ideo quod rex jubet, deserere non possumus et contemnere. Quantos imperator terræ hujus in peregrinis locis aut honoris specie, aut muneris alicujus causa jubet degere! Numquid hi inconsulto **392** imperatore discedunt? Et quanto amplius est ^d divinis parere, quam humanis! Vivere ergo sancto Christus est et mori lucrum. Unde Apostolus quasi servus; non enim refugit vitæ obsequium, et quasi sapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum est enim evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, et ad meliora transisse. Et addidit: *Dissolvi enim, et cum Christo esse multo melius: permanere autem in carne magis necessarium propter vos* (Philip. I, 23, 24). Aliud melius, aliud necessarium. Necessarium propter fructum operis, melius propter gratiam et copulam Christi.

CAPUT III.

Mors naturalis definitur ac laudatur. Item mortificatio, quæ mortis quædam imitatio est, explicatur, atque a multiplici utilitate similiter commendatur.

Atqui vox, *cogitationes*, neque in aliis edit. aut ullis omnino mss. invenitur, neque videtur admodum sensui necessaria.

^d Mss. aliquot, *divinis placere, quam in terris vivere. Ergo sancto Christus est vivere, etc.* Alii mss. et edit. vet. ut in textu; ubi edit. Rom. pro, *sancto Christus est*, substituit, *servo Dei Christus est*. Iterum voces, *Unde Apostolus*, in cunctis edit. ac mss. non paucis desunt, quas mss. nonnulli bonæ notæ reserunt,

Ad extremum proponitur brevis atque elegans vitæ descriptio.

8. Ergo quoniam docuit Apostolus (*Phil. I, 23, 24*) eum qui evaserit ex hoc corpore, si meruerit tamen, cum Christo futurum, quid sit mors, quid etiam vita consideremus. Itaque Scriptura docente, cognovimus quia mors absolutio est animæ et corporis, et quædam hominis separatio. Solvimur enim hoc nexu animæ et corporis, cum recedimus. Unde et David ait: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis (Psal. cxv, 17)*. Vincula autem vitæ hujus, id est, conjunctionis nostræ quæ ex anima constat et corpore, significari docet superior versiculus psalmi hujus: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (Ibid., 15)*. Et ideo quasi propheta prævidens se cum sanctis, et qui pro devotione animas suas in Christo deposuerunt, futurum, lætatur; quia et ipse obtulit se fideliter pro Dei populo adversus Goliath, cum singulari certamine dimicaret, et solus commune periculum et ^a crimen refelleret; vel cum se morti pro Domini placanda offensione promptus objiceret; vel cum se pro salute populi laborantis divinæ ultioni paratus offerret. Sciebat enim gloriosius esse pro Christo mori, quam regnare in hoc sæculo. Quid enim præstantius quam fieri Christi hostiam? Itaque cum frequenter ab eo legamus Domino oblata esse sacrificia, hoc tamen loco addidit: *Tibi sacrificabo hostiam laudis (Ibid., 17)*. Non sacrifico, inquit, sed sacrificabo, significans illud perfectum esse sacrificium, quando unusquisque Domino, corporis hujus vinculis absolutus assisteret, et offerret ^C se hostiam laudis; quia ante mortem nulla est perfecta laudatio: neque quisquam in hac vita potest definito præconio prædicari, cum posteriora ejus incerta sint. Mors igitur solutio est animæ et corporis. Denique et in Apostolo docuimus lectum: *Dissolvi, et cum Christo esse multo melius (Philip. I, 23)*. Solutio autem ista quid aliud autem agit, nisi ut corpus resolvatur et quiescat: anima autem convertatur in requiem suam, et sit libera, quæ si pia est, cum Christo futura sit?

393 9. Quid igitur in hac vita aliud justis agunt, nisi ut exuant se hujus ^b corporis contagionibus, quæ velut vincula nos ligant; et se ab his molestiis separare contendant, renuntient voluptatibus suis atque luxuriæ, fugiant flammam libidinum? Nonne ^D igitur unusquisque in hac vita positus speciem mortis imitatur, qui potest ita se agere; ut ei moriantur omnes corporis delectationes, et cupiditatibus omnibus, mundique illecebris etiam ipse moriatur, sicuti mortuus erat Paulus dicens: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Galat. VI, 14)*? Denique ut sciamus quia est mors in hac vita, et bona mors, hor-

^a *Crimen*, id est, criminationem, nimirum maledicta ac probra in omnem exercitum Israeliticum a gigante Goliath congesta.

^b Rom. edit. cum mss. nec multis nec antiquis, hujus corporis contagionibus. Aliæ ac mss. plures potioresque; ... cogitationibus. Non male. Quidni enim

^A tatur nos (*II Cor. IV, 10*), ut mortem Jesu in corpore nostro circumferamus. Qui enim habuerit in se mortem Jesu, is et vitam Domini Jesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis, ut operetur et vita (*Vid. S. Aug. lib. IV contra duas epist. Pelag., c. 11*). Bona vita post mortem, hoc est, bona vita post victoriam, bona vita absoluto certamine; ut jam lex carnis legi mentis repugnare non noverit; ut jam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio, sed sit in corpore mortis victoria. Atque haud scio ipse an majoris virtutis mors ista quam vita sit. Certe Apostoli moveor auctoritate dicentis: *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis (II Cor. IV, 12)*. Unius mors quantorum populorum vitam ædificabat! Itaque docet et istam mortem in hac ^B vita positam expetendam, ut mors Christi in corpore nostro eluceat, et illam beatam qua corrumpitur exterior, ut renovetur interior, homo noster, et terrestri domus nostra dissolvatur ut habitaculum nobis cœleste reseretur. Imitatur igitur mortem qui se a communione carnis hujus abducit, atque illis vinculis solvit, de quibus tibi dicit Dominus per Esaiam: *Solve omnem colligationem injustitiæ, dissolve obligationes violentarum commutationum, dimitte contractos in remissionem, et omnem circumscriptionem iniquam dirumpe (Esai. LVIII, 6)*.

10. Imitatur et ille mortem qui se voluptatibus exuit, ^c et æternis delectationibus attollit, atque ablevat, et in illo cœlesti habitaculo locat, in quo Paulus cum adhuc viveret, conversabatur; aliter enim non diceret: *Nostra autem conversatio in cœlis est (Philipp. III, 20)*, quod pariter ad præsumptionem meriti potest meditationemque conferri. Illic enim erat ejus meditatio, illic animæ ejus conversatio, illic ejus prudentia, quæ utique intra angustias carnis hujus hæerere non solebat. Sapiens enim cum illud divinum inquirat, absolvit animam suam corpore, et ejus ablegat contubernium, cum illam veri tractat scientiam, quam velut nudam sibi et apertam desiderat demonstrari; et ideo rebus quibusdam, et nebulis hujus corporis se quærit exuere. Neque enim manibus istis aut oculis atque auribus comprehendere illam supernam possumus veritatem; quoniam quæ videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Denique sæpe fallimur ^D visu, et aliter quam sunt, pleraque videmus. Fallimur etiam auditu; et ideo contemplerur non illa quæ videntur, sed quæ non videntur, si nolimus falli. **394** Quando igitur anima nostra non fallitur, quando solum veritatis attingit, nisi quando se ab isto secernit corpore, neque ab ipso decipitur et illudatur? Illudatur enim visu oculorum, illudatur auditu aurium; et ideo relinquat illud et deserat. Unde

cogitationes rerum ad corporis necessitatem voluptatemve pertinentium dici possint corporis cogitationes?

^c Itã mss. octo melioris notæ. Alii, et a terrenis delectationibus. Cunctæ vero edit. et a terrenis cogitationibus:

Apostolus clamat : *Ne tetigeritis , ne attaminaveritis , ne gustaveritis omnia quæ sunt ad corruptelam* (Coloss. II, 21). In corruptela enim sunt, quæ sunt in corporis indulgentia. Et ideo ostendens non per corporis indulgentiam, sed per animæ elevationem, et cordis humilitatem se invenisse quod verum est, addidit : *Nostra autem conversatio in cælis est*. Ibi igitur quærat quod verum est, quod est et manet, seque in se colligat, et congreget omnem aciem virtutis suæ; neque aliis committat et credat, sed se ipsum cognoscat et intelligat; et quod sibi videtur verum esse, hoc sequendum noverit; quod delectatione carnali eligendum æstimaverit, hoc sciat falsum, ab eo fugiat et recedat, quia fraudis est plenum.

11. Merito ergo depretiavit et dehonestavit hoc **B** corpus, corpus mortis appellans (Rom. VII, 24). Quis enim oculis potuit videre virtutis splendorem? Quis justitiam manibus comprehendere? Quis sapientiam oculorum obtutibus intueri? Denique quando aliquid cogitamus, neminem nobis occurrere, neminem volumus obstrepere auribus nostris, atque ita intendimus animo, ut plerumque non videamus præsentia. Quinetiam in noctibus sincerius cogitamus, et tunc melius quæ movent, corde meditatur. Unde et Propheta ait : *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini* (Psal. IV, 5). Sæpe etiam aliqui claudunt oculos, si quid profundæ volunt nisu cogitationis eruere, oculorum impedimenta vitantes. Sæpe etiam solitudines captamus, ne cujus sermo nostris auribus insusurret, et quasi semita quædam in hærentem cogitationi animam abducat a vero, atque ab intentione deflectat.

12. Multas igitur occupationes nobis corporis hujus necessitas gignit, atque usus invehit, quibus impeditur animæ vigor, ac revocatur intentio. Unde de se pulchre dicit sanctus Job : *Memento quia lutum me finxisti* (Job, X, 9). Si ergo lutum est corpus, obliuit nos utique, non diluit, et coinquinat animam inquinamento intemperantiæ. *Corium et carnem me*, inquit, *induisti, ossibus et nervis intexuisti* (Ibid., 11). Ligatur itaque et distenditur anima nostra istius corporis nervis, et ideo interdum rigescit, sæpe curvatur. Et addidit : *Ab iniquitate innocentem me non fecisti. Si enim impius fuero, væ mihi : si autem sim justus, non potero me reclinare*. **D** *Plenus enim confusionis sum. Introduxisti super me tentationes* (Ibid., 14, et seq.). Quid enim est aliud hæc vita nisi plena laqueorum? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes. Denique idem supra ait : *Numquid non tentatio est vita*

hominis in terra (Job, VII, 1)? Bene addidit in terra, quia est vita hominis et in cælo. *Sicut mercenarii*, inquit, *merces vita ejus* (Ibid.), in labore scilicet et a tepore, levior fabulis, et fluitans, et natans verbis : cujus habitatio **395** in luteis domibus, et ipsa vita in luto. Nulla firmitudo sententiæ, nulla constantia. In die nox desideratur, in nocte dies quæritur : ante escam gemitus, inter cibos fletus, lacrymæ, dolores, timores, sollicitudines, nulla requies a perturbationibus, nulla a laboribus reclinatio, iræ et indignationis motus horridior. Plerique cupiunt mortem, et non impetrant : si autem impetraverint, gratulantur; quia sola est mors requies viro.

CAPUT IV.

B *Mortem multis nominibus esse bonam : sed maxime quod sit finis peccati, et ad meliorem vitam transitus ; quodque ipsa nos redemerit.*

13. Sed dicit aliquis scriptum esse (Sap. I, 13) quia Deus mortem non fecit : vita erat in paradiso, ubi lignum vitæ (Gen. II, 9), et vita erat lux hominum. Mors igitur mala, quæ accessit et subintravit. Sed quomodo mors mala, si aut secundum gentiles sensu caret, aut secundum Apostolum (Philipp. I, 21) lucrum Christus esse, cum quo esse multo melius? Quomodo igitur mors nobis malum, si nullus post mortem sensus est? Ubi enim nullus sensus, nullus utique injuriæ dolor, quia dolor sensus est. Aut quia est post mortem sensus, est etiam vita post mortem, et superstes mortis est anima quæ sensu utitur, et vita fungitur. Cum autem manet post mortem vita atque anima, manet bonum, nec morte amittitur, sed augetur : nec ullo impedimento mortis retardatur anima : sed operatur magis, quia operatur quæ sua sunt, sine ulla societate corporis, quod animæ majori oneri quam usui est. Quid igitur mali est animæ, quæ puritatem suam custodierit et virtutum disciplinam servaverit? Aut si non servaverit, non mors malum, sed vita; quia vita non fuit. Quæ est enim vita vitiis peccatisque obsita? Quid igitur accusamus mortem, quæ aut vitæ pretium luit, aut abolet ejus dolorem atque cruciatum? Itaque mors aut suæ quietis bono utitur, aut malo alieno laborat.

14. Nunc illud specta : si vita oneri, mors absoluteioni : si vita supplicio, mors remedio : aut si judicium post mortem, etiam vita post mortem. **b** Vita igitur hic non est bona : aut si hic vita bona, quomodo mors illic non est bona, cum ibi nullus supersit terribilis judicii metus? Sed ipsa hic vita bona si est, quibus rebus bona est? Virtute utique,

^a Mss. septem, tempore. Theod., *Et tentatione*. Hic etiam eodem loco, *levior ventis et fabulis... et ipsa vita in doloribus*. Flor. Alb. alter et Reg. alter, *levior tabulis*, fortasse, *tipulis* : quæ sunt animalcula quædam in summis aquis discurrentia; unde natum proverbium, *levior tipula*. Reg. vero ultimam partem sic habet, *fluitans et nutans verbis, nulla firmitudo sententiæ, cujus habit. in lut. dom. et in ipsa*

vita nulla constantia. Concinit Vat. cod. in voce, *nutans*.

^b Vet. edit., *Mors igitur ea non est bona*. Mss. omnes Gall., *Vita igitur ea*, etc. Melius Vat. cod., *Vita igitur hic*, etc. Sic etiam infra ubi edit., *sed ipsa hæc vita*, mss. fere ad unum habent, *sed ipsa hic vita*.

et bonis moribus. Non ergo secundum animæ et corporis copulam bona est : sed quia per virtutem quod malum est suum repellit ; quod autem bonum est mortis, adipiscitur ; ut quod animæ est, magis quam id quod contubernii et conjunctionis operetur. Quod si vita bona, quæ animæ se a corpore separantis est speculum, et si anima bona quæ se elevat atque abducit a corporis contubernio ; et mors utique est bonum, quæ animam a societate carnis hujus absolvit et liberat.

15. Omnifariam igitur mors est bonum ; et quia compugnancia dividit, ne se invicem impugnent ; et quia portus quidam est eorum qui magno vitæ istius jactati salo, fidæ quietis stationem requirunt ; **396** et quia deteriores statum non efficit : sed qualem in singulis invenerit, talem iudicio futuro reservat, et quiete ipsa sovet, et præsentium invidiæ subducit, et futurorum expectatione componit. Accedit eo, quod frustra homines mortem timent, quasi finem naturæ. Nam si recolamus quod Deus mortem non fecerit : sed postquam homo lapsus in flagitium est prævaricationis et fraudis, sententia eum comprehenderit, ut in terram suam terra remearet, invenimus mortem finem esse peccati (*Gen. iii, 19*) ; ne quo esset vita diuturnior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret. Sed ne iterum naturæ finis esset in morte, data est resurrectio mortuorum ; ut per mortem culpa deficeret, per resurrectionem autem perpetuaretur natura. Ideoque mors hæc transitus universorum est. Opus est ut constanter transeas. C Transitus autem a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectent. Quid est enim mors, nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio ? Unde et ille ait : *Moriatur anima mea in animis justorum* (*Num. xxiii, 10*), id est, consepeliatur, ut sua vitia deponat, justorum assumat gratiam qui mortificationem Christi in corpore suo atque anima circumferunt. Mortificatio autem Christi, remissio peccatorum, abolitio criminum, erroris oblivio, assumptio gratiarum est. Quid autem de bono mortis plenius possumus dicere, quam quod mors est quæ mundum redemit ?

CAPUT V.

Hortatur ad contemptum mortis, ejusdemque usum, id est, mortificationem, in hacce vita imitandum. Dein quemadmodum anima ad similitudinem Dei exaltatur, a quo pingatur, et custodiatur, aperit. Tum de horto mentis, ac fructibus, quibus pascatur Verbum, disputat.

16. Sed de communi omnium morte dicamus. Quid eam timeamus, quæ animæ nocere non solet ?

^a Edit. omnes, *dum tentat*. Mss. e contrario, *dum tentatur*. Intelligi autem hic potest mulieris decus vel formam tentari, cum quis suæ virtuti nimium arrogans ad illam incautius ac frequentius accedere

Scriptum est enim : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth. x, 28*). Per mortem autem istam anima liberatur, dum a corporis contubernio secernitur, et involucri perturbationis exiit. Unde et nos dum in corpore sumus, usum mortis imitantes ablevemus animam nostram ex istius carnis cubili, et tamquam de isto exurgamus sepulcro. Abducamus nos a corporis nexu, relinquamus omnia quæcumque terrena sunt ; ut cum venerit adversarius, nihil in nobis inveniat suum. Contendamus ad illud æternum, ad illud divinum evolemus pennis dilectionis, et remigio charitatis. Surgamus hinc, hoc est, de sæcularibus atque mundanis. Dixit enim Dominus : *Surgite, eamus hinc* (*Joan. xiv, 51*), præcipiens ut unusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi jacentem, ad superna attollat, excitet aquilam suam, et illam aquilam de qua dictum est : *Renovabitur sicut aquilæ juvenus tua* (*Ps. cii, 5*). Ad animam hoc dictum est. Anima ergo **397** nostra sicut aquila alta petat, supra nubes volet, renovatis splendescat exuviis, caelo volatus inferat, ubi laqueos incidere non possit. Avis enim quæ descendit ex alto, vel quæ in altum se extollere non potest, frequenter aut laqueis capitur, aut visco fallitur, aut quibuscumque irretitur insidiis. Sic quoque et anima nostra caveat ad hæc mundana descendere. Laqueus est in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus est in amore. Deum aurum petimus, strangulamur : dum argentum quærimus, in visco ejus hæremus : dum prædium invadimus, alligamur. Quid inane quærimus lucrum pretiosæ animæ detrimento ? Exiguus tibi est totus mundus pro unius animæ dispendio. Quid enim prodest homini si hunc mundum incretur, animæ vero suæ detrimentum patiat ? Aut quam commutationem dabis pro anima tua ? Non auro redimitur, non argento, immo auro amittitur. Quin etiam mulieris decus, ^a dum tentatur, astringit. Clavus est libido, clavus tristitia, clavus iracundia, clavi sunt omnes passionibus, ^b quæ velut veru quodam animam nostram penetrant, et infigunt corpori ; visceribusque ejus annectunt.

17. Fugiamus ergo hæc mala, et exaltemus animam nostram ad illam imaginem Dei et similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est, et virtutibus D imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit quasi auctor, pinxit virtutum coloribus : *Ecce ego, inquit ad Hierusalem, pinxi muros tuos* (*Esai. xlix, 16*). Non detergamus penicillo negligentiae depicta animæ nostræ firmamenta muralia. Ideo dixit : *Muros pinxi, quibus hostem possimus avertere.*

18. Habet anima muros suos, de quibus eminent, et de quibus ait : *Ego civitas munita, ego civitas obsessa* (*Esai. xxvii, 5*). His munitur muris, his obsessa defenditur. Et vere murus anima, ^c quæ præterdit non reformidat.

^b Plerique mss., *quæ velut vermes quidam animam, etc.*

^c Omnes edit. *quæ præterditur in castris*. Omnes

in castris. Unde et ipsa ait in Canticis: *Ego murus, A ubera mea ut turres* (Cant. viii, 10). Bonus murus quem pinxit Dominus, sicut ipse ait: *In manibus meis pinxi muros tuos, et in conspectu meo es semper* (Esai. xlix, 16). Bona anima quæ habet speculato-rem Deum, et in manibus ejus est, sicut anima Pro-phetica, quæ in manus Domini commendatur ut spi-ritus (Psal. xxx, 6), et quæ in conspectu Dei est; *Oculi enim Domini super justos* (Ps. xxxiii, 16), sicut et ipse ait: *Ego eram in oculis ejus tamquam inve-niens pacem* (Cant. viii, 10). Bonas turres habet quæ habet et de intelligibilibus verbum, et de moralibus disciplinam. Ideoque hæc anima habens gratiam suorum uberum ingreditur in hortos, et inveniens illic sponsum sedentem et disputantem cum amicis ait: *Qui sedes in hortis, vocem tuam insinua mihi B* (Ibid. 13 et 14). *Mihi*, inquit, non amicis. *Fuge, fra-ter meus*. Hortatur ut fugiat sponsus, quia jam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem. Dicit autem ut similis sit damulæ, quæ evadit de retibus. Vult **398** enim et ipsa fugere et evolare supra mundum.

19. Hinc hortum illum sibi Plato composuit, quem Jovis hortum alibi, alibi ^a hortum mentis appellavit. Jovem enim et deum et mentem totius mundi dixit. In hunc introisse animam, quam Venerem nuncupat, ut se abundantia et divitiis hujus horti replet, in quo repletus potu jaceret ^b porus, qui nectar effunde-ret. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eo quod anima Deo adhærens in hortum mentis ingres-sa sit, in quo esset abundantia diversarum virtutum, floresque sermonum. Quis autem ignorat quod ex C
paradiso illo, quem legimus in Genesi habentem lig-num vitæ, et lignum scientiæ boni et mali (Gen. ii, 8), et ligna cætera, abundantiam virtutum putaverit transferendam, et in hortum mentis esse plantandam? Quem in Canticis canticorum Salomon hortum ani-mæ significavit, vel ipsam animam. Sic enim scriptum est: *Hortus clausus, soror mea sponsa, hor-tus clausus, fons signatus, transmissiones tuæ paradus* (Cant. iv, 12 et 13). Et infra ait anima: *Exsurge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et defluant unguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum*. Quanto hoc pulchrius quod anima ornata virtutum floribus hortus sit, vel in se paradusum habeat ger-minantem (Ibid., 16)! In quem hortum invitat Ver-bum Dei descendere, ut anima illa Verbi imbre cœ-lestis, et ejus copiis irrigata fructificet. Verbum au-tem Dei pascitur animæ virtutibus, quoties obedien-

mss., quæ præterdit in castris. Bene, si mente sup-pleas, *tabernaculum*, vel, *conopeum*; id est, quæ de-git in castris.

^a Codex Albin. alter, *hortum Martis . . . et deum et Martem*. Melius Remig., *hortum mentis . . . Jo-vem etenim deum, et mentem hortum mentis dixit*. Op-time reliqui, ac edit. ut in textu.

^b Mira hic in mss. atque in edit. varietas. Alibi enim legas, *potus qui nectar*; alibi, *potu qui nectar*: alibi, *pu-rum qui nectar*; alibi propius ad sensum, *cadus purum qui nectar*. Sed omnibus anteposendi Vat. et Vale. in quibus, *Porus qui nectar*, etc. Memorat enim sanctus vir ea quæ in Symposio Plato scribit, nempe in con-

tem sibi et opimam invenerit, et carpit fructus ejus, atque liis delectatur. Cum autem descenderit in eam Dei Verbum, defluunt ex ea salubrium unguenta ver-borum, et diversarum flagrant longe lateque redo-lentia gratiarum spiramina.

20. Unde ait sponsus (sponsus autem animæ Dei Verbum est, cui anima legitimo quodam connubii sœdere copulatur): *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa, vindemiavi myrrham meam cum un-guentis meis, manducavi panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Edite, proximi mei, et bibite, et inebriamini, fratres mei. Ego dormio, et cor meum vigilat* (Cant. v, 1 et 2). Cognoscamus quos fructus et cibos epuletur Deus, quibusve delectetur. Delectatur eo, si quis mortificet peccatum suum, obliteret culpam suam, sepeliat atque abolefaciat iniquitates suas. Myrrha enim est sepultura mortuo-rum. Mortua autem peccata sunt, quæ vitæ suavita-tem habere non possunt. Perfunduntur autem divini sermonis unguentis, et fortiore cibo verbi velut pa-ne, et suaviore sermone velut melle curantur quæ-dam vulnera delictorum. Sermonum autem cibos esse docet et alibi Salomon dicens: *Favi mellis, ser-mones boni* (Prov. xvi, 24). In illo ergo horto ser-mones boni sunt, alius qui culpam coerceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui mori faciat **399** insolentiam, et velut sepeliat eam, quando correptus aliquis erroribus suis renuntiat. Est etiam sermo fortior qui confirmat cor hominis validioribus Scri-pturæ cœlestis alimentis. Est etiam sermo suasorius, C dulcis ut mel, et tamen peccatoris conscientiam in ipsa suavitate compungens. Est etiam ferventioris spiritus sermo, qui inebriat sicut vinum, et cor ho-minis lætificat. Est etiam lacteus sermo, purus et candidus. Hos cibos dulcium utiliumque sermonum epulandos sponsus proximis suis dicit: *Edite, proximi mei, et bibite et inebriamini, fratres mei* (Cant. v, 1). Proximi autem sunt qui eum sequuntur, et nuptiis ejus intersunt. Quo cibo et potu repleta anima (bibit enim unusquisque aquam de suis vasis, et de puteo-rum suorum fontibus) atque inebriata, sæculo dor-miebat, vigilabat Deo. Et ideo, sicut posteriora do-cent, aperiri sibi Deus Verbum ejus januam postula-bat, ut eam suo repletet ingressu.

21. Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar D illud ex vino et melle prophetico, hinc somnus ille translatus est, hinc vita illa perpetua; quam deos suos dixit epulari, quia Christus vita est. Ideoque

vivio propter natam Venerem celebrato Porum abun-dantiæ deum, ut nectaris crapulam exhalaret, in hor-tum Jovis ingressum obdormisse, ad cujus latus cum Penia paupertatis dea sese admovisset, gravidam factam Amorem peperisse. Verum cum non Peniam, ut Rom. edit. reposuit, sed Venerem, ut aliæ omnes, et cuncti mss. habent, in hortum introivisse dicat, videtur hanc fabulam ex memoria tantum enarra-re, nec non pori nomine intellexisse non deum ali-quem, at potius alveum sive canalem, unde nectaris rivus dimanabat; *πόρος* enim pro alveo sive canali apud probatos auctores invenitur.

talium sermonum seminibus animæ ejus repletus est venter, atque ipsa exivit in Verbo. Quæ autem exit anima a servitio isto, et elevat se a corpore, Verbum sequitur.

CAPUT VI.

Hic omnia laqueis principatum aeriorum et potestatum mundi plena esse. Quomodo ii declinandi; quodve iter ad illud insistendum?

22. Sed sunt principatus aerii, et potestates mundi, qui nos ^a velut de muro dejicere animæ, vel impedire recte gradientes, vel ad altiora tendentes quærunt deponere, et ad terrena revocare. Sed nos multo magis ad sublimia mentem erigamus, Verbum sequentes Dei. Illi principatus sæcularia offundunt, quibus tuam mentem incurvent: tunc magis ad Christum, anima, dirige gressus tuos. Injiciunt cupiditatem auri, argenti, vicinæ possessionis; ut acquirendæ ejus gratia excuses te a cœna illius qui ad nuptias Verbi te invitavit; tu cave ne excuses, sed vestem te indue nuptialem, et utere convivio divitis; ne dives qui te invitaverat, cum excusaveris te, dum es sæcularibus occupatus, alios invitet, et tu excludaris. Injiciunt etiam honoris appetentiam potestates mundi; ut te extollas sicut Adam, et dum vis adæquare Deum similitudine potestatis, divina præcepta despicias, et quæ habebas, incipias amittere. Qui enim non habet, et quod habet auferetur ab eo.

23. Quoties in oratione nobis, qua maxime Deo appropinquamus, offunduntur ea quæ plena sunt opprobrii alicujus aut sceleris, quo nos a studio preceationis avertant! Quoties inimicus cordi nostro conatur inserere, quo nos reflectat a sanctitatis proposito et piis votis! Quoties corporeos inflammat ardores! Quoties occurrere **400** facit oculos meretricios, quibus castum justum tentet affectum, ut improvise amoris spiculo feriat imparatum! Quoties inserit animo tuo verbum iniquum, et cogitationes cordis absconditas! De quo tibi dicit lex: *Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo iniquum* (Deut. xv, 9), et dicat tibi Dominus: *Quid cogitas mala in corde tuo? Neve cum abundaveris auro et argento, et opimis agrorum fructibus, vel honoribus dicas: Virtus mea dedit mihi hæc; et obliviscaris Dominum Deum tuum* (Deut. viii, 12 et seq.).

24. His ergo anima quæ cupit evolare, deponitur. Sed tu obluctare quasi bonus miles Christi Jesu, et inferiora despiciens, terrena obliviscens, ad cœlestia et æterna contende. Attolle animam tuam, ne eam illiciat esca laqueorum. Voluptates sæculi, escæ

^a Mss. aliquot, *vel de muro dejicere animæ*. Flor., *de monte dejicere in ima*. Melius reliqui, et edit. Namque alludit cum ad ea superioris cap., *Vere murus anima*, tum ad prov., *Furca vel Furcillis de muro dejicere*. Quod proverbium apud Græcos Latinosque pervagatum ex more propugnatorum urbis obsessæ ortum duxit. Hi siquidem eos ex hostibus qui muros conscendere moliebantur, solebant furcis dejicere atque exturbare.

A quædam sunt; et quod pejus est, escæ malorum, escæ tentationum. Dum voluptatem quæris, laqueos incurris. ^b Oculus enim meretricis, laqueus amatoris est. Oculus ergo meretricis est laqueus. Laqueus est etiam sermo meretricis, qui obdulcat ad tempus fauces tuas, et postea exasperat eas amaritudine conscientia peccatricis. Laqueus est aliena possessio plena amœnitatis. Omne iter istius vitæ plenum laqueorum est. Unde justus dicit: *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueos mihi* (Psal. cxli, 4). *In via*, inquit, *hac absconderunt*; ideo tu illam viam ambula quæ dicit: *Ego sum via, et veritas, et vita* (Joan. xiv, 6); ut dicas: *Animam meam convertit, deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum* (Psal. xxii, 5).

B 25. Moriatur igitur nobis hoc sæculum, moriatur nobis carnis istius sapientia, quæ inimica est Deo. Subjiciamus animam nostram soli Christo, ut dicat unusquisque: *Nonne Deo subjecta est anima mea* (Psal. lxi, 2)? Non sæculo subdita, non mundo, inquit, subdita. Non potest hoc pecuniosus, non potest avarus dicere: sed dicit justus et continens. Avarus autem dicit: *Anima, habes multa bona in annos multos posita, requiesce, manduca, bibe, epulare* (Luc. xii, 19); quia avari anima subdita est luxuriæ corporali: justus autem anima utitur corpore ut instrumento aut organo, quæ velut præclara artifex quo vult obsequium corporis ducit, et effingit de eo speciem quam elegerit, et eas quas voluerit, facit in eo resonare virtutes, pangens nunc modulos castitatis, nunc modulos temperantiæ, sobrietatis carmen, integritatis dulcedinem, virginitatis suaviter, gravitatem viduitatis. Interdum tamen modulator compatitur organo suo. Et ideo honesta modulare, ut sit honesta compassio. Nam et ille qui videt, videndo plerumque, et audiens audiendo afficitur. Et ideo dicit Scriptura: *Oculi tui recta videant* (Prov. iv, 25). Et infra: *Ne multus fueris ad alienam. Noli intendere in oculos juvenulæ. Noli intendere in verba meretricis* (Prov. v, 20 et al.).

401 CAPUT VII.

Laqueos quoque nobis circumfusos esse in corpore: hoc regi oportere ab anima, quæ tamen ipsi nonnumquam compatitur. Præterea tot molestiis vitam abundare, ut odio habeatur, et mors solis impiis amara sit, quibus tamen vita debeat esse amarior. Mortem igitur malum non esse.

D 26. Et quid de extraneis laqueis loquor? Nostri nobis laquei sunt cavendi. In ipso hoc corpore nostro laquei circumfusi nobis sunt, quos debemus vitare.

^b Plerique mss. *Laqueus enim meretricis*. Alii, ac edit. omnes, *Oculus enim meretricis*. Quin etiam lib. i, *de Cain et Abel*, cap. 4, et ubicumque hæc sententia citatur, iisdem verbis exhibetur; videturque Ambrosius indicare hæc ipsa e sacris litteris petita esse. Attamen ea nusquam in illis reperire est, sed eorum sensus ad quosdam versus Proverbiorum, vel Ecclesiasticis referri potest.

Non credamus nos huic corpori, non misceamus A cum eo animam nostram. *Cum amico*, inquit, *misce animum tuum, non cum inimico* (Eccli. vi, 1). Inimicum tibi est corpus tuum quod repugnat menti tuæ, cujus opera inimicitiae, dissensiones, lites, perturbationesque sunt. Noli cum eo miscere animam tuam, ne utrumque confundas. Nam si miscetur, ergo melior fit caro quæ inferior est, quam anima quæ superior; quia anima vitam corpori tradit, caro autem mortem animæ transfundit. Confunditur ergo utriusque operatio, confunditur prope ipsa utriusque substantia. Igitur suscipit in se anima insensibilitatem defuncti corporis, et corpus omnibus animæ virtutibus fungitur. Ac ne forte quia infunditur anima corpori, etiam confundi putetur, exemplum nobis sit hujus luminis gratia. Siquidem et lumen terreno loco infunditur, nec tamen confunditur. Non sit ergo confusa operatio, quorum dispar substantia est: sed sit anima in corpore, ut vivificet corpus, hoc gubernet, illuminet.

27. Negare tamen non possumus quod compatitur corpori suo; nam et contristatur. Siquidem Jesus ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Math. xxvi, 38), affectum hominis in se exprimens. Et alibi: *Anima mea turbata est valde* (Psal. vi, 4). Siquidem et modulator modulis suis, aut tibiæ, aut citharæ, aut organi. voce, gestu, affectuque compatitur. In tristibus sonis tristior, in lætis lætior, in acutioribus excitator, in ipsis mitioribus mitior atque mansuetior; ut sonos cantuum ipse commendet, et quodammodo moduletur affectus. Anima quoque in hoc corpore tamquam in fidibus musicis, quæ sobria est tamen summis, ut ita dicam, digitis velut nervorum sonos, ita pulsat carnis istius passiones, ut consonum reddat morum atque virtutum consentientemque concentum; ut in omnibus cogitationibus suis, in omnibus operibus id custodiat, ut omnia consilia et facta sibi concinant. Anima est ergo^a quæ utitur, corpus quod usui est; ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in ministerio: aliud quod sumus, aliud quod nostrum est. Si quis animæ pulchritudinem diligit, nos diligit: si quis corporis decorem diligit, non ipsum hominem, sed carnis diligit pulchritudinem, quæ tamen cito marcescit et defluit.

28. Unde illi intende, de quo dicit Propheta: *Qui D non accepit in vanum animam suam* (Psal. xxiii, 4). In vanum accepit animam suam (ut jam de hujus vitæ dicamus molestiis) qui sæcularia struit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendum et bibendum surgimus, et nullus expletur, ut non post momentum esuriat ac sitiatur. Quotidie lucrum quærimus, et nullus cupiditati modus ponitur. *Non satiabitur*, inquit,

^a Codex Alb. alter., *Quæ utitur corpore in eo quod usui est.*

^b Ita omnes mss. atque edit. excepta Rom. ubi legitur, *ut considerarem, et quærerem sapientiam, et numerum, et scirem impii lætiam.* Quod quidem propius accedit ad LXX, a quibus tamen cum aliis, et mss. discrepat in voce, *lætitiam*; sic enim illi,

oculus visu, nec auris auditu (Eccl. i, 8). Qui dicit argentum, non satiatur argento. Nullus finis laboris, et nullus est fructus abundantiae. Cupimus quotidie scire nova; et quid est ipsa scientia, nisi quotidiani doloris adjectio? Omnia quæ sunt jam fuerunt, et nihil sub sole est novum, sed omnia vanitas. *Totam vitam odio habui* (Eccl. ii, 17), dixit Ecclesiastes. Qui vitam odio habuit, mortem utique prædicavit. Denique mortuos laudavit magis quam viventes (Eccl. iv, 2); et illum judicavit beatum, qui in hanc vitam non venit, nec inane hunc suscepit laborem. *Circuivit*, inquit, *cor meum, ut scirem impii lætiam, et considerarem, et quærerem sapientiam, et numerum, et ut scirem per imperium lætiam, et molestiam, et jactationem; et inveni ego eam amarior, quam mortem* (Eccl. vi, 26): non quia amara sit mors, sed quia impio amara; et tamen amarior vita, quam mors. Gravius est enim ad peccatum vivere, quam in peccato mori; quia impius quamdiu vivit, peccatum auget: si moriatur, peccare desinit.

29. Plerique criminum suorum absolute lætantur. Si emendaturi sunt, recte: si perseveraturi in eis, stulte; quia longe illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum. De quo sublimis est sententia Apostoli dicentis, quod non solum ii qui flagitiosi agunt, sed etiam qui ea approbant, digni morte sunt (Rom. i, 32): sed et illos qui talia condemnant in aliis, qualia ipsi agunt, inexcusabiles haberi, ut et sua damnatos sententia (Rom. ii, 1). Cum enim alios condemnant, se ipsos condemnant. Nec sibi eos blandiri oportere, qui pœnarum ad tempus immunes videntur, et exsortes reatus; cum graviores pœnas intra se luant, et sibi rei sint, qui aliis non videntur; atque in se intorqueant graviores conscientiae sententiam, cum de aliorum peccatis judicant. Sed noli, inquit (Ibid., 4), o homo, divinæ bonitatis et patientiae thesauros contemnere; bonitas enim Dei ad pœnitentiam te provocat, ad correctionem invitat: duritia autem tua, qua in erroris pertinacia perseveras, futuri iudicii auget severitatem, ut dignam retributionem tuorum accipias delictorum.

30. Non igitur mors malum. Nam neque apud viventes mors est, neque apud defunctos: apud alios enim non est, quia adhuc vivunt, alii transierunt. Itaque neque^d apud eos amara est, qui eam adhuc nesciunt, hoc ipso quia nesciunt; neque apud eos qui jam et secundum corpus nihil sentiunt, et secundum animam liberati sunt.

403 CAPUT VIII.

Nihil terroris habere ipsam mortem, sed opinionem de morte terrori esse; quæ quidem opinio ad vitam re-

καὶ τοῦ γινῶναι ἀσεβοῦς ἀπροσῶντην; sed forte lectum est ab Ambrosio *ἐδπροσῶντην*. De cæteris hujus loci differentiis adi Nobilium.

^c Nonnulli mss., *cum gravior eos pœna intra se laniet.*

^d Omnes edit., *apud eos mala est; omnes mss., ... amara est.*

ferenda est. Duas causas esse cur mors habeatur terribilis, quibus refutatis, mors variis testimoniis, sed præsertim B. Job auctoritate prædicatur.

31. Quod si terribilis apud viventes æstimatur, non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, quam unusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Sux igitur unusquisque conscientix vulnus accuset, non mortis acerbiter. Denique justis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Certe iis quibus gravis est timor mortis, non est grave mori, sed grave est vivere sub metu mortis. Non ergo mors gravis, sed metus mortis. Metus autem opinionis est: opinio vero nostræ infirmitatis, contraria veritati. Nam per veritatem virtus, per opinionem infirmitas. Opinio autem non mortis utique, sed vitæ est. Ergo illud grave vitæ magis invenitur esse. Liqueat igitur quia mortis metus non ad mortem referendus est, sed ad vitam. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit vita nostra commisit. Etenim prudentibus delictorum supplicia terrori sunt: delicta autem non mortuorum actus sunt, sed viventium. Vita igitur ad nos refertur, cuius actus in nostra potestate est: mors autem nihil ad nos; est enim separatio animæ et corporis: anima absolvitur, corpus resolvitur. Quæ absolvitur, gaudet: quod resolvitur in terram suam, nihil sentit: quod nihil sentit, ^a nihil ad nos.

32. Tamen si mors malum, quomodo juvenes non timent fieri senes, nec finitimam morti verentur ætatem; patientiusque deficit qui præsumpta morte deficit, quam qui inopinata. His quoque qui mortem malum putant, aptum responsum arbitror, quia per vitam ad mortem est transitus: per mortem autem ad vitam reditus. Neque enim nisi qui mortui fuerint, possunt resurgere. Insipientes autem mortem quasi summum malorum reformidant: sapientes quasi requiem post labores, et finem malorum expetunt.

33. Duabus autem ex causis mortem insipientes verentur. Una, quod eam interitum appellant: interitus autem hominis esse non potest, cum anima superstes corpori sit, salvo eo quod ipsum corpus maneat resurrectio. Altera autem causa, quod poenas reformident, poetarum videlicet fabulis territi, ^b latratus Cerberi, et Cocyti fluminis tristem voraginem, Charontem tristiolem, Furiarum agmina, aut prærupta tartara, in quibus Hydra sævior sedem habeat. Tityi quoque viscera reparandis fecunda suppliciis, quæ vultur immænis sine ullo fine depascitur. Ixionii quoque orbis perpetuam sub poenæ atrocitate vertiginem, tum saxi desuper imminentis super capita accubantium inter epulas impendentem ruinam. **404** Hæc plena sunt fabularum, nec tamen negaverim

^a Edit. omnes, et mss. aliquot, nihil agnoscit. Sed novem haud infimæ notæ, nihil ad nos.

^b Omnes edit., latratus canis infernalis Cerberi... et nautam inferni gurgulis Charontem. Sed hæc verba, canis infernalis, etc., quæ rescidimus e textu, neque in Vat. neque in Gall. mss. reperiuntur; satique probabile est ex alicujus glossa vel margine, ubi ex-

A poenas esse post mortem. Sed quid ad mortem id quod post mortem est? Si autem quæ post mortem sunt, referantur ad mortem, eadem etiam quæ post vitam sunt, referantur ad vitam. Nulla ergo erunt supplicia quæ referantur ad mortem. Mors enim, ut supra diximus (cap. 4), absolutio est et separatio animæ et corporis: non est autem mala solutio; quia dissolvi et esse cum Christo multo melius (Philip. 1, 25). Non igitur mala mors. Denique mors peccatorum pessima. Non utique mors pessima generaliter: sed pessima specialiter peccatorum (Psal. xxxiii, 22). Denique pretiosa justorum. Unde liqueat acerbiter non mortis esse, sed culpæ (Ps. cxy, 15).

34. Pulchre autem Græci a fine mortem appellaverunt; τελευτή enim mortem appellant, eo quod finis istius vitæ sit. Sed etiam somnum Scriptura nuncupat mortem, sicut est illud: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut suscitem eum (Joan. xi, 11). Somnus autem bonus, quoniam quies est, sicut scriptum est: Ego dormivi, et requievi, et surrexi; quoniam Dominus suscepit me (Psal. iii, 6) Dulcis igitur quies mortis. Denique Dominus suscitatur quiescentes, quia Dominus est resurrectio.

35. Illud quoque egregium, quod ait Scriptura: Ante mortem non laudaveris quemquam (Eccli. xi, 30). Unusquisque enim in novissimis suis cognoscitur, et in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, et disciplinis competentibus erudit. Siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum. Tum quia unusquisque, quamdiu vivit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis a crimine; ideo legis quia Abraham mortuus est in senectute bona (Gen. xxv, 8), eo quod in bonitate propositi sui permansit. Mors igitur vitæ est testimonium. Nam si laudari ante gubernator non potest, quam in portum navem deduxerit, quomodo laudabis hominem, prius quam in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, et ipse vitæ hujus jactatur profundo, quamdiu in salo isto, tamdiu inter naufragia. Dux ipse nisi confecto prælio non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, ^c gratia missionis est.

36. Quantum autem morti dedit sanctus Job, qui dixit: Benedictio morituri in me veniat (Job. xxxix, 13)? Nam etsi Isaac benedixit filios suos moriens, et Jacob benedixit Patriarchas: tamen benedictionis illius gratia poterat solis benedictionum meritis deputari, vel pietati paternæ. Hic vero nulla prærogativa meritorum est, nulla pietatis, sed solius mortis privilegium: cum benedictio cuiusque morituri tantum virtutis habeat, ut eam sibi sanctus

plicationis gratia posita fuerant, in corpus irrepsisse.

^c Sic omnes edit. et pauci mss. In aliis autem est aliqua diversitas. Quidam enim, gratia, remissio est; quidam, gratia remissionis est; quidam, gratia admissionis est; quidam denique, gratia amissionis est. Verum hic ad missionem quæ militibus emeritis dabatur, alludi constat.

Propheta optaverit. Ac per hoc cogitemus semper A hunc versiculum, et corde teneamus.

57. Si quem viderimus pauperem moriturum, sumptu juvemus; et dicat unusquisque nostrum: *Benedictio morituri in me veniat*. Si quem viderimus debilem, non deseramus: si quem in extremis positum, non relinquamus: occurrat et nobis dicere: **405** *Benedictio morituri in me veniat*. Laudet et te unusquisque moriturus, unusquisque ^a depositus ævo, unusquisque confectus vulnere gravi, unusquisque morbo absumptus, et jam morti proximus. Hic versiculus quantos benedici fecit! Quoties mihi pudorem incussit, si moriturum præterii, si non visitavi graviter ægrum, si fastidivi inopem, si captivum non redemi, si senem sprevi! Sit ergo in corde id semper, ut stimulet duriores, ut admoneat promptiores. **B** Resonent te postrema verba morituri, et benedictionem tui egrediens corpore anima secum vehat. Eripe etiam cum qui ad mortem ducitur, qui periturus erat, nisi tu subvenisses, ut dicas: *Benedictio perituri veniat in me*.

CAPUT IX.

Concluditur mortis bonum ex interitu corporis et immortalitate animæ: quæ immortalitas multifariam ostenditur. Cui accedit ad fugiendam corporis societatem, et prosequendam summi boni conjunctionem exhortatio.

58. Quis igitur dubitet de bono mortis, cum id quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicum nobis est, id quod violentum, id quod procellosum, et ad omnia vitia illecebrosus est, conquiescat et jaceat, et quasi fera claudatur cavea sepulcri, relinquatur rabies ejus exanimis, et emortua compago viscerum in terram resolvatur: id autem quod familiare virtutibus, amicum disciplinis, studiosum gloriæ, sequax boni, Deo subditum est, ad illud sublime evelet; et cum illo puro et perpetuo bono, atque immortalis maneat, ipsi adhæreat; et cum ipso sit de quo cognationem ducit, ut quidam ait: *Cujus et genus sumus* (Act. xvii, 28)? Non enim mori animam cum corpore manifestum est, quia non est de corpore. Non esse autem eam de corpore Scriptura multis modis edocet. Nam et Adam a Domino Deo nostro accepit spiritum vitæ, **D** et factus est homo in animam viventem (Gen. ii, 7). Et David ait: *Convertere, anima mea, in requiem tuam; quia Dominus benefecit mihi* (Ps. cxiv, 7). Et in quo benefecerit, audi: *Quia liberavit, inquit, pedes meos a lapsu* (Ibid., 8). Vides gratulari eum mortis hujus remedio, quia finis factus est erroris, quia culpa, non natura defecit.

59. Denique quasi exutus et liber, dicit: *Placebo*

^a De hac voce vide sis lib. v. Hexaem. c. 15. num. 55.

^b Rom. edit., *Sed et David alibi*. Aliæ cum omnibus mss., *Sed et supra similiter*. Dicitur autem supra, comparate ad ps. xxvi, qui paucis retro versibus citatur. Iterum non multo post, Rom. edit. ex uno Vat. cod., et possideat ea. Vet. autem, et alii mss., et se-

Domino in regione vivorum (Ibid., 9). Illa est enim vivorum regio. Denique illam animarum requiem dicit terram esse viventium (Ps. xxvi, 13), quo peccata non penetrant, ubi virtutum vivit gloria. Ista autem regio plena est mortuorum, quia plena delictorum, meritoque dictum est: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (Matt. viii, 22). ^b Sed et supra similiter ait: *Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram* (Ps. xxiv, 13), hoc est, anima timentis Deum habitabit in bonis, ut semper in eis sit, et secundum ea. Quod potest etiam de eo accipi qui sit in corpore; ut et ipse si timeat Deum, in bonis habitet, et in cœlestibus sit, et possideat corpus suum, et dominetur ei quasi in servitutem redacto, et possideat hæreditatem gloriæ et cœlestium promissorum.

40. Unde et nos si volumus post mortem corporis **406** hujus in bonis esse, caveamus ne agglutinetur anima nostra huic corpori, ne commisceatur, ne inhæreat, ne trahatur a corpore, et tamquam ebria perturbationibus ejus vacillet et fluet, nec se ei credat atque ejus delectationibus, ut committat se ejus sensibus. Nam et oculus ejus error et fraus est, quia fallitur visus: et auris ejus deceptio est, quia et auditus illuditur: et sapor ejus deceptio est. Denique non otiose dictum est: *Oculi tui recta videant* (Prov. xiv, 25). Et: *lingua tua non loquatur perversa* (Ps. xxxiii, 14). Quod non esset dictum, nisi frequenter errarent. Vidisti meretricem, captus es vultu ejus, et forma decoram putasti: erraverunt **C** oculi tui, perversa viderunt, alia nuntiaverunt. Nam si vere vidissent, vidissent deformem meretricis affectum, inhorrentem procaciam, indecentem impudicitiam, marcentes libidines, tetram colluvionem, animæ vulnera, conscientie cicatrices. *Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam* (Matth. v, 28). Vides quod iste falsum quæsit, qui non veritatem, sed adulterium requisivit. Videre enim quæsit ut concupisceret, non ut verum cognosceret. Errat igitur oculus, ubi errat affectus. Affectus ergo deceptio est, deceptio visus. Et ideo tibi dicitur: *Ne capiaris oculis tuis* (Prov. vi, 25), id est, non capiat anima tua. *Mulier enim virorum pretiosas animas capit* (Ibid. 26). Deceptio est auditus. Denique blandimento multo sermonis mulier fornicaria sæpe juvenis cor seduxit, decept, illusit (Prov. vii, 24).

41. Ergo non laqueis nos credamus et retibus iis quæ decipiunt et illudunt; quia corda tentantur, impediuntur cogitationes, quæ impediuntur visu, impediuntur auditu, odore, tactu, sapore. Non sequamur illecebrosa et seductoria: sed sequamur illud quod bonum est, illi adhæreamus, illud imitemur, illius præsentia, illius communicatio nos meliores faciat, mores nostros coloret, illius quædam *cundum ea*, id est prope, seu juxta ea.

^c Addit edit. Rom., *jam mæchatus est in corde suo*: quæ quidem verbi in aliis edit. atque in mss. omnibus desunt, sed ad absolvendum sensum sunt omnino necessaria.

nos societas informet. Qui enim bono adhæret, assumit inde quod bonum est; quia scriptum est: *Cum sancto sanctus eris et cum electo electus eris, et cum perverso perversus eris, et cum innocente innocens eris* (Ps. xvii, 26, 27): assiduitate enim atque imitatione quædam similitudinis imago formatur. Ideoque addidit: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine* (Ibid., 29). Etenim qui appropinquat lumini, citius illuminatur, et plus in eo splendor æterni luminis refulget e proximo. Ergo anima quæ adhæret illi invisibili bono Deo, atque immortalis, et ipsa corporea hæc fugit, et terrena, et mortalia derelinquit, fitque illius similis quod desiderat, in quo vivit et pascitur; et quia immortalis intendit, non est ipsa mortalis. Quæ enim peccat, moritur; non utique aliqua sui dissolutione, sed merito moritur Deo, quia vivit peccato. Ergo quæ non peccat, non moritur; quia manet in substantia sui, manet in virtute et gloria.

42. Nam quomodo substantia ejus interire potest, cum utique anima sit quæ vitam infundit? Et cui anima infunditur, vita infunditur: a quo anima discedit, vita discedit. Anima ergo vita est. Quomodo enim potest mortem recipere, cum sit contraria? Sicut enim nix calorem non recipit, **407** nam statim solvitur: et lux non recipit tenebras, nam statim discutit (infuso enim lumine, tenebrarum horror aufertur, sicut admoto igne, nivium rigor desinit), ita et anima quæ vitam creat, a mortem non recipit, et non moritur: anima autem mortem non recipit; anima ergo non moritur.

CAPUT X.

Scriptura quoque animarum immortalitas probatur; nec non eisdem superiora habitacula assignantur: ubi et exploditur philosophorum metempsychosis; ac deinde querela de justorum dilata mercede diluitur.

43. Habemus ergo rationem, sed hæc humana: illud divinum, quod ait Dominus: *Potestatem habeo ponendi animam meam; et potestatem habeo iterum sumendi eam* (Joan. x, 18). Vides igitur quia non moritur cum corpore, quæ et ponitur et resumitur, et in manus Dei Patris commendatur. Sed forte dicas ^b speciale esse quod Christi est, et quamvis ille quæ sunt hominis susceperit, tamen quia alterius est causæ et istud astruere, ne tempus teramus, audi dicentem: *Quid scis an nocte hac a te tua anima reposcatur* (Luc. xii, 20)? Numquid dixit: *Moriatur in te anima tua?* Non; sed, *reposcatur a te*. Quæ data est, *reposcitur*, vel *repetunt a te*. Repetitur enim anima, non interimitur. Quæ repetitur, manet: quæ interimitur, non manet. Quomodo enim interimitur, de qua dixit Sapientia

^a Cunctæ edit., *mortem non recipit, non moritur*. Mss. aliquot *ergo non moritur*. Decem autem melioris ævi, ut in textu.

^b Ita plures potioresque mss., a quibus edit. eo tantum dissident, quod habent, *Sed ne, etc.* Alii mss. partim. . . . *speciale esse quod Christus est: partim quod specialiter Christi est*. Rursus post

A Dei, non timendum quemquam qui potest corpus occidere, animam autem non potest (Matth. x, 28)? De qua dicit propheta: *Anima mea in manibus tuis semper* (Psal. cxviii, 109). *Semper*, inquit, non in tempore.

44. Et tu commenda animam tuam in manus Domini: non solum cum recedit e corpore, sed etiam cum est in corpore, est in manibus Domini; quia non vides eam unde veniat, aut quo vadat. Est enim in te, et est cum Deo. Denique cor regis in manu Domini, et ab eo regitur et gubernatur. Cor repletur mente, quia mens animæ principale est, et virtus animæ. Non eam virtutem dico quæ in lacertis, sed quæ in consiliis, temperantia, pietate, atque justitia est. Si cor hominis in manu Domini, multo magis anima. Si anima in manu Dei est, non utique anima nostra sepulcro simul cum corpore includitur, nec busto tenetur: sed quiete pia fungitur. Et ideo homines frustra pretiosa struunt sepulcra, quasi eæ animæ, et non solius corporis receptacula sint.

45. Animarum autem superiora esse habitacula Scripturæ testimoniis valde probatur. Siquidem et in Esdræ libris legimus: *Quia cum venerit iudicii dies, reddet terra defunctorum corpora, et pulvis reddet eas quæ in tumulis requiescunt, reliquias mortuorum. Et habitacula, inquit, reddent animas quæ his commendatæ sunt, et revelabitur Altissimus super sedem iudicii* (IV Esdræ, vii, 32). Hæc sunt habitationes de quibus dicit Dominus, multas mansiones esse apud C Patrem suum, quas suis, pergens ad Patrem, discipulis præpararet (Joan. xiv, 2). Sed Esdræ usus sum scriptis, ut cognoscant gentiles, ea quæ in Philosophiæ libris **408** mirantur, translata de nostris. Atque utinam non superflua his et inutilia miscuisent; ut dicerent animas hominum pariter ac bestiarum esse communes, earumque summum præmium, si magnorum philosophorum animæ in apes aut luscias demigrarent; ut qui ante hominum genus sermone pavissent, postea mellis dulcedine, aut cantus suavitate mulcerent. Satis fuerat dixisse illis quod liberatæ animæ de corporibus ἀδόντῳ peterent, id est, locum qui non videretur, quem locum latine infernum dicimus.

46. Denique et Scriptura habitacula illa animarum promptuaria nuncupavit (IV Esdr. vii, 32): quæ occurrens querelæ humanæ, eo quod justi qui præcesserunt, videantur usque ad iudicii diem, per plurimum scilicet temporis, debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait coronæ esse similem illum iudicii diem (IV Esdr. v, 42). in quo ^c sicut non novissimorum tarditas, sic non priorum velocitas. Coronæ enim dies expectatur ab omnibus; ut intra pauca, octo mss. ac vet. edit., *tamen quia alterius est causa*. Rom. edit., . . . *altioris est causæ*. Reliqui mss. *alterius est causæ*, hoc est, ad aliud argumentum pertinet.

^c Solus codex S. Th., *Sicut novissimorum tarditas non excludetur, sic nec priorum velocitas ante admititur*.

eum diem et victi erubescant, et victores palmam adipiscantur victoriae. Illud quoque non reliquit occultum eo quod superiores videantur qui ante generati sunt, infirmiores qui postea. Comparavit enim utero mulieris partus hujus saeculi (IV Esdr. v, 53); quoniam fortiores sunt qui in juventute virtutis nati sunt, infirmiores qui tempore senectutis. Defecit enim multitudine generationis hoc saeculum tamquam vulva generantis, et tamquam senescens creatura robur juventutis suae, velut marcenti jam virium suarum vigore, deponit.

47. Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animae remunerationem debitam. Alias manet poena, alias gloria; et tamen nec illae interim sine injuria, nec istae sine fructu sunt. Nam et illae videntes servantibus legem Dei repositam esse mercedem gloriae, conservari earum ab Angelis habitacula, sibi autem dissimulationis et contumaciae supplicia futura, et pudorem et confusionem; ut intuentes gloriam Altissimi, erubescant in ejus conspectum venire, cujus mandata temeraverint. Sicut enim praevicatio Adae, ita et confusio; quoniam sicut ille per incuriam mandatorum caelestium lapsus est, et pudore se prolapsionis abscondit, fulgorem divinae praesentiae verecundia peccatricis conscientiae subire non ausus: ita et animae peccatorum vibrantis luminis ejus splendorem non sustinebunt, quo teste se reminiscuntur errasse.

CAPUT XI.

Septem ordines quibus digesta erit post hanc vitam C justorum laetitia, exponit; atque ut studiose ad Deum anima accedamus, neque finem vitae perhorrescamus, hortatur.

48. Justarum autem animarum per ordines quosdam digesta erit laetitia (IV Esdr. vii, 49 et seq.). Primum, quod vicerint carnem, nec illecebris ejus inflexae sint. Deinde, quod pro pretio sedulitatis et innocentiae suae, securitate potiantur, nec quibusdam sicut impiorum animae a erroribus et perturbationibus **409** implicentur, atque vitiorum suorum memoria torqueantur, et exagitentur quibusdam curarum aestibus. Tertio, quod servatae a se legis divino testimonio fulciantur, ut factorum suorum b incertum supremo judicio non vereantur eventum. Quarto, quia incipiunt intelligere requiem suam, et futuram sui gloriam praevidere, eaque se consolatione mulcentes, in habitaculis suis cum magna tranquillitate

^a Unus Reg. Codicum, *terroribus, et perturbationibus*. Quod non displicet.

^b Apparent quidem prima fronte haec verba contraria illis quae lib. ii de Cain et Abel, cap. 2, num. 9, sic habes: *Solvitur corpore anima, et post finem vitae hujus adhuc tamen futuri ambiguo suspenditur*. Verum facile ab hujusmodi contrarietate liberabitur Ambrosius, si consideremus ultima ista quae eo loci tantum obiter posita sunt, hoc sensu explicari posse, ut nimirum anima non de sua felicitate quam ipsi cognitam et exploratam esse Patrum communis est opinio, dicatur ambigere, sed de resurrectionis ac judicii die, immo et de fratrum salute, quibus, Ambrosio

A requiescent stipatae praesidiis angelorum. Quintus autem ordo exultationis uberrimae habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, et repromissam sibi possideant haereditatem. Est enim ordo quietis, quia est et resurrectionis: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo, inquit, omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in ordine suo: primitiae Christus; deinde qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt, deinde finis* (II Cor. xv, 22 et seq.). Erit igitur ordo diversus claritatis et gloriae, sicut erit ordo meritorum. Processus quoque ordinum processum exprimit claritatis (IV Esdr. vii). Denique sexto ordine demonstrabitur iis, quod vultus earum sicut sol incipiat refulgere, et stellarum luminibus comparari; qui tamen fulgor earum corruptelam jam sentire non possit. Septimus vero ordo is erit, ut exsultent cum fiducia, et sine ulla cunctatione confidant, et sine trepidatione laetentur, festinantes vultum ejus videre, cui sedulae servitutis obsequia detulerunt: de quo innoxiae conscientiae recordatione praesumant gloriosam mercedem laboris exigui, quam incipientes recipere, cognoverunt indignas esse hujus temporis passiones, quibus remunerationis aeternae gloria tanta refertur. Hic ordo, inquit (IV Esdr., ix), animarum, quae sunt justorum, quas etiam immortales non dubitavit dicere in quinto ordine; eo quod spatium, inquit, incipiunt recipere fruenter et immortales. Haec est, inquit (*Ibid.*), requies earum per septem ordines, et futurae gloriae prima perfunctio, priusquam in suis habitationibus quietae congregationis munere perfruantur. Unde ait propheta ad angelum: Ergo dabitur tempus animabus, postquam separatae fuerint de corporibus, ut videant ea quomodo dixisti (IV Esdr. ix). Et dixit Angelus: septem dies erit libertas earum, ut videant, in septem diebus, qui praedicti sunt sermones, et postea congregabuntur in habitaculis suis. Haec ideo plenius de justorum ordinibus expressa sunt, quam de passionibus impiorum; quia melius est cognoscere quomodo innocentes salventur, quam quomodo crucientur flagitiosi.

410 49. Ergo quia justae hanc remunerationem habent (S. Aug. lib. iv contra duas epist. Pelag., c. 11), ut videant faciem Dei, et lumen illud quod illuminat omnem hominem, abhinc induamus hujusmodi studium, ut appropinquet anima nostra Deo, appropinquet oratio, adhæreat illi nostrum desiderium, non separemur ab eo. Et hic quidem positi, meditando,

teste, compatitur, ut jam in admonitione ad hunc librum diximus. Nam si de salute propria vir sanctus incertam putasset, qui eodem libro cap. 9, num. 51, de justis demortuis dixisset: *Et merito pro viventibus habentur; quia etsi corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur aeterna*. Et cap. seq., num. 56, non dubitanter asserit, *quod ipsa vera et beata vita sit, quam unusquisque bene conscius vivit multo purius ac beatius, cum hujus carnis anima nostra deposuerit involucrium... in illum superiorem revolans locum, unde nostris infusa visceribus... ingemuit*.

legendo; quærendo copulæmur Deo; cognoscamus eum ut possumus. Ex parte enim hic cognoscimus; quia hic imperfecta; illic perfecta omnia: hic parvuli; illic robusti. Videmus; inquit; nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem (I Cor. xiii, 12). Tunc revelata facie gloriam Domini speculari licebit; quam nunc animæ corporis hujus concretis visceribus involatæ; et quibusdam carnis hujus maculis et colluvionibus obumbratæ sincerè videre non possunt. *Quis enim; inquit; videbit vultum meum; et vivet (Exod. xxxiii, 20)?* Et rectè. Nam si solis radios oculi nostri ferre non possunt; et si quis diutius e regione solis intenderit; cæcari solere perhibetur: si creatura creaturam sine fraude atque offensione sui non potest intueri; quomodo potest sine periculo sui vibrantem cernere vultum creatoris æterni; corporis hujus opertus exuviis? Quis enim justificatur in conspectu Dei; cum unius quoque diei infans mundus a peccato esse non possit; et nemo possit de sui cordis integritate et castimonia gloriari?

50. Non timeamus igitur recipi ab hominibus; non vereamur illum debitum omnibus finire; in quo Esdras remunerationem suæ devotionis invenit, dicente ei Domino: *Tu enim recipieris a hominibus; et conversaberis residuum cum Filio meo; et cum similibus tuis (IV Esdr. xiv, 9).* Quod si illi gloriosum et jucundum erat cum similibus conservari; quanto nobis gloriosius erit et jucundius ad meliores pergere; et conversari cum iis; quorum facta miramur?

51. Quis utique prior; Esdras; an Plato? Nam C Paulus Esdræ; non Platonis secutus est dicta. Esdras revelavit secundum collatam in se revelationem justos cum Christo futuros; futuros cum sanctis. Hinc et Socrates ille festinare se dicit; ad illos sub deos; ad illos optimos viros. Nostra sunt itaque quæ in philosophorum litteris præstant: et ille posuit ea quorum proprium testimonium non habebat: nos divini præcepti habemus auctoritatem. Moyses et Elias cum Christo apparuerunt (Matth. xvii, 3); Abraham duos alios cum Deo suo suscepit hospitio (Gen. xviii, 2); Jacob Dei castra conspexit (Gen. xxxii, 2); Daniel justos sicut solem et stellas fulgere in cælo; revelante sibi Spiritu sancto; declaravit (Dan. xii, 3).

411 CAPUT XII.

Æternam felicitatem describit, quam nobis etiam destinatam esse demonstrat. Deinde ejusdem qualitates prosequens; illam vivorum regionem esse ostendit,

^a Rom. edit., *ab omnibus; et conversaberis residuus.* Sic etiam Vulgata, quæ pro, *Filio meo*, quod habent omnes Ambrosii. miss. atque edit., legit, *consilio meo.*

^b Ita miss. ac edit. omnes, excepta Rom. ubi legitur, *ad illos semideos*; idque ex *Apologia Socratis*, ut ad marginem annotatur. Sed non videmus ad quem illius *Apologiae* locum hoc possit referri, nisi forte ad istum, in quo exponitur quam beatam migrationem illam, venire ad eos qui iuste apud inferos dicuntur judicare; quales Rhadamantus, etc.,... *καὶ ἄλλοι οἱ τοῦτον ἡμιθέων*, etc. Atqui hoc ipsum multo commodius

A *hanc mortuorum: Ad extremum prudenti admonitione librum absolvit.*

52. Illis igitur freti; intrepide pergamus ad redemptorem nostrum Jesum; intrepide ad patriarcharum concilium, intrepide ad patrem nostrum Abraham, cum dies advenerit, proficiscamur; intrepide pergamus ad illum sanctorum cœtum, justorumque conventum. Ibinus enim ad patres nostros; ibimus ad illos nostræ fidei præceptores; ut etiamsi opera desint, fides opituletur; defendatur hæreditas. Ibinus et ubi sinum suum Abraham sanctus expandit; ut suscipiat pauperes; sicut suscepit ei Lazarum: in quo sinu requiescunt; qui in hoc sæculo gravia atque aspera pertulerunt.

53. Sed nunc; pater; etiam atque etiam extendè ad suscipiendum hunc pauperem manus tuas; apèri gregium tuum; expande sinus tuos; ut plures suscipias; quia plurimi in Dominum crediderunt. Sed tamen; quamvis fides creverit; abundat iniquitas; refrigescit charitas. Ibinus ad eos; qui recumbunt in regno Dei cum Abraham; Isaac; et Jacob; quoniam rogati ad cœnam non se excusaverunt. Ibinus eo ubi paradus est jucunditatis; ubi Adam qui incidit in latrones; nescit jam vulnera sua flere; ubi et latro ipse regni cœlestis consortio gratulatur; ubi nullæ nubes; nulla tonitrua; nullæ coruscationes; nulla ventorum procella; neque tenebræ; neque vesper; neque æstas; neque hyems vices variabunt temporum. Non frigus; non grando; non pluviae; non solis istius erit usus; aut lunæ; neque stellarum globi: sed sola Dei fulgebit claritas. Dominus enim erit lux omnium; et illud lumen verum; quod illuminat omnem hominem; fulgebit omnibus. Ibinus eo ubi servulis suis Dominus Jesus mansiones paravit; in ubi ille est; et nos simus. Sic enim voluit. Quæ sint illæ mansiones audi dicentem: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt (Joan. xiv, 2).* Quæ sit voluntas: *Iterum; inquit; venio; et accersio vos ad me ipsum; ut ubi ego sum; et vos sitis (Ibid., 3).*

54. Sed dices quia solis discipulis loquebatur; quod ipsis solis sponderit multas mansiones. Igitur undecim tantum discipulis preparabat? Et ubi est illud quod ex omnibus mundi partibus venient et recumbent in Dei regno (Matth. vii, 11)? Unde voluntatis divinæ dubitamus effectus? Sed Christi velle; fecisse est. Denique demonstravit et viam; demonstravit et locum; dicens: *Et quo vado; vos scitis; et viam scitis (Joan. xiv, 4).* Locus apud Patrem est; via Christus est; sicut ipse ait: *Ego sum via; et veritas; et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.*

referatur ad alium locum ex *Phædone*, quem suis verbis hic subieimus. Νῦν δὲ εὖ ἴστε ὅτι παρ' ἀνδρας τε ἐλπίζω ἀφίεσθαι ἀγαθούς; καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἂν πάνυ δυσχρησταίμην. ὅτι μὲν τοὶ παρὰ θεοῦ δεσπότης πάνυ ἀγαθούς ἤξειν; εὖ ἴστε εἰπέρ τι ἄλλο τῶν τοιούτων; δυσχρησταίμην ἂν καὶ τοῦτο. Nunc autem probe nostis sperare me fore ut ad bonos viros perveniam; hoc tamen non omnino affirmaverim; quod vero ad deos dominos omni ex parte bonos perventurus sim; bene nostis a me; si quid aliud hujusmodi; illud certe affirmari.

(Joan. iv, 6). Ingređiamur hanc viam, teneamus veritatem, vitam sequamur. Via est quæ perducit, veritas est quæ confirmat, **412**^a vita quæ per se redditur. Et ut sciamus veram voluntatem, addidit in posterioribus : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant^b claritatem meam* (Joan. xvii, 12). Repetitio ista confirmatio est, sicut illud : *Abraham, Abraham* (Gen. xxii, 1)! Et alibi : *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas* (Esaï. xliii, 25). Pulchre autem quod supra promisit, hic poposcit. Et quia ante promisit, et sic poposcit, non ante poposcit; et sic promisit : promisit quasi arbiter muneris, conscius potestatis : poposcit a Patre quasi pietatis interpres. Et ante promisit, ut potestatem cognoscas : poposcit postea, ut pietatem intelligas. Non poposcit ante, et sic promisit; ne videretur promisisse potius quod impetraverat, quam quod promiserat, præstitisse. Nec superfluum putes quod poposcit, cum tibi exprimat paternæ voluntatis consortium, in quo unitatis indicium, non incrementum est potestatis.

55. Sequimur te, Domine Jesu : sed ut sequamur accersi, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas, vita, ^cpossibilitas, fides, præmium. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita. Pande illud tuum bonum quod videre desiderabat David, inhabitans in domo Domini; ideoque dicebat : *Quis ostendit nobis bona* (Psal. iv, 6)? Et alibi : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (Psal. xxvi, 13). Ibi enim sunt bona, ubi vita perpetua est, vita sine crimine. Alibi quoque ait : *Replebimur in bonis domus tuæ* (Psal. lxiv, 5). Quod ideo frequentavit, ut scires hinc bonum illud philosophos transtulisse, ^dquod summum asserunt. Pande ergo illud vere bonum tuum, illud divinum, in quo et vivimus, et sumus, et movemur (Act. xvii, 28). Movemur quasi in via, sumus quasi in veritate, vivimus quasi in vita æterna (Joan. xiv, 6). Demonstra nobis illud bonum, quod est simile sui, semper indissolubile atque immutabile, in quo simus æterni in agnitione omnis boni, sicut vas electionis lucæ Paulus testificatus est dicens : *Forsitan enim ideo discessit ad horam, ut æternum illum reciperes* (Philem. xv). Æternum ergo ministrum Dei dixit, scribentis ad Philemonem, cujus fidem in agnitionem omnis boni quod in sanctis est, in Christum Jesum evidentiolem fieri postulabat. In quo bono est requies pura, lux immortalis, gratia perpetua, hæreditas animarum pia, et secunda tranquillitas, non morti subjecta, sed erepta de morte, ubi nullæ lacrymæ, nullus est fle-

^a Rom. edit. ex uno cod. Vat., *vita quæ perseverantibus redditur*. Sensus hic verus quidem est atque aperius : attamen is minime rejiciendus quem omnes aliæ edit. ac mss. præ se ferunt. In his siquidem eo dicitur vita per se reddi, quod cum ea bonorum sui ordinis (puta naturalis naturalium, supernaturalis supernaturalium) primum ac fundamentum sit, non ipsa ad alia, sed alia ad ipsam referuntur.

^b Eadem. Rom. edit. sola, *claritatem meam, Pater juste*. Dubio procul quia visa est dictio, *Pater*, geminandâ ob id quod sequitur, *Repetitio ista*. Verum hæc

tus. Unde enim illic fletus, ubi nullus est lapsus? Ubi sunt sancti tui erroribus et sollicitudinibus, insipientia atque ignorantia, timore ac metu, cupiditatibus atque corporeis colluvionibus et passionibus absoluti, ubi regio viventium est. Et ut assertioni huic adjungamus auctoritatem, de hoc bono Propheta dicit : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi : quoniam eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo Domino in regione vivorum* (Ps. cxiv, 7 et seq.). *Placebo*, dixit, non placeo, hoc est, de tempore sibi blanditur futuro. Contraria sunt autem **413** præsentibus futura, et temporalibus æterna. Et ideo quoniam ibi vivorum regio, hic utique mortuorum.

B 56. An non mortuorum hæc regio, ubi umbra mortis, ubi porta mortis, ubi corpus est mortis? Denique donatur Petro, ne forte portæ inferi prævaleant ei (Matth. xvi, 18). Portæ inferi istæ sunt terrenæ. Unde et ille ait : *Qui exaltas me de portis mortis* (Psal. ix, 15). Sicut enim sunt portæ justitiæ in quibus sancti Domino confitentur, ita sunt criminum portæ in quibus impii Dominum negaverunt. Audi quoniam regio ista sit mortuorum. *Si quis igitur mortuum tetigerit, immundus erit* (Num. xix, 11). Immundus autem in conspectu Domini omnis iniquus. Si quis igitur tetigerit iniquitatem, immundus erit : si quis in deliciis, mortuus ; *quoniam quæ in deliciis est, vivens mortua est* (I Tim. v, 6). Et qui infideles sunt, descendunt in infernum viventes : etsi nobiscum videntur vivere, sed in inferno sunt. Si quis (14, q. 4. cap. *Si quis usuram*) usuram accipit, rapinam facit, vita non vivit, ut habes in Ezechiele (Ezech. xxxiii, 18 et 19). Si quis autem justus justificationes Domini custodit ut faciat eas, *vita, inquit, vivet, et vivet in eis*. Ipse est ergo in regione vivorum, in illa regione ubi vita non est abscondita, sed libera; ubi non umbra, sed gloria. Hic enim nec ipse Paulus vivebat in gloria. Denique in corpore mortis ingemiscerat. Audi dicentem : *Nunc enim vita nostra abscondita est cum Christo in Deo : cum autem Christus apparuerit vita nostra, tunc et **414** nos cum illo apparebimus in gloria* (Coloss. iii, 3 et 4).

57. Festinamus ergo ad vitam. Si quis vitam tangit, vivet. Denique tetigit illa mulier quæ tetigit limbram ejus, et a morte dimissa est, cui dicitur : *Fides tua te salvam fecit, vade in pace* (Luc. viii, 48). Si enim qui mortuum tangit, immundus est; sine dubio qui viventem tangit, salvus est. Queramus ergo viventem. Sed iterum videamus, ne eum quæ-

voces non videntur alia de causa positæ, nisi quia idem videtur his fuisse significatum per illa verba, *ut... sint mecum, ut videant*, etc.

^c Cod. Vat. atque edit. Rom., *possibilitas, sedes*. Melius alii mss. ac edit.... *fides*. Etenim quemadmodum hic *possibilitas* ad *via es, præmium* ad *vita*; sic, *fides* refertur ad *veritas*. Dicitur ergo Christus *fides*, eo quod ejus veritas fidei, ut loquantur, sit formale objectum.

^d Mss. majori numero et auctoritate, *quod unum asserunt*.

ramus inter mortuos, et dicatur nobis sicut et mulieribus illis: *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit* (Luc. xxiv. 6). Ipse quoque Dominus ubi se quæri vellet, ostendit dicens: *Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* (Joan. xx, 17). Ibi ergo quæramus eum, ubi quæsivit Joannes, et invenit. Ille eum in principio (Joan. i, 1) quæsivit, et invenit viventem apud viventem, Filium apud Patrem. Nos eum in temporum sine quæramus, et complectamur pedes ejus, et adore-

A mus eum, ut dicat et nobis: *Nolite timere* (Matth. xxviii, 5), id est, nolite timere a peccatis sæculi, nolite timere ab iniquitatibus mundi, nolite timere a fluctibus corporalium passionum, ego sum peccatorum remissio: nolite timere a tenebris, ego sum lux: nolite timere a morte, ego sum vita. Quicumque ad me venit, mortem non videbit in æternum; quoniam ipse est plenitudo divinitatis, et ipsi est gloria, decus, perpetuitas a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum, Amen.

IN LIBRUM DE FUGA SÆCULI ADMONITIO.

Hic liber diversas inter Ambrosiana opera sedes occupavit. Etenim in mss. atque in edit. antiquissimis proximum post libros de Isaac, et de Bono mortis locum obtinet. Cum autem Erasmo libuisset omnia Ambrosii monumenta in certas classes distribuere, illum cum superiori tractatu de Bono mortis in ethicorum ordinem post libros de Officiis ac de Virginibus coegit, in quo eum postea Costerius, et Gillotius imitati sunt. Postremo qui Romanæ præerant editioni hunc ipsum librum nihil aliud esse rati, quam mysticam expositionem loci Geneseos, ubi Rebecca filium suum Jacob ut in Mesopotamiam fugiat, suadet (Cap. xxvii. 45); eundem post commentationem de Jacob, et Vita beata transtulere. Sed illi quidem non idoneo tibicine innixi. Enim vero etsi haud semel illam Jacobi fugam memoret S. Antistes, numquam tamen illi fuit consilium enarrationem in eum Scripturæ locum elucubrare: nec aliter hujusce patriarchæ exemplo utitur, atque aliorum quorundam præstantium virorum, quos eo proponit, ut efficacius ad æternum mundo nuntium remittendum stimulet. Quocirca hoc libro attentiori examine discusso pristinum ei locum restituimus; idque eo lubentius, quod is tantummodo disputationi de Jacob, et Vita beata quam in Rom. editione sequebatur, præponendus sit: qua ex mutatione nihil oboriri potest confusionis. Atqui ad id non sola nos impulit manuscriptorum veterumque editionum auctoritas: sed multo magis quæ illum cum superioribus tractatibus conjungit, materiæ cognatio. Quidni etiam ipsiusmet Ambrosii testimonium? Cum enim in ipso Libri limine ita loquitur: Frequens nobis est de effugiendo sæculo isto sermo, minime dubitamus eum tacite quodammodo indicare tractatus de Abraham, de Isaac et Anima, ac de Bono mortis; quippe qui auditores sive lectores suos instantius ad sæculi ejusque vanitatum fugam in his omnibus adhortetur, ac præcipue in hoc ultimo, ubi in ea re tria capita quemadmodum a nobis in superioribus admonitionibus observatum est, consumuntur.

Hoc ipsum tota istius libelli demonstrat constitutio. Superius enim a nobis ostensum est S. Præsulem in concionibus ac tractatibus suis Catechumenos competentes quam diligentissime omnibus Christianæ vitæ præceptionibus imbuisse: at illud præcipua quadam cura inculcasse, quantopere ad fugiendas sæculi vanitates obstringerentur. Verum his angustiis non claudebatur ejus sollicitudo. Rebatur siquidem id vel maxime sui esse officii, ut eos post susceptum baptismum in doctrina quam se docente jam didicerant, confirmaret. Quapropter ab ipso hujus descriptionis exordio ostendit (Cap. 1, n. 1 et seq.) quam sit humanæ fragilitati atque cupiditati proclive sensim in mundanas ineptias relabi: quam autem arduum in sancto proposito perseverare; atque adeo ipsis ut indefesso cursu vanitates fugiant, ac supra illas positi ad perfectionem indesinenter contendunt, manibus pedibusque adnitendum. Nihil aliud (Cap. 2, 3, et init. 4) in veteri lege per sex illas refugii civitates quæ reis homicidii non voluntarii patebant, significatum probat: qua in re diutius quam privatim in alia ulla insistit. Deinde in quo hæc fuga posita sit, declarat (Cap. 4, num. 17); quamque illis eadem gloriosa, utilis, ac necessaria sit, propositis Patriarcharum, Prophetarum, Apostoli, atque etiam ipsius Christi Domini exemplis evincit (Cap. 4, num. 19 et 20), sed ipsam celerem esse oportere (Cap. 6, num. 52). Docet (Ibid.) ejus stadium ac metam summum atque incommutabile bonum esse, hoc est, Deum ipsum; proindeque nullo alio stimulo (Cap. 7, num. 37 et seq.) illos acrius excitari debere ad evadendum e mundo, ubi d'vino permissu hactenus peccatum et malitia perseverant, et unde ipsemet Christus ista exstirpare noluit, quamquam eorum auctorem diabolum condemnaverit.

Verum cum ei a novis illis Christianis objici posset quibusdam vinculis sese constringi, per quæ sibi ex mundo profugere haud quaquam liceret; ipsis aperit (Cap. 8, num. 45 et seq.) qua ratione mundum corpore non deserentes inde animo possent evolare, Deo unice adhærere, observare ejus præcepta, et occasionem ulterius in via virtutis progrediendi nullam non arripere. Ad extremum huic disputationi coronidem ponit vehementissime juxta ac facundissime exhortando (Cap. 9, num. 51 et seq.), ne cum sæculo cui semel in baptisate ut suas sibi res haberet solemniter divortio edixerant, ullam in posterum inirent societatem, persuasi nimirum in se non jam veterem hominem apparere debere, sed novam illam vitam quam in genitili fonte ubi Christo commortui simul etiam

cum ipso revixerant, acceperant. Porro si Ambrosium ad homines baptismo recens initiatos sermonem habere ex operis epilogo constat, idem non minus tum ex ejus exordio (Cap. 1, 7, 8), tum ex medio manifestum est. Atqui istuc ipsum non secus ac reliquæ ejusdem commentationis partes luce meridiana clarius ostendunt illam e concionibus vel potius e concione una constare, quam dubio procul festis paschalibus circiter annum 587, quo superiores libros compositos fuisse observavimus, pronuntiavit. Utrum autem huic eidem libello titulus ab Ambrosio inditus sit de Fuga sæculi, id sanè Augustini a quo ita laudatur (Lib. II, cont. Julian. Pelag., c. 8; et lib. IV cont. duas Epist. Pel., cap. 11), in controversia poni non sinit auctoritas. Non dissimulandum tamen in manuscriptis aliquot inscriptum legi de Esau et Fuga sæculi. Sed quid occasionem additioni dederit, prorsus non videmus. Standum itaque jam receptæ inscriptioni.

Etsi Philonis libro de Profugis argumentum Agar fugitiva præbuerit, ejus tamen subsidio S. Antistes utiliter aliquot locis usus est, ut puta ubi de patriarchis Jacob et Joseph (Cap. 4 et 8), deque sex refugii civitatibus disserit (Cap. 2 et al.). Hic autem duo haud indigna quæ observentur, animadvertes; alterum quidem quod jam a nobis est annotatum, nempe Ambrosium quidquid a Judæo illo mutuabatur, illud in usus christianos convertere, ac variis rationibus testimoniisque ex novo Testamento petitis confirmare: alterum vero causam cur idem Præsul tam libenter e Philonis commentationibus hauriret, istam esse, quod videlicet complura illius doctrinæ capita ad Christianæ religionis placita facili negotio redigi possent; cujus sane rei clarissimum exemplum quæ in hoc libro (Cap. 2 et 5) de Verbo divino disputantur, suppeditant.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE FUGA SÆCULI

LIBER UNUS^a.

417 CAPUT PRIMUM.

Hominem non posse terrenas illecebras et cupiditates fugere, nisi divinum adsit præsidium. Quot ille impedimenta a sensibus patitur; quamque eum necesse sit tristitia lætis antepone, cum in his nihil nisi vanitas reperitur. Tandem qui salvus esse velit, supra mundum ascendat, oportere.

1. Frequens nobis de effugiendo sæculo isto est sermo (Vid. S. August. lib. II contr. Jul. Pelag., cap. 8, et lib. contr. duas epist. Pel., cap. 11); atque utinam quam facilis sermo, tam cautus et sollicitus esset^b affectus. Sed quod pejus est, frequenter irripit terrenarum illecebra cupiditatum, et vanitatum^c effusio mentem occupat; ut quod studeas vitare, hoc cogites, animoque volvas: quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti eam^d magis esse rem quam effectus testatur Propheta dicendo: *Declina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (Ps. cxviii, 36). Non enim in potestate nostra est cor nostrum, et nostræ cogitationes, quæ improvise effusæ mentem animumque confundunt, atque alio trahunt quam tu proposueris, ad sæcularia revocant, mundana inerunt, voluptuaria ingerunt; illecebrosa intexunt; ipsoque in tempore quo elevare

A mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque dejicimur.

2. Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? Nullo profecto modo. Denique supra eadem Scriptura dicit: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine, ascensus in corde ejus* (Psal. lxxxiii, 6). Beatus plane quem delectatio non revocat, quem non inclinât voluptas, qui ad inferiora non respicit; quod nec ipsius Lot uxor potuit evadere. **418** Quo admonitus exemplo Apostolus, posteriora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens festinabat ad bravium, et pervenire meruit; quia ante se Christum videbat, a quo ad justitiæ vocabatur coronam. Sed pervenit ille qui se ipsum sibi ahnegavit, ut Christum lucraretur. Denique non ipse vivebat, sed vivebat in eo Christus.

3. Nam quis^e inter tot passiones hujus corporis, inter tot illecebras hujus sæculi tutum atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit oculus, et sensum mentis averit: audivit auris, et intentionem inflexit: inbalavit odor, et cogitationem impedivit: os libavit, et crimen retulit: tactus contigit, et ignem adolevit. *Intravit mors per fenestram*, dixit Propheta (Jer. ix, 21). Fenestra tua est oculus tuus.

^a Scriptus circ. an. 587.

^b Rom. edit. contra omnes alias edit. ac mss. hic posuerat, *effectus*. Præpostere, ut examinanti palam fiet.

^c Edit. omnes, *effusio mentem occupat*.

^d Paris. quædam, *magis esse rem, quam, etc.*

^e Mss. Big., Alnet. et Alb., *Inter tot passiones hujus sæculi, inter tot illecebras hujus mundi, etc.* At Theod., *In tot passionibus hujus corporis, inter tot illecebras, etc.*

Si videas mulierem ad concupiscendum, intravit mors: si audias sermones meretricios, intravit mors: si luxuria sensus tuos capiat, penetravit mors. Et ideo qui vult ascendere, non læta sæculi, non amœna, non delectabilia, sed plena doloris et fletus sequatur; melius est enim ire in domum luctus, quam in domum gaudii. Denique nec Adam de paradiso descendisset, nisi delectatione deceptus esset.

4. Pulchre igitur David, qui a periculosos hominis etiam ipsos aspectus fuerat expertus, beatum illum dicit, cui spes omnis in Dei nomine est (*Psal. xxxix, 5*): Sic enim non respicit in vanitates, et insanias falsas, si semper in Christum intendat, semper Christum interioribus oculis aspiciat: Unde iterum ad ipsum conversus ait: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem (Ps. cxviii, 37)*. Vanitas circus est, quia nihil prodest: vanitas est equorum velocitas, quia mendax ad salutem est: vanitas theatrum est: vanitas ludus omnis: *Omnia vanitas, inquit Ecclesiastes, quæ in hoc sæculo sunt (Eccles. i, 2)*. Denique qui salvus esse vult, supra mundum ascendat, quaerat Verbum apud Deum, fugiat hunc mundum, terras relinquat. **419** Non enim potest percipere illud quod est, et est semper, nisi prius hinc fugerit. Unde et Dominus volens Patri Deo appropinquare, ad apostolos ait: *Surgite eamus hinc (Joan. xiv, 31)*.

CAPUT II.

Sæculum fugiendum docet lex de civitatibus refugii, de quibus quatuor discutiuntur; primum, cur illæ in sorte levitarum delectæ: secundum, cur numero sex: tertium, cur earum tres ultra Jordanem, ac totidem in terra Chanaan: quartum, cur homicida mortem pontificis ibi jubeatur expectare. Quæ omnia diversis virtutibus accommodantur.

5. Docet te etiam lex fugiendum sæculum, Deum sequendum. Quid enim aliud docet, cum dicit: *Disponetis vobis civitates ad refugium, et erunt vobis refugia; quo refugiat homicida omnis, qui percusserit animam invitus (Num. xxxv, 11)*? Et infra: *Sex civitates ad refugia erunt vobis, tres civitates dabitis trans Jordanem, et tres civitates dabitis in terra Chanaan (Ibid., 13 et 14)*? ^b Aperte quidem confugientibus hoc crimen homicidii refugia proposita sunt. Sed consideremus altius. Quatuor sunt quæ admonent profundius esse spectanda arcana lectionis istius. Unum, quæ ratione ex his civitatibus quæ levitis in portionem sorte obvenerunt, sex civitates ad refugium datæ sint homicidii crimine laborantibus, cur non etiam aliarum tribuum civitates ad hoc munus deputatæ. Secundum, quæ ratione sex numero; non enim otiose numerus hic præscriptus videtur neque plurium neque pauciorum civitatum. Tertium, cur

^a Ita mss. novem optimæ notæ. Vat. cod. et Rom. edit. omittunt, *hominis*. Alii mss. cum ant. edit., *periculosos homines etiam ipso aspectu*. Quæ verba minime etiam videntur aspernanda.

^b Edit. Rom. sola, *Apte*, cum aliis edit., *confugientibus ob crimen*. Mss. verb. ut in textu. Ubi, *confugientibus hoc crimen*, idem valet atque fugientibus hanc

A tres ultra Jordanem civitates, et tres in regione Chanaanæ dispositæ sint, quæ refugio peccantibus forent. Quartum, cur dinumeratio et definitio temporis comprehensa sit, intra quod habitet homicida in civitate refugii, quoad moriatur sacerdos magnus, et post mortem sacerdotis magni revertatur homicida in civitatem habitationis suæ (*Ibid., 25*). De singulis ergo oportet dicere, atque eo ordine quo proposuimus, quæsitâ absolvere.

6. Competenter itaque levitarum civitates datas ad refugium primo explicandum est. Congruè autem provisum liquet: quia levitæ fugitantes sunt mundi hujus, ut placeant Deo, relinquunt patriam, parentes, filios, omnem cognationem, ut adhæreant uni Deo. Denique et Abrahamæ dictum est: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui (Gen. xii, 1)*. Sed forte dicas: Levita non erat. Sed habebat in lumbis suis Levi, ut legimus ad Hebræos scriptum (*Hebr. vii, 10*). Et Dominus levitis dicit, cum discipulis suis, hoc est, apostolis dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Luc. ix, 23)*. Quamquam ad omnes jam dictum sit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in adoptionem (I Petr. ii, 9)*. Venit plenitudo, reliquæ cessarunt. Christus enim omnes vocavit, ^c omnibus profecto patet, ut omnes sequantur, omnibus regnum propositum, et vita æterna.

7. Ergo cui Deus portio est (*12, quæst. 1, c. Cui portio*), nihil debet curare nisi Deum; ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. Hæc enim vera est sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, et quædam alienatio charissimorum; ut suis etiam se abneget, qui servire Deo gestit. Recte ergo fugaces fugacibus commendavit æternæ legis sanctio; ut qui hunc mundum obliti sunt, eos recipiant qui peccata sua condemnantes atque opera, oblivionem vitæ superioris expellant, et sæcularia quæ gesserint, abolere desiderent. Fugitans igitur est suorum sacri altaris ejus minister. Unde Dominus quasi princeps sacerdotum, formam levitis in Evangelio dans suo dixit: *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei (Matth. xii, 48)*? Hoc est, non agnosco matrem; non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea et fratres mei ii sunt, qui audiunt verbum Dei, et faciunt (*Ibid., 50*). Solum ergo verbum Dei navit minister, cum eos novit in quibus operatur Verbum Dei. Et ideo exsul est mundi, fugitans corporis, fugitans passionum, abdicat se omnibus, ut solus remaneat, sicut Elias dixit: *Et ego relictus sum solus (III Reg. xix, 14)*. Sed non erat solus ^d cum quo erat Christus. Et ipse accusationem; a qua loquendi forma non abhorrent classici auctores.

^e Sic mss. antiquissimi, et edit. Am. atque Era. Reliqui mss., *omnibus perfectio patet*. Non male. At edit. Gill., *perfectio*. Quæ voce sublata in edit. Rom. tantum legitur, *omnibus patet*.

^d Rom. edit. sola, *cum quo erat Dominus. Et ipse*

Domini relictus est solus: *Sed non sum; inquit, A* solus, quoniam Pater mecum est (Joan. xvi, 32).

8. Est etiam illa causa quia levitæ ministri sunt Dei. Et ideo ipsorum civitates fugientibus homicidis per legem deputantur; quia ipsis jus est divina mandata exsequi circa eos qui crimen mortale admiserint. Nescit Ecclesia^a publicare leges suas. Novit ut Dominico sacerdos obediat imperatui. Audi Levitam dicentem: *Tradidi hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis; ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi* (1 Cor. v, 5). Percussus igitur levitico gladio moriatur sensus carnis in nobis, ut vivat anima nostra. Nisi enim sensus carnis occiderit, nullus potest esse fructus vitæ æternæ.

9. Sex autem civitatum refugia sunt; ita ut prima civitas sit cognitio Verbi, et ad imaginem ejus forma vivendi. Quicumque enim eam cognitionem fuerit ingressus, tutus a poena est, secundum quod et Dominus ait: *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (Joan. xv, 3). Et alibi: **421** *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. xvii, 3). Hæc est igitur civitas velut metropolis, cui adjacentiæ quinque civitates levitarum. Secunda civitas, consideratio divinæ operationis, qua creatus est mundus. Tertia civitas,^b contemplatio potestatis regiae et majestatis æternæ. Quarta civitas, propitiationis divinæ contuitus. Quinta civitas, legis divinæ contemplatio, quæ præcipit quid faciendum sit. Sexta quoque civitas, portio legis quæ præscribit quid non faciendum sit. Quanta abundantia divinæ misericordiæ, quantæ divitiæ pietatis ejus, ut singulorum studia, fragilitatesque humanæ conditionis considerans, quibus et inviti ac reluctantes ad culpam ducimur, et non voluntaria delicta victi illecebris frequenter committimus, diversa nobis refugia proponat, sex videlicet urbium; ut quo numero mundus formatus est, eodem numero adversus mundana vitia et sæculi hujus naufragia remedium provideretur.

10. Primum igitur remedium est, ut si cui boni propositi viro culpa irrepserit, is sine ulla compendatione, si perfectam velit habere securitatem, ad ipsam rerum omnium arcem properet, ubi Verbum est Dei in illo sinu patrio; id est, arcano ac re-

Christus relictus, etc. Sed nihil in recepta lectione mutandum. Sic enim hic dicit Ambrosius Christum cum Elia fuisse, uti libro superiore, cap. 2, num. 8; de Davide, *Sciebat enim, inquit, gloriosius esse pro Christo mori, etc.* Multæ aliæ sunt et apud hunc Patrem et apud cæteros hujusmodi locutiones, quibus significarunt incarnationis mysterium antiquis illis fuisse cognitum; quibusque non modo Paulum imitati sunt, a quo Moyses Ægyptum deseruisse narratur, *majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum; improprium Christi: verum etiam Dominum ipsum qui Joan. viii, 56, dicit: Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit et gavisus est.* Hoc autem utroque testimonio, sed præsertim ultimo pluribus locis utitur Ambrosius, ut verbi gratia lib. de Abraham cap. 3, num. 21, et Comment. in Luc. non longe ab initio et alibi.

^a Omnes edit., *Nescit Ecclesia publicas leges, suas novit. Ut Dominico sacerdos obediat imperio, audi Le-*

cessu Dei, ubi est fons sapientiæ, unde pro sorte vitæ æternæ hauriat potum immortalem. Secundum est remedium; ut qui non potest cognitionem boni illius prælibare, et tardior vel ingenio est; vel fidei comprehensione; quoniam veloci mentis vigore atque ingeni acumine ad cognitionis summa contendit, saltem opera Domini consideret, atque ex his quæ facta sunt, tanti contempletur operis auctorem; quoniam ex his bonis quæ sunt in constitutione istius creaturæ (bona enim valde sunt (Gen. i, 31), sicut Dominus dixit) bonum illud summum atque æternum comprehenditur. Qui ordo rerum? Quæ disciplina? Quæ gratia? Nonne his quamvis tardum ingenium diligere auctorem suum provocatur? Etenim si parentes, quia nos genuerunt, amantiss: quanto magis diligere debemus creatori parentum, auctoremque nostrum? Ergo operatoria virtus Dei etsi non videtur, tamen ex suis operibus æstimatur, operanturque opera sua produnt, ut intelligatur qui non comprehenditur: Unde et Dominus ait: *Si mihi non creditis: vel operibus credite* (Joan., x, 38). Bona igitur etiam hæc civitas ad refugium, quæ aëdificatoris sui testificatur gratiam, et affectum nostrum excitat, ut ejus simus cupidiores, qui tantali nobis fabricæ hujus videatur contulisse pulchritudinem. Tertius ordo est regalis potestatis contemplatio, ut subjiciamur regi, si non deserimus honorem tanquam parenti. Metu enim præsentis plerumque fit obediens potestati, qui est salutis ingratus; ut necessitatem sobrietatis agnoscat, qui noluit ac nequivit gratiam pietatis agnoscere. Corrigit ergo necessitas, quem pietas provocare debuerat.

11. Hæc sunt tres civitates trans Jordanem, perfectiori prudentiæ ad refugium datæ; ut primo culpam fugiamus inductione animi, conformes ad imaginem Dei. Ita enim creati sumus, dicente Deo: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. i, 26). Hæc ergo primæ illius civitatis **422** lex est. Deinde si per fragilitatem carnis et mundi illecebras ita mentem nostram formare non possimus, reverentia paternæ generationis et sedulitate prolis peccatum levemus. Chastitas enim multitudinem peccatorum operit. Qui ergo ad imaginem Dei esse non potuerit, sit ad plenitudinem charitatis. Illa civitas

vitam. His accedunt mss. aliquot recentiores, nisi quod illi, diobus exceptis, interpungunt in hunc modum: *Nescit Ecclesia publicas leges suas; novit ut. . . Audi Levitam.* Ex quibus idem ferme sensus elici potest, hic scilicet, Ecclesia in administranda poenitentia politicas leges non agnoscit; suas enim habet, nimirum ut Christi obediat imperatis. Verum Thuan., Prat., Fisc., Ebrulph., Albin., Alnet. et Big. lectionem a nobis in textu repositam præferunt, excepto tamen quod in Ebrulph. pro *sacerdos*, legitur *sacerdotis*. Sensus autem est, Ecclesiam dum ligat, solvit, a sacrorum participatione removet, etc. uti potestate non quam illi suæ leges attribuerint, sed quam illi Christus ipse commiserit, atque exercere præceperit. Quod quidem cum antecedentibus ac subsequentibus aptius quadrare disitebitur nemo.

^b Mss. aliquot, *contemplationem regie civitatis.* Minus bene.

culpam excludit, hæc solvit. Hæc denique lex secundæ civitatis : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua (Deut., vi, 5)*. Sed si rursus angusti animi et minuti sunt, qui abundantiam charitatis et gratiam recipere non possunt, habes tertiam civitatem ; ut divinæ potestatis formido te sobrium faciat, et inflectat metus. Et hæc lex tertia : *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies (Ibid., 13)*. Hæc igitur præcipuæ virtutes, et ideo paucorum non plurium, supra Jordanem positæ ; ut exprimas quasi imago archetypum, diligas quasi filius patrem, adores quasi subditus regem.

12. Qui autem Jordanem transierint, Jordanis autem descensio eorum dicitur : qui descenderint ergo ex illis superioribus virtutibus ad hæc inferiora, id est, in quibus integritas, charitas, humilitas vacillaverit, habent propiora homini refugia quæ petant ; ut qui obnoxii delictis, et inflexi vitiis sunt non voluntariis, sperent Dominum sibi reconciliari posse, si veniam petant ; sperent posse se corrigi, si præcepta sequantur cælestium Testamentorum, quibus aut informamur ad innocentiam, aut revocamur a culpa. Hæc igitur intra Jordanem civitates sequentes sunt, ut propitiemus nobis Deum, sequamur quæ jubet, vitemus quæ prohibet. Sit ergo propitiandæ divinitatis ambitio, sequendæ præceptionis obeditio, interdictæ prævaricationis cautio, quibus propitiatoriam Dei misericordiam, et nomotheticen ejus providentiam vel institutorum obsequio, vel interdictorum declinatione veneremur.

13. Quartum superest, ^a quod de morte summi sacerdotis ait : *Quia usque ad illud tempus erit in civitate refugii homicida ille, donec moriatur sacerdos magnus (Josue, xx, 6)*. In quo secundum litteram hæret interpretatio. Primum ipsa fuga sorte magis quam æquitate alicujus examinis definita : deinde in causis paribus impar eventus ; poterat enim fieri ut post homicidæ illius refugium sequenti die obiret magnus sacerdos. Quæ autem sub incerto sententia ? Ergo quia hæret littera, quæramus spiritalia. Quis est iste magnus sacerdos, nisi Dei Filius, Verbum Dei, ejus advocationem pro nobis habemus apud Patrem, qui exors est omnium voluntariorum et accidentium delictorum, in quo consistunt omnia quæ in terra sunt, et quæ in cælo ? Vinculo enim Verbi constricta sunt omnia, et ejus continentur potentia, et in ipso constant ; quoniam in ipso creata sunt omnia, et in ipso habitat omnis plenitudo. Et ideo omnia manent, quia dissolvi illa non sinit, quæ ipse constrinxit, quoniam in ejus voluntate consistunt. Omnia enim

^a De morte summi sacerdotis. Hæc deerant in edit. omnibus, quæ nos in mss. duodecim reperta in textum transtulimus.

^b Sic omnes omnino mss. et edit. præter Rom. in qua, *peccatis patere involuntariis*. Haud dubie, quia apud Philonem lib. de Profugis, unde ista de umpta, legitur : *κάθοδος εὐθὺς δίδοται τοῖς ἀκούσις σφάλμασι* ; sed Ambrosium legisse, *ἐκούσις* cum mss. atque edit. consensus evincere potest, tum ipse orationis

quoad vult, suo imperio coercet et regit, et naturali concordia ligat. Vivit igitur Verbum Dei, et maxime in animis vivit piorum, nec umquam moritur plenitudo divinitatis. Numquam enim moritur sempiterna divinitas, et æterna Dei virtus. Sane moritur nobis, si a nostra **423** anima separatur, non quo morte corrumpatur, sed quo dissolvatur atque exuatur mens nostra ab ejus conjunctione. Mors enim vera est Verbi et animæ separatio. Denique statim incipit anima peccatis patere ^b voluntariis.

CAPUT III.

Memorata superiori capite virtutum genera etiam in Apostolo non tam adumbrata, quam expressa haberi, collectis ejusdem variis testimoniis demonstrat.

14. Habemus hæc genera non adumbrata, sed expressa virtutum in Apostolo, dicente eo : *Ita quod in me est, promptus sum et vobis qui Romæ estis, evangelizare. Non enim erubescio Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur, id est, in eo qui credit (Rom. i, 15 et seq.)*. Denique addidit : *Ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit*. In quo igitur justitia Dei revelatur, nisi in eo qui conformis est imaginis Filii Dei ? Habes primum præceptum ad imaginem Dei. Secundum, quia invisibilia illius per ea quæ facta sunt, intelliguntur, id est, sempiterna virtus ejus et divinitas operibus ejus cognoscitur, hæc est operatoria virtus. Tertium de imperiali potestate, quia Verbum Dei regale est, et ^Cjudiciale, et plenum justitiæ sacerdotalis, remunerationem bonorum actuum, et retributionem malorum venturis in judicium suum servans, de quibus ait Apostolus : *Scimus autem quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt (Rom. ii, 2)*. Itaque qui veritatem et justitiam Dei cognovit, non debet ea agere quæ morte digna sunt. Sequitur bonitas Dei propitiatoria utique, de qua dicit : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit (Ibid., 4) ?* ^c Id est, debet te adducere. Provocat te, quia bonus est Deus, ut sperare possis tuorum peccatorum indulgentiam. Non vult enim vindicare, qui est paratus ignoscere. Subtextuit etiam legislationem, id est, nomotheticen ; ut si quis contemplatione divinæ bonitatis resolvitur, et magis ad negligentiam quam ad pœnitentiam provocatur, legem sequatur. Quoniam *et quicumque, inquit, sine lege peccaverunt, sine lege et peribunt : et quicumque in legem peccaverunt, per legem judicabuntur (Ibidem, 12)*.

Philonianæ contextus. Etenim cum priori periodi membro docuisset, præsentem Verbo, animæ voluntariam (in pejus) conversionem advenire non posse ; annon consequens erat ut diceret, eodem Verbo absente, confestim voluntarie (in pejus) conversioni patere animam, sive, quod idem est, voluntariis peccatis reditum dari.

^c Edit. vet., *id est, debet te adducere, provocare. Rom. ; id est, provocat te*. Mss. vero, ut in textu.

15. Lex autem gemina est, naturalis, et scripta. Naturalis in corde : scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali. Sed non est omnium ut unusquisque sibi sit lex. Ille autem sibi lex est, qui facit sponte quæ legis sunt, et in corde suo scriptum opus legis ostendit: Habes quæ bona legis sunt; quæ tamen non solum scire vel audire perfunctorie, sed etiam facere debemus. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Cognovisti etiam **424** quæ mala sunt. Primum natura ipsæ boni operis magistra est. Scis non furandum, et servum tuum si furtum tibi fecerit, verberas; et si quis ad uxorem tuam affectaverit, persequendum putas. Quod ergo in aliis reprehendis, ipse committis? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non adulterandum, adulteras? Secuta est etiam lex quæ data est per Moysen. Per legem autem agnitio peccati. Accepisti etiam quid declinares, et ea agis quæ prohibita cognoscis? Lex autem quid operatur, nisi ut omnis mundus fieret subditus Deo; quia non solum Hebræo lata est, verum etiam advenam vocavit, quæ non exclusit proselytum. Sed quia lex os omnium potuit obstruere, non potuit mentem convertere, ideo ultimum remedium postremæ illius civitatis debebatur, in quo esset refugium salutare; ut mors principis sacerdotum ab omni nos mortis liberaret formidine, atque exueret metu (Vid. S. Aug. l. iv, cont. duas epist. Pelag., cap. 11).

16. Quis ille est, nisi de quo lectum est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (Joan. i, 29) *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ* (Rom. iii, 25). Accipe autem quia ipse princeps est sacerdotum magnus. Pater juravit de eo dicens: *Tu es sacerdos in æternum* (Ps. cix, 4). Recte in æternum, qua alii temporales omnes sub peccato, hic autem imprævaricabilem habet sacerdotium: omnes sub morte, hic autem semper vivens; quoniam qui salvare alios potest, ipse perire quemadmodum posset? *Talis enim, inquit, nobis decebat* (Hebr. vii, 2 et 3). Recta elocutio. Siquidem et apud eos qui verborum et elocutionum delectum habuerunt, hujusmodi invenitur, dicente aliquo: *Locum editiorem quam victoribus^a decebat* (Sallust., l. i Hist.). Quod ideo non præterii, ut sciamus quia Apostolus naturalibus magis quam vulgatis, aut secundum artem utitur verbis. *Talis ergo, inquit, nobis decebat princeps, sacerdos, justus, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus.* Hoc est igitur Verbum, quod supra cælos habitans illuminat omnia. Unde et unctus naturaliter legitur a Deo Patre (Act. iv, 27); quia lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc est Verbum

^a Rom. edit. post verbum, *decebat*, ex Sallustio addidit, *capit*, quod neque in mss., neque in edit. vet. Ambrosii reperitur. Eandem ante vocem, *naturalibus*, præmisit negationem, *non*. Male. Hic enim nihil aliud Ambrosius, quam ostendit Apostoli verba, *nobis decebat*, vitiosa quidem non esse, ut Sallustianum exemplum probat: sed naturalia (id est, simplicia) et a

A Dei, in quo est magnum sacerdotium, cuius Moyses (Exod. xxix, 5 et seq.) in illo vestimento principis sacerdotum indumenta describit intelligibilia, quod virtute sua induit mundum, et tamquam eo amictus fulget in omnibus. Induit enim ^b cognationem generis humani per hujus corporis susceptionem, et inenarrabilem charitatem, infundens se omnibus spiritu et plenitudine divinitatis suæ, de cuius plenitudine omnes accepimus; ut sciamus supereminentem scientiæ charitatem Christi, et impleamur in omnem plenitudinem Dei. Caput est enim omnium Christus, ex quo totum corpus producit, et mutua sibi connexionem conjungitur, incrementum sui in ædificationem charitatis accipiens. Hoc est igitur Verbum **425** quod supereminet, quod Moysi in illius arcæ testimonii ædificatione dicit: *Immittes in arcam testimonia quæcumque dabo tibi, et facies impositionem propitiatorii* (Exod., xxv, 16, 17). Et infra: *Impones propitiatorium super arcam desuper, et immittes testimonia quæ dabo; et innotescam tibi inde, et loquar tibi desuper* (Ibid., 22), hoc est, inde ubi super cælos est, ubi apud Patrem est, inde tibi loquar.

CAPUT IV.

Quid sit fugere sæculum, cum exhortatione ad illud ejusque contagionem fugiendam. Fugam illam gloriosam esse cum plurimorum Patrum exemplis ostenditur, tum præcipue sancti Jacob. Quam feliciter illi cesserit ita fugisse; et cur apud eum Laban nihil suum reperire potuerit?

C 17. Accedamus itaque, fidei suffragio subnixi, et ejus remigiis sublevati, ad illam sedem gratiæ, fugientes hoc sæculum et ejus contagionem. Hoc est autem fugere, abstinere a peccatis, ad similitudinem et imaginem Dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad imitationem Dei secundum mensuram nostræ possibilitatis. Vir enim perfectus imago et gloria est Dei. Unde et Dominus ait: *Perfecti estote, sicut et Pater vester qui in cælis est, perfectus est* (Matth. v, 48). Hoc est igitur similem esse Dei, habere justitiam, habere sapientiam, et in virtute esse perfectum (De Pœnit. dist. 2, cap. Similem). Deus enim est sine peccato. Et ideo qui peccatum fugit, ad imaginem est Dei. Non est igitur dubium quod is qui a peccato abstinere, fugit. Unde et Apostolus clamat: *Fugite fornicationem* (I Cor. vi, 18). Persequuntur enim nos peccatorum illecebræ, persequitur libido: sed tu fuge tamquam furiosam dominam, quæ si comprehenderit, nec die nec nocte requiescere sinit, exagitat, urit, incendit. Fuge avaritiam, ne te interius comprehendat. ^c Fuge invidiam, quæ non solum alienos, verum multo magis eum quem possederit, lacerare consuevit. Fuge communi usu, grammaticorumque canonibus paululum remota.

^b Quidam mss., *cognitionem generis humani*. Commodius alii et edit., *cognationem*, etc.

^c *Fuge invidiam . . . lacerare consuevit*. Et post pauca, *Quod si in alia . . . fugite*; in omnibus Gall. mss. desiderantur.

perfidiam, ne te suis involvat rebus. Unde et Dominus ait: *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Quod si in alia persequentur vos, in aliam fugite. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis* (Matth. x, 23). Etenim quamvis propter infirmitatem carnis fugam nobis suadere videatur: tamen melius fugit, qui fugit illecebram sæcularem; ut non teneatur divitiarum suarum sollicitudine, non thesauri contemplatione, non vitæ istius cupiditate; sed directa animi intentione festinet ad gloriam regni cœlestis, properet ad coronam, nec terrenorum contuitu a sui corporis passione revocetur.

18. Fuga ergo ^a mors est vel celebrata, vel adumbrata. **426** Et forte illas exprimit refugii legitimi civitates; ut confugiamus ad virtutum culmina, quas pro præmiis bono scœneratori alibi dispensat dicens: *Quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens super decem civitates* (Luc. xix, 17). ^b Lex vetus novit civitates: sed quia legem implevit, qui potuit dicere: *Non veni solvere legem, sed implere* (Matth. v, 17), perfectiorem numerum remunerationis indulget.

19. Non ergo erubescamus fugere. Gloriosa enim hæc fuga est fugere a facie peccati. Sic fugit Jacob, matre suadente. Dixit enim Rebecca: *Earsurgens fuge in Mesopotamiam* (Gen. xxvii, 43). Sic fugit et Moyses a facie regis Pharao, ne illum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia. Denique pretiosus Ægypti divitiis æstimavit opprobrium Christi. Sic fugit etiam David a facie regis Saul, a facie Abessalon. Denique fugiens addebat incrementa pietatis, qui et insidiatori pepercit, et parricidæ salutem rogavit. Sic fugit et populus Hebræorum, ut fides ejus et vita inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentiae, virtutis via, pietatis assumptio. Audeo dicere, sic fugit et Jonas in Tharsis non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui usque ad Christi ascendit similitudinem, ut fieret typus Christi. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus: sic erit, inquit, et Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus* (Matth. xii, 40). Nam si sic non fugisset, numquam de ventre ceti esset auditus.

^a Mors . . . celebrata, id est, naturalis ac vere appetita: mors autem adumbrata dicitur mortificatio; in hac enim est animæ se a corpore separantis speculum, ut lib. de Bono mortis cap. 4, num. 14, loquitur Ambrosius.

^b Ita Vat. cod. At duodecim nostri, *Lex quinque novit civitates*. Quem errorem hinc irrepsisse crediderimus, quia dictio, *vetus*, in quibusdam per litteram v. designata sit, quam pro nota numerica reliquorum scribæ acceperunt. Desiderabatur autem hic textus in ant. edit. quem in Rom. legas hoc modo, *Lex novit sex civitates*. Sed in cod. Vat. habetur *vetus*, et *sex* omittitur, quam tamen vocem subintelligi ex superioribus quivis intelligat.

^c Hoc petatum est ex lib. Phil. de Profugis, ubi sic habes, *σοφίας δὲ ὄνομα Βαθουρή ἐν χρησμοῖς ἀδεταί*. Idem infra eodem libro: *Ὁν Ἰσαὰκ ἐνόησεν οἱ χρησμοί*. Ex quibus patet sacras scripturas ab Ambrosio Philonis imitatione dictas oracula. Quod

20. Sed si dubitas, doceat te Rebecca quam beata sit fuga, quam suscepit Jacob. Suasit Rebecca. Et fuge, inquit, in Mesopotamiam (Gen. xxvii, 2); Isaac dicit: *Surgens vade in Mesopotamiam, in domum Bathuel*. ^e In hymnis vel oraculis a plerisque (ut ante nos scriptum est) Bathuel sapientia dicitur, interpretatione autem Latina, filia Dei significatur. In domum ergo sapientiæ mittitur Jacob, et accipere admonetur uxorem a filiabus Laban, qui habitabat in Charris, quod significat cavernas, in quibus species est sensuum, qui sunt tamquam in cavernis corporis, ut visus in oculis, auditus in auribus, odoratus in naribus, in ore sapor. Qui enim delectatur hoc mundo, et tripudiat in voluptatibus corporis, obnoxius est sensuum passionibus, atque in his habitat et diversatur. Unde ei dicit Rebecca habitandum paucos dies cum illo, non multo tempore; ne corporeis coloretur voluptatibus, et sæculi capiatur illecebris.

21. Persuadet autem habitare, ut discat ^d studiosius disciplinæ virtutis sensum, et velut situs quosdam carnis atque regiones, ut se cognoscat, et noverit vehementiam carnis, quid et qua causa **427** creatus sit, et quemadmodum unusquisque sensus operetur. *Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum carnem* (Matth. v, 28). Male sic videt oculus. Videat ergo oculus, et fungatur suo munere, non lubricæ mentis imperio dirigatur ad lapsum, ut vitium referat pro officio. Breve ergo tempus ad cognoscendos sensus, vel potius experiendos datur, et fortasse tenerioris adolescentiæ prima exordia; statimque revocatur, ne diutius titubet in lubrico, et dividua quadam inundatione corporis hujus et sæculi mergantur animi interiora vestigia. Cum autem vel expertus fuerit, vel steterit in instabili et incerto atque humido solo, revocatur a matre patientia vel perseverantia, quæ dicit: *Mittam ad te, et accersiam te inde* (Gen. xxvii, 43); ut et illic in lubrico tutum portum invenias sapientiæ, quæ te non sinat tamquam in naufragio fluctuare, et reversus perseverare circa Dei noveris cultum, et sis in conventum gentium, significans ejus fide Ecclesiam gentium congregandam.

22. His igitur patientiæ et perseverantiæ instructus disciplinis (Gen. xxix, 25 et seq.); profectus Ja-

autem ait, *In hymnis*, vel idem est atque oraculis; utrumque enim *χρησμός* interdum significat: vel referri potest ad verbum *ἀδεταί*, canitur. Cæterum hymnorum nomine etiam Davidicos psalmos significari docent et Philo ipse, et Interpretes ad cap. xxvi Matth. vers. 30, nempe, *Et hymno dicto exierunt*, etc.

^d Sic mss. melioris notæ, quibus accedunt etiam nonnulli recentiores, nisi quod legunt . . . virtutisque sensum. Vat. et Colb. unus, *studiosus disciplinæ virtutes sensuum*. Non inepte quidem, nam et inf. cap. seq. Jacob amator disciplinæ appellatur. Edit. vet. ab eis hoc tantum recedunt, quod habent, *studiosus*. Rom. denique, ac ms. Theod. prima manu, *studiosus disciplinæ virtutis sensum*. Ibidem edit. Rom., *Quis, et qua causa creatus sit*. Vet., *Quid . . . creatum sit*. Ita omnes mss. exceptis Remig. et Theod. secunda manu, qui habent, *Quid . . . creatus sit*.

cob copulam sibi acquisivit^a de sapientia consorte A propositi, opimam dote prudentiæ, cum qua vite tempora sine ulla offensione transcurreret. Addito igitur thesauro sapientiæ, variarum sibi ovium instituit gregem: sed illum rationabilem, virtutum plurimarum diversitate fulgentem. Unde et jactantiam carnis ejus recidit (*Gen. xxxii, 25*), quod significat femoris stupor, salva sacri interpretatione mysterii. His ergo virtutibus veluti gradibus quibusdam mens ejus ascendit in cœlum, et Dei secreta cognovit, et confirmatus est et repletus; ut Laban scrutans domum ejus nihil apud eum inane, nihil vacuum reperiret, nulla simulacra, nullam effigiem vanitatis. Non enim apud eum erat imago, sed veritas: non effigies ignaviæ, sed solida forma justitiæ, et veræ virtutis expressio intelligibilis. Itaque B Laban perscrutatus est domum ejus spiritalem, et non invenit effigies. Plena enim erat non figurarum, sed negotiorum.

23. Potuisset autem invenire fundamenta virtutum et culmina, nisi cæcitatem cordis, et perfidæ mentis caliginem detulisset. Denique ea improbitatis cæcitate suffusi mentem Sodomitæ, ostium nequaquam sancti Lot invenire potuerunt. Unde enim mens impia videre potuit viri sancti vel exitum, vel ingressum? Ipse quoque Dominus in Evangelio ait: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me invenit nihil* (*Joan. xiv, 30*). Quomodo nihil invenire potuit in eo, in quo plenitudo divinitatis habitabat, et inhabitabat corporaliter, de quo virtus exhibat, et sanabat omnes? Quomodo nihil invenire potuit in soliditate virtutis, ubertate sapientiæ, b intelligentiæ, justitiæ? Ipse dixisti: Domine: *Plenus sum* (*Esai. i, 11*); ipse dixisti: *Mitte manum tuam in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan. xx, 27*). Misit manum qui non credebat, et Dominum te et Deum reperit. Non ergo tu vacuus, sed ille cæcus et inanis princeps istius mundi, qui nescit nisi sua cernere, nescit nisi sua invenire; ea quæ Christi sunt, nescit agnoscere.

428 24. Aut si sic quemadmodum plerique habent: *Non inveniet in me nihil*, hoc est, non inveniet in me malitiam, quia malitia nihil est: non inveniet mortuum, quia mortuus non est. Sed quomodo c in eo mortuum reperiat, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt? Non inveniet, inquit, peccatum in me, qui mundi peccatum abstuli. Quomodo enim nihil habet, qui omnia habet? Et, quod plus est, omnia habet, quæ Pater habet, sicut ipse ait: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt* (*Joan. xvi, 15*).

CAPUT V.

Cur hinc fugere debeamus, et quomodo transire cum

^a Edit. cum paucis mss. iisque recentioris ævi, de sapientiæ domo, consortem propositi.

^b Ita mss. fere ad unum: pauci tamen ac edit., integritate justitiæ.

^c Edit. cum recentioribus aliquot mss., eum mortuum inveniret.

^d Vet. edit. ac mss. duo, videas visum magnum.

Moyse, ut videamus Deum, calceamenta pedum solventes: quomodo etiam relinquere umbram hujus vitæ, et cum sancto David, si non ut aquila, saltem ut passer; si non ad cœlum, saltem ad montes evolare.

25. Fugiamus ergo hinc, ubi nihil est, ubi inane est omne quod magnificentum putatur esse, ubi et qui se putat quid esse, nihil est, et omnino non est. Vidi, inquit, *impium superexaltatum et elevatum ultra cedros Libani, et transivi, et ecce non erat* (*Ps. xxxvi, 35*). Et tu transi sicut David, transi sicut bonus servus, ut dicatur tibi: *Transi, recumbe* (*Luc. xvii, 7*). Transi sicut Moyses, ut videas Deum Abraham, Isaac, et Jacob, et d videas visum magnum. Hoc est visum magnum, sed si videre vis, solve calceamentum pedum tuorum, solve omne vinculum iniquitatis, solve cingula sæculi, relinque calceamentum quod terrenum est. Ideo Jesus sine calceamento, aure et argento apostolos destinavit, ne secum terrena portarent. Qui enim bonum quærit, non in calceamento, sed in pedum velocitate et decore laudatur, dicente Scriptura: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Esai. lvi, 7*)! Solve ergo calceamentum pedum tuorum, ut speciosi sint ad evangelizandum. Solve dixit (*Exod. iii, 5*), non liga. Solve, ut transeas, et illum quem mirabar in terra impium, nihil illic esse, nihil posse reperias. Transi igitur, hoc est, fuge de terris, ubi malitia est, ubi avaritia. Ideo dicit tibi David: *Declina a malo, et fac bonum* (*Ps. xxxiii, 15*). Declinare fugere est utique. Malum autem in terris, bonum in cœlo est. Unde et addidit: *Inquire pacem, et sequere eam*. Pax in cœlo est. Denique de cœlo veniens dicit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan. xiv, 27*). Ergo quia fugienda et declinanda sunt mala; mala autem in terris, in terris iniquitates: fugiamus terrena, ne nos comprehendant iniquitates, quæ etiam sanctum comprehenderunt David, sicut ipse testatur dicens: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem* (*Ps. xxxix, 13*); eo quod fumo iniquitatis oculus animæ cæcatur, ne videat quæ sunt lucida. Sic ergo et Laban bona Jacob videre non potuit, et princeps hujus mundi gloriam Christi.

26. Sed forte dicas: Cur igitur Jacob ad Laban missus est, si Laban reprehensibilis? Si nomen consideremus, e candidus dicitur Latine. Ergo ad splendidiora jubetur egredi Jacob. Sed quia **429** carnalis erat, melius intelligamus splendidiora vitæ hujus. Quasi nondum perfectus primo ad eum vadit, apud quem ad horam exsultaret in luce ejus. Filios autem deteriores habebat, id est, tolerabilius nomen, quam opera. Et ideo et matris consilio, et

Sed si, etc. Rom., . . . magnum, hoc est, visum mysteriorum. Sed si, etc. Mss. magno numero, ut in textu.

^e Τοῦ ἐστίν, εἰς τὰς τοῦ βίου λαμπρότητας ἐφίετα. λευκός γὰρ ἐρμηνεύεται Λάβαν. Philo lib. de Prologis, quicum multis hujus tractatus locos conferre operæ pretium est.

divino oraculo, et ipsius Jacob amatoris disciplinae A voluntate cito deseritur ac relinquitur.

27. Abscondit autem simulacra sancta Rachel, id est, Ecclesia, vel prudentia, quia Ecclesia inanes ideas, et vanas nescit simulacrorum figuras: sed veram novit Trinitatis substantiam. Denique umbram abolevit, splendorem gloriae manifestavit. Relinquamus ergo umbram, qui solem quærimus: deseramus fumum, qui lumen sequimur. Fumus iniquitas est; quia sicut fumus oculis, sic iniquitates^a utentibus ea vita. Umbra vita est: umbra enim est nostra hæc vita in terra, sicut Job dixit (*Job. viii, 9*). Quid insuper hic nisi tentationes? Omne tempus in sollicitudine, omnis vita in molestiis. *In medio*, inquit, *laqueorum ambulamus* (*Eccli. ix, 20*). Et alius in via qua ambulabat, extentos sibi sed absconditos laqueos B querebatur (*Ps. cxli, 4*), ne deprehensus caderet. Volebat fugere sicut passer: sed adhuc laqueus contritus non erat. *Periit*, inquit, *fuga a me* (*Ps. cxli, 5*). Gravatas habebat pennas per illam tenebrosam aquam in nubibus aeris, et fortasse evolare non poterat. Denique illas pennas quærebat accipere, ut evolaret et requiesceret, sicut scriptum est: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal. liv, 7*)? Ubi enim volatus, ibi requies. Denique alibi dicit: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ* (*Ps. lxxvii, 14*).

28. Sed fortasse dicas: Quomodo ergo hic dicit fugam a se periisse, qui supra dixerat: *Si sumpsero pennas meas ante lucem* (*Psal. cxxxviii, 9*)? Numquid contrarium est? Abest. Multa enim justorum C certamina. Numquid semel athleta luctatur? Quoties post coronas multas vincitur in alio certamine! Quoties qui sæpe vicerat, interdum fluctuat, et in incerto hæret! Et sæpe fit ut fortibus fortis congregiatur, majoraque oriantur certamina, ubi majora virium documenta. Ergo David ubi fugam quærebat, ut evaderet adversarium, et non inveniebat pennas suas, ancipiti fluctuabat certamine. Siquidem ubi in potestate habet pennas suas, titulus psalmi *in finem* est (*Psal. cxxxviii*), id est, ad perfectionem et consummationem victoriae. Denique quasi victor dicit: *Domine, probasti me et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam* (*Ibid. 1*). Merito habebat facultatem volandi, qui pennas resurrectionis acceperat. Hic autem adhuc in spelunca est, id est, in carne, in antro quodam istius corporis, D cum rege Saul filio duritiæ, et intelligibilis illius principis potestate decernens, qui non videtur, sed intelligitur. Unde et psalmi titulus, *intellectus* est (*Psal. liv*), quem tamen David positus in carne conclusit: sed ut concluderet rogando meruit. Denique a voce precatationis cœpit.

^a Mss. propemodum omnes sic habent. Edit. autem vet., *utentibus ea umbra est vitæ. Umbra enim*, etc. Rom. vero, *utentibus eu. Umbra etiam est nostra hæc vita*, etc.

^b Edit. vet. et quædam Paris., *ille solus non habeat suas. Melius alie cum mss. omnibus, ille solus habeat suas; videtur enim per hæc indicari solum Chri-*

29. Adde illud, quod ille ex persona Salvatoris psalmus dicitur; iste ex persona David, qui in 430 potestate non habebat victoriam, sed sperabat a Christo; et ipse tamen posteaquam expandit ad Deum manus suas, tamquam pennas animæ suæ, et confugit ad Dominum, et Spiritus sancti deductionem postulat, quo cognosceret viam per quam posset ascendere, inclinari vidit cœlos, ut Christus descenderet, et rogavit ut eum levaret manu sua. Aut forte ideo pennas suas jam non quærebat, quia perfectior factus manum Christi desiderabat.

30. Qui vult igitur manu Christi levari, ante ipse evolet, habeat pennas suas. Qui fugit sæculum, pennas habeat; et si suas non habet (ne forte^b ille solus habeat suas qui potestatem habet volandi) si suas, inquam, non habet, ab eo qui habet, accipiat. Qui fugit ergo sæculum, volat: *Ecce*, inquit, *elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal. liv, 8*) Evolavit ergo David sicut nycticorax in domicilio, sicut passer singularis in domo. Si autem ad Christum referas, evolavit in corporis passione, ut sub umbra alarum suarum protegeret populos nationum. Evolavit divinitate, mansit corpore, atque habitavit in deserto; ut plures fierent desertæ filii, quam ejus quæ habebat virum. Illud ergo corpus sequamur, ut et nos resurgamus. Ubi enim corpus, ibi et aquilæ.

31. Qui non potest ut aquila volare, volitet ut passer. Qui non potest ad cœlum volare, volet ad montes, fugiat ante vallestria, quæ cito corrumpuntur humore, et ad montes transeat. Transivit ad montem Segor nepos Abrahamæ, et salvus factus est: quæ autem non potuit ascendere affectu femineo reclinata, salutem amisit. ^c *Appropinquate montibus æternis*, Dominus dicit per Michæam prophetam: *Surgite hinc, quia non est vobis hic refrigeratio. Propter spurcitiâ corrupti estis corruptione, persecutionem passi estis* (*Michæ. ii, 9 et 10*). Et Dominus dicit: *Tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes* (*Luc. xxi, 21*), ubi mons Sion, et civitas pacis Hierusalem non terrenis sed vivis constructa lapidibus, et decem millia Angelorum, primitivorum Ecclesia, perfectorum spiritus, justorum Deus, qui in sanguine suo melius locutus est, quam Abel. Ille enim vindictam clamavit, hic indulgentiam: ille peccatum fratris accusavit, hic peccatum mundi remisit: ille prodidit crimen, hic texit secundum quod scriptum est: *Beati quorum tecta sunt peccata* (*Psal. xxxi, 1*).

CAPUT VI.

Qua ratione qui velit fugere, eum velociter fugere oporteat: quo etiam fugiendum sit; et ad quod bonum animas nostras erigere debeamus?

32. Sed qui fugit velociter fugiat, ne comprehen-

stum proprias pennas habere: cæteros autem alienis pennis, hoc est, accepto divinitus subsidio indigere.

^c Omnes edit., *Appropinquantibus montibus*, etc. Omnes mss. saltem Gallic., *Appropinquate montibus*, etc., nempe secundum LXX, qui sic habent, *ἐγγίσατε ὄρεσιν αἰωνίους*. Quod in edit. vulgata non invenitur.

datur : ^a velociter deprædetur hunc mundum , ut Hebræus Ægyptum. Qui parturit, pariat; ne onusto et degravato iniquitatibus mentis utero , fugere non possit : et fugiat non quasi lactantem ferens, sed quasi expeditum : non parvulum gestans, sed perfectum in Christo exhibens ; fugiat non quasi feriat in sabbato, sed **431** tamquam operarius in negotio : nec tamquam sterilis in frigore, sed tamquam opimus in messe. Ideo enim dictum est : *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato* (Matth. xxiv, 2). Fuga ergo hæc fecunda virtutum est, non effeta meritorum. Fuga hæc nescit frigus timoris , tremorem mortis , contractionem sollicitudinis , dissolutionis otium , lasciviæ ferias, torporem lentitudinis : sed vitæ cœlestis requirit impigrum viatorem, regni superioris competitorem strenuum, divitem agricolam, qui fructus suos cogat, et cogendo diripiat.

33. Quid enim aliud a te , o homo, quæritur, nisi ut timeas Dominum , requiras eum, post ipsum ambules. comprehendas vias ejus (Deut. x, 12)? In quo, inquit, comprehendam Dominum? Si comprehendam eum in holocaustis? Non in decem millibus hædorum, non in millibus arietum, non in fructibus impietatis reconciliatur Dominus, et peccata redimuntur : sed in bona vita Domini gratia comprehenditur. Renuntiatum est, inquit, tibi , homo, quid sit bonum , aut quid Dominus requirat a te. Quid aliud , nisi ut facias justitiam, et diligas misericordiam, et paratus sis ire cum Domino Deo tuo? Dicit tibi ergo Evangelium : *Surgite, eamus hinc* (Joan. xiv, 31). Dicit tibi lex : *Post Dominum Deum tuum ambulabis* (Deut. xiii, 4). Didicisti quomodo hinc fugias, quid moraris? Dicit tibi Evangelium iterum : *Progenies viperarum, quis vobis demonstravit fugere ab ira ventura* (Matth. iii, 7)? Et dicit hoc illis qui veniebant ad baptismum pœnitentiæ.

34. Ergo pœnitentia fuga est bona : gratia Dei fuga est bona, in quam est assumptio fugientis : desertum fuga est bona, ad quod fugit Elias, Elisæus , Joannes Baptista. Fugit Elias mulierem Jezabel, id est, effusionem vanitatis, et fugit ad montem Oreb, quod significat exsiccationem; ut siccaretur in eo carnalis profluvium vanitatis, et cognosceret plenius Deum. Erat enim ad torrentem Chorrâd, quod est cognitio, ubi abundantiam profluentem divinæ cognitionis hauriret, ita fugiens sæculum, ut nec cibum corporis hujus exquireret, nisi quem aves detulissent ministræ; quamquam esca ejus plerumque terrena non fuerit. Denique quadraginta diebus in virtute escæ quam acceperat, ambulavit. Utique non mulierem fugiebat propheta tantus, sed sæculum. An mortem timebat, qui se obtulerat requirenti, et qui dicebat ad Dominum : *Recipe animam meam* (III Reg. xix, 4), tædium vitæ istius sustinens, non cupiditatem? Sed fugiebat sæcularem illecebram, et conversationis maculosæ contagionem, et impiæ ac prævariatricis nationis sacrilegia.

A 35. Salomon quoque in mulieris illius specie corruptelam sæculi hujus exponit, et meretricias artes declinandas edocet (*Prov. vii et aliis*). Hæc est mulier aliena et fornicaria, a qua te ut custodias, adhortatur. Ne declines ad vias sæculi cor tuum, sed colloces illud in manu Domini, in qua est cor regis. Qui enim se ipsum regit, quod pluris est quam aliis imperare, cor ejus in manu Dei est, et quo Deus vult, convertit illud. Non mirum si convertit in bonum, qui perfectæ bonitatis est. In manu ergo Dei simus, ut bonum quæramus, **432** illud bonum incorruptibile atque incommutabile, de quo dicit Amos propheta : *Exquirite bonum et non malignum, ut vivatis : et sic erit vobiscum Dominus Deus omnipotens* (Amos v, 14). Quomodo dixistis : Odio habuimus mala, et dileximus bona? Ubi ergo bonus Deus, ibi bona sunt, quæ desideravit videre David, et visuram se credidit, sicut ipse ait : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (Ps. xxvi, 13). Illa enim bona sunt quæ manent semper, quæ non queunt temporis vel ætatis mutatione corrumpi.

36. In illis bonis est qui Deum quæsiverit et inveniit. Ubi enim cor hominis, ibi et thesaurus ejus est. Non enim solet bonum datum deprecantibus Dominus denegare. Ergo quia bonus Dominus est, et maxime sustinentibus se bonus est, ipsi adhæreamus, cum ipso simus tota anima nostra, toto corde, tota virtute ; ut simus in lumine ejus, et videamus ejus gloriam, et delectationis supernæ fruamur gratia. Ad illud igitur bonum erigamus animos, et in illo simus, atque in illo vivamus, ipsi adhæreamus, quod est supra omnem mentem, et omnem considerationem, et pace utitur perpetua ac tranquillitate. Pax autem supra omnem mentem est, et supra omnem sensum. Hoc est bonum quod penetrat omnia, et omnes in ipso vivimus, atque ex ipso pendemus : ipsum autem supra se nihil habet, sed est divinum ; nemo enim bonus, nisi unus Deus. Quod ergo bonum, divinum ; et quod divinum, bonum. Et ideo dicitur : *Aperiente te manum, implebuntur omnia bonitate* (Psal. ciii, 28). Per bonitatem enim Dei nobis universa tribuuntur merito bona, quibus nihil admixtum est mali. Hæc bona promittit Scriptura fidelibus dicens : *Quæ bona sunt terræ manducabitis* (Esai. i, 19). Boni ergo illius similes simus, ut quæ bona sunt adipiscamur. Bonum quod est sine iniquitate, et sine dolo, et sine asperitate, cum gratia, cum pietate, cum sinceritate, et benevolentia, charitate, et justitia. Itaque omnes virtutes bonitas tamquam mater fecunda amplectitur.

CAPUT VII.

Maximam esse causam quare hinc fugiamus, cum hæc propria sit malitiæ sedes ; ac item quid sit fugere? Malitiam hic non interire, et qua de causa? De serpentis damnatione, quidve a sententia in hominem

^a Vat. Cod. velociter deprehendetur, nisi hunc mundum relinquat.

lata differat? Quibus accedit ejusdem sententia expositio.

37. Est igitur non mediocri causa cur hinc fugere debeamus, ut perveniamus a malis ad bona, ab incertis ad fidelia et plena veritatis, a morte ad vitam. Ipse quoque Dominus dicendo: *Posui ante te bonum et malum, vitam et mortem (Deut. xxx, 15)*, demonstravit quia bonum vita est, sed æterna. Si hæc enim obnoxia sæculo atque ejus malignitati, utique illa est bona, quæ non corrumpitur et mutatur, quæ nullo vitio degenerat, quæ virtute acquiritur. Fugiamus ergo malitiam sæculi hujus, in quo ipsi dies, inquit (*Ephes. v, 16*), *mali sunt*; et fugiamus impigre. Ideoque Esaias clamat: *Convalescite manus remissæ, et genua dissoluta (Esai. xxxv, 3)*, id est, non corporis, sed animæ genua, convalescite; ut directum ad cœli altissima mentis vestigium possit attolli, ut sit^a ductus solidior, vita maturior, **433** gratia plenior, prudentia circumspectior.

38. Hoc est enim fugere, scire quo tendas, ablevare se a sæculo, ablevare se a corpore; ne iterum frustra se aliquis extollat, et inflatus mente carnis suæ non teneat caput, et dicatur de his: *Fugerunt, et non viderunt (Job ix, 25)*. Sed hoc est fugere hinc, mori elementis istius mundi, abscondere vitam in Deo, declinare corruptiones, non adtaminare cupiditates, nescire quæ sunt mundi istius, qui nobis varios gignit dolores exinanit cum repleverit, cum exinaniverit, replet. Et hæc omnia inania et vacua, in quibus nullus solidus est fructus. Mortuus est dives, et nihil habet; quia non est in Deum dives: et ideo insipiens, quia sapientia cultura est Dei, abstinere autem a malis disciplina est.

39. Quis ergo non fugiat malitiæ locum, officinam improbitatis, quæ interire nesciat? Denique non otiose signum positum est supra Cain, ne quis eum occideret; ut significaretur quod non exstinguatur et auferatur a terris malitia. Timebat Cain ne occideretur, quia fugere nesciebat. Augetur enim et cumulatur ipso usu malitia, et est sine moderatione, sine fine, dolo et fraude decernens, quæ factis suis proditur et sanguine peremptorum, sicut et Cain proditus est. Versatur itaque in terris malitia,^b atque istic errat; et ideo rogamus voluntatem Dei fieri in terris sicut et in cœlis (*Matth. vi, 10*), ut et hic sit innocentia. Itaque malitia quoniam illic jam locum **D** non habet, hic circuit, hic sævit, seseque effundit, non mundano illo mersa diluvio, non Sodomitano exusta incendio. Denique gravius postea in seminariis pullulavit, usque in ipsum parricidas ac sacrilegas injiciens manus universorum auctorem salutis. Lex factum damnat, non aufert malitiam. Ipse Dominus Jesus peccatum damnavit, auctorem ejus distulit; ut esset per quem justii probarentur. Etenim

^a Mss. septem, *doctus solidior*. Quod forte ut emendarent edit. reposuere, *doctrina solidior*. At mss. sex legunt, *ductus solidior*, quæ vera lectio nobis videtur. Tres tamen habent, *actus solidior*. Non male.

^b Mss. plures atque edit. vet., *atque istic erat*;

A quia malum Deus non fecit, sed nequitia diaboli inseruit, vindictam Deus distulit; ut ab ipsis quos deceperat, diabolus vinceretur (*Conf. S. Aug. lib. iv contra duas epist. Pelag. c. 11*).

40. Exercentur ergo decepti, ut et pretium luant facilitatis, et sumant studia virtutis, industriam cautionis. Unde ait: *Estote astuti sicut serpentes (Matth. x, 16)*. Quare sicut serpentes? Ut et ille spoliatur suo, et qui alios exuere voluit, amittat quæ sunt ipsius, non venena, sed merita naturæ. Denique deicitur ille cum tu ascenderis. Scriptum est enim: *Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cœlo (Luc. x, 18)*. Non fulgur, inquit, sed sicut fulgur; quia suum lumen amisit, quod habebat antequam tibi tuum lumen vellet auferre. Verum forte dicas quia **B** et de Salvatore legimus, quia *sicut fulgur coruscans de sub cœlo... ita erit et adventus Filii hominis (Luc. xvii, 24)*. Bene et hic sicut fulgur, quia supra fulgur. Denique fulgur de sub cœlo: lumen autem verum supra cœlum. Ergo Satanas sicut fulgur, quia amisit hoc quod habuit: tu autem recepisti quod amiseras.

41. Non enim ita circa illum sicut circa te soluta est sententia. Nam Christi gratia quæ te resolvit, illum astrinxit. Manet enim maledictio directa in serpentem propter tuam deceptionem. Sic enim dictum est ad eum: *Maledictus tu ab omnibus **434** pecoribus terræ (Gen. iii, 14)*. Omnium enim communis inimicus est, qui fuit hostis bonorum, et pro iis damnatur quos adhuc non læserat; quoniam qui hominem læsit, cui illa omnia subjecta sunt, læsit omnia. Communem etenim legem solvit, qua et ipse homini cum cæteris subditus est. Ideo communi odio omnium atque execratione maledictio ejus oneratur. Genus autem damnationis non mors, sed pœna diuturna est: *Super pectus, inquit, tuum et ventrem ambulabis (Ibid.)*. Premenda enim fuit noxia conscientia, et proterenda malitia, fraudulentumque secretum tamquam a Dei facie relegandum: simul ostenditur quod terrena malitia sit, quæ in terram recurvet. Denique addidit: *Et terram edes omnes dies vitæ tuæ. (Ibid.)*.

42. Describi quidem his natura serpentis videtur, sed magis omne vas malitiæ describitur, omnis serpens improbitatis, qui in ventrem se dejicit, atque intra se venenum suum claudit, et intus in pectore suo volvit, cogitationibus suis lubricus, et super fraudes suas ambulans, suis dolis se ipse implicans, movens semper atque exagitans sua venena cum cogitat, ventrem quoque, hoc est, seminarium cordis sui proterens. Unde pulchre David ait: *Alienati sunt peccatores ab utero, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surditæ et obstruentis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium; et venefici, cum incantatur a sapiente (Psal. lvi, 4 et seq.)*. Propter hoc

quod cum videretur frigidum, in edit. Rom. resecatum est. At veram lectionem nobis exhibuere codices Ebrulph. ac Theod. Idem enim est *istic errat*, atque istic vagatur ac se diffundit.

etiam illud pulchre dictum videtur, quod in libro prophético legimus: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo* (Jer. iv, 19); quia ibi est malitia, ubi debet esse innocentia: et illud plus laborat, quod in nobis debet esse tranquillius: atque id nequitiae vestigiis proculcatur, stimulator unguibus, processu quodam improbitatis, incrementoque concutitur, ubi est genitale seminarium posteritatis æternæ. Videtur quidem hoc ad id esse referendum, quod dolebat perisse quos creavit filios et suscepit, sed multo magis, quod in ventre suo verbi seminarium non habebat. Ideo ventrem suum dicit, quasi pretiosissimum. Pretiosus enim mentis uterus est, in quo fecunda seges consiliorum verbi semine pullulare consuevit, et vitæ totius solent atque virtutum ac disciplinarum quædam membra formari.

43. Sed ut revertamur ad propositum, quod malitiam Deus reprimendam^a interim, quam abolendam putaverit, ait ad serpentem: *Et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et semen tuum et semen mulieris. Ipsa tibi observabit caput, et tu illius calcaneum* (Gen. iii, 15). Ubi inimicitiae sunt, ibi discordia est, nocendique studium: ubi nocendi studium, ibi malitia ponitur. Ergo discordia inter serpentem et mulierem discordiæ malitia subest. Non est ergo sublata malitia. Denique servatum est serpenti, ut calcaneum mulieris et seminis ejus observet, quo noceat, et venenum suum infundat. Non ergo ambulemus in terrenis, et serpens nobis nocere non poterit. Sumamus Evangelicum calceamentum quo venenum serpentis excluditur, morsus ejus hebetatur, ut simus calceati pedes in Evangelium. Et fortasse ideo Moyses **435** jubetur solvere calceamentum pedum suorum, ut sumeret calceamentum Evangelii; vel quia non Moysi, id est, non prophetis, sed apostolis prædicatio Evangelii debebatur. Ea est quam supra diximus, dicta in serpentem sententia. In hominem quoque ejusmodi directa sit, consideremus.

44. Maledictus ille qui auctor est culpæ: sed non maledictus est iste qui aliena fraude deceptus est; tamen quia non servavit mandatum Dei, operum suorum labore damnatur. Maledicitur sane terra, sed in operibus peccatoris (Gen. iii, 17); et maledicitur, donec resolvatur in terram. Ideo ergo suscepit Jesus carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret; et factus est pro nobis maledictum, ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia^D sententiam, vita mortem. Suscepit enim et mortem, ut impleretur sententia, ^b satisfieret iudicatio: Maledictum carnis peccatricis usque ad mortem. Nihil ergo

^a Omnes edit., *interimque*. Perperam, ut patet ex toto capituli contextu: vera igitur lectio nostra ex mss. Sed hic atque alibi non uno loco subintellige magis vel *potius*. De cujusmodi ellipsi consule Fr. Sanctii Minervam. lib. iv, pag. 377.

^b Omnes edit., *satisfieret iudicatio per maledictum carnis*. etc. Mss. aliquot, *satisfieret iudicatio, maledictum carnis sustinens*. Alii majori numero et antiquitate, ut in textu. Ejus autem loci putamus hunc esse sensum: ut satisfieret iudicatio sive iudicio illi; nempe, maledictum, etc. Ubi non obscure alluditur

A factum est contra sententiam Dei, cum sit divinæ conditio impleta sententiæ. Maledictum enim usque ad mortem, post mortem autem gratia. Mortui ergo sæculo sumus, ^c quid adhuc sæculo decernimus? mortui sumus cum Christo, quid adhuc vitæ hujus actus requirimus? Mortem Christi in corpore nostro circumferimus; ut et vita Christi in nobis manifestetur. Non ergo jam nostram illam vitam, sed Christi vitam vivimus, vitam innocentiae, vitam castimoniae, vitam simplicitatis, omniumque virtutum. Cum Christo resurreximus, in ipso vivamus, in ipso ascendamus; ut serpens calcaneum nostrum quod vulneret, in terris reperire non possit.

CAPUT VIII.

B *Quomodo licet hic retineamur corpore, tamen animo fugere possimus, atque adeo debeamus; ne cum prætereunte figura hujus mundi opera nostra nosque ipsi prætereamus: quod ne contingat, mandata Dei non prætereamus, sicut nec ullius disciplinæ profectum; quemadmodum plures e sanctis veteribus fecisse compertum est.*

45. Fugiamus hinc. Potes animo fugere, et si retineris corpore. Potes et hic esse, et adesse ad Dominum, si illi adhæreat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules, si fide, non specie vias ejus sequaris, si ad ipsum confugas. Est enim refugium et virtus, cui dicit David: *Ad te confugi, et non sum deceptus* (Psal. lxxvi, 3). Ergo quia Deus refugium, Deus autem in cælo, et supra cælos: utique **436** hinc illo confugiendum est, ubi pax, ubi requies ab operibus, ^d ubi epulemur sabbatum magnum, sicut dixit Moyses: *Et erunt sabbata terræ vobis escæ* (Levit. xxv, 6). Epulatorium enim et plenum jucunditatis et tranquillitatis est, requiescere in Christo, et ejus delectationem videre. Qui ergo confugimus ad Deum, ad mundum revertemur? Qui peccato mortui sumus, peccata repetemus? Qui renuntiavimus sæculo et usui ejus, iterum in luto ejus hærebimus?

46. Fugiamus hinc, quia tempus breve est. Audi quomodo fugias: *Et qui habent uxores, ita sint ac si non habeant; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes; et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui hoc mundo utuntur, tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi* (I Cor. vii, 29 et seq.). Non ergo cum prætereunte figura mundi opera nostra prætereant, ne etiam ipsi prætereamus; sed maneamus in veritate. Si maneamus in Christo, manemus in veritate, et cum eo manebimus, et non præteribimus, sed dicemus: Bene-

ad sententiam Gen. iii, versu 17 et seq. latam, qua homo laboribus ad mortem usque perpetuis addicitur; ut antecedentia planum faciunt.

^c Edit., *qui adhuc sæculo deservimus. Mortui sumus cum Christo, qui adhuc.... requirimus. Mortem enim, etc.* Mss. partim, *quid adhuc de sæculo cernimus*; id est, de rebus sæcularibus contendimus: partim *quid adhuc sæculo decernimus*, id est, sæculo militamus.

^d Mss. Theod. et Valc., *Ubi epulemur sabbatum ejus, scilicet Christi, et omnium virtutum: sabbatum magnum, etc.* Vide Philonem lib. de Profugis.

dictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini (Psal. cxxviii, 8). Qui enim prætereunt, non possunt dicere, quia non dixerunt prætereuntes viam: *Benedictio Domini super vos*, quemadmodum dixit Propheta. Itaque si volumus non prætereire opera nostra, non prætereamus mandata Dei, non prætereamus requirendi Jesu Domini diligentiam, emereudi ejus gratiam. Non præterivit eum illa mulier quæ usque in pharisæi domum ingressa, in qua Christus recumbebat, in pedes ejus superfudit unguentum.

47. Non prætereamus disciplinæ alicujus profectum, sicut etiam Joseph adolescentulus non præterivit; quia fratres suos requirebāt, et ad eum festinabat locum, in quo pascabant oves; et cum cognovisset quia in Dothaim sunt, perrexit eo. Significatur autem illo verbo Dothaim defectus idoneus, id est, vanarum opinionum defectus non mediocris, sed perfectus et plenus, in quo profectus est animæ.

^a Sapiens enim quando minuit, addit. Deficiunt enim sæculares opiniones, quæ mulieribus infirmis comparantur. Unde pulchre quo ostenderetur ^b Sara ad profectum venisse, ut generaret risum et lætitiā: *Defecerunt, inquit, Saræ fieri muliebria (Gen. xviii, 11).* Bona ergo defectio cupiditatum, defectio vanitatis; quia veritatis adjectio est. Unde et sanctus David ait: *Defecit in salutare tuum anima mea (Psal. cxviii, 81).* Paritura etenim erat ^c quæ concesserat, eoque et promiserat Deus: paritura lætitiā, et sobriam illam jucunditatis ebrietatem: paritura ^d ante expectatum, ingenii celeritate **437** partus, facta sapientiæ. Denique et de aliis Hebræis mulieribus habes, quia Hebrææ prius pariunt, quam veniant obstetrices (*Exod. 1, 19*); eo quod animæ justorum non expectent artes et disciplinas propter inventionum genera, nec requirant adjumenta generandi: sed sponte partus suos fundant, expectationemque præveniant.

48. Nec minus impiger ad inveniendum, quam ad exsequendum Jacob, cui cum mater dixisset, ut inferret patri escas (*Gen. xxvii, 9 et seq.*), ^e definitionum genera suppetisse cernimus. Nam et cito inve-

^a Sapiens enim quando minuit, supple se, id est, quando minuitur, ex eodem Phil. lib. de Profugis: *ὁ δὲ σοφὸς καὶ ἐκλείπων προστίθεται κατὰ Μωσῆν*, ubi alluditur ad *Gen. xxv, 8, καὶ ἐκλείπων... προσετέθη*, etc.

^b Mss. non pauci nec inferioris notæ, *Sara ad profectum venisse*, etc.

^c Sic edit. vet. cum Gall. mss. nisi quod in quibusdam legitur, *quem concesserat ei, et promiserat*. Rom. edit. cum uno Vat. cod. *quæ conceperat, ut promiserat*, etc.

^d Rom. edit. sola, *ante expectatum partum, ingenii celeritate fetum*. Aliæ. *ante expectatum ingenium, celeritate partus feta*. Mss. vero, *ante expectatum*. Pauci *ante expectavit ingenii (unus ingenui) celeritate (nonnulli celeritate) partus (unus partu, aliqui partum) feta (alii fetum, alii facta)*. Hanc porro tantam diversitatem non aliunde profectam remur, quam ex eo quod non viderent. *ante expectatum*, quo redditur illud Philonis, *ὡς ἀν' ἀχρόνως*, referri non ad ingenium, aut partum; sed ad tempus quod subintelligitur, ut in illo Virg. iv. Georg.

Ante expectatum positus stat in ordine castris.

nit, et inventorum suorum auctorem testificatus est Deum, in quo et diligentiae palma, et ingenii significatur ubertas. Prima ergo definitio in inventione: quod invenitur, quæritur: et quod quæritur, temporis est: quod temporis est, utique diligentiae est. Quod autem prævenit usum temporis, Deus infundit, Deus dat: quod Deus dat, naturæ, non diligentiae est. Ingenium igitur divini est muneris. quod autem divini muneris, hoc naturæ. Ingenium ergo naturæ est, inventio diligentiae: illud sine tempore, hoc indiget tempore. Ideoque illud in tempore præsto est, hoc in spatio temporis investigatur: illud supra nos, hoc vero ad nos refertur.

49. Quærenti igitur patri cibum verbi (non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei: talem cibum quærebat Isaac, talem cibum esuriebat Petrus (*Act. x, 11 et seq.*), quando vidit credituri gentilis populi mysteria) Esau præsto non habuit cibum spiritualis et velocioris ingenii. Dum iste venatur et quærit, et prædurum atque agrestem sermonem suggerere parat, prævenit Jacob celeri inventione, et miti, et prope domestica responsione suave verbum ministrans, quo eum mulceret ac delectaret. Unde miratus pater ait: *Quid est hoc, quod tam cito invenisti, fili mi? Respondit Jacob: Quod tradidit Dominus Deus tuus in manus meas (Gen. xxvii, 20).* Prima definitio in interrogatione est, secunda in responso. Plena igitur omnia reperiens pater quæ erant vel ingenii, vel diligentiae, definitionis consummatione conclusit dicens: *Ecce odor filii mei tamquam odor agri pleni, quem benedixit Dominus (Ibid., 27).* Ager enim et naturale habet fertilitatis ingenium, et culturæ diligentiam temporalem, meritoque in eo est plenitudo, cui utrumque non deest. Simul cum addiderit: *Quem benedixit Dominus*, videtur naturæ gratiam prætulisse cultionis labori. Et confirmavit Esau dicens: *Iuste vocatum est nomen illius Jacob. Supplantavit enim jam me bis, et primogenita mea accepit (Ibid., 36).*

50. Sed forte dicas: In quo moram fecit, qui ad venationem a patre missus est? Sed considera quia et pater pronuntiavit; quia paratum habere non posset,

Deinde quod minus adverterent, unde voces *partus*, et *facta* regerentur, substituerunt earum loco *partum* ac *feta*. Est autem ellipsis supplenda in hunc modum, *paritura.... partus, qui sunt facta*, etc. Eodem recidit si legas *partum* et *setum*. Quamvis non eamus inficiis sensum aliquem, servata voce *feta*, elici posse: sed nostro, præterquam quod magis naturalis est, Philo etiam suffragatur lib. cit.

^e Ut locus hic, alioqui satis obscurus, intelligatur, advertendum hanc Ambrosii mentem esse, nimirum ut ostendat in Jacob omnem bonæ disciplinæ profectum reperiri, quod ita conficit: Quidquid ad bonam disciplinam necessarium est, duobus quasi limitibus, quas definitiones vocat et philo *ὄρους*. continetur atque includitur, ingenio scilicet ac diligentia; ingenium quidem Dei munus est, diligentia vero nostro labori tribuitur: cum ergo hunc utrumque perfectæ disciplinæ finem seu definitionem in filio Jacob deprehenderit sanctus Isaac, optime colligitur illum rebus ad bonam disciplinam necessariis instructum fuisse. Hoc porro caput fere totum ex lib. de Profugis desumptum est.

quod spiritaliter petebatur; et ideo quia deficiebat ingenio, vel diligentiae subsidium ut adjungeret, exigebat. Celeritatis quoque admonet, qui ait: *Cape arcum et sagittam* (*Ibid.*, 3). Accepit tamen et diligentiae fructum, qui agnovit superius **438** esse ingenii munus.

51. Nec immerito domesticos cibos detulit, qui de domesticis seminis sui sapientiae sibi acquisivit copulam. Bona autem diligentia cum sapientia, et inventio cum ingenio naturali. Denique habens in promptu sapientiae copulam sanctus Isaac, deambulabat in campo, immo abalienabatur. Et nos primo sapientiae copulemur, et sic exeamus in campum quærere et invenire cupientes. Multi enim sine sapientia male quærunt. Et ideo Cain quia non acceperat a Deo prudentiam, male quæsivit, male exivit in campum; Abel bene, qui perfectum sacrificii munus implevit. Bonum enim sapientiae sacrificium, bona est hostia fides, et omnis virtus. Denique, sapientia interfecit suas hostias, et miscuit in craterem vinum suum. Et ideo ut insipientibus gentilibus potum fidei daret, ad craterem suum convocavit eos dicens: *Qui est insipiens, divertat ad me* (*Prov.* ix, 4). Et egentibus sensu dixit: *Venite et edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Ibid.*, 5). De hoc cratere Plato in suos libros transferendum putavit, ad cujus potum evocavit animas: sed eas explere nescivit, qui potum non fidei, sed perfidiae ministrabat.

CAPUT IX.

Urget ut hinc fugiamus, sicut fugit Jacob de patria, et sicut cervi ad fontes; quos qui desiderat, super se animam suam exemplo Susannae effundat oportet. Quomodo Paulus et Lot fugerint; ac nobis similiter fugiendum sit in supernam civitatem, quoad summus sacerdos moriatur: cum quo et vetus homo noster debet mori.

52. Fugiamus ergo hinc sicut fugit de patria sanctus Jacob. Sciebat enim veram patriam esse superiorem. Fugiamus sicut cervi ad fontes aquarum: quos sitiabat David, sitiat et anima nostra. Quis est ille fons? Audi dicentem: *Quoniam apud te est fons vitae* (*Ps.* xxxv, 10). Huic fonti dicat anima: *Quando veniam et parebo ante faciem tuam* (*Ps.* xli, 3)? Fons enim Deus est: sed qui hunc fontem desiderat, effundat super se animam suam; ut nihil^a passioni carnis relinquat, sed ubique anima superfluat.

53. Pulchre eam effudit Susanna, ut evaporare in eam non possent incendia corporis, mortis formidines, vitae cupiditates. Effusa super ipsam anima omne restinxit carnale desiderium, saeculare stu-

^a Ita Rom. edit. ac unus cod. Vat. Alter vero cum duobus Gallic., *nihil possessionis carni*; quæ lectio minime displicet. Sed reliqui mss. et edit. ant., *nihil possessioni carnis*.

^b Quaedam edit. tum ex vet. tum ex recent., *non potuit*. Male. Est enim locutio conditionalis, ut indicant sequentia illa, *nisi de his*, etc. idemque valet *potuit*, ac si legeretur, *potuisset*. Quæ formula probatis auctoribus non est inusitata.

^c Edit. quaedam Paris., *censuræ potestate percussa*.

diu. Quæ etiam prodigiosorum senum, et impudentium presbyterorum^b potuit flammam restinguere, nisi in his libidinibus profluvium redundasset. A quibus cum intenderetur calumnia, si assensus negaretur adulterio, ingemuit Susanna, et dixit: *Angustiae mihi adsunt undique. Si enim hoc fecero, morte aeterna peribo: sin autem, non effugiam manus vestras* (*Dan.* xiii, 22): Melius tamen judicavit crimen fugere potius, quam periculum. **439** Ploravit itaque cum crimen ei objiceretur: ploravit cum sibi de pudica et casta adulteri iudicium vindicarent; non mortem deplorans, sed castitatis calumniam. Religionis injuriam ploravit, et effudit super se non corpus, sed animam. Effudisset enim corpus, si carnalibus acquievisset. Denique cum morte damnaretur, exclamavit, quasi iudex reorum, arbitra columniantium; et innocentis conscientiae auctoritate divinam sibi in iudicium accersivit cognitionem, non timore mortis percita, sed arguentis^c censuræ potestate præcelsa. Susanna ergo fugit saeculum, et se Deo credit, ad illam arcem civitatis aeternae fugiens, quæ totum mundum complectitur, ^d quoniam intra Deum sunt omnia.

54. Fugit et Paulus ut evaderet per fenestram in sporta demissus, spartum enim triplex rumpi non posse noverat: sed fugit, ut Evangelium Domini toto orbe prædicaret; et ideo in paradysum raptus est. Et nos fugiamus per fenestram audientes præcepta Domini, et visu sobrio, atque oculorum castitate servantes.

55. Fugiamus sicut Lot, Sodomitana crimina amplius, quam supplicia formidans. Magis enim pius certe scelerum fugit contagia, qui Sodomitis domum clausit: nec cohabitans noverat eos, quorum flagitia nesciebat, et opprobria aversabatur: nec fugiens respexit eos quorum conversationes non desiderabat. Fugit ergo sicut Lot, qui renuntiat vitiis, abdicat se incolarum moribus, qui post se non respicit, qui superiorem illam civitatem ingreditur introitu cogitationum suarum, nec recedit ex ea donec moriatur Princeps sacerdotum, qui tulit peccatum mundi. Mortuus quidem semel est: sed moritur unicuique qui baptizatur in morte Christi; ut consepeliatur cum eo, et resurgamus cum eo, et in novitate vitae illius ambulemus.

56. Bene fugis, si cor tuum non imitetur peccatorum consilia, et cogitationes eorum. Bene fugis, si oculus tuus fugit calices et phialas; ne **440** fiat libidinosus, dum moratur in vino. Bene fugis, ^e si oculus tuus alienam declinet, ut lingua tua veritatem custodiat. Bene fugis, si non respondeas imprudenti

^d Ita edit. omnes cum paucis mss. At Colb. unus *quoniam intra Deum omne ævum*. Alter cum Torn., ... *omnia fugit*; Valc. et Theod., *fugiunt*; Thuan., Prat., Big., Ebrulph., Alnet., ... *omne confugit*; Fisc. denique, ... *omne habet cum fugit*.

^e Edit. omnes, *si oculus tuus aliena declinet, ut lingua*; Rom., *et lingua*. Mss. Gall. fere ad unum. ... *alienam*, etc. Utræque lectio suum sensum habere potest, ut moneamur oculo avertere sive ab alienis divitiis, sive ab aliena conjuge. Hanc siquidem Am-

ad imprudentiam illius. Bene fugis, si auferas gressum pedum tuorum ex ore insipientium. Cito enim malis ducibus erratur: sed si vis bene fugere, longe fac vias tuas ab eorum sermonibus.

57. Mortuus est tibi Princeps sacerdotum, tibi crucifixus est, ut clavis ejus adhareas. Te enim in illa carne, et tua peccata suscepit: affixa sunt illi patibulo tuorum delictorum chirographa; ut jam mundo nihil debeas, cui semel renuntiasti. Et recte nihil debes, cui suppetit dicere: *Mihi enim mundus crucifixus est, et ego mundo (Galat. vi, 14)*; ut jam mortem non timeas, si geras Christum, in quo potes dicere: *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, aculeus tuus (I Cor. xv, 55)*? Etenim cum vetus ille homo noster affixus est cruci, destructum est peccatum, obtusus aculeus, vacuata culpa; ut ulterius servire flagitiis desinamus. Abiit enim vetus homo. Nunc autem jam non vetus homo in nobis: sed nova est

brosius haud raro simpliciter *alienam* dicit, scilicet Scripturæ consuetudinem imitatus, ubi legis, Prov.

creatura, habens in se similitudinem Christi, cujus mortis similitudini consepulti imaginem vitæ ejus assumpsimus, alas gratiæ spiritualis accepimus.

58. Sic igitur volate, ut dicatur de vobis: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et sicut columbæ cum pullis suis (Esai. lx, 8)*? Ut nebulæ vestræ rorent justitiam, et columbæ pariant simplicitatem. Sic navigate quasi transfretantes mundam, non pererrantes, quasi naves Tharsis; ut ad intelligibiles portus cursum dirigatis, et convehatis divitias maris. Sic festinate, ut dicatur de vobis: *Leves facti sunt super aquilas (Thren. iv, 19)*. Ab ira enim ventura fugiendum videtis, quam declinare poterunt, qui per poenitentiam sibi spem locaverint evadendi, et reconciliationis futuræ fidem hauserint, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui regnum est a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

v, 20, *Μὴ πολὺς ἴσθι πρὸς ἄλλοτριον*. Ad quem locum frequenter ab S. Præsule alluditur.

IN LIBROS DE JACOB ET VITA BEATA ADMONITIO.

Ex ipsa quidem horum librorum inscriptione cognoscere est Ambrosium de historia patriarchæ Jacob, deque rebus ad beatam vitam pertinentibus agere: verum ea non sola sunt de quibus agit, et hæc ipsa singulari quadam ratione tractat, quam non abs re fuerit hic (Lib. II, cap. 1, num. 1) explicare. Enimvero antequam ad illud accederet argumentum, existimavit neophytis tradenda virtutum præcepta, et qua via quibusve adjunctis perfectionem conditioni vitæ a se in baptismo palam nuncupatæ convenientem acquirerent, aperiendum.

Quapropter primis ipsis prioris libri verbis docet ad fructum aliquem ex institutis quibus imbuebantur, percipiendum, adhiberi oportere animum docilem, qui motuum pravorum tumultus rectæ rationis tractatione corrigeret: tametsi enim omnes illos motus ea, quantacumque virtus ejus sit, radicitus evellere neutiquam valeat, posse tamen cupiditates resecari temperantia, quam Deus primo parenti, necnon postea in Lege servandam præcepit: hinc nostros omnes lapsus voluntati illi quæ Legis ac Evangelii jussis parere poterat, non carni cujus membris ipsa prohibito sive ad justitiam sive ad iniquitatem utebatur, imputandos esse: si diabolus voluntarium sibi servum aucionatur (Lib. I, cap. 3, num. 10), a Christo non nisi voluntarium militem eligi: quemque autem propria sponte illius servum fieri quem sibi Dominum adoptasset. Ex his præclare ob oculos ponit quantum gloriæ ac utilitatis redeat ex servitio Christi, cujus quidem numquam non liberti sumus, quippe quos immenso mortis suæ pretio redemerit, ac redimendo, muneribus queis majora alia nec optare possit quisquam, donaverit.

Affirmat porro divina inter beneficia numerandam esse Legem veterem, quandoquidem addita ipsi gratia quod eidem legi possibile non erat, effecit; ut semper ad opem confugeremus præpotentis illius Servatoris, sine quo ad perfectionem sanctitatis pervenire non licet. Ad extremum hortatur ne umquam patiamur e memoria nobis excidere summum illud beneficium, per quod nobis in baptismo Christo commortuis et convivificatis peccata dimissa essent; ut eidem vita gratiæ jungeremur ac viveremus. Unde concludit ab eo nos neque adversis neque incommodis ullis separari debere, cum in hisce rebus vitæ istius felicitas omnis posita sit.

Itaque postquam sanctus Doctor in ejusmodi præceptionibus primi hujus libri sex capita insumpsit, in septimo, sicut et in octavo generalibus argumentis demonstrat nulla calamitate, nulla miseria vitæ felicitatem interpellari; in his enim, inquit, probamur, in his beata vita est, etiamsi multis periculis inundetur (Ibid., cap. 7, num. 27). Hæc tamen in alio reperiri negat nisi in sapiente, justo, et perfecto homine, qui nec dispendiis minuitur, nec adversis frangitur (Ibid., num. 31); cum beatitudinem suam in una summi boni, hoc est, ipsiusmet Dei possessione constituat. Cæterum a perfecto illo nequaquam exigit in damnis, puta in morbis, in morte consanguineorum, in captivitate, stoicam apathiam, sed mentis æquabilitatem, quam ab illo ipso alios doceri testificatur.

His universim in primo libro constitutis, in secundo eadem nobilissimis clarorum virorum qui sub antiquo fœdere floruerunt, exemplis probat. Sed imprimis patriarchæ Jacob vitam proponit, cujus præcipuis actionibus planum facit, quanta vel in maximis calamitatibus felicitate sit positus. Cum autem subinde sermonem suum expositionibus ad mores informandos maxime accommodatis aspergat, quandoque etiam digreditur argumento, ut in mystico sensu spatietur. Denique non dubitat de parentum Jacob in eum charitate sal multis disserere, ut

inde parentes omnes intelligant, quomodo erga liberos æqualem exhibere amorem atque justitiam teneantur. Alia nonnulla ejusdem patriarchæ facta, cujusmodi sunt quæ contigere in Patriarchis benedicendis, attingit quidem, sed paucis omnino; haud dubie eo consilio, ut illa ipsa proprio tractatu fusius uberiusque prosequeretur. Post hæc subjectis obiter Joseph atque aliorum quorundam exemplis, ad sacerdotem Eleazarum, ac septem fratres Machabæos, eorumque matrem stylum convertit. Hic sane in tribus ultimis hujusce libri capitibus toto eloquentiæ suæ cursu fertur, ut felicitatem qua nobilissimi illi martyres in lege nutriti, per gratiam coronati (Lib. II, cap. 11), in ipsis suppliciis licet immanissimis beabantur, summam exstitisse demonstrat.

Cum autem diutius in Jacobi exemplo immoretur, de quo novem ferme secundi libri capitibus disputat, ut in maximis quoque miseriis astruat beatam esse vitam: hinc dubio procul operi titulus inscriptus est De Jacob et vita beata; nec aliam ob causam alibi scribit propositam abs se in Jacob singularem animi laborumque patientiam (Lib. de Joseph patriarch., c. 1, num. 1). At quando illustrium etiam Machabæorum celebratissimum ugonem ultimis tribus capitibus prædicavit, hinc esse arbitramur quod Magnus Cassiodorus dixerit: Nam et sanctus Ambrosius, ubi de persona Joseph ipse loquitur, secundum librum Machabæorum exempli causa memorat, cujus maximam partem ad demonstrandam tolerantiam eloquentiæ suæ dulcissimo liquore patefecit (De Instit. divin. litt., cap. 6). Cur hic auctor istas commentationes nomine librorum de Patriarchis designaverit, jam declaratum est: at vero in dubium revocare quis possit, an non in laudato testimonio pro Joseph melius Jacob substitueretur? Certe quidem id non perperam videtur colligi posse tum quod Jacob dicendi argumentum Ambrosio suppeditet, tum quod obscurum non sit corruptionem in hunc locum aliquam irrepsisse. Ubi enim nunc Joseph, ibi olim Esdras legebatur. Nihilominus tamen cum S. Præsul de Machabæis illis disserat post factam Josephi quem in ipso carcere felicitatem suam invenisse docet, mentionem; hic Senatoris textus defendi potest. Ambrosiana autem illa eloquentia qua locum hunc suavissime perfundi ille animadvertit, etiam alibi passim in hoc opere elucet non mediocriter.

Extra controversiam est eosdem hos libros e concionibus quas ad populum suum habuerat, concinnatos esse; siquidem præter oratorios dicendi modos quos istic licet observare, expressis verbis ipse significat verba se facere post recitatum illud Evangelium, in quo dicitur: Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum: sicut legi (Matth. VI, 21), inquit, audisti hodie (Lib. II, cap. 5, n. 25). Difficile vero sit quot sermonibus tractatus illi componantur, definire: illud saltem affirmare licet eosdem ad neophytorum gregem habitos fuisse festis paschalibus anni circiter 387, quo superiores libros pronuntiavit, sicuti evidentius ex libro de Joseph patriarcha confirmari potest.

Exstat Philonis scriptum sub hoc titulo: Quod omnis probus sit liber; cujus sane materia cum istis Ambrosii lucubrationibus haud parum habet affinitatis. Nihil tamen decerpsit inde S. Doctor, nisi cum de Esau loquitur. Istic enim quidquid in illo libro optimum ac præstantissimum est, videtur dedita opera intra mediæ pagellæ angustias contraxisse.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE JACOB ET VITA BEATA

LIBRI DUO^a.

LIBER PRIMUS.

443. CAPUT PRIMUM.

Ad virtutum disciplinam, passionesque coercendas necessarium esse sermonem prudentem, ac mentem rationi intentam; itemque rationem licet omnino concupiscentiam exscindere nequeat, posse tamen vel gravissimis motibus moderari.

1. Necessarius ad ^b disciplinam bonus omnibus sermo, plenus prudentiæ; et mens rationi intenta

A præcurrit virtutibus, passiones coerces. Docibilis enim virtus. Denique studio et discendo acquiritur, dissimulando amittitur. Alioquin nisi sermo bonus necessarius esset ad correctionem, numquam Lex diceret: Non adulterabis (Exod. xx, 14). Sed quia nudus sermo ad monendum utilis, ad persuadendum infirmus est, ideo adhibenda est rationis rectæ consideratio; ut quod sermo bonus præscriperit, ratio plenius tractata persuadeat. Non enim servili

^a Scripti circ. an. 387.

^b Vet. edit., ad disciplinam bonis omnibus sermo, etc., quibus concinunt mss. exceptis Big., Long., Valc. et

Theod., qui cum Rom. edit.,... bonus omnibus sermo, etc.; Torn., ad disciplinam boni omnibus, etc. Non male.

ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, sive ad virtutem propendemus, sive ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas revocat, ^a rationem secuta. Passio autem gravissima culpæ concupiscentia est, quam ratio emollit et comprimit. Emollire enim potest, eradicare non potest; quoniam animus qui **444** est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed repressor. Neque enim fieri potest ut facilis ad iracundiam non irascatur: sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat, ^b a puniendo se revocet; sicut et Propheta nos docet dicens: *Irascimini, et nolite peccare (Psal. iv, 5)*. Concessit quod naturæ est: negavit quod culpæ est.

2. ^c Omnis itaque temperantia ex aliis, non ex se originem sumit, ideoque secunda est. Nam aut de naturalibus suscipitur, aut de utilibus. Itaque aut naturalia temperat, aut utilitatis assertor est. Denique non ibi excidit concupiscentiam: sed facit ne concupiscentiæ serviamus. Quis enim tantus, ut corporalem motum possit auferre, nisi solus ille qui potuit de infructuosa ficulnea dicere, ^d hoc est malitia Judæorum: *Ecce anni tres sunt ex quo veni quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam. Cui respondit servus: Remitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam cophinum stercoris; et siquidem fructum fecerit: sin autem, in futurum succides illam (Luc. xiii, 7 et seq.)*. Merito ad Dominum retulit, quia excindendæ ^e temporalis prolapsionis potestatem sibi ipse vindicare non poterat: sed Domino reservabat.

3. Denique quem de hominibus meliorem et fortio-rem assumemus, quam sanctum David, qui sibi cupiditatem qua concupierat aquam de lacu Bethlehem, hostili interclusam exercitu, auferre non potuit, potuit mitigare? Nam cum aliis utique **445** defuisse non inveniamus, id est, tanto exercitus numero, cum utique multo minus regi deesse potnerit ex cæteris fontibus aqua; irrationabilem quamdam concupiscentiam passus, desideravit eam quæ hostium erat circumfusione vallata, unde sine maximo periculo non facile potuisset deferri. Itaque ait: *Quis mihi dabit potum de lacu qui est in Bethlehem ad portam (II Reg. xxiii, 15)*? Et cum essent reperti tres

^a Rom. edit., *rationem secuta: gravissima vero causa culpæ concupiscentia, quam tamen, etc.* Quatuor mss., *rationem. Sed est passio gravissima culpa concupiscentiæ (Long., conscientiæ).... Emolliri enim potest, eradicari, etc.* Reliqui mss. ac edit. ut in textu.

^b Ita mss. Thuan., Big., Torn., Viet. et Colb. At Valc., Long. et Theod., *a peccato*. Alii vero, et edit., *ac puniendo*.

^c Edit. Rom., *Omnis ergo temperantia est de iis quæ negantur; ideoque sequenda est. Nam aut de naturalibus suscipitur, aut de moralibus, aut enim naturalia temperat, aut moralia*. Sed hæc verba sunt conectorum, non Ambrosii. Maluimus igitur ab ant. edit. non recedere, quando illis mss. suffragantur. In his tamen est aliqua diversitas. Alii enim vocem *temperantia* omittunt: alii mutant in vocem *ira*; unis

A viri qui hostium castra præciderent, et deferrent aquam quam summo desiderio desiderasset, cognoscens quod periculo alieno aqua sibi eadem constitisset, profudit illam Domino (*Ibid.*), ne sanguinem illorum qui eam detulerant, bibere videretur. Quæ res indicio est quod concupiscentia quidem rationem præveniat: sed ratio cupiditati resistat. Humanum itaque passus est David, ut irrationabiliter concupisceret: sed illud laudabile, quod irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudavit remedio. Dum laudo viros qui erubuerunt desiderium sui regis, et maluerunt finem ejus verecundiæ vel periculo propriæ salutis afferre: plus laudo eum qui erubuit in suo desiderio alienum periculum, et aquam dubiæ sortis pretio quæsitam, sanguini comparavit: simul quasi repressa victor cupiditate profudit aquam Domino; ut ostenderet quod concupiscentiam suam verbi consolatione restingueret.

4. Potest igitur mens sobria impressiones refrænare ac reprimere quamvis gravium passionum, et fervorem omnem cupiditatis flagrantissimæ refrigerare, derivare alio motus, et rectæ rationis tractatione despuere passiones. Etenim cum Deus hominem constitueret, et in eo mores sensusque plantaret, tunc motibus ejus imposuit regale mentis imperium; ut omnes sensus, motusque hominis, ejus vigore ac potestate regerentur. Adjunxit ad gratiam creaturæ, ut mentem ipsam divinis informaret præceptis, et sapientiæ instrueret disciplinis, quibus et ^f cavenda prænosceret, et eligenda cognosceret. **C** Mens igitur recta ratione tenens disciplinam sapientiæ, ut divina ac humana cognoscat, eruditur in Lege per quam discit quas sibi subjicere debeat passiones.

CAPUT II.

Passionibus tum animi, tum corporis moderari temperantiam: cujus effectus patriarcharum demonstrantur exemplis, ac deinde rationis dignitate commendata, eandem temperantiam divino præcepto muniri Sanctus ostendit.

5. Passionum autem velut duces sunt naturales delectatio et dolor, quas sequuntur cæteræ. Illæ enim complectuntur universas, quarum utraque non solum corporis, sed etiam secundum animam passiones

D in culpa. Sic etiam quidam habent *secunda*, ubi alii *secunda*. Non temere forsitan quis suspicabitur post adjectivum *omnis*, nomen substantivum in antiquioribus mss. scribæ oscitantia prætermisum, quod varie postea ab aliis restitutum sit. Felicius divina-runt qui reposuere vocem *temperantia*, quam postulabat continuatio seriesque sermonis, ut liquet ex cap. seq.

^d Rom. edit. *secaverat hoc est malitia Judæorum*.

^e Mss. aliquot, *corporalis prolapsionis*.

^f Ita mss. omnes. Edit. vero, *et cavenda.... et legenda, etc.*, præter quasdam Paris., ubi pro *cavenda* legere est *canenda*, scilicet ut *canenda* opponerentur *legendis*. Ridicule: nisi hic lapsus fuerit operarum. Item post alteram lineam, ubi edit. *tenet disciplinam... eruditus in Lege, etc.*, restitimus e mss. *tenens disciplinam.... eruditur in Lege*.

sunt. Et quia diximus subesse his alias passiones, ante delectationem concupiscentia, post delectationem gratulatio est : ante dolorem autem est timor, post dolorem tristitia. Commotio autem animi communis passio, et delectationis et doloris est. Transcurram alias, id est, superbiam, avaritiam, ambitionem, contentionem, **446** invidiam, quæ sunt secundum animam passiones : transcurram etiam inexplebilem vorandi libidinem, effusionemque luxuriæ atque lasciviæ, quæ vitia nexa sunt corpori, et secundum illud operantur. Meritoque temperantia quam maxime istarum passionum restinguit ardorem, quæ primum sobrietate atque moderamine animum temperat, mentem informat; deinde etiam deliciarum abstinentia restringit habenas corporalis ferocitatis. Ideo Lex recidit ciborum licentiam (*Levit. xi, 4 et seq.*), epularum copias, non solum ut reseccaret luxuriam : verum etiam ut inhibentis contemplatione præcepti viam tractationi rationis aperiret, quæ irritamenta gulæ cæterasque recideret ^a cupiditates, corporeas passiones motusque cohiberet. Temperantia est igitur correctionis prævia, disciplinæ magistra.

6. Ab hac profectus Jacob sanctus, primatus a fratre quos non habebat (*Gen. xxv, 35*), accepit; ejusque prælatus assensu docuit in reliquum intemperantes proprio sibi viles esse iudicio. Ab hac profectus Joseph, et calorem juventutis edomuit, et tentatum adulterinis animum illecebris, rectæ rationis inductione firmavit. Denique quamvis fortis esset et validus, tamen tractatu rationis sulcire se maluit dicens uxori domini sui : *Si Dominus meus non scit præter me aliquid in domo sua, et omnia quæcumque habet, dedit in manus meas, neque subtractum est a me quidquam præter te quæ uxor illius es : et quomodo faciam verbum hoc malum, et peccabo coram Deo (Gen. xxix, 8 et 9)?* Hæc est igitur rectæ rationis tractatio quam Græci λογισμὸν nuncupant, qua mens sapientiæ intenta solidatur. Pulchra enim ratio, quod nec beneficiis domini esse deberet ingratus, nec occultum posset esse peccatum, quod, Deo teste, committeret, quem latere non posset.

7. Bona igitur ratio, quæ et hostilem plerumque affectum exuit, et dolorem injuriæ sequestrat. Denique et in acie plerumque victorem mitigat, et ferituri mucronem retardat, et rogantem morti eripit; **D** eo quod subjectis parcere justa ratio persuadeat. Nam de excludendo vel mitigando injuriæ dolore quis melior magister, quam patriarcha Jacob, qui proprios coarguens filios Simeon et Levi ait : *Odiosum me fecistis, ita ut sævus videar (Gen. xxxiv, 30)*. Et utique ulti fuerant sororis injuriam, quæ contra instituta patria violato fuerat pudore temerata; nec potuit Jacob, præceptor disciplinæ, custos

^a Codices Vat., Vict., Colb., Vale. et Theod. prima manu, *Cupiditates corporeæ passionis*. Theod. secunda manu, et Remig., *Cupiditates corporis, passionis, etc.*

^b Vet. edit., *Doceri autem et sapientiam*; cod. Big. et Torn., *Doceri autem eam, et sapientiam*: edit.

A pudoris, stuprum probare commissum : sed maluit insolentes ratione cohiberi, sciens quod indignationem ratio temperare posset.

8. Temperantia est igitur quæ resecat cupiditates. Hanc primis hominibus tenendam mandavit Deus dicens : *De fructu autem ligni quod est in medio paradisi non edetis, neque tangetis illud, ne moriamini (Gen., ii, 17)* Et quia non est retenta, ideo transgressores virtutis egregiæ paradisi exsules facti sunt, et immortalitatis exsortes. Hanc Lex docet, et universorum infundit affectibus (*Exod. xx, 4, et alibi*).

447 CAPUT III.

Temperantiam, sapientiam, et disciplinam a Domino doceri ; quod sequitur ad studium cohortatio : item culpam nostram ascribendam esse soli nostræ voluntati, qua vel peccato vel justitiæ servimus ; ac demum utra servitus utri præferenda videatur ?

9. ^b Docere autem Dominum eam, et sapientiam, et disciplinam Scriptura testatur. De temperantia in Lege (*Exod. xx, 4, et alibi*) : de cæteris in libro Job, in quo scriptum est : *Nonne Dominus est qui docet intellectum et disciplinam (Job xxxiii, 16)?* Et in Evangelio Dominus ipse ait : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde (Matth. xi, 29)*. Et alibi ad discipulos ait : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19)*. Unde autem discipuli dicti ? Aut quid aliud a Christo nisi virtutum operari præcepta discebant ? Denique David ait : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos (Psal. cx, 10)*. Utique timor Dei de numero virtutum est ; quia initium sapientiæ timor Domini, per quem adsciscitur piæ forma doctrinæ, de qua Paulus ait : *Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati, sed obedistis ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis : liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ (Rom. vi, 17 et 18)*. Doctrina igitur facit ut possimus pervenire ad justitiam. Potest igitur acquiri justitia discendo. Intendamus igitur studio in formam Evangelicæ doctrinæ. Minimum studii plerumque pro maximo habetur. In studio enim sunt omnia, per quod adhibetur obedientia, quæ in utraque partem propenderit, aut culpam adjungit, aut gratiam. Hæc nos in primo Adam traxit ad mortem, hæc nos in Adam secundo ad vitam vocavit.

10. Non est quod cuiquam nostram ascribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen ^c quæ inseruntur reluctantibus : voluntaria tantum commissa sequitur delictorum invidia, quod in alios derivemus. Voluntarium sibi militem elegit Christus, voluntarium servum sibi diabolus auctonatur. Neminem iugo servitutis astrictum possidet, Rom. denique, *Docere autem Dominum et sapientiam, cui consentiunt alii mss. nisi in hoc quod habent, eam et sapientiam*. Optime. Vox enim eam ad temperantiam refertur.

^c Edit. Eras. et seq., *quæ inseruntur reluctantibus*.

nisi se prius peccatorum aere ei vendiderit. Quid A carnem quasi infirmam accusamus? Membra nostra arma sunt iniquitatis, et arma justitiæ. Vidisti pauperem injuriam accipientem; protexisti eum; membra tua arma pietatis sunt, quibus pauperem ab injuria vindicasti. Vidisti egenum, donasti eum muneribus, dextera tua mortem a tuo pectore repulisti. Vidisti eum qui ducitur ad mortem, eripuisti eum, quia scriptum est: *Eripe eum qui ducitur ad mortem* (Prov. xxiv, 11): membra tua arma sunt justitiæ, si injuste hominem perire non passus es. Vidisti mulierem, castigasti corpus tuum, mortificasti libidines, procaeces meretricis oculos aversatus deseruisti, membra tua arma sunt castimonie. Contra autem, si oculus tuus vidit mulierem ad concupiscendum eam, aperuisti vulnus, impressisti telum **448** corpori tuo, membra tua arma peccati sunt. Vidisti possessionem pupillorum, et paternis eos expulisti sedibus, transtulisti terminos quos posuerunt patres tui, membra tua arma iniquitatis sunt. Affectus igitur, non caro auctor est culpæ, caro autem voluntatis ministra. Non ergo vendat nos voluntas nostra.

11. Clamat Apostolus: *Nescitis quoniam cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati in mortem, sive obeditionis in justitiam* (Rom. vi, 16)? Ergo si aut peccato servimus, aut justitiæ, consideremus in qua parte servitus tolerabilior, fructus uberior. Sed qui potest esse fructus in morte? Peccati enim stipendium mors; et ideo nullus in eo fructus est, sed pudoris dispendium; cum ea quæ gessimus, erubescimus. Servire C autem justitiæ libertas est. *Qui enim vocatus est in Domino servus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi* (I Cor. vii, 22). Utraque conditio optima, esse sub Christo, sub quo et pretiosa servitus et gloriosa libertas. Pretiosa servitus quasi tanti sanguinis pretio comparata: gloriosa autem libertas quam nulla servitus culpæ, nulla peccatorum vincula constringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui servitutis addicunt.

12. Disce humilitatem, o homo, apostolici vim cognosce magisterii. Si servum te dicas, libertus es: si liberum te jactes, servus es. Nam et ille qui quasi servus redemptus est, libertatem habet, et iste qui quasi liber vocatus est, bonum est illi ut servum D Christi se esse cognoscat, sub quo servitus tuta est, et libertas segura. Quis quasi idiotam Paulum vel in ipso jure asserit? Scivit enim discernere inter liberum, et liberum; et ideo non perfunctorie, sed pro-

prie dixit: *Qui enim vocatus est in Domino servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi*. Revera enim omnes Christi liberti sumus, nemo liber. Omnes enim in servitute generati. Quid servili conditioni arrogantiam libertatis assumis? Quid titulos nobilitatis usurpas, servilis hæreditas? Nescis quod te Adæ atque Evæ culpa mancipaverit servituti. Nescis quod redemerit te Christus, non emerit. *Non auro, non argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine Agni* (I Pet. i, 18 et 19). clamat apostolus Petrus. Ergo redemptus a Domino es. Servus es qui creatus es, servus es qui redemptus es, et quasi Domino servitatem debes, et quasi Redemptori. Nec inferiorem putes libertinitatem sub Christo, quam libertatem esse. Ad dignitatem æqualis, ad tuitionem præstantior est, ad gratiam par, adversus lapsum cautior, adversus superbiam tectior. Ita libertatem accepisti, ut meminisse manumissoris tui debeas, ^b ut patrono tuo noveris legitimum obsequium deferendum; ne ab ingrato revocetur libertas. Quid te beatius, qui sub Domino regnas, et sub patrono militas?

449 CAPUT IV.

Quantum Deus homini concesserit, cum ei Legem dedit, et gratiam adjunxit. Ubi solvuntur duæ quæstiones: Quomodo bona sit Lex, quæ mortem operetur; et quomodo quæ mortem operetur, mors nobis non sit?

13. Quid autem est quod tibi non contulit Dominus? Legem dedit, ^c peccatum prodidit, adjunxit gratiam. Lex enim peccatum denunciavit: sed in conditione lubrica penitus cohibere non potuit. Cognovi enim peccatum quod nesciebam. Cognovi concupiscentiam esse peccatum; et hac occasione cognitionis, peccati æra cumulata sunt; quia peccatum quod ante per ignorantiam meam mortuum videbatur, in me revixit: ego autem mortuus sum peccati vulnere; quia cognitio culpæ quæ mihi profutura videbatur, hæc nocuit, ut scirem quod vitare non poteram. Peccatum enim prodidit, et per bonum denuntiationis suæ peccati ipsius acerbavit invidiam. Itaque supra modum factum est peccatum mihi; quia cumulatum est denuntiatione mandati. Crescit enim culpa, cum proditur, nec cavetur. Quomodo ergo bonum mandatum, quod mihi mors est? Aut quomodo non est mihi mors, quod per bonum significationis suæ demonstrando peccatum, operatum est in me mortem? Nam certum est quod mors mihi accessit, dum quod facio agnosco peccatum, sicut ipse

^a Ita edit. et mss. præter Remig. in quo legas, *Nisi ei se prius peccator vere vendiderit*; et Big. ubi... *peccatorum vinculis vere* (glossa jure) *vendiderit*.

^b Qui libertate donatus fuerat, non ita fiebat sui juris, ut patrono reverentiam atque obsequium non deberet. Quod si quando contingeret ut ingratus adversus patronum reperiretur, aut in inferiorem libertatis gradum redigebatur, aut etiam omnino revocabatur in servitutem: quæ quidem pœna cum ob alia, tum ob nomen militiæ datum afficiebatur. Vide

tom. I Cod. Theod. lib. ii, tit. 22, de Hæred. Petit. et Comment. Gothofr. ibidem. Item lib. iv, tit. 11, de Libertis et eorum liberis, et ad eum ejusdem Gothofr. Comment. ubi Ambrosianus hic locus refertur.

^c Restituit Rom. edit. e Vat. cod., *peccatum prodidit*, quod in vet. edit. non secus ac in mss. aliis desideratur, cujus tamen loco Valc., Long. et Theod. habent, *peccatum delevit*; Torn.. *peccatum dedit*.

Dominus ait : *Si non venissem, ^a et locutus fuisset. A* mors non est, etsi mortem operetur. Quod enim conturbamur, fragilitatis est : quod evadimus, Christi.

14. Quid miraris igitur si Lex quibusdam morti sit, cum morti sit et Domini salutaris adventus, per quem redempti sumus? Infidelis enim mortem sibi quærit ex gratia : manet autem mandati gratia. Etenim sicut cognitio venenatorum poculorum consummatur ad disciplinam medicinæ : sic divinum mandatum ad vitam æternam. Sicut autem ei qui male utitur noxiis potionibus, cognitio earum in malum vertitur et periculum ; et quo magis venena cognoverit, hoc se intelligit amplius periclitari : sic forma mandati iis qui Legem male interpretantur, vel demonstrata atque interdicta peccata vitare non possunt, mortis auctor est. Sicut ergo bonum est antidotum, etiamsi imprudenti aut intemperanti non bonum : sic bonum mandatum, etiamsi intemperanti non bonum est. Ergo bonum mandatum, quod alicui mors est. Responsum igitur habe primæ p. oppositioni : quia potest esse bonum mandatum, quod mihi mors est ; bonum per naturam salutaris præcepti ; mors per intemperantiam carnis.

15. Et quia diximus esse bonum mandatum quod mihi mors est, nunc discutiamus quomodo non sit mihi mors, ^b quod per bonum licet, tamen mihi operatum est mortem. Sic enim proposuit Apostolus : *Quod ergo bonum est, mihi mors est. Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem (Rom. vii, 13).* Itaque spectemus singula. Mandatum utique Legis est : Lex autem spiritalis est, cujus gratiam video, pulchritudinem laudo, formam prædico, præceptum admiror : sed quia carnalis sum ego venundatus sub peccato, trahor **450** invitatus ad culpam. Etenim quasi servo culpa dominatur. Itaque odi crimen, et facio. Mens odit, caro concupiscit ; ego tamen in utraque, qui Legi mente consentio, et carne quod nolo, hoc ago. Bonum ergo mandatum cui consentio ; et mens bona quæ quod bonum est, elegit. Bona ad judicandum, sed infirma plerumque ad resistendum ; quia repugnat ei corporis appetentia, et captivam eam trahit ad erroris illecebras.

16. In quo periculo unum est remedium, ut quem Lex liberare non potuit, liberet Dei gratia. Sic enim scriptum est : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Ibid. 4 et 25).* Itaque fit ut licet peccatum quod latebat, id est, concupiscentia mea quam non putabam esse peccatum, mortem mihi operata sit, dum proditur, et supra modum facta sit ipsum peccatum (erat enim peccatum etsi nesciebatur, sed cognitione coacervatum est, et quasi incrementum erroris assumpsit, atque in naturam delicti cessit forma mandati), mihi tamen mors non sit, cui promptum est ad Christum confugere, per quem solvimur omni mortis periculo. Absoluta igitur etiam secunda est propositio, quia mandatum mihi Legis

CAPUT V.

Qua ratione Lex non suffecerit : sed necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata ; cum quo nos etiam mori, resurgere, et versari debeamus?

17. Ergo ut ad exordia sermonis hujus revertamur, mens bona est quæ habet tractationem rationis, et intendit sapientiæ disciplinis : sed gravis lucta est ei cum mortis corpore, et plerumque rationem mentis vincit carnis illecebra. Et ideo Dominus primo Legem dedit, cui mens hominis sese ad obtemperandum dedit, et ei servire cœpit, ut esset subdita : sed caro subjecta non erat ; quia sapientia carnis non est Legi subdita, et præceptis ejus repugnabat. Non enim poterat virtuti obedire, cupiditatibus dedita, et lenociniis carnalibus implicata. Ideo laborandum est, ut teneamus Dei gratiam. Mens itaque bona, si rationi intendat ; sed parum perfecta, nisi habeat gubernacula Christi. Venit enim Dominus Jesus, qui nostras passiones cruci suæ affigeret, peccata donaret : in cujus morte justificati sumus ; ut totus mundus ejus mundaretur sanguine. Denique in morte ipsius baptizati sumus.

18. Si igitur in illius morte dimittuntur nobis peccata, etiam peccatorum nobis passiones in illius morte moriantur, illius crucis clavis affixæ teneantur. Si in illius morte mortui sumus, quid iterum tamquam viventes ad ea quæ sunt mundana revocamur? Quid nobis cum elementis hujus mundi? Quid cum cupiditatibus? Quid cum luxuria atque lascivia quibus cum Christo mortui sumus? Quod si simus in Christo mortui, in Christo resurreximus : cum Christo igitur versemur : cum Christo superiora quæ sunt, non quæ **451** corruptibilia et terrena quaramus. Christus resurgens a mortuis veterem hominem affixum cruci reliquit, novum resuscitavit. Christus ideo mortuus est, ut et nos peccato moreremur, Deo resurgeremus. Mortua est caro nostra, quid iterum peccato reviviscit? Quid iterum peccato obedit? Quid iterum peccatum regnat in mortuis, cum mors finis peccati sit? Mortui sumus carne, renovati sumus spiritu. Spiritu ambulemus, qui spiritum Christi accepimus. Si autem spiritus Christi in nobis, ergo sit nobis caro mortua propter peccatum : spiritus vero vivat propter justificationem.

19. Sic quod erat impossibile Legi, solutum est, si in spiritu ambulemus, si passiones sepelivimus, si crucem hujus corporis non resolvamus, si chirographum peccati quod deletum est in cruce Christi, non rescribamus, si veteris hominis amictum quem exuimus, non induamus. Scriptum est enim in Canticis : *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos (Cant. v, 3)?* Mortificata igitur nobis sunt corporis membra, cur ejus pullulant vitia? Ideo Lex non prævaluit, quia

^a Rom. edit., et locutus non fuisset.

^b Edit. Rom., Et quomodo per bonum mihi operatum est mortem, contra cæteras edit. ac mss.

non carnem mortificavit : ideo quasi umbra præterit, quia non coloravit : ideo etiam obumbravit nos a sole justitiæ, ^a quia coacervavit crimina. Ergo et obsuit.

CAPUT VI.

Promulgatæ Legis fructus esse peccati confessionem, ac humilitatem, immo et gratiam ipsam, et charitatis pignus : quibus subjungitur ad gratitudinis officia exhortatio cum beneficiorum homini concessorum enumeratione.

20. ^b Quid igitur opus fuit ut Lex promulgaretur, si profutura non erat? Habebamus jam legem naturæ; erat enim unusquisque sibi lex, qui opus legis scriptum habebat in corde suo. Illam non tenuimus : cur addebatur et altera, in cuius operibus caro non posset justificari? Accessit vinculum, non solutio : **B** addita est peccatorum agnitio, non remissio. Peccavimus omnes qui poteramus excusationem prætere per ignorantiam : os obstructum est omnibus.

21. Profuit tamen mihi, cœpi confiteri quod negabam : cœpi delictum meum cognoscere, et injustitiam meam non operire : cœpi pronuntiare adversus me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietates cordis mei. Sed et illud mihi prodest, quod non justificamur ex operibus Legis. Non habeo igitur unde gloriari in operibus meis possim, non habeo unde me jactem ; et ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor quia justus sum : sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccatis sum, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor quia profui, neque quia profuit mihi quicquam : sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est : sed quia pro me Christi sanguis effusus est. Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quam mihi Christus advenit. Propter me Christus mortem **452** gustavit. Fructuosior culpa, quam innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subjectum reddidit.

22. Habes igitur quibus latio profuit tibi Legis. Sed dicis quia per Legem superabundavit peccatum. Sed ubi superabundavit peccatum, superabundavit et gratia. Mortuus es peccato, homo : ergo Lex jam non obest. Resurgis per gratiam ; ergo Lex profuit ; quia acquisivit gratiam. Accepisti etiam pignus Christi charitatis ; quoniam qui pro te mortuus est, advocatus est tibi, et sanguinis sui ^c mercedem reservat, et qui peccatorem reconciliavit **D** Patri, multo magis commendat innocentem, et tuetur subditum, qui adscivit noxium ;

23. Tanti igitur beneficii debitor non rependes obsequium? Hæredem te fecit, cohæredem te fe-

A cit ; hæredem Dei, cohæredem Christi : spiritum tibi adoptionis infudit. Numera hæc, et adijunge non tam ad debiti nexum, quam ad muneris accepti conservationem. Cohæres Christi es, si compatiare, si commoriare, si consepeliare cum Christo. Suscipe passiones ejus, ut supra passiones cum eodem esse merearis. Vide quomodo tibi peccata superiora donavit ; ut nihil faceret obesse, quod peccasti. Vide quomodo te hortatur, ne amittas quod accepisti. Brevis hujus laboris est meta, et corona fructus perpetui : tolerabilis passio, merces inestimabilis. Quid enim te angit? An ignobilitatis abjectio? Sed erit tibi in futurum gloriosa nobilitas devotionis ac fidei. Num census tenuior, victus augustior? Sed erunt tibi divitiæ remunerationis æternæ, in quibus rei ullius egere non possis. Num amissio filiorum? Recipies perpetuos, quos suscepas temporales, et dicetur de te ; *Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Hierusalem (Esai. xxxi, 9). Indignæ, inquit, passiones sunt hujus temporis ad futuram gloriam (Rom. viii, 18)*, Scriptura tibi dicit.

24. Adde quia vita beata his adversis sæcularium molestiarum, aut passionum corporalium non minuitur, sed magis probatur. Adde quod vel patrimonii damna non sentit, vel necessitudinum fortiter mente abscondit dispendia, absorbet dolorem. Adde quia nescit naufragia, qui semper in portu tranquillitatis est. Quid illud, quod labor tibi communis est cum omni creatura ; quia propter te mundus ipse servitute tolerat corruptionis ; quia cum sanctis tibi **C** laboris hujus et expectationis commune consortium est? Sol occasum suum recognoscit, luna defectum, errorem stellarum lumina, dum totius corporis nostri expectatur redemptio.

25. Sed vereris dubios vitæ anfractus, et adversarii insidias, cum habeas auxilium Dei, habeas tantam ejus dignationem, ut Filio proprio pro te non pepercerit (*Rom. viii, 32*). Pulchro verbo usa est Scriptura, ut Dei Patris erga te pium propositum declararet, ^d qui Filium morti obtulit. Et Filius mortis acerbiter sentire non potuit. Quod in Patre fuit, nihil sibi ipse reliquit : totum **453** pro te obtulit : quod in plenitudine divinitatis, nihil ipse amisit, et te redemit. Considera affectum patrium. Quod pietatis est, quasi morituri Filii suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem ; ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit ; ut te divinis insereret, cœlestibus consecraret. Mire etiam addidit : *Pro nobis omnibus tradidit*

^a Sic edit. ant. ac mss. omnes : editio vero Rom., quia coacervavit crimina, non deletit.

^b Edit., Quid igitur profuit.

^c Vet. edit., mercedem reservat ; Rom., te servat. Scripti vero codices, magno numero, mercedem reservat ; Long., mercede servavit. Rursum eodem loci, edit. omnes cum mss. aliquot quia scit noxium. At melius Torn., Theod., Remig., Long., Valc. et Big., qui (nonnulli, quia) adscivit noxium.

^d Ita reposuimus ex mss. Thuan., Torn., Valc., Big., Remig., Long. et Theod. secunda manu : nam prima habebat cum Vict., Colb. et Vat. uno, qui morti totum obtulit quod in plenitudine divinitatis, nihil ipse amisit, et te redemit. Denique Vat. alt. ac Rom. edit., qui se morti totum pro te obtulit. Quod in Patre fuit nihil sibi ipse reliquit : totum pro te obtulit, quod in plenitudine divinitatis non amisit, et ipse te redemit.

illum (Rom., viii, 32); ut ostenderet quod ita omnes diligat, ut dilectissimum sibi Filium pro singulis traderet. Pro quibus igitur quod super omnia est dedit, potest fieri ut non in illo universa donaverit? Nihil enim excepit, qui omnium concessit auctorem.

26. Nihil est igitur quod negari posse nobis vereamur: nihil est in quo de munificentiae divinae diffidere perseverantia debeamus, cujus fuit tam diuturna et jugis ubertas; ut primo praedestinaret, deinde vocaret; et quos vocaret, hos et justificaret; et quos justificaret, hos et clarificaret. Poterit deserere quos tantis beneficiis suis usque ad praemia persecutus est? Inter tot beneficia Dei num metuendae sunt aliquae accusatoris insidiae? Sed quis audeat accusare quos electos divino cernit iudicio? Num Deus Pater ipse qui contulit, potest dona sua rescindere; et quos adoptione suscepit, eos a paterni affectus gratia relegare? Sed metus est ne iudex severior sit. Considera quem iudicem habeas. Nempe Christo dedit Pater omne iudicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit a morte, pro quo se obtulit, cujus vitam suae mortis mercedem esse cognoscit? Nonne dicet: *Quae utilitas in sanguine meo* (Ps. xxix, 10), si damno quem ipse salvavi? Deinde consideras iudicem, non consideras advocatum. Potest iste salvio-rem ferre sententiam, qui interpellare non desinit, ut paternae reconciliationis in nos conferatur gratia?

CAPUT VII.

Eam in nobis debere esse charitatem, ut nullis adversis a Christo separemur, cum illis non minuatur beata vita: beatam enim vitam reperiri in hominibus, in quibus fuerit vita perfecta; et in quo haec consistat. Denique virum perfectum supra casus omnes ac aerumnas esse positum.

27. Sed etsi qua imminerent gravia, nequaquam nos a Christo separare deberent. Cur nos pro illo non etiam dura et acerba toleremus, qui pro nobis tam indigna suscepit? Ideoque debet in nobis esse charitas, ut nullis periculis revocemur a Christo. Scriptum est enim: *Aqua multa excludere non poterit charitatem, et flumina non concludent eam* (Cant. viii, 7); quia torrentem transit anima diligentis. Nulla tempestas, nullum profundum periculum, nullus terror mortis aut poenae vim charitatis imminuit. In his enim probamur, in **454** his beata vita est, **D** etiamsi multis periculis inundetur.

28. Non enim frangitur a sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis: sed etiam in aerumnis beatus manet. Neque enim adversa corporis

^a Quae ultimis his duobus capitibus traduntur de felicitate sapientis, ea non solum Christianae religionis dogmatis nituntur, verum etiam maxime cum philosophorum placitis conveniunt. Hi quippe beatitudinem in corporis externisve bonis, quae ne honorum quidem, sed tantum commodorum nomine dignantur Stoici, haudquaquam consistere mirifice demonstrant; ac praeinde sive ipsa adsint, sive absint, perinde esse ad beatitudinem, quae una in virtute posita sit. Pulchre sane, nisi doctrinam suam ipsi

A vitae beatae munus imminuunt, neque de ejus suavitate aliquid delibant; quia non in delectatione corporis vitae beatitudo est: sed in conscientia pura ab omni labe peccati, et in ejus mente, qui cognoscit quia quod bonum est, hoc delectat, etiamsi asperum sit; quod autem indecorum, etiamsi suave, non mulcet. Ergo causa bene vivendi, non delectatio corporalis, sed mentis prudentia est: non caro quae subjecta est passioni, sed mens quae judicat quia nihil melius delectat, quam consiliorum honestas, et operum pulchritudo. Ea igitur beatae interpretis est vitae. Melior est enim prudentia vel ratio arbitra passionis, quam passio: praestantiusque quod judicat, quam quod iudicio subjectum est. Neque enim fieri potest, ut ratione sit melius, quod est irrationabile. Habet ergo in se remunerationem suam qui sequitur Jesum, et in suo affectu praemium et gratiam: etiamsi dura sustineat, beatus tamen est suis moribus, beatus ipsis periculis, sicut Dominus defini-
B nitit dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matt. v, 10).

29. Est ergo beata vita in hominibus, sed in his scilicet in quibus fuerit perfecta vita. Perfecta autem vita non sensibilis ista, sed illa rationalis secundum tractationem rationis, et mentis vivacitatem: in quo non est portio hominis, sed perfectio quae non tam est in conditione hominis, quam in operatione. Ea enim beatum facit. Huic igitur viro quid est bonum, nisi ipse sibi quod habet, et adest ei hoc bonum, et causa ei erit futurorum bonorum? De hoc bono dixit Salomon: *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus. Superfluant tibi aquae de tuo fonte: in tuas autem plateas discurrant. Sint tibi soli constitutae, et nemo alienus particeps sit tibi. Fons aquae tuae sit tibi proprius* (Prov. v, 17 et 18). Utere igitur interno bono tuo.

30. Testimonium autem boni hujus maximum, quoniam qui habet, alia non requirit. Quid enim requirat, qui inferiora despicit? Praestantissimo autem inhæreat, sicut scriptum est: *Cervus amicitiae, et pullus gratiarum confabuletur tibi* (Ibid., 19). Amicitia autem praecedat te, et una sit tecum in omni tempore. Bona enim virtutum amicitia, et summi boni charitas. Nihil itaque aliud quaerit perfectus ille, nisi solum et praclarum bonum. Unde et dicit: *Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae, et videam delectationem Domini* (Psal. xxvi, 4). Neque vero eum tamquam angustum inopemque fastidias, quia unius boni velut solitaria societate contentus sit. Hujus

doctores animi tumore atque arrogantia corrupissent, et semet vita dissona etiam suis, puta Aristophani, Luciano et aliis, ridendos propinassent. Si cui autem libuerit hanc doctrinae consensionem, de qua loquimur, plenius cognoscere, legat secundam ac tertiam Quaest. Tusc. Ciceronis, sed praeter ceteris quintam, in qua pereleganter ostendit *virtutem ad beate vivendum satis posse*. Quod argumentum magis compendiose ab eodem tractatur in eo paradoxo cujus lemma est: *Ὅτι ἀντάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.*

enim amicitia circumdatus, plurimus erit. Abundat enim hujusmodi viro ad beatitudinem et ad possessionem boni; et ideo nihil aliud desiderat. **455** Nihil enim quasi novum exspectat, qui omnia habet. Nihil est enim boni quod non habeat: nec superfluis delectatur, sed necessariis, et eo ipso necessario quod non sibi, sed carni adhærenti sibi necessarium sit: idque indulget quod ab interioris hominis proposito non discrepet, quod faciat utrumque unum, et reconciliet interiorem juxta hominem atque exteriorem Deo, ut fiat in utroque unus spiritus.

31. Hujus igitur propositi vir nec dispendiis minuitur, nec adversis frangitur, nec repagulis inhibetur, nec suorum amissionibus mœstificatur. Ad cujus informationem dicit Apostolus: *Nolumus autem ignorare vos, fratres, de dormientibus; ut non tristes sitis, sicut et cæteri qui spem non habent* (I Thess. IV, 12). Solatus enim se resurrectionis fide, et futuræ remunerationis gratia, nec recipit ea mente mœstiam, qua adhæret Deo, ^a et divinæ præstantiæ voluptate lætatur. Qui autem contristatur his, non secundum Deum contristatur. Quod autem non secundum Deum, hoc plenum stultitiæ. A perfecto igitur abest hujus mundi tristitia quæ non secundum Deum, et omnis sollicitudo corporalis ærumnæ. Hujusmodi enim inductioni mentis atque substantiæ non annumeratur habitudo corporis, et quidam exterioris usus naturæ, cum simul adversus delicias corporis, fragilitatemque ipsam naturæ, orbitates, dispendia, contumelias, invictus animus uniformem debeat servare constantiam; ut corpus ipsum scindat, sensusque exuat carnis, qui beatitudinis palmam tenere desiderat, cujus fructus non in unius portione sit, sed in plurimarum, et si fieri potest, in omnium sit virtutum consortio.

32. Nescit igitur perfectus incommoda hujus corporis, aut adversa mundi, neque sentit, qui alienum ab hujusmodi metu ne occidant, animum gerit. Non enim vita perfectior, si his careat, definitur: sed si ista contemnat. Nam si ita definiretur, ut ea esset beata vita, quæ ab hujusmodi casibus expers vacuaque reperiri posset, utique his accedentibus non posset beatus aliquis definiri. Ea igitur sequestrata sunt, et hoc solum in æstimatione beatæ vitæ est requisitum, ut non in aliis, sed ^b in possessione veri et boni, ejus definitio teneretur; quoniam qui id **D** habet, despuit cætera, nec requirit.

CAPUT VIII.

Sapientem ita delectari sanitate corporis aut liberis, ut si illa amittat, non ideo minus beatum se putet; cum præter summum bonum nihil cupiat. Eundem ergo suam ac suorum captivitatem, infirmitates corporeas, ac cætera adversa non formidare, quod nec illis beatitudini quidquam adimatur, nec adjiciatur prosperis.

33. Quæro nunc utrum sapiens delectetur sani-

^a Edit. omnes ac pauci mss., et divinæ præsentia, etc. Mss. vero plures ac probatiores, et divinæ præstantiæ, etc.

tate corporis? Negare non possumus quod delectetur secundum naturam, et libentius accipiat non dolere aliquid, quam dolere; nisi forte pro Christo pro quo, si causa poseat, et debilitatem corporis prompte accipiat, et **456** totum corpus suum morti offerat. Idem tamen etiam præter causam fidei atque justitiæ, si desit sanitas, non afficiatur animo, neque frangatur dolore corporis, qui se potest virtutum perfectione solari.

34. Quæro etiam utrum delectetur liberis? Quis istud abnuat? Neque enim durus et ferreus, sed perfectus quæritur. Tamen et si amittat liberos, non ideo minus beatus, qui non ideo minus perfectus. Quod enim perfectum, beatum. Quin etiam si adversa toleret, quam si secundis affluat, magis solet hujusmodi videri perfectus: quamvis neque si desint, neque si adsint externa commoda, aut læta corporis, decedere quidquam virtuti soleat, vel accedere. Sed plerisque tam laudi fuit tolerasse adversa fortiter, quam non incidisse. Verum hæc specie æstimantur, non pondere.

35. Illud profundum, virum justum nihil velle, nisi illud solum et præclarum bonum, huic soli intendere, hoc unum in bonis ducere: non aliud cum illo, sed solum ipsum semper desiderare, hoc delectari; cui si aliud adjungatur quod delectet eum, ut est filiorum suavitas, non illud amittitur, sed istud adjungitur. Non enim minuunt accedentia beatitudinem, quæ augere non possunt; quia plenum illud et inviolabile manet, in quod anima sese induit, et cui se inseruit et infudit. Manet semper inter adversa et delectabilia perfecta virtus; neque adversa de perfectione ejus quidquam minuunt, neque delectabilia adjungunt perfectioni. Quid enim est quod is qui ad summum ascendit, aut damni de caducis sentiat, aut commoditatis?

36. Neque vero, quod gravissimum apud plerosque habetur, se miserum putabit, si in captivitatem vel ipse veniat, vel ejus filii. Non enim intolerabiliter feret quod habet natura, vel quod videtur Domino. Denique justus dixit: *Bonum verbum quod locutus est Dominus* (IV Reg. xx, 19). Et dixit: *Fiat pax et fides in diebus meis* (Ibid.). Non utique justus iste Ezechias in filios deflexisse ærumnam captivitatis gratulabatur: sed voluntati Domini obviare non poterat; et ideo mandata ejus æquanimiter suscipiebat ut servulus. Accedit illud, quod æstimare poterat posse et in captivitate meritum eminere virtutis. Neque enim minus beatus Hieremias in captivitate, minus etiam Daniel, minus Esdras, minus beati Ananias, Azarias, et Misael, quam si in captivitatem non incidissent; cum ideo in captivitatem ducti sint, ut populo et præsentia in captivitate solatia, et spem evadendæ captivitatis afferrent. Perfecti enim est viri ^c communitatem naturæ sustentare animi virtute, et ad meliora adducere; nec succumbere iis

^b Mss. nonnulli et edit. omnes, in possessione veri boni. Alii mss., . . . veri et boni, etc.

^c Hoc est, perfectus vir homines ejusdem partici-

quæ plerisque terribilia et formidolosa videntur: A sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire; et quasi providum gubernatorem navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quam declinando. Non iste in persecutione pavidus, non in tormentis mollior, ^a ne torquentem **457** exasperet: sed quasi athleta fortis, qui repercutiat verberantem si non cædis, certe sermonis flagello; qui metuenda multis tormenta despiciat dicens: *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum* (Ps. LXIII, 8); qui cum gravissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat; sed ostendat tamquam in laterna lumen, etiam inter asperas procellas et gravissimos flatus suam lucere, nec exstingui posse animi virtutem. Non iste in suorum injuriis mollis, nec de sepulero sollicitus sui corporis, cui sciat cælum deberi: non in captivitate civiæ plebis abjectior; sed sicut judex severus, infidelium perfidiam erroresque condemnans ut Daniel qui sacerdotum furta prodebat, et superstitiones eorum redarguebat, ostendens nulla veritate subnixas, sed fraudibus adumbratas. Talis vir postremo est perfectus, qui omnes velit bene agere, nihilque cuiquam accidere mali; et si præter voluntatem ejus acciderit, ipse tamen de propria beatitudine nihil amittat.

37. Sed forte aliquis putet ægritudinem atque imbecillitatem corporis impedimento esse ad perfectionis munus implendum; eo quod non possint ad opera manuum ulla factaque procedere. Verum ea sibi **C** justus impedimento esse non sentiet: immo etiam eum qui ea miserabiliter desleat, corripiet, et quasi ignavum arguet, quod plus in corporis usu, quam in animi virtute constituat: quod ea quibus serviat, desideret, cum habeat quod aliis magis possit jubere: quod in paupertate ingemiscat, qui possit supra mundi opes esse; fideli enim totus mundus divitiarum est: quod ignobilitatem desleat, qui debeat despiciere regias potestates, divitibus et potentibus imperare. Hæc enim vita justii, qui etiam quas habeat facultates, communes æstimare debeat; immo etiam inopibus dividere, dispensare pauperibus, ^b recidere voluptates proprias, tenuare sumptum, adhibere parcimoniam temperantiæ, sobrietatem tenere in prosperis, patientiam in adversis, in dolore tolerantiam, **D** magnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuæ vota nescire, mortis imminentis terrore non concuti, neque eum præstantiorem putare, cui secundum naturam liberi, propinqui, salubritas, lætitia, affluentia redundaverint, quam cui illa defuerint,

pes naturæ in communibus calamitatibus solari debet, atque ad constantiam excitare.

^a Ita edit. omnes ac mss. potiores: Vat. aut Vict. Colb., *ne torquentem exasperet*. Melius Long. ac Theod., *ne torpentem exasperent*. Sed Theod. prima manu: nam secunda habet ut in editis.

^b Ant. edit., *recidere voluntates proprias*. Mss. Th., Big., Remig., *recedere a voluptatibus propriis*.

neque externis sæculi, sed ^c virtutis domesticis merito pensare.

38. Illam quoque formam justii esse quis abnuat; ut nihil metuat, nihil reformidet, nisi virtutis dispendia, aliorumque vanas formidines comprimat, quas habeant de periculorum sollicitudine, mortis timore, corporis infirmitate; **458** ut doceat dissolvi corpore, et esse cum Christo multo melius; ut ostendat quia operationes non impediuntur debilitatibus corporis, sed augentur; neque splendore generis, aut propinquorum subsidiis, aut opibus, sed bono commendantur affectu. Neque enim minus beatus Helias quam Moyses; cum alter cibi indigus, melotide vili, sine filiis, sine sumptu, sine comite: alter populi ductor, lætus sobole, succinctus potentia, diverso genere meritum æquale fundaverint, sicut in Evangelio declaratum est (*Matth. xvii, 5*), quando cum Domino Jesu in resurrectionis gloria refulserunt. Videtur enim parem his quasi paribus gloriæ suæ testibus dedisse mercedem. Nec minus beatus Elisæus quam David, cum alter regibus subditus, alter regali potestate præditus, prophetiæ sanctificationis haud disparem sint adepti gratiam.

39. Quid enim deest ei qui illud bonum possidet, et habet sibi semper comitem sociamque virtutem? In quo statu non potentissimus? In qua paupertate non dives? In qua generis ignobilitate non clarus? In quo otio non laboriosus? In qua debilitate non vegetus? In qua infirmitate non fortis? In qua somni quiete feriat, quem etiam quiescentem virtus propria non relinquit? In qua solitudine non stipatus, quem vita beata circumdat, quem vestit gratia, quem gloriæ amictus illustrat? Non minus etiam otiosus, quam cum operatur, beatus; nec minus dormiens, quam vigilans, gloriosus; quia non minus dormiens, quam cum vigilat, incolumis et sanus est. Quando autem feriat videri potest, cujus mens semper operatur? Quando autem solus, ^d qui cum illo semper bono est, de quo ait Propheta: *Replebimur in bonis domus tuæ* (Psal. LXIV, 5)? Quando abjectus, cujus conversatio est in cælo? Quando non decorus, qui ad illius decoris, et solius boni se conformat similitudinem; qui etiamsi membris solutus sit, tamen mente se erigat? Et tamquam ille qui cithara canere solitus, si eam dissipatam, resolutis nervis, et **D** fractam viderit, et usum ejus interruptum, abjiciat eam, atque ejus numeros non requirat, sed voce ipse se mulceat: ita et iste citharam corporis sui otiosam jacere patietur, corde se oblectabit, bonæ conscientie recordatione mulcebit, divinis oraculis et scriptis prophetiis alleviabit, suave illud et jucundum animo

^c Edit. omnes, *virtutis domesticæ merito pensare*. At contra mss. omnes nobiscum faciunt magno consensu. Hic autem externis sæculi bonis domestica virtutis bona opponuntur.

^d Edit. vet. et quædam Paris. cum mss. aliquot, *qui cum illo semper bonus est*. Melius aliæ Paris. ac reliqui mss. ut in textu.

tenens, mente complectens; cui nihil triste possit accidere, cum semper ei divinæ præsentiae aspiret A gratia, et ipse sibi adsit summa animi tranquillitate perfusus.

LIBER SECUNDUS.

459 CAPUT PRIMUM.

Facta transitione a superiori ad hunc librum, ostendit sanctum Jacob etiam in exsilio fuisse beatum: ac beatitudinis definitionem eidem apprime convenire demonstrat.

1. Superiore libro de virtutum præceptis disputavimus: sequenti clarorum virorum utamur exemplis, qui in summis periculis positi beatitudinem vitæ non amiserunt, sed potius acquisierunt. An non beatus Jacob etiam cum patriam relinqueret? Immo plane beatus, qui dura exsilio suscepit, ut fratris mitigaret iracundiam. Nam si beatus est qui peccatum declinat, utique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam levat, crimen avertit. Paratum itaque parricidium declinavit exsilio voluntario, eoque facto sibi salutem quæsit, fratri innocentiam donavit. Merito itaque eum divina ubique comitata est gratia, ut et cum dormiret, beatæ vitæ munus acquireret. Videbat enim futurorum mysteria, et divina audiebat oracula (*Gen. xxviii, 5, 12 et seq.*). Bonus in somno operarius, et in paupertate dives, qui mercenariæ vitæ munere et patrimonium et conjugium eodem paravit officio (*Gen. xxix, 22, 29 et seq.*). Idem fraterni affectus reconciliator egregius certavit muneribus et obsequiis (*Gen. xxxii, 13 et seq.*); ut indignationem omnem excluderet, dolorem offensionis averteret, ostendens se minorem exsilio non fuisse, qui posset largiri quæ non acceperat.

2. Sed nimis ad inferiora propero, et utiliora transcurro, cum prius definiendum sit quid sit beatus. Scriptum est enim: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit* (*Psal. i, 1*). Hoc Scriptura significante, eum beatum esse, qui se a perfidorum consortio temperaverit (ea est enim impietas auctorem vitæ et parentem quemdam salutis non recognoscere, si ^a vel in peccato manserit, vel in luxuria atque lascivia perseveraverit), ipsum quoque in lege Domini die ac nocte meditantem fore tamquam lignum quod dabit fructum in tempore suo (*Ibid., 2 et 3*). Superiora merita sunt præmiorum, hoc meritorum præmium.

3. Quid horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuit sancto Jacob, qui tantum abfuit ab impiorum consortiis, ut ex eo fidelis populus nomen acciperet, Israel dictus (*Gen. xxxii, 28*); eo quod Deum mentis internæ oculis intueretur, peccati abs-

^a Ita mss. omnes, nisi quod vocula si abest a quibusdam. Edit. vero clausa parentheses post vocem recognoscere, proseguuntur hoc pacto, vel in peccato non manserit, vel... non perseveraverit.

tinens, a luxuriæ omnis ebrietate sobrius, ut dura laborum absorbuerit, otii secreta neglexerit? Nonne pulchre et vere de hoc dictum est, quod et hic fructum dabit in tempore suo, de quo scriptum est: *Ecce odor filii mei tamquam odor agri pleni* (*Gen. xxvii, 27*). Erat enim perfectus in omni flore virtutum, et sacræ benedictionis atque cœlestis beatitudinis redolebat gratiam. Ipse est enim ager quem benedixit Dominus: non iste terrenus, aut **460** horridus silvis, aut fragosus torrentibus, aut palustris pigrioribus aquis, aut jejūnus frumentis, aut inutilis vitibus, ^b aut infecunda glareasaxosus, aut hiulcus et aridus siccitate, aut sanguine madidus, aut sentibus incultus et spinis: sed ille ager, de quo dicit Ecclesia in Canticis: *Adjuravi vos, filiae Hierusalem, in virtutibus et fortitudinibus agri* (*Cant. ii, 7*). Hic namque est ager, de quo et Dominus ait: *Et species agri mecum est* (*Psal. xlix, 11*). In hoc agro uva illa reperitur, quæ expressa sanguinem fudit, et mundum diluit. In hoc agro est ficus illa sub qua sancti requiescent, spiritualis gratiæ suavitate recreati. In hoc agro est oliva illa fructifera, Dominicæ fluens pacis unguentum. In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus uno fidei munimine tegunt, et quodam fovant charitatis amplexu.

4. Hos igitur fructus redolebat Jacob, qui Deum per pericula sequebatur, et tutum se ejus ubique deductione credebatur. Nam licet dulcis et suavis odor sit agri, quia est odor naturæ: tamen in sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia. Quam continens erat parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetivit, sed petenti fratri sine dilatione concessit, a quo primatus benedictionis accepit (*Gen. xxv, 30 et seq.*)! Quam pius erga parentes, ut præferri germano seniori materno affectu mereretur, et paternæ benedictionis munere sacraretur (*Gen. xxvii, 8 et seq.*)! Quam religiosus, ut fratrem recusaret lædere! Quam verecundus, ut patrem timeret fallere! Quam honorificus, ut matri non posset quod jubebatur, negare!

CAPUT II.

Excusat parentes beati Jacob, et eorum exemplo quemadmodum alii parentes sese erga liberos gerere debeant, docet. Tum cur idem Jacob vicerit, quæve mysteria illius benedictio contineat, aperit.

5. Sed nec parentes nobis inexcusati relinquendi sunt, quod juniorem filium seniori prætulerint. Simul cavendum, ne quis dum eorum intendit exemplo,

^b Mss. aliquot, aut infecundus glareasaxosa, aut incultus, etc. Unus, aut infecundus glareis, saxosus, etc. Omnes autem post vocem incultus, addunt, et spinis, quod in edit. non legebatur.

iniquum inter filios habeat iudicium; ut alterum diligendum putet, alterum posthabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, et de vilis incremento pecuniæ facinus parricidale componitur. Eadem foveat prolem mensura pietatis. Esto tamen, ut aliquid sibi amplius circa blandiorem aut similiorem rapiat affectus, par debet circa omnes esse forma justitiæ. Plus confertur dilecto, cui fratrum amor quæritur: plus autem adimitur ei, qui prælationis injustæ oneratur invidia. Minitabatur Esau quod fratrem suum occideret (*Ibid.*, 41), nec fraterna eum germanitas, nec parentum reverentia a parricidali furore revocabat; et dolebat sibi benedictionem esse præreptam, cujus utique dignum se mansuetudine debebat probare, non scelere.

6. Sed et Rebecca non quasi filium filio, sed **461** B quasi justum præferabat injusto. Etenim apud matrem piæ mysterium pignori præponderabat: illum non tam fratri præferabat, quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse servare; in quo et alteri consulebat, quem divinæ subducebat offensæ; ne graviore implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.

7. Accipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater iudicium. Mater circa juniorem tenera pietate propendat: pater circa seniorem naturæ honorificentiam servet. Hic magis honoret, illa plus diligat: dum singuli singulos foveant, non in unum uterque conspirent, defraudent alterum. ^a Fiat æqualitas inter diversa certamina, et disparibus studiis par utrique ac æqualis parentum amor et gratia conferatur: compenset alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Isaac patriarcha et sancta Rebecca certabant, ut neutrum inferiorem facerent, sed utrumque æqualem (*Gen.* xxv, 28).

8. Vicit tamen ille qui præferebatur oraculo: vicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam (*Ibid.*, 25). Dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem, hic mitium cibos morum, hic domesticam gratiam, hic teneræ mansuetudinis, atque pietatis pio patri dulces epulas ministravit. Plus placet in animis quidquid occurrerit, quam quidquid affectatum putaveris deferendum. Accessit ad oves Jacob, et attulit innocentiae partus, vel sacræ prophetiæ munera (*Gen.* xxvii, 9 et seq.); quia Patriarchæ cibum nullum credidit dulciorem esse, quam Christum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus ad victimam. Hunc vel publico parenti, vel populo, cujus typum gerebat, cibum utilem ju-

A dicabat, quod futura erat remissio peccatorum.

9. Ideo stolam accepit fratris sui, quia senili præstabat sapientia: ideo junior frater seniorem fratrem exiit, quia fidei emicuit dignitate. Hanc stolam Ecclesiæ typo Rebecca protulit, et dedit filio juniore stolam veteris Testamenti, stolam propheticam et sacerdotalem, stolam illam regalem Davidicam, stolam Salomonis, Ezechiae, et Josiæ regum, et dedit populo Christiano, qui uti amictu sciret accepto; quoniam populus Judæorum eam sine usu habebat, et proprios nesciebat ornatus. Jacebat hæc stola in umbra abjecta atque neglecta. Obscurabatur enim tenebrosa impietatis caligine, nec in angusto corde populi Judaici latius poterat explicari. Induit eam Christianus populus, et refulsit: illuminavit eam suæ fidei claritate, et piorum luce factorum. Agnovit Isaac notum odorem generis sui, recognovit stolam Scripturæ veteris, sed vocem plebis veteris non recognovit; et ideo cognovit esse mutatam. Manet enim hodieque eadem stola, sed populi devotioris canora coepit **462** esse confessio; meritoque dixit: *Vox quidem vox Jacob: manus autem manus Esau. Et odoratus est odorem vestimentorum ejus (Ibid.*, 22 et 27). Et fortasse illud est, quia non operibus justificamur, sed fide; quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum.

CAPUT III.

C *Post benedictionem fratris junioris quare senior advenit; et cum urgendo obtinisset ut et ipse benediceretur, ad serviendum fratri fuerit damnatus? Ubi de servitute, ac vera libertate disputatur.*

10. Celebrata benedictione, postea senior frater advenit (*Ibid.*, 30). Quo declaratur prius Ecclesiæ regnum, quam Synagogæ in prædestinatione delatum: sed subintrasse Synagogam, ut superabundaret peccatum; et cum superabundasset peccatum, superabundaret et gratia, simul clareret impigrum militem regni cœlestis candidatum esse debere; ut præripiat benedictionem, et prærogativam suæ commendationis usurpet. Unde non est ^b notatus a patre junior filius, sed laudatus, quod ait Isaac: *Frater tuus veniens cum dolo, accepit benedictionem tuam (Ibid.*, 35). ^c Bonus enim dolus, ubi irreprehensibilis est rapina: irreprehensibilis autem rapina pietatis; quia a diebus Joannis regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt illud. Festinantes autem

^a Edit. et mss. complures, *Fiat æquitas*; melius tamen Thuan. et Big., Torn., Valc., *Fiat æqualitas*. Et ibidem pauculis interjectis, mss. Remig., Big., Long. et Theod. secunda manu, *par utrique æquali parentum amore gratia conferatur*: ubi reliqui cum edit. habent ut in contextu.

^b *Notatus*, hoc est, culpatus aut reprehensus; quo sensu Horatius epist. ad Sævam:

Si sciret regibus uti,

Fastidiret olus qui me notat.

Et Satira 3, l. 1:

Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.

^c *Bonus dolus* recte dicitur; quandoquidem apud antiquos vox *dolus* erat mediæ significationis, et modo sumebatur pro solertia licita, maxime cum adversus hostem aut latronem adhibebatur: modo autem pro omni fallacia et simulatione ad decipiendum instructa; et tunc fere non simpliciter *dolus*, sed *dolus malus* dicebatur. Hunc teste Cicerone, lib. iii de Offic., itemque iii de Nat. Deor. Aquilius designabat, *cum aliud sit simulatum, aliud actum*, Vide etiam Ulpianum de *Dolo malo*, lege prima sub initium.

patres pascha celebrabant, qui festinantes manducabant agnum, non demorantes; et fratrem Benjamin sanctus Joseph piæ commento fraudis accersivit et tenuit (*Gen. XLII, 20, et XLIV, 1 et seq.*).

11. Et ipse tamen ut benediceretur cogendo elicit et impetravit (*Gen. xxvii, 38, 39*); sed eam benedictionem, quæ cum superiore congrueret et conveniret, ut serviret fratri suo. Etenim qui imperare non poterat, et alterum regere, servire debebat, ut a prudentiore regeretur. Neque enim fuit Patriarchæ sancti, ut filium suum degeneri conditioni servitutis addiceret: sed ut bonus pater, cum duos haberet filios, unum intemperantem, prudentem et sobrium alterum, quo utrique consuleret, intemperanti præfecit sobrium, et insipientem prudenti statuit obedire; quia insipiens non potest voluntarius virtutis esse discipulus, nec perseverare in studio, quia stultus sicut luna mutatur: meritoque ei libertatem proprii negavit arbitrii, ne velut navis in fluctibus sine gubernatore fluitaret: sed subdidit eum fratri, secundum quod scriptum est: *Servit enim imprudens prudenti (Prov. xi, 29)*. Rectè ergo eum subdidit, ut regentis imperio stum melioraret affectum. Ideo ait: *Super gladium tuum vives, et servies fratri tuo (Gen. xxvii, 34)*. Domina enim est pietas crudelitatis, et mansuetudo^a duris motibus præstat.

12. Servit omnis qui auctoritatem puræ non **463** habet conscientiæ: servit quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore dejicitur. Servilis enim est omnis passio; quoniam **C** qui facit peccatum, servus est peccati, et quod pejus est, multorum servus est: qui subjectus est vitis, multis se dominis addixit, ut servitio ei exire vix liceat. At vero ille qui voluntatis suæ arbiter est, iudex consilii, interpret arbitrii, qui coercet corporeæ appetentiam passionis, qui ea quæ agit, bene agit, bene autem agens recte agit, et qui recte agit, inculpate et irreprehensibiliter agit, habens suorum actuum potestatem; is profecto liber est. Nam qui omnia prudenter agit, et ita vivit ut vult, is solus est liber. Non conditio fortuita servum facit, sed probrosa insipientia (*Prov. vii, 2*). Denique famulus prudens regit dominos stultos, et periti servi dominis fenerabunt. Quid fenerabunt? Non utique pecuniam, sed sapientiam, sicut et Lex dicit: *Fenerabis gentibus multis: tu autem D* *mutuum non accipies (Deut. xv, 6)*. Feneravit enim Judæus proselyto divinæ legis oracula. Sed quia ipse Legis mysteria videre non potuit, et quæ habebat nescivit oracula, qui litteram fenerabat gentibus, nunc ab his spiritalibus doctrinæ gratiam mutuatur: meritoque subjectus est servituti; quoniam qui mutuatur, servus est, quasi addictus fenori creditoris:

^a Rom. edit., *duris moribus præstat*. Haud male: sed non ideo ab aliarum, et mss. omnium recedendum lectione, cum et ipsa bona sit. Sunt enim *duri motus* idem, ac duræ passiones, ut vocant philosophi.

^b Post vocem *fratri* addit Rom. edit., *Ecce Esau frater tuus minuitur tibi occidere te, nunc ergo, etc.* Deinde caput tertium continuat usque ad hæc verba,

A qui autem piæ doctrinæ fenus impartit, is est princeps, sicut Lex dicit: *Princeps eris gentium multarum: tibi autem principes ex ipsis non erunt (Ibid.)*. Princeps enim est qui regit, qui et habet sapientiæ principatum, quem habuit populus Judæorum. Sed quoniam quod docebat, servare non potuit, debet discere, quod docere nescivit.

13. Hoc est igitur quod ait patriarcha Isaac: *Servies fratri tuo. Erit autem cum deposueris et solveris jugum illius a collo tuo (Gen. xxvii, 40)*, significans duos futuros populos, unum ancillæ filium, alterum liberæ (servit enim littera, libera est gratia) cumque populum qui litteræ intendit, tamdiu servum fore, quamdiu spiritalis doctrinæ sequatur interpretem. Tunc quoque illud futurum est, quod Apostolus ait: **B** *Ut reliquæ salvæ fiant secundum electionem gratiæ (Rom. ix, 27)*. Servies ergo fratri tuo: sed tunc senties servitutis profectum, cum voluntarius potius, quam coactus obedire cœperis^b fratri.

CAPUT IV.

Fratri necem minuitur Esau, qua occasione placandæ invidiæ præcepta proponuntur. Ad Labanum profectus Jacob in via Angelorum recreatur apparitione, ac postea bonis amplificatur.

14. Hinc orta est invidia, et minabatur Esau quod post obitum patris fratrem occideret.^c Sed si id acciderit, discamus a Rebecca **464** quemadmodum providendum sit, ne invidia iracundiam excitet, iracundia in parricidium proruat. Veniat Rebecca, hoc est, inducatur patientia, bona custos innocentiae, suadeat ut iræ locum demus. Concedamus aliquo longius, donec tempore indignatio molliatur, offensionis obrepat oblivio. Itaque patientia nec exsilium reformidat, sed impigre suscipit: non tam ut periculum salutis, quam ut incentivum sceleris declinetur. Mater quoque pia abesse sibi dilectissimum filium tolerat, plus ei collatura quem læsit: utriusque tamen consulens, ut alterum immunem a periculo, alterum integrum præstaret a crimine.

15. Audivimus quid corporeis ebria cupiditatibus intemperantia locuta sit, consideremus quid vera virtus agat. Nihil requirit nisi Dei gratiam: solum illud et summum bonum sequitur, solo eo contenta est, a quo accepimus omnia; ipsi autem nihil conferimus, quia nullo indiget, sicut ait David: *Dixi Domino: Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges (Psal. xv, 2)*. Quo enim indiget, qui abundat omnibus, et nobis largitur universa, omnia sine defectu ministrat?

16. ^d Et profectus est Jacob, et dormivit, quod est quicquid animi indicium: et vidit Angelos Dei ascendentes et descendentes (*Gen. xxviii, 11*), hoc est,

omnia sine defectu ministrat.

^e Ita mss. quinque, ac edit. Am. atque Era. Mss. autem Remig. et Theod. cum Rom. edit., *Sed ne id accideret*; edit. Gill., *acciderit*. Iterum hoc ipso loco, ubi edit. Am. ac Era., *dicamus ad Rebecca*; Gill. ac Rom. cum mss. omnibus habent, *discamus a Rebecca*.

^d Rom. edit. hic novum caput ordiebatur his ver-

Christum prævidit in terris, ad quem Angelorum A caterva descendit atque ascendit, obsequium proprio domino pio præbitura servitio (*Matth. iv, 11*).

17. Et venit ad puteum, ut biberet de suis vasis, et de puteorum suorum fontibus, et supereffluerent ei aquæ de suo fonte (*Gen. xxix, 2*). Fons enim vitæ est in manibus justii.

18. Et venit ad Laban, et oves ejus pavit. Iniquitas incommittata residet: sapientia regendi officium non omittit (*Gen. xxix, 19, et xxx, 28 et seq.*): nescit vel in alienis vacare, nescit exsul esse in peregrinis. Quomodo enim exsul, quæ ubique a jus suum servat, et in se habet quod possidet?

19. Quasi mercenarius ingreditur justus; et rector est, qui sibi gregem multarum præstantiumque virtutum splendore fulgentem Evangelicæ præ- B dicationis b ministerio colligebat; ut potaturis ovibus virgam storacinam, et nucinam, et de platano proponeret c inventis, quo concupiscentes beatissimæ Trinitatis præfigurata mysteria, haudquaquam decolores fetus piæ mentis conceptione formarent. Bonæ oves, quæ bonorum partus operum fidei sacræ non degeneres ediderunt. Per storacem significatur incensum et sacrificium vespertinum, quod Deo Patri defertur in psalmo. Per nucinam virgam sacerdotale Christo munus defertur (*Ps. cxi, 2*). Hæc enim virga Aaron quæ reposita floruit, qua sacerdotalis gratia sanctificationis emicuit (*Num. xvii, 8*). Per platanum spiritalis fructus significatur ubertas; quia arbori huic vitis annectitur, ut ejus læta consortio, in partus sese uberes fundat. Siquidem dominicæ C **465** munera passionis, remissionemque omnium peccatorum adjuncta Spiritus gratia d dare consuevit.

CAPUT V.

Jacob divino jussu in patriam revertitur ob Labani ejusque filiorum invidiam. Hæc si exorta sit, quomodo declinanda: qua etiam ratione sapiens inanis numquam esse possit. Post quæ mysterium in Labano generi bona perscrutante, in Jacob, atque ejus uxoribus designatum exponitur.

20. e His itaque, ut Scriptura dicit, dives factus est, valde bonum gregem nutriens Christo, quem fidei titulo, et varietate virtutum gloriosi nominis

his, *Et misit Isaac Jacob: et abiit in Mesopotamiam D ad Laban, etc. Profectus est Jacob, et in itinere dormivit.* Eadem edit. duos alios Scripturæ versus paucis interjectis inseruerat, sensui quidem haud inutiles, sed quos nec in aliis ullis edit. et mss. reperias.

a Dicitio jus ex omnibus edit. aberat, quam nos ex omnibus mss. Gall. restituimus.

b Septem mss. optimæ notæ, *magisterio colligebat.*

c Edit. Rom., *In canalibus*, contra alias omnes edit. et mss. in quibus legitur, *inventis*. forte in *venis*, aut in *lenis*, ἐν ταῖς ληνοῖς; quod vertit Augustinus, *in alveis*. Sed nostris conjecturis in textum nihil permittimus.

d Mss. duo, *funderet consuevit*; totid., *sovere consuevit.*

e Ita mss. omnes atque edit. excepta Rom., in qua legitur: *Dixit autem Dominus ad Jacob: Revertere in terram patris tui, et in gentem tuam, et ego ero tecum.*

nobilitavit insignibus. Itaque nec sibi videbatur angustus, censu fidei opimus, et Labæ filiis ut opulentissimus in invidiam vocabatur, qui suum gregem alieni gregis accessione cumulasset. Et dixit ei Deus: *Revertere in terram patris tui, et in gentem tuam; et ego ero tecum* (*Gen. xxxi, 5*), ostendens nihil ei deesse, cui adesset f omnium plenitudo: hoc solum abundare perfecte, in hoc constare omnia, et omnia ad ipsum referri. g Nihil ei superfluum necessarium, cui pax fida suppeteret, per quam reconciliaret quæ primum fuerant discrepantia. Nec mirum si pacem haberet, qui columnam statuerat, et unxerat Deo, quæ est Ecclesia (*Gen. xxxv, 20*). Columna enim et firmamentum dicta est veritatis (*1 Tim. iii, 15*). Eam ungit qui in Christum fidei, in pauperes misericordiæ fundit unguentum.

21. Nunc consideremus qualis vir justus esse debeat, si invidia fuerit exorta. Primum ut declinet eam; melius est enim sine lite abire, quam residere cum jurgio. Deinde ut talia possideat, quæ secum auferre possit; ut in nullo teneri ab adversario possit obnoxius, sed dicat: *Cognosce si quid tuum est apud me* (*Gen. xxxi, 32 et seq.*). Et quæsit Laban, et nihil suum invenit apud Jacob. Magnus vir, et vere beatus, qui nihil potuit suum amittere, nihil alienum habere, hoc est, nihil minus habere, nihil superfluum. Itaque ille perfectus est, cui nihil deest: justus, cui nihil superest. Hoc enim est justitiæ tenere mensuram. Quanta virtus cujus societas lucrum dabat, non irrogabat dispendium? Hoc est perfectum esse, adhærentibus sibi commodi plurimum dare, nihil afferre incommodi.

22. Denique is qui nocere cupiebat, inanem eum non potuit dimittere. Sapiens enim numquam inanis est (*De pœnit. dist. 2, cap. Sapiens*), semper in se habens amictum prudentiæ, qui potest dicere: *Justitiam induebam, et vestiebam judicium* (*Job. xxix, 14*), sicut dixit Job. Namque hæc mentis sunt interna velamina, quæ nemo alius possit auferre, nisi cum aliquem sua culpa despoliat. Denique sic despoliatus Adam, nudus inventus est: at vero Joseph etiam vestimento **466** exteriori rejecto, nudus non erat, qui salva habebat indumenta virtutis. Numquam ergo inanis sapiens. Nam quomodo inanis, qui de plenitudine Christi accipit, et servat acceptum? Quomodo

Dives valde factus erat Jacob bonum gregem, etc. Iterum eodem loco edit. Am. et Era., *et varietate virtutum nobilitabat insignibus*. Gill. ac Rom., *et variarum virtutum nobilitabat insignibus*. Mss. omnes ut in textu.

f Edit. Rom. cum paucis mss. voci plenitudo jungit vocem virtutum, quæ in aliis melius omittitur. Nam plenitudo hic Deum ipsum designat, qui omnium bonorum plenitudo est. Rursus ubi cunctæ edit. ac plures mss. *abundare perfecte*, alii aliquot habent *abundare perfecto*.

g Rom. edit., *Nihil ei superfluum, aut necessarium*. Mss. Torn., Long., Valc. et Theod., *Nihil ei nocivum*; Theod. secunda manu, *novum, nihil superfluum, aut non necessarium*. At lectionem nostram, quæ aliorum mss. ac vet. edit. est, aliis præstare autumamus. Sunt enim innumeri quibus nova et superflua opinionis errore sunt necessaria.

inanis, cujus repleta est anima, quæ acceptæ gratiæ vestimenta custodit? Illud metuendum est, ne quis innocentiae velamen amittat, ne impii sacrilegæ persecutionis impressione terminos justitiæ supergressi, vestimentum animæ ac mentis eripiant. Quod non facile accedit, nisi prius aliquem vox suæ iniquitatis exuerit. Unde et David dicit: *Si est iniquitas in manibus meis.... decidam merito ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animam meam, et comprehendat* (Psal. vii, 4 et 5).

23. Nemo ergo ex inimicis potest tuam animam comprehendere, nisi prius inanis fuerit effecta. Noli igitur metuere eos qui possunt auri argentique compilare thesauros. Isti tibi nihil auferunt. Hoc enim auferunt quod non habebas: hoc auferunt quod possidere non poteras: hoc auferunt quod non ornabat animam tuam, sed onerabat: hoc auferunt quod non locupletabat cor tuum, sed potius deprimebat. *Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (Matth. vi, 21), sicut legi audisti hodie. Multi seris portarum suarum includunt aurum suum, sed ii nec vectibus et claustris suis credunt: multi vigiles adhibent, sed ipsi quoque plus ipsos solent timere eustodes: multi defosso auro incubant; aurum eorum sub terra, et cor eorum sub terra. Cave ergo ne et tu cor tuum terræ vivus infodias. Non ergo auri istius metuendi fures. Ille tibi cavendus est fenerator, qui substantiam animæ tuæ scrutatur, si qua peccati gravioris æra contraxeris, qui cor tuum includit solo, qui animam tuam eo cespite obruit, quo aurum texeris, qui mentem tuam ^a centesimarum incurvat usuris, et gravi condit sepulcro, de quo nullus resurgit. Sequere sanctum Jacob, qui neque de alienis vitis quidquam habebat, neque suarum virtutum erat inanis et vacuus, qui erat justitiæ fructu repletus. Sed hæc moralia.

24. Illud mysticum, quod venit ad eum ^b Laban, hoc est, dealbatus, quia et satanas transfiguratur se in angelum lucis, et cœpit ab eo sua requirere. Respondit ei Jacob: *Cognosce si quid est tuum apud me* (Gen. xxxi, 32), hoc est, nihil tuorum habeo. Quære si quid agnoscis vitiorum tuorum et criminum. Nihil mecum abstuli ^c fraudum tuarum, dolique consortia ulla non habeo, omnia tua tamquam contagium refugi. Et quæsivit Laban, et nihil suum reperit. Quam beatus vir, in quo inimicus nihil invenit, quod suum posset dicere: in quo diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret! Impossibile videbatur istud in homine, sed typum **467** gerebat ejus, qui dicit

^a Centesima usura est qua feneratori singulis mensibus pars centesima sortis solvitur; atque adeo summa capitis seu sortis contesimo mense usuris adæquatur. In hanc libro *De Tobia* ardentem invehitur Ambrosius.

^b Confer sodes hunc locum cum iis quæ dicuntur lib. *De Fuga sæculi* cap. 4, num. 22 et 23.

^c Vet. edit. cum mss. nonnullis; *fraudum tuarum dereliqui consortia: illa* (vel ut mss. *ulla*) *non habeo*. Frigide.

^d Ita cuncti mss. ac edit. præter Rom. hoc initium

in Evangelio: *Venit hujus mundi princeps, et in me inveniet nihil* (Joan. xiv, 30). Nihil est enim quidquid est diaboli, quod nullam potest habere perpetuitatem atque substantiam.

25. Ipse autem est qui præfigurabatur in Jacob Dominus Jesus, duorum vir conjugiorum, hoc est, consors quidam Legis et gratiæ, qui virginem Rachel ante dilexit, et prædestinatam sibi in conjugium pio amabat affectu. Sed quoniam Lia tamquam Lex subintravit, et oculis infirmior obrepsit tamquam Synagoga, quæ mentis cæcitate Christum videre non potuit, superabundavit gratia sanctæ Rachel (Gen. xxix et seq.), quæ supra primum illud est expetita conjugium, quæ Ecclesiæ principatum futurum jam tunc nominis sui interpretatione signabat. Beata Rachel, quæ abstulit opprobrium suo partu: beata Rachel, quæ abscondit cultus, erroresque gentilium, quæ simulacra eorum plena esse immunditiæ declaravit. Nemo credat paternæ pietatis læsam esse reverentiam, quod stante patre sedit; quoniam scriptum est: *Qui plus fecerit patrem aut matrem, quam me, non est me dignus* (Matth. x, 37). Ubi causa agebatur religionis, fides debuit sedem habere iudicii, et quasi rea stare perfidia.

CAPUT VI.

Angelos in itinere videt S. Jacob. Idem fratri occurrens septies adorat. Denique concordiam ab eo petiturus in castris dormit. Quæ omnia quid significant, aperitur.

26. ^d Hæc eo usque probata sunt, ut proficiscenti sancto Jacob angeli Dei occurrerent. Denique vidit castra Dei applicantia, et ait: *Castra Dei hæc sunt* (Gen. xxxii, 1 et 2). Perfectis enim et fidelibus divina solent adesse præsidia. Perfectus autem cogitabat de reconciliatione fraterna; ita ut humilitate eum invitaret, officiis acquireret, muneribus quoque emendum putaret. Occurrit itaque fratri cum muneribus, uxoribus, et pignoribus suis; ut etiamsi ipse indignaretur, necessitudinis obsequiis inflecteretur.

27. *Et adoravit septies in terra* (Gen. xxxiii, 3). Quid sibi istud vult esse? Lex dicit: *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (Deut. vi, 13); et hic adorat intemperantem, iracundum, minantem parricidale flagitium. An terram adoravit, illam humano cruore concretam, serpentium infusam venenis, aut jejuna infelicem glarea, aut duris atque

capitis exhibet in eam fornam, *Et Jacob abiit viam; et respiciens vidit castra Dei metata, et obviaverunt ei Angeli Dei. Proficiscenti, etc.*

^e Omnes edit. ac mss. aliquot, *eam invitaret.... emendam putaret*. Alii mss. antiquiores et numerosiores, *eum invitaret... emendum*; Long., Valc., *emendandum, putaret*. Syllepsis est qua constructio refertur ad vocem fratris in priori membro potestate comprehensam. Post verbum *putaret*, subjungit edit. Rom., *Dixit enim: Placabo faciem ejus in donis præcedentibus*; quod superfluum est, et in omnibus mss. et aliis edit. desideratur.

asperis inhorrentem cautibus? Quid sibi etiam vult A quod septies adoraverit? Hæreret solutio, nisi illud occurreret quod Petro interroganti in Evangelio: *Si frater meus in me peccaverit, quoties dimittam ei, usque septies? Respondit ei Dominus Jesus: Non solum septies, sed usque septuagies septies (Matth. xviii, 21 et 22).* ^a Hoc igitur prophetico spiritu sanctus Patriarcha significat, in advenientem respiciens, qui non solum usque septies, sed etiam usque septuagies septies veniam fratri laxari juberet; ut ejus contemplatione conventus Esau injuriam quam se accepisse putabat, remitteret fratri, et quamvis læsus in **468** gratiam rediret; quia propterea carnem suscepturus erat Dominus Jesus, et venturus in terras, ut multiplicatam nobis donaret veniam delictorum.

28. Denique petiturus a fratre concordiam dormi- vit in castris. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem et stabilitatem: ideo Dominus donum ejus perfectioribus reservavit dicens: *Pacem meam relinquo vobis; pacem meam do vobis (Joan. xiv, 27).* Perfectorum est enim non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari: sed quasi in littore tutissimo adversum insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum christianis mentibus Christus invexit, pacem internam invehens animis probatorum; ut non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem super omnem mentem esse Apostolus doctor asseruit dicens: *Et pax Dei quæ exsuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, et* C *fructus itaque pacis est non perturbari in pectore. Denique vita justæ quieta est, injustus autem inquietudinis et perturbationis plenus est. Itaque amplius suis suspitionibus affligitur impius, quam alienis plerique verberibus: majoresque vibices vulnerum in ejus animo sunt, quam in eorum corpore qui ab aliis verberantur.*

29. Grande est intra se aliquem tranquillum esse, et sibi convenire. Foris pax aut imperatoris sollicita providentia, aut manu militum quæritur, aut bellorum prospero cedit eventu, aut internecone aliqua barbarorum, si in se hostili motu sua arma convertant. In ea pace nulla nostra virtus, sed eventus est. Certe gloria pacis illius ad imperatorem refertur: D istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. Istius pacis major est fructus, quo spiritalis nequitiae tentamenta, quam quo arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras,

^a Cod. Long., Remig. et Theod. secunda manu, *Hac igitur prophetia Spiritum sanctum Patriarcha significat.*

^b Rom. edit. sola: *Egressa est autem Dina filia Liæ, quam peperit Jacob, ut cognosceret filias indigenarum: et vidit eam Sichem filius Hemor Hevæus, princeps terræ; et accipiens eam dormivit cum illa. Denique non multo post factam supra revelationem cum esset, etc. Quibus verbis cap. vii exorditur.*

A perturbationesque mitigat, quam ea quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra te hosti resistere, quam remoto.

CAPUT VII.

Jacob cum Deo luctatur, et tacto femoris nervo claudicat. Vim Dinæ illatam fratres ulciscuntur, quos Jacob pater improbat. Is jubetur in Bethel habitare, quo sancta Ecclesia præfiguratur.

30. Itaque Jacob qui cor suum ab omni simultate mundaverat, et pacificum affectum gerebat, postquam rejecit omnia sua, solus remansit, et luctatus est cum Deo (*Gen. xxxii, 24 et 25*). Quicumque enim sæcularia negligit, ad imaginem similitudinemque Dei propius accedit. Quid est enim luctari cum Deo, nisi virtutis suscipere certamen, et cum superiore congregari, potiolemque cæteris imitorem fieri Dei. Et quia insuperabilis erat fides ejus atque devotio, secreta ei mysteria Dominus revelabat, tangens latitudinem femoris ejus (*Ibid.*); eo quod ex **469** ejus erat generatione Dominus Jesus oriundus ex Virgine, qui Deo nec impar, nec inæqualis esset; cujus crucem obstupescens femoris latitudo signabat; eo quod diffusa per universum mundum remissione peccati, salutaris foret omnibus, qui stupore sui corporis ac sopore resurrectionem tribueret defunctorum. Unde non immerito exortus est sol sancto Jacob, cujus generi crux Domini salutaris illuxit: simul quia sol ei oritur justitiæ, qui Deum cernit; quia ipse est lumen æternum.

31. Claudicavit autem Jacob a femore suo: *Propter hoc non manducant hodieque filii Israel nervum (Gen. xxxii, 32).* Utinam manducassent et credidissent! Sed quia non erant facturi voluntatem Dei, ideo non manducaverunt. Sunt et qui ita accipiant, quod ideo claudicaverit ab uno femore Jacob, quia duobus populis ex ejus generatione manantibus, unius stupor jam tunc circa fidei gratiam declarabatur futurus. Ipse est ergo populus qui stupore perfidiæ claudicavit.

32. ^b Denique non multo post revelationem istiusmodi cum esset ab alienigenæ filio Dina filia Jacob deflorato virginitatis pudore temerata, fratres ejus qui non intellexerunt mysterium, alienigenas qui societatem fidei per conjunctionem generis offerebant, vindictæ studio peremerunt. Jacob autem qui morali mansuetudine clementiam diligebat, vel mystico spiritu sacramentum congregandæ ex gentibus prævidebat Ecclesiæ, invitus et dolenter ^c scenam illam exactæ ultionis accepit. Unde prophetanti adventum Domini Jesu responsum divinum est datum:

^c Scenam locum arboribus opacum esse diximus l. ii Hexæm., c. 8, n. 32. Sed quia poemata dramatica quæ istis antiquitus agebantur, in theatra postmodum translata sunt; ideo scenæ nomen ad hæc significanda, et inde per synecdochen ad cruentas actiones, quales in eisdem exhiberi solent, traductum est. Quapropter parum scite pro scenam mss. nonnulli cædem posuerunt.

Exurgens ascende in locum a Bethel (Gen. xxxv, 1), hoc est, in domum panis, ubi natus est Christus, sicut Michæas propheta testatus est dicens: *Et tu, Bethleem, domus Ephrata, non es minima, ut sis inter principes Juda. Ex te enim exiet princeps Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus sæculi (Mich. v, 2)*. Vere domus panis, quæ domus Christi est, qui nobis panis salutaris advenit e cœlo; ut jam nullus esuriat cibum sibi immortalitatis acquirens. Ibi jubetur habitare Patriarcha, ibi altare facere Deo qui apparuit ei. Ibi deos accepit alienos, et abscondit eos^b sub lentisco: ibi quoque sepulta est Rachel in via Ephrata, hæc est, Bethleem. Ibi etiam columnam statuit Jacob supra monumentum ejus (*Gen. xxxv, 1 et seq.*).

33. Quanta mysteria, quia tibi est Ecclesia Dei, B in qua apparet Deus, et loquitur cum servis suis. Ibi eripiuntur, et absconduntur simulacra gentium. Fides enim Ecclesiæ omnem observantiam gentilitatis abolevit. Sed cur sub lentisco absconderit, 470 quæro? Certe genus istud infructuosum est. Ibi ergo sunt dii gentium, ubi nullus est fructus. Ibi in aures gentilium infodiuntur quas dederunt Jacob, ut jam novam linguam audire assuescant; veterem perfidiæ sonum nesciant, obsurdescant aures eorum sacrilegio, et mudentur ad gratiam. Non immerito ibi sanctus Daniel falsum adversus Susannam testimonium deprehendit. Ibi enim volebat adhuc radices suas locare perfidia: sed latere non potuit, quia prophético spiritu deprehensa est. Congruus autem error^c presbyteri veræ confessioni, ut ibi contaminatam diceret castitatem, ubi gentium defossa simulacra sunt. Sed veritas Ecclesiæ^d non texit perfidiam, sed abscondit, et aures gentilitatis obstruxit.

34. Convenienter quoque ibi sepulta est sancta Rachel; quia omnes qui baptizantur in Christo, consepeliuntur cum Christo. Sic enim docemur dicente Apostolo: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quemadmodum ille surrexit a mortuis per propriam virtutem suscitatus, ita et nos ejus gratia resurgamus (Rom. vi, 4)*. Tunc igitur vere absconditur omnis error gentilium, cum quis fuerit ablutus a vitis; quia confixus cruci vetus homo

^a Non hic solum, sed etiam l. i de Abra. c. 2, D n. 5 et 6, ac l. ii, c. 5, n. 21, mss. melioris notæ legunt *Bethleem*. Et certe Ambrosio eundem locum esse Bethleem ac Bethel, cum hujus vocis expositio, quam illi semper subjicit, tum orationis series non obscure indicant. At lectionem omnium edit. et non paucorum mss., immo Scripturæ etiam auctoritate munitam retinimus.

^b Ita mss. omnes ac edit. ant. Rom. vero ex Bibliis reposuit hic et infra *sub terebintho*.

^c Rom. edit., *presbyteri veræ confessionis; ut ibi contaminatam diceret castitatem*. Aliæ cum mss. omnibus conveniunt, nisi quod habent *confessionis*. Minus bene. Hujus enim loci hic sensus est: Error seu mendacium presbyteri asseverantis Susannam sub arbore infructuosa corruptam fuisse, significavit ibi castitatem fidei contaminatam, ubi gentium, etc. Nam quod supra dicitur Daniel ibi falsum testimonium deprehendisse, vox *ibi* non ad arborem Bethel, sed aliam ei sterilitate similem referenda est.

A noster nescit jam veteri servire peccato. Competenter etiam columnam statuitur supra monumentum Rachel; quia Ecclesia est columna et firmamentum veritatis.

CAPUT VIII.

De laudabili sancti Jacob senectute, in qua futuras dubiasque res, ac vitæ suæ finem prævidet; nec non agenda disponit.

35. Senuit autem Jacob; et jam ante senuerat moribus: sed certabant in eo impigra vivacitas juventutis, et tranquillitas senectutis. Est enim et senectus virens gratia, et juvenus cana consiliis, de qua dicit Scriptura: *Senectus enim venerabilis. Et, Aetas senectutis vita immaculata (Sap. iv, 8 et 9)*.^e Ex hac vita fuit Jacob, qui bonis operibus prævenit tempus longævæ senectutis; ut et fructum ejus ante tempus carperet, et postrema ejus in tempore non timeret. Beatus quidem et juvenis qui bene vivit: sed beatus et senex qui bene vixit. Quod enim juvenis sperat, adeptus est senior: quod senex fuit, optat hoc esse qui juvenis est. Certe hic inquieti maris longiore sibi adhuc cursu manente, jactatur fluctibus: senex vero sicut in portu, ita in statione est senectutis. Erat itaque hujusmodi Jacob, qui vix speranda juvenibus bona incolumi et tuta gratiæ clave 471 jam clausa et obsignata tenebat. Quod autem possideas, eo quod adhuc speres, præstabilius est. Erat ergo senex Jacob, ad quem juvenes adversa temporis alicujus tempestate percûsi tamquam in portum sese recipiebant: ipse autem^f tamquam in specula vitæ hujus positus sollicito prætendebat affectu, et longe ante rebus dubiis prævidebat remedia.

36. Denique fames erat in tota terra (*Gen. xlii, 1 et seq.*), et senex depositus quæ alacres juvenes ignorabant, § interim primus utrum audierit videto. Primus admonuit filios suos in Ægypto exuberare frumenta, et eo proficiscendum, ut emerent quæ sibi ad usum necessaria forent (*Gen. xliii, 11*). Libenter etiam ipse juvenum consiliis æquiescebat, ut etiam filium juniorem simul mitteret. Et renuntiantibus illis quod Joseph filius ejus viveret, in-

^d Edit. vet., *non texit perfidiam, et aures, etc.*; Rom., *non detexit perfidiam, sed abscondit, et aures, etc.* Mss. vero legunt *texit* cum vet. edit.; at in reliquis cum Rom. conveniunt. Videtur autem Doctor sanctus id innuere, Ecclesiam in Danielis, calumniæ presbyteros convincentis, persona gentilitatis perfidiam non legere, id est, non dissimulare, sed convincere: postea tamen in gentilibus qui convertuntur eam per baptismum abscondere seu abluere, ut quæ sequuntur, satis ostendunt.

^e Rom. edit., *Senuerat ergo Jacob*. Vet., *Ex hac vita fugit Jacob*. Melius mss. omnes, *Ex hac vita fuit Jacob*, id est, ejusmodi vitam duxit, qualis supra descripta est.

^f Cod. aliquot, *tamquam in spelunca*.

[§] Edit omnes, *Primus audierat, primus admonuit filios*. At mss. contra in nostram lectionem conspirant, nisi quod pro, *videto*, nonnulli habent, *videro*. Quod satis cum initio cap. 8 libri de Josepho convenit, ubi illud asseveranter pronuntiavit.

fracto licet corpore, sed vivida animi virtute, non A expectavit ut filius ad se veniret, sed ipse magis perrexit ad filium (*Gen. XLV, 28*). Pietati enim mensura ordinis non præponderat. Nulla itaque sensit impedimenta fessæ senectutis, cum pergeret. Pietas enim levabat laborem. Verum ubi recepti filii fructu potitus, aliquanto exacto tempore, decem et septem videlicet annorum, quod secundum illam Patriarchæ longævitatē exiguæ portiois tempus est, finem vitæ sibi appropinquare cognovit. Vocavit Joseph filium, et per generationis suæ futurum hæredem constrinxit eum, ne in Ægypto sepeliretur (*Gen. XLVII, 29*). Acceptaque fide, cum paulo post infirmaretur, et venisset ad eum filius suus Joseph, velut resumptis viribus sedit supra lectum suum, et benedixit Patriarchas duodecim, et prophetavit (*Gen. B XLIX, 1*).

CAPUT IX.

Jacob morti proximus atque oculis captus, tamen beatus ostenditur: cujus præterea multiplex commendatio; sed maxime ob Patriarcharum benedictiones proponitur; ac demum concluditur nec ipsum nec sanctorum alium propter ærumnas minus beatum haberi oportere.

37. Dicant nunc aliqui non beatum Jacob, cum in ipsis mortis esset diebus, qui pene plura cum Deo, quam cum hominibus alloquia miscebat: non beatum cum oculi ejus gravarentur in senectute, et non posset videre. Videtur enim quibusdam cæcitas esse gravis ærumna calamitatis. Sed tunc quoque beatus Jacob, quia discernebat spiritu, quod oculis discernere aspectuque non poterat. Videbat futura, qui æstimabatur non videre præsentia. Denique erravit et ipse Joseph, ut cum ad dexteram ejus applicasset filium suum seniore, et ad sinistram ipsius, hoc est Jacob, applicasset filium juniorem, ut ætatis ordo benedictionis ordinem reservaret; extenderet dexteram suam super nepotem juniorem, et sinistram super seniore, et volenti filio patriam dexteram super Manassenseniorem convertere responderit: **472** *Scio, fili, scio, et hic erit in populum, et hic exaltabitur: 472 sed frater ejus junior major illo erit.* Et causam prælationis adjunxit dicens: *Semen ejus erit multitudo gentium (Gen. XLVIII, 18 et seq.)*. Adeo licet impedito corporis aspectu, melius videbat, ut videntem doceret errasse. Quis enim melius videt, quam qui videt D Christum? Aut quis potest dicere oculis impeditum eum, qui videbat in Christo refulgentem Ecclesiam? Nonne igitur clarum est, quod debilitas beatitudinem impedire non possit? Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatis corporis viribus in lecto tamquam in sepulcro corpus relinquens surrexit in se, et longe ab aliis, atque intra semetipsum sese colligens præsentibus se rebus subduxerat, et novis-

simorum dierum futuræ miscebatur ætati. Sic enim scriptum est: *Annuntiabo, inquit, vobis quæ occurrentia sunt vobis in novissimis diebus (Gen. XLIX, 1)*.

38. Quid igitur ei deerat, cui Deus aderat, qui ei profecturo dixerat: *Descendam tecum in Ægyptum: et ego deducam te in perpetuum (Gen. XLVI, 3 et 4)*? Nec defuit, quando in eo Spiritus sanctus loquebatur. Quis tam potens in suo domicilio, quam iste in alieno? Quis tam abundans in ubertate, quam iste in fame? Quis tam fortis in juventute, quam iste in senectute? Quis tam actuosus in negotio; quam iste in otio? Quis tam velox in currículo, quam iste in lectulo? Quis tam lætus in flore adolescentiæ, quam iste in mortis confinio? Quis tam dives in regno, quam iste in peregrino loco? Denique reges benedicebat (*Gen. XLVII, 7*). Nec immerito pauper non erat, qui nullo indigebat. Pauper non erat, qui se pauperem non putabat. Et quis pauperem dicat, cujus conversatione dignus orbis terrarum non fuit? Et ideo conversatio ejus erat in celo. Hic vero prædives in divitiis simplicitatis et sinceritatis, decorus majore animæ quam corporis pulchritudine quæ marcescere non novit, ætate impiger, cui liceret, cum vellet, corporeo isto exire gurgustio, et superna paradisi mentis vigore penetrare, exultans spiritu, cum sepulcri extrema mandaret. Non enim terreno se tumulto claudendum, sed superno recipiendum domicilio præsumebat; et ideo tamquam alteri mandabat sepulcrum: sui autem securus mortem illam immortalitatem putabat. Videbatur corporis implicatus impedimento, et vigilantem in futura tempora præcurrebat affectu, dicens de persecutoribus Domini, qui de tribu Simeon et Levi ^a auctores erant nequitiae processuri: ^b *In consilium eorum non veniat anima mea, et in occursum eorum non contendat viscera mea (Gen. XLIX, 6)*. Quis autem tam validus in virtute, quam fortis iste in infirmitate, qui dicebat: *Maledictus furor eorum, quia superbus et temerarius; et ira illorum, quia indurata est. Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel (Ibid. 7)*.

39. Quis vero tam canorus cantibus, quam iste vocibus, qui toto auditus est mundo, qui per omnes populos, per omnes auditur ætates? ^c Quis tam suavis numerus septem vocum differentias oblocutus, quam iste septemplex Spiritus sancti **473** gratia resultavit? Qui licet membris resolutus, tamen attollens se animo, et erigens spiritu, corporis sui tamquam citharæ harmoniam dissoluta membrorum compage destructam alta mente despiciens non requirebat, sed otiosam jacere humi patiebatur. Ipse autem cantu se mulcebat interno, et prophetico se modulamine delectabat dicens: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: vocum differentia oblocutus.* Edit. vet., *Quis tam suaviter septem vocum differentias oblocutus.* Rom. denique, *Quis tam suavibus numeris septem vocum oblocutus discrimina.* Forte quod videretur Ambrosius alluisse ad illud Virgil. vi Æneid.:

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

^a Scilicet scribæ ac sacerdotes, ut ipse exponit lib. de Bened. Patriarch., cap. 3.

^b Rom. edit. sola, et in consilio eorum non contendant... furor eorum, quia pertinax.

^c Ita mss. Theod., Valc., Vict. et Colb. Alii vero *Quis tam suavis* (Thuan., suave) nomen ejus septem

ex germine mihi ascendisti : recumbens dormisti ut leo, et tamquam catulus leonis. Quis suscitabit illum (Gen. XLIX, 8 et seq.)? Et infra : Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ anaboladium suum. Hilares oculi ejus a vino, et dentes candidiores lacte (Ibid., 11 et 12). Quis cantus dulcior, quis sonus suavior, quam remissio peccatorum, et resurrectio mortuorum? Hunc cantum sanctus David, ille divinæ organum vocis, et dominici sermonis interpret cithara cecinit spiritali. His modulis gratiæ sublimem illum animum mentemque mulcebat. Hoc cantu mundi istius aspera mitigavit, hoc sonitu sæculi dura mollivit, hoc psalterio terrorem mortis infregit, hac suavitate chordarum inferna calcavit.

40. Sed audiamus etiam alia quæ sanctus Jacob patriarcha admirabili illo suæ organo mentis increpuit : *Nephtalim vitis remissa, porrigens in germine suo decorem. Filius meus ampliatus Joseph, filius meus ampliatus, zelo appetitus filius meus, filius meus adolescentior, ad me revertere (Ibid. 21 et seq.). Et infra : Prævaluit super benedictiones montium manentium, et desideria collium æternorum (Ibid., 26). Quid dulcius benedictione? Quid gratius æternitate? Et ipsa verba sunt cantus, et in verbis magna votorum sunt præmia, meritorum fastigia.*

41. Quid suavius sancto Joseph, qui nos liberavit ab opprobrio, crucis Dominicæ sacramento? Sicut enim maledictum factus est Christus, ut maledictum solveret Legis; et peccatum factus est, ut mundi peccatum tolleret: ita opprobrium factus est, ut gentilitatis opprobrium auferret: sed illud opprobrium Christi thesauris Ægypti pretiosius æstimatum est. Et ideo Moyses Pharaonis regis aulam reliquit, et fidei elegit opprobrium, cui se opprobrio maria dividebant. Ipse ergo Nephtalim vitis totum remissa per mundum, ut omnibus populis ubertatem poculi spiritalis infunderet. Ipse est ampliatus, habens nomen super omne nomen, qui quoniam se pro omnibus obtulit morti, ideo audivit a Patre: *Ad me revertere. Loquebatur Jacob, et Deus audiebatur. Ille benedicebat, et Deus personabat dicens Filio : Ad me revertere, hoc est, post passionem revertere. Revertere ad sedem tuam, revertere cum tropæo, revertere ad me; ut te resurgentem defuncti sequantur, et tua potestate pariter, atque exemplo resurgant, ut fias primogenitus ex mortuis, ut ad dexteram sedeas Patris. Unde et Filius dixit : Amodo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei (Matth. xxvi, 64).*

42. Neget quis beatum Jacob in ipso mortis supremo, qui divina fundebat oracula? Neget **474** beatum Joseph in carcere, ubi sapientiæ spiritu interpretabatur somniorum quæ audierat, veritatem, et futuro-

^a Omnes edit. ac plures mss., *ut pote sacerdotum sacerdos, sed tuis juvandus. Rom. edit., juvandum ratis. Optime cod. Torn., Theod. et Valc., ut pote sacerdotem sacerdos, etc. Rursus mss. aliquot, et cunctæ edit., qui genere sacerdos; aliquot alii, qui genus sacerdotale. Thuan. ac Remig. legunt, qui gentis sacerdos.*

rum seriem revelabat? Neget beatum Esaiam, cum medius secaretur; Hieremiam, cum mergeretur; Daniel sanctum, cum inter leones staret intrepidus, et prandium ei raptus ab Angelo propheta deferret? Non utique ideo beatus, quia alienum prandebat prandium: sed quia meritis suis impasta leonum ora claudebat. Quis autem non beatam dixerit matrem Machabæorum, quæ septem filiorum funeribus octavam se addidit ad laudem cœlestis triumphus?

CAPUT X.

Quantæ laudi fuerint sacerdoti Eleazaro supplicia constantiter tolerata, propter quæ vere beatus sit judicandus.

43. Nec te, Eleazare, prætermittam, ^a utpote sacerdotem sacerdos, sed tuis juvandus oratis: qui genere sacerdos, peritus in Lege, maturus ævi, cum oblatus esses Antiocho persecutori, nec tentamentis potuisti capi, nec præmiis inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi (II Machab. vi, 18 et seq.). Denique a blandimentis cœpit, quia judicabat tormenta sua posse superari. Erubesco, inquit, canitiem tuam, revereor senectutem, miror prudentiam: cur abstinendum bonis epulis putes quas natura largitur? Relaxa istiusmodi pervicaciam, expergiscere aliquando, dum adhuc malo tibi persuadere, quam extorquere; ne victus suppliciis facias, quod refutas ratione invitatus. Ad hæc respondit senex: Nos, Antioche, non ^b intentione ducimur, sed reverentia Legis tenemur, quæ a suilla carne abstinendum præcipit. Pulcherrimam judicas creaturam; negare tamen non potes quod potior sit temperantia, quam voluptas, potior legis obedientia, quam prævaricatio. Quod si hoc leve putas, ut carne vescamur suilla: qui in minimis legem contempserit, quomodo in magnis tenebit? Aut si pretiosa est creatura hujusmodi; vindicaris, cum eo quod sit pulcherrimum, defraudamur. Abstinencia autem nostra disciplina est castimonie. Discimus enim reseccare luxuriam, cupiditates vincere, excludere concupiscentias, delectationibus corporis obviare. Fortitudinis quoque exercitium est, pœnis pro Lege non cedere. Justitiæ quoque insigne atque prudentiæ, ut quod sequendum elegimus timore Dei, morte proposita reservemus. Quis escam imperet liberis? Quis autem se ridendum ^c præbeat ut in hoc serviat, et non ridebitur? Non sum ita senex, ut mihi non juvenescat animi fortitudo.

44. Suspensus itaque cum hinc atque inde graviter verberaretur, nec jam ferrent senilia membra verberum pœnas, lassatis carnificibus atque extensoribus, in terram deflexus inflexibilem mentem gerebat. Et quidam seu longævam miseratus ætatem, seu tentamentis circumvenire desiderans: Responde, inquit,

^b *Intentione*, id est, propria voluntate ac electione; nisi forte idem sit, atque animi contentione et pertinacia.

^c *Vet. edit. cum parte mss., præbeat? In hoc serviat, sed non ridebit. Rom. præbeat? Quis autem in hoc serviat, et non ridebitur? Ab hac non multum recedunt alii aliquot mss. quos secuti sumus.*

tantummodo **475** te manducaturum : nos te escæ ejus immunem præstabimus. At ille clamans : Nequaquam, inquit, contingat mihi, ut siam senex incentivum juvenilis erroris, qui huc usque eram forma salutæ instituti. His ego ludibriis, ut paululum vivam lucrabor, et totius vitæ labores addicam brevis viatico senectutis ? Senectus portus debet esse, non vitæ superioris naufragium. Non te negabo, Lex patria ; non abjurabo vos, sancta instituta majorum, non decolorabo vos, infulæ sacerdotales ; non te perfidæ pulvere turpabo palam, canities ! Quid multa ? Immoriendo tormentis factus est cæteris magisterium perseverantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum. Beatus igitur, in quo non potuerant tormenta rationem vincere. Annon beatus, qui potuit virtute animi victor esse pœnarum, pietatisque remigio servare integram in tantis fluctibus passionem ?

CAPUT XI.

De admirabili patientia ac fortitudine septem fratrum Machabæorum, quibus mater octava addita fuit, qui suis suppliciis meritum beatæ vitæ acquisierunt.

45. Post ipsum statuti sunt pueri septem cum matre (II Machab. vii, 1 et seq.). Insultare licet tyranno, qui dum callide a sene incipiendum putat, magistrum eligit quo discipulos faceret fortiores, quorum velut puerilem ætatem præmiis provocabat ad culpam, urgebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duce respondent : Quid nos contemnis vel circumscribis, ^a ut pueros ? Sed fides cana est, sed vâlda disciplina. Experire certe, subijce quibus placet pœnis puerilia viscera, non invenies corda puerilia : nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quam legitimæ observationis excubiæ. Quem vicit senectus, superabit æmula senectutis pueritia. Sequimur patrem filii, discipuli doctorem. Collige suppliciorum instrumenta proposita : meditationem patientiæ, ^b non terrorem infantæ afferunt, dum videntur.

46. Jussit maximum natu eligi. At ille ridens : Recte, inquit, naturæ ordinem servas. Sed cur Dei legem temerandam putas ? Et pro pietate quidem omnes maximi sumus : sed tamen a me inchoatum gaudeo. Quid quæris, tyranne ? Confiteor nos summo Deo servire, et doces quid agere debeamus. Si tu tanta pertinacia vis extorquere veritatem, cur non omni virtute nos eam tenendam putemus ? Quid plura ? Adhibentur variarum genera pœnarum. Sed vicit pietas immanitatis furorem : exclusa est anima, non religio.

47. Secundus accessit, nec degener fratris munia piæ confessionis implevit (Ibid., 7 et seq.). Et cum detraheretur membrana capitis, respondit : Aufertis quidem membranam, sed habeo galeam spiritalem, quam non potestis auferre. Et vere hanc **476** galeam

^a Post vocem *pueros*, addit edit. Rom., *pueri sumus*, quod nusquam alibi reperias.

^b Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *non terrorem*

A nemo potest auferre, sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini : *Quia caput viri Christus est* (I Cor., xi, 3). Et, *ejus sumus membra* (Ephes., v, 30). Recte puer istam divino spiritu doctrinam apostolicam prævidebat. Exuebant immanes bestię corium capitis, et pardalicis feritatibus sæviebant. At ille deficiens : Quam dulce est, inquit, mori pro religione, quam suavis omnis acerbitas mortis pro pietate ; quia manet horum remuneratio laborum ! Tua sunt, rex, graviora tormenta : tu tuis vehementius torqueris suppliciis ; quia vides te vinci in potestate.

48. Et hoc defuncto, tertium statui sibi jussit (II Machab. vii, 1, 10 et seq.). Et cum eum partim tentaret insidiis, partim caperet terrore percellere, respondit ad eum : Non faciam voluntatem tuam, non succumbam imperio tuo. Per beatam illam fratrum meorum passionem, et nobilitatem, non negabo piam germanitatem. Quævis adhibeto supplicia, quibus magis urgens hoc proficias asperitate pœnarum, ut majora testimonia nostræ germanitatis accipias. Jussit itaque ei linguam amputari. At ille exclamans : Victus es, inquit, Antioche, qui organum vocis abscindi jubes. Confessus es te respondere non posse rationi, majoraque probas linguæ nostræ flagella, quam tua verbera. Nos enim tua verbera non timeamus, tu nostræ vocis flagella non potes sustinere ; sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidæ ; sed etiam lingua sublata gravius te suo cadens murmure flagellabit. Evadere te putas, Antioche, si vocem eripias ? Et tacentes Deus audit, et magis audit. C Ecce aperui os meum, laxavi linguam meam, abscinde linguam ; sed non abscindes constantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies testimonium veritatis, non eripies cordis clamorem. Si lingua amputetur, sanguis clamabit, et dicitur tibi : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (Gen. iv, 10). Audit enim sanguinis vocem, qui audit internas cogitationes, tenebræ licet operiant, et parietum septa circumdent. Dicat impius, quia nullus sibi testis assistat : explorat universa, videt omnia Deus ; nec est aliquod facinus quod possit latere omnium judicem, qui cognoscit universa, antequam fiant. Quid verba damus ? Loquaciora sunt vulnera : etsi vulnera tegantur, etsi abscondatur cicatrix, non absconditur fides. Nec tamen plaudas quod auferendo D linguam, confessionem laudis eripias. Satis jam Deum sermone laudavimus, nunc passione laudemus.

49. Et hoc perempto, jussit quartum vinciri ad rotam, ut ejus vertigine membris omnibus solveretur (Ibid. 13). At ille cum torqueretur immaniter : Dissolvis, inquit, corporis membra ; sed adjungis gratiam passioni, nec eripis solatium morti. Est enim vox tonitru in rota, quia in bono et inoffenso vitæ istius cursu cœleste resultat oraculum, ^c sicut in Joanne et Jacobo filiis tonitru resultat. Itaque illud

inscitæ afferunt.

^c Videtur quibusdam hic memoria lapsus Ambrosius, dum æstu raptus eloquentiæ Machabæo illi apo-

quod legi, nunc manifestius recognosco: *Quia rota A intra rotam currit, nec impeditur (Ezech. i, 16 et 17).*

477 Teres enim vita sine ulla offensione in quavis passione versatur, et intra hæc quoque rota currit. Currit Lex intra gratiam, et observantia Legis intra divinæ curriculum misericordiæ est: nam quo magis volvitur, plus probatur. Potius est hic ab impiis adversa tolerare, ut ibi a Domino consolationem invenire possimus. Et iste consummans cursum suum abruptis spiritum, animamque victor effudit.

50. Quintus cum sisteretur, cæso prius eidem jus sit ignes admoveri, subjici incendia (*Ibid.*, 15 et seq.). Manabat e vulneribus cruor, et effossis ulceribus, sanguis effusus ipsos flammaram exstinguebat globos. At ille inter ignium crepitus audiebatur dicens: *Gratias tibi, Domine, quod dedisti nobis dicere: Transivimus per ignem (Psal. lxy, 12).* Et sicut alibi idem tuus dicit Propheta: *igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum (Ibid.*, 10). Astabo tibi sicut aurum purgatus incendio; et si quid fuit culpæ, ignis exussit. Itaque et iste transfiguratus a corruptela ad incorruptionem, vitam exhalavit.

51. Sexto quoque admota tormenta sunt (*II Machab. vii, 18 et 19*). At ille: Noli, inquit, frustra errare, et tuæ hoc ascribere potestati, quod ista adversum nos exerceas. Nostrorum hoc delictorum est pretium, ut peccantes puniamur. Et gratias Domino, quod hic a nobis ^a duplicia peccata exiguntur, ut ibi nobis consolatio deferatur. Gratias autem et tibi, quod tam durus et immitis es, ut talibus nostris suppliciis Dominus in quem peccavimus, genti nostræ ^C propitius fiat. Nos quoque ablevamus ærumnam, dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris atque asperis dilaceratus suppliciis, appositus est ad fratres suos.

52. Supererat junior ex fratribus, et jam pudebat Antiochum immaturæ ætati se ita fuisse ludibrio (*Ibid.*, 24). Itaque dolis eum desiderans circumscribere, pollicebatur honores, divitias, amicitiam suam, consortium secretorum. At vero pia mater monebat filium suum, dicens et huic sicut cæteris: *Nescio quemadmodum in uterum meum introistis, neque ego spiritum donavi vobis, neque membra formavi: sed hæc omnipotentis Dei munera sunt (Ibid.*, 22). Putavit Antiochus videns matrem sollicitam, quod salutem ejus timeret, ipsi quoque suadere cœpit, ut ^D filium ab intentione sua revocaret. At illa voce patria dicebat filio: Tu solus superes, fili, summa votorum meorum; tu postremus clausisti partus meos, tu postremus conclude gaudia mea. Miserere mei, quæ te in utero tot mensium curriculo portavi; ne uno momento confundas senectutem meam, ne de-

stolorum qui multis post annis in lucem editi sunt, mentionem tribuit. Sed quidni dicamus quarto huic fratrum eodem modo propheticum spiritum a sancto Antistite ascriptum, quo supra legimus de secundo, *Recte puer istam divino spiritu doctrinam apostolicam prævidebat? Nisi quis malit illa verba, sicut... resultat, parenthesesi esse includenda.*

^a *Duplicia peccata, propria nimirum, et communia*

colores tot fratrum tuorum tropæa, ne sacrum eorum comitatum relinquant, ne consortium deserant. Te adhuc isti exspectant triumphari. Aspice in cœlum, unde hausisti spiritum, ad Patrem omnium; aspice in terram, quæ tibi ante alimoniam ministravit; aspice ad fratres, qui collegam requirunt; aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit; redde mercedem pii sanguinis; noli a fratribus, noli a matre divelli. Temporales opes sunt quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona **478** quæ a Deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus, sextum jam diem clausi, et omnium opera bona valde. Debes mihi, fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te requiescam septimo, tamquam a sæculi operibus jam feriata. Itaque proripiens se juvenis ait: Quid sustinetis (*Ibid.*, 50 et seq.)? Et multa vociferans, quod nequaquam divelli posset a fratrum consortiis, quorum multo beatiora essent funera, quam regis imperia, cum urgeret conviciis regem, et ipse acerbis excruciatu tormentorum generibus vitæ hujus munus absolvit.

53. Novissima mater oblata est neci (*Ibid.*, 41). Quis hanc beatam neget, quæ quasi septem vallata ^b muneribus, inter corpora filiorum nullum sentit mortis incursum? Quis, inquam, dubitet de ejus beatitudine, quæ septem turribus circumdata, in paradisi sedem caput extulit; quæ septem filiis cincta sacratissimum Deo chorum non solum canorum vocibus, sed etiam passionibus ad concinendas Domino laudes cœlestibus invexit altaribus? Quam bonus fidei partus, quam tutus portus iste pietatis, quam splendida lucerna Ecclesiæ septeno fulgens lumine, ^c et octavo utero cunctis luminibus oleum subministrans! De quibus pulchre dicitur: *Date partem illis septem, et illis quidem octo (Eccles. xi, 2)*, eo quod in utroque numero consortium gratiæ consequantur, in Lege nutriti, per gratiam coronati, septem tamquam in sabbato, octo tamquam in Evangelio, pia matre supplemento passionis adjuncta, quæ in talibus filiis integram pietatis formam et parturivit et peperit.

CAPUT XII.

Elegantissima beatæ illius femine septem filiorum martyrum parentis, commendatio.

54. Recurrunt in memoriam sermones sanctæ femine dicentis ad filios: Ego vos genui, ego vobis succum lactis infudi, nolite nobilitatem vestram perdere. Sic aliæ matres revocare a martyrio solent filios, non vocare. At ista maternum in hoc ponebat affectum, si filiis vitam magis perpetuam, quam temporalem suaderet. Spectabat itaque pia mater totius gentis.

^b Rom. edit., *vallata muralibus*. Aliæ omnes, ac mss., *vallata muneribus*, id est, hostiis ac victimis, quibus illa Deo litavit. Vat. cod. in margine, al., *funeribus*. Non incommode.

^c Sic cuncti mss. atque edit. excepta Rom. ubi legitur, *et octavo utro*. Sed potuit vas aliquod a figura uteris dici, vel forte ipsum lampadis corpus.

filiorum certamina; et quamvis maternorum viscerum compassione quateretur, tamen pietatis studio premebat dolorem. Et offerente Antiocho, cum posset salutem eligere filiorum, malebat periculum: compressisque naturæ gemitibus, pœnas filiis optabat augeri, ut mors citius appropinquaret. Videmus conversa vota matris in filios; ne quem superstitem derelinqueret, sed omnes piæ cohæredes mortis acquireret.

55. Sed nec filii minores tali parente, qui se invicem cohortabantur, qui dicebant uno studio, et quadam animorum acie: Mortis adversæ ^a impetum proteramus. Tunc enim vivemus, cum fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo se subtrahat prælio triumphali. Non homini, sed omnipotenti Deo nostras devovimus animas: non homini, sed auctori omnium militamus. Talis hæc pugna est, ut ille gloriosius **479** vicerit, qui crudelius occisus fuerit. Itaque nemo timuit, nemo trepidavit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit: sed omnes tamquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia cucurrerunt; et mater consona cernens filiorum agmina, tamquam pia anima sui membra corporis in filiis offerebat, et per artus proprios videbatur sibi voliva subire tormenta.

56. Cadebant filii tormentis exulcerati, mortui super mortuos adolvebantur, corpora super corpora volutabantur, capita super capita exsecabantur. Refertus erat locus cadaveribus filiorum, non flevit mater, non lamentata est; non oculos cujusquam pressit, aut ora morientis clausit; non lavit vulnera, ^C sciens gloriosiores esse, si eviscerati et concreti pariter pulvere et sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, quales solent tropæa ex hostibus reportare. Non superjacienda velamina, non prosequendas exsequias, nisi suæ quoque conitatu mortis arbitrata est. Quæ cithara dulciores ede-

^a Omnes edit., *impetum petamus*. Omnes mss., *impetum proteramus*, excepto uno Vat., in quo *impetum præoptamus*.

^b Rom. edit. sola, *sicut mors, durus sicut inferi*

^A ret cantus, quam morientes filii in tam gravibus suppliciis ediderunt? Erumpebat enim naturæ gemitus, etiam invitis. Spectares per ordinem peremptorum cadavera sicut fila chordarum; audires heptachordum psalterium triumphalibus gemitibus resultare. Non sic illecebrosi illi, ut aiunt, cantus Sirenarum attraherent audientem: illi enim ad naufragium trahebant, isti ad sacrificii victoriam. Nec sic cygnea carmina aures animumque **480** mulcerent: cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti moriebantur amore pietatis. Non sic rauca resonant secreto in nemore columbarum murmura, ut ultima verba morientium cum summa suavitate resonabant. Nec sic luna inter stellas refulget, ut inter filios mater, et cum eos ad martyrium illuminatura deduceret, refulgebat, et cum amplexata victores in medio filiorum jaceret.

57. O vera mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior! o indissolubile pietatis vinculum! o vere valida charitas ^b sicut mors dura, sicut inferi zelus devotionis ac fidei! Nulla tantarum diluvia passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbis. Sicut arca in illo mundi diluvio totius orbis spatiis innocua ferebatur: ita et tu adversus fluctus tam gravium passionum pietate immobilis restitisti, et cum posses salutem filiorum eligere, noluisti.

58. Quo affectu vos prosequar, sanctæ matris pia pignora? Quo penicillo sermonis mei describam formæ vestræ et animarum similitudinem? Stetistis inter exercitus regios, quibus totus fuit orbis terrarum subactus, quos India quoque in extremi maris secreta refugiens non declinavit; et soli de rege superbo sine bellico conflictu victoriam reportastis. Vicerunt in vobis sola arma pietatis: dedit pœnas tyrannus, et quia vos non potuit vincere, et quia atroci peremptus est morte.

zelus. Illi tamen favent LXX, apud quos hic locus Cant. viii, 6, ita scribitur: ὅτι κραταῖα ὡς θάνατος ἀγάπη, σκληρὸς ὡς ἄδης ζῆλος.

IN LIBRUM DE JOSEPH PATRIARCHA ADMONITIO.

Ambrosius jam inde ab exordio hujus operis ipse sacrorum voluminum ordine adductum se esse profitetur (cap. 1, num. 1), ut libris de Abraham, Isaac, et Jacob, in lucem editis, nonnihil in Joséph quoque historiam meditaretur. Quocirca post expositam in Abraham impigram fidei devotionem (*Ibid.*), id est, animum divinis imperatis obsequentissimum; in Isaac sinceræ mentis puritatem, id est, mentem quæ omnibus sæculi nævis ac sordibus abstersis cum Verbo æterno intimum quoddam spiritalis connubii fœdus ineat; denique in Jacob singularem animi, laborumque patientiam, cujus beneficio vel in atrocissimis infortuniis beatitudo retineatur; non contentus has omnes virtutes stylo celebrasse, aliquid adhuc expressius ac magis determinatum in Josépho, cujus præcipua laus in castitate posita est, proponere apud se statuit. In superioribus nostris Admonitionibus quemadmodum S. Præsul memoratas eorundem primorum patriarcharum virtutes edisserendo ipsorum historiam demonstraverit, expositum est: nunc paucis qua ratione id ipsum in historia Joséphî præstiterit, inquirendum.

Principio docet Joséphum nobis proponi tamquam speculum castitatis (*Ibid.*, num. 2), cum ea virtus simul et quidam castimonie comes nitor gratiæ in ejus moribus factisque omnibus perfectissime refulgeat. Quoniam vero nusquam majori cum splendore sancti adolescentis pudicitia enituit, quam cum ipsam uxor Putipharis apud

quem ille serviebat, multiplici lenocinio improbissimisque conatibus labefactare conata est; capropter singulare hoc ejusdem patriarchæ ornamentum S. Ambrosius tota eloquentiæ suæ vi prædicat licet uno tantum capite (Cap. 5), difficillimum illud certamen ac periculi plenissimum comprehenderit. Illic aperit omnia illecebrarum atque artium genera quibus corruptæ mulieres amatos corrumpere, eorumque continentiam expugnare aggrediuntur. Constantiam ac prudentiam quibus S. Joseph illius petitiones nunc resistendo, nunc fugiendo cassas reddidit, amplificat. Monita subinde inserit instituendis moribus utilissima. Postremo dum castissimum huncce victorem commendat, minime dubitanter, pro castitate, inquit (Ibid. num. 26), martyrium subibat, nimirum cum cœlestis illius virtutis causa in vincula rapi se patiebatur, de resellendis heræ suæ calumniis haudquaquam sollicitus.

Cæterum præter hanc laudem sunt et alia multa in vita Josephi, quæ summam considerationem mereantur. Illa beatus Doctor silentio prætermittenda noluit, sed ea ratione pertractavit, quam hactenus in exornandis priscorum patriarcharum gestis non adhibuerat. Auspicatur (Cap. 1. num. 5) ab invidia quæ fratres in Josephum stimulaverat; ac ejus occasione nonnullis circa amoris quem parentes erga liberos præ se ferre oporteat, æqualitatem observationibus præmissis, Josephum Christi Domini typum ac figuram somniis suis exstitisse demonstrat (cap. 2). Deinde quidquid in Genesi de sancto Patriarcha legitur, satis accurate percensens, omnes propemodum ejus actiones mystice atque in figura Christo convenire, proindeque hunc ipsum pro vero Scripturæ Josepho habendum docet. Id quidem adeo exacte probat, ut bene multis Josephi ex libro Genesi, et Christi ex Evangelio verbis sibi invicem oppositis, ea maximè inter se cognationem habere patefaciat (Cap. 12 et 13). Denique cum in hac ipsa historia reliquis etiam filiis Jacob suæ partes fuerint, indictos eosdem non sinit, sed in Benjamin exhibitam fuisse Pauli quem eximie laudibus prosequitur, imaginem tradit; in aliis vero fratribus expressam Judæorum in quos invehitur, perfidiam atque immanitatem; quamvis ipsos quoque ad fidem tandem aliquando perventuros significet. Crebras quidem expositiones ac præceptiones quæ Christianæ plebis moribus conducant, toti operi pius Doctor inspergit, verumtamen in eruendo mystico sensu laborat impensius. Unde uno verbo non injuria statuere quis possit hoc libro nil contineri nisi mysticam expositionem eorum omnium, quæ in Genesi de sancto Joseph a somniorum ipsius narratione ad susceptam profectionem quo patri ad se in Ægyptum venienti obviam iret, memorantur.

Minime sane obscurum est hanc lucubrationem non secus ac superiores omnes a libris de Abraham, concionibus Mediolani pronuntiatis constare. Sed cum aliarum ætatem et tempore quo hujus sermones habiti fuerint, præcipue cognosci supra affirmaverimus, nunc nobis ut illud planum exploratumque faciamus, opera navanda est. Nullum porro validius esse putamus ad hanc rem argumentum quam ea verba quæ occasione unius e duobus Pharaonis eunuchis cui in carcere Joseph extremum crucis supplicium vaticinatus est, dicuntur a S. Antistite. Etenim alius eunuchus ibi describitur (Cap. 6, num. 33), qui ante biennium imperatoris favore tumidus, Ecclesiæ tantam irrogaverat contumeliam, ut eam Sanctus noster dicitis quorum meminisse jam non libebat, retundere esset coactus. Hic idem eunuchus tamquam alter Doech fraude regem commovit in sacerdotis, id est, ipsiusmet Ambrosii, periculum (Ibid., num. 33); et tamquam alter Aman crudeliter orthodoxum populum exagitans atque divexans, nullum lapidem non movebat, ut illi suas Ecclesias eriperet, easque Arianis quorum impietatem sequebatur, assereret. Ad extremum eo crevit ejus amentia ut aliis, nempe sancto Episcopo intentaret mortis periculum: sed non advertens quæ ipsi vir sanctus prædiceret, minabatur aliis ipse mox supplicio dedendus extremo (Ibid., num. 34). Et re vera haud ita multo post favore imperatoris excidit; et licet impius ille ad Christi cujus divinitatem inficiabatur, servum, hoc est, Ambrosium quem tam insolenter fuerat insectatus, confugisset, mox tamen carnificis gladio truncatus est.

Ex hac tota orationis serie cognoscere est tam sedulo historiam hanc suis omnibus adjunctis ab Ambrosio excultam et quasi vestitam fuisse, ut nil nisi illius quem spectabat ea narratio, nomen desiderari videretur. Id certe non poterat auditoribus esse incognitum; neque etiam difficile nobis fuerit ipsum deprehendere, si modo hunc locum comparare placuerit cum iis quæ idem noster Ambrosius de persecutione quam a Justina imperatrice cæterisque Arianis passus fuerat, ad Marcellinam sororem scripsit. Ille siquidem in calce epistolæ ita loquitur: Denique etiam speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me vivo, tu contemnis Valentinianum (Epist. 14, ad Marcel., circa fin.)? Videlicet quod impiis illius mandatis, et iis maxime quibus unam ex ecclesiis Catholicorum Arianis ut suos ibi conventus agerent, tradere jubebatur, morem gerere detrectabat. Caput tibi tollo, inquit arrogans iste eunuchus; cui Ambrosius tantummodo retulit pauca illa: Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod episcopi: tu facies quod spadones, etc. Hæc esse verba quorum Vir sanctus jam memoriam abolere se velle significat, probabile est. Si cui autem cognoscere visum fuerit qua ratione idem eunuchus supplicium quod sancto Episcopo minabatur, ipse pertulerit, hoc Augustinus declarat illis verbis: Calligonum, inquit, Valentiniani junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum (Lib. VI, cont. Julian. Pelag., cap. 14).

Ut igitur quo tempore hic liber scriptus fuerit, intelligatur, quid jam aliud restat, nisi ut annum quo hanc ad Marcellinam epistolam Ambrosius misit, dispiciamus. Credimus autem eum nequaquam temere facturum qui eisdem litteris annum 385 assignaverit, quo scilicet festis paschalibus in Catholicos prima Justinæ exarsit persecutio, quæ sequenti etiam anno iisdem sacris diebus recruduit. Atque adeo dicendum est sermones hosce in Joseph patriarcham anno 387 habitos fuisse, cum ipsomet Ambrosio reduce ex legatione ad Maximum tyrannum,

Italia usque ad mensem Augustum quo illam invasit idem tyrannus, pacata fuit. Certe quidem et superiores libri (Lib. de Isaac et An. cap. 4, num. 57, et alibi), et hic de quo loquimur, satis aperte indicant beatum Doctorem per tempus quietum verba fecisse: quin etiam locis nonnullis (Lib. de Bono mort. cap. 12, num. 53, et alibi) innuitur Ecclesiam id temporis eorum qui ex hæresi resipiscebant, accessione locupletatam. Quod post sedatam Arianorum persecutionem de qua tanta cum laude nec sine miraculo triumphavit Ambrosius, facile potuerit evenire.

Si nostra hæc temporis ratio vera sit, procul dubio affirmare licebit inter alios Ambrosii auditores, sicut et inter neophytos quos ille hoc anno 387 baptizaverat, annumerandum esse etiam magnum Augustinum. Porro cum hic legatur mirum in modum probasse methodum illam qua Sanctus noster spiritaliter ac mystice Scripturam edisserens (Conf. August., lib. vi, cap. 4, num. 6), non litteræ quæ occidit, sed spiritui qui vivificat, præcipiebat adhærendum; non est cur quisquam ambigat quin hi tractatus de Patriarchis ei vehementer arriserint, præ cæteris vero libri de Isaac et de Joseph in quibus tam eleganter mysticus reconditusque sensus evolvitur ac enodatur.

Præmittendum hoc loco non putamus Ambrosium, ut videtur, semel atque iterum significare (Cap. 6, num. 50, et cap. 7, num. 58) hanc ipsam historiam a se jam fuisse explicatam, forte superiori anno cum stans temporibus ex more illa pars Geneseos recitaretur. Primæ illæ in Joseph conciones interciderunt; testaturque hæc in commentatione S. Præsul sese quo tempore illas habuit, de Calligono silere voluisse. Fuit hoc insignis modestiæ atque charitatis, quibus vix post elapsam biennium tam singularis eventus, quem populi sui mentibus profuturum haud ignorabat, mentionem facere permissus est. Sed ea moderatio non minus in eo eluxit, quod Valentinianum cujus ministri sub imperatoria auctoritate tam atrociter in eum debacchati fuerant, excuset (Cap. 6, num. 55).

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE JOSEPH PATRIARCHA

LIBER UNUS.

483 CAPUT PRIMUM.

Tractatus de Abraham, Isaac, et Jacob, cur sancti Joseph sequatur historia. Hic ille tamquam speculum castitatis proponitur; ubi etiam de parentum amore, ac fratrum invidentia adversus eum, nec non de ejusdem oblivione injuriarum paucis agitur.

1. Sanctorum vita cæteris norma vivendi est. Ideoque digestam plenius accipimus seriem Scripturarum; ut dum Abraham, Isaac, et Jacob, cæterosque justos legendo cognoscimus, velut quemdam nobis innocentiam tramitem virtute eorum reseratum^b enitentibus vestigiis persequamur. De quibus mihi cum frequens tractatus fuerit, hodie sancti Joseph historia occurrit. In quo cum plurima fuerint genera virtutum; tum præcipue insigne effulsit castimoniam. Justum est igitur ut cum in Abraham didiceritis impigram fidei devotionem, in Isaac sinceræ mentis puritatem, in Jacob singularem animi laborumque patientiam; ex illa generalitate virtutum in ipsas species disciplinarum intendatis animum. Nam licet illa sint diffusiora; tamen ista expressiora sunt, et

^a Scriptus circ. an. 387.

^b Omnes edit., imitantibus vestigiis: omnes mss. enitentibus vestigiis, etc.

^c Edit. Am. et Era., Non movendum; Gill., Rom. cum mss., Non moveri. Rursus vet. edit. cum tribus mss., ulciscendæ dolore invidiæ, non male. Sola Rom.

A quæ eo facilius mentem penetrent, quo magis circumscripta ac determinata sunt.

2. Sit igitur nobis propositus sanctus Joseph, tamquam speculum castitatis. In ejus enim moribus, in ejus actibus lucet pudicitia, et quidam splendet castimoniam comes nitor gratiam. Unde etiam a parentibus plus quam cæteri filii diligebatur. Sed ea res invidiam fuit, quod silentio prætereundum non fuit.

484⁵. Hinc ergo argumentum totius historiæ processit; simul ut cognoscamus perfectum virum et non moveri ulciscendi doloris injuria, nec malorum rependere vicem. Unde et David ait: *Si reddidi retribuendum tibi mala* (Psal. vii, 5). Quid autem esset quod præferri Joseph mereretur cæteris, si aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset? Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimicum tuum, quod Salvator docet (Matth. v, 44). Jure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Evangelium; ut læsus parceret; appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret; quod post Evangelium omnes didicimus, et servare non possumus.

edit., ulciscendi doloris invidia. Denique mss. decem, injuria. Melius. Hic enim moveri ulciscendi doloris injuria, idem est, ac moveri accepta injuria ad ulciscendum dolorem. Quæ phrasid licet duriuscula sit, non tamen ab Ambrosii elocutione abhorret.

4. Discamus ergo et sanctorum invidiam; ut imitemur patientiam: et cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, ^a sed observationis; nec vitia nescisse, sed emendasse. Quod si invidia etiam sanctos adussit, quanto magis cavendum est ne inflammet peccatores?

CAPUT II.

Æqualem esse debere parentum affectum, et filiorum gratiam. Excusatur tamen B. Jacob, ut qui Joseph pluribus virtutibus ornatum aliis prætulit; immo etiam prophetiæ gratia jam tunc præditum, uti somnia ejus, quæ hic relata exponuntur, declarant.

5. Instruimur igitur qualis esse debeat affectus parentum, filiorumque gratia. Amare liberos dulce; et impensius amare prædulce: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis; si aut nimia indulgentia ^b dilectum resolvat, aut prælacione unius cæteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc **485** præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia?

6. Quid ergo? Reprehendendus Jacob quia præferebat unum cæteris? Sed nec libertatem possumus auferre parentibus; ne eos plus diligant quos plus credant mereri: nec filiis resecare debemus studium ^C plus placendi. Denique et Jacob illum plus amabat, in quo majora virtutum insignia prævidebat; ut non tam filium pater prætulisse videatur, quam propheta mysterium: meritoque variam tunicam fecit ei, quo significaret eum diversarum virtutum amictu fratribus præferendum.

7. Denique in puero adhuc refulsit divina gratia. Siquidem somniavit quod cum alligasset, ut sibi videbatur per visum, manipulos cum fratribus suis, surrexerit manipulus ejus, et steterit erectus: conversi autem fratrum manipuli, adoraverint manipulum suum (*Gen. xxxvii, 7*). In quo utique futura resurrectio Domini Jesu revelata est, quem et Hierosolymis cum vidissent, undecim adorare discipuli, et omnes sancti cum resurrexerint, adorabunt, fructus bonorum operum præferentes, sicut scriptum est: *Venientes autem venient cum exultatione, tollentes manipulos suos (Ps. cxxv, 6)*. Unde fratres, licet somnii fidem per invidiam derogarent, interpretationem tamen ejus propriis sermonibus exprimentes, responderunt ei: *Numquid regnando regnurus es nobis, aut dominando dominaturus es nobis (Gen. xxxvii, 8)*? Regem enim venturum visio

^a Edit. quædam Paris., sed observantioris. Aliæ, ac mss. omnes, sed observationis. Haud male, si mente suppleas, præstantioris.

^b Edit. cum plerisque mss., delictum resolvat. Antiquæ vero edit. ac mss. Vat., Alb. et Valc., dilec-

A illa significabat, quem omnis caro generis humani inflexo adoraret genu.

8. Vidit autem aliud somnium, et narravit illud patri suo et fratribus suis, eo quod sol et luna et undecim stellæ adorarent eum. Unde *objurgavit illum pater ejus dicens: Quid ergo erit hoc visum quod somniasti? Numquid venientes ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram (Ibid., 10)*? Quis est ille quem parentes et fratres adoraverunt super terram, nisi Christus Jesus, quando eum Joseph et mater cum discipulis adorabant, Deum verum in illo corpore confitentes, de quo solo dictum est: *Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ et lumen (Ps. cXLVIII, 3)*? Objurgatio autem patris quid significat, nisi duritiam populi Israel, ex quibus ^B Christus secundum carnem, quem hodieque Deum esse non credunt, nec volunt adorare quasi Dominum, quia ex se natum cognoscunt? Audiunt itaque responsa ejus, sed non intelligunt: legunt ipsi quod eum sol et luna laudant, et nolunt credere de Christo Jesu dictum esse. Itaque Jacob typo fallitur alieno: sed suo amore non fallitur. Pietas in eo paterna non errat: sed erraturæ plebis affectus exprimitur.

486 CAPUT III.

Quod supra Jacob dictus sit Josephum objurgasse, id non fecisse ob incredulitatem: quando futuræ Incarnationis præsciis eundem ad fratres misit. Joseph postquam erravit in agro, venit in Dothaim. Eum fratres e longe videntes interimere cogitant: sed mutato consilio vendunt Ismaelitis. Et hæc, itemque tunicæ cruentatio, et lacus ariditas, mysterio passionis adaptantur.

9. Non ergo tanto somnio Patriarcha non credit, qui utrumque pariter gemino prophetabat oraculo; ut et personam justi repræsentaret et populi, quod Dei Filius venturus esset in terras, qui et diligeretur a justis, et negaretur a perfidis. Videbat igitur futuræ Incarnationis mysteria, qui filium mittebat ad fratres (*Gen. xxxvii, 14*); ut videret ^c si recte sunt oves. Quas oves Deus jam tunc in illo Patriarchæ studio requirebat, nisi eas de quibus ipse Dominus Jesus in Evangelio dixit: *Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. xv, 24)*? ^d *Et misit, inquit, in Sichem (Gen. xxxvii, 13)*, quod ^D interpretatione dicitur humerus, sive dorsum, hoc est, ad eos qui non converterentur ad Dominum, sed fugientes se a facie ejus averterent; quod est propriè peccatoris. Exiit Cain a facie Dei. Et Propheta dicit: *Pones eos dorsum (Ps. xx, 13)*. Justus autem non se avertit a Domino, sed occurrit dicens: *Oculi mei semper ad Dominum (Ps. xxiv, 15)*. Et Esaias dicenti Domino: *Quem mittam (Esai. vi, 8)*? sponte se obtulit dicens: *Ecce ego*. Et Simeon ex-

tum resolvat. Optime. Idem enim est ac dilectum filium solutioris vitæ reddat.

^c Rom. edit., si rectum est fratribus et ovibus.

^d Rom. edit., Et venit, inquit, in Sichem.

spectavit ut videret Christum Domini, et postea-
quam vidit, quoniam remissorem peccatorum, et to-
tius mundi viderat redemptorem, quasi levatus a
peccato, poposcit usu carnis hujus absolvi, dicens:
*Nunc, Domine, dimitte servum tuum in pace; quoniam
viderunt oculi mei salutare tuum (Luc. II, 30 et 31).*
Et Zachæus hinc primum suæ prærogativam com-
mendationis invenit, quod in arborem ut Christum
videret, ascendit. Ergo Joseph a patre missus est
ad fratres, ab illo magis Patre, qui proprio Filio non
pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: ab
illo Patre, de quo scriptum est: *Deus Filium suum
mittens in similitudinem carnis peccati (Rom. VIII, 3).*

10. Et errabat Joseph, quia fratres suos invenire
non poterat (*Gen. xxxvii, 15*). Non immerito errat-
bat, qui quærebat errantes; eos enim agnoscit Do-
minus qui suat ipsius. Denique et Jesus fatigatus ex
itinere sedebat supra puteum. Fatigabatur, quia non
inveniebat Dei populum quem quærebat; exierat
namque a facie Domini. Qui enim culpam sequitur,
exit a Christo. Peccator exit, justus intrat. Denique
Adam se peccator abscondit; justus autem dicit:
Intret oratio mea in conspectu tuo (Psal. lxxxvii, 3).

11. Invenit autem Joseph fratres suos in Dothaim,
quod significat defectionem. Ubi est enim nisi in
defectione qui Deum deserit? Nec mirum si deficie-
bant, qui non audiebant dicentem: *Venite ad me
omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos refi-
ciam (Matth. xi, 28).* Venit igitur Joseph in Do-
thaim: *Et præviderunt eum de longe venientem, ante-
quam appropiaret ad illos, et insæviebant, ut occide-
rent illum (Gen. xxxvii, 18).* Merito longe erant,
qui erant in defectione, et ideo insæviebant, quia
non appropiaverat iis Christus. Nam si appropiasset
his typus **487** Christi, fratrem utique dilexissent:
sed prope esse non poterant, qui parricidium cogi-
tabant. *Ecce, inquiunt, somniator ille venit: nunc
ergo venite, occidamus eum (Ibid., 19).* Nonne hæc
verba dicebant, qui de parricidali sacrilegio cogita-
bant? Sicut de ipsis Salomon ait: *Tollamus justum,
quia inutilis est nobis (Sap. II, 12).*

12. Et addiderunt in Genesi: *Et videbimus quid
proderunt somnia illius (Gen. xxxvii, 20).* Hoc scrip-
tum est de Joseph, completum est de Christo, quando
Judæi in ejus passione dixerunt: *Si rex Israel est,
descendat nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in
Deum, liberet nunc eum, si vult (Matth. xxvii, 42).*
Numquid et ipsi fratres tam impii, ut fratrem occi-

derent? Et unde tantorum merita patriarcharum
ut Lex Tribus totius plebis eorum vocabulis desi-
gnaret? Quomodo conveniunt pietatis nomina, et sce-
leris insignia? Sic etiam isti typo populi, non animi
sui vitio laborabant, inde omnis invidia, inde parricidii
meditatio: invidia per figuram, pietas per af-
fectum.

13. Denique Ruben et Judas germanitatis pia jura
servantes, de manibus cæterorum eum liberare cu-
piebant, meritoque Judas paterna benedictione præ-
fertur, cum ei dicitur: *Adorabunt te filii patris tui.
Catulus Leonis Juda, et ipse erit expectatio gentium
(Gen. xlix, 8 et 9).* Quod utique soli convenit Chri-
sto, cui repositum fuit ut adoraretur a fratribus, et
expectaretur a gentibus, lavaret in vino stolam
suam proprii corporis passione, quia carnem suam
nulla peccati labe maculavit. Aser quoque non utique
sibi convenire credebatur. Aser pinguis panis ejus,
et ipse Aser cum principibus. Quid vero ipse Joseph,
cui dictum est: *Filius ampliandus meus Joseph, filius
ampliandus meus: zelatus filius meus, filius meus ado-
lescentior, ad me revertere (Ibid., 22)?* In quem con-
siliū conferentes maledicebant, in quo benedictio
prævaluit super benedictionibus montium manen-
tium, et desideriiis collium æternorum. Quem signi-
ficari in se intelligebant, nisi illum qui omnium me-
rita supereminens, supra omnium desideria sancto-
rum immensæ teneret apicem potestatis, quem voto
nullus æquaret? Compensatur ergo in patriarchis in-
vidia per gratiam, qui et excusantur a culpa, et
revelationis munere consecrantur. Non enim tam
culpabile est dixisse quæ plebis sunt, quam beatum
vidisse quæ Christi sunt. Subierunt personam pec-
catoris populi, ut acciperent gratiam Domini redem-
ptoris. Certe culpam abolevit gratia, gratiam culpa
non minuit.

14. Et ut cognoscamus omne hoc de populo et de
Domino Jesu mysterium esse: *Venite, inquit, ven-
damus Joseph Ismaelitis (Gen. xxxvii, 27).* Quid in-
terpretationis habet nomen Joseph, nisi quod divi-
nam gratiam **488** significet, et expressionem Dei
summi? Quis igitur venditur, nisi ille qui cum in
forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se
æqualem Deo: sed semet ipsum exinanivit, formam
servi accipiens (*Philip. II, 6 et 7*)? Neque enim nos
eum emissemus, nisi vendidissent eum. Quem sui
male vendiderunt, alieni pejus emerunt. Vendide-
runt negotiatoribus bonum odorem, emerunt a

^a Mss. aliquot et edit. Am. ac Gill., *Lex totius...*
Era. ac Rom., *Grex totius plebis eorum vocabulis de-
signaretur.* At mss. plures et potiores: *Lex Tribus
totius..... designaret.* Optime. Namque hic *Lex* su-
mitur pro libris Moysis, ubi duodecim Tribus Israel
patriarcharum nominibus passim exprimuntur.

^b Rom. edit. sola, et ipse dabit escam principibus.

^c Ambrosius sup. cap. 1, num. 4, asserit patriar-
chas vere in culpam incidisse: hic autem et num.
seq. eam minuere conatur, ob rationem mysterii:
quo etiam argumenti genere usus est cum de Abrahæ
cum Agar concubitu disputavit lib. 1 de Abrah. cap.
4. Sed non putamus ideo omnem culpæ rationem

sublatam Ambrosium voluisse, licet secus Augustino
visum fuerit.

^d Omnes edit. et cod. Vat., Full., Germ. et Theod.,
*Nisi vendidissent sui. Male vendiderunt, pejus eme-
runt.* Mss. Laud., Benig., Torn., Vale. et Colb.,
*Nisi vendidissent eum sui. Male vendiderunt, etc.,
Corb. autem: Nisi vendidissent eum. Cum sui ma-
le, etc.* Denique cod. Mich., Alb. ac Ebr., *Nisi ven-
didissent eum. Quem sui male vendiderunt, alieni pe-
jus emerunt.* Quæ lectio cæteris præstare nobis visa
est.

^e Omnes edit. ac. mss. duo, *negotiatoribus boni
odoris; reliqui, bonum odorem.*

proditoribus. Vendidit eum Judas, emerunt Ismaelitæ, qui significantur Latina interpretatione, odio habentes Deum suum. Ideo alibi viginti, alibi viginti et quinque aureis, alibi triginta invenimus emptum Joseph; quia non omnibus unius æstimatione pretii valet Christus. Aliis minus, aliis amplius. Fides ementis, incrementum est mercis: religiosiori pretiosior est Deus, peccatori pretiosior est redemptor. Pluris et illi valet qui plus habet gratiæ: sed etiam cui multa donata sunt, pluris valet; quia cui plus remissum est, plus diligit, sicut ipse Dominus in Evangelio pronuntiavit de illa muliere quæ super ejus pedes effudit unguentum, et lacrymis lavit, et capillis suis tersit, et osculis siccavit, de qua ait ad Simonem: *Propter quod dico tibi: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit* (Luc. vii, 47). Interdum diversitates pretii non solum quantitatis habent, ^a sed etiam numeri expressionem; sicut habes de unguento quod ad sepeliendum se Dominus fustum esse memoravit, sicut scriptum est dicente Juda: *Potuit hoc venundari denariis trecentis* (Marc. xiv, 5). Quo numero non quantitatis, sed significatio crucis videtur expressa. Ita hic quoque diversitas ^b vel viginti vel triginta aureorum vel argenteorum, habet vel geminatæ vel triplicatæ perfectionis indicium. Nam viginti quinque aurei, jubilæi qui est remissionis numerus, significant pretiosissimam portionem. Hic quoque, ut Dominicæ passionis figuram advertas, ait Judas patriarcha: *Tradamus Joseph Ismaelitis: at manus nostræ non sint injectæ super eum* (Gen. xxxvii, 27). Et bene ^c superius dixerat: *Manus autem nolite inferre illi* (Ibid., 22). Quod Judæi in Domini passione dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam* (Joan. xviii, 32); ut sermo Jesu impleretur, significans qua morte moriturus esset.

15. Jam tunc ergo crucis futuræ præfigurabatur insigne; simul et quod exutus est tunica (Gen. xxxvii, 25), id est, carne quam assumpsit exutus est, decora diversitate virtutum. Ergo tunica ejus, id est, caro, non divinitas cruentata est: et indumentum ei carnis, non immortalitatem vitæ auferre potuerunt. Hanc tunicam Judaicæ bestię cruentaverunt, illæ de quibus dicit: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (Luc. x, 3).

16. Quod autem lacus siccus erat (Gen. xxxvii, 24), quid mirum si Judæorum lacus aquam non habet, qui dereliquerunt **489** fontem aquæ vivæ, et fecerunt sibi lacus contritos? Et ut scias verum hoc esse mysterium, ipse de se Dominus ait: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, et in umbra mortis* (Psal. lxxxvii, 7).

17. Illi igitur emunt Christum qui bonos odores

^a Mss. Valc., *Sed etiam mysterii expressionem.*

^b LXX legunt χρυσῶν, aureis, sed castigantur ab Hieronymo. Porro quod addit Ambrosius, *alibi viginti quinque*, etc., de suæ ætatis codicibus loquitur. Siquidem vetustissimi nostri codices ac Bibl. constanter legunt *viginti argenteis*.

A deferunt, thymiama quo adolent altaria piæ mentis. Unde et David græcè hoc modo ait: *κατενθουθήτω ἡ προσευχή μου ὡς θυμίαμα ἐνώπιόν σου* (Ps. cxl, 2). Resinam quoque qua marmora contracta sociantur, est resina spiritalis quæ fracturas animæ tuæ solidet, et divulsa connectat, resoluta constringat. Hæc enim spiritalis resina corroborat, et quædam comminuta animæ membra componit, ut sine offensione socientur. Denique Jeremias hanc quærit resinam, ut Babyloniam curet sanare, si possit, dicens: *Accipite resinam corruptioni ejus, si quo modo sanabitur. Curavimus Babyloniam, et sanata non est* (Jer. li, 8 et 9). Non est sanata Synagoga, quia resina ista migravit ad Ecclesiam. Ideo ex Galaad veniebant negotiatores, hoc est, de possessione vel incolatu testimonii, merces suas ad Ecclesiam transferentes, ut gentium peccata resina ista curaret. De quibus dicitur: *Convalescite, manus demissæ, et genua dissoluta* (Esa. xxxv, 3). Fides sincera resina est. Hanc adhibebat Petrus, cum diceret claudo: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula* (Act. iii, 6); meritoque surrexit, et ambulavit. Hanc habebat cum diceret paralytico: *Ænea, sanet te Dominus Jesus Christus: surge et sterne tibi. Et surrexit, et stravit sibi* (Act. ix, 34). Hanc habebat, cum diceret mortuæ: *Surge in nomine Domini nostri Jesu Christi. Et defuncta surrexit* (Ibid., 4). Hujus resinæ temperamento lapides illi de quibus potens est Dominus resuscitare filios Abrahamæ, compaginantur. Hujus resinæ medicamento claudus erigitur, paralyticus reformatur, mortua resuscitatur.

18. Illud quoque quod hædi sanguine resperse-
runt tunicam ejus (Gen. xxxvii, 32), videtur significare quoniam falsis testimoniis appetentes, in invidiam deduxere peccati omnium peccata donantem. Nobis agnus est, illis hædus. Nobis agnus Dei occisus est, quibus abstulit peccatum mundi: illis hædus, quorum acervavit errores, delicta cumulavit. Ideoque ait: *Implete mensuram patrum vestrorum* (Matth. xxiii, 32). Meritoque Jacob posteritatis suæ deplorans dispendia, quasi pater filium flebat amissum, quasi propheta lugebat interitum Judæorum. Denique scidit etiam vestimenta sua: quod in passione Domini factum legimus (Matth. xxvi, 65) a principe sacerdotum, in quo esset non privata persona, sed publici munus officii. Et velum templi scissum est (Matth. xxvii, 51); ut profanata mysteria, nudatum populum salutaribus indumentis, divisum regnum talibus manifestaretur insignibus destruendum; quia omne regnum divisum facile destruetur. Et vere divisum, quando hoc quod erat Christi, coepit esse etiam diaboli. Neque enim poterant indivisi manere, qui a Patre Filium separabant.

^c Rom. edit., *superius Ruben dixerat*. Et re ipsa voces ibi relatæ in Scriptura soli Ruben attribuuntur. Verum aliarum edit. ac mss. omnium consensus facit, ut eas ab Ambrosio etiam Judæ attributas credamus: cum præsertim utrumque de liberando Joseph sollicitum fuisse supra narraverit.

490 CAPUT IV.

Joseph ducitur in Ægyptum, atque a præposito coquorum emitur, in quo Christi sua servitute nos liberantis figura est. In eodem ostenditur in ipsa captivitate libertatem posse retineri: nec non in libertate reperiri captivitatem. Denique omnibus in exemplum Joseph proponitur.

19. ^a Venditus est ergo Joseph, ductus in Ægyptum, emptus a præposito coquorum. Non otiosa persona quæ cruda ciborum coqueret, ut epularentur animi fidei suavitate. Nullus enim cibus scientia et doctrina dulcior. Erat ante in Ægypto cruda perfidia, quam nullus divinæ cognitionis ardor, et veræ scientiæ cupiditas nullæ molliverat, non eloquia Domini ignita decoxerant. Venditus est autem Joseph in Ægypto, quia Christus venturus erat ad eos quibus dictum est: *Peccatis vestris venditi estis* (Esai. L, 1). Et ideo suo sanguine redemit, quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione, non culpæ, ^b peccati pretio tenetur; quia peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostrum debitum, non sua æra contraxit, chirographum sustulit, feneratorum removit, exiit debitorem: ^c unus exsolvit quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire servitio. Suscepit hoc ille pro nobis, ut servitum mundi repelleret, libertatem paradisi restitueret, gratiam novam consortii sui honore donaret. Hoc de mysterio.

20. Cæterum quod ad moralem pertinet locum, quia omnes vult salvos fieri Dominus Deus noster, dedit per Joseph etiam iis qui sunt in servitute solatium: attribuit magisterium; ut discerent etiam in ultima conditione posse mores esse superiores, nec ullum statum immunem esse virtutis, si animus se uniuscujusque cognoscat; carnem servituti subditam esse, non mentem; multosque servulos esse dominis liberiores, si in servitute positi a servilibus putent operibus abstinendum. Servile est omne peccatum, libera est innocentia. Unde et Dominus ait: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Rom. vi, 16). Quomodo enim non servus omnis avarus, qui pro exiguo ^d pecuniæ lucello se ipsum auctionatur? Timet omnia, ne congesta amittat, qui non utenda congegit, majore periculo servaturus quo majora quæsit. Quomodo non mendicus, cui sunt parva quæ possidet? Nam etsi mihi dives ^D videatur, sibi eget: nec testimoniis sua vota solatur,

^a Edit. Rom. hunc versum præmittebat: *Joseph autem ductus est in Ægyptum, et emit eum, etc.*

^b Edit. Era., Gill. ac Rom., *peccatique pretio*; Am. et mss. omnes, *peccati pretio*. Rursus ubi edit. omnes ac mss. sex, *tenetur*; ibi totidem alii, *non tenetur*. Haud dubie ob verba sequentia, *quia peccatum, etc.* Verum ut Doctoris nostri mens capiatur, locus ita explicandus est, ac si legeretur isto ordine, *conditionis susceptione, non culpæ, quia peccatum ipse non fecit, peccati pretio non tenetur*. Nec post multa, vel. edit., *Pretio igitur nostro debitum, non sua æra contraxerunt*. Rom., *Pretio igitur nostro, non suo æra contraxit*. Mss. Theod. et Valc., *Pretio igitur nostrum debitum, non suo ære contraxit*. Denique alii omnes

A qui quod optat nescit credere. Quomodo autem non et ille servus, qui subditus est libidini? Primum suis ardet incendiis, ^e et pectoris sui facibus exurit. Quibus recte dicit propheta: *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam accendistis* (Esai. L, 11). Suscipit omnes metus, insidiatur somno singulorum: ut unius cupiditate petiatur, fit servus omnium. Servit igitur hanc miseram quidem servitum, qui ⁴⁹¹ ipse sibi dominos facit, ipse vult habere quos timeat. Nihil enim tam speciale servitutis est, quam semper timere. Ille vero in quavis conditione servitii semper liber, qui mundi amore non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur, qui securus spectat præsentia, quem futura non terrent. Nonne videtur tibi iste in servitute dominari: ille autem in libertate servire? Serviebat Joseph, regnabat Pharaon: beatior hujus servitus, quam regnum illius. Denique tota Ægyptus collapsa esset fame, nisi regnum suum consilio servuli subdidisset.

21. Habent igitur unde gloriantur originis servuli, servitum et Joseph. Habent unde se consolentur qui ex libertate in servitum aliqua necessitate venerunt. Habent quod imitentur, ut discant conditionem se mutare posse, non mores: esse et in vernaculis libertatem, et in servitute constantiam. Habent etiam domini quod per servulos bonos sperent. Abraham filio per vernaculum invenit uxorem. Benedixit Dominus domum Ægyptii propter Joseph, et facta est benedictio Domini in toto censu ejus, et in domo et in agris. *Et convertit, inquit, omnia quæcumque illi erant, in manus Joseph* (Gen. xxxix, 4). Advertimus quod ea quæ domini gubernare non poterant, servuli gubernarunt.

CAPUT V.

Josephi ob pulchritudinem, sed magis ob pudicitiam commendatio. Is nulla sua culpa adamatus a domina, ac de stupro compellatus, eam repellit, rejectisque vestibis ornatior fugit: illa vero dum eas retinet, atque insontem criminatur, ignominiam suam nudat. Tamen mittitur Joseph in carcerem: at ibi divino præsidio non destituitur.

22. Sed quid de privata domo dispositionis ejus servuli astruam, qui rexit imperium? Plus tamen est quod ipse ^f ante se rexit; et cum esset decorus aspectu, et speciosus facie valde, venustatem sui vultus ad alienam non derivavit injuriam, sed ad

ut in textu, ubi vox *pretio*, idem valet, ac per pretium, quod solvendum ipse suscepit.

^c Mss. nec pauci, nec inferioris notæ, *munus exsolvit*.

^d Sic edit. omnes, ac plerique mss. Attamen aliquot boni ævi legunt, *pecuniæ locello*. Non male.

^e Omnes edit., *et peccati sui facibus*. Omnes mss., *et pectoris, etc.*

^f Rom. edit. post voces *ante se rexit*, caput quartum clauderat, et quintum ordiebatur in hæc verba, *Et erat Joseph speciosus facie, et decorus aspectu valde. Cum esset Joseph speciosus facie, et decorus aspectu valde, etc.* Nos locum ad aliarum edit. et cunctorum mss. fidem emendavimus.

suam servavit gratiam : hoc se pulchriorem ratus, si non dispendio castitatis, sed cultu pudoris speciosior probaretur. Illum esse verum decorem, qui non alienos oculos caperet, nec fragiles mentes vulneraret, sed iudicia acquireret universorum, fraudi nullis futurus, laudi sibi. Jam si qua petulantibus aspexit oculis, illius crimen solius est quæ male vidit, non hujus qui male se nollet videri; nec in eo quod visus est, culpa est. Non erat in potestate servuli ut non videretur : maritus debuit ^a cavere oculos uxoris. Si ille nihil timebat de conjuge, arbitrabatur iste testimonium esse castimonie, ^b non remissionem incuriæ. Discant tamen viri cavere etiam oculos feminarum. Adamantur enim et qui nolunt amari. Denique adamatus est Joseph, qui amantem contemneret. Et bene excusavit eum Scriptura dicens : *Immisit oculos uxor domini ejus in Joseph (Gen. xxxix, 7)*, hoc est, non ipse **492** se ostentavit, nec cepit incautam : sed illa retia sua misit, et indagine sui capta est. Laqueos suos sparsit, et suis hæsit vinculis.

23. Dixit autem illi : *Dormi mecum (Ibid.)*. Prima adulteræ oculorum tela sunt, secunda verborum. Sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere. Suppetit defensio, ubi adhuc liber affectus est. Ideo scriptum est quia ille noluit (*Ibid.*, 8). Primum igitur congressione mentis superavit, tamquam scuto animi irruentem repellens : deinde sermonem tamquam hastam vibravit, ut se illa revocaret. *Et dixit uxori domini sui (Ibid.)*. Recte uxor domini, non ipsa domina dicitur quæ non potuit extorquere quod voluit imperare. Nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat effectum, quæ disciplinam dominæ non tenebat, quæ servulis libidinis incentiva præstabat? Ille dominus qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincla non sensit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori, quam potentiæ criminosa eligere consortium. Ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre. Denique non ut meliculosus excusat, nec tamquam periculi timidus cavet : sed tamquam beneficii herilis et innocentia suæ debitor fugit crimen ingrati, peccatique labem et culpæ contagium quasi justus horrescit. Tertium speculum adultera interpellandi assiduitate vibrabat : sed Joseph non audiebat eam. Habes post prima verba quid caveas. Non solum lubrica, sed etiam procax, importuna, petulans est libido, nec habet quod vereatur adultera. Quæ dispendia pudoris prima non doluit, insidiatur ut capiat.

24. Denique officii sui et commissi muneris ingressum gratia, remotis arbitris ac domesticis (*Ibid.*, 11), apprehendit eum dicens : *Dormi mecum*. Excusatur Joseph Scripturæ testimonio, quia commissum a Domino nequibat deserere obsequium. Non enim

^a *Cavere oculos uxoris*, pro cavere oculis uxoris, seu cavere ne quis ad uxorem accederet, cujus forma illius oculos pelliceret : locutio parum admodum usitata, sed hic communi mss. ac edit. suffragio asserita.

A satis est quod securus sui, domus interiora, quasi qui capi non posset, ingressus est : justus debuit providere ne furenti copiam daret, et ejus illa peccato periret : sed qui adversari sibi domini sui videbat uxorem, neglecti officii etiam a domino cavere debebat offensam : simul adhuc sermonis, non comprehensionis putabat audaciam.

25. Excusatur quod ingressus est : prædicatur quod ^c elapsus est, nec pluris fecit vestimenta corporis, quam animi castimoniam. Reliquit tamquam non sua, quæ adultera suis manibus detinebat : et aliena judicavit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi. Magnus tamen vir, qui venditus servile nescivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehensus aufugit. Qui cum ab uxore domini conveniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit : ac ne ipsa quidem verba diu passus, contagium judicavit si diutius moraretur; ne per manus adulteræ libidinis incentiva transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit, et relictis quibus tenebatur, exuviis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento **493** pudoris. Non est enim nudus, nisi quem culpa nudaverit. Denique in superioribus habemus quod Adam, posteaquam Dei mandata prævaricatione deseruit, et peccati gravis æra contraxit, nudus erat. Unde et ipse ait : *Vocem tuam audivi in Paradiso, et timui, quia nudus sum, et abscondi me (Gen. iii, 10)*. Intellexit enim se esse nudum, qui infulas divinæ protectionis amiserat. Et ideo latebat, quia vestem fidei non habebat, quam utique prævaricando deposuit. Magnam rem vides. Ille nudus erat qui tunicam non amisit : iste nudus non erat, qui vestimentis se exuit, quæ in manibus adulteræ dereliquit. Eadem Scriptura illum nudum asseruit, hunc abnuit. Et ideo iste exspoliavit se potius quam nudavit, qui incorrupta virtutum vestimenta servabat, exspolians se veterem hominem cum actibus ejus; ut indueret novum, qui secundum imaginem creatoris in agnitione renovatur. Ille autem nudus remansit, qui se iterum vestire non potuit, singulari spolio virtutis exutus. Unde pelliceam accepit tunicam; quia peccator habere non poterat spiritalem. Reliquit igitur vestimenta Joseph, et nudavit adulteræ inverecundiam, quæ postea latere non potuit.

D 26. Denique exivit foras, et ipsa adulterii sui tentamenta vulgavit, exaltans vocem suam; eo quod relictis vestibus, Hebræus aufugerat. Ipsa igitur quod celare debuerat, prodebat; ut composito crimine læderet innocentem. Justus autem accusare non novit; et ideo impune hoc impudica faciebat. Illam igitur vere exutam dixerim, etiam aliena vestimenta servantem, quæ omnia amiserat velamina castitatis : illum satis ornatum, satis defensum, cu-

^b Rom. edit., *non remissionem curæ*. Reliquæ cum mss. omnibus, *non remissionem incuriæ*, hoc est, non remissionem ab incuria profectam.

^c Post vocem, *elapsus est*, addit edit. Rom. *Et retinens vestimenta in manibus ejus fugit. Non pluris, etc*

jus vox non audiebatur, et innocentia loquebatur. A Sic Susanna postea dum tacet in judicio, melius locuta est oraculo; et ideo prophetæ meruit defensionem, quæ propriæ vocis non quæsivit auxilium. Illum ergo beatorem dixerim, cum in carcerem mitteretur; quia subibat pro castitate martyrium. Bonum enim munus pudicitia; sed minoris meriti cum periculum non habet: ubi vero etiam salutis periculo defenditur, ibi plenius ^a coronatur.

27. In audita causa, inexplorata fide veri, tamquam reus criminis in carcerem Joseph mittitur: sed eum Dominus nec in carcere deserebat. Non turbentur innocentes, cum falsis criminibus appetuntur; cum oppressa justitia trudentur in carcerem. Visitat Deus et in carcere suos; et ideo ibi est plus auxilii, ubi est plus periculi. Sed quid mirum si visitat Christus in carcere positos, qui se ipsum in suis in carcere inclusum esse memoravit, sicut habes scriptum: *In carcere eram, et non venistis ad me* (Matth. xxv, 45)? Quo non penetrat divina misericordia? Invenit Joseph hujusmodi gratiam, ut **494** qui fuerat clausus in carcere, ipse potius carceris claustra servaret, concederet munere clavicularius, inclusos omnes potestati ejus committeret. Itaque Joseph non solum carcerem non sentiebat, sed etiam alios quoque carceris levabat ærumna.

CAPUT VI.

Post brevem invectivam in mulierem, ad spadones hujus etiam auctores injuriæ transit; et demonstrato quam fragilis sit eorum status, alterius somnium ^C ejusque expositionem refert. Hinc sæculi potentiam somnii similem esse ostendit. Deinde mystice laudato Hebræo interprete, invehitur in eunuchum beneficii immemorem. Demum tacite Calligonum perstringens, pauca de regionum ministrorum statu ac fragilitate subjungit.

28. ^b Hujus igitur injuriæ auctor mulier et spadones sunt; sed mulier Ægyptiorum, quæ procaces cum viris solita miscere sermones, lacessere verecundos, refugientes insequi, pudentes perurgere, cum vitia sua non posset defendere, innoxios criminabatur, perfidiam admiscens perfidiæ, aliena te-

^a Rom. edit. voci coronatur subjungit, *Factum est D* *autem, ut audivit dominus ejus verba uxoris suæ.... Accipiens Joseph injecit eum in carcerem.*

^b Ita vet. edit. et cuncti mss., exceptis Theod. et Vale. ubi legitur, *Hujus igitur injuriæ auctor mulier spadonis fuit.* Apertus sensus; agitur enim de uxore Putipharis quem Pharaonis eunuchum vocat Scriptura. Edit. autem Rom. quæ caput quintum producit usque ad vocem recusavit, sic habet, *Hujus tamen injuriæ auctor mulier est, sed mulier, etc.* Rursus ibidem omnes edit., *Sed mulier Ægypt. quæ.... solita, etc.* Mss. prope ad unum, *Sed mulieres Ægypt. quæ.... solent, etc.* Hic autem solet quæri de Putiphare utrum is cum eunuchus et spado dicitur, significetur reipsa fuisse eviratus; an vero hoc dignitatis nomen fuerit? Utraque opinio fautores suos habet: quorum si placet rationes cognoscere, adi Augustinum, Quæst. in Gen., l. 1, quæst. 156; Hieronymum in Tradit.; Nobilii notas in hunc locum apud LXX; Corn. Jansenium in Gen.; Guil. Estium,

et alios ipsa condemnans, modum nullum ponens furori. Quæ enim causa crudelitatis, nisi quod cupiditatibus suis obsisti videbat, et desideria sua vetita assensione fraudari? En propter quod aperitur carcer, ut suscipiat innocentes: solvantur catenæ reis, ut imponantur fidelibus: dimittantur veritatis adulteri, ut includatur qui fidei adulterium recusavit.

29. ^c De istis vero spadonibus quid dicam? qui exemplo debent esse spadonibus cæteris, quod status eorum fragilis ac tenuis, et in voluntate regia spes omnis, quibus levis offensa summum periculum sit: secundæ autem res vile ministerium. Gloriabatur alter quod esset vini præpositus, alter quod esset pistorum. Uterque offendit, missique in carcerem, et commendati sancto Joseph ab ipso carceris claviculario, cum essent illic dies complures, viderunt somnium; et cum reviseret eos Joseph, tristes turbatosque animi offendit; quia turbabantur somnio, cujus interpretem non invenirent: *Nonne per Deum, inquit, interpretatio somnii est? Narrate ergo mihi. Et narravit præpositus vini somnium suum. Erat vitis in conspectu meo: in vite autem tres radices; et ipsa ^d flores ferens germinavit maturos botryones uvarum: et calix Pharaeo in manu mea. Et sumpsi eam, et expressi eam in calicem, et dedi calicem in manus Pharaeo. Et dixit illi Joseph: Hæc interpretatio ejus: Tres radices, tres dies sunt. Adhuc triduo, et in mentem habebit Pharaeo principatum tuum, et restituet te super officium tuum pristinum, et dabis calicem in manus Pharaeo.*

^C *Sed memor esto per te ipsum, cum tibi bene **495** erit, et facies in me misericordiam, et memor eris mei ad Pharaonem, et educes me de carcere isto; quia ^e furto involatus sum de terra Hebræorum, et hic nihil male feci, sed miserunt me in lacum carceris hujus.*

30. Alterius somnium non libet dicere. Meministis certe verborum meorum, quod etiam tunc refugerim ejus interpretationem in eo, cujus exitum refugio, mortem perhorresco. De isto prius dicamus, qui si beatus videbatur, cum esset vini præpositus; et hunc summum credebat apicem omnis potentiae, quod regi calicem dabat. Hæc gloria illius, hæc magnificentia

Annot. in diffie. Scripturæ loca; Hug. Grotium, et alios.

^e Caput sextum hic edit. Rom. auspicabatur illis verbis: *Iratus est Pharaeo super duobus spadonibus suis, super præposito pincernarum et super præposito pistorum, et posuit eos in custodiam in carcere. Quid de istis duobus spadonibus, etc.*

^d Edit. ant., *flores ferens, germina matura, et botryones uvarum.* Rom., *florens ferebat germina, maturos botryones uvarum.* Mss. ut in textu, nisi quod nonnulli melioris notæ habent, *maturi botryones: unus, et maturi, etc.*, optime, modo subintelligas erant.

^e Ita mss. plures ac potiores. Alii partim cum ant. edit., *furtive captus sum*; partim cum Rom., *furto surreptus sum, sive, sublatus sum.* Nullum in his quod ad sensum discrimen. *Involare* enim dicitur a vola manus qua fures ad aliena suffuranda atque occultanda uti solent. Rom. edit. nonnulla huic Scripturæ textui inseruit, quo magis cum LXX conveniret, sed hæc ad sensum parum faciunt.

in hoc sæculo : hac defraudatus dolebat ; huic redditus gratulabatur. Sed hoc somnium est, et omnis potentia sæculi somnium, non veritas est. Denique per somnium vidit reddi sibi principatum suum. Et Esaias dicit ita esse huiusmodi homines, qui in hoc sæculo delectantur secundis rebus, sicut qui in somnis manducat et bibit, videtur sibi cibo aut potu, dum dormit, repleti : sed cum evigilaverit, incipit esurire amplius ; et tunc intelligit quam inanis ille cibus et potus fuerit somniantis : sic qui dormit in hoc sæculo, nec oculos aperit ad mysteria divina, quamdiu somno gravatur corporis, putat alicujus momenti esse hanc sæcularem potentiam, quasi in somnis eam videt : ubi evigilaverit, deprehendit quam inanis huius sæculi voluptas sit (*Esai. xxix, 8*).

51. Considera nunc illum ^a verum Hebræum, illum non somnii, sed veritatis et præclaræ visionis interpretem, qui de divinitatis illa plenitudine, a libertate cœlestis gratiæ in hunc corporeum carcerem venerit, quem non potuit sæculi huius illecebra mutare, non ulla corruptela mundanæ voluptatis evertere, qui tentatus non decidit, appetitus non appetivit, postremo adulterina quadam Synagogæ manu veste corporis apprehensus, carnem exuit, liber mortis ascendit. Calumniata est meretrix, ubi eum tenere non potuit, quem carcer non terruit, non inferna tenuerunt : quin etiam quo veluti puniendus descenderat, inde alios liberavit : ubi ipsi stringebantur mortis vincula, ibi laxavit ipse vincula mortuorum.

52. Considera ergo istum Hebræum dicentem illi præposito spadonum, qui contraxerat offensam regiam, quem restituerat muneri suo : *Memor esto per te metipsum, cum tibi bene erit : et facies in me misericordiam, et memor eris mei*. Ideo secundo repetivit, quia sciebat non recordaturum quid evasisset injuriæ, cum potentiam recepisset. Ideo secundo admonuit, quia secundo liberavit ; ut si prioris beneficii eum memoria non teneret, vel posterioris subiret, non despiceret auctorem salutis suæ, non perfida prævaricatione violaret. Sed quod pejus est, cito beneficii irrepit **496** oblivio secundis rebus. ^b Redditus officio suo non est memor factus interpretis, sed oblitus est eum. Sed etsi ille obliviscebatur, Christus non obliviscebatur : sed loquebatur ei, et per servulum loquebatur dicens ad eum : *Memor esto per te metipsum*, hoc est, vel officii tui contemplatione quid audieris recordare. Sed etsi nunc oblitus es, memor eris mei ; ut evadas periculum,

^a Edit. omnes cum duobus mss., *verum Hebræum*. Mss. decem, *virum Hebræum*. Et paulo post ubi Rom. edit., *ac ubertate*, atque edit. veteres et duo mss. nobiscum, *a libertate*, decem alii habent, *ad libertatem*.

^b Addit Rom. edit., *Inquit enim : Et non recordatus est præpositus pincernarum Joseph, sed oblitus est ejus. Redditus, etc.*

^c Sic edit. Gill., Rom. et quinque mss. alii vero septem, *ubi vini ministerium? Et unde, etc.* At edit. Am. atque Era.... *ministerium inundet*.

^d Vet. edit. *Et factum est, inquit, post biennium*.

A qui oblitus es beneficium. Tamen elatus potentia non recordabatur. Et quanta hæc potentia, ^e ubi vini ministerium ! En unde omnis jactantia ; quia erat spadonum præpositus, qui vinum poculis regiis ministrabant.

53. ^d *Et factum est, inquit, post biennium* (*Gen. xli, 1*). Mentior de hoc nostri spadonis tempore, nisi et dies convenit ; quia post biennium recepit officium, nec recordatus est, sed admonitus. Cognovit enim quod etiam regnum ipsum in hoc sæculo esset somnium, qui suo somnio non credidit : didicit etiam regnum esse somnia, nec ipsorum potestates esse perpetuas. Sed cito hunc locum prætereat dolor, ne ipsa commemoratione crudescat : ne ipsius quidem sermonis mei meminisse delectat, quem tunc tem-

B poris vel effuderit dolor, vel extorserit Ecclesiæ contumelia.

54. Admonitus ergo sui per somnium regis ait : *Peccatum meum recordor* (*Ibid., 9*). Sera quidem ista est, sed utinam vera confessio ! Post peccatum fateris, quod ante peccatum cavere debueras. Quam cito oblitus fueras : *Memor esto mei*. Scis nempe tunc temporis hunc fuisse sermonem : sed obtusas aures habebas fastu potentiæ, et vini ebrius non audiebas verba sobrietatis. Vel nunc memento mei, qui peccatum sero fateris. Qui rogas servulum Christi, cur Dominum negas ? Incubriare jam non vino, sed Spiritu sancto. Recordare quid passus sit, cum quo dormisti somnum tuum, et somniasisti somnium. Et ipse præpositus erat, et præpositus epularum regis, quæ ad opus pistorium pertinebant. Sublimem se esse credebat, quia in potestate habebat panem regum : nesciebat multos anfractus esse huius potentiæ. Minabatur aliis, ipse mox supplicio dendus extremo ; nec audivit eum, qui licet servulus Domini, tamen loquebatur oraculum : quod ipsius jussu regis, de quo sibi plurimum blandiebatur, caput amissurus esset, esca avibus derelinquendus. Vel hoc te exemplum revocare debebat, ut perfidiæ non crederes.

55. Sunt et alia exempla de fastu et fragilitate ministrorum regaliū, quæ posterioris temporis historia habet. Et Doeck præpositus erat, et præpositus regis animalium ^e ad disciplinam mulorum, hoc est, spadonum animalium. Hic quoque sacerdotem Domini detulit, et fraude regem commovit in sacerdotis periculum, et hic **497** Syrus erat. Num mentior, quando et patria, et facta conveniunt ? Aman quoque cubiculo regis et ipse præpositus, dum

Mentio de hoc nostri spadone temporis non alia de causa, nisi quod et dies convenit. Rom., *Factum est autem post biennium, Pharao vidit somnium,.... Mentio de hoc nostri spadonis tempore, non alia* ; mss. vero ut in textu, nisi quod in duobus legitur.... *de hoc nostri spadone temporis, nisi et dies conveniat*. Hic porro Calligonum eunuchum a sancto Præsule designatum haud sine causa arbitramur : qua de re consulas licet nostram ad hunc tractatum Admonitionem.

^e Ita mss. septem melioris notæ. Duo cum edit. omnibus, *adde, si placet, mulorum*. Tres, *adjiciam mulorum*.

invadere ecclesias Domini improba temeritate contendit, populumque fidelem spoliare ac persequi, gravibus sacrilegia suppliciis expendit.

CAPUT VII.

Educto Joseph de carcere regis somnium proponitur, a quo et explicatur. Hoc Ambrosius tum rebus sui temporis, tum præsenti et futuro sæculo accommodat. Postea Josephi præmia, conjugium, liberos, frumenti distributionem mystice de Christo interpretatur; ac tandem nos ad emendum spiritalia alimenta hortatur.

36. Sed revertamur ad istum vini præpositum, qui quasi multo ebrius mero beneficii auctorem oblitus est diu: aliquando tamen, ut regi provideret interpretem, non quasi gratus, sed quasi callidus intimavit seriem rei gestæ. Quo cognito, rex quoque eum jussit accersiri, erutumque de carcere interrogavit, si posset interpretari sibi somnium. Cujus explanatione delectatus, removit injuriam, honorem detulit. Itaque videte si non præsenti et ista conveniunt. Injuria illata est prius quam cognosceretur a rege: gratia relata, ubi regi est cognitus. Ita rex vacat culpa; quia et id quod excepit vir sanctus injuriæ, alienum fuit: et id quod recepit gratiæ, regis est proprium.

37. ^a Somnium autem ejus, et interpretatio hujusmodi est: *Quæcumque, inquit, facit Deus, ostendit Pharaon. Septem vaccæ bonæ, septem anni sunt; et septem spicæ bonæ, septem anni sunt. Somnium Pharaon unum est. Et septem vaccæ macræ, quæ post illas ascendebant, septem anni sunt; et septem spicæ macræ, et a vento corruptæ, septem anni sunt. Erit septem annis fames. Verbum autem quod dixi: Quæcumque facit Deus, ostendit Pharaon. Ecce septem anni veniunt ubertatis magnæ in totam terram Ægypti. Veniet autem septem annis fames post hæc, et obliviscetur ubertatem in tota Ægypto: et consumet fames totam terram, et non agnoscetur ubertas terræ a fame quæ futura est post hæc. Valida enim nimium. Quod autem iteravit somnium Pharaon bis; quia verum erit verbum a Deo, et festinabit Deus facere illud. (Gen. xli, 25 et seq.)*

38. Velus somnium, res recentes. Posterioribus priora consumpta sunt: et ubi erat ante ubertatis copia, ibi rerum omnium facta est indigentia. Quod si quis hujusmodi regi consilium dedisset, ut aliquid de superiori ubertate posteriori principatus sui servaret ætati, reliquo quoque tempore larga donandi affluentia redundasset. Sed immodica ævi superioris effusio etiam posteriora destituit, et homines diripientes universa, aliquem Joseph adhibere volebant.

^a Rom. edit., *Et dixit Joseph Pharaoni: Somnium Pharaonis unum est, et interpretatio hujusmodi. Totum locum ex edit. vet. ac mss. repræsentamus.*

^b Mss. aliquot, et quædam edit. Paris., *Quis enim sum? Clamabant (aliqui, clamabat) tamen., etc.* Plures mss. ac vet. edit., *Quis enim istud, etc.* Subintellige, de se dicat, vel quid simile.

^c Vulgata edit., *Arastis impietatem; videtur autem*

A *Etsi non ego Joseph^b (quis enim istud) clamabam tamen vaccas illas pingues non solum lasciviam, sed etiam incuriam divinæ significare reverentiæ (de perfidis enim dictum est: Tauri pingues obsederunt me (Ps. xxi, 13): et de Judæorum populo scriptum est (Deut. xxxii, 15): Impinguatus, 498 et obesus factus, et dilatatus est, et dereliquit eum qui fecit eum), et ideo somnium illud redundantia secularis perpetuum esse non posse: fore tempus quo his fames dura succederet.*

39. Nec tamen hoc somnium uni aut duobus demonstratum arbitror, sed omnibus propositum; eo quod septem anni istius mundi pingues, et seculari ubertate opimi, absorbeantur ab illis sæculis quæ futura sunt, in quibus perpetua quies, et legis observantia spiritalis, quam Ephræm illa tribus patrum Deo fructuosa custodit. Bona vacca, non illa corporeo distenta ubere, sed abundans spiritalis lactis et gratiæ, super cujus decorem cervicis Deus sedere se dicit, ut scriptum est: *Ephræm vacca docta diligere victoriam. Ego autem transivi super decorem cervicis ejus (Ose. x, 11).* Non ergo impinguet caput nostrum oleum peccatoris, nec falsi fructus delectare nos debent, ne dicatur et de nobis: ^c *Seminastis impietatem, et iniquitates ejus vindemiastis. Manducasti fructum falsum, quia sperasti in curribus tuis (Ibid., 13).* Nec me movet quod habet spicas macras, et vento corruptas; quia et David tunc melior erat, quando sicut aranea tabescebat: et spiritus contribulatus sacrificium Dei est; et illi præstantiores evadunt, quos in hoc sæculo gravibus injuriis spiritus malignus exercuit.

C 40. Unde magis mystica meruisse præmia Joseph arbitror, quia de mysticis est ^d locutus. Quid enim sibi vult annulus digito ejus insertus, nisi ut intelligamus pontificatum ei fidei esse delatum, ut alios ipse signaret? Quid stola, quæ amictus est sapientiæ, nisi tributum ei ab illo rege cœlesti, prudentiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus quoque significat fastigium sublime meritorum. Quis autem est qui ex gentibus accepit uxorem, nisi qui Ecclesiam ex nationibus sibi congregavit, et suscepit ex ea filium Manassen, per quem oblitus est omnes dolores suos quos habuit de sacrilegiis Judæorum? Suscepit alium quoque filium Ephræm, per cujus profectum claruit quod suscepta in carne humilitas et divinitatem non humiliavit, et gloriam cumulavit.

41. Denique quicumque famem patiebantur, ad Joseph mittebantur. Qui sunt isti, nisi de quibus dictum est: *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes (Psal. lviii, 7)?* Erat autem fames

sanctus Vir secutus interpretationem Aquilæ, vel Symmachi. Nam LXX habent *ἵνα τι παρεσιωπήσατε ἀσέβειαν, ut quid reticistis impietatem, etc.* Hieronymus, *Quid reticetis impietates.* Illum de significatione verbi *reticere* adi Comment. in Osee cap. x.

^d Post vocem *locutus*, addit Rom. edit. *Et accipiens Pharaon annulum de sua, inseruit eum super manum Joseph, et induit eum stola byssina, etc.*

non unius loci, sed totius terræ; quia non erat qui faceret bonitatem. Ideo Dominus Jesus jejunia mundana miseratus aperuit horrea sua, et mysteriorum coelestium thesauros scientiæ sapientiæque patefecit absconditos; ut nulli alimenta deessent. Dixit enim Sapiëntia: *Venite, edite panes meos* (Prov. ix, 5). Et ideo ab illo solo dicitur: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit* (Psal. xxii, 1), qui saturatur a Christo. Aperuit ergo horrea sua Christus, et vendebat, non æra pecuniæ, sed fidei pretium, et devotionis stipendium quærens. Vendebat autem non paucis in Judæa: sed vendebat omnibus, ut ab universis nationibus crederetur.

499 42. *Et omnes regiones venerunt in Ægyptum ad Joseph emere* (Gen. xli, 5 et 7); obtinuerat enim famas. Omnes enim esuriunt, quos non paverit Christus. Emamus ergo alimenta, quibus famem possimus repellere. Nemo paupertatis suæ contemplatione revocetur, nemo vereatur qui argentum non habet. ^a Non quærit Christus argentum, sed fidem quæ argento pretiosior est. Denique emit eam Petrus, qui non habebat argentum. *Argentum, inquit, et aurum non habeo: sed quod habeo, do tibi. In nomine Jesu Christi surge, et ambula* (Act. iii, 6). Et propheta Esaias dicit: *Qui sititis, ite ad aquam; et quicumque non habetis argentum, ite, emite, et bibite, et manducate: emite sine argento et pretio vinum, et adipem* (Esai. lv, 1). Neque enim pretium quæsivit a nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium solvit; quia non auro et argento, sed pretioso nos redemit sanguine. Ergo id pretium debes quo emptus es; et si ille non semper ^c exigat, tu tamen debes. Eme igitur tibi Christum non eo quod pauci habent, sed eo quod omnes habent. Omnes habent per naturam, pauci offerunt per timorem. Suum est quod a te Christus reposcit. Ipse vitam omnibus dedit, ipse pro omnibus mortem suam obtulit. Solve pro auctore, quod soluturus es lege. Non mediocris iste contractus est. Non omnes eum ^b facile vident. Denique illæ virgines in Evangelio (Matth. xxv, 9 et seq.) quas veniens sponsus exclusit, ideo foris relictæ sunt, quia venale oleum non emerunt. Unde dicitur eis: *Ite potius ad vendentes, et emite vobis*. Et negotiator non immerito prædicatur, qui vendidit omnia sua, et emit margaritam (Matth. xiii, 46).

CAPUT VIII.

Exhortatio Jacob ad filios, ut in Ægyptum ad escas coemendas sese conferant, quid significet; quid item decem eorum, relicto domi Benjamin, profectio?

43. *Et Jacob dixit filiis suis: Quare pigri estis? Ecce audivi quia frumentum est in Ægypto: descendite illo, et emite nobis escas* (Gen. xlii, 1 et 2): Non semel hoc Jacob dixit, quotidie omnibus filiis suis

^a Ita mss. omnes, excepto Theod., qui cum edit. omnibus præfert, *Non quæritur Christus argento, sed fide*. Quod quidem verbis potius quam sensu diversum est.

^b Rom. edit. sola, *Non omnes eum facile emunt*.

^c Cum ibi doceat Ambr. Benjamin typum esse

A dicit, qui serius veniunt ad gratiam Christi: *Quare pigri estis? Ecce audivi quia frumentum est in Ægypto*. Ex hoc frumento granum est quod resurgit. Qui igitur famem sustinet, suæ seguitiæ debet ascribere. *Ecce audivi, inquit, quia frumentum est in Ægypto*. Citius utique juniores aliquid quam seniores consueverunt audire, dum foris positi multa circumeunt. Sed hanc negotiationem prius senex audit, sed ille senex in quo est fidei longæva canities. Prior senex intelligit, sed ille senex in quo est venerabilis senectus, et ætas senectutis vita immaculata.

44. Nec omnes hanc negotiationem suscipiunt, nisi filii Jacob, et ipsi prevectioris ætatis. Ideo decem pergunt, non pergit junior. Non misit eum pater: *Ne contingat, inquit, eum infirmitas* **500** (Ibid., 3 et 4). Adhuc obnoxius erat infirmitati Benjamin junior. Patriarcha quidem legitur Benjamin, sed ille ex tribu Benjamin Paulus præfigurabatur. Merito Jacob de ejus infirmitate dubitabat. Denique infirmatus est, ut sanaretur: cæcitatem passus est, sed hæc infirmitas ad salutem. Denique illa cæcitas lucem attulit.

45. Accepimus historiam, cognoscamus mysterium. Sine Benjamin patriarchæ primo perrexerunt: sine Paulo apostoli. Uterque non primus adventit, sed accersitus a primis uberiores mercedem priorum suo fecit adventu. *Est, inquit, frumentum in Ægypto*, hoc est, ubi major famas, ibi major ubertas est. Magnum frumentum in Ægypto. Denique et Deus Pater dicit: *Ex Ægypto vocavi Filium meum* (Ose., xi, 1). ^c Ex isto grano illa fecunditas. Neque enim messis esse potuisset, nisi Ægyptii granum ante sevisent. Est ergo frumentum quod nemo ante esse credebat. In hoc frumento negotiantur patriarchæ. Et illi quidem argentum detulerunt: sed bonus Joseph frumentum dedit, argentum reddidit. Non enim pecunia emitur Christus, sed gratia. Pretium tuum fides est. Hac emuntur divina mysteria. Portat autem frumentum hoc asinus ille ante immundus in lege; sed jam mundus in gratia.

CAPUT IX.

Invalescente fame filii Jacob redeunt in Ægyptum, ducto secum Benjamin ac muneribus delatis. Joseph comiter fratres alloquitur, qui ad convivium invitati, suspicantur sibi parari calumniam. Idem a Majore donus confirmantur. Quæ omnia de Pauli vocatione ac prædicatione, nec non Judæorum infidelitate exponuntur.

46. Tenebatur tamen Benjamin junior, et patrio adhuc adhærebat affectu. ^e Tenebant eum legis vincula, mos paternus. ^d Fames invalescebat, quia sero veniebat. Intercedunt pro eo duo, Ruben et Judas

Pauli, alludit ad locum Epist. ad Gal. i, 14, *Et proficiebam in judaismo. . . abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum*.

^d Rom. edit. ante vocem *Fames*, præmittit hunc Scripturæ versum, *At fames invaluit super terram, etc.* Et sic exorditur caput 9.

(Gen., XLIII, 1 et seq.), hoc est, humilitas atque confessio. His vadibus apud patrem uitur, his committitur, quorum unus primitivus, alius resuscitatus. ^a Lex primitivi, Evangelium resuscitati. His deducitur Benjamin junior, et bonis odoribus comitatus advenit portans secum resinam, qua lapides marmorum connectuntur; eo quod prædicatione propria tamquam spiritali resina vivos lapides etiam ipse connecteret: portans etiam mel, quo noxia vulneris interius exeduntur sine aliqua acerbitate sectionis. Talis enim Pauli prædicatio, ut putrem aboleret affectum, corruptumque evacuaret humorem disputationis suæ aculeo, urere magis ægræ mentis viscera cupiens, quam secare. Incensum orationis, et casiam, et guttam sepulturæ insignia esse David propheta nos docuit dicens: *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis* (Ps. XLIV, 9). Venit enim **501** Paulus crucem Domini prædicare, illicem semper virentem, et nuces quarunt testa durior, fructus tenerior: meritoque virga sacerdotalis Aaron nucina, et Hieremiæ baculus hujusmodi. Argentum quoque duplex, non otiosa munera esse quis dubitet; cum et Patriarchæ vita, et Apostoli sermo semper virescat in pectoribus singulorum; et eloquium sanctorum, sicut argentum igne examinatum, præcepti salubris fulgore resplendet? Nec immerito duplex argentum referunt in quibus Pauli præfigurabatur adventus, qui laborantes presbyteros in verbo atque doctrina duplici honore donabat.

47. Vidit autem illos Joseph, et Benjamin fratrem suum ex eadem matre (Genes. XLIII, 29). Jam videntur Hebræi, et videntur a Christo qui verus Joseph est, quando cum Pauli veniunt typo: et loquitur illis mitia atque mansueta, ut pariter cibum sumant. Supra autem quia sine Benjamin venerunt, agnoscebat quidem eos: sed ab his se avertibat, ut scriptum est: *Et loquebatur his dura* (Gen. XLII, 7), quia ipsi non agnoscebant eum, a quo agnoscebantur. Pauli igitur merito profecerunt, quem Dominus Jesus tamquam juniorem fratrem ex eadem matre generatum amplius cæteris fratribus diligebat. Advertant Judæi quem Dominum negaverunt, qui etiam crucifixus, ex synagoga tamen eorum tamquam ^b ex eadem ortus parente plus eos diligit, si vel sero cognoscant suæ salutis auctorem. Sed priorum conscii delictorum, non credunt tantam Christi esse misericordiam, ut donet peccatum, remittat injuriam. Ideoque præfigurabantur in patriarchis quales essent futuri. Invitabantur ad gratiam,

^a Mss. aliquot cum edit. omnibus, *Lex primitiva, Evangelium resuscitatum*. Benig., Fulg., Germ. et Colb., *Lex primitiva, Evangelium resuscitat*. Corb. ac Torn., . . . *resuscitati*. His accedunt Ebrulph., Mich. et Albin. nisi quod habent, *Lex primitivi*, quam lectionem germanam esse existimamus. Vult enim vir sanctus in Ruben figuram exstitisse legis ac Judæorum; in Juda Evangelii et Christianorum. Consule expositionem benedictionum utriusque lib. de Bened. Patriarcharum, et hoc apertius explicatum reperies. Quod vero paulo superius Ruben dicitur *humilitas*, non ista interpretatio nominis est, sed allusio ad lo-

A ad salutaris mensæ vocabantur convivium; et calumniam sibi parari, insidias fieri suspicabantur.

48. Et cœperunt ad hominem, qui erat supra domum in janua domus causam suam agere velle (Gen. XLIII, 19). Adhuc dubitant introire, et ex operibus suis malunt justificari, qui causam suam volunt astruere, quam gratiam accipere, et ideo in portis redarguuntur. Qui autem fructum uteri virginalis expectat, et hæreditatem Domini, filii mercem negotiatur, non erubescet in porta: sed in exitu vitæ hujus repellit inimicum; ne ad altiora properanti conscius culpæ gravioris obsistat.

49. Unde mystice illis respondit major domus. Et is qui sit intellige, cum legeris Moysen fidelem in tota domo ejus. Majores enim domus, Moyses, Petrus et Paulus, et cæteri sancti sunt; Christus autem solus est dominus. Scriptum est: quia Moyses fidelis in tota domo ejus tamquam famulus in testimonium eorum quæ dicta essent (Hebr. III, 5): Christus autem tamquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, si libertatem et gloriam spei tenuerimus (Ibid., 6).

50. Hic ergo major domus respondit illis: *Propitius sit vobis Deus, nolite timere; Deus enim vester, et Deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in sacculis vestris: at argentum vestrum probum, acceptum habeo* (Gen. XLIII, 25). Illi enim dixerant: *Argentum uniuscujusque in sacculis nostris invenimus; ad pondus argentum nostrum retulimus* (Ibid., 24). O magna mysteria, et evidenter expressa! Hoc est dicere: Cur inflamini? Cur argentum vos habere vestrum in sacculis sæpius usurpatis? Quid enim habetis quod non accepistis? Si autem accepistis, quid gloriamini, quasi non acceperitis? Jam saturati estis, divites facti estis, quia argentum habere vos creditis: sed argentum vobis Deus patrum vestrorum dedit. Ille Deus vester, ille patrum vestrorum Deus est, quem negastis. Sed ignoscit, sed indulget, sed recipit si revertamini. Ipse est qui vestrum non quærit argentum, suum donat. Ipse vobis dedit argentum in sacculis vestris. Jam sacculi vestri argentum habent, qui lutum habebant; et ideo vester est qui dicit: *Conscidisti saccum meum, et induisti me lætitia* (Ps. XXIX, 12). Lætitia munus est Christus, ipse est argentum vestrum, ipse pretium vestrum. Non exigit a vobis Dominus Jesus frumenti sui pretium, non quærit vestri pondus argenti. Argentum vestrum reprobum est, ^c argentum sacculi non est bonum.

51. *Argentum vestrum probum, acceptum habeo*

cum Gen., XXIX, 52, ubi de Lia dicitur: *vocavitque nomen ejus Ruben dicens: Vidit Dominus humilitatem meam*, etc.

^b Omnes edit., *ex eadem ortos parente plus diligit*. Mss. autem Corb., Benig., Theod. et Valc., *ex eadem ortus parente plus eos diligit*. Et hi quidem videntur eo præferendi, quod in aliis quatuor legitur, *mortuus parente*, ubi haud dubie legendum, *ortus parente*: alii tamen duo præferunt, *mortuos parentes*, quod editis etiam favel. Sed minus bene hæc lectio sibi constaret ob vocem, *eorum*, quæ fere in mss. omnibus invenitur.

^c Ita mss. plures ac potiores. Edit. vero cum aliis

Gen. XLIII, 23); hoc est, non est illud materiale argentum vestrum; sed spiritale argentum vestrum, hoc est probum, quod fida devotione quasi Jacob filii detulistis, quod sine damno datur, et sine ullo dispendio annumeratur: quandoquidem tali pretio detrimentum mortis excluditur, lucrum vitæ acquiritur.

CAPUT X.

Paucis de meridie præmissis, paratorum munerum illatio, convivii instauratio et humanissimus Josephi cum fratribus congressus referuntur. Hic fratrem Benjamin videns, deque eo sciscitatus, illi benedixit, atque ad occultandas lacrymas cum recessisset, mox lota facie revertitur. Quibus adjungitur moralis et mystica interpretatio.

52. *Paraverunt autem munera, donec introiret Joseph meridie (Ibid., 25).* Acceleravit meridie fides Pauli. Ante cæcus erat, postea cœpit videre lumen justitiæ; quoniam qui revelat ad Dominum viam suam, et sperat in eum, Dominus quoque educet tamquam lumen justitiæ ejus, et iudicium ejus sicut meridiem. Et Abrahæ quando Deus apparuit ad ilicem Mambre, meridies erat, cui de præsentia Domini lux æterna fulgebat. Meridies est quando Joseph verus in domum suam intrat, ut prandeat. Tunc enim plus dies lucet, quando sacramenta celebramus.

53. *Et intulerunt ei, inquit, munera (Ibid., 26 et seq.).* Nos munera inferimus, ille instaurat convivium. Ille dicit: *Apponite panes, quos soli Hebræi sumunt, Ægyptii manducare non possunt.* Sed ante convivium quanta dignatio! ^a Quam usus istius et sedulitatis et gratiæ morale magisterium! Adhuc **503** de calumnia quam sibi a Joseph fieri putabant, fratres suspecti erant: ille invitabat ad prandium, horum nutabat affectus: illius perseverat gratia: primus appellat, primus interrogat: *Quomodo habetis?*

54. *Et iterum ait: Recte est pater vester senior?* Superioris est inferiorem ad colloquium provocare, dare sermonis fiduciam, quærere non solum de ipsis, sed etiam de parentibus.

55. Respondent illi: *Recte est puer tuus, pater noster.* Ille seniore dicit, ut honoraret: illi puerum nominaverunt, ut deferrent humilitatis obsequium; quod senectus honoratæ sit dignitatis, pueritia autem subjecta videatur, et propior verecundiæ, quam superbiæ.

aliquot, *argentum sæculi.* Non tam scite. Agitur enim de argento quod in sacculis retulerant Hebræi. Rursus eodem loco Am., Era. et Gill. cum paucis mss., *Argentum vestrum habeo, hoc est probum quod fida, etc.* Rom. edit., . . . *habeo probatum, hoc est, quod fida.* Mss. vero magno numero ut in textu, nisi quod pro, *fida,* legunt quidam, *fidei,* quidam, *fide.*

^a Sic omnes mss. At omnes edit., *qui usus istius et sedulitatis, et gratiæ? Morale mysterium.*

^b *Morale.* Hic non idem significat ac supra, id videlicet quod ad institutionem morum conducit. Sed perinde est ac si dicas: mores hominum ita se habent; vel simplicius: hoc in more positum est. Unde paulo post eodem sensu: *consuetudo, inquit, et gratia charitatis est, ut dilectos, etc.*

56. *Respiciens autem oculis vidit Benjamin fratrem suum ex eadem matre (Ibid., 29).* ^b Morale est, ut quos diligimus, eos videamus præ cæteris; et quos animi intentio tenet priores, eos obtutus offendat oculorum. Siquidem plerumque circa alia mentis occupatione districti, quos habemus ante oculos, non videmus: ita duce animo dirigitur noster aspectus. Vidit igitur Benjamin fratrem suum sanctus Joseph, quem tenebat animo, quem oculis requirebat: quo absente, fratres pene non viderat, ^c quia videre nihil proderat: nec solum vidisse contentus, quasi nesciret interrogavit: *Hic frater vester est adolescentior?* Consuetudo et gratia charitatis est, ut dilectos nobis non solum oculis, sed etiam sermone teneamus. Agnoverat Joseph dilectum suum: sed **B** ideo interrogabat, ut quem tenebat animus, vox sonaret.

57. Denique non exspectavit ut responderetur: sed continuo benedixit eum, et turbatus est desiderii sui fructu. *Torquebantur autem viscera ejus (Ibid., 50);* quia complectendi ejus quem desideraverat, libertas differebatur. Denique, *Ingressus in promptuarium ploravit, et lavit faciem suam, ^d et continuit se (Ibid., 50).* Grandis amoris aculei cito corda compungunt, nisi desiderii frena laxentur. Vincebatur affectu Joseph, differebatur consilio: ratio cum amore certabat. Flevit, ut amoris pii æstus lacrymis temperaret. Hæc moraliter.

58. Mystice autem. Vidit Dominus Jesus Paulum, oculi enim Domini super justos, et dixit: *Hic frater vester est adolescentior (Ibid., 29)?* Adhuc adolescentior dicitur, qui nondum maturam canæ fidei gerebat ætatem, nondum in virum perfectum excreverat, *in illam,* sicut ipse ait, *mensuram ætatis plenitudinis Christi (Ephes. iv, 13).* Denique adolescens legitur tantum ibi (*Act. vii, 57*), ubi lapidantium Stephanum vestimenta servabat. Et ideo Philemonem non adolescentiæ suæ, sed senectutis similem esse cupiebat, ut scripsit: *Magis obsecro, cum sis talis ut Paulus senex (Philem. 9).* Ideo adolescentiores viduas prædicat declinandas (*I Tim. v, 11*), non propter ætatem, sed propter quamdam pubescentium delictorum lasciviam, **504** immaturitatemque virtutis. Cæterum major in juvene, quam in sene laus castitatis est. Puto autem quod a vero non sit alienum illud, si intelligamus quia ^e cum hoc Paulus haberet, et horreret cor-

^c *Quia videre nihil proderat,* desiderabatur in omnibus edit., quod nobis mss. undecim restituere.

^d Sic ant. edit. et mss. quinque: a quibus non abit Rom. edit., nisi quod sola habet, *Et egressus continuit.* Mss. vero alii septem, *Et continuerunt se grandis amoris aculei;* e quibus Valc., Germ., Ful. et Corb. habent, *cito corda compunguntur.*

^e Edit. omnes et mss. Vat. et Theod., *Cum hic Paulus haberet, et horrore correptus quod, etc.* At nobiscum faciunt mss. octo: quos aliis anteponendos minime negabis, si consideres hæc verba, *Cum hoc Paulus haberet,* optime referri ad vitia adolescentiæ, lasciviam delictorum; atque immaturitatem virtutis.

reptus, quod cæcitas accidisset ei, inciperet tamen appropinquare dicendo: *Domine, quid me vis facere* (Act. ix, 6); ideo adolescentior dicebatur a Christo, ut qui vocabatur a gratia, excusaretur a culpa, quod ea lubricæ fuisset ætatis. Denique vidit eum Christus, ubi lux circumfulsit eum. Et quia adolescentes magis metu, quam ratione revocantur a vitio, adhibuit stimulum, et miseratus admonuit, ne adversus stimulum calcitraret.

59. Turbatus est autem, sicut habes in Evangelio (Joan. xi, 35), quia turbavit se spiritu, cum Lazarum resuscitaret; et ibi flevit, ut prius lacrymis suis mortui delicta lavaret. Sed intra se flevit, et lavit faciem suam. Cæcitas Pauli, fletus est Christi: lavat faciem suam, ubi lumen ei reparatur amissum. Lavat faciem suam Christus, ubi baptizatus est Paulus, per quem Dominus Jesus a pluribus videretur. Et ideo in convivio pars ejus quintupliciter major effecta est, quod haberet superioribus anteferri, non solum mentis prudentia, sed etiam militia corporis, et gratia castitatis.

CAPUT XI.

Inebriantur omnes fratres cum sancto Joseph; at solius Benjamin sacco inseritur scyphus. Inspiciuntur ordine omnium sacci, et tandem vas illud invenitur, atque istorum mysteria eruuntur; ubi præcipue de donis divinis, ac de Pauli vocatione disputatur.

60. Biberunt autem, et inebriati sunt pariter cum eo (Gen., XLIII, 34). A principio fidei major Paulo prærogativa defertur, de quo dictum est ad Ananiam: *Vade quoniam vas electionis est mihi, ad sufferendum nomen meum coram gentibus* (Act., ix, 15). A principio inebriatur ebrietate, sed sobria; ut et ipse cum sanctis diceret: *Et poculum tuum inebrians, quam præclarum est* (Psal. xxii, 5)!

61. ^a Et scyphus argenteus soli ejus sacco inseritur (Gen. XLIV, 2). Nesciebat hoc Benjamin: fallebatur Paulus, sed vocabatur. Mittitur post eum mane. Nox enim præcesserat cæcitatis, dies fidei appropinquabat.

62. Per ordinem singulorum prius inspiciuntur sacculi (Ibid. 12 et seq.). Docet te moralitatem Scriptura divina. Per ordinem ante discubuerunt^b in convivio contra eum, primitivus secundum ætatem (Gen. XLIII, 33). Vides quod seniori locus ille sit deferendus. Per ordinem iterum requiruntur sacculi singulorum, ut scias electum Paulum cœlesti esse judicio. Discussit cæteros, hunc prætulit. In nullo alterius **505** sacco scyphus argenteus inventus est, nisi istius. Quid sibi vult quod insertus est sacculo? Joseph quidem inebriavit ut falleret: scyphum misit ut fratrem quem diligebat, pia fraude revocaret: sed refulgent mysteria divina.

^a Rom. edit. sola, *Implete saccis hominum escas, quæcumque potuerint tollere, et injicite uniuscujusque argentum in ore sacci: et scyphum meum argenteum injicite in saccum junioris.* Quibus verbis caput auspiciabatur. Iterum eadem cum Gill., *Non fallebatur*

63. Hoc invenit in nobis Christus argentum, quod ipse donaverit. Habemus naturæ argentum, habemus et gratiæ. Natura opus est creatoris: gratia munus est redemptoris. Et si non possumus videre dona Christi; ille tamen donat, et operatur occulte, et donat omnibus: sed servare paucorum est, et non amittere. Non omnibus tamen donat omnia. Triticum multis datur, scyphus uni, qui prophetico et sacerdotali donatur munere. Non enim omnes, sed Propheta dicit: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (Ps. cxv, 13).

64. In corpore igitur Pauli jam doctrinæ cœlestis alloquium refulgebat, cum esset eruditus in lege. Sed quia adhuc justitiæ Dei subjectus non erat, intra saccum erat scyphus, doctrina intra legem, lucerna intra medium. Missus tamen est Ananias, qui benedictionem daret, manum imponeret, saccum solveret: sacco soluto, reluxit argentum, et decidentibus squammis velut quibusdam sacci vinculis, statim vidit (Act. ix, 17). Vinculum ejus perfidia erat: absolutio ejus fides facta est. Et ideo tamquam solutus sacco, hoc est, deposito legis velamine quod positum est supra cor Judæorum, conversus ad Dominum, liber a nexu, adeptus gratiam libertatis ait: *Nos itaque revelata facie gloriam Dei speculantes, ad eandem imaginem reformamur* (II Cor. iii, 18). Solutio enim calceamento legis, nudo vestigio liberi sermonis Evangelium prædicabat. Tenebant eum Judæi, et impedire cupiebant: sed ubi in ejus sacco argentum resplenduit, sciderunt vestimenta sua, et reversi sunt retro. Libera enim pro Christo Pauli prædicatio nudavit populum Judæorum, et omnem eorum rescidit gratiam.

65. Ideoque retro regressi sunt, qui ante se videre non poterant (Gen. XLIV, 13). Retro redeunt, qui Christum amittunt. Denique et in Evangelio (Joan. xviii, 6) cum corripere ad mortem Dominum Jesum, redeuntes retro ceciderunt in terram. Merito retro revertebantur, qui in terrenam labem ab illa cœlesti gratia recidebant. Nolebant igitur moraliter redire sine fratre, mystice sine Paulo reverti: quo amisso, asserebant in mœrorem deducendam parentis populi senectutem.

66. Et ideo Judas apud Joseph remanere cupiebat (Gen. XLIV, 18 et seq.), ne videret mala quæ invenerent patrem suum, hoc est, jam prævidebat, et cavere cupiebat mala quæ ventura erant populo Judæorum. Sed cum adhuc hæc ipsa non esset in typo illo principum populi Judæorum libera prædicatio, flevit Joseph, hoc est, in illo ploravit Jesus.

506 CAPUT XII.

Joseph fratribus se ipse manifestans, ac eos ad accedendum invitans, atque etiam excusans, quem adver-

Paulus. Am. et Era. cum plerisque mss., *Fallebatur Paulus.* Sed mss. sex bonæ notæ, *Infallebatur*, quod verbum et si minus usitatum, significatione tamen a suo simplici non discrepat.

^b Rom. edit., *in convivio coram eo.*

sus Judæos adhibiturus erat Christus agendi modum exprimit. Ibi elegantissima verborum utriusque instituitur comparatio; et post illam Benjamin complexus a Joseph de Paulo obiter explicatur.

67. ^a Et jussit omnes recedere, ut cognosceretur a fratribus. Non venerat enim, sicut ipse ait, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. *Et emittens vocem cum fletu, ego sum, inquit, Joseph; adhuc pater meus vivit (Gen. XLV, 2 et 3) ?* Hoc est, expandit manus suas ad populum non credentem et contradicentem: non legatum neque nuntium quærens, sed ipse Dominus salvum facere volens populum suum: *Ipse qui loquebar, ecce adsum, inquit (Esai. LII, 6).* Et: *Palam factus non quærentibus me, appareo iis qui me non interrogabant (Esai. LXV, 1).* Quid igitur aliud tunc clamavit, nisi: *Ego sum. Jesus (Joan. XVIII, 5);* cum principibus Judæorum interrogantibus: *Tu es filius Dei?* responderet: *Vos dicitis quia ego sum; cum Pilato diceret: Tu dicis quia rex sum; ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati (Ibid., 57);* cum principi sacerdotum dicenti: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei;* referret: *Tu dixisti. Amen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli (Matth. XXVI, 63 et 64).* Hoc est ergo quod ait: *Ego sum Joseph, ego sum divinæ potentiæ. Adhuc pater meus vivit?* Hoc est, ego patrem non nego, ego fratres agnosco, si aut vos fratrem, aut pater filium recognoscat. Adhuc ergo populus meus vivit, de cujus populi familia fratrem mihi elegi?

68. *Accedite ad me (Gen. XLV, 4);* quia ego ad vos appropinquavi, et eo usque appropinquavi, ut per carnis susceptionem facerem me vestræ consortem naturæ. Nolite vel participem fugere vestræ societatis, si non agnoscitis auctorem salutis.

69. *Et accesserunt, inquit, ad illum, et dixit: Ego sum Joseph frater vester, quem vos tradidistis in Ægyptum. Nunc ergo nolite mæsti esse, neque vobis durum videatur, quoniam huc me vendidistis. Ad vitam enim vestram misit me Deus ante vos (Ibid., 4 et 5).* Quam fraterna pietas, quam dulcis germanitas! ut etiam parricidale excusaret admissum, dicens divinæ illud providentiæ fuisse, non impietatis humanæ: quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed a Domino missus sit ad vitam. Quid aliud ^D habet illa Domini nostri Jesu Christi, qui fratres omnes pietate superavit, in cruce positi intercessio pro plebe dicentis: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt (Luc. XXIII, 34) ?* Quid aliud illa appellatio sanctitatis in medio discipulorum dicentis: *Pax vobis: ego sum, nolite timere (Luc. XXIV, 36) ?* Et cum conturbati et conterriti existimarent se spiritum videre, iterum dixit ad illos: *Quid turbati estis, et quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte, ecce manus meas, et pedes meos, quia ego sum ipse. Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet,*

^a Sic omnes mss. atque edit. excepta Rom., quæ hunc Scripturæ textum præmittit: *Et non potuit Jo-*

^A *sicut me videtis habere (Ibid., 38 et 39).* Hæc ergo jam **507** tunc futura posterioribus temporibus mysteria revelata sunt.

70. Denique hæc ipsis exprimuntur sermonibus; ut ipsum esse intelligamus, et qui ante in Joseph, et postea in suo locutus est corpore; quandoquidem nec verba mutavit. Ait enim tunc: *Nolite mæsti esse.* Et infra: *Ascendite ad patrem meum, et dicite illi: Hæc dicit filius tuus Joseph: Fecit me Deus dominum totius terræ Ægypti.* Et in Evangelio ait: *Nolite timere. Ite, nuntiâte fratribus meis ut eant in Galilæam, et ibi me videbunt (Matth. XXVIII, 10).* Et infra ait: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (Ibid., 18),* hoc est dicere: divinæ hoc fuit dispositionis ut acciperem potestatem, non acerbitatis humanæ. Non objicit scelus, qui enumerat præmium.

71. Quod autem habetur in Genesi: *Ad vitam enim vestram misit me Deus ante vos,* reddit in Evangelio dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Ibid., 19).* Hæc enim est merces et vita sanctorum, quod etiam alios redemerunt.

72. Illud quoque advertite, non otiose scriptum in Genesi: *Et eris prope me, tu et filii tui, et filii filiorum tuorum (Gen. XLV, 10).* Hoc est enim quod dixit in Evangelio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (Matth. XXVIII, 20).*

73. Quam evidens quoque illud mysterium, quod veluti completo omni mandato, fratrem suum Benjamin complectitur Joseph, et cecidit super collum ^C ejus (Gen. XLV, 14), sicut etiam completo Evangelio Christus Paulum amplectitur quibusdam misericordie suæ brachiis (Act. IX, 4 et seq.); ut interna opinione curvatum, velut a collo in cœlum erigat. Unde et ille erectus a Christo ait: *Nostra autem conversatio in cœlis est (Philip. III, 20).*

CAPUT XIII.

Inventos a Joseph fratres gaudet Pharaô, cujus erga eosdem humanitas explicatur. Quid munera, quæ Joseph fratribus et præcipue Benjamin confert, atque ad patrem destinat, significant? Quid etiam quod illos discedentes ad pacem exhortatur? Quæ reditus ipsorum in terram Chanaam, et patris ubi audivit filium vivere, admiratio consequitur.

74. Et gavisus est Pharaô, quod Joseph agnovisset fratres suos (Gen. XLV, 16 et seq.). Unde et vulgata est vox in domo Pharaô. Et hortatus est sanctum Joseph, ut fratres suos invitet, ut veniant cum patre: et mandat impleri eorum sarcinas tritico, et vehicula dari. Unde hæc humanitas barbaro, nisi illud ostenderetur magnum mysterium, quod jam non invidet Ecclesia, cum redimuntur Judæi, et populus Christianus hac adjunctione lætatur, et quibus potest subsidiis juvat, et mittit evangelizantes regnum Dei, *seph tolerare omnes astantes ei, sed dixit: Emitte omnes a me. Jussit Joseph omnes, etc.*

quo maturius evocentur? Quibus datur binæ stolæ (Gen., XLV, 22).

75. ^a Et allegat Paulum, cum ejus dicta depro-
mit, cui trecenti aurei, et quinque stolæ (Ibid., 25)
diversi coloris conferuntur a Christo. Trecentos au-
reos habet, qui crucem prædicat Christi. Ideoque **508**
ait : *Neque enim judicavi me scire aliquid inter vos,*
nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (I Cor. II, 2).
Et bene aureos accipit, quia non in suasoriis humanæ
sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus prædica-
bat. Quinque autem stolas accipit, vel sapientiæ mul-
tiplices disciplinas, vel quod nullis sensuum corpora-
lium captus illecebris, ubi aliis periculum, illic te-
neret victoriam; qui omnes voluptates carnis singu-
lari continentia et virtute superaret, cujus ingenium
studiumque nulla corporis hebetaret infirmitas, qui **B**
cum esset in corpore, corpus se habere nesciret. De-
nique raptus in paradysum, sive in corpore, sive
extra corpus nesciens, audivit verba ineffabilia,
quæ loqui homini non liceret : qui postremo nihil
terrenum oleret in terris, sicut ipse docet dicens :
Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi
fiunt (II Cor. II, 15).

76. Præcellit igitur Paulus, et ejus exuberat por-
tio : sed tamen habent et alii prædicatores gratiam
suam. Binas stolas accipiunt. Quas illas? Utique de
quibus dubitare non debes, quia legisti de Sapientia
dictum : *Binas vestes fecit viro suo* (Prov. XXXI, 22).
^b Una est mysticæ, moralis altera. Sed non omnes
apostoli, non omnes prophetæ, non omnes pastores,
non omnes virtutes, non omnes habent gratiam cura-
tionum, non omnes linguis loquuntur. Ubi diversa
merita, præmia diversa.

77. Et præmittuntur patri munera (Gen. XLV, 25).
Filius honorat patrem. Christus populum suum invi-
tat promissis, invitat muneribus. Portant hæc mune-
ra asini illi inutiles, et laboriosi ante, nunc utiles :
portant in typo Christi munera, portaturi in Evan-
gelio munerum largitorem.

78. *Dimisit autem fratres suos, et abierunt. Et dixit*
illis Joseph : Nolite irasci in via (Ib., 24). Quam bene
docet ab iracundia præcavendum, quod ea possit
etiam amantes sui separare germanos : et maxime in
via fugiendam esse discordiam, ubi ipse viandi co-
mitatus debet inviolabilis gratiæ habere consortium.
Quid autem aliud ait Dominus noster Jesus ex hoc **D**
corpore recessurus, cum discipulos dimitteret suos,
nisi ne irascerentur in via, dicens : *Pacem relinquo*
vobis, pacem meam do vobis (Joan. XIV, 27)? Ubi enim
pax est, iracundia locum non habet, ^c ablegatur dis-
cordia, fugatur dissensio. Hoc est ergo quod ait : *Pa-*
cem meam do vobis ; id est, *Nolite irasci in via*. Et vide
ne in hac via dicat, hoc est, in hoc cursu totius vitæ

^a Omnes edit. ac mss. aliquot, *Et alligat Paulum*.
Alii non pauci, nec postremæ notæ, *Et allegat Pau-*
lum. Hos autem ideo duximus aliis anteponeudos,
quod Benjamin, qui Pauli figura erat, non memoratur
post hanc agnitionem mutuam alligatus; et Paulus
ipse *cum ejus dicta depromuntur*, minus recte dicere-
tur *alligari*, quam *allegari*, hoc est, legatus mitti.

indignationem cavendam, quod ira sæpe (II, *quæst.*
3, *Ira sæpe*) etiam innocentes in crimen adducat :
quia dum justo amplius irascimur, et volumus alie-
num coercere peccatum, graviora peccata committi-
mus. Ideo Apostolus : *Non vos ipsos, inquit, vindi-*
cantes, charissimi : sed date locum iræ (Rom. XII, 19),
hoc est, declinemus eam, ne nos illa corripiat. Unde
Dominus Jesus dimittens ad evangelizandum discipu-
los, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia,
sine pera, sine virga, id est, ut et incentiva litis, et
instrumenta eriperet ultionis.

79. *Et ascenderunt, inquit, de Ægypto, et venerunt*
509 *in terram Chanaam ad Jacob patrem suum; et*
nuntiaverunt illi dicentes : Quia Joseph filius tuus vivit
et ipse est princeps totius terræ Ægypti (Gen. XLV, 25).
Quæ est terra Chanaam? Quæ nutabat. Quid igitur
tam evidens, quam apostolorum tempora designari?
Qui ingressi Judæorum synagogas nutantes, Domini
Jesu potentiam prædicabant, sicut habemus in Acti-
bus apostolorum, dicente Petro : *Hunc ergo Jesum*
resuscitavit Deus, cujus nos testes sumus. Dextera igi-
tur Dei exaltatus, repromissione Spiritus sancti accepta
a Patre, effudit hoc donum quod vos videtis (Act. .,
32 et 33). Advertimus certe quomodo et vivere eum,
et terræ totius principem dicat, qui aperiens horrea
sua, spiritalis gratiæ donet omnibus ubertatem. Hæc
dicebant apostoli (Act. v, 18), sed Judæi non crede-
bant : sed injiciebant manus in eos, sed trudebant in
custodiam prædicatores salutis.

80. Unde et de Jacob scriptum est : *Expavit mente*
C (Gen. XLV, 26); non enim credebat eis. Expavit
affectu plebis incredulæ, sed posteaquam Christi
gesta cognovit, tantis beneficiis et operibus delinitus
resumpsit spiritum dicens : *Magnum mihi est, si adhuc*
filius meus Joseph vivit : ibo, et videbo illum prius
quam moriar (Ibid., 28). Primum et maximum fidei
fundamentum, in resurrectionem Christi credere.
Quicumque enim crediderit resuscitatum, festinus
requirit, devotus accedit, et intima Deum mente ve-
neratur. Credit enim quod ipse non moriatur, si
credat in resurrectionis auctorem.

CAPUT XIV.

Israel elevans se venit ad puteum juramenti, ubi et
sacrificat. Hunc Deus promissis consolatur, eique
spondet fore ut ejus oculi manu Josephi claudantur.
Ingrediuntur in Ægyptum septuaginta quinque ani-
mæ, ac demum filios ad se convocat Israel : et horum
omnium quæ mysteria?

81. *Et elevans se Israel, venit ad puteum juramenti,*
immolavitque hostiam Deo patris sui Isaac (Gen.
XLVI, 1). Merito elevatur qui festinat ad Christum.
Fides præcedit devotionem. Prius se elevavit, postea

^b Per mysticam et moralem stolam intellige my-
sticam et moralem Scripturarum interpretationem.

^c Mss. majori numero et auctoritate, *alligatur dis-*
cordia. Theod., *miseriordia*. Benig., *concordia*. Quod
ultimum nequaquam displicet. Alii tamen aliquot, et
edit. omnes, *ablegatur discordia*. Et hoc magis con-
gruit cum sequentibus.

immolavit. Ille enim bene immolat, qui cognitionem divinitatis investigaverit.

82. Dixit autem Deus ad Israel in visu nocte dicens: *Jacob, Jacob. Qui dixit: Quid est? Et Dominus ait: Ego sum Deus patrum tuorum, noli timere, descende in Ægyptum; in gentem enim magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum in Ægyptum, et ego deducam te in perpetuum (Gen., XLVI, 2 et seq.).* Quemadmodum quæ ipsi legunt, non intelligunt; et Moysen quem laudant, abnegant, cum ejus scriptis credere nolunt. Quid evidentius quam quod hoc loco invitatur, ut ad sanctam Ecclesiam Dei transeant, et qui ante intra Judææ terminos coarctabantur **510** angustos, ad populum Dei migrent, qui ex toto orbe, ex omnibus nationibus et populis congregatus in magnam factus est gentem? Denique in omnem terram exivit sonus eorum. Vocatur ergo a filiis suis Jacob, id est, a Petro, Paulo, Johanne, populus Judæorum invitatur ad gratiam.

85. Ipse quoque Deus noster proprio eum hortatur oraculo, spondet ei profectum fidei muneris sui fructum dicens ei: *Joseph mittet manum super oculos tuos (Gen. XLVI, 4).* Non utique sanctus Patriarcha sollicitus erat a quo ei oculi clauderentur; licet etiam intellectu simplici moralis exprimatur affectus. Nam si eos quos diligimus, cupimus frequenter amplecti, quanto magis recessuri ex hoc corpore, ipso charorum pignorum tactu delectamur extremo, et hoc mulcemur viatico? Tamen mystice licet nobis intelligere quod postea cogniturus Deum sit populus Judæorum. Hoc est enim mysterium, quod verus Joseph immittet manus super oculos ejus; ut qui non videbat ante, jam videat. Veni ad Evangelium

(Joan. ix, 6); lege quemadmodum cæcus ille sanatus sit, cui Jesus manum imposuit, et ejus abstulit cæcitate. Non enim moriturus Christus manum imponit, sed victuris: aut si moriturus, recte; quia prius morimur, ut reviviscamus. Non enim possumus Deo vivere, nisi peccato ante moriamur.

84. Descendunt igitur in Ægyptum septuaginta quinque animæ, sicut scriptum est, et hoc mysticæ numero remissionis; quia post tantam duritiam, post tanta peccata haberentur indigni, nisi donaretur his remissio peccatorum. Occurrit illi Judas, hoc est, confessio erroris. Hunc sui venturus Judæorum populus prænuntium mittit. Ideo et Joseph verus, id est, arbiter et interpret divinitatis occurrit; quia præcedit jam confessio, quos antea perfidia possidebat. Interpret enim divinitatis est Christus; quia Deum nemo vidit umquam; nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Hic senilis jam ætatis, et fessum suscipiet ultimis temporibus populum Judæorum, non secundum illius merita, sed secundum electionem gratiæ: et imponet manus super oculos ejus, ut cæcitatem auferat. Cujus ideo distulit sanitatem, ut postremus crederet, qui ante non putavit esse credendum, et prærogativam superioris electionis amitteret. Unde et Apostolus ait: *Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. xi, 25).*

85. Gesta igitur patriarcharum, futurorum mysteria sunt. Denique ipse Jacob sic ait ad filios suos: *Congregamini, ut annuntiem vobis quæ occursura sunt vobis in novissimis diebus. Congregamini, et audite Israel patrem vestrum (Gen. XLIX, 1 et 2).*

IN LIBRUM DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM ADMONITIO.

Ambrosium in superioribus libris jam observavimus aliquid inseruisse de Benedictionibus Patriarcharum, hoc est, de benedictionibus illis quibus Jacob in extremis positus, filiis suis qui μετὰ ἀντρονομίαν, Patriarchæ dicuntur, omnia fausta comprecatus est. Verum has ille obiter tantum attigerat, uberiolemque earum interpretationem alium in locum, ubi dedita opera de illis disputaret, rejecerat. Id exsequitur in hac sua scriptione sanctus Doctor.

Itaque primum utilitate paternæ benedictionis breviter exposita, docet (Cap. 1) Josephum prophanter liberos suos Manassen atque Ephræm ad Jacob, ut ejus benedictione donarentur, secum adduxisse: avum autem adoptatis illis locum inter proprios filios attribuisse. Dehinc Scripturæ secutus ordinem quas Jacob filiis suis impertivit benedictiones enucleat (Cap. 2 et seq.). Rimatur in iis omnibus mysticum sensum, easque non tam benedictiones esse asserit (Cap. 2, num. 7 et alibi), quam prophetias: immo prophetias esse, at variis benedictionum gratiis cumulatas. Quamobrem quid sit ipsarum singulis adumbratum, aperit, exempli causa benedictione Manassis atque Ephræm Judæos et Christianos (Cap. 1), benedictione Dan Antichristum (Cap. 7), benedictione Benjamin sanctum Paulum (Cap. 12): Christum vero earundem plerisque designari, maxime Judæ ac Josephi benedictionibus (Cap. 4 et 11), quas ea de causa fusius atque accuratius quam alias edisserit.

Porro ut majorem iis quas proponit, expositionibus vim auctoritatemque conciliet, verba quæ Moyses jam jam e vivis abiturus Tribubus ex eorundem Patriarcharum semine oriundis bene precatus est (Deut. xxxiii, 6 et seq.), in medium profert. Addendum tamen est sanctum Præsulem non ubique memoratis usum esse testimoniis; cum tres e Mosaicis benedictionibus prætermiserit. Illud autem in hac opella singulare, ac parum usitatum Ambrosio, quod is illic interpretationes mysticas evolvisse contentus, numquam ferme nisi semel aliquid morum institutioni accommodatum inseruit (Cap. 7, num. 33).

Hoc in tractatu sanctus Doctor alia e suis operibus nonnulla citat, atque imprimis commentarium suum (Cap. 4, num. 21) in Lucam; quod quidem cum anno circiter 386, ut fert verisimilior opinio, scriptum fuerit, hinc consequitur non nisi post eundem annum commentatiunculam de Benedictionibus Patriarcharum editam fuisse. At vero si statuendum hac de re ex maxima illa et evidentissima connexionione, qua cum libris superioribus cohæret, dicendum erit ipsam his non esse multo posteriorem, nec proinde in aliud tempus quam in annum circiter 387 rejiciendam. Et sane Ambrosius in libro suo de Joseph patriarcha non videtur benedictionem ejus aliam ob causam, nisi quod suam ei peculiarem disputationem in proximum tempus destinabat, omissam voluisse; cum alioquin ejusdem interpretatio benedictionis præcipuo argumenti sui capiti, quo videlicet in Josepho expressam Christi Domini imaginem demonstrare cogitabat, apprime conveniret.

Cæterum summam hanc eorundem tractatum affinitatem adeo confirmant aliquot veterum codicum inscriptiones, ut ex utroque unicum opus constituere videantur. Etenim manuscriptus Benignianus, sive sancti Benigni Divionensis, in fronte libri de Joseph patriarcha hunc titulum exhibet: Incipit ejusdem (Ambrosii nimirum) liber primus de Joseph; in calce autem: Explicit liber primus de Joseph; et consequenter sine alia inscriptione subjungit librum de Patriarchis. Manuscriptus Uticensis, sive sancti Ebrulphi, in initio atque in fine libri de Joseph eadem ferme verba quæ Benignianus, præ se fert: sed illud habet expressius quod eum tractatum de quo agitur, ita inscribit: Incipit secundus de Joseph et fratribus ejus, et de benedictionibus eorum. Denique in quibusdam codicibus eidem libro de Benedictionibus præmittitur hæc inscriptio: Incipit liber secundus de Patriarchis; ista vero clausula subjicitur: Explicit liber secundus de Patriarchis. Jonas quoque episcopus Aurelianensium ipsius meminit sub titulo de Joseph; siquidem ubi prima ejusdem verba allegat, ita loquitur (Lib. II de Instit. laic., cap. 15): Ambrosius in libro cujus titulus est de Joseph. Postremo nulli dubitamus quin hic liber ultimus eorum septem habendus sit, quos in id argumentum ab Ambrosio scriptos memorat Cassiodorus: Item, inquit ille (Lib. de Instit. divin. litt., cap. 1), sanctus Ambrosius de Patriarchis septem libros edidit. Hos dubio procul a libris de Abraham ad hunc ipsum inclusive, ut vocant, enumerat.

Cum autem omnes illi tractatus e sermonibus constant, quos a sancto Præsule circiter annum 387, sub exitum Quadragesimæ haberi cæptos, ac post festa paschalis continuatos fuisse ostendimus, relinquatur ut hunc quoque per idem quidem tempus, sed ante mensem augustum sub quem Maximus tyrannus in Italiam irrupit, pronuntiatum colligamus.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM

LIBER UNUS^a.

513 CAPUT PRIMUM.

Ut liberi ad honorem deferendum parentibus impellentur, magnam vim horum benedictioni Deum indidisse. Paternam benedictionem accipere Josephum festinasse, atque etiam filios patri obtulisse benedicendos. Et quæ his mysteria contineantur.

1. ^b Primum omnium quantam discimus parentibus referre reverentiam, cum legimus (Gen. IX, 25 et seq.) quoniam qui benedicebatur a patre, benedictus erat, et qui maledicebatur, maledictus erat! Ideo hanc parentibus gratiam donavit Deus, ut filiorum pietas provocetur. Prærogativa igitur parentum disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, ut benedicat te. Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et si pauper est pater, et non habet divitiarum copias quas relinquat filiis; habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, qua

^a Scriptus circ. an. 387.

^b Ita mss. ac vet. edit. omnes. Rom. autem, Pri-

A sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multo plus est beatum quam divitem fieri.

2. Festinabat Joseph sumere benedictionem (Gen. XLVIII, 1 et seq.). Denique et filios suos obtulit Manassen et Ephræm, quos benedixit Jacob; ut quia duodecim habebat filios, et tertiusdecimus erat futurus apostolus Paulus, quasi posterior electus, tertia decima Tribus de Manasse et Ephræm nepotibus sanctificaretur in utrumque divisa, quo Paulus non extra paternarum numerum Tribuum inveniretur, qui veteris Testamenti et novi egregius prædicator, paternæ benedictionis hæreditatem sibi quoque facile profecisse comprobaret.

3. Quamquam præclara hæc in hoc sint mysteria **514** (*Ibid.*, 13 et seq.), quod sumens Joseph filios suos quos suscepit in Ægypto, Ephræm ad dexteram suam, ad sinistram autem Israel patris sui: Manassen autem ad sinistram suam, ut ad dexteram esset *num omnium discimus quantam parentibus reverentiam deferre debeamus, etc.*

Israel, applicuit eos ante patrem suum. Extendens autem Israel manum dexteram, imposuit super caput Ephræm qui erat junior et stabat ad sinistram avi: et sinistram suam posuit supra Manassen qui erat ad dexteram, et ita immutatis manibus, benedixit eos. In quo et Joseph naturæ ordinem servavit, ut seniori filio plus deferret, sicut Isaac quoque in Esau priorem filium benedictionem deferre cupiebat: sed minorem filium in typo junioris populi credidit præferendum, sicut erat ipse a matre prælatus.

4. Denique Manasses ex oblivione (*Gen. xli, 51*), Latina interpretatione, signatur; eo quod populus Judæorum oblitus est Deum suum qui fecit eum. Et quicumque ex ea plebe crediderit, tamquam ex oblivione revocatur. Ephræm autem fecunditatem fidei, interpretatione nominis pollicetur, qui auxit patrem, sicut ait ipse Joseph dicens: *Quia auxit me Deus in terra humilitatis meæ (Ibid., 52)*. Quod proprium est populi junioris, qui corpus est Christi, augens patrem, et Deum proprium non relinquens.

5. Denique spiritualiter de populis hoc esse mysterium senior declaravit. Nam cum filius putaret eum errasse vitio hebetioris aspectus, convertere voluit manus ejus dicens: *Non sic pater, hic enim primitivus est, impone dexteram tuam super caput ejus. Et noluit, sed dixit: Scio, fili, scio. Et hic erit in populum, et hic exaltabitur: sed frater ejus junior major illo erit, et semen ejus erit multitudo gentium (Gen. xlviii, 18 et 19)*. Denique præferendum Ephræm seniori germano, etiam benedictionis serie prophetavit dicens: *In vobis benedicetur Israel, dicentibus: 515 Faciat vobis Deus sicut Ephræm et Manassen (Ibid., 20)*. Et ideo cum essent nepotes, in locum filiorum sunt adoptati, ut non essent avitæ benedictionis expertes.

CAPUT II.

De benedictione Ruben primogeniti, quæ non tam benedictio, quam prophetia est: de Judæorum errore circa ipsam; deque mysteriis per eandem significatis.

6. Hæc ^a benedictione celebrata, vocavit etiam filios suos (*Gen. xlix, 1*). Et qui ante juniorem seniori prætulera, cœpit a primo; ut in illo mysterii præferret gratiam, in hoc ordinem servaret ætatis; simul qui ante in duobus benedixerat universos cum omni posteritate et progenie futurorum, ne aut superflua videretur plebis iterata benedictio, aut prior æstimaretur infirma. Meritoque repetitam magis annuntiationem eorum quæ posterioribus essent ventura temporibus, quam benedictionem conferre se dicit.

7. Denique sic cœpit: *Ruben primitivus meus, tu virtus mea, et initium filiorum meorum, durus portari, durus et temerarius, affecisti me contumelia, sicut aqua*

^a Caput hoc in edit. Rom. ita incipit: *Vocavit autem Jacob filios suos, et ait: Congregamini, ut annuntiem vobis quæ occurrentia sunt vobis in novissimis*

non efferveas. Ascendisti enim in cubile patris tui, tunc polluisti thorum quando ascendisti (Ibid., 3 et seq.). Nonne redargui magis, quam benedici videtur? Et ideo prophetia magis, quam benedictio est. Prophetia enim annuntiatio futurorum est, benedictio autem sanctificationis et gratiarum votiva collatio.

8. Et Judæi putant quia propterea hæc senex ad Ruben filium dicat, quia cum Bala concubina patris concubuit, et thorum patrum polluit. Sed facile refelluntur; hoc enim erat ante gestum: Jacob autem quæ ventura essent in novissimis diebus, non ea quæ gesta erant, spondet se esse dicturum. Ergo Patriarchæ sibi congruit et constat sententia, qui videns, persequentibus Judæis, futuram Domini passionem, execratur immanem primogenitæ plebis audaciam, quæ incredula, nec Dei legi subdita, et jugum Christi dura nesciens portare cervice, auctorem vitæ non solum scelere necis, sed etiam sacrilegæ insultationis affecit injuria.

9. *Non efferveas, inquit, sicut aqua; ne in majorem prorumpat amentiam, et fervor furoris atque insanix non sinat resipiscere peccatores: sed agant pœnitentiam delictorum; quoniam durus ascendit populus cubile patris, et thorum polluit sanctum, hoc est, carnem Domini Jesu creatoris nostri patibulo affigens crucis, in qua velut in quodam cubili et patrio thoro sancti ejus salutari refectione requiescant. Quis igitur abnuat de populo dictum, cum populo hæc universa convenient? Ipse enim dictus est primogenitus Israel, ipse duræ esse cervicis. De ipso dixit Moyses: Vos autem populus dura cervice estis (Exod. xxxiii, 3, et alibi)*. Et re vera quis tam durus et temerarius et contumeliosus, quam populus Judæorum, qui Dominum Jesum, per quem viderant mortuos suscitatos, cæcos illuminatos, flagellis verberaverunt, clavis confixerunt, 516 cum divina ejus opera negare non possent? Quod scribis et pontificibus auctoribus, et principe sacerdotum Caipha pariter sæviante, commissum Evangelii series declaravit. Et ideo sanctus Propheta refugit tanti sceleris principatum, ne per successionem generis auderent tantum Patriarchæ sibi arrogare consortium.

CAPUT III.

Prædicuntur quæ filiis Simeon et Levi, quorum nominibus Tribus designantur, erant eventura; nec non opinio Judæorum circa mysticam istius benedictionis interpretationem consultatur.

10. Contestatur justus, et abdicat posteritatem quæ patrum non servaret affectum; et quia prævidi flagitium, perhorrescit consilii contagium: *In consilium, inquit, eorum non veniat anima mea, et in congregationem illorum non contendat viscera mea quoniam in ira sua occiderunt hominem, et in cupiditate sua subnervaverunt taurum (Gen. xlix, 6)*. Quod diebus. *Duorum nepotum benedictione celebrata, vocavit Jacob etiam, etc.*

t, de filiis quidem dicit Simeon et Levi; sed A
um nomine Tribus signat, quæ appellatione simili
abantur. Quam interpretationem pulcherrimam
yvant Judæi; ut arbitrentur quia propterea arguat
os Jacob, quia propter stuprum sororis Sichimitas
duo præ cæteris fratribus ultum ire cupientes,
ulaverunt cum ipsis inire velle se gratiam, et
o oportere circumcidi eos suaserunt; ut religione
cordi pax inter eos, et recipiendæ affinitatis so-
tas firmaretur: sed circumcisos adorsi recentibus
me vulneribus, et invalidis viribus quas dolor
verat, fractos a die superveniente tertio necave-
nt. Ideo et forſasse isti duo ultores præ cæteris,
a scribarum et sacerdotum auctores sunt. Nulli
m magis quam sapientes et sacerdotes debent
timoniam vindicare.

11. Sed in hoc quoque errant Judæi. Isti enim
sas doloris sui præstiterant patri, asserentes se in
licet ætate juvenili vindices læsæ fuisse pietatis,
violatæ castitatis ultores. Quod utique sanctus
ndemnare non poterat, quia non passi sunt inul-
n sororem suam loco esse meretricis, quæ et vir-
tutem amiserat, et vindictæ solatium non habe-
t; maxime cum ipse sic factum probaverit, ut
Sichimam b possideret, et in morte donaret eam
o suo dilectissimo Joseph, dicens ad eum: *Do tibi
Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos, quam
cepi de manibus Amorrhæorum in machæra mea et
tu (Gen. XLVIII, 22).* Quod factum negari non po-
t. Interpretari tamen possumus per Sichimam
meros significari, per humeros opera. Hæredem C
go bonorum operum sanctum Joseph præ cæteris
git, cujus opera fratres æquare non poterant.
is enim facta Christi potuit adæquare?

12. Tum præterea immaculatus et castus de hoc
reno diversorio, et impuritatis auctoribus manu-
s reportavit, locum stupris et flagitiis vacantem ad-
colatum sanctorum verbis cœlestibus, et gladio ca-
nis spiritali; ut ubi 517 inhabitatores ante lasciv-
e et principes luxuriæ versabantur, ubi fuerant in-
tiva libidinis, et fomenta nequitæ, ibi nunc sancti
erdotes magisteria doceant castitatis; et plurima
ginalis integritatis exempla quodam supernæ lucis
gore resplendeant.

13. Tribus igitur sunt quæ designantur nominibus
riarcharum, quia de Tribu Symeon scribæ sunt, D
Tribu Levi principes sacerdotum, qui perfecerunt
quitiam suam in Domini passione, mensuram om-
n paternæ impietatis implentes. Ipsi consilium
itaverunt adversus Dominum Jesum, ut occide-
t eum, sicut Esaias dicit: *Væ animæ ipsorum;
a cogitaverunt consilium malum adversum se dicen-
: Alligemus justum, quia inutilis est nobis (Esai. III,
10).* Ipsi occiderunt prophetas, et apostolos an-

Edit. omnes, die supervenientes tertio necaverunt.
n mala lectio; cui tamen mss. Gall. omnes refrac-
ntur.

Ita mss. plures, potioresque. At edit. omnes, et

nuntiantes Domini Salvatoris adventum, passionis
ejus et resurrectionis gloriam prædicantes. Ipsi post-
ea in sua cupiditate, qua terrena flagitia desidera-
bant, divina consortia refugientes, corporis castimo-
niam, sobrietatem mentis, contemptum pecuniæ,
lucrum gratiæ, subnervaverunt taurum, illum videli-
cet cornua producentem et ungulas, quem vident
pauperes et lætantur; quoniam verbo Dei exaltavit
cornu populi sui, quo et inimicos repulit, et præ-
mium coronæ cœlestis emeruit. Hic est taurus quo
Ecclesia figuratur in luna, tunc plenior cum velut
cornibus nixa taurinis, spatium totius orbis in-
cludit.

14. Tamen prophetiæ huic videtur etiam gratiam
benedictionis adjungere. Nam ad primogenitum Ru-
ben dicendo: *Non effervescaſ ut aqua,* c peccatum
statuit; quia aqua mundare magis delicta, mentesque
nostras ab omni solet vitiorum fervore revocare. Et
iterum dicendo ad Simeon et Levi: *Dividam vos in
Jacob, et dispergam in Israel,* ostendit d gentium
congregatione redimendos. Percusso enim pastore,
grex ille dispersus est, qui fuerat ante collectus; ut
qui non erat, introiret, et sic omnis Israel salvus fie-
ret. Et maxime propter Tribum Levi debemus hoc
credere; quia ex ea Tribu Dominus Jesus videtur
secundum corporis susceptionem genus ducere. Ex
qua tribu sunt sacerdotes Levi et Nathan, quos san-
ctus Lucas in Evangelii libro quem ipse scripsit, inter
majores Domini computavit (*Luc. III, 29 et 31*). Sa-
cerdos enim Patris et princeps omnium sacerdotum,
sicut scriptum est: *Tu es sacerdos in æternum (Ps.
cix, 4),* sacerdotalis originis successionem debuit vin-
dicare.

15. Unde et Moyses benedixit hanc Tribum dicens:
*Date Levi sortem suffragii sui, et veritatem ejus sancto
(Deut. xxxiii, 8).* Benedixit etiam Moyses Tribum
Ruben, sicut habes scriptum: *Vivat Ruben, et non
moriatur, et sit multus in numero (Ibid., 6).* Neque
enim benedixisset, si secundum Patriarchæ senten-
tiam benedictione scivisset indignos. Certe quod
strictim ille præteriit, iste complevit.

518 CAPUT IV.

*De benedictione Judæ, quæ Christo, ejusque incarna-
tioni, passioni, resurrectioni, atque aliis mysteriis ac-
commodatur.*

16. Et quia per admixtionem generis Juda et Levi
Tribus junctæ sunt, ideo Matthæus ex Tribu Juda
describit ejus familiam (*Matth. I, 5*). Et Apostolus
ait: *Quoniam de Juda ortus est Dominus noster (Heb.
vii, 14).* Ut ex Tribu Levi sacerdotalis et plena san-
ctitatis annumeretur hæreditas: ex Tribu autem
Juda, ex qua David et Salomon et reliqui reges fue-
runt, regalis successionis splendor effulgeat; utidem

pauci mss., possideret in mortem usque, donaretque
eam, etc.

c Peccatum statuit, id est, peccatum sistit, et con-
tra ejus impetus obicem ponit.

d Röm. edit., gentium congregatione dirimendos.

et rex et sacerdos Scripturarum testimonio demonstratur. Meritoque se circa gratiam Judæ Jacob sanctus effudit dicens : *Juda, te laudabunt fratres tui : manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda ex germine, fili mi, ascendisti. Recumbens dormisti ut leo, et tamquam catulus, quis suscitabit eum? Non deerit judex ex Juda, et princeps de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est; et ipse erit expectatio gentium, alligans ad vitem asinam suam, et cilicio pullum asinæ suæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ anaboldium suum. Hilares oculi ejus a vino, et dentes ejus candidiores quam lac (Gen. XLIX, 8 et seq.).*

17. Ad Judam quidem patriarcham dirigi videtur alloquium, sed Judas ille posterior verus confessor exprimitur, qui ex ea Tribu natus est, qui solus laudatur a fratribus, de quibus dicit : *Narrabo nomen tuum fratribus meis (Ps. XXI, 23)*. Dominus per naturam, frater per gratiam, ejus manus quas expandit ad populum non credentem, super dorsum inimicorum suorum. Iisdem enim manibus, atque eadem passione suos textit, et subjugavit adversariarum potestates, omnesque fidei et pietatis exsortes subditos sibi fecit. De quibus ait Pater ad Filium : *Et dominaberis in medio inimicorum tuorum (Ps. CIX, 2)* : quos inimicos sua malitia fecit, non Christi voluntas. In quo magna gratia Domini. Etenim spirituales nequitiae quæ ante cervicem nostram jugo solebant captivitatis inflectere, ita ut David ipse manus quodammodo super se triumphantium sentire se scriberet dicens : *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores (Ps. CXXVIII, 3)*, ipsæ nunc subditæ triumpho Christi et quibusdam manibus ejus, id est, factis operibusque subjectæ, perpetuæ subeunt captivitatis ærumnam. ^a Ipse utique qui adoratur a filiis patris sui, quando adoratur a nobis, quibus ipse permisit ut Patrem vocemus, cujus servum esse virtutis est.

18. *Catulus leonis Juda*. Nonne evidenter et Patrem expressit, et Filium declaravit? Quid tam evidens, quo unius naturæ Filius ^b Dei cum Patre esse doceatur? Leo ille, hic catulus leonis. Vili comparatione, ejusdem naturæ ac potentiae unitas intelligitur. Rex ex rege processit, fortis ex forte. Quia futuros prævidebat qui filium assererent junioris ætatis, occurrit his subjiciens : *Ex germine, fili mi, ascendisti. Recumbens dormisti ut leo et tamquam catulus*. Et alibi habes, quia catulus ipse est leo de Tribu Juda (*Apoc. V, 5*). Ergo quia catulum **519** dixerat, bene statim leonem posuit, hoc est dicere : Non capiantur aures vestræ, quia catulum audierunt, Filium expressi, non dixi minorem. Et ipse est leo sicut pater. Audiant quia et leonem, et catulum appellavit : leonem quasi perfectæ plenæque virtutis : catulum, quasi Filium; ne quis cum audiret æqualem Patri, non putaret

^a Sic edit. omnes ac mss. præter quatuor, in quibus deest, qui, post vocem utique. At locum edit. ult. Paris. contraxit hoc modo : *Ipse utique adoratur a nobis, quibus, etc.*

A Filium. Non sic laudatur Filius, ut separet Patre. Ille probat æqualem, qui Filium confitetur. 19. Mirifice autem et incarnationem ejus exprimit dicens : *Ex germine, fili mi, ascendisti*; eo quod quam frutex terræ in alvo Virginis germinavit, et flos boni odoris ad redemptionem mundi totius ceciderit, sicut Esaias dicit : *Exiet virga de radice se, et flos ex radice ejus ascendet (Esai. XI, 1)*. Rursus familia Judæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus. Recte virga quæ regalis est generis, de domo patria David, cujus flos Christus est qui fetor mundanæ colluvionis abolevit, et vitæ æternæ rem infudit.

20. Habes ergo incarnationem, accipe passionem. *Recumbens, inquit, dormisti ut leo* : quando jacuit in sepulcro, velut quodam corporis sui somno quietus sicut ipse ait : *Ego dormivi, et requievi, et surrexi quoniam Dominus suscepit me (Ps. III, 6)*. Unde et Jacob ait : *Quis suscitabit eum?* hoc est, quem Dominus suscipiet. Quis est alius qui resuscitet, nisi ipsa Patrisque resuscitet potestate? Video namque auctoritate propria, video mortuum propria voluntate, video dormientem potestate propria. Quia enim sua fecit arbitrio : cujus alterius ut resurgat egredere auxiliis? Ipse igitur resurrectionis suæ auctor, qui mortis est arbiter, qui expectatur a gentibus

21. Et ideo, *donec ille veniat, non deficiet ductus Juda*; ut usque ad ejus ortum regalis successioni des incorrupta servetur. Postea enim, ut docuit tractatu habito in Evangelium (*Lib. III, in Lucan*) per Herodem adulterata successio prærogativam dignitatis amisit. Etenim quia verum regem negaverunt, falsos habere cœperunt. Ergo hoc quod dicitur Patriarcha, servabitur in iudiciis vel regibus Judæorum intemeratæ successioni ^c hæreditas ducta per reges : *donec veniat cui repositum est*; ut Ecclesiam Dei congreget ex conventu nationum omnium et gentilium devotione populorum, hoc est, ipsa manet, ipsi debitum reservatur, ipsi tantæ gratiæ prærogativa defertur.

22. *Et ipse est expectatio gentium*. Plus dixit quam si dixisset, ipsum expectant gentes, quod omnis Ecclesiae in ipso recumbat. Ideo dicitur Moysi : *Sol calceamentum pedum tuorum (Exod. III, 5)*, ne ipsi sponsus Ecclesiae crederetur, qui dux plebis eligetur. Ideo solvit calceamentum suum Jesus Nazareth (*Josue V, 16*), ut venturo tanti muneris gratiam ipse servaret. Ideo dicit Joannes : *Post me venit, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus (Joan. I, 27)*. Ideo dicit : *Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, et **520** gaudio gaudet (Joan. III, 29)*, hoc est, ipse solus vir est Ecclesiae, hic est expectatio gentium

^b Mss. Corb., Laud., Albin. et Colb., *Filius Dei*.

^c Rom. edit., *hæreditas donec veniat*. Aliæ ac mss. omnes, *hæreditas ducta per reges, donec, etc.*

huic deferentes ^a copulam gratiæ nuptialis, calceamentum suum solverunt propheta. Hic sponsus est, ego amicus sponsi: gaudeo quia venit, quia vocem audio nuptialem, quia jam non dura peccatorum supplicia, dura Legis tormenta, sed remissionem criminum, vocem lætitiæ, sonum jucunditatis, exultationem festi nuptialis audivimus.

23. Hic est ille *alligans ad vitem* ^b *asinum suum, et cilicio pullum asinæ suæ*; ut fervorem Spiritus sancti habeat congregatio nationum ante remissa et negligens, sed jam devota per Christum, et viti illi perpetuæ, hoc est Domino Jesu, qui ait: *Ego sum vitis, et Pater meus agricola* (Joan. xv, 1), velut fructuosi palmites quibusdam inextinguibilis fidei vinculis alligemur. Hoc est illud mysterium, quod pullum asinæ solvi jussit in Evangelio, et ipse Dominus Jesus sedit ^B in universo mundo, tamquam ablactati, esca solidiore firmantur.

24. *Lavabit, inquit, in vino stolam suam.* Bona stola est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores textit. Bona stola, quæ universos induit veste jucunditatis. Lavit hanc stolam in vino, quando cum baptizaretur in Jordane, descendit Spiritus sanctus sicut colomba, et mansit super eum. Quo significatur quod plenitudo Spiritus sancti individua in eo fuerit, nec recesserit. Unde et evangelista (Marc. i, 10) ait: Quia plenus Spiritu sancto Dominus Jesus, regressus est ab Jordane. Lavit ergo Jesus stolam suam, non ut suam quæ non erat; sed ut nostram quæ erat, sordem ablueret. Denique addidit: *Et in sanguine uvæ* ^c *anaboladium suum*: hoc est, in passione corporis sui diluit gentes suo sanguine. Etenim verbi anaboladium gentes sunt, sicut scriptum est: *Vivo ego, dicit Dominus, nisi omnes eos induam sicut vestimentum* (Esai. xlix, 18). Et alibi: *Sicut amictum mutabis eos, et mutabuntur* (Ps. ci, 27). Non ergo sanguine proprio, sua peccata, quæ non erant, sed nostra quæ fecimus delicta, mundavit. Et bene uvam dixit, quia sicut uva pendit in ligno. Ipse est vitis, ipse uva. Vitis ligno adhærens: uva, quia lancea militis apertum latus emisit aquam et sanguinem. Sic enim dixit Joannes: quia exivit de eo aqua et sanguis (Joan. xix, 34). Aqua ad lavacrum, sanguis ad pretium. Aqua nos abluit, sanguis nos redemit.

25. Et ideo ait propheta: *Hilares oculi ejus a vino,* ^D *et dentes candidiores, quam lac,* significans prophetas et apostolos. Alii enim sicut oculi Christi præviderunt et annuntiaverunt ejus adventum, de quibus ipse dicit: *Abraham diem meum vidit, et gavisus est*

(Joan. viii, 56). Et unus de prophetis dicit: *Vidi Dominum Sabaoth* (Esai. vi, 5): quem videntes spiritali lætitia complebantur. Alii vero, hoc est apostoli, quos Dominus ab omni peccatorum labe mundavit, super lac candidiores facti sunt; quos macula nulla postea fuscavit. Etenim lac temporale est; gratia autem apostolorum perpetua manet, qui nobis spiritalia illa atque celestia conficientes alimenta, mentis internæ viscera saginarunt. Sunt **521** etiam qui mandata Domini lucida, quæ divino ore de prompta sunt, sicut lac nobis facta arbitrentur, quibus nutriti ad panis celestis pervenimus alimoniam. Unde et Paulus ait: *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis* (I. Cor. iii, 2). Corinthios in principio fidei potu lactis imbuit. Et sancti illi quorum fides annuntiat ^B in universo mundo, tamquam ablactati, esca solidiore firmantur.

CAPUT V.

Benedictione Zabulon Ecclesiam atque ejus principes designari.

26. *Zabulon juxta mare habitabit. Et ipse secus accessus navium, et pertendet usque ad Sidonem* (Gen. xlix, 13). Ipsa nominis interpretatio meliora promittit; eo quod Latina expressio liberationem significet a nocturnis, quod est utique bonum, et ejus qui sperat in pennis Domini, quem circumdat veritas ejus, ne timeat a timore nocturno, et a negotio perambulante in tenebris.

27. Hic ergo *Zabulon juxta mare, inquit, habitabit*; ut videat aliorum naufragia, ipse immunis periculi, et spectet alios fluctuantes in freto istius mundi, qui circumferantur omni vento doctrinæ, ipse fidei radice immobilis perseverans, sicut est sacrosancta Ecclesia radicata atque fundata in fide, spectans hæreticorum procellas, et naufragia Judæorum, quoniam gubernatorem quem habuerant, abnegarunt. Circa fluctus igitur habitat, non fluctibus commovetur, magisque ad subveniendum parata, quam periculo obnoxia, ut si qui tempestatibus acti gravibus confugere ad portum velint, præsto sit Ecclesia tamquam portus salutis, quæ expansis brachiis in gremium tranquillitatis suæ vocet periclitantes, locum fidæ stationis ostendens. Ecclesiæ igitur in hoc sæculo tamquam portus maritimi per littora diffusi occurrunt laborantibus, dicentes esse ^D credentibus refugium præparatum, quo ventis quasata navigia possint subducere.

28. In his Ecclesiis sunt principes Zabulon, et principes Nephthalim, sicut docet ^d lxxvii psalmus, quorum alii liberatores sunt a tempestate nocturna,

meri tegebantur. Sic autem dicebatur, quia ab inferioribus partibus attolleretur ad superiores, ἀπὸ τοῦ ἀναβάλλεσθαι.

^d Edit. nonnullæ Paris., sicut docet septuagesimus psalmus; ultima, sicut docet psalmus. At vet. edit., sicut docet quinquagesimus septimus decimus psalmus. Quam numerandi rationem non nemo hinc ortam putat, quod psalmi in tres quinquagenas dividerentur, et post primam quinquagenam sequentes numerarentur in hunc modum, psal. quinquagesimus deci-

^a Omnes edit., Copulæ gratiam nuptialis; omnes mss. ut nos in textu.

^b Rom. edit., asinam suam, et ad palmitem pullum, etc. Vet. ac mss. aliquot, asinam suam, et cilicium pullum, etc. Alii mss. plures et meliores, asinum suum, et cilicio pullum, etc. LXX, τὸν πῶλον αὐτοῦ, καὶ τῆ ἔλακι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ. Ad quem locum videsis notas Nobilii.

^c Anaboladium, sive ut in quibusdam mss. legitur, anabolium, forte anabolæum, amicus erat, quo hu-

clamantes : *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis (Rom. xiii, 12)* : alii sunt latitudinis apostolicæ, qui possunt dicere : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est (II Cor. vi, 11)*. Ipsi sunt isti qui cum essent in tenebris, lucem viderunt magnam, sicut propheta testatur dicens : *Regio Zabulon, et regio Nephtholim, via maris trans Jordanem : populus qui sedebat in tenebris, viderunt lucem magnam : qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est eis (Esai. ix, 1 et 2)*.

29. Exploratores igitur secus accessus navium posuit Dominus Deus noster patriarchæ hujus hæredes, cujus cura pergivil et spiritalis successio pertendit usque ad Sidonem, hoc est, usque ad gentes pervenit, ut Domini misericordia^a peccata abluat nationum. Sidon enim primitivus est filius Cham, illius B utique qui propter irreverentiam **522** paternæ pietatis, maledictione damnatus est patris. Ergo liberatio nocturna tamquam in excubiis posita propugnaculi spiritalis, ne quis^b scopulos vitæ hujus possit incidere, pertendit usque ad gravissimorum criminum peccatores, et Sidonios ipsos, qui ante superstitione vehementi venatores scelerum nuncupabantur, et, ut interpretatio docet, soluta hæreditate maledicti, donataque hæreditate benedictionis absolvit; ut ubi major reatus erat, ibi nunc uberior sit gratia.

CAPUT VI.

De benedictione Issachar, quæ mystice de Christo Domino exponitur.

30. *Issachar bonum concupivit, requiescens inter medias sortes, et videns requiem quia bona est, et terram quia pinguis : supposuit humerum suum ad laborandum, et factus est vir agricola (Gen. xlix, 14 et seq.)*. Issachar merces dicitur, et ideo refertur ad Christum, qui est merces nostra; quod eum nobis ad spem salutis æternæ non auro, non argento, sed fide et devotione mercemur. Unde et David de ipso dicit : *Ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris (Ps. cxxvi, 5)*. Et Moyses de eo dicit : *Merces circa mare inhabitantium (Deut. xxxiii, 19)*. Hic est qui bonum concupivit ab initio, et quod malum est, desiderare nescivit. De quo et Esaias ait : *Priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, non credidit malitiæ, eligens quod bonum est (Esai. viii, 4)*. Requievit inter sortes veteris et novi Testamenti, vel in medio prophetarum. Ideoque inter Moysen et Eliam medius apparuit; ut ostenderet nobis quod in eorum sermonibus requiem habeat, per quos plerique peccatis renuntiantes credunt in Deum vivum : vel quod ipsi sint testes resurrectionis ejus, et beatæ quietis.

31. Itaque ut ad resurrectionis suæ gratiam vocamus, *quinquagesimus vigesimus* : et sic de cæteris. Nos vero arbitramur errorem esse in ant. edit. cum in omnibus mss. litteris numericis ita designetur, *Lxvii ps.*

^a Mss. non pauci, *peccata allevet nationum*. Et paulo post ubi omnes mss. ac vet. edit., *filius Cham;*

A ret gentes (ipsa est enim pinguis et fertilis terra, quæ fructus generat æternos, fructus centesimos et sexagesimos), subjecit humerum suum ad laborandum, subjiciens se cruci, ut nostra peccata portaret. Ideoque dicit Propheta : *Cujus principium super humerum ejus (Esai. ix, 6)*, hoc est, super corporis passionem divinitatis potestās, vel crux supereminens corpori. Posuit ergo humerum incumbens aratro omnibus subeundis contumeliis patiens, ita subjectus labori, ut vulneraretur propter iniquitates nostras, et infirmaretur propter peccata nostra. *Et factus est vir agricola*, sciens terram suam bono seminare frumento, et fructiferas arbores alta radice plantare.

CAPUT VII.

De benedictione Dan, quæ futurum ex ea Tribu Antichristum prænuntiat. Exhortatio ad vitiorum somnum excutiendum subjungitur; postquam eadem Tribus prædicitur ad fidem accessura.

32. *Dan judicabit populum suum tamquam et una Tribus Israel. Et factus est Dan ipsi serpens **523** in via sedens, et in semita mordens calcaneum equi, et cadet eques retrorsum, salutem exspectans a Domino (Gen. xlix, 16 et seq.)*. Simplex quidem intellectus hoc habet, quod etiam Dan Tribus judicem dederit in Israel. Etenim post Jesum Nave Judices fuerunt plebis de diversis Tribubus. Fuit autem et Samson de Tribu Dan, et judicavit Israel viginti annis. Sed non hunc prophetia significat, at Antichristum qui futurus est ex Tribu Dan, sævus iudex, et tyrannus immanis, *judicabit populum suum. Tamquam serpens in via, sedens in semita*, dejicere tentabit eos qui viam ambulant veritatis, supplantare cupiens veritatem. Hoc est enim mordere equi calcaneum, ut veneni suffusione equus saucius, et vulneratus dente serpentis, levet calcaneum suum; sicut Judas proditor tentatus a diabolo super Dominum Jesum levavit calcaneum suum, ut dejiceret equitem, qui se dejecit ut omnes levaret. Cecidit igitur non prostratus in faciem quasi dormitans, sed retrorsum, ut a superioribus ad priora se extendens, a Domino exspectaret salutem. Sciebat enim se resuscitandum, et ideo jacentem Adam exspectabat erigere.

33. Unde nos cum bene in via currimus, caveamus necubi serpens lateat in semita, et subruat vestigium equi, hoc est, corporis nostri, et dejiciat subito equitem dormientem. Nam si vigilemus, cavere debemus aliquatenus, et morsus declinare serpentis. Non ergo nos opprimat somnus negligentiae, somnus sæculi, non opprimat divitiarum somnus; ne et de nobis dicatur : *Obdormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum (Psal. lxxv, 6)*. Sed sunt et equites dormientes, de quibus scriptum est : *Dormitaverunt qui ascenderunt equos*

Rom. emendavit, Bibliorum auctoritate, *filius Chanaan*. Sed potuit exemplari in quo pater ac filius Cham dicerentur Ambrosius uti, vel quod credibilis est, errare calamo librarius.

^b Sic mss. omnes; at contra edit., *Scopulosa vitæ hujus itinera possit; Vet., incidere; Rom., incidere.*

(*Ibid.*, 7). Si avaritia pectus tuum vulneret, si li-
bido inflammet, dormis eques, et ideo corpus tuum,
hoc est, equum tuum non potes refrenare. Vigila
ergo, ut etiam si dejectus fueris, hoc est, mortuus
fueris, non obdormias. Qui enim obdormiunt som-
num suum, nihil inveniunt. Tu autem exspecta sa-
lutem a Domino, venturam respice, ut gratiam
resurrectionis invenias. Dormiebat Judas: denique
verba Christi non audiebat. Dormiebat Judas, et
quidem somnum divitiarum, qui mercedem de pro-
ditione quærebat. Vidit eum dormientem diabolus,
et oppressum avaritiæ somno gravi: misit se in cor
ejus, vulneravit equum, dejecit equitem, quem se-
paravit a Christo.

54. Hanc Tribum benedixit Moyses dicens: *Dan*
catulus leonis, et effugiet ex Basan (*Deut.* xxxii, 22), **B**
hoc est, ex confusione. Unde secundum Græcum
magis intelligere debemus, ex quo Latinus transtulit,
quod Dan ipse factus sit serpens in via sedens. Dan
judicium interpretatur. Et ideo grave judicii peri-
culum Tribus ista subiit, cui serpens illapsus Anti-
christus est, qui currentem suis sauciaret venenis.
Sed tamen ipsa Tribus liberabitur a confusione, cum
fuerit confessa equitem resurgentem, qui ait: *Qui*
me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego
eum coram Patre meo qui est in cælis: qui autem me
confusus fuerit coram hominibus, confundam et ego
eum coram Patre meo qui in cælis est (*Matth.* x, 32
et 33).

524 CAPUT VIII.

Benedictione Gad tentaturos Dominum Judæos, et
vicissim tentandos ab eodem, adumbrari.

55. *Gad tentatio, tentavit eum, et ipse tentavit eos*
secus pedes (*Gen.* xlix, 19). Tentatio est ^a congregatio
et astutia scribarum et sacerdotum qui Dominum
Jesum de tributo Cæsaris, et de Joannis baptismate,
ut docuit Scriptura (*Matth.* xxii, 17), tentabant;
quibus Dominus Jesus in sua justitia tentamentum
retorsit (*Ibid.*, 21, 23). *Secus pedes*, hoc est, conti-
nuo sine ulla deliberatione referens, quo tentantes
magis ipse concluderet. Dicentibus enim: *In qua*
potestate hæc facis? non ad quæsitam respondit; sed
etiam ipse proposuit dicens: *Interrogabo et ego vos*
unum verbum: quod si dixeritis mihi, et ego vobis
dicam in qua potestate hæc facio (*Ibid.*, 24). Iterum **D**
dicentibus: *Licet tributum dari Cæsari, an non?* (*Matth.*
xxii, 17)? ait: *Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite*
michi numisma census. Et offerentes iterum interrogavit:
Cujus est imago et superscriptio (*Ibid.*, 19)? Dicunt ei:
Cæsaris. Ibi igitur eos ligavit ipsorum sermonibus, ipso-
rum obligatione constrinxit. Tunc ait illis: *Reddite*
ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo
(*Ibid.*, 21), ut contra verba sua venire non possent.
Denique mirati abierunt ab eo. Sed non est mirum
si secus pedes respondebat, qui ante pedes videbat.

56. Exposuit Moyses evidenter hanc prophetiam

^a Mss. nonnulli, congressio et astutia, etc.

^b Edit. et quidam mss., divisiones tentationum vidit.

A Jacob sancti esse de Christo. Sic enim ait: *Bene-*
dictus qui ampliavit Gad. *Sicut leo requievit confrin-*
gens brachia et principes, et vidit ab initio suo quia
ibi divisa est terra principum collectorum simul cum
principibus populorum. *Justitiam fecit Dominus, ju-*
dicium cum Israel (*Deut.* xxxiii, 21).

57. Agnoscimus itaque quis requieverit sicut leo,
quis confregerit brachia potentium, quis a principio
^b divisiones tentantium vidit. Ibi igitur hiatus est
terræ, qui absorbeat calumniantes, ubi tentatio per-
fidorum est.

CAPUT IX.

De benedictione Aser, qua Christi pauperis divitiæ, ac
multiplicia in homines dona exprimentur.

58. *Aser pinguis ejus panis, et ipse dabit escam prin-*
cipibus (*Gen.* xlix, 20). Aser interpretatione Latina
significat divitias. Quis igitur dives, nisi ubi altitudo
divitiarum est sapientiæ et scientiæ Dei? Quis dives
nisi Dominus Jesus, qui abundat semper, et num-
quam deficit? Pauper venit in hunc mundum, et
omnibus abundavit, universos replevit. Quantus est
in divitiis, qui paupertate sua omnes divites fecit!
Sed pauper propter nos, dives cum Patre. Pauper
ille, ut nos ab inopia vindicaret; sicut Apostolus
docet dicens: *Quia propter vos pauper est factus,*
cum dives esset; ut illius inopia vos ditaremini (*II*
Cor. viii, 9). Cujus inopia ditat, sanat simbria, fa-
mes satiat, mors vivificat, sepultura resuscitat. Hic
ergo dives est thesaurus; hujus pinguis panis. Et
C bene pinguis quem qui manducaverit, esurire non
poterit. Hunc panem dedit apostolis, ut dividerent
populo credentium; hodieque dat nobis eum, quem
ipse quotidie sacerdos consecrat suis verbis. Hic
ergo panis factus est esca sanctorum.

59. Possumus et ipsum Dominum accipere, qui
525 suam carnem nobis dedit, sicut ipse ait: *Ego*
sum panis vitæ. *Patres vestri manducaverunt manna*
in deserto, et mortui sunt: hic est autem panis qui
de cælo descendit, ut si quis ex eo manducaverit, non
moriatur (*Joan.* vi, 48 et 49). Et ne quis putaret qua
de hac morte dicit quæ per animæ et corporis seces-
sionem venit, et jure dubitet, cum sciat sanctos
apostolos hac morte esse defunctos, addidit: *Ego*
sum panis vivus, qui de cælo descendi. *Si quis man-*
ducaverit ex hoc, vivet in æternum (*Ibid.*, 51 et 52):
hoc est, non de temporali vita dixi supra, nec de
morte istius vitæ, qua etiam si quis mortuus fuerit,
tamen si panem meum acceperit, vivet in æternum.
Ille enim accipit, qui seipsum probat: qui autem
accipit, non morietur peccatoris morte, quia panis
hic remissio peccatorum est.

40. Moyses quoque pulcherrime prophetavit in be-
nedictionibus suis dicens: *Benedictus a filiis Aser, et*
erit acceptus a fratribus suis; et intinget in oleo pedem
suum, et ferrum, et ærumentum est calceamentum ejus.
Et sicut dies tui sunt, sic ^c erunt virtutes tuæ. *Non est*

^c Rom. edit., erit fortitudo tua. . . et proteget te
Dei principatus.

quisquam sicut est Deus tuus in caelo, adjutor tuus, et magnus Dominus firmamenti : et protegens te Deus inittit, et per vires brachiorum potentium ejecit a facie tua inimicum tuum, dicens : Pereat. Et inhabitabit Israel fidens solus super terram : Jacob in frumento et vino ; et caelum tibi cum nebula roris erit (Deut. xxxiii, 24 et seq.).

CAPUT X.

Benedictionem Nephthalim, fidelium Christo, tamquam viti palmites, haerentium, et mortis vinculis exsolutorum imaginem esse.

41. Nephthalim vitis remissa, porrigens in germine decorem (Gen. xlix, 21). Sarmentum vitis aliud amputatur, quod videtur inutile, ^a ne cassa vitis sarmentorum exultatione luxuriat : et aliud paulisper recidetur ac remittetur, ut fructum afferat, ejus decus in generatione porrigitur ; quia dum ad superna se subrigit, vitem amplectitur, et ad verticem ascendens, jugi quaedam colla vitium pretiosi palmitis vestit monili. Est et ille decus in generatione, quia plenis palmitibus multos fructus exundet.

42. Decorum hoc, sed multo illud pulchrius, quod haerentem palmitem viti significat spiritali, ejus nos sarmentum sumus, et fructum afferre possumus, si maneamus in vite : sin autem, praecidimur.

43. Sanctus patriarcha Nephthalim erat palme abundans. Unde Moyses dicit : Nephthalim satietas accipientium, replebitur benedictione a Domino, mare et Africum possidebit (Deut. xxxiii, 25), exponens hoc quod Jacob dixerat, quid sit vitis remissa, hoc est, per fidei gratiam vinculis mortis exutus : in quo significatur populus Dei ad libertatem fidei, et ubertatem vocatus gratiae toto orbe diffusus, qui jugum Christi bono fructu vestiat, et ligna verae illius vitis ; hoc est, mysteria Dominicæ crucis ambiat, nec timeat confessionis ejus periculum, sed magis etiam in persecutionibus positus **526** Christi nomine gloriatur.

44. Hic est vere remissus a vinculis, qui nullo nexu formidinis alligetur. Unde et propheta dicit : Exibunt, et tripudiabunt sicut vituli resoluti vinculis (Malac. iv, 2). Ideoque in germine suo decorem porrigit, quia in loco pascuæ collocatus, et super aquam refectionis educatus, per sacramenta regenerationis suæ germinat bonum verbi decorem, et assumitur in illam pulcherrimam Christi gratiam, qui potest venustatem tui decoris augere.

45. Denique super omnes decorus, quod habet donat ; quia nemo potest donare quod non habet. Ideoque dictum est : Dominus regnabit, decorem induit (Psal. xcii, 1). Induit enim decorem Ecclesiae gratia, quæ in illo lavacro deponens foeditatem omnium delictorum, splendore gratiæ cœlestis enituit. Ideo-

^a Mss. aliquot, ne casu vitis sarmentorum, etc.

^b Edit. vel., mirabilis, sicut ornatus. Rom., mirabilis sicut ordinatio. Mss. ut nos in textu. LXX vero, θάρσος, ὡς τεταγμένα. Pavor, ut ordinata, supple acies. Unde Symmachus ita habet : ἐπιφοβος ὡς τάγματα παρεμβολῶν ; et Vulgata, Terribilis ut acies ordinata.

^c In hoc loco mss. et ant. edit. ferme non diffe-

que sponsus de ea dicit : Quænam est hæc prospiciens tamquam diluculum, electa sicut sol, speciosa sicut luna, ^b miraculum sicut ornatus (Cant. vi, 9).

CAPUT XI.

In benedicendo Joseph longiorem fuisse beatum Jacob, quia præfigurata in eo Christi videbat mysteria. His porro ejusdem benedictionis partes singulæ applicantur.

46. Nunc ut tamquam epilogo quodam concludamus historiam, sicut et Scriptura conclusit, prophetiam sancti Jacob de sancti Joseph nomine digeramus : Filius ampliandus meus, Joseph filius ampliandus meus, zelandus filius meus adolescentior ad me revertere. In quem consilium conferentes maledicebant, et intendebant in eum Domini arcum, et contriti sunt cum potentia arcus eorum, et dissoluti sunt nervi brachiorum manuum eorum per manum potentis Jacob ; ^c indeque prævaluit Israel a Deo patris tui. Et adjuvit te Deus meus, et benedixit te benedictione cœli a summo, et benedictione terræ habentis omnia. Propter benedictionem uberum et vulvæ benedictiones patris tui et matris tuæ prævaluerunt super benedictiones montium manentium ; et desideria collium æternorum erunt super caput Joseph, et super verticem eorum quibus præfuit, fratrum (Gen. xlix, 22 et seq.).

47. Quæ causa est quod super omnes filios, Joseph filium uberius prosecutus est pater, nisi quia ^d præfigurata in eo jam Christi videbat mysteria ? Unde benedicens illum magis qui exspectabatur, quam illum qui videbatur, ait : Filius meus ampliandus Joseph. Quis est ampliandus, nisi Christus, ejus gratia semper augetur, et finem processus sui non habet gloria ? De quo et Joannes dicit : Illum oportet crescere, me autem minorari (Joan. iii, 30) ; quia per ipsius illud salutare perfectumque nomen cum lata est in hoc mundo et abundavit gratia. Filius meus ampliandus ; et ideo quia videbant eum crescere fratres, et invidere coeperunt. Intelligibilis autem Joseph et zelum incidit ab iis quos magis fovebat. Denique dicebat : Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. xv, 24). Et illi dicebant : Nescimus unde sit (Joan. ix, 29). Ille curabat eos, et illi negabant eum.

48. Filius, inquit, meus adolescentior. Revera **527** adolescentior, qui erat pene ultimus natus. Denique et Scriptura dicit : Amabat eum Jacob, quia filius senectutis erat illi (Gen. xxxvii, 3). Quod etiam ad Christum refertur. Senescenti enim mundo et jam occidenti illucescens Dei Filius per Mariæ virginis partum, serus advenit, quasi filius senectutis secundum ^e sacramentum suscepit corpus, qui erat ante sæcula semper apud Patrem.

runt, nisi quod ubi in his legitur, Ille qui prævaluit a Deo Israel patri tuo ; et in Rom. . . . pater tuus : habent illorum plerique omnes : Indeque prævaluit Israel a Deo patris tui.

^d Mss. nonnulli, in eo præfigurantia Christi, etc.

^e Ita mss. præter Vat. et Theod. qui cum edit. habent, sacramentum suscepti corporis. Porro secundum

49. Unde dicit ad eum Pater : *Ad me revertere, A* **528** cum unum non definitur, et unum omnia sonant, spiritale magis mysterium generationis paternæ, quam membrum aliquod corporale significat. Sed sicut illam ex Patre generationem intelligimus : ita etiam ad consummationem fidei generationem Mariæ intelligamus, quando benedicitur vulva matris, illa utique Mariæ virginalis, quæ nobis edidit Dominum Jesum.^b De qua Pater dicit per Hieremiam prophetam : *Priusquam te formarem in utero, novi te; et priusquam exires de vulva matris, sanctificavi te (Jer. 1, 5).* Geminam igitur propheta in Christo substantiam declaravit, divinitatis et carnis : alteram ex Patre, alteram ex Virgine; ita tamen ut non exors suæ esset divinitatis, cum ex Virgine nasceretur, et esset in corpore.

50. *Et benedixit eum benedictione cœli desuper, et benedictione terræ habentis omnia.* Omnia enim subiecit ei, cœlestia sicut benedictionem cœli, et terrena B sicut benedictionem terræ, ut et hominibus et angelis dominaretur.

51. Itaque in illo velut contemptibili corpore : *Prævaluisti, inquit, propter benedictionem uberum et vulvæ, benedictiones patris tui et matris.* Ubera vel duo Testamenta dixit, quorum altero annuntiatus est, altero demonstratus. Et bene ubera, quoniam velut quodam nos spiritali lacte nutritos educavit, ^a et obtulit Deo Filius : vel Mariæ dicit ubera, quæ vere benedicta erant, quibus sancta Virgo populo Domini potum lactis immulsit. Unde et illa mulier in Evangelio ait : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti (Luc. xi, 27)!* Quod autem ait : *Vulvæ benedictionem patris tui et matris,* si vulvam solam Mariæ velimus intelligere, cur utramque benedictionem C conjunxerit, latebit causa. Potuit enim dicere de sola vulva matris. Sed pulchrius arbitror, ut secundum spiritale mysterium intelligamus utramque generationem Domini Jesu, et secundum divinitatem, et secundum carnem; quia ante sæcula est generatus ex Patre. Unde et Pater ait : *Eruclavit cor meum verbum (Psal. XLIV, 2);* eo quod ex illa intima et incomprehensibili Patris processit substantia, et in ipso est semper. Unde et evangelista ait : *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit (Joan. 1, 18).* Sicut ergo sinus Patris spiritalis intelligitur intimum quoddam paternæ charitatis naturæque secretum, in quo semper est Filius : ita etiam Patris spiritalis est vulva, interioris arcanum, de qua tamquam ex genitili alvo processit Filius. D Denique diverse legimus nunc vulvam Patris, nunc cor ejus quo verbum eruclavit, nunc os ejus ex quo justitia processit, ex quo prodivit sapientia, sicut ipse ait : *Ex ore Altissimi prodivit (Eccli. xxiv, 5).* Ita

sacramentum hic idem est, ac secundum mysterium in Joseph præfiguratum.

^a Edit omnes, *obtulit Deo filios.* Contra omnes mss. . . . *Filius.*

^b Edit. omnes cum Vat. cod., *De quo partu dicit Dominus;* mss. autem magno consensu, *De qua (vulva nimirum) Pater dicit,* etc.

^c Non pauca hic edit. Rom. immutaverat quæ cum ad verba potius quam ad sensum spectent, annotare supersedemus. Nos ita ex ant. edit. emendavimus, ut ex mss. eas etiam in nonnullis castigarentis.

52. Unde et *convaluit super omnes montes, et desideria collium æternorum.* Super omnes enim illos sublimis meriti viros patriarchas et prophetas et apostolos; sed etiam ultra solem, lunam, archangelos, tamquam cœli lumen emicuit, sicut ipse ait : *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum (Matth. x, 24).* Quis enim illorum fuit, cui subjecta essent omnia, quibus ipse donavit quod erant? In quo benedicuntur omnes sancti ejus, quia ipse est super capita omnium caput omnium. Caput enim mulieris vir, caput viri Christus. *Et super vertices montium,* quia ipse est supereminens vertex universorum : sed justorum est vertex altissimus. Quos fratres vocat, acquisitos per gratiam, et quoddam regenerationis consortium. Unde et de fratribus Joseph illos magis fratres intelligimus, de quibus dicit in psalmo : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesie cantabo tibi (Ps. xxi, 25).*

53. Denique et Moyses completurus vitæ istius cursum cum benediceret Tribum Joseph, non illum utique jam defunctum Joseph, sed Christum benedicebat, sicut habes scriptum de Joseph : ^c *A benedictione Domini terra ejus, ^d a finibus cœli, et a rore, et ab abyssis fontium deorsum, et secundum horam factum solis cursum, et a convenientibus mensibus, et a vertice montium, ab initio, et a vertice collium æternorum, et ad horam terræ plenitudinis, et ab eo qui visus est in rubo, veniat super caput Joseph benedictio, et super verticem ipsius. Honorificus sit inter fratres. Primogenitus tauri decus ejus, cornua unicorni. In ipsis gentes ventilabit simul usque ad extremum terræ. ^e Ipse myriades Ephræm, et ipse chiliades Manasses (Deut. xxxiii, 15 et seq.).*

54. Benedictio eadem est, quæ omnem habet et cœlestium et terrestrium plenitudinem, et specialem

^d Rom. edit., *a fructibus cœli, et rore, et abyssorum fontibus deorsum, et secundum horam a fructibus solis cursus,* etc.

^e Edit. Am., Era. et cod. Theod., *terræ ipse mysteriades fremet, et ipse,* etc. Aliæ edit., *Ipsæ de myriades Ephrem, vel Ephraim, et ipsæ chiliades Manasses,* a quibus non longe absunt mss. nisi in hoc, quod omnes exhibent, *Ipsi. . . ipse;* excepto Albin., in quo legas, *Ipsi. . . ipsi,* forte non male. Cod. etiam Colb. et Ger. habent, *myriadis. . . chiliadis.* Quæ lectio non plane aspèranda.

Christi gratiam : qui visus in rubo dixit ad ipsum Moysen : *Solve calceamentum pedum tuorum* (Exod. III, 5) : qui est super omnes ^a Deus ; quia ipse est caput corporis Ecclesiæ : qui est principium primogenitus ex mortuis, ut fiat in omnibus ipse primatum tenens ; quoniam in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Et ideo soli benedictionis hujus prærogativa defertur, a summitate **529** coeli usque ad extremum terræ. Ipse enim est ante omnes, in quo constant omnia : qui etiam per sanguinem crucis suæ pacificavit omnia, sive quæ in cælo, sive quæ in terris sunt. Cujus typum præferens pulchre benedicitur sanctus Joseph, ut honorificetur inter fratres.

55. *Primogenitus tauri decus ejus, habens cornua unicornui, in quibus gentes ventilabit.* Et bonus taurus quasi hostia pro delictis, et totius mundi victima, ut pacificaret omnia. Cujus decus sanctum ; omne enim sanctum primogenitum, sicut alibi demonstravimus (Lib. II, de Abel et Cain, c. 2, n. 3, 12). Unde et Levi non ætatis ordine, sed sacræ successionis prærogativa primogenitus meruit nuncupari. Et vere sanctum decus ejus, de quo scriptum est resurgente : *Speciosus forma præ filiis hominum* (Psal. XLIV, 3) ; quia ipse est primogenitus ex mortuis, habens cornua unicornui. Sed cum dixerit cornua, quomodo posuerit unicornui requirendum ; cum ipsum unicornuum inter generationes ferarum, ut periti aiunt, ^b non inveniatur ? Et ideo Verbum unicum magis æstimare debemus, quia substantivum Verbum Dei unum est, non multa verba. Unde et Anna ait : *Dominus judicat fines terræ, et dabit virtutem regi, et exaltabit cornu Christi sui* (I Reg. II, 10). Et Esaias ait : *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi* (Esai. V, 1) ; quoniam Dei Filio unigenito floret Ecclesia, tenens unicum Dei Verbum, in quo est virtutis atque sapientiæ plenitudo, cujus ubertate seges fidei pullulavit. Quod Verbum sequuntur sancti.

56. *Decem millia, inquit, Ephræm, et millia Manasses* (Deut. XXXIII, 17), id est, et Judæorum et gentium dominetur, et ex utroque populo acquirat sibi Ecclesiæ plenitudinem. Ideoque dexteram suam super Ephræm posuit sanctus Jacob ; eo quod legamus dicentem illam in Canticis canticorum : *Frater meus candidus et rubeus, electus ex decem millibus* (Cant. V, 10). Denique etiam David ^c juvenulæ Mariæ auctorem, ex cujus successione Christus est natus per Virginis partum, in decem millibus prædicabant : Saul autem in millibus, cum reverentiæ gratia circa cornu Christi exaltaverit confessus ejus gloriam, ipse quoque accipiet cornua. Unde etiam sancti uni-

^a Cunctæ edit., *super omnes Deos* ; mss. contra ferè ad unum, *super omnes Deus*.

^b Qui varias auctorum de monocerote opiniones cognoscere voluerit, adeat Cour. Gesner. lib. I Hist. Animalium, pag. 781, et Ulysses Aldrovandus de Quadrup. bisulcis, lib. I, cap. 53, de Rhinocerote, pag. 878 et 888.

^c *Juvenulæ*, id est, illæ mulieres quæ choros du-

cornui dicti sunt in psalmi versiculo : *Et dilectus tamquam filius unicornuorum* (Psal. XXVIII, 6). Etenim sicut animal hujusmodi, cum ei oriuntur cornua, processum significat plenioris ætatis : ita cum e capite quodam nostræ animæ cornua pullulare cœperint, processum videntur perfectioris significare virtutis, et tandiu crescunt, quamdiu compleantur. Hoc cornu Dominus Jesus comminuit gentes, ut superstitionem obtereret, salutem redderet, sicut ipse ait : *Percutiam, et sanabo* (Deut. XXXII, 39). Ideoque tamquam imitator tauri hujus Propheta dicit : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu* (Psal. XLIII, 6), id est, altitudinem omnem elevantem se adversus Dei scientiam destruentes. Et ideo juxta **530** Legem munda animalia cornua habent (Deut. XIV, 4 et 5) : Lex enim spiritualis est. Qui enim possunt sæculi hujus illecebras verbo Dei, et virtutis observantia propulsare, cornibus velut quibusdam capitis sui armis videntur esse muniti. Meritoque et tuba cornea (Psal. XCVII, 6) dicitur virtus sermonis mirabilis, quæ bonos Christi milites accendit ad prælium, ut de hoste diabolo manubias reportemus. In acie igitur sumus, et plurimos ex nobis videmus in adversarii castris esse captivos : hi nobis jugo gravissimo servitutis exuendi sunt.

CAPUT XII.

De benedictione Benjamin, qua mystice Pauli adversus Ecclesiam persecutio, nec non ejusdem conversio atque prædicatio significantur.

57. Plurimos lupos habet diabolus, quos ad Christi oves dirigit ; et ideo intelligibilis Joseph, ut oves servaret suas, ipsum inimicum venientem ad diripendas oves rapuit lupum Paulum, faciens ex persecutore doctorem. De quo dicit Jacob, sicut scriptum est : *Benjamin lupus rapax, mane comedet adhuc, et ad vesperam dividet escam principibus* (Gen. XLIX, 27). Lupus erat cum dispergeret et devoraret oves Ecclesiæ. Sed qui lupus venerat, pastor est factus. Lupus erat cum Saulus erat, quando intrabat in domos, et viros ac mulieres trahebat in carcerem. Lupus erat quando spirans minas et homicidia in discipulos Domini, petebat epistolas a principibus sacerdotum, ut invaderet servos Christi. Quem tamquam lupum nocturnis tenebris oberrantem effusa Jesus luce cæcavit. Ideo Rachel cum pareret Benjamin, vocavit nomen ejus *Filius doloris mei* (Gen. XXXV, 18), futurum prophetans ex ea Tribu Paulum, qui affligeret filios Ecclesiæ persecutionis suæ tempore, et gravi matrem dolore vexaret. Sed tamen idem postea principibus escam posteriore divisit tempore, evangelizans gentibus Dei verbum, et plurimos ad fidem provocans ; ^d quo disputante, sicut legimus, Paulus proconsul, et Publius princeps, Do-

centes David ex bello post occisum Goliath revertenti occurrerunt, ut habetur I Reg. XVIII, 6 et 7.

^d Sic edit. Rom. et quatuor mss. At edit. vet. et alii mss. melioris notæ, *qui eo disputante, sicut legatus Pauli proconsulis, et Publius princeps, etc.* Quæ tamen lectio si vera esset, sanctum Doctorem exemplari a Bibliis et versionibus omnibus quæ nunc habentur, discrepante usum esse oporteret. Nam ubique

mini gratiam receperunt (Act. xiii, 12; xxviii, 8).

58. Pulchre autem etiam Moyses cum benediceret Benjamin Tribum, dixit: *Dilectus a Domino habitabit fidens, et Deus obumbrabit super eum omnibus diebus, et inter humeros requiescet dilectus a Domino* (Deut. xxxiii, 12), qui etiam vas electionis est factus. Neque enim aliter nisi Domini est miseratione et amore conversus. Unde et ipse nihil merito tribuens suo, sed totum deferens Christo ait: *Ego enim sum minimus apostolorum qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus egena in me non fuit* (I Cor. xv, 9 et 10). Habitabit fidens in domo quam ante vastabat, habitabit in tabernaculis Christi,

non Pauli proconsulis legatus, sed ipse Paulus proconsul narratur conversus ab Apostolo. Excipimus tamen versionem Arabicam. In hac siquidem aperte duæ personæ ex Sergio Paulo constituuntur, ubi secundum Latinam ejus interpretationem ita legimus:

qui ante sicut lupus errabat in silvis. **531** Et Deus obumbravit super eum, quando visus est ei Christus. Qui licet apertis oculis videret nihil, tamen Christum videbat. Et merito videbat præsentem, quem etiam audiebat loquentem. Non cæcitatatis est obumbratio ista, sed gratiæ. Denique Mariæ dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. i, 35).

532 59. *Et inter humeros requiescet*, hoc est, inter bonos actus, et opera pretiosa. Nam et supra habes quod Issachar supposuit humerum suum ad laborandum, et factus est vir agricola. Quem Paulus imitatus, posuit fidei novella plantaria, ideoque quasi bonus agricola dixit: *Ego plantavi, Apollo rigavit* (I Cor. iii, 6).

B Qui (nempe Elimas magus) erat apud Sergium tribunum cum Paulo viro prudente. Quod sane lectioni priscarum editionum favere potest, si dicamus Sergium illum ex versione Arabica tribunum ab Ambrosio legatum Pauli proconsulis dictum fuisse.

IN LIBRUM DE ELIA ET JEJUNIO ADMONITIO,

Ubi nonnulla de jejunio Quadragesimali Mediolanensis Ecclesiæ, ac de conviviiis super sepulcra martyrum celebratis inferuntur.

Legenti hunc librum haud difficile fuerit tres in eo partes animadvertere. In prima, eaque præcipua, de jejunio agitur, et potissimum de Quadragesimali quod festa paschalia antecedit. Primo itaque illud Ambrosius asserit (Cap. 1) quamdam esse pugnam, cujus beneficio victoriam crucis, et Dominicæ resurrectionis tropæum reportamus; in hoc autem prælio ipsum Dominum, ut nobis traderet pugnandi artem, et vincendi gratiam impertiret, præcurrere voluisse. Postea quanta jejunii virtus sit, brevi dinumeratione prodigiorum quæ ipsius ope ab Elia patrata memorantur, aperit (Cap. 2 et 3). Verumtamen cum jam multos libros de Eliæ gestis scripsisset, pluribus de illo se disputaturum negat (Cap. 5, num. 5), contentus nobis suasisse ut eundem in sacro quadraginta dierum jejunio imitemur.

Sic quasi præfatus de jejunio propius ad argumentum suum accedit. Ostendit (Cap. 4) eandem esse jejunii ac mundi antiquitatem: legem abstinentiæ ante cæteris a Deo latam, qua violata Adamus nuditatem cognoverit suam: declarat (Cap. 5) Noachi exemplo ignotum ad id temporis fuisse vini usum: Abraham in convivio suo Angelis ipsique adeo mundi totius Domino vinum non ministrasse: Moysen denique populo solam aquam per miraculum suppeditasse in deserto. Ad hæc nobis eundem illum Moysen, Elisæum, Danielelem, aliosque præstantissimos viros qui propter jejunium celebrati sunt, proponit (Cap. 6 et 7). Hinc venit (Cap. 8, 9 et seq.) ad jejunii utilitates, eisque magno numero recensitis intemperantiæ ac luxus incommoda, turbæ, dispendia opponuntur. Neque vero illud prætermittitur (Cap. 10, num. 34 et seq.), jejunii opera nos ad mysticæ mensæ, hoc est, eucharistiæ societatem admitti. Hæc sanctus Antistes præcipiendo qua ratione nos jejunare oporteat concludit (Cap. 10).

Secunda parte Ambrosius in sui temporis intemperantissima convivia invehitur. Describit (Cap. 12) primo vulgarium et vilissimorum hominum computationes atque ebrietates. Deinde ad epulas potentium et fortissimorum adolescentium transit (Cap. 13 et seq.). Et quo eorum temulentiam magis odiosam reddat, expressas ac velut spirantes ipsorum imagines ob oculos ponit. Perstringit (Cap. 17, num. 64) etiam modos quosdam bibendi adeo stupendos, ut nisi illis nostræ ætatis ganeones insania sua fidem facerent, ferme viderentur incredibiles. Postremo feminarum quoque objurgat (Cap. 18, num. 66) vinolentiam, qua illæ percitæ Baccharum instar per urbis compita discurrebant, eaque perpetrabant, quæ non ipsis magis, quam spectatoribus essent perniciose.

In tertia parte opportunitatem verborum Isaïæ, quæ in Ecclesiæ eodem die lecta fuerant, arripiens docet (Cap. 19) hanc mensæ licentiam vitiorum omnium, et ipsius quoque avaritiæ qua per fas et nefas sumptus luxuriæ corraduntur, seminarium ac matrem esse. Attamen ex sequentibus Isaïæ verbis probat (Cap. 20) clementissimum juxta ac peritissimum medicum esse Deum, qui salutem ad opem suam persugientibus restituet. Et quo vehementius ad id impellat auditores, extremum judicium, cujus mentionem in prophetica lectione audierant, illis in memoriam revocat (Cap. 21, num. 77). Huc addit (Ibid., num. 79) athletas nos esse quibus in ultimo illo die corona neganda sit, nisi generoso animo certaverimus. Tum conversus ad catechumenos viam ipsis ad perpurganda vitia planiorem securioremque suppetere demonstrat (Cap. 22, num. 85), baptismum videlicet quo tamquam sacro quodam igne universæ sordes consumuntur. Verum cum minime deessent, qui ut majori licentiâ in flagitiis suis per-

severarent, sacramentum illud in exitum vitæ differebant, acriter eos reprehendit (cap. 22, num. 84), mortemque dum procrastinantur, ingruere commonesaciens, eosdem ne comperendinatione sua Cainum potius quam Abelem in sacrificio offerendo æmulentur, absterret (Ibid., num. 85).

Tametsi tribus partibus, ut supra declaratum est, constet hic liber; tamen quia illarum potissima est ea in qua agitur de jejunio, quod argumentum Eliani jejunii occasione susceptum fuit, ideo de Elia et jejunio inscribitur. Hunc titulum omnes mss. præ se ferunt, excepto quod aliqui Eliæ nomen prætermittentes exhibent tantum, Sermo sancti Ambrosii de Jejuniis.

Divi Basilii homiliam qua populum suum ad jejunium Quadragesimæ alacriter suscipiendum adhortatur (Homil. de jejunio), quisquis cum hoc Ambrosiano tractatu contulerit, inde cum plura in hunc esse translata facile intelliget. Verumtamen hic quoque morem suum retinet S. Doctor, nimirum modo addit, modo resecat, quædam transponit, alia cum res id poscere videtur, amplificat.

Similiter animadvertere est Ambrosium in ultimis duabus hujusce lucubrationis partibus nonnulla quæ plebis suæ moribus accommodavit, mutuatum esse ex duabus aliis Basilii Magni homiliis, quarum altera quæ contra intemperantiam ipso sacri Paschatis die committi solitam scripta inscribitur in ebrietatem et luxum, altera ad baptismum exhortatio est.

In hoc itaque libro non pauca reperias, quæ ad Mediolanensis Ecclesiæ consuetudines pertineant. Hæc inter observatione præcipua dignum videtur quod memoratur de jejunio Quadragesimæ. Quadragesima, inquit vir sanctus, totis præter sabbatum et dominicam jejunatur diebus. Docet quidem Augustinus (Epist. 36. ad Casul., num. 32; et epist. 54, ad Januar., num. 3) sabbati dies jejunari non solitos Mediolani, quemadmodum Romæ jejunabantur; sed ejus testimonium generale est. At vero hic Ambrosii locus aperte prodit ne Quadragesimæ quidem sabbatis illic fuisse jejunatum. Verumtamen sabbatum sanctum sive Paschatis vigiliam inde excipimus; hic enim sic ab omnibus, ut loquamur cum Augustino (Epist. 56, num. 51), jejunatur, ut etiam illi sabbati jejunium devotissime celebrent, qui cæteris per totum annum sabbatis prændent. Quæ cum ita sint, Mediolanenses tantum xxxi dies jejunabant, cum jejunium suum non nisi feria secunda post primam dominicam in Quadragesimo exordirentur. Neque enim est quod vox Quadragesimæ quemquam moveat; siquidem in aliis quoque Ecclesiis, ubi jejunia non maturius incipiebant, non amplius xxxvi diebus jejunabatur; quos, ut ait Gregorius Magnus (Homil. 16 in Evang.), et post eum alii multi, quasi anni nostri decimas Deo damus. Quin etiam recenti memoria S. Carolus in prima sua synodo statuit hoc jejunium non prius incipiendum Mediolani, usque diocesis illius partibus, ubi ex D. Ambrosii instituto divina officia celebrantur.

Hoc in opere nihil contineri præter sermones quos Ambrosius ad plebem suam, partim e catechumenis, partim e baptizatis compositam habuit, extra controversiam est. Dubitari autem potest illosne ineunte an exeunte Quadragesima habuerit. Enim vero quod dicit: Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronæ (Cap. 21, num. 79); id quidem significare videtur verba fieri ad Competentes qui jam ad baptismum, ad quod non nisi sub exitum Quadragesimæ inscribebantur, nomen dedissent. At e contrario eosdem sermones ante initum sacrum hoc tempus pronuntiatos esse apertius testantur illa primi capituli verba: Cœnamus tuba tamquam in prælium progredientes... certamen imminet... certamen nostrum jejunium est (Num. 4). Tum præterea Christi exemplum ibidem propositum, aliaque sequentibus capitulis subjecta satis confirmant id sancto Præsuli consilium fuisse, fideles ad suscipiendum illud jejunium præparare. Quod igitur de subscriptione ad competitionem coronæ dicitur, id explicari potest de omnibus in universum Christianis, quibus jam inde à libri exordio victoriam atque tropæum erat pollicitus. Sed forte licebit etiam utramque opinionem conciliare, si opus illud tribus concionibus constare dixerimus, e quibus Basilianarum instar diverso tempore habitis Ambrosius postea librum confecerit: quod eum etiam alibi non semel fecitasse videbimus.

Verum multo majoris difficultatis res est statuere quoto anno eadem illæ conciones assignandæ sint; et ut loquamur ingenue, vix quidquam certi quod ad hanc cognitionem conducatur, e lectione istius libri erui potest. Nihilominus tamen si quid petitis ex ipso conjecturis fidere permittatur, cognoscimus jam tum libros plurimos de Eliæ gestis scripsisse Ambrosium (Cap. 3, num. 5): proindeque ipsum tunc temporis non paucos in episcopatu annos peregisse necesse est. Quousque autem producendi anni illi sint, non aliunde melius colligere posse nobis videtur, quam ex mentione psalmorum atque hymnorum, quorum cantum ab ipso per Justinæ persecutionem, hoc est, anno 386, in Mediolanensi Ecclesia institutum constat (Cap. 15, num. 55). Itaque dicendum esset hunc librum scriptum non fuisse ante reditum Valentini junioris Mediolanum, quam in urbem una cum Theodosio post extinctum Maximum tyrannum, id est, anno 389, reversus est. Nec alia forte de causa referuntur militares viri suis in propinationibus dictitare: Opto salutem imperatorum (Cap. 17, num. 62).

Unum est quod nobis remoram possit injicere, scilicet conviviorum quæ Christiani olim super martyrum sepulcris celebrabant, facta mentio (Ibid.). Etenim ea consuetudo ante annum a nobis designatum videtur studio sancti Antistitis fuisse antiquata; quandoquidem ab Augustino traditum est (Lib. vi Confess., cap. 2, num. 2) beatam Monicam, cum Mediolanum anno 384 venisset, sobrium prændium more suo super sacros tumulos ferre voluisse, at fuisse eam ab ostiario quem idcirco ibi constituerat Ambrosius, prohibitam. Unde admodum verisimile est consuetudinem hanc ad quam abolendam tanti episcopi cura vigilabat, non diu post illa viguisse. Ad hæc discimus ex duabus sancti Augustini epistolis (Epist. 22, num. 4, et epist. 29, num. 10), quarum altera in ultimis

editione primum in lucem prodiit, usum illum aut verius abusum anno circiter 391 vigilantia bonorum episcoporum, inter quos haud dubie non postremo loco numerandus est Ambrosius, per universam ferme Italiam excisum profligatumque fuisse. Verumtamen hæc opinioni nostræ parum officiant; si enim quibus verbis Ambrosius utatur, consideremus, nullo negotio deprehendemus illum non ea vehementia dicere, qua contra vitium præsens ac vigens disputasset, neque sibi temperaturum fuisse, ut dum alia intemperantiæ genera tam acriter debellabat, illud unum tam levi brachio oppugnaret. Quapropter a fide neutiquam abhorreat si dixerimus sanctum Præsulem obiter ista perstrinxisse, quod imprudenti zelo privati quipiam convivium hujusmodi frequentarent: aut forte ipsum indicare voluisse Romanam Ecclesiam, ubi eadem consuetudo etiamnum ut memorabili Pammachi exemplo demonstratur, vim obtinebat.

Ad extremum hic addi potest vix ullum ex Ambrosianis operibus in editionibus hoc tractatu magis depravatum exstare: sed eum a nobis magna cura ad mss. codices bonæ notæ, atque in primis ad Colbertinum qui ante mille annos videtur exaratus, exactum castigatumque fuisse.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE ELIA ET JEJUNIO

LIBER UNUS ^a.

535 CAPUT PRIMUM.

Sicut olim Patres, cum progredierentur ad bellum, atque in neomeniis diebusque lætitiæ tuba canebant; ita et nobis diebus jejunii, paschaliq[ue] festo appropinquantibus tuba canendum.

1. Divinum ad patres resultavit oraculum, ut cum egredierentur ad bellum, ^b tuba canerent (Num. x, 9), cujus sonitu Dominus reminisceretur populi sui, quo petitum conferret auxilium plus quæ misericordiæ suæ incentiva cognoscens; et in diebus lætitiæ suæ, in neomeniis suis concinerent tubarum sono. Unde et David dicit: *Canite in initio mensis tuba* ^c *in die frequenti solemnitate vestræ* (Psal. LXXX, 4). Veniet igitur nobis dies solemnitate, et jam appropinquat. Canamus tuba tamquam in prælium progredientes. Canamus tuba, ut annuntiemus solemnitate diem, simul nobis et certamen imminet, et victoria repromittitur. Victoria nostra, crux Christi est: tropæum nostrum, pascha est Domini Jesu. Sed ille ante est præliatus, ut vinceret, non quod ipse egeret certamine; sed ut nobis formam bellandi ante præscriberet, et postea daret gratiam triumphandi. Certamen nostrum, jejunium est. Denique jejunavit Salvator, et sic tentator ad eum accessit. Et primum gulæ direxit spiculum dicens: *Si Filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat* (Luc. iv, 3). Ille cibum velut escam laquei præterdit, ut sic illaquearet appetentiam corporalem: Dominus jejunium prætulit, ut

^a Scriptus forte anno 390.

^b Ita mss. omnes; ubi post *incentiva*, subintellige, *sunt*. A mss. vet. edit. hoc tantum discrepant, quod legunt, ... *plusque misericordiæ suæ incentiva cognoscens in diebus*, etc. Verum editores Romani conjecturis suis forte liberius indulgentes, sic locum reformare conati sunt: *tuba canerent; quod foret signum, ut reminisceretur Dominus populi sui, et petitum conferret auxilium; insuper et ut provocaret populus incentiva misericordiæ; in diebus lætitiæ suæ, in*

A laqueos tentatoris, ut vincula dissolveret. Denique sic habes scriptum: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (Ibid., 4). Illo laqueo Adam fuerat **536** strangulatus, hac absolute diabolice quæstionis omnis homo est liberatus.

CAPUT II.

Quam magna virtus sit jejunii, quamque speciosa ac valida ejus militia, exemplo Christi atque sancti Eliæ comprobatur.

2. Magna virtus est jejunii. Denique tam speciosa ejus militia est, ut jejunare delectaret et Christum: tam valida, ut ad cælum homines erigeret. Et ut humanis magis quam divinis utamur exemplis, de Eliæ jejuno ore vox emissa cælum clausit sacrilego populo Judæorum (III Reg. xvii, 1). Etenim cum a rege Achab altare esset idolo constitutum, ad verbum prophetæ tribus annis et sex mensibus ros pluvie non cecidit super terram. Digna pœna quæ intemperantiam congrue coerceret; ut cælum impiis clauderetur, qui terrena polluerant. Dignum etiam, ut ad condemnationem regis sacrilegi propheta ad viduam in Sareptam Sidoniæ mitteretur, quæ quoniam devotionem cibo prætulit, meruit ut ariditatis publicæ sola non sentiret ærumnam. Itaque non defecit ^d hydria polentæ, cum torrentis fluentia deficerent.

3. Quid ejus reliqua contexam? Jejunus filium viduæ ab inferis resuscitavit: jejunus pluvias ore de Neomeniis, et festis diebus concinerent, etc.

^c Edit., *in die frequenti*; scripti cod., *in die insigni*.

^d Cunctæ edit., *hydria farinæ*. Cuncti mss., *hydria polentæ*; duos tamen excipimus, in quibus *hydria farinæ polentæ*. Sed verisimile est vocem, *farinæ* primo in glossa positam, ac postea in textum receptam, demum inde legitimam ejectam. Est autem polenta farina hordei frisa.

posuit : jejunos ignes de cœlo eduxit : jejunos curru A raptus est ad cœlum : et quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit. Jejuno^a ore statuit fluentia Jordanis, et redundantem fluminis alveum repente siccatum pulverulento transmisit vestigio. Merito illum dignum cœlo divina judicavit sententia, ut cum ipso raperetur corpore; quoniam cœlestem vitam vivebat **537** in corpore, ac supernæ usum conversationis exhibebat in terris.

CAPUT III.

Jejunii commendatio : deque jejunio sancti Joannis; et qualis esca a nobis quærenda sit.

4. Quid est enim jejunium, ^b nisi substantia, et imago cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis est jejunium, vita est angelorum jejunium, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citius pervenitur : hoc gradu Elias ascendit, antequam curru. Hanc hæreditatem sobrietatis et abstemiæ ad cœlum abiens discipulo dereliquit. In hac virtute et spiritu Eliæ venit Joannes. Denique in deserto et ille vacabat jejuniis. Esca autem ejus erat locusta, et mel silvestre. Et ideo quia vitæ humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed angelus æstimatus est. De ipso legimus : *Etiā plusquam propheta. Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te (Matth. xi, 9 et 10).* Quis humana virtute equos igneos, curru igneos potuisset ascendere, regere currus aereos, nisi qui naturam humani corporis, incorruptibilis jejunii virtute mutasset?

5. Sed de Eliæ gestis plurima jam frequenti diversorum librorum sermone digessimus; et cavendum arbitror ne in eadem recurramus, cum præsertim in opere suo ipse laudetur. Imitemur ergo illum, et eam escam quæramus, cujus virtute diebus ac noctibus progredi ad supernorum possimus cognitionem. Non enim omnis esca materialis, nec omnis cibus corporalis; est cibus mentis, ut diximus, quo epulantur animæ, de quo ait Dominus : *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis est (Joan. iv, 34).* Hic cibus angelorum est, ut divino famulentur imperio. Nulla illis cura mensarum, D nullus conviviorum usus, nullæ repositæ epulæ, nullus vini potus aut siceræ, nulla distentio corporis, nulla ventris offensio.

CAPUT IV.

De origine et antiquitate jejunii, a quo primus usus mundi cœpit, de quo prima lex in paradiso consti-

^a Videsis notam lib. de Ben. Patriarch., c. 3, n. 14, subjectam.

^b Rom. edit., nisi vitæ imago cœlestis. Aliæ cum mss. omnibus, ut in textu.

^c Mss. aliquot, mundus haberet perire.

^d Vet. edit., quæ prima prævaricatio. Indictum jejunium, abstinentiæ lex, etc. Cod. Vall. et Mich.,

tuta fuit; quod tandem quos gula denudaverit, operit.

6. Itaque ne terrenum quis, aut novellum putet esse jejunium, primus usus mundi a jejunio cœpit, quando lux clara resplenduit (*Gen. 1, 3 et seq.*). Secundus dies in jejunio, quando cœli factum est firmamentum. Tertio die pabulum terra germinavit, natura obsequium præbuit, jejunium tamen cœlestis disciplina servabat. Quarto die luminaria facta sunt solis et lunæ, et adhuc jejunium. Quinto die præduxerunt aquæ repentina animarum viventium, et volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli : et vidit Deus quia bona, et benedixit ea, dicens : *Crescite et multiplicamini, et replete aquas quæ sunt in 538 mari : et volatilia multiplicentur super terram (Ibid., 22).* Et adhuc jejunium. Denique benedixit ea, sicut scriptum est, et dixit : *Crescite, et non dixit : Edite et manducate.* Sexto die bestię sunt creatæ (*Dist. 55, c. Sexto die*), et cum bestiis orta edendi potestas est, et usus escarum. Ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi. Ubi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt divina circa eum opera feriari. Quo indicio declaratum est quod per cibos^c mundus haberet imminui, per quos desiit augeri. Nemo delictum sciebat, nemo pœnam timebat, nemo noverat mortem.

7. Plantavit Dominus paradysum ad gratiam beatorum, posuit ibi hominem operari, et custodire eum. Et ut sciamus (*Dist. et cap. iisdem, § Et ut sciamus*) non esse novellum jejunium, primam illic legem constituit de jejunio. Sciebat enim quod per escam culpa haberet intrare. Prima pœna de jejunii prævaricatione intraverat, dicente mandato Dei : *De ligno quod est scientiæ boni et mali non comedetis : qua die autem manducaveritis ex eo, morte moriemini (Gen. ii, 17).* Eo usque autem (*Dist. et cap. iisdem, § Eo usque*) nemo prævaricari noverat, ut adhuc orta non esset, quæ prima est^d prævaricata indictum abstinentiæ. Lex a Domino Deo, prævaricatio legis a diabolo : culpa per cibum, latebra post cibum. Cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in jejunio. Denique quamdiu interdictis abstinere, nesciebant esse se nudos : posteaquam manducaverunt de interdicta arbore, nudatos esse se cognoverunt. Merito ergo mulier ubi culpæ agnovit auctorem, interrogata respondit : *Serpens persuasit mihi, et manducavi (Gen. iii, 13).* Serpens gulam suadet, Dominus jejunare decernit (*Dist. et cap. iisdem, § Serpens*). Denique ipse ait : *Jejunate et orate, ne intretis in tentationem (Matth. xxvi, 41).* Itaque gula de paradiso regnantem expulit, abstinentia ad paradysum revocavit errantem.

8. Et dixit Deus : *Ecce Adam factus est quasi*

quæ prima prævaricata indictum jejunium abstinentiæ. Lex, etc. Rom. edit. et Vat. unus, . . . prævaricata edictum. Abstinentiæ lex, etc. Nobiscum vero faciunt Thuan., Germ., Viet., Laud. et Colb. Rursus ubi plures mss. ac omnes edit., latebra post cibum; quatuor mss. optimæ notæ, illecebra post cibum,

unus ex nobis (Gen. III, 22). Irridens utique Deus, A non approbans dicit, hoc est: Putabas te similem fore nostri: sed quia voluisti esse quod non eras, deslitisti esse quod a eras: intra te eras, et dum supra te esse affectas, infra te esse coepisti. Denique vestivit eum tunica pellicea prius, et sic ait: *Ecce Adam*, quasi dicat: *Ecce amictus tuus, ecce dignum indumentum tuum, hic te vestitus decet.* Qui divina affectant, tali digni habentur ornatu. Ecce quo te tua culpa deduxit, ecce nunc in hac tunica pellicea tamquam unus ex nobis aperuisti oculos. Circumspice diligenter, nudum te aspicias, quem vestitum putabas.

9. Gula ergo nudos facit, jejunia operiunt etiam exutos. Unde David ait: *Operui in jejunio animam meam* (Ps. LXVIII, 11). Bonum operimentum, quod animam tegit, ne a tentatore deprehendatur, ne a tentatore nudetur. Bonum velamen quod tegit culpam, tegit abstinentia, tegit gratia. Beati enim quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Tegit gratia, dum remittit, et omnem abolet errorem: tegit abstinentia, dum obumbrat vitium, et mæsto abscondit affectu, atque extenuat poenitendo. Etenim jejunium et **539** elemosyna a peccato liberant. Opertus erat Adam virtutum velamine priusquam prævaricaretur, sed tamquam exutus prævaricatione, vidit se esse nudum; quia indumentum quod habebat, amiserat. In diebus enim jejuniorum vestrorum *oriatur*, inquit, *tibi^b matutinum lumen tuum, et sanitas tua matura oriatur, et præcedet ante te justitia, et circumdabit te majestas Domini* (Esai. LVIII, 8). C Bonum vestimentum lux. Scriptum est enim: *Circumdatus luce sicut vestimento* (Ps. ciii, 2). Bonum vestimentum, quando circumdat Dominus et operit jejunantes.

CAPUT V.

Noe quod inebriatus fuerit, ob ignorantiam excusatur: et quæ mala ex vini usu nata sint, quæve bona ex ejusdem abstinentia, propositis utrinque exemplis declaratur.

10. Nudatus erat Noe quando inebriatus est, textit eum pietas filiorum. Sed nudatus erat per ignorantiam, non per intemperantiam; adhuc enim vinum nesciebatur. In principio generis humani ignorabatur ebrietas (Dist. 55, cap. Sexto die, § In principio). D Primus ipse plantavit vineam: dedit naturam, sed ignoravit potentiam. Itaque vinum nec suo pepercit auctori. Quid mirum si cum Dominus ipse creaturas suas laudaverit, et iste miratus est? Itaque cum eum delectaret reperti muneris gratia, tentavit vehementior creatura insuetos senis artus, turbavit nova

^a Vet. edit., quod eras. Itaque dum supra te esse affectas. Bonus sensus: melior tamen edit. Rom. ex uno Vat. codice. Gallicani vero partim huic, partim illis accedunt, in quibus tamen aliquid omisum esse apparet, præter quam in cod. Mich. et Vall. in quibus legas satis commode, quod eras. Ita qui supra te esse affectabas, etc.

^b Rom. cum plerisque mss., . . . matutinum, et

potio. *Dormitaverunt*, inquit, *qui ascenderunt equos* (Psal. LXXV, 7). Ascendit corporis voluptates justus, et obdormivit. Sed illius ebrietas nobis suadet sobrietatem (Dist. et cap. iisdem, § Sed illius). Semel enim inebriatus est Noe. Ubi vero malum ebrietatis agnovit, inventum suum ad remedium temperavit, non effudit ad vitium. Unde et Apostolus ait: *Modico vino utere propter frequentes tuas infirmitates* (I Tim. v, 25).

11. Manebat antequam vinum inveniretur, omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat a consorte naturæ suæ obsequia servitutis exigere. Non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset. Obreperat quidem jam fraternæ prælationis invidia, manebat tamen adhuc paternæ pietatis reverentia. Læsa pietas est, dum ridetur ebrietas. Non illis itaque solis nocent vina quos tentant, sed et illis amplius quorum oculis temulenta ebriorum membra nudantur. Hinc risus irreverens nascitur, hinc libido inflammatur; ut multo majore temulentia eos vina perturbent, quorum oculos ac mentes inebriaverint, quam quorum membra prostraverint.

12. Legimus etiam (Dist. et cap. iisdem, § Legimus) quod patrem Lot inebriaverint filia in eo monte (Gen. xix, 33 et seq.), ad quem timentes incendia Sodomitana confugerant, et habitabant in spelunca. Convenit ebrietati atque concurrat ætas, sexus, solitudo, locus, ferarum magis latibulis, quam humanis aptior domicilliis. Fuit itaque ebrietas origo incesti, pessimæ generatricis partus deterior.

13. At non Abraham vina in suo convivio ministrabat: sed immolabat vitulum, butyrum, et **540** lac etiam angelis hospitibus exhibebat. Coeli dominum, mundi agnoscebat auctorem: vinum tamen exhibere non poterat. Sed recte illic deerat materia peccati, ubi erat remissio peccatorum.

14. Denique annuntiavit eum Joannes neque manducans panem, neque bibens vinum. Qui enim Christum annuntiat, ab omni vitiorum incentivo præstare se debet alienum. Vicit igitur sanctum Noe, vel etiam Lot Abrahæ nepotem ebrietas, quorum alter cum jejunaret, diluvio superstes fuit, alter incendio.

15. Moysen quoque cognovimus sitiienti populo amaritudines aquarum temperasse, non vina. Cui petra aquam vomuit, potuit et vini abundantia non deesse. Denique dixit Deus: *Percuties petram, et exiet aqua ex ea, et bibet populus* (Exod. xvii, 6). Non dixit: Exiet vinum in populo. Periculosum enim erat vinum populo ministrare, quod fortiores ferre vix possent.

cum nonnullis, . . . mature. Vet. edit. cum mss. aliis, . . . magnum . . . matura. Porro visus est quibusdam viris doctis hic locus esse corruptus; cum ubi habent exemplaria nostra, *Et sanitas tua*; Tert., Cypr. et Aug. scribant, *Et vestimenta tua citius orientur*. Ubi manifestum est eos non *ἰσχυρὰ* sed *ἰσάτια* legisse. Et forte non aliter legerit ipse Ambrosius.

CAPUT VI.

De lege jejunii a Moysé data, et de jejunio ejusdem.

Quomodo matrum Samson et Samuelis sterilitatem abstinentia vini secundaverit; quibusque cibis Elisæus filios prophetarum aluerit?

16. Denique Moyses de jejunio legem dedit, de vino non dedit. Ipsum quoque jejunantem non voces magnæ, non fulgura et nubes nimboſa, non fumigans Sina perterruit. Neque vero introisset in nubem, et vocem Dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis jejunii fuisset. Quadraginta enim diebus jejunavit in monte, cum Legem acciperet a Domino Deo nostro. Et in superioribus quidem montis Lex dabatur Moysi jejunanti, in inferioribus populo manducanti prævaricatio sacrilega luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus fregit tabulas Moyses, indignum judicans ut ebrius populo Lex daretur. Itaque tabulas Legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas.

17. Quid vero alia dicam? Nonne sterilitatem matris Samson vini abstinentia fecundavit, et parientem fecit ex sterili? Quoniam juxta præceptum Domini vinum non bibit. Nonne Annam non manducantem exaudivit Dominus, et infecunditatem ejus solvere jejunia? Ex quibus duo generati, unus fortissimus, alius observantissimus, dignos se præbuerunt, qui jejunii gremio diu foti, et quodam abstinentiæ effusi utero viderentur. Idem itaque Samson, qui matris sobrietate generatus est, allo-

phyllorum^a insultantium sibi ebrietate est vindicatus. 18. Elisæus vates qui de magistro didicerat parcimoniam, cum filios aleret prophetarum, vitis agrestis grumulis mensas onerabat, et^b ineptis silvestribus oleribus hospitalitatis implebat officium. Quorum offensi amaritudine cum manducare non possent, levis farinæ aspersione omnem illam amaritudinem temperavit, abstinentiæ propheticæ munere veneni vires evacuans.

541 CAPUT VII.

Tribus pueris in fornacem jejuno stomacho ingressis flammam refrigerium attulisse; ac leones etiam jejunare Danielis edoctos esse jejunio.

19. Est quædam creaturæ natura^c, quam amian-

^a Rom. edit., *insultantium sibi ebrietate perit.*

^b Edit. Era., Gill. et Rom., *inemptis silvestribus oleribus.* Am. et mss. omnes, *ineptis*, etc. Non male. Idem enim est atque ad escam parum idoneis.

^c Mss. duo, *quam amantium vocant*; Unus, *quam adamantem*; Am. et Era., *quam adamantium vocant*, et sic infra. Alii mss. atque edit., *quam amantum*, etc. Quæ vera lectio est; hic enim reddere voluit Ambrosius illud Basillii ex hom. 1 de Jejuniis: "Ἔστι τις φύσις σώματος ἣν κάλουσιν ἀμιάτων, ἀνάλωτος πυρί, etc. De hoc lapide multa habent Plin. lib. xxxvi, cap. 49, Diosc. lib. v, cap. 93, et in hunc ultimum Matthiæ lib. v, cap. 145, ubi docet eundem lapidem ipsissimum alumen esse, quod a nobis dicitur *alun de plume*, ex quo etiam nunc ellychnia incombuſtabilia conficiuntur. Et post pauca pro, *ignescit il-*

lico, mss. aliqui habent, *ignis, et illico*; aliqui, *foci igne, vel, ignibus, et illico*, etc. ^d Ita mss. Thuan., Germ., Dion., Viet. et Colb. Alii vero cum ant. edit., *quæ de jejunio... vapore ignis... mutabantur.* At Rom. edit. sola, *quæ jejunio... utebantur.* ^e Edit. Rom., *ubi quia jejuni ingressi sunt... flatum roris refrigerantis spiritu hausere.* Vet. autem edit. cum mss. in lectionem nostram conspirant, præter quam quod hi præferunt, *coepere statim*, ubi in illis legitur, *tepore statim*, etc. ^f Vet. edit., *Clausa tenebant feri leones ora, quæ abstinentia propheticæ sanctitatis... meriti quibusdam;* Rom. autem... *abstinentia prophetæ sancti... veluti quibusdam*, etc. At mss. nostram in lectionem omnes consentiunt.

B paverant.

20. Daniel, vir desideriorum, trium hebdomadarum jejunio leones quoque docuit jejunare, missus in lacum, in adamantis rigorem abstinentiæ soliditate membra duratus non patuit vulneri. Sic eum constrinxerant jejunia, ut in ejus corpore ferarum moribus locus esse non posset. ^f Clausa tenebant leones ora, quæ abstinentiæ propheticæ sanctitas comprimebat; ut ea feræ aperire non possent meriti quibusdam vinculis alligata.

21. Jejuniū itaque virtutem ignis exstinxit, jejuniū ora obstruxit leonum, jejuniū maris fluētia solidavit, jejuniū petram solvit in fontes aquarum, virtute jejunii contra suam mutata naturam et fluctus obriguit, et petra inundavit.

CAPUT VIII.

Jejunii commoda ut magis eluceant, cum gulæ incommodis comparat, ac perturbationum, quas eadem gula inferre solet, elegantissimam subjicit descriptionem; cui exhortatio ad sobrietatem conjungitur.

22. Sed quid vetustis utar exemplis, cum abundet jejuniū etiam præsentium muneribus gratiarum? Quis deterioravit domum suam 542 jejunio? Quis imminuit facultates? Cui non suspecta luxuries? Cui non venerabilis abstinentia? Cujus thorum appetivit parcimonia? Cujus pudorem non læsit ebrietas? Jejuniū continentiae magisterium est, pudicitiae disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, mise-

lico, mss. aliqui habent, *ignis, et illico*; aliqui, *foci igne, vel, ignibus, et illico*, etc.

^d Ita mss. Thuan., Germ., Dion., Viet. et Colb. Alii vero cum ant. edit., *quæ de jejunio... vapore ignis... mutabantur.* At Rom. edit. sola, *quæ jejunio... utebantur.*

^e Edit. Rom., *ubi quia jejuni ingressi sunt... flatum roris refrigerantis spiritu hausere.* Vet. autem edit. cum mss. in lectionem nostram conspirant, præter quam quod hi præferunt, *coepere statim*, ubi in illis legitur, *tepore statim*, etc.

^f Vet. edit., *Clausa tenebant feri leones ora, quæ abstinentia propheticæ sanctitatis... meriti quibusdam;* Rom. autem... *abstinentia prophetæ sancti... veluti quibusdam*, etc. At mss. nostram in lectionem omnes consentiunt.

rationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia juventutis. Jejunium est infirmitatis allevamentum, alimentum salutis. Nemo cruditatem jejunando incidit, nullus per continentiam a ictum sanguinis sensit, immo nullus non repressit et repulit. Bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ: bonum in mari, sedat naufragia, cibum servat.

23. Qui grave dicunt jejunium esse, respondeant quis jejunio defecerit. Multi in prandio, plerique dum vomunt epulum, sudere animam. Quod postremo animal jejunium sibi causam fuisse mortis ingemuit? Per escam laqueus non cavetur, in esca hamus latet, cibus deducit in foveam, et cibus inducit in retia, cibus visco etiam aves illigat, cibus volantes deponit ad mortem. Quæ non propter ventrem pericula? Muta animalia crimen nesciunt, et in hoc solo tamquam pro crimine puniuntur. Jejunium sobrietas mentis est, hoc vigent sensus, in hoc judicia tractantur, in convivio pocula. Jejunium custodit disciplinam, luxuriam sequitur inopia. *Luxuria mater est famis* (Tob. iv), secundum propheticum dictum. Jejunium quietem diligit, luxuria b inquietudinem. Jejunium otia serit, luxus negotia.

24. Ferietur aliquando coquorum vestigiorum machæra. Requiescat obsonator qui antequam luceat, fores pulsat alienas, et tamquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem advertis: interrogas quæ causa perturbationis sit. Poscit, inquit, dominus meus, ubi vinum melius veneat, quærit ubi durior e vulva curetur, ubi jecur mollius, ubi phasianus pinguior, ubi piscis recentior. Cursitat per diversa; et cum invenerit, summo cursu properat. Inquietat dominum somnolentum, auctionatur pretia. d Si pretium moverit piscis, nusquam meliorem asserit inveniri, immo deesse. Heri, inquit, tempestas, hodie procella, vix istam potui latentem deprehendere. Multi concurrant in macello: si tu reddideris, alter plus dabit; et quid exhibebis e in prandio? Istius vini ille natalis est, hæc ex illo lacu lecta ostrea: talis fit de singulis licitatio. 543 f Hasta quædam agitur inter

a Ictum sanguinis, id est, ἀποπλεξίαν: quo etiam verbo morbum hunc vocitavit in Marco Antonino Aurelius Victor.

b Ita mss. omnes Gall. nisi quod Dion. codex e regione vocis, vestigiorum, habet in marg. vel mastigatorum, quam vocem Germ. præfert in textu, pro qua in Mich. legitur nostrorum, et in Vall. vestrorum. Hinc colligas in ista dictione aliquid corruptionis videri, quod in causa fuerit, cur nonnullis vocibus detractis totum locum in hanc formam edit. exhiberent, nempe vel. inquietudinem. Obsonator est qui antequam, etc. Rom. véro, inquietudinem. Jejunium otia quærit, luxus sectatur negotia. Obsonator antequam, etc. Sed quæ prætermittenda sunt restituenda esse satis ostendit hic Basilii locus, πέπανται μαγειρών ἢ μάχαιρα, quem ab Ambrosio usui suo accommodatum esse manifestum est.

c Vulva porcina, et jecur anserinum antiquis in deliciis erant.

d Si pretium moverit, subintellige emptorem, id est, si pretium emptori charius visum fuerit.

A obsonatorem, et pastorem. Turbatus addicit patrimonium, rogat adhuc per quos suorum bonorum jura minuuntur.

25. Curritur ad coquinam, fit ingens strepitus, fit tumultus. Tota exagitur familia, maledicunt omnes, quod nulla his requies detur. Tandem aliquando da requiem coquo. Instar statuæ pincernæ dextera summo gelu riget. Ille in frigida exercet manus, illi marmora lavant. Mundant pavimenta vino madida, et spinis cooperta piscium; et quanti dum ambulat, vulnerantur? In ipso convivio clamor epulantium, gemitus vapulantium. Si quid forte displicuit amicis, illi rident, tu indignaris. Sileat aliquando domus a multis perturbationibus huc atque illuc discurrentium, vacet fumo, et semiustulorum nidore. B Non coquinam, sed carnificinam putes: prælium geri, non prandium curari; ita sanguine omnia nant.

26. g Malæ dominæ servitur gulæ, quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilis ventre? Hodie suscipit, et cras exigit. Cum impletus fuerit, disputatur de continentia: cum digesserit, vale virtutibus dicitur, quærit luxuriam. Inter pocula philosophia prædicatur, inter philosophos vina laudantur. h Vigilæ, inquit, et cholera, et tortura viro insatiabili (Eccli. xxxi, 25): manducat et paulo post pœnitet: non illum diutius sua intemperantia delectavit.

27. Attende divitem qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, cujus ad januam mendicus ille Lazarus jacebat plenus ulceribus, cupiens saturari ex his quæ de mensa cadebant divitis. Paulo post cum esset mortuus, cœpit rogare positus in inferno, ut extremum digiti sui pauper ille in aquam intingeret, et refrigeraret linguam ejus, quæ ardebat incendio. Ubi illæ copix? Ubi illæ ebrietates? Sicit qui inebriabatur: abundat qui mendicabat. In ipso convivio dum bibunt, sitiunt; et cum inebriati fuerint, amplius bibunt. Quasi aperto gurgite vinum jam non bibitur, sed infunditur: poculum non libatur, sed exinanitur.

e Codex Mich. solus, In prandio istius viri? Illius natalis. Hæc ex illo, etc. Rursus ubi vet. edit., jactitatio; Rom. et mss. plures, licitatio, etc., ut in textu: habent nonnulli, litigatio æstu quodam agitur, etc.

D f Id est auctio, quia rerum venalium licitatio hasta in foro posita fieri solebat. Paulo post autem pastorem eum vocitat quem parochum ac præbitorem dicebant, eum nempe qui convivas mensa excipiebat. Quo sensu infra cap. 15, num. 49, idem ab Ambrosio appellatur is qui pascit: unde pastus secutis temporibus idem significavit atque convivium.

g Edit. Am. et Rom., Male domini servitur gulæ. Era. et Gill., Male dominicæ, etc. Mss. vero. malæ dominæ. Basilii ἀπαραιτήτῳ δεσποίνῃ τῇ γαστρὶ λειτουργούντων.

h Latinius legendum conjicit: labor, inquit, et cholera. Et ei quidem ms. unus astipulatur; nobis autem cæteri, atque omnes edit.; LXX vero legunt, Πόνος ἀγρυπνίας, καὶ χολέρας (unum exemplar teste Nobilio, χολέρα), καὶ στρόφος μετὰ ἀνδρὸς ἀπλήστου.

CAPUT IX.

Cur potentes vinum bibere prohibeantur? Judith jejunans Holophernem obtruncat: iisdemque artibus populum suum liberat Esther, cui poenas ebrius Aman exsolvit. Postremo variae jejunii laudes enumerantur.

28. *Spinæ*, inquit, nascuntur in manu ebriosi (*Prov.* xxvi, 9), quia ipse se manibus suis vulnerat, et ulcera sibi in pectus deficit. His spinis scindit vestimentum fidei quod accepit, et thesaurum suum servare non poterit. Omnis enim ebriosus et fornicator egebit, et induet se scissa vestimenta insipientiæ. Et ideo potentes vinum prohibentur bibere; ne cum biberint, obliviscantur sapientiam (*Prov.* xxxi, 4).

544 29. Denique bibebant vinum in ebrietate potentes, qui Holopherni principi militiæ regis Assyriorum se tradere gestiebant: sed non bibebat femina Judith, jejunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solemnitates. His armis munita processit, et omnem Assyriorum circumvenit exercitum. Sobrii vigore consilii abstulit Holophernis caput, servavit pudicitiam, victoriam reportavit. Hæc enim succincta jejunio in castris prætendebat alienis: ille vino sepultus jacebat, ut ictum vulneris sentire non posset. Itaque unius mulieris jejunium innumeros ^a stravit exercitus ebriorum.

30. Esther quoque pulchrior facta est jejunio; Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat. Omne genus suum, id est, totum populum Judæorum a persecutionis acerbitatibus liberavit; ita ut regem sibi faceret esse subjectum, non libidinis ardore flammatum, sed cœlesti miseratione conversum; ita ut et poena retorqueretur in impium, et honor sacris redderetur altaribus. Itaque illa quæ triduo jejunavit continuo, et corpus suum aqua lavit, plus placuit, et vindictam retulit. Aman autem dum se regali jactat convivio, inter ipsa vina poenam suæ ebrietatis exsolvit.

31. Est ergo jejunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam feminas fortiores augmento gratiæ. Jejunium nescit feneratorum, non sortem fenoris novit, non redolet usuras mensa jejunantium: non strangulant filium continentis viri paternæ centesimæ: non vexant viduam oppignorata sobrii viri ^b jura defuncti: non defenestrata excludit hæredem aula jejuni.

^a Rom. edit., *stravit exercitus Assyriorum*. Codex Germ.,.... *Chaldæorum*. Alii omnes mss. ac edit.,.... *ebriorum*.

^b *Aberat vōx jura, ante defuncti*, omnibus edit., sed ea in omnibus mss. invenitur.

^c Omnes edit., *nescit vinum quærere*; mss. vero, *nescit vini quærere vetustates*; nonnulli, *venustates*.

^d Ita edit. omnes cum mss. aliquot. Alii tamen nec ætate nec numero inferiores, *Mysticæ quoque mensæ jejunio comparatur illa mensa*. Torn. solus, *Mystica quoque mensa jejunio comparatur illi mensæ*.

^e Adverte hoc loco veterem Mediolanensi Ecclesiæ consuetudinem non jejunandi sabbato; et super

A 32. Etiam ipsis jejunium convivii dat gratiam. Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, et diuturna continuatione vilescent. Condimentum cibi jejunium est. Quanto avidier appetentia, tanto esca jucundior. Commendat sitis poculum, ^e nescit vini vetustates quærere. Jejunus quidquid hauserit, transmittit ad satietatem, non ad iudicium nare suspendit. Usu etiam pretiosa degenerant: quorum autem difficilis possessio, eorum grata perfunctio. Ipse sol post noctem gratior, ipsa lux post tenebras splendidior, et post vigiliis sopor dulcior, ipsa salus post ægritudinis tentamenta jucundior. Ab ipso mundi conditore didicimus sæpe diversitatibus cumulari gratiam. Patrocinator ergo et convivio famæ, ut gratior fiat mensa jejuniis.

B

CAPUT X.

Mystica mensa jejunio comparatur. Quæ famæ faciat acceptabile jejunium; quidve sit quod dicitur: Cum jejunatis, ungitur caput vestrum, moraliter ac mystice disquiritur.

33. ^d Mystica quoque mensa jejunio comparatur: illa mensa, de qua dicit David: **545** *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me* (*Psal.* xxii, 5). Mensa ista famis acquiritur pretio: et poculum illud inebrians sobrietate, cœlestium sacramentorum siti quæritur. Dixit enim Dominus: *Qui sititis, ite ad aquam, et quicumque non habetis argentum, ite et emite, et bibite et manducate* (*Esai.* lv, 1). Et alibi ait: *Ecce qui serviunt mihi, manducabunt: vos vero esuriatis. Ecce qui serviunt mihi, bibent: vos autem sitietis* (*Esai.*, lxxv, 13). Qui vos nisi qui ante potastis? De quibus supra dixit: *Parastis dæmonii mensam, et impletis fortunæ poculum* (*Ibid.*, 11). Ergo si ad mensam illam venerabilem jejunia sancta nos perducunt: si hac fame illa quæ sunt æterna mercamur; quid de iis dubitamus quæ in usu humano sunt, quod etiam suaviora hæc nobis faciat jejunium?

34. Non autem omnis famæ acceptabile jejunium facit, sed famæ quæ Dei timore suscipitur. Considera: ^e Quadragesima totis præter sabbatum et Dominicam jejunatur diebus. Hoc jejunium Domini pascha concludit. Venit jam dies resurrectionis, baptizantur ^f Electi, veniunt ad altare, accipiunt sacramentum, sitientes totis hauriunt venis. Merito dicunt singuli refecti spiritali cibo, et spiritali potu: *Parasti in conspectu meo mensam.... et poculum tuum*

eadem re consule nostram in hunc librum Admonitionem.

^f *Electi*, gradus hic erat inter catechumenos. Etenim quamvis omnes ad baptismum candidati communi nomine vocarentur catechumeni, variis lamen inter se ut gradibus, ita et vocabulis distinguebantur. Qui episcopo suam amplectendæ fidei voluntatem professus fuerat, jam *christiani* nomen obtinebat: mox factis abjuramentis ad sacras admittebatur catecheses, actum proprie *catechumenus* dicebatur: eum deinde solitis expiatis exorcismis *initiatum* nominabant: postea ubi cum alijs baptismi gratiam postulasset, vocabant *compotentem*: demum si per suffra-

inebrians quam præclarum est (Psal. xxii, 5)! Non sola autem fames quæritur, sed plena disciplina jejunii. Denique aliis dicitur: *In diebus jejuniorum vestrorum invenitis voluntates vestras, et omnes subditos vobis stimulat. An ad judicia et rixas jejunatis et percussit pugnibus? Ut quid mihi tale jejunium, ita ut audiatur in clamore vox vestra? Non hoc jejunium ego elegi, et diem ad humiliandum animam suam hominem: nec si flectas ut circulum collum tuum, cinerem etiam et cilicium substernas, nec sic vocabitis jejunium acceptum. Non tale jejunium ego elegi, dicit Dominus (Esai. lviii, 3 et seq.).* Quod jejunium improbetur, audivimus: nunc audiamus quod sit probabile. Sed solve omnem colligationem injustitiæ tuæ: dissolve obligationes violentarum commutationum, dimitte con-
fractos in remissionem, et omnem conscriptionem iniquam dirumpe. Frange esurienti panem tuum: et egenos non habentes tectum, induc in domum tuam: et si videris nudum, cooperi eum: et domesticos seminis tui non despicias. Vides quæ species sit et forma jejunii, a quis mentis habitus; ut orationi vaces, et in lege Dei die ac nocte mediteris.

55. Ipsa figura corporis plena gravitatis, nullus rubor ebrietatis circumfusus genas qui intuentium offendat aspectus, sed vultus casto micet pallore reverendus, sermo gravior, oculus verecundior, gressus stabilior atque moderatior, plerumque enim turbatiore incessu proditur motus animorum. Vultus intentior, et quidam cogitationis suæ arbiter; et tacitus cordis interpret; ut neque tristitiam prætexat, neque solvatur risu **546** incontinenti. Non enim C superfluum hoc putes nostræ commonitionis; cum Sapientia dicat in Evangelio: *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes (Matth. vi, 16).* Ideo dixit hypocritas, eo quod simulatione alienam personam induant; sicut in scena qui tragœdias canunt, pro eorum dictis quorum personas gerunt, motus suos excitant, ut aut irascantur, aut mœreant, vel exsultent. Affectant enim isti, ut jejunare videantur, hominibus magis quam Deo cupientes probari, quod faciebant Judæi.

56. Et ideo nobis dicitur: *Vos autem cum jejunatis, ungit caput vestrum, et faciem vestram lavate, ne pareatis hominibus quia jejunatis, sed Patri vestro qui est in abscondito: et Pater vester qui videt in abscondito, reddet vobis (Ibid., 17 et 18).* Quid est Ungite D caput vestrum? Sed et luxuriosi dicunt: Vino et unguentis nos repleamus. Unguento enim se unguunt, b qui corporei odoris gratiam quæerunt. Sed illa unguenta libidinis illecebram movere consuerunt. Aliud

gia dignus eodem sacramento fuisset judicatus, ipsum in electorum ordinem referebant. Sunt etiam qui catechumenos aliis nominibus recenseant; illos siquidem *audientes, genuflectentes, substratos, electos, competentes* appellant. Vide si lubet Albaspin. in Opt. Milev. Joseph Vicecom. lib. ii, cap. 2, et alios.

^a Mss. aliquot, *quia abdita probat.* Edit. Am. et Era., *quia mentes abditas probat.* Melius alii mss. atque edit. ut in textu.

^b Edit. omnes, *qui corpori odoris.* Contra mss. omnes, *qui corporei odoris, etc.*

A est sobrietatis unguentum, de quo dicit Ecclesia ad sponsum suum: *Unguentum exinanitum nomen tuum (Cant. i, 2):* aliud oleum quo artus animæ et quædam membra pinguescunt. Unde et David dicit: *Impinguasti in oleo caput meum (Psal. xxii, 5).* Et hoc est oleum lætitiæ, quo unctus est Christus a Deo Patre, ut præ omnibus suis emineret consortibus. Hoc jubet ungi caput nostrum, ut oleo lætitiæ obducatur omnis simulata tristitia; ne videaris jejunium tuum vendere hominibus, ne videaris contristari in animæ tuæ salute. Nemo enim tristis coronatur, nemo mœstus triumphat. Unge ergo caput tuum, ubi sensus sapientis sunt; oculi enim sapientis in capite ejus. c Ad mysteria vocaris; et nescis: discis, cum venis. Et reminiscere illud: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron (Ps. cxxxii, 2),* tunc cognoscis quid sit: *Ungite caput vestrum:* quomodo placueris Deo, ut tibi sua patefaceret sacramenta, et daret gratiam spiritalem.

37. Est et aliud caput mysticum. Quod illud? Audi: *Caput mulieris vir; caput autem viri Christus (I Cor. xi, 5).* Mitte in Christum, mitte etiam in caput ejus unguentum. Caput ejus Deus est. Illa mulier Ecclésiæ typum gerens, quæ in caput ejus misit unguentum, confessa est ejus divinitatem; et quæ in pedes ejus misit, confessa est ejus passionem. Utraque laudatur. Et tu fac quo lauderis quo remissionem accipias peccatorum (Matth. xxvi, 10). Lava faciem tuam, emunda animam tuam peccatricem, lava conscientiam tuam (Luc. vii, 44 et seq.). Index C enim facies plerumque est conscientiæ, et quidam tacitus sermo mentis, cum aut peccato compungimur, aut integritate lætamur. Noli hanc exterminare faciem, lava illam, et omnem sordem conscientiæ tuæ dilue. Exterminat faciem suam qui aliud corde gerit, aliud foris præterdit. Non nos velut **547** quodam peripetasmate operiamus d: quod intus est, foris luceat: quod foris est, intus operetur. Nemo in jejuniis culpam includat, pure ferat innocentiam. Jejunium enim culpæ interfectorium est.

CAPUT XI.

Jejunii virtus amariorum exemplo illustratur, et esca licet dulcis, quam noxia sit, Esau et Jacob historia ostenditur; tum sequitur exhortatio ad jactantiam in jejuniis declinandam.

38. Nemo amarioribus dulcia præoptet. Dulcis voluptas videtur, amarum jejunium. Hoc amaro illud dulce tollatur. Solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. Sicut enim cum in intimis

^c Hic innuitur cautissimum illud silentium quo sancti patres mysteria quædam, ac præcipue eucharistiæ cognitionem catechumenos celare consueverant.

^d Vet. edit. cum tribus mss., *quodam impietate operiamus.* Rom. et alii mss., *quodam peripetasmate,* hoc est, velamine. Rursus ubi edit., *præferat innocentiam.... interfectorem est,* plures ac probatioribus habent; *pure ferat innocentiam.... interfectorium est.* Mss. duo, *interfectio est.*

puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur, exstingui non queunt nisi cum amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inolescit asperior, quorum odore moriantur: ita profundum animæ virtus ingressa jejunii culpam latentem interficit.

39. Quid Esau servum fratri suo fecit? Nonne esca ad horam dulcis, amara in posterum? Quid Jacob dominum fratri dedit? Nonne contemptus cibi ad tempus amarior, sed salubris in reliquum? Ipsa corpora dulcibus frequenter inflantur, et melle jecur tenditur; idem tamen escæ amaritudine temperatur. Ideo non mediocris, sed laudata quæstio: *De manducante exivit esca*,^a et de forti dulce (*Judic. xiv, 14*). Alii habent: *Et de tristi dulce*; Græci codices maxime. Sed et forte laboriosum est; exit enim dulce de tristitia vel labore.

40. Noli ergo te jactare cum jejunas, noli gloriari, ne nihil tibi prosit jejunium. Quæ enim ad ostentationem fiunt, non in futurum fructum extendent suum; sed præsentium mercede consumunt. Elias in deserto erat, ne quis eum jejunantem videret, nisi soli corvi qui eum pascerent. Elisæus in deserto erat, ubi non inveniretur esca, nisi amara. Joannes in deserto erat, ubi solas locustas et mel silvestre inveniret. Jejunantibus epulæ pio angelorum ministerio deferebantur. Prandebat Daniel inter jejunantes leones. Ille prandebat alienum prandium, feræ non tangebant suum. Jejunantibus epulæ volant, prandentibus pedes vacillant: jejunantibus manna de cælo descendit, epulantibus culpa prævaricationis ascendit.

CAPUT XII.

Quemadmodum in omne facinus præcipitet ebrietas: quamque illa ridicula sit et odiosa, eleganti descriptione exponitur. Post quæ nonnulla de luxurioso adolescente ad philosophiam converso adjiciuntur.

41. Sed quid est hoc? Dum de jejunio disputo, strepitus audio conviviorum. Nisi fallor,^b in sermone meo redoluit prandium. Sonus ergo litterarum invitat, impatientiæ exempla non terrent. Etenim qui jejunantem, et ea^c quæ **548** Legis sunt ferentem, exspectare non passus est populus, utique sedit manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. Videmus sacrilegium ebrietati fuisse conjunctum. Nam sicut mater fidei continentia: ita perfidiæ mater ebrietas est. In quod facinus non ista præcipitat?

42. Sedent in foribus tabernarum homines tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei. De imperatoribus et potestatibus judicant; immo regnare

^a Edit. omnes, *de forti dulcedo*. Mss., *de forti dulce*. Ita etiam lib. de Tobia cap. 15, ubi locus hic adhuc magis perspicue explicatur. Quod autem subdit, *sed et forte*, etc. sensum hunc habet, nempe animal forte ac robustum solet esse laboriosum.

^b Sic mss. plerique omnes. At edit. tum antiquæ tum Rom., *dum in sermone meo disputo, meum redoluit prandium*.

^c *Quæ Legis sunt*, hoc est, decem præcepta digito Dei tabulis inscripta lapideis.

A sibi videntur, et exercitiis imperare. Fiunt ebrietate divites, qui sunt veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent unde cauponi potus sui corporis pretium solvant. Fervet enim vinum in his, et nesciunt quid loquantur. Divites sunt dum inebriantur: mox ubi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Uno die bibunt multorum dierum labores.

43. De ebrietate ad arma consurgitur, calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, et ipsum sanguinem vina fuderunt. Quam fortes sibi homines videntur in vino, quam sapientes, quam disertis, quam etiam pulchri ac decori, cum stare non possint! Mens necesse est titubet, lingua balbutiat, pallor exsanguis ora suffundat, fetor ebrietatis horribiliter. Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora saucium vini lacrymas fundere, miserabiles epilogos decantare. Habet unum hoc temulentia, ut emolliat et resolvat corda temulentorum. Sicut enim ignis probat ferrum durum, ita et vini incendio etiam superbiorum hominum cor liquescit.

44. Omnes sibi vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diviti cedit, ut pote qui pauperem se esse nescit: non infirmus valido, cui omnis in bibendo est fortitudo: non mendicus locupletis, non ignobilis honorato; cum bibentes, illum regem habeant, qui bibendo superaverit cæteros. Meritoque scriptum est: *Æqualis vita hominibus vinum in ebrietate* (*Eccl. xxxi, 32*). Sed utinam et quod sequitur audires: *Bibas illud moderate, ut sis sobrius* (*Ibid.*). Non habes quod accuses: vinum in jucunditate creatum est, non in ebrietate ab initio. Exsultatio animæ et cordis est, si moderate bibas: immoderatio autem potus iracundiam concitat, et ruinas multas efficit.

45. Sed forte dicant has esse potationes vulgarium et levissimorum hominum. Veniamus ergo ad horum potentium et fortissimorum convivia. Non ego hic unguentatos adolescentulos aut coronatos rosis proferam,^e qualem ferunt illum fuisse qui delibutus unguentis, redimitus floribus, subnixus meretricibus, antelucano potu ebrius, et diurno cereorum comitatus lumine, philosophi auditorium disputantis ingressus sit. Quo audito, coronas, ut aiunt, sensim detraxerit, unguenta deteriserit, scortis vale dixerit: philosophus postea tantus evaserit, ut esset sobrietatis **549** exemplum, qui fuerat ante ebrietatis ludibrium. Non enim unum emendatum illis invideo; ut doceam genuse eorum luxuriæ a me non esse simu-

^a Pugnare inter epulas præsertim Thracibus mos erat. Unde legitur apud Horatium, Ode 27.

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est. Tollite barbarum
Moram, etc.

^e Diogenes Laertius lib. iv, in Polemone, hæc de eodem philosopho in scholam Xenocratis ingresso memorat.

^f Vet. edit., *Non enim emendatum illis invideo; do-*

latum. Certe ille si resipuit a vino, fuit tamen semper A temulentus sacrilegio.

CAPUT XIII.

Militarium hominum convivia, cum pugna quadam atque spectaculo comparantur; et eorum partes singulæ, et quasi quædam protasis, epitasis et catastrophe quam diligentissime describuntur.

46. Apage ^a igitur hinc adolescentes lubricos, ad convivia præliatorum venimus. Inter arma prandendum est, stipatores hi sunt hellici qui ministrant, succineti auro, et Babyloniceis lumbos suffulti balteis: aureis torquibus nitent colla, ^b aureis bullis zonam tegunt, aureis thecis cultros includunt suos, quibus dimicent cum epulis dividendis. Assistunt pueri coma nitentes, ex gente barbarica ad hos usus electi, ^c per singularum distantias ætatum vices. Cernas populorum diversorum ordines, aciem ordinatam putes: vasa exposita argentea, pompam arbitraris: ^d cornu in medio vini plenum, ^e non præliaris, sed epularis instrumentum buccinæ, quod discumbentes in certamen accendat.

47. Primo minoribus poculis ^f velut ferentariis pugna præluditur. Verum hæc non sobrietatis species, sed bibendi est disciplina. Etenim ut tragœdiarum actores primo sensim vocem excitant, donec ^g udæ vocis aperiant iter, ut postea maguis possint clamoribus personare: ita isti quoque in principio prælusoriis se exercent poculis, ut irritent sitim; ne forte restinguant eam, et satiati postea bibere non possint. Ergo ubi res calere cœperit, poscunt majoribus poculis: ^h fervor inardescit martius, cibo sitis exæstuat, et ubi imminui visa, potu meraciore re-

eam genus, Rom. . . . doceam tamen genus, etc. Potior est dubio præcul nostra lectio, quam e decem Gall. mss. exhibemus.

^a Edit. vet., *Igitur hinc ad adolescentes lubricos, ad convivia præliatorum veniamus. . . . Rom. edit., Igitur hinc ad convivia, etc. Mss. vero partim, Arce igitur; partim, Apage igitur, etc.*

^b Ita mss. decem. Alii autem duo, et omnes edit., *infantium aureis bullis*. Solebant quidem veteres aureas bullas infantium collo appendere, sed non ita proprium erat huic ætati hujusmodi ornamentum, ut etiam in provectori non adhiberetur, unde vocem *infantium* hic necessariam non putamus. Bullæ autem dicebantur quidam globuli qui bullas guttis pluvie decidentibus in aqua excitari solitas similitudine referebant.

^c Omnes edit., *per singularum distincti ætatum vices. Cernas poculorum. . . . vasa exposita aurea et argentea*. Cum his plerique mss. faciunt, nisi quod omitunt, *aurea et*. Alii vero in quibus et Thuan. ante mille annos exaratus, ut in textu. Illic autem *per singularum. . . . vices*, idem est ac vices ministrandi: vel, ordinum mutationes sunt pro singularum ætatibus; ita ut in primo versu starent natu majores, et sic demceps.

^d Cornu, id est, corneum vas, quo veteres ad servandum vinum, oleum, aliosque liquores utebantur.

^e Omnes edit., *non epularis, sed præliaris*; mss. contra, *non præliaris, sed epularis*.

^f Edit. Am. et Paris. quædam, *velut voluntariis pugnae præluditur*; Era., *velitatis pugna*; Gill., Rom. et aliæ Paris., *velitari pugna*. Aliqui mss. partim his,

paratur. Certant pocula cum fereulis, et inter morsus sæpe remittuntur. Deinde procedente potu ⁱ longius contentiusque, diversa et magna certamina, quis bibendo præcellat? Nota gravis, si quis se excuset, si quis temperandum forte vinum putet. Et hæc donec ad mensas perveniatur secundas.

48. At ubi consummatæ fuerint epulæ, putes jam esse surgendum: tunc de integro potum iustaurant suum; et cum consummaverint, tunc **550** inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitraris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. ⁱ Agonothetes illis furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa. Pendet anceps diu et dubius belli eventus; furor enim ille est præliaris. Cedunt pincernarum manus vina fundentium, et coquorum labores calida ministrantium; cedunt qui mēsuras ipsas bonas superfluentes diligenti librant examine, ne quid effundant: non cedunt bibentes.

49. Sola illa sunt sine excusatione certamina. In bello si quis se inferiorem viderit, arma convertit, et meretur veniam: hic si quis calicem convertat, urgetur ad potum. ^k In scammate si quis manum levat, exsors quidem palmæ, sed immunis injuriæ est: in conviviiis etsi manum revocet a vino, ori ejus infunditur. Omnes inebriantur, victores victique omnes ebrii jacent, plerique sopiti. Nec portari eos ad sepulcrum licet, priusquam is qui pascit, de omnibus se vindicatum viderit, ut ulciscatur dispendium. ^C Qui autem damna non sentit, hanc mensæ suæ gloriam putat, si ex ea vulnerati omnes ac saucii tamquam de arena exeant.

partim illis accedunt: alii ætate ac numero potiores, ut in textu. Porro ferentarii erant levioris armaturæ milites, qui antequam totis viribus concurreretur, pugnae præludebant.

^g Edit., *vivæ vocis*, Mss. aliquot, *nudæ vocis*. Alii melius, *udæ vocis*, hoc est, liquidæ ac mobilis.

^h Priscæ edit., *inardescit. Arcius cibo sin exæstuat*. Gill. in marg., *Aridus*, quam vocem edit. Rom. in textum transtulit, cætera non ab imilis. Illis conveniunt haud pauci mss. Elegantius tamen Thuan., Laud., Viet., Torn. et Dion., *inardescit martius, cibo sitis exæstuat*; quibus in ultima parte cod. Germ. et Colb. concinunt. Rursus edit. omnes: *Et ubi imminui vasa cœperint. . . . reparantur. . . . Et inter moras sæpe geminantur. . . . contentiones diversæ et magna certamina*, etc. Quamvis autem his sensum effici satis commodum negare non possimus; tamen non potuimus lectionem mss. Thuan., Laud., Dion., Germ., Viet., Mich. et Colb. illis non præferre.

ⁱ Omnes edit., *longius contentiones diversæ et magna*, etc.

^j Agonothetes iudex ac præses certaminis, hoc loco idem atque convivii moderator. Etenim solebant antiqui priusquam discumberent talis sortiri, et cui jactu Veneris omnium fortunatissimus evenisset, eidem regnum vini committebatur, ut ex Horatio cognoscere est lib. 1, Ode 4, et lib. 2, Ode 5. Inuit etiam sanctus Doctor fuisse qui bibacitatis præmium proponerent, quod Alexandrum Magnum factitasse auctores memorant.

^k Scamma, locus fossis inclusus, ubi gladiatores certabant: e quibus qui succumbebat, sublata manu victum se fatebatur, ac veniam postulabat.

50. Spectaculum triste Christianorum oculis, et miserabilis species. Cernas juvenes terribiles visu hostibus de convivio portari foras, et inde ad convivium reportari, repleti ut exhauriant, et exhauriri ut bibant. Si quis verecundior fuerit, ut erubescat surgere; cum jam immoderatos potus tenere non possit, anhelare vehementius, sudare, gemere, signis prodere, quod pudeat confiteri. Ibi unusquisque pugnas enarrat suas, ibi fortia facta prædicant sua, narrant tropæa vino madidi, et somnolenti nesciunt mente, quid lingua proferant. Unusquisque stertit et potat, dormit et dimicat; et si quando consurrectum fuerit, viri præliatores stare non possunt, egressu vacillant. Rident servuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem bellatorem, imponunt equo. Itaque hac atque illac tamquam navigia sine gubernatore fluctuant; et tamquam vulnere icti in terram desluunt, nisi excipiantur a servulis. Alii ^a referuntur in scutis, fit pompa ludibrii. Quos mane insignes armis spectaveras, vultu minaces, eosdem **551** vesperi cernas etiam a puerulis impune rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, ^b in ipso juventutis flore nascente.

CAPUT XIV.

Reprehenduntur qui convivia ad temulentiam præparant : et major esse vini, quam veneni vis ostenditur.

51. Quis tale miscuit furoris poculum? Quis tantum infudit mentibus venenum? Periclitatur homo ^c lutum esse de corpore; et ipse sibi reus est insanix voluntariæ, corruptelæ spontanæ; et tamen nec vos excusamini qui vocatis ut amicos, et emittitis ut inimicos. Quanto melius in terram tua vina sudisses? Sed et terra inebriat, et asperiores etiam ipsas feras reddit, si vini contigerit odor. Denique vindemiæ tempore si vineam intraverint, solent ebrietate succendi. Quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem: invitas ad prandium, ^d efferre vis ad sepulcrum: cibos promittis, tormenta irrogas: vira prætendis, venena suffundis. Omne enim quidquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat.

^a Solebant qui vulnerati vel interempti fuerant in prælio, domum in clypeo referri: unde Ausonius de Lacæna muliere:

Mater Lacæna clypeo obarmans filium
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

^b Edit. ant., in ipso juventutis flore arentes. Rom, et mss nonnulli, . . . marcentes. Sex alii bonæ ætatis, nascente.

^c Omnes edit., ultum esse de corpore. Omnes mss., lutum esse de corpore, id est, periclitatur ita corrupti, ut ejus corpus in lutum vertatur. Et sane id confirmant tam voces illæ sequentes, . . . corruptelæ spontanæ; tum Basilii locus ubi ait, *κωδονεύεις λοιπὸν βόρβορος εἶναι ἀντὶ ἀνθρώπου.*

^d Mss. ferre ad unum, nec ferre vis ad sepulcrum; forte, nec ferre jus, etc.

^e Ita sex mss. melioris notæ. Alii autem atque

52. Etiam major vis vini, quam veneni est. Denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Merito Deus per Moysen non solum veneno, sed etiam draconum veneno, vinum comparavit dicens: *Furor draconum vinum eorum, et ira aspidum insanabilis* (Deut. xxxii, 33). Et pulchre addidit, *insanabilis*; multi enim a reliquo serpentium veneno curantur, nemo ab ebrietate. Certe veneno caro ^e vulneratur, mens sine noxa est: ebrietas ad corporis mortem, mentis etiam crimen adjungit. Adverte autem et perfidiæ venenum, vini declaratum nomine. Ait enim supra de alienigenis, qui nescirent Deum. *De vinea enim Sodomæ vinum eorum, et vitis eorum vitis Gomorrhæ: uva eorum, uva fellis, botrus amaritudinis in ipsis* (Ibid., 32).

CAPIT XV.

Se non omnia dixisse quæ in ebrios dici poterant ostendit exposito Esaiæ loco: unde in lasciviam popinorum invehitur; et ad finem quædam de calice aureo Babylonis, et vase apostolico subjungit.

53. Putatis me tamquam vino crapulatum, intemperantius jejunii ^f prædicationi hunc miscuisse sermonem; et adhuc propter hos fortissimos viros quanta præterii, quanta minora dixi, quam Dominus locutus est! Audistis quid per Moysen dixerit: audite quid in libro sermonum Esaiæ scriptum sit. ^g Invehitur enim Dominus in hujusmodi versus, et ait: *Væ iis qui consurgunt mane, et sectantur siceram, qui ebrii sunt vesperi: nam vinum eos comburet. Cum cithara enim et psalterio et tympanis vinum bibunt: opera autem Domini non **552** respiciunt, et opera manuum ejus non considerant. Cui vae, inquit, cui judicia, cui tumultus* (Esai. v, 11). Diversa singulis, temulentis omnia. Væ enim iis qui ebrii sunt vesperi (Prov. xxiii, 29)! Quid ergo illis qui et ante vesperam, et frequenter in lucem madent? Ergo vae sibi debitum. Habent concertationes, conserunt lites, in eadem prosiliunt, et veniunt ad judicia vel vocantur. Habent ergo judicia tamquam rei. Fit nonnumquam gravior tumultus, quia vino mens pervertitur ebriosi: *Et non meminit regis, nec magistratus, ut scriptum est: et omnia aperta facit loqui, et non meminerunt, cum biberent, amicitia, nec fraternæ necessitudinis* (III Esdræ iii, 24 et seq): ^h sed post tumultum sumunt gladios;

^d omnes edit., vulneratur, vino mens: noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam, etc.

^f Edit. omnes, jejunii prædicatione, . . . et adhuc serundum prophetas fortissimos viros. Sed melius mss. omnes, jejunii prædicationi. . . . et adhuc propter hos fortissimos viros; ac forte sanctum ipsum audiebant aliqui militares viri, quos sibi reddere infensos nollet.

^g Sic mss. omnes: quod quidem interpretamur in hunc sensum: Invehitur. . . in hujusmodi homines (ebriosos nimirum) conversus. Nisi quis malit voces in hujusmodi versus, sumere pro in hujusmodi sententiam, verba, formam. Versus enim proprie significat id quod nos lineam vocitamus. Edit. autem hæc præferebant: *Invenitur enim Dominus hujusmodi verbis usus, et ait.*

^h Ita mss. omnes: edit. vero., sed non post multum; minus bene, ut ex serie orationis manifestum est.

et cum a vino mersi fuerint, et surrexerint, non A meminerunt ipsi quæ gesserint. Habent ergo etiam dignam mercedem tumultus.

54. Præteriæram certe ego citharam, psalteria, tympana, quæ cognovimus convivii hujusmodi frequenter adhiberi, ut vino et cantu excitentur libidines. Plerique etiam, Persico more, mulieres dignas temulentorum consortio induci jubent, et ab his phialas accipiunt, atque illis se substernunt sedentibus. Et hunc ritum sacratæ habent observationes in ebrietatis ministerium. Habent ergo vinum et barbari: libenter his Romani indulgent; ut et ipsi solvantur in potus, et enervati ebrietate vincantur. Nec solum vinum ebrietatem facit, sed et sicera. Denique Hebræi omnem potum qui inebriat, sicera nomine vocant.

55. Non immerito ergo vae illis qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conveniebat Deo laudes referre, prævenire lucem, et ^a occurrere oratione soli justitiæ, qui suos visitat, et exurgit nobis, si nos Christo, non vino et sicera surgamus. Hymni dicuntur, et tu citharam tenes? Psalmi canuntur, et tu psalterium sumis aut tympanum. Merito vae, quia salutem relinquis, mortem eligis. Vix diluculum, et jam cursatur per tabernas, vinum quæritur, excutuntur tapetes, accubitus festinant sternere; lagenas argenteas, auratos calices exponunt. Vae, inquit, ista quærentibus!

56. Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram. A vino ejus biberunt omnes gentes, ideo commotæ sunt. Et subito cecidit Babylon, et contrita est (Jer. LI, 7 et 8). Calix ergo aureus contritus est; quia Babylon contrita est, quæ est calix aureus. Sed quamvis auro se jactet et pretio, in Domini et ipsa est potestate. Denique divina indignatione conteritur. Qua ratione calix aureus? Quoniam qui veritate deficiat, quærit illecebram; ut species saltem pretiosa ad bibendum aliquos possit illicere.

57. Constitue ante oculos tuos pompam hujus sæculi, vides speciosam illecebram, sed inanem gratiam. Non te inducant aurea vasa et argentea. **553** *Habemus et nos thesaurum in vasis fictilibus* (II Cor. IV, 7). Vas apostolicum fictile est, sed in eo thesaurus est Christi. Vae siceram mane sectantibus! Aureum est hoc vas, poculum est, et in eo poculo venenum mortis, venenum libidinis, venenum ebrietatis. Hoc qui D biberit, commovetur et cadit. Commovetur non solum corpore, sed etiam corde turbato; commoveri enim peccati est.

CAPUT XVI.

Ebrios Caini ac persecutorum Domini similes esse, immo dæmoniâcis ipsis inferiores: iidem suis coloribus

depinguntur: in quos Jeremiæ verba cadere declarat sanctus Doctor.

58. Denique Cain exiens a conspectu Dei, habitavit in terra Naid, quod interpretatione significat commotionem. Ergo qui calice aureo inebriatur, peccato movetur. Quid te sub maledicto constituis Cain illius parricidæ, ut tremas atque movearis? Sed et persecutores Domini transeuntes movebant capita sua. Exagitabat enim egs spiritus nequam, qui repleta a se corpora movere consuevit. Et ille cum defuerit, tremor desinit: ebrietas autem perpetuum dat tremorem. Sudant vinum corpora temulentorum: si levius ea tetigeris, exprimis vinum.

59. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incitium insaniæ, ebrietas ^b venenum insipientiæ. Hæc B sensus hominum mutat et formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, et præter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, et in bestiales libidines excitantur; ut nullum tempus præscriptum habeant, quo deceat indulgere concubitu. Vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furorem inardescunt, sensum excedunt. Hinc phrenesis periculosa, hinc calculi gravis poena, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semesas epulas cum interborum viscerum cruore fundentium. Mentior, nisi eadem Dominus per Hieremiam locutus est dicens: *Bibite et inebriamini, et vomite, et cadetis, et non surgetis* (Jer. xxv, 27).

60. Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabilis gressus, umbras sæpe transiliunt sicut foveas. Nutat his cum facie terra, subito erigi et inclinari videtur, et quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, et solum manibus apprehendant, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi. Murmur in auribus tamquam maris fluctuantis fragor, et resonantia fluctu littora. Canes si viderint, leones arbitrantur, et fugiunt. Alii risu solvantur incondito, alii inconsolabili mœrore deplorant, alii irrationabiles cernunt pavores. Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita **554** his somnium est, ^c somnus his mors est: excitari nullis vocibus possunt; quantolibet stimulandos impulsu putes, nisi resipuerint, evigilari non possunt.

61. Unde bene Hieremias hujusmodi hominem tamquam superfluum creaturam, desendum putat. Quid enim est homo ebrius, nisi superflua creatura? Itaque sic ait: *Sicut fletum Jazer, desibo te, vinea; quia deserta est civitas Jazer* (Jer. XLVIII, 32). Et infra: *Vinum in torcularibus tuis mane non calcaverunt, d meridie autem non fecerunt* (Ibid. 33). Jazer ποτίστος περισσός, factura superflua est. Moderatio enim na-

^a Edit.; vacare orationi, occurrere soli, etc.

^b Rom edit., venenum sapientiæ; aliæ omnes, venenum insipientiæ.

^c Ubi omnes edit. somnus, his mors est; reponendum e cunctis eodd., somnus his multus est.

^d Rom. edit., neque vespere fecerunt celeuma. Ant.

vero et mss., meridie autem non fecerunt. Iterum Rom. edit., Jazer, Moab, Sabama, et Segor; ubi vet. habebant, Jazer, Mohi, Ticine, Piccot. Sed qui ultimas Paris. curayere, ad finem hujus cap. optime annotarunt veram lectionem esse eam, quam nos in textum mss. etiam auctoritate transtulimus.

turalis est : supra mensuram quidquid est superfluum habetur : ita est ebrietas quæ fletu prophetico deploratur. Unde ait Apostolus : *Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed inebriamini spiritu* (Ephes. v, 18). Est ergo ebrietas culpæ, est et gratiæ. Et forte hæc naturæ, quæ gratiæ, qui ad imaginem et similitudinem Dei facti, Spiritu sancto repleti esse debemus.

CAPUT XVII.

De obtestationibus, sacramentis, ac propinationibus compotantium. Quomodo sæpe secretiora vino extorqueantur. Et de prodigiosa quadam bibendi ratione, et quomodo ea sit valetudini perniciosa.

62. Quid autem obtestationes potantium loquar? Quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquit: "Opto salutem imperatorum; ut qui non biberit, fiat reus indevotionis. Videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant, sicut illi^b qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, et aiter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant: qui æstimant^c illis ebrietatem placere, qui jejunio passionem sustinere didicerunt!

63. Quantos de intemperanti convivio novimus ad tormenta venisse? Dum per ebrietatem de imperio suo certant, et sibi regna promittunt, aliis honores pollicentur, infelices ad pœnam ducti sunt, qui quid dicerent nesciebant. Unde plerique boni iudices ea quæ per ebrietatem dicta essent, tenenda ad crimen non putaverunt. Plerique etiam vino utuntur ut equuleo; et quibus tormenta non eliciunt vocem proditiōnis, eos tentant bibendo; ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim plerumque vincit dolorem: fidem autem potus excludit. Cognovi plerosque^d fidiculis exulceratos nomen suum negasse. Quis inter cyathos textit, quod latere cupiebat?

555 64. Quid retexam^e auditum mihi non poculi,

^a Vet edit., *pro salute imperatorum, et... sit reus in devotione, Rom... imperatoris, et... hic sit reus indevotionis.* At mss. sex vetustissimi, *Opto salutem imperatorum, etc.* Unde satis verisimile est hanc fuisse formulam, qua se in propinando ad bene precandum imperatoribus hortabantur.

^b Hic ritus a religione ortus in lasciviam atque intemperantiam cum degenerasset, post illa religiose fuit antiquatus. Vide nostram ad hunc tractatum Admonitionem.

^c Ita mss. magno consensu. Edit. Am. *illos ebrietate placare,* quod Era. et aliæ deinceps emendare voluerunt in hunc modum: *illos ebrietate placari, etc.*

^d Hoc loco dissimulandum non putavimus, ubi edit. præferunt, *fidiculis exulceratos... inter cyathos, etc.* Codices mss. fere ad unum exhibere, *fiduciales exulceratos... inter clindias, etc.* Et hoc consensu non nihil moti sumus, ut germanam lectionem esse hanc suspicaremur; atque ea forsan ætate qua non minimum degeneraverat latinitas, homines fiducia plenos et constantia, quique quod suæ fidei commis-

sed profluvii genus, quo in ora hominum tamquam per fistulas aut canales vina funduntur. Hos homines, an utres verius æstimaverim? Et tamen ipsi utres, nisi moderata transfusio sit, sæpe rumpuntur. Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt; et si quis respiraverit, commissum flagitium, soluta acies, loco motus habetur. Aqua decurrens a Libano cautes rupeas solvit, quomodo mollibus putant nequaquam nocere visceribus vinolentorum impetus fluentorum?

65. Elephantos quoque ferunt promuscide haurire aquæ plurimum; eosdem tamen ad sedandam sitim moderato potu esse contentos: sed si forte ab aliquo caupone fuerint mercede fraudati, indignantes replere concavum promuscidis, non ut bibant, sed effundant; atque ita momentariis inundationibus irrigare ejus tabernam, de quo se putarint vindicandos. Siccantur ad potum subito lacus, ac repente funduntur, natant omnia. Cui non mirum, tam immania belluarum corpora superfluum nil tenere?

CAPUT XVIII.

Feminarum ebrietas quam sit ipsis propudiosa ac perniciose spectantibus! quod malum ubi deploravit, quantum bonum sit sobrietas, et quantum malum intemperantia, exemplo Israelitarum patefacit.

66. Sed quid de viris loquamur, quando etiam femine, quas oportet sollicitiorem castitati sobrietatis adhibere custodiam, usque ad ebrietatem bibunt? Deinde surgentes, quas etiam inter secreta domus vel audiri ab alienis non convenit, vel videri, prodire audent in publicum, non velato capite, vultu procaci. Apostolus (I Cor. xiv, 35) mulieres tacere etiam in Ecclesia jubet, domi viros suos præcipit interrogare. Illæ in plateis inverecundos etiam viros sub conspectu adolescentulorum intemperantium choros ducunt, jactantes coinam, trahentes tunicas, seiscæ amictus, nudæ lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se juvenum libidines motu histrionico, petulantia oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentum, et fit miserabile theatrum. ^f Inter saltan-

sum esset, nullis tormentis evulgarent, fiduciales vulgo dici solitos; similiter etiam hosce lectulos, quibus epulantes accumbebant, clindias seu clindia, quasi *κλινδία* appellatos. Verum hujus nostræ conjecturæ penes doctores esto iudicium.

^e Omnes omnino edit., *Quid retexam audita? Mihi non poculi, sed profluvii genus esse videtur quod, etc.* Melius vero mss. Thuan., Laud., Dion., Germ., Viet. et Colb. ut nos in corpore. Porro hunc bibendi modum haud invito crediderimus eundem esse, quem vocitabant amyctide bibere *ἀμυκτι πίνειν*, immotis labris et continuo ductu bibere: de quo Horatius, lib. 1, Ode in Numidæ reditum, nonnihil habet.

^f Rom. edit. ita restituit e cod. Vat. cui et nostrates in hoc consentiunt; at in ant. edit. legebatur: *Inter saltantium lapsus, oculo impuro, et contaminato aspectu, etc.* Ru sus ubi edit. omnes, *obscenis cantibus verberatur.* Mss. habent partim, *obscenis saltantibus,* partim, *obscenis satatibus* (unus *satationibus*) *verberatur.*

tium ruinas et spectantium lapsus, cœlum impuro A
contaminatur aspectu, terra turpi saltatione pollui-
tur, quæ obscenis saltatibus verberatur.

67. Quomodo patienter loquar, pie præteream, convenienter desleam? Vinum nobis tantarum animarum damna intulit. Etenim si vinum et mulieres discedere a Deo faciunt, quod vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ **556** sint, si singula ac separata hæc faciunt, quid facient unita? Unde non immerito ait sapiens ante nos quidam: *Mulier ebriosa, ira magna* (Eccli. xxvi, 11).

68. Quid autem mirum si vino decipiuntur animæ feminarum, cum omnes illæ Tribus patrum, cum de petra biberint aquam, manna manducarent, gentes validissimas vincerent, et non erat in his ullus infirmus: ubi verò carnes desiderare cœperunt, et desiderii in Ægyptum convertebantur, nequaquam ex tot millibus hominum in terram re-promissionis præter duos pervenire meruerunt? Itaque quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia, hinc colligere datur: quando murmurabant requirentes Ægypti delicias, a serpentibus mordebantur: quando per maris Rubri transibant semitam, aquam bibebant. Non ergo veremur exemplum, non fugimus delicias, ne nos futurorum bonorum adeptione defraudent?

CAPUT XIX.

Luxuriosis exitium Esaiæ prophetia denuntiari: mare a mercatoribus, in quorum avaritiam invehitur, sollicitari non debere; cum non ad navigandum, sed ad escam, et non hominibus, sed piscibus ad perambulandum fuerit datum: postremo qua ratione navibus comparentur voluptuosi?

69. Et quid aliorum ^b utar sententiis? Ipsi bene pasti ac luxuriosi quid sibi sperent, audiamus. Inducit enim eos Esaias propheta dicentes: *Manducemus et bibamus: cras enim moriemur* (Esai. xxii, 15). Meritoque exclamat: *Ululate naves Carthaginis, quæ perierunt, et non amplius erunt* (Esai. xxiii, 1). Quod est dictum de visione Tyri, quam luxuriosam urbem cognovimus. Ideoque nona visio est, non septima aut octava, quod ea neque legem custodiat, neque Evangelii gratiam: cum et sabbato legitimo ignes libidinis adoleresit vetitum, et Evangelii serie octavus dies resurrectionis illuceat. Idem autem dies primus atque octavus, quia Dominica dies in se recurrit. Luxuria ^D ergo ^c nec fidem habet, nec observantiam discipli-

^a Edit omnes, *Nos ergo vereamur exemplum, nos fugiamus delicias, etc.* Non incommode; sed tamen vehementior est dicendi forma per interrogationem cum increpatione conjunctam, ut eam e mss. septem melioris notæ exhibemus.

^b Omnes edit. ac duo mss., *utar exemplis*; reliqui mss., *utar sententiis*.

^c Ita sex mss. melioris manus. Alii autem et omnes edit., *nec finem habet*. Utræque lectio defendi potest; sed tamen nostra videtur præferenda, ut *nec observationem disciplinæ* referatur ad superiora illa, *neque legem custodiat*. Et, *nec fidem*, ad ista, *neque Evangelii gratiam*.

^d Edit. Am. et Era. cum mss. aliquot, *Mercaturis*

næ: luxuria seminarium et origo vitiorum est. Nec arbitremini me adversus Apostolum dixisse (1 Tim. vi, 1), quia ille ait avaritiam radicem esse vitiorum omnium, quoniam luxuria ipsius est mater avaritiæ. Etenim cum exhausserit quis luxuriando proprias facultates, quærit postea avara compendia.

70. Auditis hodie quid lectum sit: *Mercatores, inquit, Phœnicum transmeantes mare in aqua multa: semen mercatorum sicut messis quæ defertur* (Esai. xxiii, 2 et 5). Vicinæ sunt istæ civitates, Tyrus, Phœnice, Sidon: vicinæ ut locis, ita et vitiiis. ^d Mercatores a negotiationibus periculosa transfretatione maris **557** lucella quærentes. Sollicita vita hominum, in quieta conversatio, et quodam semper in turbine, ventis ipsis mobilior quibus volvitur, et huc atque illuc sæpe jactatur. Utique accusatis crebra naufragia, quis vos navigare compellit? Quasi non invidia opum et terras faciat intutas, et ad latrocinium plurimos excitetis? Mare non ad navigandum fecit Deus, sed propter elementi pulchritudinem. Latius pelagi fudit æquora, certe ut freto includeret terras, ne longius tu vagus et exsul errares. Sed tempestate jactatur mare. ^e Timere ergo, non usurpare debetis. Elementum innocens nihil deliquit: temeritas humana sibi est ipsa discrimini. Denique qui non navigat, nescit timere naufragium. Dominus dixit: *Dominamini piscium maris* (Gen. i, 28), non dixit: *Navigate in fluctibus*. Denique et propheta Jonas, qui missus est in Ninivem, ut poenitentiam prædicaret, quia voluit navigare, ut fugeret a facie Dei, tempestate turbatur, et sorte ductus, et jactatus in mare, et exceptus a ceto est.

71. Propheta quoque David ait, cum Dei circa hominem commemoraret gratiam: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (Psal. viii, 8 et 9). Piscibus dedit, non hominibus, perambulare semitas maris. Ad escam tibi mare datum est, non ad periculum: ad cibum, non ad mercatum utere. Cur tibi periculum generas de voluptate? Cur separatoris elementi profunda rimaris? Cur inquietas mundi altiora secreta? Cur postremo sæpius sulcare atque exarare fluctus impatiens nauta contendis? Cur tentas frequenter innoxia æquora, irritas procellas? O inexplebilis avaritia mercatorum! ^f Cedit tibi et mare, et inquietudinem tuam pelagus ferre non potest. Deni-

ac negotiationibus periculosa transfretatio maris. Lucella quærentes; Gill. ac Rom., . . . *Lucella quærens*. Alii mss. partim, *Mercatores*; partim, *Mercatoribus*. Nonnulli, *transfretatio*, alii *transfretatione*, etc. In hac autem varietate quos commodiorem sensum reddere existimavimus, alii prætulimus.

^e Omnes edit., *Temere ergo non usurpare debemus*. Omnes mss., *Timere ergo, non, etc.*

^f Ant. edit. et ed. Mich. et Vall., *Cede et tu, ubi et pelagus inquietudinem tuam non potest sustinere. Denique, etc.* Rom. edit., *Cedit tibi pelagus, et mare inquietudinem tuam ferre non potest toties, etc.* Verum mss. nobiscum faciunt; nisi quod voces *ferre, et denique, in compluribus desideratur*.

que toties recurrentibus mercatoribus exaratum: *Erubescere, Sidon, dixit mare (Esai. xxiii, 4)*. Tamquam fatigati elementi vox ista dicentis est: *Erubescere, Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior; et erubescere vel pudore, quoniam periculo non moveris. Verecundiores venti sunt, quam vestrae cupiditates. Illi habent otia sua, numquam vestrae querendi studia feriantur. Et cum otiosa tempestas est, numquam vestra otiosa sunt navigia. Versatur unda sub remige, quando quiescit a flamine.*

72. *Non parturivi, inquit, nec peperivi, nec enutrivivi juvenes (Ibid.)*. Quid me inquietant quos nescio, quos non agnosco? *Ite in Carthaginem, ululate qui inhabitatis insulas (Ibid. 6)*. Supra dixit: *Ululate naves Carthaginis*. Carthaginem etenim Tyrii condiderunt, et ideo Carthaginenses sequuntur luxuriam conditorum, transfusa in se decolora successione nequitiae, pessimorum vitiorum deteriores haeredes. Et beneluxoriosos, naves dixit. Sicut enim haec vento, ita illi cibo jactantur et vino. ^a Insulas **558** repleta potu, corpora inhabitant, naufragiis circumsonant, tunduntur fluctibus ebrietates, nec per diem nec per noctem quiescunt. Horum igitur mercatorum semen in aqua, messis in fluctibus est. In aqua enim labores suos seminant, ut pericula metant. In aqua eis seges pullulat, in aqua messis exuberat. Fructus ipse in aqua est, numquam tutus et solidus. Unde recte ait (*Ezech. xxviii*): Qui seminabat in terra, non introivit in negotiationem: immo qui seminabat in caelo. Sed est bona terra, in qua quicumque seminaverit, ^C fructus ei caelestes orientur.

CAPUT XX.

In verborum vilitate saepius majorem inesse efficaciam.

Quomodo canticum meretricis nationum congregatio cantaverit; cum exhortatione ad morum conversionem, nec non ad peccata elemosynis redimenda.

73. *Ululate, inquit, iterum, naves Carthaginis, quoniam periit munitio vestra; et erit in illa die, relinquetur Tyrus (Esai. xxiii, 14)*. Et infra: *Eritque post septuaginta annos Tyrus ut canticum meretricis (Ibid. 15)*. Vide quibus verbis utatur propheta, nec refugiat verborum istiusmodi vilitatem. Nos interdum refugimus; non quod nobis, quam illis lingua sit castior, sed auctoritas inferior. Major enim vis rerum in talium expressione sermonum est; ut qui ^D delicta non erubescunt, erubescant vel nomina delictorum. *Eritque Tyrus, inquit, ut canticum meretricis*. Vide ne cum aliquis illos choros ^b viderit turpia verba cantare, dicat: Ecce Tyrus facta est ut

^a Edit. vet., *Insulaeque repletæ potu inhabitant, etc.* Rom. cum uno Vat. cod., *In insulas repletu potu navigant corpora, etc.* Mss. vero partim, *Insulas repletas potu inhabitabant*, partim nobiscum, *Insulas repleta potu, etc.* Aliqui demum sed inferioris notæ: *Insulae quæ repletæ potu invitant, etc.*

^b Omnes edit., *viderit pia verba cantare, dicat*. Duo mss., *viderit, dicat pia verba cantari*. Melius alii quos secuti sumus.

^c Ita mss. atque edit. omnes, excepta Rom. ubi legitur, *et vagare civitatem meretricis*. LXX, *ῥέμβευσον*,

A canticum meretricis. Oraculum propheticae annuntiationis impletum est.

74. Et subiecit: *Accipe citharam, et vagare, civitas meretrix oblita, bene cithariza, multa canta, ut fiat memoria tui. Et post septuaginta annos erit Tyrus ut canticum meretricis, et visitationem faciet Deus Tyri (Ibid. 16)*. Unde possumus et in bono canticum Rahab illius meretricis accipere, quæ exploratores Jesu fideli mente suscepit. Nam et Dominus ait: *Cantavimus vobis, et non saltastis (Luc. vii, 32)*. Et David ait: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra (Psal. xcv, 1)*, hoc est canticum meretricis, quod ante illa meretrix in Adam et Eva terra cantavit, meretrix in populo nationum. Hæc meretrix plurimas fecit bonas meretrices, de quibus dictum est a Domino Jesu ad illum electum et seniore populum Dei: *Publicani et meretrices præcedunt vos in regnum Dei (Matth. xxi, 31)*.

75. Ergo quoniam tam misericordem habemus Dominum, qui etiam gravi ignoscat errori, convertamur a vitiis, non recedamus a lege, præceptum Domini quasi servuli sedulis studiis exsequamur. Quid nobis cum impuritatibus et impudicitis? Quid cum operibus diaboli? **559** Audistis hodie in lectione decursa quid legio dixerit: *Quid mihi et tibi est, d Jesu fili Dei (Luc. viii, 28)*? Et tu dicito, si forte vides pugnare adversum te diaboli tentamenta: Quid mihi et tibi est, Belial? Ego Christi servus sum, illius redemptus sanguine, illi me totum mancipavi. Quid mihi et tibi est? Non novi opera tua, nihil tuum quaero, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero. Quanto magis nos oportet separari a diabolo, si se ille discernit a Christo? Et si fuimus ^e ei in aliquo obnoxii, jam non sumus: confugimus ad medicum, vulnera superiora curavit. Et si quid superest acerbitalis, medela non deerit. Et si quid injuriæ fecimus, memor non erit, qui semel donavit. Et si gravia deliquimus, magnum medicum invenimus, magnam medicinam gratiæ ejus accepimus (*De pœnit., dist. 1, cap. Medicina*). Magna enim medicina tollit peccata magna.

76. Habemus etiam plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. *Elemosyna, inquit, a peccato liberat (Tob. xii, 9)*. Et alibi dicit: *Redemptio viri, divitiæ ejus (Prov. xiii, 8)*. Et in Evangelio Dominus dicit: *Facite vobis amicos de mammona*

πóλις πόρνη. Quædam tamen exemplaria habent *πόλις*, et Hieronymus utramque lectionem amplexus est. Ibidem mss. duo, *Et erit post centum septuaginta annos*. Alii et edit. *Et erit post septuaginta annos; quod cum LXX*. Interpr. ac Vulgata nostra congruit.

^d Omnes edit. et pauci mss., *fili David*. Alii plures et potiores cum Bibliis, *fili Dei*.

^e Ita mss. sex optimæ notæ. Alii, ac edit., *ei aliquando obnoxii, jam non sumus: confugiamus ad medicum, qui, etc.* Sed hoc minus quadrat cum sequentibus.

iniquitatis (Luc. xvi, 9). Et veneno frequenter antidotum temperatur, hoc est, venenum veneno excluditur. Veneno mors repellitur, vita servatur. Fac et tu quasi bonus dispensator de instrumento avaritiæ subsidium misericordiæ, sinceritatis gratiam de corruptionis illecebra.

CAPUT XXI.

Prophetis etiam futura præsentia esse: item mundum ex Esaiæ vaticinio non injuria destruendum, ad quam rem illustrandam perelegans adhibetur stadii comparatio. Hujus occasione nos athletas esse atque ad coronam exerceri sedulo oportere sanctus docet; ac tandem Christum ut adventum suum maturet, apprecatur.

77. Audisti quid lectum sit hodie: *Ecce venit Dominus disperdere orbem terrarum (Esai. xiii, 5). Quasi manu sanctus propheta demonstret, quasi oculis advenientem videat judicii diem, ita dicit: Ecce venit Dominus disperdere orbem terrarum. Immo quia in spiritu prophetis etiam quæ futura sunt tamquam præsentia revelantur, ideo quæ videbat, nobis quoque demonstrare cupiebat, ut nos ad conversionem ab errore revocaret.*

78. Nec tamen quisquam frangi debet, cum audit quia disperdet Dominus orbem terrarum. Ne forte dicat: Esto, nos gravia peccata commisimus, quid deliquit cælum, quid terra, quid mare, ut et illa disperdat? Cur peribit tam pulcher ornatus? Angusti est animi istiusmodi opinio. Cæterum si altius spectes, invenies hoc esse pro nobis, quod putas esse contra nos: judicabis hoc esse pro mundo, quod adversum mundum arbitraris. Non semper stadium refertum **560** est spectatoribus, non semper certaminibus inquietum, non semper concretum pulvere: sed quando certamina, tunc populus in spectaculo, luctator in scammate, pulvis in stadio. Ubi decursa certamina, conventus solvitur, discedit unusquisque aut victor ad gratiam, aut victus ad opprobrium: evehit corona victorem, victum premit verecundia, angit injuria. Si quis ergo postea ingrediatur stadium, videat vacuum celebritatis, dicat agonothetæ: Cur vacat stadium; cur silent certamina; cur solemnia feriantur? Respondebit qui agoni præest: Oportet requiescere athletas, requiescere spectatores. Quis enim laboris est fructus, nisi requies post laborem? D Similiter et orbis terrarum aliquando solvendus est, ut sit requies fatigatis.

79. Athletæ sumus, in quodam stadio decernimus spiritali. Denique bonus athleta dicebat: *Facti sumus spectaculum hujus mundi (1 Cor. iv, 9). Et alibi: Si curro, non ut in incertum: sic enitor, non ut aerem cædens; sed castigo corpus meum (1 Cor. ix, 26). Et alibi: Superiora obliviscens, et quæ sunt priora appe-*

atens, ad destinatum sequor bravium (Philip. iii, 13). Athletæ ergo sumus, legitime certandum est. Multa luctamina sunt: et qui hodie victus est, cras se reparat. Ante ad bravium contenditur, postea ad coronam. Numquid athleta otio vacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exercetur quotidie, ungitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronæ: meditare, exercere, ungere oleo lætitiæ, unguento exinanito. Cibus tuus cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ. Potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepit: custodi corporis castimoniam, ut possis esse habilis ad coronam, ne existimatio tua offendat spectatoris affectum, ne te fautores tui negligentem videant et deserant. Spectant te Archangeli, et Potestates, et Dominationes, et illa Angelorum decem millia decem millium. Sub tantis spectatoribus erubescere, considera quam dedecorosum sit. Ingressus stadium, a pulvere rigorem animæ tuæ excita, lacertos excute. Progressus in scamma, necesse est ut excipias pulverem, subeas æstivi solis flagrantiam. Gravis æstus, sed dulcis victoria: molesta caligo pulveris, sed speciosa tolerantia. Nemo stadium pulverulentus ingreditur, sed pulverulentum reddunt certamina. Ibi colligitur pulvis, ubi palma proponitur. Nemo iterum nitidus coronatur, pulverulentum decet victoria.

80. Veni ergo, Domine Jesu, exeat corona tua, admitte victores in requiem, victos ad compunctionem. Et si disperdis orbem terrarum, plura sunt invisibilia opera tua, quam quæ vidimus. Qui angustioris est animi, illa non cernit, dolet quod disperdas orbem terrarum: sed qui novit spectare quæ invisibilia sunt, gaudet ut venias, et omnes liberes. Gaudent athletæ qui possunt **561** dicere: *Veniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra (Matth. vi, 10). Gaudebit creatura mundi, ut a vanitate mundi istius liberetur, quæ nunc congemiscit et parturit; quia vanitati etiam illa creatura subjecta est, donec multiplicetur adoptio filiorum, et totius corporis redemptio compleatur. In bono ergo disperdet orbem terrarum. Erit etenim cælum novum, et nox non erit amplius. Denique revelabit, inquit, faciem ejus, ut revelata facie spectemus gloriam Christi (1 Cor. iii, 13).*

CAPUT XXII.

Fugiendas comessiones, ne se a nobis Moyses cum levitis separet, et quomodo adhuc veniat. Item quosnam rescindi jubeat Apostolus? Post hæc nondum baptizati ad hanc tantam gratiam invitantur, explosis ad extremum quorundam excusationibus.

81. Advertamus ergo in stadio constituti quantis

^a Mss., stadium, vigorem animæ tuæ excita. Bonus sensus; tamen videtur sanctus Doctor ad ea respicere, quæ in certaminibus usu veniebant. Solebant autem luctatores postquam inuncti fuissent, ne membra ceromate lubrica prehendi non possent, sibi pul-

verem adspargere, quod apthen facere dicebant. Unde hic præferendæ videntur edit. idque maxime, quod proclive fuerit r in v commutari, ac vocem pulvere, prætermitti ab ignorantibus.

aut delectationi aut dolori erimus, qui nunc fautores nobis sunt, ne pro nobis incipiant erubescere. Sicut enim erit gaudium in cœlo super uno peccatore poenitentiam agente (*Luc. xv, 40*), ita erit mœstitia^a super eo qui, non exorata venia, cursum hujus vitæ confecerit. Castigemus ergo corpus nostrum jejuniis, fugiamus indecoras comessationes. Caveamus ne nobis dicatur: Ululate a vinô. Ne veniat Moyses, et levitas advocet: et quicumque paratus ad Dominum armatam dexteram gerat, separet se ab his qui manducando et bibendo gravia contraxere peccata. Et hodie Moyses venit, cum Lex recensetur: Moyses vocat, cum Lex præcipit.

82. Apostolus docet (*II Thess. iii, 6*) ut separemus nos ab omni fratre inquiete agente. Percutiamus eum gladio spirituali, qui est verbum Dei (*Ephes. vi, 17*). Non fratris, non propinqui accipiamus personam: sed omnem immundum a Christi secernamus altaribus; ut emundet et corrigat lapsus suos, quo ad sacramenta Christi redire mereatur.

83. Si quis autem non est baptizatus, securior convertatur remissionem accipiens peccatorum. Si quidem baptismus velut ignis quidam peccata consumit; quia Christus in igne et spiritu baptizat. Denique hunc typum^b legis in Regnorum libris (*III Reg. xviii, 54*), ubi Elias super altare ligna imposuit, et dixit ut mitterent super de hydriis aquam et dixit: *Iterate, et iteraverunt*; et dixit: *Iterate tertio, et iteraverunt tertio*; et cum manaret aqua, precatus est Elias, et ignis descendit de cœlo. Tu es **562** homo super altare, qui ablueris aqua, cujus exuritur culpa, ut vita renovetur. Lignum enim et stipulam consumit ignis. Noli timere ignem per quem illuminaris. Ideo tibi dicitur: *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal. xxxiii, 6*). Suscipite jugum Christi. Nolite timere quia jugum est: festinate, quia leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis; quid procrastinatis? Non alligat cervicem vinculis, sed men-

^a Edit. omnes. *super uno peccatore, si exors veniæ, etc.* Non male. Attamen mss. verba eo prætulimus, quod sanctus vir in instituta allegoria perseverans, non obscure voces ex arena petitas usurpet. Hujusmodi autem erat verbum *exorare*, ut advertere est ex illo Hor. lib. 1, ep. 1:

Ne populum extrema toties exoret arena.

^b Omnes edit. ac mss. aliquot, *legis in Regnorum libris invenies*. Mss. vero plures potioresque vocem *invenies*, non agnoscunt; quæ sane ideo tantum in

tem gratia copulat: non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit.

84. Quid negas adhuc esse temporis? Omne tempus opportunum ad indulgentiam. Si aurum tibi offeram, non mihi dicis: Cras veniam, sed jam exigis. Aurum accipere nemo differt, nullus excusat: redemptio animæ promittitur, et nemo festinat. Joannes in poenitentiam baptizabat, et omnis Judæa conveniebat: Christus baptizat in Spiritu: Christus gratiam dispensat, et cum fastidio convenitur. Typum baptismatis demonstravit Elias (*III Reg. xviii, 45 et seq.*), et cœlum aperuit quod fuit clausum tribus annis et sex mensibus. Quanto majora munera veritatis sunt! Aperuit utique cœlum non pluvia descendens, sed ascendens gratia. Nemo enim nisi per aquam et Spiritum ascendit in regnum cœlorum. Clauserat cœlum hominibus perfidia, sed aperuit fides.

85. Patebat et ante hoc cœlum hominibus. Denique Enoch raptus ad cœlum est. Iterum clausum est: sed aperuit Elias qui raptus est curru igneo (*IV Reg. xi*). Et vos potestis ascendere, si sacramenti gratiam consequamini. Quousque delectationes; quousque comessationes? Instat judicii dies: dum differs gratiam, mors appropinquat. Quis dicat: Nunc mihi non vacat, occupatus sum, non mihi demonstres lumen, nolo tam cito me redimas, non mihi adhuc opus est regnum cœlestis? Nonne hoc dicit qui excusat se a baptismo? Et^d quanta gratia renovaris, o homo! Purgaris, et non exureris: sanaris, et non doles: reformaris, et non dissolveris: ictum mortis non excipis, et resurgis. Et adhuc dissimulas; adhuc expectas ut vivas sæculo, postea te reservas Deo. Ignoras quod Cain propterea displicuerit sacrificium, quoniam non primitiva obtulit, sed primitivis ipse perfunctus est, de sequentibus munus Deo tentavit offerre: Abel autem primitiarum suarum oblatione prælatus, ^e meruit insigni pietatis laudari oraculo.

textum videtur inducta, quia *legis* nomen esse putaverunt, cum verbum sit.

^c Ita edit omnes. Mss. vero plerique hæc verba prætermittunt; quorum loco in Mich. et Vall. leguntur illa, *sed voluptate boni operis allicit*.

^d Edit. omnes, *ad quantam gratiam vocaris*. Cuncti mss. ut in textu.

^e Sic desinunt omnes edit. Mss. vero Thuan., Laud., Torn., Dion, Vict. et Colb. his verbis terminantur, *meruit insigne pietatis*; quibus addunt Mich. et Vall., *oraculum*.

IN LIBRUM DE NABUTHE JEZRAELITA ADMONITIO.

Videtur hic liber nihil aliud continere nisi unum aut alterum sermonem, quos Ambrosius in divites a quibus immanissime tenuiores homines diripiebantur, toto mentis ardore pronuntiavit. Haud dubie historia regis Achab ac pauperis Nabuthæ in Ecclesia tunc temporis recitata ipsi occasionem suppeditavit (*Cap. 1, num. 1*); ut in altero crudelitatem avari divitis, in altero pauperis extrema omnia perpetientis calamitatem ob oculos poneret. Quamobrem primo ostendit (*Ibid.*) nulli tempore suos Achabos, neque suos Nabuthas deesse; nec non etiam

dum loquebatur, inveniri pauperes tam diris modis exagitatos divexatosque, ut profugere ex patria ne illic fame ac miseria interirent, cogerentur. Id summa cum vehementia exprobrat hisce divitibus, quibus etiam ex parte prima propositæ historiæ demonstrat (Cap. 2, num. 4 et seq.) ipsos mediis in divitiis quam egenos quoslibet magis egere: in rapinis (Cap. 3, num. 11 et seq.) propriam utilitatem minus querere quam inopum spoliationem: postremo (Cap. 5, num. 9 et seq.) eorundem abstinentiam atque convivia ex æquo miseris illis perniciem adferre solere. Tum (Cap. 6, num. 29 et seq.) exposito eo loco Evangelii ubi opulentus quidam horrea nova veteribus destructis exædificare cogitans inducitur, quam sit infelix locupletiorum conditio, patefacit. Mox ad argumentum suum rediens (Cap. 11, num. 46 et seq.) aperit qua ratione Jezabel ut conjugis sui Achabi obsecundaret avaritiæ, funestissimam necem Nabuthæ intulerit. Ea occasione insurgens adversus divites sui temporis in pauperes nihilo clementiores quam Achab et Jezabel, eos etiam atque etiam admonet, caveant ne istorum crimina imitando eadem quoque incurrant supplicia. Quoque id persuadeat efficacius, quis legitimus divitiarum usus sit, docet (Cap. 12, num. 52 et seq.); ac simul quam nullius soliditatis illæ sint, probat (Cap. 15 et 16) inserta perbrevis expositione totius psalmi LXXV, quem scite admodum propositæ coaptat materiæ. Ad extremum (Cap. 17, num. 70) repetito ejusdem Achabi exemplo nihil verius esse adstruit quam quod ultimo memorati psalmi versiculo declaratur, Deum scilicet adversus reges terræ se se præbere terribilem, ac spiritum auferre principum eorum, a quibus tam atrociter tenues inopum facultates invaduntur.

Cum autem ex iis quæ supra diximus, intelligere sit hac in opella multo frequentiore Achabi quam Nabuthæ fieri mentionem, forte cuiquam rogare lubeat, cur illi non potius indita fuerit inscriptio, de Achab rege, quam de Nabuthæ Jezraelita, vel de Nabuthæ paupere, ut vetustissimi mss. præ se ferunt. Responderi non incommode potest, hoc tribuendum sancti Antistitis amoris erga pauperes, quorum gratia in eo tractatu non pauca disserit quæ ad consolationem eorum conferant; et quos (Cap. 4, n. 16; c. 6, n. 29; c. 14, n. 60; c. 16, n. 67 et seq.) ibidem locupletioribus non tantum æquat, sed etiam anteponit, utpote feliciores in sua tenuitate, ac Deo ipsi acceptiores. Cæterum exemplum hoc pauperis regis cupiditati non obsequentis admodum placuisse huic nostro Doctori non solum quæ hic leguntur indicio sunt; verum etiam quod jam eodem illo exemplo usus fuerat, ut se ipse confirmaret stimulareque ad resistendum imperatori, a quo Justinæ instinctu Catholicorum ecclesias tradere Arianis jubebatur: Nabuthæ vites suas, inquit (Contra Aux. de Basil.), vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi?... Si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Absit ut tradam hæreditatem patrum, hoc est hæreditatem Dionysii, etc.

Hoc loco dissimulandum non est Ambrosium ex Basilianis homiliis, de Avaritia, et in Ditescentes nonnulla mutuatum esse. Illud evincit vel sola affinitas (Basil., Hom. de Avar.; Ambr., cap. 5, num. 21 et seq.) elegantissimarum earum descriptionum quibus apud utrumque, patris cujusdam unum e liberis, ad alendos alios, vendere coacti, dolor atque æstus tam concitato dicendi genere tamque ad movendos animos idoneo exprimuntur. Si quid præterea ex Basilio desumptum hic reperitur, id quidem ferme nihil aliud est nisi paucae sententiæ, quas hinc inde excerptas Sanctus noster suæ materiæ accommodavit. Et hoc omnem extra controversiam esse non ibi inficius, qui consideraverit beatum Basilium non nisi obiter de Achab et Nabuthæ loqui, de psalmo autem LXXV prorsus tacere, in quibus tamen potissima pars Ambrosianæ commentationis posita est.

Nullum porro ex hujus operis lectione argumentum eruere possis, unde liquido ejusdem ætas cognoscatur. Attamen non nihil ad hanc rem investigandam videtur præluce, quod illic (Cap. 14, num. 61, et c. 5, num. 20 et seq.) narratur de potentium, consulum, principum atque optimatum avaritia: quæ quidem eo feritatis per hæc tempora devenerat, ut pauperes ad vertendum solum, deserendas conjuges, liberos ne fame in patria sua perirent, abducendos cogerentur. Enim vero Paulinus a quo nobis Ambrosii vita transmissa est, dum postremas beati Præsulis actiones memorat, ita loquitur: Ingemiscebat vehementer cum videret radicem malorum omnium avaritiam pullulare, quæ neque copia, neque inopia minui potest, magis magisque crescere in hominibus, et maxime in iis qui in potestatibus erant constituti; ita ut interveniendi apud illos gravissimus labor esset, qui omnia pretio distrahebant. Quæ res primo omne malum invexit Italiæ, et exinde omnia vergunt in pejus, etc. (Paulin. in Vita S. Ambrosii). Totius autem hujusce loci cum iis quæ in tractatu de quo agimus, dicuntur, major est consensio, quam ut ad ea respexisse Paulinus non videatur. Et quamvis idem ille auctor in scribendis Ambrosii gestis minime secutus fuerit accuratam temporum rationem; satis tamen intelligimus hæc eo loci ab ipso esse memorata, quod revera illorum procerum cupiditas nunquam exarserit impotentius, quam sub extremum Theodosii Magni imperium: cum videlicet Rufinum, Eutropium, aliosque præfectos Cæsareos in tantam invidiam atque odium sua adduxit rapacitas, ut Patres concilii Carthaginensis ab imperatoribus propter afflictionem pauperum cogrentur petere, ut defensores eis adversus potentias divitum cum episcoporum provisione delegentur (Conc. Carthag. III, quibusdam V, can. 9). Non est dubium quin ante ipsos Ambrosius quoque suam in causa tam pia charitatem nobilitaverit; unde nihil profecto videmus obesse, quominus hoc ipso forte consilio eundem librum anno 395, aut alio proximo, scriptum dicamus: adeo belle in id omnia conveniunt.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE NABUTHE JEZRAELITA

LIBER UNUS ^a.

565 CAPUT PRIMUM.

Quomodo exemplo Nabuthe et Achab pauperes quotidie a divitibus opprimantur; cum tamen natura omnes aequales produxerit, et sepulcrum aequales accipiat: qua de re Ambrosius fastum ac stultitiam divitum insectatur.

1. Nabuthe historia tempore vetus est, usu quotidiana. Quis enim divitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti raris eliminare finibus? Quis contentus est suo? Cujus non inflammet divitis animum vicina possessio? Non igitur unus Achab natus est: sed, quod pejus est, quotidie Achab nascitur, et numquam huic saeculo moritur. Si unus occidit, assurgunt plurimi: B plures qui rapiant, quam qui amittant. Non unus Nabuthe pauper occisus est: quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur. Hoc metu percitum humanum genus cedit jam suis terris, migrat cum parvulis pauper onustus pignore suo: sequitur uxor illacrymans tamquam ad bustum prosequatur maritum. Minus tamen deplorat illa, quae deslet suorum funera; quia etsi amisit conjugis praesidium, sepulcrum tenet: et si filios non tenet, tamen exsules non dolet, non ingemit graviora funeribus tenerae proles jejunia.

2. Quousque extenditis, divites, insanas cupiditates? Numquid soli inhabitabitis super terram? Cur ejicitis consortem naturae? et vindicatis vobis possessionem naturae? In commune omnibus divitibus C atque pauperibus terra fundata est, cur vobis jus proprium soli, divites, arrogatis? Nescit natura divites, quae omnes pauperes 566 generat. Neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro, argentoque generamur. Nudos fudit in lucem, egentibus cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulcro includere. Cespes angustus aequae et pauperi abundat et diviti: et terra quae viventis non cepit affectum, totum jam divitem capit. Nescit ergo natura discernere quando nasci-

A mur, nescit quando deficimus. Omnes similes creat, omnes similes gremio claudit sepulcri. Quis discernat species mortuorum? Redoperi terram, et si potes, divitem deprehende. Erudato paulo post tumulum, et si cognoscis egentem, argue; nisi forte hoc solo quod cum divite plura pereunt.

5. Sericae vestes, et auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium, non subsidia defunctorum sunt. Unguentum accipis ^b dives, et fetidus es: perdis alienam gratiam, nec acquiris tuam. Haeredes relinquis qui litigent. Haeredibus relinquis depositum magis haereditarium, quam commodum voluntarium, qui id quod relictum est minuere ac violare formident. Si frugi haeredes sunt, custodiant: si luxuriosi, exhauriunt. Itaque aut bonos haeredes perpetua condempnas sollicitudine: aut malos dimittis, quo tua facta condempnent.

CAPUT II.

Divites quanto magis abundant censu, tanto pauperiores esse affectu. Id Achab et Nabuthe contentione planum fit. Mox proposito Scripturae textu, petitio illa, Da mihi, quam abjecta sit, perpenditur.

4. Sed quid arbitraris quod dum vivis, abundas omnibus? O dives, nescis quam pauper sis, quam inops tibi ipse videaris, qui te divitem dicis! Quanto plus habueris, plus requiris: 567 et quidquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet: quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, unde sit gravior ruina lapsuro. Tolerabilior tamen iste cum minus haberet: census sui contemplatione mediocria requirebat; accessione patrimonii accessit cupiditatis augmentum. Non vult esse degener votis, pauper in desideriis. Ita duo intolerabilia simul jungit, ut ambitiosam spem divitis augeat, et non deponat mendicitatis affectum. Denique docet nos Scriptura divina quam misere egeat, mendicet abjecte.

5. Rex Achab in Israel erat, et pauper Nabuthe. Ille regni opibus affluebat: ^c iste angusti soli cesp-

^a Scriptus forte circ. an. 595.

^b Edit. Am. et Era., *dives, post mortuus es, et fetidus es*; Gill.; *dives postquam mortuus es, etc.*, Rom., *dives, mortuus, et fetidus es*. Cuncti mss., *dives, et fetidus es*. Sequenti vero sententia omnes edit. et mss., aliquot, *Haeredes relinquis, qui litigent cum*

haeredibus, relinquis depositum, etc. Alii majori numero, *Haeredes relinquis qui litigent. Haeredibus relinquis depositum, etc.*

^c Ita Rom. edit. cum mss. omnibus, praeter Colb. unum ubi legas: *cespitem pauperis dives ambivit*. Vet. autem edit., *et tamen cespitem pauperis flagitabat.*

tem possidebat. Nihil pauper de possessionibus divitis concupivit : rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur; qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certe pauper censu videtur, alter est pauper affectu. Affectus dives egere non novit : census abundans nequit avari pectus replere. Ideoque dives cupidus in invidia possessionis, et paupertatis querela est. Sed jam Scripturæ verba consideremus.

6. *Et factum est, inquit, post hæc verba, erat vinea Nabuthe Jezraelitæ in Israel juxta domum Achab regis Samariæ. Et locutus est Achab ad Nabuthe dicens : Da mihi vineam tuam, et erit mihi in hortum olerum; quoniam propinquat domui meæ : et dabo tibi pro ea aliam vineam : si vero placuerit tibi, dabo tibi pecuniam pro vinea ista, et erit mihi in hortum olerum: Et dixit Nabuthe ad Achab : Non fiat hoc a Deo, ut dem tibi hæreditatem patrum meorum. Et turbatus est spiritus ejus, et dormivit in lecto suo, et velavit faciem suam, et non manducavit panem (III Reg. XXI, 1 et seq.).*

7. Exposuerat supra Scriptura divina (III Reg. XIX, 21), quia Elisæus cum esset pauper, reliquit boves suos, et cucurrit ad Eliam, et occidit eos, et erogavit populo, et adhæsit prophetæ. Ad condemnationem igitur præmissa sunt divitis, qui in isto rege describitur, eo quod habens beneficia Dei, sicut iste Achab, cui Dominus et regnum donavit, et pluviam Eliæ vatis oratione concessit, divina mandata violaverit.

8. Audiamus ergo quid dicat : *Da mihi*, inquit. Quæ alia vox egentis est? Quæ vox alia stipem publicam postulantis, nisi *Da mihi*, hoc est, da mihi, quia egeo : da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum : da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia : da mihi, quia tibi Dominus dedit unde largiri debeas, mihi non dedit : da mihi, quia nisi tu dederis, habere non poterò : da mihi, quia scriptum est : *Date eleemosynam (Luc. XI, 41)*. Hæc quam abjecta, quam vilis! Non habent enim humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium. In ipsa autem dejectione quanta impudentia! *Da mihi*, inquit, *vineam tuam*. Confitetur alienam, ut poscat indebitam.

568 9. *Et dabo*, inquit, *tibi pro eâ aliam vineam*. Dives quod suum est quasi vile fastidit; quod enim alienum est, quasi pretiosissimum concupiscit.

10. *Si vero placuerit tibi, dabo tibi pecuniam*. Cito reprehendit errorem suum, pecuniam offerendò pro vinea. ^a Nihil enim vult alterum possidere, qui totum desiderat suis possessionibus occupare.

^a Omnes edit., *Nihil enim vult alienum possidere*. Omnes mss., *Nihil enim vult alterum possidere*.

^b Inter verba ista, *æstimetur*. *Dammum*, mss. multi bonique inserunt sequentia : *Nolite hoc facere, quia Deus pauperem non spernit*. Unus Alb., *pauperem inspicit*. Verum cum neque in aliis codicibus, neque in edit. ullis reperiantur, atque etiam videantur

CAPUT III.

Non tam propter utilitatem divites aliena concupiscere, quam ut alios homines excludant. Quam inane sit illud desiderium, quod eos brutis ipsis inferiores esse convincit : quam etiam turpe sit paternam possessionem ob luxuriam divendere : postremo quam impatienter divites repulsam ferant!

11. *Et erit mihi, inquit, in hortum olerum*. Hæc erat igitur omnis insania, hic omnis furor, ut spatium vilibus oleribus quæreretur. Non tam ergo ipsi cupitis quasi utile possidere; sed alios vultis excludere. Major vobis cura de pauperum spoliis, quam de vestris emolumentis est. Injuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis ^b æstimetur. Damnum vestrum creditis, quidquid alienum est. Quid vos delectant naturæ dispensia? Universis creatus est mundus, quem pauci divites vobis defendere conamini. Non enim terrena tantum possessio, sed cælum ipsum, aer, mare, in usum paucorum divitum vindicatur. ^c Hic aer, quem tu diffusis includis possessionibus, quantos alere populos potest? Numquid Angeli divisa cœli spatia habent, ut tu terram positis distinguas terminis?

12. Clamat Propheta : *Væ iis qui jungunt domum ad domum, et villam ad villam (Esai. v, 8)*! Et arguit eos inefficacis avaritiæ. Fugiunt enim cohabitare hominibus, et ideo excludunt vicinos : sed fugere non possunt; quia cum hos excluserint, alios rursus inveniunt : et cum illos propulsaverint, ad aliorum necesse est eos viciniam pervenire. Soli enim super terram habitare non possunt. Aves avibus se associant, denique ingentis plerumque agminis volatu cælum obtexitur : pecus pecori adjungitur; pisces piscibus : nec damnum ducunt, sed commercium vivendi, cum plurimum comitatum capessunt, et quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu, homo, consortem excludis : includis feras; struis habitacula bestiarum, destruis hominum. Inducis mare intra prædia tua, ne desint belluæ : producis fines terræ, ne possis habere finitimum.

13. Audivimus vocem divitis aliena quærentis, audiamus vocem pauperis propria vindicantis : *Non fiat, inquit, hoc a Deo, ut dem tibi hæreditatem patrum meorum*. Quasi quamdam contagionem sui pecuniam esse divitis arbitratur, quasi dicat : *Pecunia tua tecum sit in perditionem (Act. VIII, 20)*; ego autem hæreditatem patrum meorum non possum vendere. Habes quod sequaris, dives, si sapias; ut non vendas agrum tuum pro nocte meretricis : **569** non transfundas jus tuum pro sumptu comessationis, de-

paulo coactiora, in textu ea imprimere religio fuit.

^c Edit. cum parte mss., *Hic ager*. Alii cod. multo majori numero, *Hic aer*. Et hanc veram esse lectionem patet ex superioribus : *Sed cælum ipsum, aer, mare, etc.* Nec impropria locutio est. Namque apud probatos auctores reperitur; *homines aere vivere*.

liciarumque impensis : non ad iudices domum tuam ad ludum aleæ, ne jus hæreditariæ pietatis amittas.

14. His auditis, turbatus est spiritus avari regis : *Et dormivit in lecto suo, et velavit faciem suam, et non manducavit panem suum.* Lugent divites, si non potuerint aliena diripere : si suis pauper non cesserit facultatibus, vim mæroris tegere non possunt. Dormire desiderant, velant faciem suam; ne quidquam in orbe terrarum alienum videant, ne quidquam in hoc mundo non esse suum noverint, ne audiant vicinum juxta se aliquid possidere, ne audiant pauperem sibi contradicentem. Horum sunt animæ, quibus dicit propheta : *Mulieres divites, exsurgite (Esai. xxxii, 9).*

CAPUT IV.

Cur dicatur Achab panem suum non manducasse?

Abstinentiæ divitum ac pauperum elegans comparatio. Quanta sit stultitia hæredibus opes sollicitè comparare; deque divitis cujusdam sordibus.

15. *Et non manducavit, inquit, panem suum (III Reg. xxi, 4);* quoniam quærebat alienum. Etenim divites magis alienum panem, quam suum manducant, qui rapto vivunt, et rapinis sumptum exercent suum. Aut certe non manducavit panem suum volens se morte mulctare, quod ei aliquid negaretur.

16. Compara nunc affectum pauperis. Nihil habet, et jejunare voluntarius nisi Deo nescit, jejunare nisi ex necessitate non novit. Divites, eripitis quidem pauperibus universa, aufertis omnia, nihil relinquitis : pœnam tamen pauperum vos potius, divites, sustinetis. Illi jejunant, si non habeant; vos, cum habetis. A vobis igitur prius pœnam exigitis, ^a quam pauperibus irrogatis. Vos igitur vestro affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas : et pauperes quidem non habent quo utantur; vos autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis. Eruitis aurum de metalli venis, sed rursus absconditis illud. Quantorum vitas in illo infoditis auro!

17. Cui illa servantur, cum legeritis de avaro divite : *Thesuros condit, et ignorat cui congregat eos (Psal. xxxviii, 7)?* Hæres otiosus exspectat, hæres fastidiosus increpat, quod sero moriamini. Odit incrementa hæreditatis suæ, ad damna festinat. Quid igitur miserius, quando nec apud illum cui laboratis, gratiam derelinquitis? Propter illum totis mœstam diebus toleratis famem, quotidiana mensæ vestræ damna metuentes : propter illum ^b diurna adornatis jejunia.

18. Novi ego divitem in agrum proficiscentem,

^a Sic mss. omnes, ac vet. edit. Rom. vero, *quam pauperibus erogatis.* Male, non enim id vult Ambrosius divitem prius pœnam abs se exigere, quam eroget. hoc est, eleemynam impertiat pauperibus; at vero id significat, divitem prius abs se pœnam illam reponere, quam irrogat, hoc est, imponit pauperibus, quos ad egestatem atque inedia adigit.

^b In hac voce mira varietas. Edit. vet., *diurna adamatis jejunia.* Rom. *aggeratis jejunia.* Plures e mss., *diuturna, vel, diurna toleratis.* Aliqui, *adhibetis Jejunia.* Alii tandem, *diuturno adhæretis jejunio.* Ve-

A panes breviores urbe delatos numerare solere; ut pro numero panis æstimaretur quot dies in agro futurus esset. Nolebat ob signatum aperire horreum; ne quid de condito minueretur. **570** Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. ^c Comperi etiam veri fide, si quando ei ovum esset appositum, queri quod pullus esset occisus. Hoc ideo scribo, ut cognoscatis vindicem esse Dei justitiam, quæ lacrymas pauperum vestro ulciscatur jejunio.

CAPUT V.

Multorum pauperum sanguine ac vita constare divitum mensas; atque inibi de patre quodam, cujus, a divite coacti ad vendendum filium, dolor ac æstus animi pulcherrime describuntur: item immensem esse divitum duritiem, quam sumptu suo et luxu ipsæ quoque augent mulieres.

19. Quam religiosum esset jejunium, si sumptum convivii tui deputares pauperibus! Tolerabilior jam dives ille, cujus de mensa ea quæ cadebant, pauper Lazarus colligebat saturari cupiens : sed etiam ipsius mensa multorum pauperum constabat sanguine; et ipsius pocula, multorum quos ad laqueum coegerat, rorabant cruorem.

20. Quanti necantur, ut vobis quod delectat, pareretur? Funesta fames vestra, funesta luxuries. Ille de summis culminibus ruit, ut frumentis ampla vestris receptacula præpararet. Ille de sublimi cacumine altæ arboris decidit, dum genera uvarum explorat, quas deferat, quibus digna convivio tuo vina fundantur. Ille mari mersus est, dum veretur ne piscis mensæ tuæ desit, aut ostrea. Ille brumali frigore dum lepores investigare, aut laqueis studet aves captare, dirigit. Ille ante oculos tuos, si quid forte displicuit, verberatur ad mortem, atque ipsas epulas fuso respersit cruore. Denique dives erat qui sibi ad mensam caput prophetæ pauperis jussit afferri : et aliud unde saltatrici præmium solveret, non invenerat, nisi ut pauperem juberet occidi.

21. Vidi ego pauperem duci, dum cogeretur solvere quod non habebat, trahi ad carcerem, quia vinum deesset ad mensam potentis; deducere in auctionem filios suos, ut ad tempus pœnam differre posset. Invento forte aliquo qui in illa necessitate subveniret, redit ad hospitium cum suis pauper, directa spectans omnia, nihil sibi ad cibum relictum, ingemiscens filiorum famem, dolens quod eos non potius ei qui posset pascere, vendidisset. Redit ad consilium, vendendi sumit arbitrium. Compugnabant tamen inopiæ injuria, et paternæ pietatis gra-

ram lectionem habent Thuan., alter. Pont. et Alb. etiam alter, quos sequimur. Est autem diurna adornare jejunia, in singulos dies jejunia parare ac disponere : quod cum historia sequenti belle congruit.

^c Omnes edit. cum tribus mss., *Comperi etiam viri fidem.* Alii mss. partim.... *veri fide* : partim nobiscum, *veri fide.* Utrumque commode explicari potest : primum quidem ut sit, comperi fide et probitate ejus a quo mihi hoc narratum est : secundum, comperi eâ fide quam veritas meretur ac postulat.

tia : fames urgebat ad pretium, natura ad officium : A commori filiis paratus, quam a filiis separari, sæpe gradum protulit, sæpe revocavit. Vicit tamen in eo necessitas, non voluntas, et ipsa concessit pietas necessitati.

22. Consideremus nunc patriæ mentis procellas exæstuentes, quem de liberis prius traderet. Quem, inquit, vendam priorem? Scio enim quod **571** non satis est unius pretium ad partem reliquorum. Hoc solum dives fecunditas ad ærumnam. Quem offeram? Quem frumenti auctionator libenter aspiciet? Primogenitum offeram? Sed primus me patrem vocavit. Hic est major ex filiis, quem congrue honoro seniore. Sed juniorem dabo? At istum teneriore amore complector. Illum erubesco, hujus misereor : illius gradum suspiro, hujus ætatem : ille jam sentit ærumnam, iste ignorat : flectit me illius dolor, hujus inscitia. Ad alios me conferam? Ille mihi plus blanditur, iste plus verecundatur : ille parenti similior, hic utilior : in illo imaginem meam vendo, in isto spem meam prodo. Me miserum! Non invenio quid faciam, non habeo quid eligam. Circumvallant me facies calamitatum, ærumnarum chorus.

23. Ferina hæc rabies est, eligere quem tradas. Feræ ipsæ cum pericula imminere proli ac sibi sentiunt, solent eligere quos liberent, non quos offerant. Quomodo igitur discernam affectum naturæ? Quomodo obliviscar, quomodo exuam patris mentem? Quomodo filii auctionem constituam? Quo sermone paciscar pretium? Quibus tradam manus in servitutem filium? Quibus oculis aspiciam servientem? Quibus osculis discedenti valedicam? Quibus factum excuseam sermonibus? Fili, ego te pro meo cibo vendidi. Funestior ergo jam pauperis mensa, quam divitis. Ille addicit alienos, ego meum vendo : ille necessitatem imponit : ego affero voluntatem. Ut sit excusabilior causa, adjiciam : Fii, pro fratribus tuis servies, ut illis quærantur alimenta. Et Joseph a fratribus suis in servitutem venundatus est, postea et ipsos et patrem pavit. Respondebit et ille : Sed non eum vendidit pater, at flevit amissum : sed postea etiam ipse in potestatem divitis venit, et vix potuit liberari. Postea genus ejus divitiis Ægypti multa ætate servivit. Vende me postremo, pater, cæ conditione, ne divites emant.

24. Hæsi, fateor : verum quid faciam? Nullum D vendam? Sed dum unum considero, omnes videbo fame pereuntes. Si unum tradam, quibus oculis videbo cæteros de mea impietate suspectos, ne alios quoque vendam? Quo pudore regrediar domum? Quomodo intrabo? Quo habitabo affectu, ^a qui mihi abnegavi filium, quem non morbus absumpsit, non mors abstulit? Qua conscientia considerabo mensam meam, quam sicut novella olivarum in circuitu tot filii vestiebant.

^a Omnes edit., qui mihi abnegavi filium Elegantius mss., abnegavi filium.

^b Edit. ant., vel pauper pauperem liberare. Rom., vel parvo tempore pauperem liberare. Melius mss.

25. Hæc pauper te præsentem deplorat, et tibi avaritia aurem obstruit, nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur. Totus populus ingemiscit, et solus dives non flecteris, nec audis Scripturam dicentem : *Perde pecuniam propter fratrem, et amicum, et non abscondas eam sub lapide in mortem (Eccli. xxix, 13).* Et quia non audis, ideo exclamat Ecclesiastes dicens : *Est languor malus, quem vidi sub sole, divitias custodiri in malum possidentis eas (Eccli. v, 12).* Sed forte se redeas domum et cum uxore conferas : illa te hortetur ut redimas venundatum. Inmo magis hortabitur ut mundum muliebrem conferas, unde potes ^b vel parvo pauperem liberare. Illa tibi imponet sumptuum necessitatem ; ut gemma bibat, **572** in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, B auro operet manus, cervicem monilibus.

26. Delectantur et compedibus mulieres, dummodo auro ligentur. Non putant onera esse, si pretiosa sint : non existimant vincula esse, si in his thesauri coruscent. Delectant et vulnera ; ut aurum auribus inseratur, et margaritæ dependeant. Habent et gemmæ pondera sua, habent et vestimenta frigora sua. Sudatur in gemmis, algetur in sericis ; tamen pretia juvant : et quæ natura aversatur, commendat avaritia. Smaragdos, et hyacinthos, beryllum, achatem, topazion, amethystum, jaspin, sardion, summo quærent furore : vel si dimidium patrimonii petatur, non parcent dispendio, dum indulgent cupiditati. Non abnuo gratum quemdam lapidum istorum esse fulgorem, sed tamen lapidum. Et ipsi admonent C contra naturam expoliti, ut saxorum deponerent asperitatem, rigorem magis mentis esse expolendum, quam lapidum.

CAPUT VI.

Quam nulla sit opum efficacia : et cur illæ divitiæ appellentur! Miseriorem esse divitem quam mancipiorum servitutem : ubi locus hic Evangelii, Quid faciam.... destruam horrea mea, etc., pie ac facunde expenditur.

27. Quis artifex unum diem vitæ hominis potuit adungere? Quem divitiæ ejus ab inferis redemerunt? Cujus ægritudinem pecunia mitigavit? *Non in abundantia divitiarum, inquit, vita ejus (Luc. xii, 15).* Et alibi : *Nihil prosunt thesauri injustis : justitia autem liberat a morte (Prov. x, 2).* Merito clamat Propheta : *Divitiæ si affluent, nolite cor apponere (Ps. lxi, 11).* Quid enim mihi prosunt, si me a morte liberare non possunt? Quid mihi prosunt, si mecum post mortem esse non possunt? Illic acquiruntur, hic relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. Unde bene ait idem Propheta de divitibus : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (Psal. lxxv, 6) ; hoc est dicere : Nihil invenerunt in operibus suis divites, qui*

omnes, vel parvo pauperem liberare. Ibi enim subintelligi potest, pretio, dispendio, vel quid hujusmodi.

nihil pauperibus contulerunt : nullius iuverunt inopiam, nihil ad utilitatem suam proficiens reperire potuerunt.

28. Ipsum nomen considera. Ditem dicunt gentiles inferorum præulem, arbitrum mortis ditem appellant et divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sunt. Quid est enim dives, nisi quidam inexplebilis gurgis divitiarum, inexplebilis auri fames ac sitis? Quo plus hauserit, plus inardescit. Sic propheta admonet : *Qui diligit, inquit, argentum, non satiabitur argento (Eccl. v, 9). Et infra idem : Et quidem hoc pessimus languor. Sicut enim fuit, ita et abiit, et abundantia ejus laborat in ventum. Et quidem omnes dies ejus in tenebris, et luctu, et iracundia multa, et languore, et ira (Ibid., 15 et seq.)*; ut tolerabilior sit conditio servulorum. Illi enim hominibus serviunt, iste peccato. Sic inquit Apostolus (Rom. vi, 16) : Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Semper in laqueis, semper in vinculis est : nunquam liber a compedibus, quia semper in criminibus. Quam **573** misera servitus, servire peccatis!

29. Naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius novit vices, aut cibi fungitur suavitate, cujus nullum est immune servitium. Dulcis enim somnus servi, etsi modicum vel multum edat : at ^a satiato divitiis, non est qui eum sinat dormire. Excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infecunda perturbat, sollicitat abundantia. Unde illi diviti, cujus possessio uberes fructus attulit, qui cogitavit intra **C** se dicens : *Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? et dixit : Hoc faciam, destruam horrea mea, et majora faciam; illo congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona in annos multos posita, requiesce, manduca, bibe, epulare; respondit Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt (Luc. xii, 17 et seq.)?* Ne ipse quidem Deus eum dormire permittit. Interpellat cogitantem, excitat dormientem.

30. Sed nec ipse se quietum esse patitur, qui de abundantia divitiarum suarum sollicitatur; et in ubertate fructuum vocem egentis emittit. *Quid faciam, inquit? Nonne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi? Egens omnium huc atque **D** illuc respicit, scrutatur hospitium, nihil invenit ad usum alimenti : considerat nihil miserius quam fame confici, et cibi indigentia mori : quærit mortis compendia, et tolerabiliora obeundi supplicia rimatur : arripit gladium, suspendit laqueum, ignem adolet, explorat venenum : et inter hæc quid eligat dubius, dicit : Quid faciam? Deinde vitæ hujus suavitate re-*

^a Sic. edit. ant. Rom. et omnes mss. præter unum, in quo, *satiatus*; alterum in quo, *satiatur*; et tertium ubi cum edit. quibusdam Paris. in margine, *satiatio*. Eadem vero in corpore habent, *sanatio divitis, non est quæ sinat eum dormire. LXX interp. Eccl. v, 11, και τῷ ἐμπληθέντι τοῦ πλουτῆσαι οὐκ ἔστι ἀπίων αὐτῶν τοῦ ὑπνώσαι. Porro post vocem dormire,*

A vocatus cupit revocare sententiam, si possit vivendi substantiam reperire. Aspicit nuda omnia, vacua omnia, et ait : *Quid faciam? Unde mihi alimenta, unde vestitus? Volo vivere, si habeam quomodo possim vitam hanc sustinere : sed quibus cibis, quibus subsidiis?*

31. *Quid faciam, inquit, quod non habeo? Clamat se dives non habere. Paupertatis hic sermo est : de inopia queritur abundans fructibus. Non habeo, inquit, quæ congregem fructus meos. Putares illum dicere : Non habeo fructus, unde vivendum est mihi. Beatus qui de abundantia periclitatur; immo miserior iste fecunditatibus suis, quam pauper, cui periculum de egestate est. Habet ille unde excuset ærumnam; habet certe injuriam, non habet culpam : **B** iste non habet quem præter se arguat.*

32. Et dixit : *Hoc faciam, horrea mea destruam. Putes adhuc dicere illum : Aperiam horrea mea, ingrediantur qui tolerare famem non queunt, veniant inopes, intrent pauperes, repleant sinus suos, destruam parietes qui excludunt esurientem. Ut quid ego abscondam, cui Deus facit abundare quod largiar? Ut quid repagulis portarum claudam frumenta, ^b quibus Deus totum **574** replevit camporum ambitum, quæ sine custode nascuntur et abundant?*

CAPUT VII.

Eundem locum B. Doctor prosequitur, ostenditque avaros cum de bonis benefacere deberent, malle pecunias in ædificando consumere; ipsosque magis enormitate pretiorum, quam ubertate proventuum delectari : quos tamen docet quo fructus suos secure possint recondere.

33. Victa est spes avari. Rumpuntur vêtusta horrea messibus novis. Minus, inquit, habui, et frustra servavi; plus natum est, et cui congrego? Dum incrementa pretiorum aucupor, amisi usum beneficiorum. Quantas anni superioris frumento potui animas pauperum reservare? Hæc me magis servare delectarent pretia, quæ non nummo æstimantur, sed gratia. Imitabor sanctum Joseph humanitatis prædicatione : clamabo voce magna : Venite, pauperes, edite panes meos, expandite gremium, suscipite frumentum. Fecunditas divitis, totius orbis abundantia, omnium debet esse fertilitas. Tu vero non hoc dicis, sed ais : *Destruam horrea mea. Recte destruis ea, a quibus nullus pauper onustus revertitur. Horrea iniquitatis sunt receptacula, non pietatis subsidia. Recte destruit qui sapienter ædificare non novit. Destruit sua dives, qui nescit æterna : destruit horrea, qui non novit sua frumenta dividere, sed claudere.*

mss. plerique boni ævi addunt ista : *Denique evangelico utamur exemplo, ut probemus divitem dormire non posse. At cum videantur non suo loco posita, et in multis etiam mss. et cuuctis edit. desiderantur, satis habuimus hujus rei lectorem admonere.*

^b Am. et Era. finito capite post vocem, *frumenta*, sequens his verbis aspiciantur, *Audiant hæc quibus*

54. *Et majora, inquit, faciam.* Infelix, vel id dispensato pauperibus, quod pro sumptu ædificationis impendis. Dum liberalitatis gratiam refugis, damna ædificationis exsolvis.

55. *Et addidit : Illo congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona.* ^a Conficitur avarus semper ubertate proventuum, dum vilitatem alimonie calculatur. Fecunditas enim universorum est, sterilitas soli avaro est quæstiosa. Delectatur magis enormitate pretiorum, quam abundantia copiarum; et mavult habere quod solus, quam quod cum omnibus vendat. Vide timentem ne superfluat cumulus frumentorum, ne super horrea redundans transfundatur in pauperes, et boni alicujus occasio indigentibus acquiratur. Soli sibi partus terrarum vindicat dives, non quo ipse uti velit, sed aliis denegare.

56. *Habes, inquit, multa bona.* Nescit avarus bona, nisi ea quæ quæstiosa sunt, nominare. Sed acquiesco ei, ut bona dicantur quæ sunt pecuniaria. Cur ergo de bonis facitis mala, cum de malis bona facere debeatis? Scriptum est enim: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis (Luc. xvi, 9).* Ei ergo qui uti sciat, bona sunt: ei ^b qui uti nesciat, recte mala. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum (Ps. cxi, 9).* Quid hoc melius? Bona sunt, si **575** pauperibus largiaris, in quo tibi debitorem Deum quadam pietatis feneratione constituas. Bona sunt si aperias horrea justitiæ tuæ, ut sis panis pauperum, vita egentium, oculus cæcorum, orbatorum infantium pater.

57. *Habes unde facias, quid vereris?* Tua te voce convenio. Habes multa bona in annos multos posita, potes et tibi et aliis abundare. Habes fecunditatem publicam, quid destruis horrea tua? Ostendo tibi ubi melius tua frumenta custodias, ubi bene sepias, ut fures ea tibi auferre non possint. Include ea in corde pauperum, ubi ea nullus gurgulio consumat, nulla corrumpat vetustas. Habes apothecas, inopum sinus: habes apothecas, viduarum domos: habes apothecas, ora infantium, ut dicatur tibi: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem (Psal. viii, 3).* Istæ sunt apothecæ, quæ maneant in æternum: ista horrea, quæ fecunditas futura non destruat. Nam quid iterum facias, si tibi plus natum fuerit anno sequenti? Iterum ergo et illa destrues, quæ nunc facere paras, et majora facies. Dat enim tibi fecunditatem Deus, ut aut vincat aut condemnet avaritiam tuam; quo excusationem habere non possis: tu vero quod per te multis nasci voluit, tibi soli reservas,

Deus totum, etc. Et certe illis favent mss. aliquot sat bonæ notæ; sed cum in multo pluribus ea non reperire sit, hic ab edit. Gill. ac Rom. non recedere optimum visum est.

^a Omnes edit. et pauci mss., *Confitetur avarus semper ubertatem proventuum*; alii mss. magno numero, ut nos in textu. Rursus edit. Am. et Gill. in marg. cum mss. tribus, *vilitate alimonie calculatur*. Eadem Gill. in corpore et Rom., *vilitatem alimonie calumniatur*. Denique Era. et reliqui mss. numero atque antiquitate potiores,.... *calculatur*. Alicubi tamen

A immo et tibi adimis; magis enim servares tibi, si dispertereris aliis. Bonorum enim fructus munerum in eos ipsos qui contulerint, revertuntur, et gratia liberalitatis ^c in auctorem redit. Denique scriptum est: *Seminate vobis ad justitiam (Ose. x, 12).* Esto spiritalis agricola, sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus uberiores quam acceperit, quanto magis misericordie remuneratio reddet multiplicatiora quæ dederis!

CAPUT VIII.

Incogitantem avarum morte urgeri, eumque jure stultum vocitari memorato Evangelii loco: quanto melius pecuniæ distribuuntur, quam retineantur; et quam inepte sese ab impertienda elemosyna divites excusent!

58. Deinde, homo, nescis quia terræ partum prævenit dies mortis, misericordia autem incursum mortis excludit? Adsistunt jam qui reposcant animam tuam, et tu adhuc differs operum fructus tuorum. Adhuc tu tibi ^d tempora vivendi longa metaris? *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te (Luc. xii, 20).* Bene ait nocte; nocte enim animæ avari reposcitur: a tenebris incipit, et in tenebris perseverat. Avaro semper nox est; dies justo, cui dicitur: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (Luc. xxiii, 43).* *Stultus autem sicut luna mutatur (Eccli. xxvii, 12); justii autem fulgebunt sicut sol in regno Patris sui (Matth. xiii, 43).* Recte arguitur stultitiæ, qui in manducando et bibendo locarit spem suam. **C** Et ideo ei tempus mortis urgetur, secundum quod dictum est ab ipsis qui gulæ serviunt: *Manducemus et bibamus; cras enim moriemur (Esai. xxi, 13).* Recte dicitur stultus, quia animæ suæ corporalia subministrat; quia recondit quæ cui servet, ignorat.

576 59. Et ideo ei dicitur: *Quæ autem parasti, cujus erunt (Luc. xii, 20)?* Quid quotidie metiris, et numeras, et obsignas? Quid aurum trutinas, argentum ponderas? Quanto melius est liberalem esse dispensatorem, quam sollicitum custodem! Quantum tibi prodesset ad gratiam, multorum pupillorum patrem nominari, quam innumeras stateras in sacculo obsignatas habere! Pecunia etenim hic relinquitur: gratia autem operum bonorum nobiscum ad judicem meriti defertur.

D 40. Sed fortasse dicas, quod vulgo soletis dicere: Non debemus ei donare, cui Deus ita maledixit, ut eum egere vellet. Sed non pauperes maledicti, cum scriptum sit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth. v, 3).* Non de paupere, legas, *utilitatem... calcat... et calculat.* sed calami aut typographi error est.

^b Omnes edit., *qui uti sciat, multa bona sunt... Quid hoc melius bono, si pauperibus, etc.* Mss. magis apposite ut in textu.

^c Edit., *in auctorem boni operis redit.* Mss. voces boni operis non agnoscunt.

^d Rom. edit., *tempora vivendi longa promittis.* Vet. cum mss. aliquot,.... *meditaris.* Mss. autem complures,.... *metiris.* At omnium antiquissimi.... *metaris.* Quæ significatione parum differunt.

sed de divite Scriptura dicit : *Captans pretia frumenti, maledictus erit (Prov. XI, 26)*. Deinde non requiras quid unusquisque mereatur. Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed necessitatibus subvenire : juvare pauperem, non examinare justitiam. Scriptum est enim : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (Psal. XL, 1)*. Quis est qui intelligit? Qui compatitur ei, qui advertit consortem esse naturæ, qui cognoscit quod et divitem et pauperem fecit Dominus, qui scit quod sanctificet fructus suos, si de his delibet aliquam pauperibus portionem. Ergo cum habeas unde beneficias, ne differas dicens : *Cras dabo* ; ne largiendi amittas copiam. Periculosa est de alterius salute dilatio. Potest fieri ut dum tu differs, ille moriatur. Magis ante mortem præcurre, ne forte avaritia te et cras impediat, et promissa fraudentur.

CAPUT IX.

Quomodo Jezabel quæ est avaritia, divitibus possessionem quam contra justitiam desiderant, polliceatur.

41. Sed quid dicam, ne differas liberalitatem? Utinam non appropere rapinam : utinam quod concupieris, non extorqueas : utinam alienum non petas, negatum prætermittas, excensatum patienter feras, non audias illam Jezabel^a quæ est avaritia, quodam profluvio vanitatis dicentem : *Ego tibi dabo possessionem quam desideras (III Reg. XXI, 7)*. Tu tristis es, quia vis mensuram considerare justitiæ ; ut alienum non eripias : ego habeo mea jura, habeo meas leges ; calumniabor ut spoliem : et ut possessio pauperis eripiatur, vita pulsabitur.

42. Quid enim aliud in illa historia, nisi divitum avaritia describitur, quæ est vanum profluvium, quod omnia fluvii modo rapiat, et nulli usui profutura transducatur? Hæc est Jezabel non una, sed multiplex : non unius temporis, sed temporum plurimorum : hæc omnibus dicit, sicut illa dixit viro suo Achab : *Surge, manduca panem, et redi ad te : ego dabo tibi vineam Nabuthe Jezraelitæ.*

43. *Et scripsit librum nomine Achab, et signavit annulo illius, et misit librum ad seniores, et ad liberos eos qui morabantur cum Nabuthe. Et erat scriptum 577 in libro : Jejunate jejunium, et constituite Nabuthe in principem populi, et constituite duos viros filios iniquitatis ex diverso ejus ; ut falsum testimonium perhibeant adversus eum dicentes : Benedixit Deum et regem ; et producite illum, et lapidate (Ibid., 8 et seq.).*

^a Edit. vet. quæ est avaritia quoddam profluvium, etc. Rom. quæ est quoddam profluvium, etc. Melius mss. omnes Gallici ut in textu.

^b Rom. edit., et scripsit litteras.... Et scriptum erat in litteris, etc.

^c Mss. aliquot antiquissimi, et ad liberos ejus qui morabantur, etc. Alii maximo numero cum edit. omnibus, et ad liberos eos qui, etc. Illis suffragantur LXX, ubi legitur, και τους ελευθερους τους κατοικοουντας μετα Nabouthai. Vulg., et optimates qui erant in civitate ejus, etc.

^d Mss. aliquot antiquæ manus, benedixit Deum et regem.

CAPUT X.

Divites, cum aliena rapere non possunt, præ tristitia cibum non capere : et inibi quid jejunium aut preces Deo acceptas reddat : deinde quam contraria Deus præcipiat, et ipsi faciant.

44. Quam evidenter expressa est divitum consuetudo! Contristantur si aliena non rapiant : renuntiant cibo, jejunant, non ut peccatum minuant, sed ut crimen admittant. Videas illos tunc convenientes ad Ecclesiam, officiosos, humiles, assiduos, ut effectum sceleris impetrare mereantur. Sed dicit illis Deus : *Non hoc jejunium elegi, nec si flectas ut circum collum tuum, cinerem etiam et cilicium substernas, nec sic vocabitis jejunium acceptum. Non tale jejunium elegi, dicit Dominus. Sed solve omnem colligationem injustitiæ, dissolve obligationes violentarum commutationum, dimitte confractos in remissionem, et omnem conscriptionem iniquam disrumpe : frange panem tuum esurienti, egenos non habentes tectum induc in domum tuam : si videris nudum, vesti ; et domesticos seminis tui non despicias. Tunc orietur tibi matutinum lumen tuum, et sanitas tua matura orietur et præcedet ante te justitia, et majestas Dei circumdabit te : tunc clamabis, et Deus exaudiet te, adhuc te loquente, dicet : Ecce adsum (Esai. LVIII, 5 et seq.).*

45. Audis, dives, quid Dominus Deus dicat? Et tu ad Ecclesiam venis, non ut aliquid largiaris pauperi, sed ut auferas : jejunas, non ut convivii tui sumptus proficiat egenis, sed ut spoliū de egentibus adipiscaris. Quid tibi vis cum libro et charta, et signaculo, et conscriptione, et vinculo juris? Non audisti : *Solve omnem colligationem injustitiæ, dissolve obligationes violentarum commutationum, dimitte confractos in remissionem ; et omnem conscriptionem iniquam disrumpe.* Tu mihi tabulas offers, ego tibi recito Dei legem : tu atramento scribis, ego tibi Spiritu Dei inscripta repeto oracula prophetarum : tu testimonia falsa componis, ego testimonium conscientie tuæ posco, quam judicem tui effugere et declinare non poteris, cujus testimonium non poteris recusare in die qua revelabit Dominus occulta hominum. Tu dicis : *Destruam horrea mea* ; et Dominus dicit : *Sine magis quidquid intra horreum est, pauperibus deputari, sine cellas istas egenis prodesse.* Tu dicis : *Majora faciam, et illo congregabo omnia quæ nata sunt mihi* ; Dominus dicit : *Frangere esurienti panem tuum.* Tu dicis : *Tollam pauperibus domum suam* ; Dominus autem dicit, *ut egenos non habentes*

^e Signaculum est nota sigillo, seu signatorio annulo impressa. Conscripcio interdum sumitur pro inventario, sed hic idem est ac syngrapha, sive instrumentum inter feneratorum ac debitorem contractum. Denique vinculum juris non videtur aliud hoc loco significare quam leges de usura ab imperatoribus promulgatas : proprie autem accipitur pro ipsa legum, ut cum scholasticis loquamur, vi coactiva ; vinculis enim juris teneri prorsus idem sonat, atque obligari ad subeundam poenam, quæ legum severitate præscribitur. Vide Cod. Theod. lib. ix, tit. 7, ad 1 leg. Jul. t. iii, pag. 55, et Gothofr. in eandem legem.

tectum inducas in domum tuam. Quomodo vis, dives, A ut Deus te exaudiat, cum tu **578** Deum non putes audiendum? Si non acquiescatur arbitrio divitis, scena componitur: Dei aestimatur injuria, si divitis petitio refutetur.

CAPUT XI.

Nabutha a duobus falsis testibus accusatus lapidatur; Achab inde primo tristitiam simulat, mox in ejus invadit possessionem. Quam sententiam in ipsum Deus pronuntiaverit; et praesertim cur meretrices in ejusdem sanguine dicantur sese lavaturæ: ubi et de supplicio Jezabel.

46. Deum, inquit, benedixit et regem (III Reg. **xxi**, 10), æqualis videlicet persona, ut sit æqualis contumelia. *Benedixit, inquit, Deum et regem.* Ne divitem maledicti nomen offendat, et sermonis ipso B lædatur sono, benedictio pro maledicto vocatur. Quærentur duo testes iniquitatis. Duobus testibus et Susanna est appetita: duos testes et Synagoga invenit, qui adversum Christum falsa jactarent: duobus testibus pauper occiditur. *Produxerunt igitur Nabutha foras, et lapidaverunt eum (Ibid., 15).* Utinam vel in suis ei liceret mori! Pauperi ipsam dives invidet sepulturam.

47. *Et factum est, inquit, cum audisset Achab quia mortuus est Nabutha, conscidit vestimenta sua, et cooperuit se cilicio. Et factum est post hæc, et surrexit, et descendit Achab ad vineam Nabutha Jezraelitæ, possidere eam (Ibid., 16).* Irascuntur divites et calumniantur, ut noceant, si non obtineant quod desideraverint. Cum autem calumniati nocuerint, dolere se simulant: C tristes tamen et tamquam moesti, non corde, sed vultu, in possessionis direptæ locum prodeunt, et impressionis suæ iniquitate potiuntur.

48. Hoc divina movetur justitia, et avarum digna severitate condemnat dicens: *Occidisti et possidisti hæreditatem? Propter hoc in loco in quo linxerunt canes sanguinem Nabutha, in eo lingent canes sanguinem tuum; et meretrices lavabuntur in sanguine tuo (Ibid., 19).* Quam justa, quam severa sententia, ut quam intulit alteri mortis acerbitatem, eam ipse mortis suæ horrore a dissolvere proderetur! Inhumatum pauperem Deus aspicit, et ideo insepultum divitem jacere decernit; et ut mortuus luat suæ iniquitatis ærumnam, qui nec mortuo putavit esse parcendum. Itaque vulneris sui cruore perfusum cadaver in speciem funeris vitæ suæ D prodidit crudelitatem. Hæc cum pertulit pauper, dives arguebatur; cum dives excepit, pauper vindicabatur.

49. Quid sibi autem vult quod meretrices laverunt se in sanguine ejus; nisi forte ut meretricia quædam in illa feritate fuisse regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, ut olus desideraret; sic cruentus, ut propter olus hominem occideret? Digna avarum, digna avaritiam poena consu-

^a Sic edit. omnes ac mss. aliquot. Nonnulli autem hii, *dissolvere juberetur.* At alii majori numero et antiquitate, *dissolvere prohiberetur, forte perhiberetur;* isti malis hunc esse totius loci sensum: scilicet tam pertam tamque manifestam fuisse poenam regis chab, ut ea prohiberet, ne dissolvi aut eludi posset

mit. Denique et Jezabel ipsam comederunt canes, et volucres cœli; ut ostenderetur quod spiritualis nequitiae fiat **579** præda divitis sepultura. Fuge ergo, dives, hujusmodi exitum. Sed fugies hujusmodi exitum, si fugeris hujusmodi flagitium. Noli esse Achab, ut possessionem finitimam concupiscas. Non tibi cohabitaret Jezabel illa feralis avaritia, quæ tibi cruenta persuadeat: quæ cupiditates tuas non revocet, sed impellat: quæ te faciat tristiores etiam cum desiderata possederis: quæ te faciat nudum, cum dives fueris.

CAPUT XII.

Avarum egenum ac profugum esse. Quam abjectus fuerit rex Achab coram Elia; et quomodo peccator semper deprehendatur? Ad extremum divites ad legitimum divitiarum usum stimulantur.

50. Pauperiorem enim se judicat omnis abundans; quia sibi deesse arbitratur quidquid ab aliis possidetur. Toto mundo eget, cujus non capit mundus cupiditates: ejus autem qui fidelis est, totus mundus divitiarum est. Toto mundo fugit, qui considerans conscientiam suam, metuit deprehendi. Et ideo Achab ad Eliam secundum historiam ait, secundum ænigmata autem dives ad pauperem: *Invenisti me, inimicus meus (Ibid., 20).* Quam misera conscientia, quæ se proditam doluit!

51. Et dixit Elias ad eum: *Inveni, quoniam fecisti malum in conspectu Domini (Ibid.).* Rex erat ille, et rex Samariæ Achab: Elias pauper, et indigens panis, cui defuisset victus substantia, nisi corvi alimoniam ministrassent. Adeo dejecta erat conscientia peccatoris, ut nec regalis potentiae fastu attolleretur. Itaque quasi vilis et degener: *Invenisti me, inquit, inimicus meus: deprehendisti in me quæ latere credebam: nulla mentis meæ occulta te fallunt: invenisti me, patent tibi vulnera mea, captivitas præsto est. Invenitur peccator, cum iniquitas ejus proditur, justus autem dicit: Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas (Psal. xvi, 5).* Adam cum lateret, inventus est: Moysi autem nequaquam inventa est sepultura: inventus est Achab, non est inventus Elias; et sapientia Dei dixit: *Quærent me mali, et non invenient (Prov. i, 28).* Unde et in Evangelio (Joan. viii, 21) Dominus noster Jesus quærebatur, et non inveniebatur. Culpa igitur auctorem suum prodidit. Unde et Thesbytes ait: *Inveni, quoniam fecisti malum in conspectu Domini; quia culpæ reos tradit Dominus, innocentes autem non tradit in potestatem inimicorum suorum.* Denique Saul quærebat sanctum David, et invenire non poterat: David vero sanctus regem Saul, quem non quærebat, invenit, quoniam tradidit eum Dominus in potestatem ipsius. Captiva igitur est opulentia, paupertas libera.

52. Servitis, divites, ac miseram quidem servitutem, qui servitis errori, servitis cupiditati, servitis accusatio interfecti innocentis. Etenim plerumque fit ut qui crimen aliquod impune serunt, ipsam impunitatem in argumentum innocentiae convertant. Et huic interpretationi videtur favere, quod paucis interpositis subjungitur. *Itaque vulneris sui cruore perfusum cadaver in speciem funeris vitæ suæ prodidit crudelitatem.*

avaritiæ, quæ expleri non potest. Gurges quidam insatiabilis, rapidior est, cum illata demergit : et putei modo cum exundat, cœno inquinatur, terram arradit nihil sibi profuturam. **580** Vel hoc exemplo vos admoneri convenit. Puteus enim si nihil haurias, inerti otio et degeneri situ facile corrumpitur : exercitus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum : ita et acervus divitiarum, cumulo arenosus, speciosus est usu, otio autem inutilis habetur. Derivato igitur aliquid de hoc puteo. Ignem ardentem exstinguit aqua, et elemosyna resistit peccatis ; aqua autem stativa cito vermes facit. Non stet thesaurus tuus, nec stet ignis tuus : stabit in te, nisi eum operibus tuæ miserationis averteris. In quantis sis, dives, incendiis, considera. Tua vox est ista dicentis : *Pater Abraham, dic Lazaro, ut extremum digiti sui intingat in aqua, et refrigeret linguam meam (Luc. xvi, 24).*

55. Tibi igitur proficit quidquid inopi contuleris : ^a tibi crescit quidquid minueris : te illo quem pauperi dederis cibo pascis ; quoniam qui miseretur pauperis ipse pascitur, et fructus jam in his est. Misericordiam seminatur in terra, in cœlo germinat : plantatur in paupere, apud Deum pullulat. *Ne dixeris, inquit Deus, cras dabo (Prov. iii, 28).* Qui non patitur te dicere : *Cras dabo*, quomodo patitur dicere : *Non dabo* ? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum : sed pauciores qui non utuntur suo, quam qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Ideoque tibi dicit Scriptura : *Declina pauperi ^C animam tuam, et redde debitum tuum, et responde pacifica in mansuetudine (Eccli. iv, 8).*

CAPUT XIII.

Divites in prosapia insulse gloriari, cum ipsi non raro dedecori sint majoribus : aurum offensionis lignum esse. Quanta insit divitibus adversus pauperes immanitas ; et qualis divitem commendatio deceat ?

54. Quid enim superbias, dives ? Quid dicas pauperi : *Noli me tangere ?* ^b Nonne sicut ego conceptus et natus ex utero es, quemadmodum et pauper est natus ? Quid te jactas de nobilitatis prosapia ? Soletis et canum vestrorum origines sicut divitum recensere : soletis et equorum vestrorum nobilitatem sicut consulum prædicare. Ille ex illo patre generatus est, et illa matre editus : ille avo illo gaudet : ille se proavis attollit. Sed nihil istud currentem juvat ; non datur nobilitati palma, sed cursui. De-

^a Ita mss. paucis exceptis, in quibus ultimam sententiæ partem ita legas, *et fructus hominis est. Misericordia, etc.* Edit. vero locum exhibent in hæc verba : *Tibi crescit quidquid in pauperes erogaveris. Scriptum est : Qui miseretur pauperi generat Deo. Ipse cibo in paupere pascitur (Rom., Te illo quem pauperi dederis, cibo pascis), et fructus jam in his est misericordiae. Seminatur, etc.*

^b Vel. edit. et plures mss., *Nonne sic utero conceptus, etc.* Rom., *Nonne sic conceptus, etc.* Sed quinque probatissimi, *Nonne sicut ego, etc.*

^c Rom. edit., *homines depinguntur.* Aliæ ac mss.

^A formior est victus, in quo et nobilitas generis periclitatur. Cave igitur, dives, ne in te erubescant tuorum merita majorum, ne forte et illis dicatur : *Cur talem instituistis, cur talem elegistis heredem ?* Non in auralis laquearibus, nec in porphyreticis orbibus hæredis est meritum. Laus ista non hominum, sed metallorum est, in quibus ^e homines puniuntur. Per egentes aurum quæritur, et egentibus denegatur. Laborant ut quærant, laborant ut inventiant, quod habere non norunt.

55. Miror tamen cur eo vos, divites, jactandos putetis, cur aurum materia magis offensionis, quam commendationis gratia sit. Lignum enim **581** offensionis est et aurum, et vae iis qui sectantur illud ! Denique benedicuntur dives *qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris (Eccli. xxxi, 8).* Sed quasi is cognitus esse non possit, eum sibi desiderat demonstrari : *Quis est hic, inquit, et laudabimus eum ;* fecit enim quod mirari magis quasi novum, quam quasi usitatum recognoscere debeamus ? Itaque qui in divitiis potuerit comprobari, is vere perfectus et dignus est gloria. *Qui potuit, inquit, transgredi, et non est transgressus, et facere mala, et non fecit (Ibid., 10).* Aurum ergo vobis, in quo tanta illecebra erroris est, non tam sua gratia, quam hominum poena commendat.

56. An vos ampla extollunt atria ; quæ magis debent compungere, quia cum populos capiant, vocem excludunt pauperis ? Quamquam nihil prosit audiri eam, quæ etiam audita nihil proficit. Deinde non ipsa vos pudoris aula admonet, qui ædificando vestras vultis superare divitias, nec tamen vincitis. ^d Parietes, vestitis, nudatis homines. Clamat ante domum tuam nudus, et negligis : clamat homo nudus, et tu sollicitus es quibus marmoribus pavimenta tua vestias. Pecuniam pauper quærit, et non habet : panem postulat homo, et equus tuus aurum sub dentibus mandit. Sed delectant te ornamenta pretiosa, cum alii frumenta non habeant. Quantum, o dives, sumis tibi iudicium ! Populus esurit, et tu horrea tua claudis : populus deplorat, et tu gemmam tuam versas. Infelix, cujus in potestate est tantorum animas a morte defendere, et non est voluntas. ^e Totius vitam populi poterat annulitui gemma servare.

57. Audi plane qualis divitem deceat prædicatio : *Liberavi, inquit, pauperem de manu potentis, et orphanum cui non erat adjutor, adjuvi. Benedictio perituri super me venit : os autem viduæ me benedixit. Justitiam induebar, oculus eram cæcorum, pes autem claudorum ; et ego eram pater ^f infirmorum (Job. xxix, 12*

omnes, homines puniuntur. Quod verbum ad illa spectare credimus, *Per egentes aurum quæritur, etc.*

^d Vel. edit., *Parietes vestitis auro, homines nudatis, Rom., veste nudatis.* Sed in mss. voces *auro... veste,* desiderantur.

^e Mss. Thuan. alter et Pont., *Totius vita populi poterat animi tui gemmam servare.*

^f Hic mss. cod. ab edit. in quibusdam differunt, quorum præcipua visum est una serie annotare. Primo edit., *pater orphanorum.* Mss. fere ad unum, *pater infirmorum.* LXX, *πατήρ ἀδύνατων.* Secundo edit., *non celavi culpam.* Mss. Thuan. unus, et alii

et seq.). Et infra: *Ante fores meas non habitavit hospes, ostium autem meum omni venienti patuit. Si autem et peccavi imprudens, non celavi culpam meam, neque reveritus sum multitudinem plebis; ut non annuntiarem præsensibus eis: si passus sum infirmum exire ostium meum vacuum: si cautionem quoque si quam habui debitoris, scissam sine debiti recuperatione reddidi sine mora (Job xxxi, 52 et seq.).* Nam quid illa replicem, quod in omni infirmo flevisse se dixit, et ingemuisse, cum videret virum in necessitate, se autem in bonis? Sed tunc sibi magis fuisse dies malorum, cum se habere cerneret, et alios indigere. Si hoc ille dicit, qui numquam viduæ oculum fecit tabescere, qui numquam panem suum solus manducavit, et non orphano tradidit, quem a juventute sua nutrit, aluit, instituit parentis affectu; qui numquam nudum despexit, qui morientem operuit, qui velleribus ovium suarum infirmorum calefecit humeros, non oppressit pupillum, numquam divitiis delectatus est, numquam gratulatus **582** est lapsu inimicorum suorum; si qui fecit hæc, de summis cœpit egere divitiis, si nihil ex patrimonio tanto, nisi solum fructum misericordiae reportavit: quid de te futurum est, qui tuo nescis uti patrimonio, qui in summis divitiis dies sustines mendicitatis; quia nulli largiris, nulli subvenis?

CAPUT XIV.

Quo divites ad emendam auro libertatem ac salutem inducat, varias rationes proponit; quæ veræ divitiæ sint, docet; nec non quibus Deus innotescat, et ubi locus ejus in pace fiat, aperit.

58. Custos ergo es tuarum, non dominus facultatum, qui aurum terræ infodis, minister utique ejus, non arbiter. Sed ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Ergo in illo auro cor tuum infodisti terræ. Vende potius aurum, et eme salutem; vende lapidem, et eme regnum Dei; vende agrum, et redime tibi vitam æternam. Vera allego, quia verbo astruo veritatis: *Si vis perfectus esse, inquit, omnia quæcumque habes vende; et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo (Matth. xix, 21).* Et noli contristari, cum hæc audis; ne dicatur et tibi, sicut et illi adolescenti diviti dictum est: *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt (Ibid., 25):* magis cum hæc legis, considera quia ista tibi potest mors eripere, potestas superioris tollere. Denique quia ^a peteris **D** parva pro magnis, caduca pro æternis, thesauros pecuniæ pro thesauris gratiæ. Isti corrumpuntur, illi permanent.

aliquot boni ævi, nonne elavi culpam. Tamen LXX legunt, *Et δέ... ἐξουσία τὴν ἀμαρτίαν μου.* Postremo edit., *cautionem quoque, si quam debitoris..... reddidi sine mora.* Mss. septem melioris notæ: *Si cautionem quoque quam habui debitoris (quidam debitori...) reddidisse memoravi.* Alii vero et edit. magis ad LXX accedunt, apud quos legimus, *συγγράφην δέ... καὶ εἰ μὴ ῥῆξας αὐτῶν ἀπέδωκα, οὐδὲν λαβὼν παρὰ χρεωφειλέτου.*

^a Edit. ac nonnulli mss., *poteris parva pro magnis... thesauris gratiæ vendere.* Alii aliquot, *Quid appetis parva pro magnis..... thesauris gratiæ. Isti, etc. De-*

59. Considera quia hos non solus possides; possidet tecum tineæ, possidet ærugo, quæ consumit pecuniam. Has tibi consortes avaritia dedit. Vide autem quos tibi det gratia debitores: *Splendidum in panibus benedicent labia justorum, et testimonium bonitatis illius fiet (Eccli. xxxi, 28).* Facit tibi debitorem Patrem Deum, qui pro munere quo pauper adjutus est, fenus exsolvit, quasi boni debitor creditoris. Facit tibi debitorem Filium Dei, qui ait: *Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et operuistis me (Matth. xxv, 35 et 36).* Quod enim unicuique minimorum collatum fuerit, sibi dicit esse collatum.

60. Nescis, o homo, struere divitias. Si vis dives esse, esto pauper sæculo, ut sis dives Deo. Dives fidei, dives est Deo: dives misericordiae, dives est Deo: dives simplicitatis, dives est Deo: dives sapientiæ, dives scientiæ, divites Deo. Sunt qui in paupertate abundant, et qui in divitiis egeant. Abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundavit in divitiis simplicitatis suæ: divites autem egerunt et esurierunt. Neque enim otiose scriptum est: *Divitum pauperes præpositi erunt, et proprii servi dominis fenerabunt (Prov. xvii, 2);* quia divites et domini supervacua et mala seminant, ex quibus non fructum colligant, sed spinas metant. Et ideo pauperibus divites erunt subditi, et **583** servi dominis spiritalia fenerabunt; quemadmodum dives rogabat, ut sibi stillam aquæ pauper Lazarus feneraret. Potes et tu, dives, istam implere sententiam: *elargire pauperi et Domino fenerasti; qui enim largitur pauperi, Domino fenerat.*

61. Pulchre autem sanctus David in psalmo LXXV hymnum Deo concinens ad Assyrium scriptum; hoc est, ^b adversus nequitiae spiritalis Assyrium, inanem ac vanum principem istius mundi, ita cœpit: *Notus in Judæa Deus (Psal. LXXV, 1 et 2);* hoc est, non in divitibus, non in nobilibus, et in potentibus: sed in anima confitente notus est Deus: *Et in Israel magnum, inquit, nomen ejus: non in principibus et consulibus, sed in eo qui Deum videt: ipse est enim Israel, in quo profunda fides ad cognitionem Dei potuit pervenire.*

62. *Et factus est, inquit, in pace locus ejus (Ibid., 5);* ubi quietus affectus nullis diversarum cupiditatum exagitur fluctibus, nullis avaritiæ turbatur procellis, nullis quærendarum divitiarum ignescit incendiis. Ipse est qui speculatur æterna, et habitat in Sion, confringens omnia spiritalium

nique plures et potiores, ut in textu.

^b Edit. vet., *adversus nequitiæ spirituales, Assyrium inanem ac vacuum principem istius mundi, ita cœpit: Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus; hoc est, non in divitibus, non in nobilibus, vel in potentibus, sed in anima confitente Deo; non in principibus, etc.* Rom. autem, *adversus nequitiæ spirituales (Assyrius enim inanem ac vacuum principem istius mundi sonat) ita cœpit..... non in nobilibus, sed in pœnitentibus, et in anima, etc.* Mss. nostram in lectionem conspirant paucis exceptis, in quibus non obscure aliquid corruptionis hoc loco deprehenditur.

instrumenta bellorum, conterens arcus quibus diabolus ignita dirigens jacula, graves pectoribus hominum solet inurere passiones. Sed illa jacula justo nocere non possunt, cui Deus lux est, tantumque abest a caligantium horrore tenebrarum, ut adversarius in eo locum habere non possit, qui etiam principibus se consuevit infundere; sicut infudit Judæ proditori, concidens tamquam in silva lignorum fidei januas; ut in cor ejus haberet ingressum, et æterni nominis tabernaculum^a possideret, apostolatus collati munere dedicatum. Ergo ille quasi improbus usurpator concidit januas, ut violentus introeat; Dominus autem quasi pius illustrat servulos, et eorum fulgentibus meritis, et claritate virtutum tenebras mundi hujus illuminat. Hanc pacifici atque mansueti habent apud Deum gratiam, sobria mentis suæ tranquillitate fundati; insipientes autem corde turbantur, et ipsi sibi sunt propriæ exagitationis auctores; quia desideriorum suorum æstuvolvuntur, et quodam salo fluctuant.

CAPUT XV.

Qui divitiis uti non noverint, eos illarum servos esse, ac dormire somnum suum. Quando anima currus dicatur et caro equus vigore mentis agitandus: ubi quid inter agitatore, equitem atque ascensorem sit discriminis, expenditur.

63. Qui autem sint isti, Propheta significavit expresse dicendo: *Omnes viri divitiarum* (Psal. LXXV., 6); omnes dixit, nullum exceptit. Et bene viros divitiarum appellavit, non divitias virorum; ut ostenderet eos non possessores divitiarum esse, sed a suis divitiis possideri. Possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis. Quicumque igitur patrimonio suo tamquam possessione non utitur, qui largiri pauperi et dispensare non novit, **584** is suarum servulus est, non dominus facultatum, qui alienas custodit ut famulus, non tamquam dominus ut suis utitur. In hujusmodi ergo affectu dicimus quod vir divitiarum sit, non divitiæ viri. Intellectus enim bonus utentibus eo: qui autem non intelligit, is utique intellectus sibi gratiam non potest vindicare; et ideo somno temulentia consopitus obdormit. Hujusmodi igitur viri somnum suum dormiunt, hoc est, suum somnum, non Christi dormiunt. Et qui somnum Christi non dormiunt, non habent Christi quietem, non surgunt Christi resurrectione; qui ait: *Ego dormivi, et quievi, et surrexi; quoniam Dominus suscipiet me* (Psal. III, 6).

64. In hoc quique sæculo dormitant, digni habiti increpatione cœlesti, qui ascenderunt equos, quos refrenare non poterant. Legimus alibi dicente Ecclesia sive anima: *Posuit me currus Aminadab* (Cant. VI, 11). Si ergo anima currus est, vide ne equus caro sit: agitator autem vigor mentis, qui regit carnem, et motus ejus velut quosdam equos prudentiæ

^a Sic mss. magno numero, nisi quod pro *dedicatum*, plures habent *dedicat*; alii nonnulli, *dicatur*; denique unus aut alter, *possideret apostolatus collati*

A habentis coercet. Dormitaverunt ergo qui ascenderunt corporis voluptates, nullo eas moderamine gubernantes. Unde et ascensores eos quam equites vel agitadores maluit nuncupare. Agitator etenim cum disciplina et arte pro suo equos arbitrio agitatur, ut vel currentes incitet, vel reflectat indomitos, vel revocet fatigatos, vel mansuetos pro sua voluntate convertat. Unde cum reciperetur Elias, et curru quasi ad cœlum ferretur, clamavit ad eum Elisæus: *Pater, pater, agitator Israel, et eques ipsius* (IV Reg. II, 12), hoc est, qui populum Domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad divina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobavit; et ideo tamquam bonus auriga, certaminis victor æterno premio coronaris. In Habacuc quoque propheta lectum est, ad ipsum Dominum dictum: *Ascendes super equos tuos, et equitatus tuus salus* (Habac. III, 8): agitavit enim apostolos suos, quos per diversa direxit, ut toto orbe Evangelium prædicarent. *Ascendes*, ait, quasi rectori equorum, non quasi ascensori. Ascendit enim etiam eques, sed ut regatur, non ut tantummodo sedeat: eo quod desidiosus, et piger somnolentiæ perferre non possit mentis incessum.

65. De equite autem lectum est: *Et eques cadet retrorsum, exspectans salutem Domini* (Gen. XLIX, 17). Quia nemo sine lapsu est, etiam si quis eques ceciderit, et terrenis aliquibus vitiis fuerit inflexus; si tamen non abjiciat spem resurgendi, fretus miseratione divina, pervenit ad salutem. De ascensore vero manifestum est indicium, quod reprehensibilis habeatur, quando Moyses ipse ait in cantico Exodi: *Equum et ascensorem projecit in mare* (Exod. XV, 21). Et in Zacharia locutus est Dominus dicens: *Percutiam omnem equum in amentia, et ascensorem ejus in insipientia* (Zach. XII, 4). Non dixit solum equum, sed et ascensorem, quomodo et in Exodo habes: *Equum et ascensorem*. Ubi est enim ascensor, qui non potest **585** equum proprium gubernare, equus quoque fertur in præceps, si indomito furore in prærupta et periculosa rapiatur. Quid igitur vobis in equis confiditis, divites? Mendax equus ad salutem (Psal. XXXII, 17). Quid in curribus vobis plauditis? *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini magnificabimur. Ipsi obligati sunt, et cecidere: nos autem surreximus et erecti sumus* (Psal. XIX, 8). Nolite amare adhiinnientes: nolite, divites, fremitu libidinis excitari. Terribilis est Dominus, et cui nemo possit potens et dives resistere: *judicium cœlestis jaculatur* (Psal. LXXV, 9).

CAPUT XVI.

Divites, ut quiescant a flagitiis, ac Domino confiteantur, impellit. Quomodo ipsis dicatur Orate et reddite; quidve orationem ac dona Deo commendet? Denique

munere. Ergo princeps hujus mundi quasi, etc. In edit. autem omnibus ita legas, possideret. Ergo princeps hujus mundi, etc.

memorata verba etiam pauperibus accommodantur, et quis a Deo recedat, ostenditur.

66. Bonum est ut jam quiescatis, et a flagitiis feriantes revereamini Domini potestatem. Ideo dictum est parricidæ Cain: *Peccasti, quiesce* (Gen. iv, 7), ut modum peccato suo poneret. Cogitationes vestræ confiteantur Domino. Non dicatis: Non peccavimus. Dixit Paulus: *Etsi nihil mihi conscius sum* (I Cor. iv, 4), addidit tamen: *Sed non in hoc justificatus sum*. Et vos etiamsi nihil estis conscii, confitemini tamen Domino, ne quid sit quod vos prætereat. Etenim qui confitetur Dominum, et reliquias cogitationis adhibuerit ad confessionem, diem festum mentis celebrabit arcano (Psal. lxxv, 11), et epulabitur non in fermento malitiæ et nequitiae; sed in azymis sinceritatis et veritatis.

67. Itaque in conclusione conversus ad vos Propheta dicit: *Orate, et reddite Domino Deo vestro* (Ibid., 12), id est: Nolite dissimulare, divites, dies instat, orate pro peccatis vestris, reddite pro beneficiis quæ habetis munera. Ab ipso accepistis quod offeratis: ipsius est quod ei solvitis. Dona, inquit (I Paral. xxix, 14), mea, et data mea, hoc est, quæ offertis mihi dona, data sunt mea: ego ea dedi vobis atque donavi. Denique Propheta ait: *Bonorum meorum non indiges* (Psal. xv, 2), ideo tua tibi offero, quoniam nihil habeo quod non dedisti. Fides est quæ dona conciliat, humilitas est quæ oblata commendat. Fide Abel plurimam hostiam obtulit Deo: super Cain fratris munera placuit munus Abel, quia fide vicit. Nam unde pauperis hostia magis, quam divitis placet? Quia pauper fide ditior est, sobrietate locupletior; et cum sit pauper, ex illis est de quibus dicitur: *Tibi offerent reges munera* (Ps. lxxvii, 30). Non enim purpuratis offerentibus, sed motus proprios regentibus Dominus Jesus delectatur, qui corporali lasciviæ mentis dominantur imperio. Orate ergo, divites! Non habetis in operibus quod placeat. **586** Orate pro peccatis vestris atque flagitiis, et reddite Domino Deo vestro munera. ^a Reddite in paupere, in egeno solvite, in illo inope fenerate, quem placere propter vestra flagitia aliter non potestis. Quem ultorem timetis, facite debitorem. *Non accipiam, inquit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos; quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum* (Psal. xlviii, 9 et 10). Quidquid obtuleritis, inquit, meum est, quia totus orbis meus est. Non exigo quæ mea sunt: est quod de vestro mihi possitis offerre, ^b studium devotionis et fidei. Non sacrificiorum ambitione

^a Vet. edit. et mss. longe plurimi, *Reddite in pauperes, in egenos solvite, in inopes fenerate, quæ placere possint Deum* (mss. aliquot, *In illos inopes fenerate, qui placere possint Deo*) propter flagitia vestra; aliter enim non potestis. Ergo quem facite vobis eum debitorem. Rom. edit. cum nostra usque ad vocem, *fenerate*, consentit; cætera cum vet. Nostram vero mss. octo melioris ævi constituunt. Eam porro aliis facile prætulero, si animadvertas relativum quem referri ad Deum, qui in singulis incisis subintelligitur hoc pacto: *Reddite in paupere, supple Deo munera*; et sic de cæteris. Sed licet etiam simplicius per vo-

A delector: tantummodo, o homo, immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua (Ibid., 14).

68. Aut certe, si placet, sic accipiamus. Quoniam dixit obdormisse somnum suum divites, increpationes præmisit Domini in eos, terrorem subtexit, potentiam prædicavit, cui nec divites resistant; conversus ad universos ait: *Divites dormitent, divites increpentur: vos orate, et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus offertis munera* (Ps. lxxv, 12), id est, gratias agite, pauperes, quia non est personarum acceptor Deus. Illi divitias struant, condant pecuniam, auri aggerent et argenti thesauros: vos orate, qui aliud non habetis: vos orate, quia hoc solum habetis, quod est auro pretiosius et argento. Vos reddite munera qui a Domino non receditis, qui

B estis in circuitu; quoniam qui eratis longe, facti estis prope. Qui autem prope sibi videntur esse per divitias ac potentiam, longe facti sunt propter avaritiam. Nemo enim foris est, nisi quem culpa excluderit, ut eiecit Adam de paradiso, et exclusit Evam. Nemo longe, nisi quem flagitia propria relegaverint.

69. Ergo vos prope positi orate et reddite munera *terribili, et ei qui aufert principum spiritum, terribili apud reges terræ* (Ibid., 13); eo quod nullo redimatur divitis præmio, nullo inflectatur potentium supercilio, qui culpæ pretia discriminat, qui quo plus alicui contulerit, eo plus exigit ab eo. Saul privato contulit regnum, sed quia mandatum non custodivit, et regnum amisit et spiritum. ^c Multos reges gentium propter perfidiam fecit e populo patrum esse captivos. Et ut jam de proposita loquamur historia (III Reg. xix), qui Achab regem cœlestibus ingratum beneficiis ita jussit occidi, ut a canibus ejus vulnera lamberentur. Etenim quia pauperis vineam concupierat, nequaquam tantis opibus expletus imperii, infra omnem inopiam redactus est a Domino. Non qui vulnera ejus lavaret, inventus est, non qui corpus operiret. Defecit circa eum hominum humanitas, canum successit asperitas. Dignos plane sui ministros funeris avarus invenit.

587 CAPUT XVII.

Cur Achab, cui Deus ob pœnitentiam ejus promiserat veniam, tamen victus atque occisus fuerit: hujus rei duplex ratio: unde concluditur, etiam indignis promissa sua Deum servare.

D 70. Hoc loco oritur illud quæstionis, quomodo legitimus dixisse Dominum ad Eliam: *Vidisti quemadmodum commotus est Achab a facie mea? Non induces in paupere, in egeno, Christum designatum intelligere.*

^b Ita mss. aliquot antiquissimæ manus. Et hoc certe cum superioribus magis concinit. Nec tamen aspernanda aliorum mss. atque edit. lectio quæ est hujusmodi: *Studio devotionis et fidei, non sacrificiorum ambitione delector. Tantummodo, etc.*

^c Mss. nonnulli, atque omnes edit., *multos reges gentium propter perfidiam fecit populo* (mss. duo, *populi*) *patrum esse captivos*. Alii mss. plures ac probatiores, *fecit e populo patrum esse captivos*. Verum aut hic a librariis facta transpositio, aut a

cam in diebus ejus mala, sed in diebus filii ejus inducam **A** quid facias (III Reg. xxi, 22). Monitus, inquam, erat, eo quod Syriæ regis pueris deberetur cœlestis gratiæ auxilium, quoniam dixisset: *Deus montium, Deus Israel, et non Deus Baal: propter hoc, inquit, obtinuerunt pro nobis. Et ideo, inquit, si non plene obtinuerimus eos, in locum Syriæ regis satrapas constitue* (Ibid., 25); ut virtutem illis et potentiam regis auferret. Denique primo congressu vicit, ut fugaret hostem: secundo vicit, quando captum imperio suo reddidit. Quia causa vincendi ejus evidens resultavit oraculum, dicente uno ex filiis prophetarum ad proximum suum: *Occide me. Et noluit homo occidere eum. Et dixit: Eo quod non obedisti verbo Domini, ecce tu recedis a me, et interficiet te leo. Et recessit ab eo, et invenit eum leo, et interfecit eum* (Ibid., 55 et seq.). Et post hoc alius propheta astiit ante regem Israel, et dixit ad eum: *Hæc dicit Dominus, Quoniam dimisisti tu virum exterminationis de manu tua, ecce anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius.*

71. Sed considera quia Jezabel habebat uxorem (III Reg. xx, 25), cujus inflammabatur arbitrio, quæ convertit cor ejus, et nimis sacrilegiis execrabilem fecit; et hunc ergo ejus poenitentiam revocavit affectum. Dominus autem non potest mutabilis aestimari, sed confessionis immemori non putavit esse servandam, quod promiserat confidenti.

72. Accipe aliud verius: et indigno servavit Dominus tenorem sententiæ suæ, sed beneficia circa se divina ipse non tenuit. Intulerat bellum rex Syriæ: victus est, et servatus ad veniam: captivus **588** quoque libertate donatus, et remissus ad regnum est. Quod fuit divinæ sententiæ, non solum evasit Achab, sed etiam triumphavit: quod ipsius ignaviæ, hostem sibi a quo vinceretur, armavit. Et certe fuerat monitus a propheta dicente: *Cognosce et vide*

Sancto ipso hyperbasis; videtur enim locus ordinandus hoc modo: *Multos reges e populo patrum* (nempe Israelitarum) *propter perfidiam fecit gentium esse captivos.* Et sane hunc esse Ambrosii sensum satis docet ipsa orationis series; cum videatur exigere, ut non ex regibus gentilibus qui omnes ex æquo Deum ignorabant, petita exempla subicerentur: sed potius ex regibus iis qui cum Deum in Scripturis cognoscere possent, in perfidiam delapsi gravissimas captivitalis poenas exsolverunt. Vide IV Reg. xvii, 23, 24 et 25.

Rom edit., *Intulerat ei bellum rex Syriæ, qui et ab eo victus est.... Nam primo congressu Achab vicit, et fugavit hostem: secundo vicit, et captum imperio suo reddidit. Quod Achab non solum evaserit, sed triumphaverit, divinæ fuit sententiæ dicente propheta: Ecce ego trado omnem*

hanc turbam in manus tuas. Quod autem postea vinceretur, suæ fuit culpæ, dicente uno, etc. At edit. Omnes ant. et mss. nobiscum faciunt, præterquam in paucis, verbi gratia edit., *contra regis Syriæ pueros*; mss. legunt, *regis Syriæ pueris*; et alia quædam levioris momenti. Sed adverte obiter quam diverse a Bibliis ac versionibus nostris hanc historiam exhibuerit ille codex, quo noster usus est Ambrosius.

73. Liquet igitur his oraculis quod Dominus etiam circa indignos promissa sua servet; sed impios aut stultitia sua opprimi, aut alia prævaricatione damnari, etiamsi primæ prævaricationis laqueos evaserint ^b. Sed oportet nos taliter agere, ut digni bono opere, omnipotentis Dei promissa accipere mereamur.

^b *Laqueos evaserint.* His verbis clauditur tractatus in edit. ant. Rom et mss. quibusdam. Quæ vero sequuntur, addita sunt in ultimis edit. Parisinis; et revera in mss. pluribus reperiuntur, e quibus Renig. ita desinit: *Ipsa præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

IN LIBRUM DE TOBIA ADMONITIO.

Vindicatur imprimis hic liber divo Ambrosio; cujus doctrinâ de usuris, ac de sacro Tobiae libro defenditur.

Extra controversiam est hanc lucubrationem aliquot constare sermonibus, quos perlecto in Ecclesia Tobiae libro (Cap. 1, num. 1) diebus diversis (Cap. 23, num. 87) habuit Ambrosius. Istic in pauca contractis (Cap. 1, 2) quæ in sacra Tobiae historia de virtutibus sancti hujus viri memorantur, illud accuratius expendit atque amplificat, quod de pecunia ab eodem Tobia Gabelo consanguineo suo commodata, et non nisi obitu, uti putabat, jam imminente repetita scriptum legimus (Cap. 2, num. 6). Hinc arrepta ansa in usuram quæ frequentissima erat ea tempestate invehitur (Cap. 2 et seq.). Probat eam malum esse, et execrandum (Cap. 2, 14, 15 et seq.) id quidem, utpote divina lege prohibitum, neque idololatria atque homicidio levius (Cap. 4). Describit atque acriter reprehendit (Cap. 3 et 4) sceleratas feneratorum technas, quibus illi egenos homines ad pecuniam suam cum solvendi feneratoris conditione accipiendam cogunt. Verum cum isti nimium in avaritia sua obfirmati viderentur, sermonem ad debitores convertens, in quantas miseras contrahendis usuris se conjiciant oratione admodum vehementi repræsentat (Cap. 4 et 5). Redit nihilominus ad inhumanitatem feneratorum, qui hæredes novos, et adolescentulos divites (Cap. 6 et 7) quo deprædentur facultates eorum, inducunt ut a se pecuniam sub usurarum lege mutuentur: quorum calamitatem, siquidem se decipi ab illis passi fuerint, non sine commiseratione ob oculos ponit. Multo adhuc impensius miseratur (Cap. 8) vices puerorum infelicitum, quos ipsi parentes ut feneratorum crudelitati facerent satis, venum exponere adigebantur. Hanc autem divitum feritatem testatur (Cap. 10) eo usque processisse, ut ii sepultura ipsa debitorum suorum cadavera prohiberent. Docet deinde nihil omnino quod perfidiæ feneratorum non cedat, repê-

riri; quippe qui astutia sua spoliare aleatores, et Hunnos ferocissimam omnium nationum (Cap. 11) sibi subicere potuerint. Quamobrem ad eorum descriptionem redit (Cap. 12 et 13), quæ oriuntur ex tanto malo; quod quidem tum vetere tum novo Testamento proscribi Achilleis, ut vocant, argumentis demonstrat (Cap. 14). Ad hæc feneratores ad aliud utilioris usuræ genus cohortatus, in quo usura et pignus spiritale consistant, fuse declarat (Cap. 18 et seq.). Tum reprehensio iis qui fidejussores inducunt ad spondendum; eisdem fidejussoribus quam ipsos in spondendo sequi rationem conveniat, aperit (Cap. 23). Denique ut in hoc unde profecta est, oratio desinat, repetit (Cap. 24) propositum Tobiae exemplum, et quas potissimum virtutes discere ex eo debeamus, paucis indicat.

Non mirari certe non possumus, quid venerit in mentem Erasmo et post eum aliis nonnullis, ut pulcherrimum hunc librum quo tantopere permoti fuere feneratores (Cap. 23, num. 87), Ambrosio, quemadmodum Cocus (Lib. Censura quorundam script., etc.) ac Rivetus (Critici sacri lib. III, c. p. 18) asserunt, abjudicarent. Minime sane obscurum est eo nihil omnino contineri quod ab ingenio et charactere Ambrosiano dissideat. Etenim quamvis illic verborum lusus paulo frequentiores, quam in aliis sancti Præsulis tractatibus advertere sit, id quidem vel materia quæ etiam non quærenti interdum allusiones hujuscemodi suppeditat, vel alii alicui causæ tribui potest. Verum quid opponet Erasmus auctoritati sancti Augustini (Lib. 1 contr. Jul. Pelag. c. 5), a quo hic liber expressis verbis sub Ambrosii nomine allegatur? Negaturusne est Tobiae occasione contra feneratores verba fecisse beatum Antistitem; cum idem ipse exemplo illius prophetæ ad eos compugnandos conatus fuerit (Epist. 23 ad Vigil.) Vigilium Tridenti episcopum impellere? Ecquis etiam non deprehendat quanta sit eorum quæ in ea epistola dicuntur contractius, cum hac tota commentatione consensio? Ad extremum quid repositurus est objicientibus tam multos locos, qui ex Basilio (Homil. 2 in ps. XIV) translati, hoc in tractatu pro more Ambrosii passim occurrunt?

Videmus reapse Doctorem nostrum partem hujus libri minime contemnendam ex secunda Basilii homilia in psalmum XIV, ubi de sola usuræ materia tractatur, mutuatum esse. Quin etiam observamus locos aliquot, in quibus verbum de verbo reditum est. Veruntamen ut multa apud Basilium reperias, quæ prætermissa voluit Ambrosius, ita in his ipsis quæ ex homilia Basiliana desumpta sunt, non pauca mutavit vel transposuit, ut ea commodius suum quadrarent ad propositum. Postremo haud plura e fonte illo Græco, quam e proprio hausit, non solum si ea spectes quæ de Tobia istic traduntur, sed etiam si ea quæ præcipiuntur de usura et pignore spiritali; quo loco (Cap. 20) Vir sanctus quædam sequi videtur Philonis Judæi (Lib. de Somniis) sententiam, quam admodum christiane pertractat.

De tempore quo lucubrata est Ambrosiana hæc disputatio, nihil certi habemus: conjecturarum autem quæ solæ ad illud investigandum nobis suppetunt, judicium volumus esse penes lectorem. Satis quidem constat sanctum Doctorem adversus feneratores antequam ad Vigilium in Tridentina sede recens collocutum scriberet (Epist. 23 ad Vigil.), sermonem habuisse. Nemini enim verisimile sit eum laborasse, ut juvenem illum episcopum ad impugnandum fenus excitaret; cum interim ipsemet hac in re altum servaret silentium. At vero suum eidem epistolæ annum assignare etsi non ita sit in promptu; nihilominus tamen alibi non sine probabili ratione dicturi sumus eum annum videri non alium fuisse, quam ab octuagesimo quinto trecentesimo, aut alium aliquem ab eodem minime remotum. Aliunde quæ de Hunnorum alea narrat Ambrosius (Cap. 11), non potuit ante extremum Valentis imperium accipere, hoc est, post annum 376, quo tradunt historici cœpisse barbaram hanc gentem innotescere. Hinc consequitur opellam hanc intermedio tempore haud absurde ascribi posse, ac forsitan anno 377, vel alii cuiusdam e proximè sequentibus. Nequæ enim facile quis credat episcopalem Ambrosii vigilantiam ita obloppuisse, ut non ubi primum licuerit, in excindendo vitio quod regnabat tanta cum atrocitate ac insolentia, desudaret.

Arbitramur e Catholicis fore neminem, qui Ambrosii doctrinæ de usura libenti animo non subscribat; cum ea non modo Basilii et aliorum Patrum, verum etiam sacrorum codicum auctoritate muniatur. Sed cujusmodi judicium feremus de cl. Salmasio (Lib. de Usuris, et lib. de Modo usur., et Dissert. de senore Trapez.), et novis quibusdam ejusdem communionis auctoribus, qui doctori nostro frontibus adversis pugnantia defendere ausi sunt? Enimvero docet Ambrosius (Cap. 14, num. 48, et cap. 15, num. 51) creditori quidquam præter sortem accipere; licitum non esse: Salmasius hoc ipsum licere assèverat (De Trapez. senor., præfat. et alibi): Ambrosius legibus eum veteris tum novi Testamenti hoc nunquam non vetitum fuisse assèrit (Cap. 14, 15, etc.): Salmasius id in antiquo sædere intolerandum fuisse jugum, quod in novo fuerit a Christo sublatum acriter contendit (De Trapez. senor. pag. 5). Ambrosius usuram affirmat crimen esse haud multo levius, immo et quodammodo deterius homicidio atque idololatria (Cap. 4 et 14, etc.): Salmasius (De Trapez. senor., pag. 718) eam naturali jure semper fuisse permissam jurat. Ambrosius inanès compensationum prætextus rejicit (Cap. 3, num. 10): Salmasius illos admittit ac propugnât (De Trapez. senor.). Demum alteri usura innumerabilium malorum scaturigo est (Cap. 3, etc., et c. 12, 15, etc): alteri autem origo est tam multiplicium bonorum, ut ea sublata neget (De Usur. cap. 21 et alibi) imperia ac republicas posse consistere. Quid usquam amborum sententiis discrepantius? Non est nostri instituti hoc loco doctrinam S. Antistitis confirmare, ac ejusdem cum aliorum Patrum placitis summum hac in materia consensum exponere. Hoc jam præstitum est a docto quodam Theologo in tractatu gallice scripto, et Parisiis anno 1671 in lucem edito sub hac inscriptione: Lactantii defensio circa usuram; necnon à domino du Terrière in libro cui titulus: Usura exposita et condemnata; postremo secutis annis quod esset in hac materia Christianorum officium in ethicis quibusdam commentationibus patefactum est. Unum igitur hic addere nobis satis est; nimirum

Ambrosium atque alios Patres in penetrando Scripturæ sensu non minus acutos fuisse quam illos usuræ patronos, qui nihil fere aliud quam cavillationes quibus Ambrosii tempore feneratorum utebantur, quasi frigesactam crambem recoxerunt.

Quid restabat aliud istis trapezitarum apologistis, nisi ut ad minuendum Ambrosianorum argumentorum numerum sacram libri Tobie auctoritatem in dubio ponerent? Hoc ii magna fecere cum audacia. Verum quidem est eundem librum a Patribus nonnullis (Athanas. in Synop.; Greg. Naz. Car. de lib. sac.; Melito et Origen. apud Euseb. Hist. lib. iv, cap. 26, et lib. vi, c. 25; Conc. Laodic.) catalogo in quem canonicos codices retulerunt, inscriptum non esse; quod videlicet in Hebræo canone desideraretur. Sed qui nominatim illud operis rejecerit, vix quemquam invenias. Testatur alicubi Hieronymus (In Prol. Gal. Præf. in lib. Salomon) in canone Judaico illud inter canonicas Scripturas non admitti: verum alio loco ipsum his, inquit (Præf. in Tob.), quæ hagiographa memorant, Judæi manciparunt. Idem ejusdem Patris testimonio publice in Ecclesia legebatur; nec non usurpabatur ab ecclesiasticis viris (Præf. in Jonam). Unde liquido cognoscimus hunc librum id temporis nondum ab Ecclesia in ullo concilio, ut postea factum est, probatum fuisse, at quodam tacito consensu admissum. Ambrosius illum pro divino et canonico (Hic cap. 1, num. 1, et Hexaem., lib. vi, c. 4) numquam non habuit, cui hac in re suffragati e veteribus Patribus (Iren. l. 1, c. 54; Polycarp. ep. ad Philyp.; Cyprian. ad Quirin., l. iii, c. 16 et 32, et alibi: Hilar., Chrysost., Clem. Alex., Aug., etc.) longe plurimi synodis a quibus in album sacrorum codicum receptus fuit, prævivere. Adjici etiam hic potest videri sanctum Antistitem huic eidem libro non alium scriptorem attribuere, quam ipsum Tobiam patrem. Qui argumentum hoc tractaverunt accuratius, prima XII capita patri ascribunt (Serrar., Huet.), filio duo reliqua, exceptis ultimis duobus versiculis qui ab auctore quopiam ignoto, et aliquo fortasse, inquit, ex Tobie nepotibus additi sunt. Unus e recentioribus scriptoribus (Hay) memoratum librum ab utroque simul, patre nimirum et filio autumat esse compositum. Sed cum super hoc nihil usque dum pronuntiaverit Ecclesia, hic unicuique liberum est in sensu proprio abundare.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE TOBIA

LIBER UNUS^a.

591 CAPUT PRIMUM.

Proponit se de Tobie virtutibus quas historice Scriptura commemorat, brevius dicturum: et primo qui captivitatem, et in ipsa ob exhibitam sepulturam, exsilium tulerit, narrat. Deinde quomodo reversus ab eodem officio non destiterit: ubi et hoc mortuos sepeliendi munus prædicatur.

1. Lecto prophetico libro qui inscribitur^b Tobias, quamvis plene vobis virtutes sancti prophetæ Scriptura insinuaverit, tamen compendiaro mihi sermone de ejus meritis recensendis et operibus apud vos utendum arbitror; ut ea quæ Scriptura historico more digessit latius, nos strictius comprehendamus, virtutum ejus genera velut quodam breviario colligentes.

2. Fuit vir justus, misericors, hospitalis, ^c et hoc B

A virtutum præditus choro, subiit ærumnam captivitatis, quam ferebat humiliter atque patienter, communem magis injuriam, quam privatam dolens (Tob. i, 2 et seq.); nec sibi virtutum suffragia nihil profuisse deplorans, sed magis eam sibi contumeliam minorem peccatorum suorum pretio illatam arbitratus (Tob. iii, 1 et seq.).

3. ^d Meruit edictum, ^e ne quis ex filiis captivitatis mortuum sepulturæ daret (Tob. i, 22). At ille interdicto non revocabatur magis quam incitabatur, ne deserere officium pietatis, mortis metu videretur; erat enim misericordiæ pretium, mortis pœna. Talis flagitii deprehensus reus, vix tandem per amicum potuit direpto patrimonio egenus et exsul restitui suis.

592 4. Iterum in his versabatur officiis; et si quid alimenti foret, peregrinum cum quo cibum sumeret, quærebat. Itaque ^f cum fessus a sepulturæ revertisset

^a Scriptus forte circ. an. 377.

^b Mss., Tobis. Vide notam ad l. vi Hexaem., c. 4, n. 17.

^c Edit. omnes cum Vict. cod., Et ob virtutes quibus præditus fuerat, subiit, etc. Codex Thuan., Et ob virtutum quorum præditus, subiit, etc., mendose; at hoc vitium emendant reliqui mss.

^d Latinius legendum conjicit, Metuit edictum. Sed et mss. et edit. et sensus ipse refragantur. Edictum

autem idem est quod sequenti versu interdictum vocat, nempe promulgata regis prohibitio.

^e Omnes edit., ne quem ex filiis captivitatis; omnes mss., ne quis, etc. Unde intelligas regio edicto non solum Tobiam esse comprehensum.

^f Ita edit. vet. ac mss. quinque. Alii autem duo, cum a sepultura fessus reverteretur meridie. Rom. edit. revertisset una die.

munere, appositis sibi edendi subsidiis, misso filio, quærebat consortem convivii (*Tob. ii, 1 et seq.*). Dum conviva accersitur, nuntiatu insepulti corporis reliquiis, convivium deserebat: nec putabat pium, ut ipse cibum sumeret, cum in publico corpus jaceret examine.

5. Hoc illi quotidianum opus, et magnum opus, et magnum quidem. Nam si viventes operire nudos Lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis ^a in illam æternam domum profectos, unde jam non revertantur? *Ego*, inquit Job, *super omnem infirmum flevi* (*Job. xxx, 25*). Quis infirmior defuncto, de quo dicit Scriptura alibi: *Super mortuum plora* (*Eccli. xii, 10*)? Ecclesiastes autem ait: *Cor sapientium in domo luctus: cor autem stultorum in domo epulantium* (*Eccl. vii, 5*). Nihil hoc officio præstantius, ei conferre qui tibi jam non possit reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt!

CAPUT II.

Qua ratione Tobias cæcitatem tulerit, ne quid furti admitteretur caverit, et commodatam Gabelo pecuniam non repetierit, nisi senio fessus: denique quam abhorruerit a fenore malo, cum detestatione ejusdem, et boni commendatione.

6. Tam sancto fessus officio Propheta dum requiescit ^b in cubiculo suo, cadente de passerum nido albugine cæcitatem incidit (*Tob. ii, 6, 10 et seq.*), nec **593** conquestus ingemuit, nec dixit: Hæc merces laborum meorum. Fraudari magis se doluit obsequiorum quam oculorum munere: nec cæcitatem pœnam, sed impedimentum putabat. ^c Et cum victum mercede levaret conjugis, ne quid furtivum domum suam intraret cavebat: uxor hædum pro mercede acceperat; at ille plus honestati quam pietati consulens, cui suam debebat alimoniam. Commendaverat proximo suo pecuniam quamdam quam toto vitæ suæ tempore in tanta indigentia non poposcit. Vix ubi se fessum vidit, et depositum senectute, insinuavit filio, non tam cupiens commendatum reposcere, quam sollicitus ne fraudaret hæredem.

7. Quod igitur commendavit pecuniam, et non

^a Rom. edit., in illam terram profectos, etc.

^b Edit. Rom., juxta parietem aulæ, cadente de passerum nido stercore, albugine, etc. Codex Colb., cadente de stercore passerum nido, albuginis, etc.; ex qua lectione non incommodum sensum elicies, transposita vocula de post vocem, stercore. Neque tamen ei vel. edit. aliosque omnes mss. postponendos duximus. In his autem albugo videtur esse ipsummet avium excrementum, sic dictum a colore; unde apud Horat., lib. i, sat. 8, albi epithetum invenit.

^c Omnes mss. ac vet. edit. in prima hujus loci parte conveniunt, quam edit. Rom. invertit ac decurtavit in hunc modum: *Et ne quid furtivum domum suam intraret, cavebat: sed victum mercede conjugis levabat. Denique;* ab hac vero ultima voce cum tribus mss. ita prosequitur, *plus honestati quam necessitati*

A feneravit, justus servavit officium. Malum est enim fenus quo quærentur usuræ: sed non illud fenus malum, de quo scriptum est: *Fenera proximo tuo in tempore necessitatis illius* (*Eccl. xxix, 2*). Nam et David ait: *Justus miseretur et commodat* (*Ps. xxxvi, 21*). Aliud illud fenus est jure execrabile, dare in usuram pecuniam, quod Lex prohibet (*Deut. xxiii, 19*). Sed Tobias hoc fugiebat, qui monebat filium, ne præceptum Domini præteriret, ut ex substantia sua eleemosynam faceret, non pecuniam feneraret, non averteret faciem suam ab ullo paupere (*Tob. iv, 6 et seq.*). Hæc qui monet, condemnat usuras fenoris, ex quo multi quæstum fecerunt, et multis commodare pecunias negotiatio fuit. Et quidem eam prohibuerunt sancti.

B 8. Quo gravius malum fenus est, eo laudabilior qui illud refugit. Da pecuniam si habes, prosit alii quæ tibi otiosa est. Da quasi non recepturus, ut lucro cedat, si reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddit gratiam: si fraudaris pecunia, acquiris justitiam; justus est enim qui miseretur et commodat. Si amittitur pecunia, comparatur misericordia. Scriptum est enim: *Qui facit misericordiam, fenerat proximo* (*Eccl. xxix, 1*).

CAPUT III.

Ambrosius feneratorum inhumanitatem in pauperes, et eorum artes quibus illos sibi addicunt, oculis subjicit; ac demum in eosdem invehitur.

9. Multi dispendii metu non fenerant, dum fraudem verentur. Et hoc est quod petentibus consueverunt referre. Horum unicuique dicitur: *Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum* (*Ibid., 13 et 14*). Sed obsurduerunt aures hominum ad tam salutaria præcepta, et maxime divites ære illo suæ pecuniæ aures clausas habent. Dum pecuniam numerant, ^d responsa non audiunt. Simul ut aliquis necessitate constrictus, aut pro suorum redemptione sollicitus, quos captivos barbarus vendit, rogare cœperit, statim dives vultum avertit, naturam non recognoscit, humilitatem supplicis non miseretur, necessitatem **594** non sublevat, fragilitatem communem non considerat, stat inflexi-

D consulens, cui sua deerant, alimoniam commodaverat proximo suo quam, etc. Aliæ edit. ac potiores mss. ut in textu, nisi quod edit. habent, *cui sua deerant*, et solus Colb. præfert *pecuniam quamdam*. Videtur autem post vocem *alimoniam*, subintelligendum, *ne quid furtivum... cavebat*. Denique ubi edit. Gill. et Rom. *commodaverat, commodatum, commodavit*, ibi aliæ edit. ac mss. omnes, *commendaverat, commendatum, commendavit*. At non videtur prætermittendum quod ut verbum *δανείζειν* apud LXX et Aquilam in bonam ac malam partem accipitur: sic *fenerare* hic ab Ambr. et ab August. in psal. xxxvi usurpatur.

^d Responsa, *χρησμοί*, hoc est, divinæ Scripturæ. Vide quæ notavimus lib. de Fuga sæc. cap. 4, num. 20.

bilis, resupinus, non precibus inclinatur, non lacrymis movetur, non ejulatibus frangitur, jurans quod non habeat, immo et ipse feneratorum requirat, ut necessitatibus subveniat suis. Quid addis duritiæ et avaritiæ tuæ sacramentum? Non absolveris perjurio, sed ligaris.

10. At ubi usurarum mentio facta fuerit, aut pignoris; tunc dejecto supercilio fenerator arridet, et quem ante sibi cognitum denegabat, eundem tamquam paternam amicitiam recordatus osculo excipit, hereditariæ pignus charitatis appellat, flere prohibet. Quæremus, inquit, domi si quid nobis pecuniæ est, frangam propter te argentum paternum quod fabricatum est, plurimum damni erit: quæ usuræ compensabunt pretia ^a emblematum? Sed pro amico dispendium non reformidabo, cum reddideris, reficiam. Itaque antequam det, recipere festinat: et qui in summa subvenire se dicit, usuras exigit. Kalendis, inquit, usuras dabis: ^b fenus interim, si non habueris unde restituas, non requiro. Ita ut semel det, frequenter exagitat, et semper sibi debere efficit. Hac arte tractat virum. Itaque prius eum chirographis ligat, et astringit vocis suæ nexibus. Numeratur pecunia, addicitur libertas, absolvitur miser minore debito, majore ligatur.

11. Talia sunt vestra, divites, beneficia. Minus datis, et plus exigitis. Talis humanitas, ut spoliatis etiam cum subvenitis. Fecundus vobis etiam pauper est ad quæstum. Usurarius est egenus, cogentibus vobis, habet quod reddat: quod impendat, non habet. Misericordes plane viri, quem alii absolvitis, vobis addicitis. Usuras solvit, qui victu indiget. An quidquam gravius? Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum: panem implorat, gladium porrigitis: libertatem obsecrat, servitutem irrogatis: absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis.

CAPUT IV.

Qua ratione feneratores Judæ et diabolo comparentur; et quid significetur nominibus creditoris, feneratoris, sortis, ac debitoris?

12. Hanc præcipue injustitiam deplorat sanctus David dicens: *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate: et non defecit de plateis ejus usura et dolus* (Ps. LIV, 11 et 12). Itaque cum ^c proditorem Judæ subjecerit, hoc præmisit, sive quod ultra sacrilegii invidiam, conjuratis Dominicæ necis feneratoris crimen accideret, sive quod tantum sacrilegium satis abundeque usuram feneratoris ultum iret. Mali feneratores qui

^a Emblemata, figuræ sunt, atque ornamenta vasi cuiusdam superaddita quæ facile ex eodem eximi possint, dicta ἀπὸ τοῦ ἐπιβάλλειν.

^b Fenus hic pro sorte ponitur, sicut et infra c. 12, n. 59, Nummus datur, fenus appellatur. Ea tamen vox sæpius usuram sonat.

^c Nimirum sequentibus ejusdem psalmi versibus, quos consule.

^d Vel. edit., comparandum, qui res animæ, et pretiosæ mentis patrimonium fenerat, quodam usurariæ iniquitatis sic sumptu capit, etc. Rom., comparandum, qui vires animæ, etc. Huic accedunt duo mss. in

A dederunt pecuniam ut interficerent auctorem salutis: mali et isti, qui dant ut interficiant innocentem. Et iste quoque qui pecuniam acceperit, ut proditor Judas, laqueo se et ipse suspendit. Ipsum quoque Judam hoc maledicto **595** putavit esse damnandum, ut scrutaretur fenerator ejus substantiam (Ps. XVIII, 11); quia quod proscriptio tyrannorum, aut latronum manus operari solet, hoc sola feneratoris nequitia consuevit inferre. Doctiores autem ipsum feneratori putant diabolum ^d comparatum, qui res animæ, et pretiosæ mentis patrimonium fenore quodam usurariæ iniquitatis evertit, sic sumptu capit, sic auro illicit, sic reatu involvit, sic caput thesauro reposcit.

13. Quid vobis iniquius, qui nec sic capitis solutione estis contenti? Quid vobis iniquius, qui pecuniam datis, et vitam obligatis et patrimonium? Accipitis aurum argentumque pro pignore, et adhuc illum debitorem dicitis, ^e qui vobis plus creditit, quam accepit a vobis? Vos creditores asseritis, qui amplius debetis: vos, inquam, dicitis creditores, qui non homini, sed pignori credidistis. Bene fenus appellatur quod datis, ita vile ac feneum est.

14. Sortem dicitis quod debetur. Etenim velut urna ferali misera sors volvitur, perituri debitoris luenda supplicio. Stant pallentes rei ad sortis eventum. Non sic dejecti ac suspensi pavitant, de quorum captivitate exspectatur sortis eventus. Illic enim unius captivitas, hic plurimorum addicitur. Et fortasse ideo sors, quia in eventum sunt patrimonium ^f quæ sub hac sorte volvuntur. Magnum et memorabile beneficium Dei. Hoc specialiter ore prophetico prædicatur, quod in patres contulit, quia *ex usuris et iniquitate liberavit eos* (Ps. LXXI, 14). Et proprie ait: *Ex usuris liberavit eos*, quia usuræ inferunt servitutem. Quasi diceret, ex servitutis vinculo ereptos reddidit libertati.

15. Grave vocabulum debitorum. Debita peccata dicuntur. Debitorum quoque criminosi appellantur; sic enim et isti sicut et illi ^g de capite decernunt. Culpæ tamen habent nomen suorum, ut factorum diversitatem. Debita quamvis diversæ quantitatis, unum habent nomen, unum onus, unum periculum. Nescit ergo quid poscat infelix, qui pecuniam petit mutuam: quid accipiat, ignorat.

CAPUT V.

Pecunia feneratorum mari comparatur: hanc ubi quis

verbis, qui vires animæ, tres autem in voce, fenerator. Melius alii quos secuti sumus.

^e Ita mss. Thuan., Laud., Dion. et Colb. Alii autem, ac omnes edit. qui vobis plus reddidit. Minus bene; cum agatur de pignore quod a debitore traditur feneratori.

^f Omnes edit., quæ sub hac arte volvuntur. Melius scripti cod. ut in textu.

^g Lusus in verbo de capite, quod relatam ad criminosos idem est ac de vita, seu de pœna capitali: relatam vero ad debitores pro sorte, seu capitali summa accipitur; ut etiam seq. cap., num. 20.

accēpit, statim nēbulonum turbam ad se attrahit; ubi et de sortibus utriusque Testamenti. Consumpta per intemperantiam illa pecunia, miserum ad vendendam suppellectilem fenerator adigit, aut inducias concedit, sed bellicis ipsis tristiores: sequitur demum nimis sera stultitiæ penitentiæ.

16. Non novit pecunia feneratoris uno diutius loco stare, solita transire per plurimos. Uno teneri sacculo nescit, versari ac numerari expetit: usum requirit, ut acquirat usuram. Fluctus quidam est maris, non fructus. Pecunia numquam quiescit. Labitur, velut scopulo **596** illisa, ita gremium debitoris percutit, et continuo relabitur eo unde processit. Cum murmure venit, cum gemitu revertitur. Frequenter tamen placidum stat ventis mare, semper fenoris unda jaectatur. Mergit naufragos, expuit nudos, vestitos exuit, insepultos relinquit. Numinum ergo petis, et naufragium suscipis. Hinc Charybdis circumstrepit, hinc Sirenæ quæ voluptatis specie, et canoræ dulcedinis suavitate in vada deductos cæca, repetendæ domus, ut ferunt fabulæ, spem et cupiditate fraudabant (*Homer. Odyss. M.*).

17. Statim venditores a unguenti et diversarum specierum irruunt, velut quidam canes sagaci prædæ vagantis odore perstricti, venatores, piscatores, aucupes, caupones quoque miscentes mero aquam, qui nobilitatem vetusti generis et patriæ, et natalem diem vini circumsonent: circumstantes repente parasiti quem ante solebant spernere, salutant, deducunt, ad lætitiæ provocant, ad sumptum incitant dicentes: *Venite, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter: vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertransiatur luxuriâ nostra, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars, et hæc est sors nostrâ* (*Sap. II, 6 et seq.*). Et verè sors omnis illorum facta est: tu autem remanes exors honorum.

18. Non tales sortes tibi Scriptura monstravit. Non inter tales sortes David sanctus memorat dormiendum dicens: *Si dormiatis inter medias sortes* (*Psal. LXXVII, 14*). Nam si in medio illarum dormisses sortium, id est, veteris et novi Testamenti, non te pecuniæ cupiditas in voraginem deterrimi fenoris demersisset, gratia spiritualis fidei tibi dedisset argentum, et in speciem auri divinæ sapientiæ institutione formasset. Etenim si nos unum testimonium divinæ Scripturæ posuimus, et luxuriosum illud convivium declinavimus, utique potuit et iste salvari, si oraculis cælestibus inhæsisset.

19. Revertamur tamen ad convivium, non ut ejus

^a Per unguentum, intellige oleum aromatis conditum; et per species, odores atque aromata, quibus ad delicias abutuntur voluptuosi.

^b Era. et edit. seq., *jurgis vigilantem adoritur*. Amerb. cum mss., *injuriis*, etc.

^c Male assueti, hoc est, non edocti a mangone, quo pacto emptorem allicere debeant: vel male as-

degustemus epulas, sed cavendas aliis demonstramus. Oneratur mensa peregrinis et exquisitis cibis: adhibentur nitentes ministri, magno empti pretio, sumptu pascendi majori: bibitur in noctem, dies convivio clauditur, ebrietati deficit. Surgit ille vini plenus, vacuus opum, dormit in lucem, vigilans somnium putat. Etenim ut in somniis sibi videtur subito dives ex paupere, sic etiam egenus ex divite. Dum defluit interim pecunia, usura superfluit: tempus minuitur, fenus augetur: thesaurus exinanitur, sors accumulatur: paulatim convivæ se subtrahunt, sponsos conveniunt: mane fenerator pulsat ad januas, queritur dies solutioni transiisse præscriptos, ^b injuriis vigilantem adoritur, in somnis dormientem excitat. Non noctes quietæ, non dies suavis est, non sol jucundus. Detrahuntur paulatim deauratæ ac sericæ vestes, et vaneunt dimidio minoris. Ponit cum lacrymis ornamenta **597** conjux jam tristior, empta charius, vendenda vilius. In auctione pueri constituuntur mensæ ministri, ^e et male assueti emptiorem avertunt. Offeritur pecunia creditori: Vix, inquit, hæc solvit usuram, caput debes.

20. Redit exhausto patrimonio capitis reus; et imminuto fenore, accipit inducias tristiores bellicis, quasi post biduum præliaturus. In bello enim incerta victoria, hic certa inopia: illic se clypeo tegit, hic nudus occurrit: illic lorica pectus includit, hic totus carcere includitur: illic manus telis onerat, armat sagittis, hic ære vacuas offert vinculis alligandas. Ducitur plerumque uterque captivus: ille habet quem accuset adversum belli eventum, hic præter se quem accuset, non habet. Nihil est intolerabilius hac miseriâ, quæ excusari non potest. Acerbat conscientia pondus injuriæ.

21. Tunc secum reputat, tunc Scripturas recordatur, tunc dicit: Nonne mihi scriptum est: *Bibe aquam de tuis vasis, et de tuorum puteorum fontibus* (*Prov. V, 15*). Quid mihi cum puteo feneratoris, ubi et aqua includitur (*Prov. XV, 17*). Suaviora erant olera cum securitate, ^d quam alienæ epulæ pastæ cum sollicitudine. Non oportuit aliena quærere. Deinde incideram debita, de meis oportuit fontibus remedium quærere. Erant domi vasa minutiora: melius erat ministerium deesse, quam cibum: melius vestem venalem proponere, quam libertatem addicere. Quid profuit quod publicare paupertatem meam verecundatus sum? Ecce alius publicavit. Ego nolui ^e nutritores vendere, ecce alius adjudicat.

22. Sera hæc consideratio. Tunc decuit metuisse tuis, cum acciperes aliena: tunc decuit succurrere, cum vulnera prima proserperent. Melius fuerat in principio tenuare sumptum, et necessita-

sueti, hoc est deliciis, non autem utilioribus artibus assueti.

^d Ita edit. Am., Era. et Rom. cum tribus mss. Gill. cum aliis totidem, *quam alieno tere epulæ*, etc. Thuan. solus, *quam alieno epulæ*, etc. Ubi forte subintelligendum *domicilio*, vel *convivio*.

^e Nutritores servi, quibus liberorum committebatur educatio.

tem debiti rei familiaris angustiis allevare, quam ut ad horam ditatus alienis, postea exuereris et propriis.

CAPUT VI.

Quanta moliantur feneratoris; ut incautos adolescentis deprædentur.

23. Accusamus debitorem quod imprudenter se gesserit: sed tamen nihil nequius feneratoribus, qui aliena damna lucra sua arbitrantur; et dispendio suo deputant quidquid ab aliis possidetur. Aucupantur hæredes novos, adolescentulos divites explorant per suos, adjungunt se, simulantes paternam et avitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates. Si quam causam invenerint, accusant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de se speratum fuerit atque præsumptum. Sin vero nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt tabulas, aiunt nobile prædium esse venale, amplam domum: accumulatur proventus fructuum, annuos redditus exaggerant, hortantur ut coemant. Similiter faciunt pretiosas vestes, et monilia nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuniam, **598** ingerunt suam dicentes: Utere ut tua: de fructibus emptæ possessionis pretium multiplicabis, debitam reddes.

24. Præterdunt alienos fundos adolescenti, ut eum suis exspolient: tendunt retia, simul ut indagine cincta spatia fuerit ingressus, cogunt eum in retia cautionum, laqueos usurarum: petunt obligari sibi avitum^a prætorium, paternum sepulcrum: præstituitur dies solutioni, dissimulatur conventio, quando potest solutio sustineri; ubi satis securum reddiderint, repente ingruunt, et instant vehementius, causanti incumbunt dicentes: Tu possides tua prædia, nos nostram pecuniam non habemus: aurum dedimus, ^b lignum tenemus: tibi fructuum emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecuniæ. Otiosa cautio est, saltem renovetur chirographum.

CAPUT VII.

Quam sollicite feneratorem fugiat debitor, et cuiusmodi sit utriusque occursus: quomodo hic dilatione accepta magis irretitus ad vendenda prædia adigatur: ac tandem omnibus destitutus et ad vincula paratus in desperationem incidat.

25. Itaque dum primum adolescens nihil putat de vestibis suis, aut etiam possessionibus esse vendendum, ad hæc facienda postulat dilationem. Usuræ applicantur ad sortem, accumulatur centesima. Jam suspirare incipit, jam malum suum agnoscere. Die ac nocte usuram cogitat: quidquid occurrerit, feneratorem putat: quidquid crepuerit, vocem sibi videtur feneratoris audire. Si habes, cur non solvis?

^a Prætorium hoc loco sumitur non pro domo prætoris, aut ejus qui præesset exercitui, sed pro domo ruri ad delicias ædificata; quo sensu non semel apud Titum Livium invenitur.

^b Hoc est, ligneas tabulas cera obductas, in qui-

A Si non habes, cur malum malo adjungis, et de vulnere remedium quæris? Cur quotidie obsidionem pateris feneratoris, expugnationem times? Vetus sententia est: *Feneratoris et debitoris sibi occurrentium, prospectum amborum facit Dominus (Prov. xxix, 13)*. Alter quasi canis prædam requirit, alter quasi fera prædonem declinat: ille quasi leo quærit quem devoret, iste quasi bos juvenculus prædonis impetum reformidat: ille quasi accipiter unguibus olorem quærit invadere, iste quasi anser aut fulica, mavult se vel in prærupta dejicere, vel in profunda demergere, quam istum humani corporis accipitrem sustinere. Quid quotidie fugis? Et si non occurrat fenerator, occurrit tibi inopia tamquam bonus cursor. Ambos ergo videt Dominus, feneratorem, et debitorem: occurrentes sibi spectat ambos, testis alterius iniquitatis, alterius injuriæ: illius avaritiam condemnat, hujus stultitiam. Ille gressus debitoris singulos numerat, aucupatur deflexus: iste continuo post columnas caput obumbrat. Nullam enim habet debitor auctoritatem. Ambobus in digitis usurarum repetitur sæpius calculatio. Par cura, sed dispar affectus. Alter lætatur incremento fenoris, alter cumulo debitionis affligitur. Ille quæstus numerat, hic ærumnas.

26. Quid fugis hominem quem poteras et non timere? Quid fugis, aut quousque fugies? Si quis **599** pulsaverit nocte, feneratorem putas, sub lectum illico: si quem subito intrare senseris, tu foras exsilis. Canis latrat, et cor tuum palpitat, sudor effunditur, anhelitus quatit artus, quæris quid mentiaris, ut feneratorem differas; et cum dilationem impetra-veris, gaudes. Fenore tuo simulat fenerator gravari: sed libenter impertit, quasi venator qui feram cinxerit, securus est prædæ. Tu oscularis caput, amplexeris genua, et quasi cervus sagitta toxicata ictus, paululum procedens, tandem victus veneno procumbis: aut quasi piscis qui fuscina fuerit infixus, quocumque fugerit vulnus vehit. Et vere piscis ille in esca mortem devorat, ille hamum glutit, dum cibum quærit; sed tamen hamum non vidit, quem tegit præda: tu hamum cernis, et glutis. Hamus tuus fenus est creditoris: hamum voras, sed vermis te semper obrodit. Ipsa est esca quæ decipit. Itaque et tibi fenoris nec cibus usui est, et hamus vulnere. An **D**ignoras quia semel illaqueatus nodo, se magis, si fugiat, ipse constringit; et intra retia positus fugiendo magis dejicit super se retia? In plateas fugis, cum intra parietes tutus esse non possis. Inveniet te cum voluerit fenerator. Denique ubi tempus impleveris, sicut lupus nocte irruit, dormire non sinit, ^c exspectato die ad publicum trahit, aut tabulis venditionis cogit suscribere. Ut fureris pudoris dispendium, subscribis illico, venditurus avitum sepulcrum,

bus fenoris cautio scribi solebat.

^c Edit. omnes, *ex lecto ad publicum trahit*. Non incommode; sed tamen contra communem mss. consensum.

paternæ sane ^a ut prætexatur aliquid verecundiæ: A emitur jejunum solum, jactatur quod infecunda vendiderit, dispendiis oneraverit debitorem, et superioris temporis ascribuntur dispendiis damna præsentis. Mox et laudata venduntur, et inferuntur jam non instrumenta, sed vincula.

27. Tamen adhuc quærendi fidejussores. Tribuuntur induciæ non ut prædam libertatis inveniat, sed ut consortem servitutis adjungat, qui se societ ærumnoso. At quid juvare potest alienæ calamitatis accessio? Jam et amici fugiunt, convivæ non recognoscunt: ipse quoque conspectus omnium refugit, et ut pugil ictus varios concertantium, ita iste honestorum vitat occursus, et sollicitus, ubi in aliquem offenderit, vigilantia exit obtutu. Redit paratus ad vincula, redit mortem optans, cogitans eam sibi, si moreretur, quietem inferre. Redit misere se ipse condemnans, quod alienam pecuniam non refugerit, et feneratoris se ære devinxit.

28. O quantos miseros aliena fecerunt bona! Quid, inquit (*Jerem. II, 18*), tibi ut bibas aquam Geon? Quid, inquam, tibi, ut biberes calicem feneratoris? Multi, inquit, mutuati ad tempus, et necessitatibus consuluerunt suis, et pecuniam reddiderunt. Et quanti se propter fenus strangulaverunt! Illos consideras, hos non enumeras: reminisceris evasisse aliquos, non reminisceris oppetisse: nummos redditos imputas, laqueos appetitos non computas, quos deformitati tam dedecorosæ conventionis plerique verecundiores ad contumeliam, fragiliores ad injuriam, expetito interitu prætulere, opprobrium vitæ amplius quam mortis supplicium pertimescentes.

600 CAPUT VIII.

Liberos pro paternis debitis per summam indignitatem sub hasta vœnire: sed huic malo subvenire posse neminem, cum expleri nequeat feneratoris avaritia; quam in rem Scripturæ locus explicatur, simulque ostenditur materiam prævaricationis esse fenerationem.

29. Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, et teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis; et hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. Instat, urget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia, pro alimonia servitium recognoscant, pro sumptu licitationem subeant. Agitetur hasta de pretiis singulorum. Non immerito hasta agitur, ubi caput quæritur: non immerito ad auctionem pervenitur, ubi sors poscitur. Hæc est feneratoris inhumanitas, hæc debitoris stultitia, ut filiis quibus non relinquit pecuniam, libertatem auferat, pro testa-

^a Omnes edit., ut parcat aliquid verecundiæ. Apertius mss., ut prætexatur, etc. Consequenter autem Rom. edit., dispendiis oneraverit emptorem: haud male, si vel unus ms. illi accederet.

^b Rom. edit. sola, graviusque quam servitus.

^c Omnes edit., furibundo vultu; omnesque mss., pudibundo vultu.

mento chirographum dimittat, pro emolumento hæreditatis syngrapham obligationis. Quid sibi vult paterni in liberos scriptura maledicti, ubi nulla est impii offensa peccati? An potest durius aliquid esse maledictum, ^b graviusque servitium? Et illa sæpe post mortem habet defunctus compendia, quod non spectat miserias filiorum.

30. Vendit plerumque et pater liberos auctoritate generationis, sed non voce pietatis: ad auctionem ^c pudibundo vultu miseros trahit dicens: Solvite filii gulæ meæ sumptum, solvite paternæ mensæ pretium: vomite quod non devorastis, reddite quod non accepistis; hoc meliores, quod vestro pretio redimitis patrem, vestra servitute paternam emitis libertatem.

31. Esto ut aliquis qui subvenire possit, accedat. B Quis tantam expleat Charybdim? quis rationes feneratoris agnoscat? quis avaritiam satiet? quæ non iste pretia exaggeret, cum viderit redemptores? Non enim suo magis lucro quam alieno detrimento pascitur. Vera profecto, vera est, utpote Dei, divina sententia, qui cum iratus esset propter impietatem populi Judæorum, quod post deos abiret alienos: Cui, inquit, vendidi vos feneratori (*Esai. L, 1*)? Venditur enim qui obligatus feneratori fuerit, et venditur non uno pretio, sed quotidiano: venditur non cum definitione, sed cum accessione diuturna. Nova usurarum auctio per menses singulos, nova sub quotidiana licitatione venditio. Qui plus obtulerit, trahit semper, venalis addicitur, numquam quasi venditus æstimatur. Magna igitur vis cœlestis sententiæ. Non satis judicavit Dominus dicere: Cui vendidi vos; sed addidit feneratori? Offensus nihil potuit gravius invenire, quo vindicaret in perfidos. Derelictus exposulat, cur ita fugerint salutis auctorem, ^d quasi feneratori eos alicui Dominus vendidisset digna pœna. Dominum relinquentes habent servi quod amplius quam carceris pœnas et vincula reformident: habent liberi quod paveant pro libertatis incuria.

601 32. Simul illud advertite, quod feneratio prævaricationis materia judicata sit; quod is facile recedat a Domino, qui feneratori se potuerit obligare. Fenus enim radix mendacii, causa perfidiæ est. Ego, inquit, vos non vendidi; sed peccatis vestris venditi estis (*Ibid.*). Ergo qui se feneratori obligat, ipse se vendit; et quod pejus est, vendit se non ære, sed culpa.

CAPUT IX.

Peccati feneratorem diabolum esse, qui Salvatori etiam divitias suas ostentavit; ei feneratorem haud absimilem; atque ibidem de centesima usuræ, ac centesima ove; deque creditoris nomine quod sibi imponit verus exactor.

33. Quis iste peccati est fenerator, nisi diabolus,

^d Hic vet. edit. ac Rom. in eo tantum dissident, quod illæ ommissa voce, eos, sensum non nisi post vocem, relinquentes, absolvunt. Mss. vero in punctis figendis parum constantes, habent vocem, eos, cum edit. Rom. Solus Colb. ita locum exhibet forsitan non male, quasi feneratori eos..... dominum relinquentis. Habent servi, etc.

a quo Eva mutuata peccatum obnoxie successionis, A bus duriores; quoniam quem vos tenetis, carcer non usuris defeneravit omne genus humanum (*Vid. S. August. lib. i cont. Jul. Pelag., cap. 5*)? Denique quasi malus fenerator chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore delevit. Etenim quod mortis erat scriptum apicibus, debuit morte dissolvi. Fenerator ergo diabolus. Denique ostendebat Salvatore divitias suas dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me* (*Matth. iv, 9*). At vero Dominus æris solutor alieni, nihil ipsi debebat, qui poterat dicere: *Ecce venit hujus mundi princeps, et in me suum non invenit nihil* (*Joan. xiv, 30*). Nihil debebat, sed solvebat pro omnibus, sicut ipse testatur dicens: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal. lxxviii, 5*).

54. Quid distat malitia hujus principis mundi? Fenerator pecuniæ caput obligat, ^b manum tenet, sorte ducit. O nomen triste de dulci! Dominus ovem centesimam liberavit; illa centesima salutis, hæc mortis est; et terra bona centuplum fructum reddit. Væ iis qui dicunt quod amarum est, dulce; et quod dulce, amarum! Quid amarius usura, quid dulcius gratia? Nonne hoc ipso sermone quo centesimam appellant, revocare deberent in memoriam Redemptorem, qui venit centesimam ovem salvare, non perdere?

55. Quis gravior exactor est? Et hoc triste nomen. Denique Dominus ait: *Populus meus, exactores vestri circumscribunt vos* (*Esai. iii, 14*). Et in Evangelio habes: *Dum vadis cum adversario tuo ad magistratum, da operam liberari ab illo; ne forte perducatur te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem* (*Luc. xii, 58*). Quis iste sit exactor agnosce, qui etiam novissimum quadrantem exigit, et idem se creditorem vocat, atque in hoc etiam nomine fraudem facit: ut qui veneni pocula melle illinit, ut sub grato odore mors lateat, atque illita calicis ora vim fraudis abscondant. Creditor prætextitur quasi fidelis; et quasi incredulus, ad quem fidelis oppignorat.

602 CAPUT X.

Feneratoris, ne debitoris cadaver ad sepulturam efferretur, prohibentis historia.

56. Quoties vidi a feneratoribus teneri defunctos pro pignore, et negari tumulum, dum fenus exposcitur? Quibus ego acquievi libenter, ut suum constringerent debitorem, ut electo eo, fidejussor evaderet; hæc sunt enim feneratoris leges. Dixi itaque: Tenete reum vestrum; et ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubiculo vestro, caruifici-

^a Omnes edit. ac mss. aliquot, *suum nihil invenit*. Antiquiores vero, *suum non invenit nihil*. Quam lectionem Ambrosius explicat lib. de Fuga sæculi, c. 4, num. 24.

^b *Manum tenet*, id est sygrapham debitoris manu subscriptam.

^c *Capite minutus*, hoc est, nobilitatis dejectus gradu, atque in plebeiorum hominum ordinem reductus.

bus duriores; quoniam quem vos tenetis, carcer non suscipit, exactor absolvit; peccatorum reos post mortem carcer emittit, vos clauditis; legum severitate defunctus absolvitur, vobis tenetur. Certe hic sortem suam jam memoratur implisse; non invideo tamen, pignus vestrum reservate. Nihil interest inter funus et fenus, nihil inter mortem distat et sortem: personat, personat funebrem ululatum feneratoris usura. Nunc vere ^e capite minutus est quem convenitis; vehementioribus tamen nexibus alligatæ, ne vincula vestra non sentiat: durus et rigidus est debitor; et qui non jam noverit erubescere. Unum sane est quod non timere possitis, quia poscere non novit alimenta.

57. Jussi igitur levare corpus, et ad feneratoris domum exsequiarum ordinem duci: sed etiam inde ^d clausorum mugitu talia personabant. Ibi quoque funus esse crederes, ibi mortuos plangi putares: nec fallebat sententia, nisi quod plures constabat illic esse morituros. Victus religionis consuetudine fenerator (nam alibi suscipi pignora etiam ista dicuntur) rogat ut ad tumuli locum reliquæ deferantur; tunc tantum vidi humanos feneratores gravari me; tamen ego eorum humanitatem memorabam prospicere, ne postea se quererentur fraudatos esse, donec feretro colla subjecti, ipsi defunctum ad sepulcra deducerent, graviore mœre deflentes pecuniæ suæ funus.

CAPUT XI.

^c *Usura etiam ab aleatoribus exigitur, quorum in lusu varia fortuna est, sed lucrum cedit feneratori. Hujus in illos quanta tyrannis, et quæ leges aleatorum. Postremo barbarorum quorundam furor in aleam describitur.*

58. Aliud non minoris acerbitatis accipite. Observant isti aleatorum conventicula, et perdentis ærumnam commoditatem suam judicant: spondent pro singulis. Varios primo sors ludit eventus, ad diversos sæpe transfertur victoria, stipendiaque ejus vicissim atque ærumna mutantur: omnes vincuntur et vincunt, fenerator solus acquirit: penes alios inane nomen quod vicerint, penes feneratorem solum fructus est, non annuus, sed momentarius; illi soli faciunt lucrum in omnium detrimento, illis solis est ^e usura victoriae. Videas reliquos subito egen- tes, repente divites, deinde nudos, singulis jactibus statum **603** mutant. Versatur enim eorum vita, ut tessera; volvitur census in tabula, fit ludus de periculo, et de ludo periculum: quot propositiones, tot proscriptiones. Clamor plaudentium, fletus de-

^d Rom. edit., *clausorum mugitus ad alta personabant*. At nobiscum vet. edit. et mss. consentiunt, nisi quod illæ scriptoris vitio pro, *clausorum*, habent, *plausorum*. Porro post voces, *talia personabant*, videtur subintelligendum, *qualia in exsequiis personant*.

^e Omnes edit., *usura victoria*; mss. fere ad unum, *usura victoriae*.

spoliatorum, gemitus deplorantium. ^a Sedet inter hos creditor ut tyrannus, damnans unumquemque sorte capitali, agit atque hastas, feralem instituit de singulorum exuviis auctionem: alios proscriptioni addicit, alios servituti: non tanti occisi sub tyrannis sunt. Vitæ igitur hanc aleam rectius dixerim, quam pecuniæ; sub momento fertur, quod valeat in æternum. Ebrietas iudicat, et nullus appellat. Habet et alea suas leges, quas fori iura non solvant. Notatur, si credi potest, infamia, qui putaverit renitendum, et infamium sententia gravius quam censure iudicialis inurit opprobrium; quoniam qui apud iudicem damnantur, apud illos gloriosi sunt: qui apud illos damnantur, apud iudicem criminosi sunt. Nobile constituit Moyses seniorum iudicium (*Exod. xviii*): hi tamen de levioribus iudicabant; verbum grave, hoc est, de potioribus negotiis Moysi iudicio reservare consueverant. Hic dicitur: Aleonum consilium iudicavit, et plus eorum timetur potentia, ^b quam leonum. Inter has feras vivis fenerator atque versaris. His bestiis cibum eripis, his tetrior æstimaris, his crudelior plus timeris.

59. Ferunt Chunorum populos ^c omnibus bellum inferre rationibus, feneratoribus tamen esse subiectos; et cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, ^d in procinctu ludere, tesseræ simul et portare, ^e et plures suis quam hostilibus jactibus interire: in victoria sua captivos fieri, et spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint: ideo numquam belli studia deponere; quod victus aleæ ludo, cum totius prædæ munus amiserit, ludendi ^c subsidia requirat bellandi periculo: frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea quæ sola magni æstimant, victus arma tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris vel feneratoris addicat. Denique constituit quod quidam eorum et imperatori Romano cognitum in fide, pretium ser-

^a Edit. Rom., *Sedet et hos....damnat.* Vet. edit. et cod. Vat. et Vict., *damnans.* Thuan., *Laud. et Dion., Sedet et inter hos... damnans.* Colb. solus præluxit, ut scribarum lapsum, agnosceremus, vocem *sedet* in aliis mss. in duas partes dividendum.

^b Cunctæ edit., *quam dæmonum.* Cuncti mss. *quam leonum.* Optime, sit enim allusio inter voces *aleonum* et *leonum*, quæ figura in hoc tractatu frequentissima est.

^c Sic mss. Thuan. et alii; cunctæ autem edit., *omnibus bellum inferre nationibus.* Male. Qui enim omnibus nationibus bellum inferre hic dici possint ii populi, quorum Ambrosii tempore levem admodum cognitionem fuisse in confesso est. Legendum itaque.... *rationibus*, hoc est, omnibus modis. Siquidem, Am. Marcellino teste aliisque historicis, hujusce gentis mos erat pugnare partim circumequitando, partim excurrendo et opportune retrocedendo. Sed maxime terga vertentes magna industria jaculis hostes confodiebant. Quod autem ad hanc tantam eorundem barbarorum in ludum insaniam, de illa apud auctores nihil omnino reperias; et Ambrosius ipse id tantum fando sese audivisse significat. Neque etiam hic omitemus memoratos populos, qui in editis omnibus Humi scribuntur, Chunos constanter legi in mss. Qui de illis plura cognoscere voluerit, adeat Am. Marcellinum, et in eundem Valesii, ac Lindenberghii notas: item Sozomenum, Jornandem, et alios;

vitulis quam sibi tali sorte superatus intulerat, supplicii imperatæ mortis exsolverit. Premit ergo fenerator etiam colla Chunorum, et eos urget in ferrum, premit barbaros suæ terrore sævitæ.

604 CAPUT XII.

De feneratorum exactione, et variis vocabulis quibus utuntur. Eorum pecunia comparatur cum echidna aliisque serpentibus; ubi cur usuras Græci τὸζους dixerint, explicatur.

40. Quid enim tetrius eo qui hodie fenerat, et cras expetit? Et (*Eccli. xx, 16*) odibilis, inquit, homo hujusmodi. Oblatio quidem blanda, sed immanis exactio. Verum ipsa oblationis humanitas facit et exactiois sævitiam: protulit pecuniam, ^f hypothecas exigit, et in suis apothecis recondit. Una pecunia a feneratoribus datur, et quam multa a debitoribus exiguntur? Quanta sibi fecerunt vocabula? Nummus datur, fenus appellatur: sors dicitur, caput vocatur: æs alienum scribitur: multorum hoc capitulum immane prodigium numerosam exactionem efficit: syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus usurpat, fiducias vocat, obligationem asserit, usuras prædicat, centesimas laudat.

41. Echidna quædam est feneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. ^g Echidna tamen secunda pœnis viscera trahens, partu suo ^h rumpitur. Et morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem. Igitur incipiunt esse serpentes, illam morsibus suis scindunt. Illic ubi nascitur venenum, primum probatur. Pecunia autem feneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior. Non minus flexuosa quam serpens, atque in orbem tota se colligens, ut caput servet: reliquo flagellat corpore, illud solum producit ad vulnera: spiris ingentibus

videat etiam quæ in Admonitione in hunc librum diximus.

^d *In procinctu*, hoc est, ad ineundam pugnam armis instructi.

^e Omnes edit. et mss. aliquot, *et plures suis quam hostilibus ictibus interire.* Mss. duo,.... *hostilibus factis interire.* Alii nobiscum melius,.... *hostilibus jactibus interire.* Etenim hostilium telorum jactibus aleæ ac tesserarum jactus hic opponuntur.

^f *Hypotheca est*, quidquid feneratori oppignratur, sive pignus sit quod ipsi tradatur asservandum, sive res immobilis quæ eidem per usurarium instrumentum obligetur. Nec multum diverse nomen, *Fiducia*, de quo infra igitur, significat. Vide Gothofred. in lib. iii, Cod. Theod., tit. de Commiss. rescind., pag. 252 et seq.

^g *Echidna*, vel ut mss. *echinna*, vipera femina; de cujus partu consule Arist. lib. v Hist. anim. cap. ult., Plin. lib. x Hist. natur., cap. 92 et alios. Hic autem Ambrosii locus totus e Basil. expressus est.

^h Rom. edit., *rumpitur, et sobolem parit non sui degenerem. Matrem enim illa morsibus suis scindit. Illic ergo ubi nascitur, etc.* Vet. autem, et quædam Paris. cum mss. in nostram lectionem conspirant, nisi quod in vet. edit. ac mss. Torn. et Vict. desunt ista verba: *Igitur primum incipiunt esse serpentes.*

quos comprehenderit, ligat, solo capite interficit: salvo capite, etiam si reliqua pars ejus dilapidata fuerit, reviviscit.

42. Diversa quoque serpentibus sunt conveniendi et parturiendi tempora: pecunia fenebris a die initæ conventionis crescentibus serpit usuris, quæ parturire non novit; quia dolores magis ipsa in alios transfundit. Ibi dolores ut parturientis; unde etiam τόξους Græci appellaverunt usuras, eo quod dolores partus animæ debitoris excitare videantur. Veniunt kalendæ, parit sors centesimam: veniunt menses singuli, generantur usuræ, malorum parentum mala proles. Hæc est generatio viperarum. Crevit centesima, petitur nec solvitur, applicatur ad sortem. Fit maledictum **605** propheticum (Ps. LIV, 12), dolus in dolo, usura improbi seminis fetura deterior. Itaque **B** non jam centesima incipit esse, sed summa, hoc est, non fenoris centesima, sed fenus centesimæ.

CAPUT XIII.

Usuræ etymologiam prosequens ostendit illam leporibus ipsis, ac plantis quibuslibet fecundiorē esse, feneratorisque aviditate omnem aliam superari: dein ad institutam usuræ cum animalibus ac plantis comparationem redit.

43. Usuram quoque ab usu arbitror dictam, quod ut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur. **a** C Lugubre ceræ prima littera sonat. Parturit vox doloris est: quid tibi potest esse boni, quod a dolore incipit et ab obligatione? **b** Lepores ferunt generare simul et educare, et continuo parturire: **c** istis quoque anaglyphariis usurarum generatur et supergeneratur usura, enutritur ac nascitur, et nata jam parturit. Radices quoque arborum primo plantantur ut

a Edit. ant. cum mss. nonnullis, *lugubre cætera prima littera sonat, parturit vox doloris est.* Era. et Gill. posito asterico ad vocem *cætera*, notarunt in margine, *forte Græca primum*, Gill. addit, *vel ceræ.* Cum vero istæ minus placuissent iis qui Rom. edit. præfuerunt, ipsi Marte proprio locum emendare conati sunt in hunc modum, τόξος Græce *lugubre sonat: partus enim qui vox doloris est, significat.* Sed præterquam quod jam in fine capituli superioris dictum fuit de voce τόξος, mss. omnes huic emendationi reclamant. Ex his codex Th. ante mille annos scriptus nostram lectionem distincte præfert. Accedunt alii aliquot, ac Gill. in margine; at in mss. quibusdam ignorantia scriptorum aliquid vitii obrepsit, v. g., in Laud. pro *lugubre ceræ*, legitur uno verbo *lugubrescere*, quod quidem aperte mendosum est. Porro ut corruptionis causa obscuritas amoveatur, observa hic agi de vocabulō *usura*, cujus prima littera *u* eundem olim sonum habebat quem Græca diphthongus *ov*, quo etiamnum ab Italis, Germanis, aliisque populis pronuntiatur. Is autem sonus cum noctuæ vocem imitetur, dicitur lugubris seu feralis; unde est istud in Ausonii Tecnopægnio:

Cecropiis ignota sonis feralē sonans.....

Videsis J. Lipsii lib. de recta Pronunt. Lat. linguæ, ubi agitur de hac littera. Quod vero ad vocem *ceræ*, idem ea valet hoc loco, ac si scriberetur *cerati codicis*, aut *tabellarum*, quo sensu passim apud probatos auctores invenitur. Itaque locus ex salebroso planus fiet, si eum hoc modo interpreteris: Prima littera

prendant; cum prenderint, tunc virescere incipiunt, postea pullulare: at vero pecunia fenebris vix plantata jam pullulat. Semina tempore erumpunt, animalia tempore pariunt: *Tempus enim pariendi, et tempus moriendi; tempus plantandi, et tempus evellendi plantatum; tempus occidendi, et tempus sanandi* (Eccle. III, 2 et 5). Et infra: *Tempus acquirendi, et tempus reddendi: tempus custodiendi, et tempus expellendi* (Ibid., 6), ut Ecclesiastes ait: pecunia fenebris hodie seminatur, cras fructificat: semper parit, et numquam interit: semper plantatur, vix evellitur. Vult semper fenerator acquirere, numquam perdere: numquam custodire **d** pecuniam suam, semper expellere: numquam sanare, semper occidere.

44. Et quia bonus ad omnia magister Ecclesiastes **e** liber est Salomonis, paulisper ipsi inhæreamus: *Non satiabitur oculus, inquit, videndo, et non satiabitur auris auditu* (Eccl. I, 8): nec fenerator expletur accipiendo, nec affectus ejus quotidiano numerandi æris satiatur auditu. Et iterum: *Omne quod fuit, ipsum est quod erit* (Ibid., 9): Crescit semper pecunia, otium nescit avaritia, nescit usura ferias. *Omnes, inquit, torrentes vadunt in mare, et mare non adimpletur* (Ibid., 7). Mare istud fenerator est; omnium **606** patrimonia tamquam fluctus absorbet, et ipse nescit expleri. Mari tamen plerique utuntur ad quæstum, fenerator nemo utitur nisi ad dispendium: illic multorum commodum est, hic universorum naufragium.

45. Multa sunt animantia quæ cito generare incipiunt, sed cito etiam generare desistunt: sors cito generat, et numquam desinit; immo cum exordium crescendi acceperit, in infinitum extendit augmentum. Omne deinde quod crescit, cum ad naturæ suæ

tabellarum in quarum ceris usuræ vox inscribitur lugubre sonat. Quo forte sensu cap. 10, num. 35, dictum est: *Personat, personat funebrem ululatum fenoris usura.*

b Quod hic de leporibus ex Basilii Hom. 2, in Psalm. XIV, uti alia permulta transtulit Ambrosius noster, id præcipue cuniculis convenit; unde natum est adagium, sæpius pariunt, quam cuniculi.

c Rom. edit., *Istis quoque tocoglyphis generatur*, etc., ubi procul dubio respexit ad illud Basilii, καὶ τοῖς τοκογλύφοις τὰ χρήματα ὁμοῦ δανείζεται καὶ γεννᾶται, καὶ ὑποφύεται. Sed nihil est causæ cur mss. atque edit. omnium lectionem abdicemus, cum voce *anaglyphariis* idem aptissime significetur; utraque enim vox sit ἀπὸ τοῦ γλύφειν, id est, sculpere seu fodere, unde anaglypharii dici possunt qui debitorum nomina iterum aut sæpius in tabellis suis stylo insculpunt.

d Edit. ant. cum Torn. cod., *pecuniam suam semper explere.* Rom., *fundere.* Magis commode alii scripti cod. ut in textu. Hic enim Ambr. respexit ad illud Ecclesiastis, *tempus expellendi*; et hoc significatum voluit feneratori nihil tam cordi esse, quam ut pecuniam suam foras expellat, eam fenori collocando, ne domi otiosa remaneat.

e Qui secus senserint, eum librum vel Ezechiae, vel Isaiae, vel Zorobabeli attribuentes, vide apud P. Dan. Huetium in Demonstratione evangelica, Prop. 4 de lib. Ecclesiastis, pag. 192, ubi eorum rationes diluuntur, ac Salomoni asseritur idem hic liber; cujus etiam dignitas confutatis adversariorum argumentis ibidem vindicatur.

formam atque mensuram, magnitudinemque pervenerit, vacat incremento: sed feneratorum pecunia tempore semper augetur, et ultra formam maternæ sortis excedens modum non tenet. Pleraque etiam animantium cum coeperint ea quæ ex his orta sunt generare, tamquam effeti viribus usum generationis amittunt: sors autem fenoris cum fuerit crescentibus exæquata centesimis, et vetustatem sui renovat, et partus solitos adjunctione multiplicat.

CAPUT XIV.

Usuram prohiberi lege divina, unde et sumptum est illud Catonis, fenerare est hominem occidere.

Vestimentum pignori acceptum ante noctem reddendum esse; ac fenoris nomine intelligendum quidquid præter sortem exigitur: post quæ sequitur extorsionum divitibus familiarium reprehensio.

46. Non novum nec perfunctorium hoc malum est, quod veteris atque divinæ præscripto legis inhibetur. Populus qui despoliaverat Ægyptum, qui pede transierat mare, monetur a fenoris pecunia cavere naufragia. Et cum de aliis peccatis^a semel aut multum iterata admonitione præscripserit, de fenore sæpius intimavit. Habes in Exodo: *Quod si pecuniam feneraveris pupillo, orphano, pauperi, apud te non suffocabis eum, non impones illi usuram (Exod. xxii, 25)*. Ostendit quid sit suffocare, id est, usuram imponere; strangulat enim, et quod pejus est, animam laqueus creditoris: quo sermone et prædonis violentiam, et deformis nodum mortis expressit. *Quod si pignus acceperis vestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud; est enim hoc cooperitorium ejus tantum, 607 hoc vestimentum turpitudinis ejus in quo dormiet. Quod si itaque proclamaverit ad me, exaudiam eum (Ibid., 25)*. Audistis, feneratores, quid Lex dicat, de qua dixit Dominus: *Non veni Legem solvere, sed adimplere (Matth. v, 17)*? Quam Dominus non solvit, vos solvitis? Usuram, inquit, petere, suffocare est. Hoc quoque foris sero est dictum a quibusdam eorum prudentibus: *Quid est, fenerare? Hominem, inquit (Cicero, lib. ii Offic., in fine), occidere. Sed utique non Cato prior quam Moyses, qui legem accepit. Multo ille posterior.*

47. *Si pignus acceperis vestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud, ne nudati appareat turpitudine (Exod. xxii, 26 et 27)*. Vos vero exuitis atque nudatis, et non redditis. Videte ne sol occidat super avaritiam vestram, ne sol justitiæ vobis occidat; quia justitiam non tenetis, aut sol iniquitatis super flagitia vestra condatur. Dies quoque perit in-

^a Latinius legendum putat, *semel ut multum*. Sed cum edit. omnibus omnes omnino mss. hoc loco consentiunt. Nec sane adeo inepta est recepta lectio, ut non scite explicari possit in hunc modum, sive semel tantum, sive multoties cætera vitia lex prohibuerit, sæpius tamen usura quam illis interdixit.

^b Omnes edit. ac mss. duo, *velut mutuum suscipis*. Melius alii, *velut munus suscipis*. Et hinc intelligas jam tum excogitatam fuisse hominum avaritia distinctionem illam, qua aliquid accipere præter sortem

vito, nox irruit sicut Judæ, qui cum diabolus se misisset in cor ejus, surrexit ad prodicionem, et facta est nox; sol enim justitiæ occiderat ei, et recubuerat super eum. Qui in cor ejus intravit, fecit illi tenebras, ut lucis non videret auctorem. Ibi miser periit in illo convivio in quo alii salvantur. Reddite igitur vestimentum debitori, in quo dormiat, et quietus sit. *Si nolueritis reddere: exaudiam, inquit, eum; quia misericors sum (Ibid.)*. Si vos non exauditis, ego exaudiam, ego miserebor, ego non despiciam inopis precem.

48. In Deuteronomio quoque scriptum est: *Non exiges a fratre tuo usuram pecuniæ, et usuram escarum, et usuram omnium rerum quascumque feneraveris fratri tuo. Si alienigenæ credideris, usuram exiges ab eo: a fratre autem tuo non exiges (Deut. xxiii, 19 et 20)*. Vides quantum pondus in verbis sit. *Noli, inquit, exigere usuram a fratre tuo, hoc est, cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu usuram exigis? Frater tuus consors naturæ, et cohæres gratiæ, noli ab eo exigere amplius, a quo durum est repetere quod dederis, nisi cum habuerit unde solvat.*

49. Et quia plerique refugientes præcepta Legis (14, quæst. 3, c. Plerique), cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tamquam usurarum emolumenta percipiunt; ideo audiant quid Lex dicat: *Neque usuram, inquit, escarum accipies, nèque omnium rerum quascumque feneraveris fratri tuo*. Fraus enim ista et circumscriptio Legis est, non custodia. Et putas te pie facere, quia a negotiatore^b velut munus suscipis? Inde ille fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvit usuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, et vestis usura est, et quodcumque sorti accedit, usura est: quod velis ei nomen imponas, usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis, cur velamen obtexis? Si illicitum est, cur incrementum requiris?

50. Quod pejus est, hoc vitium plurimorum est, et maxime divitum, quibus hoc nomine struuntur cellaria. Si quis instaurandum convivium putat, ad negotiatorem mittit, c ut absynthiati 608 cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit, ut Picenum vinum, aut Tyriacum requirat: ad lanium, ut vulvam sibi procuret: ad alium, ut poma sibi adornet. Itaque humanitatem judicant quæ alieno periculo constant. Tu bibis, et alius diffluit lacrymis: tu epularis, et alios cibo tuo strangulas: tu symphonia delectaris

per modum usuræ illicitum dicunt, non vero si per modum muneris accipiatur.

^c *Absynthiatum*, aut ut alibi scribitur, *absynthiacum*, vinum est absyntho conditum: Picenum autem, et Tyriacum ita dicuntur a locis in quibus nascuntur. Est enim Picenum regio quædam Italiæ, Tyrus vero urbs in Asia. Quod autem pro voce, *vulvam*, Latinius legendum conjicit *hyllam*, quæ vox in ant. edit. legabatur frustra est; cum omnes edit. præferant, *vulvam*, et ea ut jam dictum est, ab aucupibus deliciarum quæsita sit.

et alius miserabili deplorat ululatu: tu poma degustas, et alius spinam vorat. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Spina usura est, spina centesima est, tribulus est fenus, male urit. Quomodo ergo potes fructum habere de spinis? Si iste fructus de spinis non nascitur, ille nascetur æternus. De ærumnis ditaris, de lacrymis lucrum quæris, de fame aliena pasceres, de exuviis despoliatorum hominum cudis argentum: et iudicas te divitem, qui stipem poscis a paupere? Sed audi quid dicat Salvator: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram (Luc. vi, 24)?*

CAPUT XV.

Alienigenam a quo usuras licet exigere, solum esse eum, quem licet occidere: fratrem vero ejusdem vel fidei vel juris consortem: quamlibet usuram proscribi, et de benedictionibus ejus qui ab illa abstinuerit, cum exhortatione ad misericordiam et veritatem.

51. Sed forte dices quia scriptum est: *Alienigenæ fenerabis (Deut. xxiii, 20)*; et non consideras quid Evangelium dicat, quod est plenius. Sed hoc interim sequestremus, Legis ipsius verba considera: *Fratrī tuo, inquit, non fenerabis ad usuram: sed alienigenam exiges.* Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostes? Ibi, inquit, usuram exige. Cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima vindicare te. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat qui usuram flagitat: sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ. Frater autem tuus omnis, fidei primum, deinde romani juris est populus: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te (Ps. xxi, 25).*

52. Denique etiam in Levitico præscribit Lex usuram a fratre non esse poscendam. Sic enim habes: *Et vivet frater tuus tecum, pecuniam tuam non dabis illi in usuram, et in amplius recipiendum non dabis illi escas tuas (Levit. xxv, 36).* Generaliter hæc sententia Dei omne sortis exclusit augmentum. Unde et David et benedictum æstimavit, et dignum habitatione cœlesti, qui pecuniam non dedit in usuram (*Ps. xiv, 5*). Si ergo qui non dedit, benedictus; sine dubio maledictus, qui ad usuram dedit. Cur ergo maledictionem potius eligis, quam benedictionem? Potestis benedicti esse, si velitis, potestis justii esse. Homo enim justus secundum Ezechiel (*Ezech. xviii, 7*), qui pignus debitori reddet, et pecuniam suam in usuram non dabit, et superabundantiam non accipiet, **609** et ab injustitia avertet manum suam: *Justus est iste, inquit, vita vivet, dicit Dominus (Ibid., 9).* Qui au-

tem pignus non reddidit, et in simulacrâ apposuit oculos suos, iniquitatem fecit, cum usura dedit, et superabundantiam accepit, hic vita non vivet. Omnes iniquitates istas fecit, morte morietur: sanguis ejus super ipsum erit. Vide quomodo feneratorum cum idololatra copulavit, quasi crimen æquaret. Elige ergo quod dulce est.

53. Cur semper tristes, cur semper amarissimi, cur semper solliciti? Procedat aliquando a vobis misericordia, procedat veritas: obligetur mendacium, fraus odio sit. Docuistis perjurium: feneratorium sacramentum dicitur, ^a ubi paratur perjurium. Parasitis frequenter cum reddita fuerit pecunia, quod syngrapha non appareat: pejeratis postea quod non receperitis pecuniam. Nolite ergo semper miseri esse, semper avari, semper mœsti. Leones sunt, et feritatem suam mutant: *De manducante, inquit, exivit esca, et de forte et tristi exivit dulce (Judic. xiv, 14)*; Græcus, et tristi habet; sic invenimus. Tamen de forti hoc intelligitur; quia leo fortis est feritate: et qui ferus, tristis. Et de vobis qui pecuniam et avaritiam devoratis, exeat misericordia; hæc enim esca est egenorum: et de tristi exeat dulce, ut dimittatis ei qui non habet unde dissolvat. Quid trahitis peccata ut fune longo, et jugi loro vitulæ? Quod sit utique, cum fenus producitis. Tenetis pauperem debitorem, ^b vel ibi sit aliqua gratia, ubi nulla spes commodi. Et hoc secundum avaritiam vestram loquor.

CAPUT XVI.

Ex Evangelico præcepto fenerandum his, a quibus nihil exspectetur, immo etiam inimicis: uberrimum fenus illius esse, qui Domino feneraverit: nec diffidendum ipsius paupertati quæ veras largitur divitias.

54. Cæterum Dominus in Evangelio talibus magis existimat fenerandum, a quibus redhibitio non speretur. Sic enim ait: *Et si mutuum dederitis a quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam peccatores peccatoribus fenerant, ut recipiant; veruntamen amate inimicos vestros, et benefacite eis, et mutuum date nihil sperantes; et erit merces vestra multa in cœlo, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus super ingratos et malos. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (Luc., vi, 34 et seq.).* Advertitis quod nomen a Domino fenerator acceperit, quod nomen etiam qui lenori vestro fuerit obligatus. *Peccatores, inquit, peccatoribus fenerant, ut recipiant: uterque peccator, et fenerator, et debitor. Vos autem, inquit, amate inimicos vestros. Non discutatis quid mereantur inimici, sed quid vos facere oporteat. Date mutuum iis a quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturos. Nullum hic dampnum est, sed compendium. Minimum datis, multum reci-*

^a Era. Gill. ac Rom., ubi paratur perjurium. Perjurastis frequenter. Codex Viet., ubi perjuratur. Perjurium parasitis frequenter. Alii, atque Am. edit. nobiscum, ubi subintelligenda vox, perjurium, post verbum, parasitis.

^b Edit. omnes, et duo mss., velut ibi sit aliqua gratia. Alii probatoris notæ, vel ibi sit, etc. Ubi vel, idem sonat ac saltem, quo sensu ab auctoribus non raro usurpatur.

pietis : in terra datis, et id vobis solvetur in cœlo : A fenus amittitis, mercedem magnam habebitis : feneratorum **610** esse desinitis, filii eritis Altissimi : eritis misericordes, qui vos Patris æterni probetis hæredes.

55. Sed feneratorum vos delectat et usurarum vocabulum. Id quoque non invideo. Docebo quomodo boni feneratorum esse possitis, quomodo bonas quæratibus usuras. Dicit Salomon : *Fenerat Domino qui miseretur pauperi : secundum datum autem ejus retribuet ei* (Prov. xix, 17). Ecce bonum fenus de malo factum est : ecce irreprehensibilis fenerator : ecce usura laudabilis. Nolite ergo jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum provideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fenerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille astringitur et tenetur : ille scribit quidquid egenus acceperit : Evangelium ejus cautio est : ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem ; quid dubitatis dare? Si quis vobis dives hujus sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam : pauper est vobis Dominus cœli, et conditor mundi hujus ; et adhuc deliberatis quem ditioem quæratibus fidejussorem.

56. Sed allegatis, quia pauper est factus, cum dives esset. Vidistis ergo quia fides ejus dives est, fides ejus idonea est : pauper est factus, cum pro nobis solveret, et adhuc paupertas ipsa non decipit ; nos enim divites fecit, quos pauperes putabatis. Dicit enim Apostolus : *Pauper factus est cum dives esset, ut in illius inopia vos ditaremini* (II Cor. viii, 9). Bona inopia, quæ largitur divitias. Nolite ergo vos paupertatem timere, ut sitis divites. Date otiosam pecuniam, et recipietis fructuosam gratiam, et pauperum subvenietis necessitatibus, et vobis custodiæ sollicitudo minuetur. Non peribit quod pauper acceperit ; et vobis quod dederitis inopi, sine custode servabitur. Quod si incrementum usurarum quæritis, in Lege benedictio, in Evangelio cœlestis est merces : quid suavius benedictione ; quid majus est cœlo? Si escarum desideratur usura, ea quoque præsto est, sicut legimus : *Is enim qui miseretur pauperis, ipse pascetur* (Prov. xxii, 9).

CAPUT XVII.

Occurritur objectioni, qua nonnulli negant generaliter prohibitum ne pignus retineatur, sed ad pauperum pignora Legem restringunt.

57. Reddite ergo pignora quæ tenetis, quoniam fidejussorem idoneum reperistis. Sed obmurmurant adhuc dicentes, quia licet tenere pignora, et se Lege

^a Ita mss. omnes Gall. ac vet. edit. Rom. vero ex uno Vat., *Unde argumentantur pignora interdicta non omnia, sed speculiter pauperis, et viduæ.* Aperta et minime coacta lectio, sed quæ potius verborum Ambrosii paraphrasim, quam ipsa Ambrosii verba representet.

^b Edit. Am., Era. cum mss. duobus, *At ne parere*

defendunt. Aiunt enim : Scriptum est in Deuteronomio : *Si fuerit tibi debitum a proximo tuo quodcumque, non introibis in domum ipsius pignerare pignus : sed foris stabis, et homo apud quem est debitum tuum, proferet tibi foris pignus. Si autem homo ille pauper fuerit, non dormies in pignore ipsius ; sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, et dormiet in vestimento suo, et benedicet te, et erit in te misericordia coram Domino Deo tuo* (Deut. xxiv, 10 et seq.). Et alibi, inquit, scriptum est : *Non pignerabis molam, neque lapidem superiorem molæ ; quoniam hic pignerat* (Ibid., 6). Et alibi : *Non accipies pignus vestimenti viduæ* (Ibid., 17). ^a Unde argumentantur quia specialia pignora sint interdicta, non omnia, id est, pauperis et viduæ. Molam quoque et lapidem superiorem molæ prohibitum pignerari.

58. Sed cum per Ezechielem prophetam ipse Dominus dicat (Ezech. xviii, 7), justum esse qui pignus reddidit, injustum qui tenuit : utique non speciale aliquod, sed generaliter omne pignus suadet esse reddendum ; cum dicat Job : *Conscriptionem quam habui adversus aliquem juramento conceptam, imponens coronam legebam, et si non scindens eam reddidi, nihil accipiens a debitore* (Job. xxxi, 26 et 27). Cum Dominus nihil ab iis quibus mutuam dederimus, sperandum esse præcipiat (Luc. vi, 34), quod recipere debeamus, quomodo pignus secundum Legem putant esse retinendum?

CAPUT XVIII.

Ut objicientibus nos divina lege ad fenerandum incitari fiat satis, inquitur quid justus p. g. Petrus feneratori dare valeat ; ostenditurque suos illi sermones esse, quos feneret.

59. At ^b ne pari recrudescant modo, et dicant etiam se ad fenerandum incitari Legis oraculo ; quia scriptum est : *Fenerabis gentibus multis, tu autem non mutuaberis* (Deut. xxviii, 12) ; tempus est plenius et expressius disputare et docere quid fenerandum, et quibus Legis statuta præscribant ; præcedit enim feneratoris causa pignoris causam. *Mutuabitur, inquit, peccator, et non solvet : justus autem miseretur, et tribuet* (Ps. xxxvi, 21). Audis, debitor, quid debeas declinare : audis, creditor, quid debeas imitari. Et infra : *Juvenis fui, et senui, et non vidi justum delictum, nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur et fenerat* (Ibid., 25). Unde huic justo quod tota die feneret? Ergo dives justus est ; et quanto ditior unusquisque fuerit, tanto justior : qui plus habuerit unde feneret, ipse erit justior. Sed difficile dives intrat in regnum cœlorum.

60. Quid ergo feneret, dic mihi, sancte David? Contra me protuli testimonium, nisi mihi subvenis.

erubescant modo. Gill. et Rom., *At ne pari erubescant modo.* Demum ms. Vat. unus, et quinque Gall. ut in textu. Est autem hic *ne recrudescant*, idem ac *ne iterum sese defendant*, Scripturæ auctoritatem obtinentes ; et hoc eo respicit, quod supra dicitur : *Sed murmurant adhuc, etc.*

Petrus dicebat : *Argentum et aurum non habeo* (Act. III, 6), numquid non erat justus? Tu mihi ergo expone quid feneret. Dixisti enim : *Beatus vir qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio* (Ps. CXI, 5). Inveni quid fenerat justus. Petrus quoque me doceat et ipse quid feneret, qui dixit inopi attendenti ad se et ad Joannem : *Argentum et aurum non habeo*. Nihil ergo dabis pauperi, apostole? Das tamen, et plus das quam alii : das inopi, quod alii dare non possunt : das inopi, post quod egere non possit : das inopi, quod etiam divites accipere concupiscunt : das inopi, quod ii qui istud argentum et aurum habent, conferre non noverint ; quia avaritia eos impedit : ^a das inopi, qui eis divitibus facias ditiozem. Incitasti animum meum, concupisco hoc donum tuum. Dicito, rogo, **612** quid des. Noli me diu suspensum reddere, cupio petere, si cito solvas. Sed solvisti cito : non distulisti inopem, non despexisti precem pauperis, non diutius eum desperare fecisti, non vacuus ad templum ascendisti dicens : *Argentum et aurum non habeo*. Non illi soli plenis manibus ascendunt, qui argentum et aurum habent : ascendit et pauper non vacuus : ascendit et ille non vacuus, quia aurum et argentum non habet. Audiamus quid det iste pauper : *Sed quod habeo, inquit, do tibi. In nomine Jesu Nazareni surge et ambula* (Ibid.). O optanda paupertas ; o ditior inopia ! Claudicabat, cui divites dabant : unus pauper dedit, et statim qui claudus erat, sanus est factus.

61. Habet ergo justus quod feneret, habet et argentum quod feneret, sermones suos fenerat : hoc est justum argentum ; eloquia enim Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplo. Hoc fenerat qui Legem accipit, qui Legem meditatatur, qui Legem exercet : hoc feneravit Petrus, hoc feneravit Paulus, quibus dicitur ut ad viros nationum pergerent. Ad Cornelium centurionem Petro, cui dicitur : *Surge, vade nihil dubitans, quoniam ego misi illos ; et surrexit et ivit* (Act. X, 20). Et infra dixit : *Numquid aquam vetare possumus, ne baptizentur ii, qui Spiritum sanctum acceperunt* (Ibid., 47)? Jussitque eos baptizari. Hoc est : Fenerabis gentibus, ut peccata dimittas, debita auferas : tu autem non mutuaberis. Mutuatur enim peccator, et non solvet peccata sua ; quia peccator est. Paulo dicitur (Act. IX, 45) : Fenerabis gentibus qui missus est ad gentes ; Joanni dicitur : Fenerabis gentibus ; Jacobo et cæteris dicitur : Fenerabitis gentibus ; quibus dictum est : *Ite, baptizate gentes* (Matth. XXVII, 19).

62. ^b Dicitur populo patrum : *Si custodieris mandata Dei, benedictus eris, et fenerabis gentibus verbum* (Deut. XXVIII, 12). Denique non de pecunia dici significant sequentia : *Princeps eris gentibus multis* :

^a Mss. nonnulli, ac omnes edit. *das inopi, quod eum divitibus faciat, plures, facias ditiozem*. Alii mss., *das inopi, quo* (antiquiores *qui*) *eis, etc.* In sexto autem casu est relativum *qui*, et subintelligitur ejus antecedens hoc modo, *Das inopi id munus qui, etc.*

^b Vet. edit. cum mss. Torn. et Vict., *Dicitur*

libi autem nemo dominabitur. Constituet te Dominus Deus tuus caput, et non in caudam, et eris tunc supra, et non subter, si exaudieris vocem Domini Dei tui (Ibid., 13). Et sequitur : *Si autem non audieris, maledictus tu in civitate, et maledictus in agro* (Ibid., 16). Et infra : *Maledicta progenies ventris tui* (Ibid., 18). Non pecunia utique benedictum facit, sed cognitio Dei, prædicatio verbi : si gratiam Domini feneremus, si indigentibus eloquia Domini conferamus, si observemus mandata coelestia. Et contra maledictum non facit, si desit pecunia quæ feneretur : sed si desit studium, si desit observatio coelestium statutorum, maledictus eris.

613 CAPUT XIX.

B *Judæos primo gentibus fenerasse, postmodum gentes in Christum credentes vicem illis reddidisse, quod pecuniam suam amisissent : ejusdem pecuniæ laus, atque ad illam fenerandam exhortatio : et quo pacto in ea re Israelitis antepositæ fuerint nationes.*

65. Denique mysterium Ecclesiæ evidenter exprimitur. Primum enim dixit ad discipulum Legis : *Si audieris Legem, et custodieris, fenerabis gentibus* (Deut. xv, 6) ; quod factum est a patribus nostris. Feneravit Moyses gentibus, qui proselytos acquisivit, feneravit Jesus Nave, feneravit Gedeon, feneravit Samuel, David, Salomon, Elias, Elisæus ; et si quis volebat verbum cognoscere, pergebat ad eos : regina Austri venit audire sapientiam Salomonis.

C **64.** Ubi cœpit populus Judæorum non custodire Legem, cœperunt advenæ, hoc est, ex populo nationum qui in Dominum Jesum crediderunt, interpretationem Scripturarum fenerare illi vetusto populo. Feneravit Timotheus patre Græco ortus verbum Judæis, cum sacerdotium recepisset ; feneramus hodieque sacerdotes in Ecclesia verbum Judæis, qui de Synagoga ad Ecclesiam transierunt ; feneramus et novam et vetustam pecuniam : etenim quam habuerunt, jam non habent ; oculos habent, et non vident, aures habent, et non audiunt ; pecuniam habent, et non habent ; quia usum ejus ignorant, pretium ejus nesciunt, figuram ejus et formam non cognoverunt. Nam si cognovissent, numquam auctorem pecuniæ denegassent dicentes : *Nolumus hunc regnare super nos* (Luc., XIX, 14). Qui quidem rediens, accepto regno, jussit vocari servos suos quibus dedit pecuniam, et eos qui fenerassent pecuniam, prædicavit : ei autem qui pecuniam tenuit otiosam domini sui respondit : *Sciebas quod ego homo austerus sum, tollo quod non posui, meto quod non seminavi : et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris utique exegissem illam* (Ibid., 22 et 23) ?

Paulo : Si Patrum custodieris mandata, benedictus eris, et fenerabis gentibus verbum. Rom. e cod. Vat. cum quo Gall. omnes consentiunt, locum restituit : nisi quod ubi omnes mss. præferunt, *gentibus verbum*, illa reposuit, *gentibus multis*.

65. Audistis quæ pecunia boni feneratoris sit, **A** quæ pecunia bonas acquirat usuras, quæ pecunia non infamet feneratorem, non opprimat debitorem, quam pecuniam ærugo non possit obducere, non penetrare linea, quæ pecunia non de terreno thesauro sit, sed de æterno, quæ pecunia divitem faciat accipientem, nec aliquid imminuat feneranti. Hæc pecunia usuram habet: non centesimam ejus quod dederit portionem, sed centuplum fert fructum. Expande igitur sinum mentis, ut hujus pecuniæ numeratam tibi suscipias quantitatem: intende cordis obtutum, ut agnoscas pecuniæ hujus imaginem et inscriptionem: certe hanc pecuniam excute, tabulam supra mensam animæ tuæ quæ stabilis virtutibus sit, quadratam constitue, conde in thesauro pectoris tui, de quo doctus scriba depromit nova **B** et vetera. Vides qualis hæc pecunia sit, **614** quemadmodum creditorem, debitoremque invisam in se conjungat nomina. Qui invehebar in feneratores, jam provoco debitorem. Hujus ergo feneratores pecuniæ vos esse desidero; ut ad vos qui mutuum sumant, sponte festinent: per quam non nummum, sed regnum possitis acquirere: per quam non maledicta quæritis, sed benedictionis gratiam.

66. Hanc pecuniam fenerat populus nationum, qui scivit accipere feneratum, qui scivit cernere, qui scivit excutere. ^a Recusasti indiga feneratoris spiritalis, egere cœpisti. De te ergo a Dei filio dictum est: *Mutuabitur peccator, et non solvet* (Ps. xxxvi, 21). Tibi dicitur *Advena qui est in te, ascendet super te: tu autem descendes in imum* (Deut. xxviii, 43). **C** Nescit enim summum, qui Christum ignorat: in inferno semper est, qui non ascendit ad Christum: in summo autem populus qui verbum recipit, hic habet fidei patrimonium omne. De hoc dicit Lex: *Hic tibi fœnerabit, tu autem non fœnerabis ei: hic tibi erit caput, tu autem eris cauda* (Ibid., 44), hoc est, ille erit primus, tu ultimus et abjectus. Auferam a Judæa caput et caudam, initium et finem: initium Christum, qui interrogatus quis esset, respondit: *Initium quod et loquor vobis* (Joan. viii, 25): finem quoque Christum dicit: *ipse est enim finis Legis ad justitiam omni credenti* (Rom. x, 4). Ergo qui non credit ad justitiam, nec initium, nec finem habet, sed ipse finis sui est.

CAPUT XX.

Præmisso pignoris, commendati, ac depositi discrimine, ostendit spirituale pignus esse, quod reddi Lege jubeatur; corporeum tamen etiam reddi oportere: qui verbum Dei audierit debitorem esse, nec ab eo pignus tollendum. De evangelicis vestimentis,

^a Mss. aliquot, atque omnes edit., *Recusasti indiga feneratoris spiritalis*. Dion. secunda manu, et Thuan. prima, *Recusasti indiga*, etc., commodius; idem enim est ac si diceres, Synagoga seu Judea recusavit pecuniam evangelicam, eo quod gens illa fenus spirituale solvere nequaquam posset. Post pauca, Rom. edit. ista resecoverat *a Dei Filio*, vel ut vet. edit., *Dei Filio*. Male, nihil enim sibi voluit Ambrosius,

et de tunica quam omnes jubemur induere. Bonum amictum esse Dei verbum; esse pignus Dominicæ sortis, esse sapientiæ vestimentum; tandem esse verbum coangustandum.

67. Cognovimus fenus legitimum, cognoscamus et pignus quod Lex reddi jubet ante solis occasum. Quid sit istud audi dicentem Apostolum: *Dedit Deus pignus Spiritum in cordibus nostris* (II Cor. i, 22). Tripliciter autem et pignus, et commendatum, et depositum dicitur. Pignus dicunt quod pro mutuo ære susceptum est: commendatum autem et depositum ^b quod nos custodia causa alicui commisimus. Unde ait Apostolus: *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est commendatum meum servare in illum diem* (II Tim. i, 12). Depositum quoque idem docuit quod esset, dicens: *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis* (Ibid., 14). Numquid Spiritus commendati auri ærgentique custos est, aut per Spiritum sanctum pecunia custoditur? Spiritale igitur pignus custoditur ab Spiritu, ne aves cœli veniant, et auferant illud de cordibus nostris.

68. Petamus ergo, ut custodiat in nobis Christus hoc pignus quod ipse donavit, et depositum suum commendatumque conservet. Nihil enim **615** accepit a nobis, sed ipse nobis credidit quod nostrum non erat. Et ideo detrimento honestatis afficitur, qui depositum violarit alienum. Si commendatum hominis nulla debemus fraude violare, quanto magis divinum et spiritale depositum bona fide servare nos congruit, ne existimationis et utilitatis gravia damna subeamus.

69. Hoc igitur pignus est quod Lex prohibet pignerari, et violenter auferri. Sic enim habet Scriptura: *Si debitum tibi fuerit a proximo tuo quodcumque, non introibis in domum ipsius pignerare pignus; et homo apud quem est debitum tuum, proferet tibi foras pignus. Si autem homo ille pauper fuerit, non dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis; et dormiet in vestimento suo, et benedicet te, et erit in te misericordia* (Deut. xxiv, 10 et seq.).

70. Dices itaque mihi: Ecce Lex auferri pignus prohibuit, non suscipi: pauperi autem jussit reddi, non omnibus. At de corporalibus quidem pignoribus **D** sanctus etiam Esdras docuit nos, quod jam, feneratores, adversus patrum vestrorum non possitis venire professionem. Nam cum juberentur qui feneraverant, et acceperant aliena pignora, ut restituerent ea, dixerunt: *Reddimus, et ab ipsis nihil quærimus* (Nehem. v, 12). Boni patres, qui statuerunt pignora debitorum esse reddenda: boni etiam feneratores

nisi Davidem in Christi persona locutum fuisse, quam dicendi formam alibi sæpius usurpavit.

^b Ita Rom. edit cui accedunt mss. Thuan. et Collb. præter vocem *custodiæ*, pro qua mendose habent, *custodiat*. Vet. edit. et cod. Laud., *Custodiatur causa alicujus commissi*. Dion. vero solus, *quod nobis custodiat ille, cui commisimus*.

qui responderunt quod et pignora redderent, et pecuniam non requirerent, quam dedissent. Et sententia vos paternæ censionis his astringit, et professio creditorum.

71. Est autem et aliud pignus quod Lex spiritalis prohibet auferri; et si datum fuerit, reddi jubet ante solis occasum: ^a quod homo debitor reddit, et ipse protulit. Debitor est autem omnis qui audit verbum regni et non intelligit: venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ipsius. Noli ergo introire in domum ejus, ut illud pignus accipias. Væ enim qui scandalizaverit unum de pusillis istis! Si sua stultitia amiserit pignus suum, tu non habebis delictum. Si autem pauper fuerit, redde pignus ante solis occasum: pignus autem vestimentum est. Si sibi dives videtur, ipse se decipit, si pignus traderit suum: si autem pauper qui non habeat divitias spiritus, redde illi vestimentum suum ante solis occasum.

72. Si de corporali ageretur pignore, utique magis per diem reddendum fuit, ne turpitudine nudi corporis diurno lumine proderetur; tenebræ enim nudum non produnt. Ac si hoc moveret quod non haberet pauper, quo dormiens tegi posset, utique aut stragulum aut amictum diceret esse reddendum. Nunc autem dicendo vestimentum, tunicam magis significat qua induimur atque vestimur. Redde ergo pauperi tunicam suam, ut dormiat in ea noctu.

73. Nonne tibi videtur illum pauperem significare, qui cum tunica una jubetur pergere, alteram non requirere, emissus a Christo ad Evangelium prædicandum (*Matth. x, 10*)? Ipse est enim pauper spiritu, qui dormire possit: nam satiato divitiis, non est qui sinat eum dormire. Dormit enim pauper somnum resurrectionis, quem dives dormire non potest, **616** quia divitiis et voluptatibus suffocatur. Dormit Christi quietem dicentis: *Ego dormivi et quievi, et surrexi* (*Psal. iii, 6*). Hæc est tunica illa desuper texta qua erat indutus Christus, quam scindere non potuerunt illi milites quos agnoscis. Nullus enim eorum vestimentum Christi scindit, sed dividit; sicut scriptum est: *Diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem* (*Ps. xxi, 19*). Diviserunt sibi evangelistæ vestimenta ejus, et super vestem ejus, hoc est, super prædicationem Evangelii qua vestitur hodieque Dominus Jesus, miserunt sortem. Illam utique sortem, quæ cecidit super Matthiam, ut apostolorum duodecimus numero, excluso nomine proditoris, adjungeretur. Bene autem de evangelistis dictum est quia miserunt sortem; sors enim veluti divino pendet examine. Et ideo quia non potestate propria sunt locuti, neque omnes eadem omnia; sed plerique dixerunt diversa, quæ alius non dixerat: sancti Spiritus gra-

liam velut sortito illis ea tribuisse cognoscimus, quæ loquerentur singuli de operibus Domini Jesu; ut ejus gesta sibi describenda pro ejus nutu dividerent.

74. Est et illa tunica quam demonstrat Apostolus dicens: *Induite Dominum Jesum* (*Rom. i, 5, 14*). Hæc est tunica quæ inhonesta operit nostra, et in iis abundantiore honestatem circumdat in Christo: Induimus viscera misericordiæ in Christo, induimus crucis gloriam, quæ Judæis scandalum, Græcis stultitia videbatur. Illi erubescunt, qui eam erubescendam putant: nobis autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Jesu. Hæc ignobilia nostra honorem abundantiore habent, quia per passionem Domini regnum nobis paratur æternum; quo enim quis plus peccaverit, eo plus diligit. Consepeliamur igitur domino Jesu, ut participes resurrectionis ejus esse mercamur: exspolietur veterem hominem cum actibus ejus, induamus novum, in quo est remissio peccatorum.

75. Bonus ergo amictus atque vestitus, verbum Dei. Hoc vestitu filii Noe pudenda patris operuerunt, accipientes super humeros vestimentum, et retrorsum pergentes; ne viderent virilia patris, hoc est, corporea quæ habent pudorem quemdam generationis humanæ: et ideo qui videre voluit, angustioris animi dignam mercedem recepit, ut servus fieret; omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. Unde ille in terrenis remansit. Hoc pauperi nemo tollat vestimentum; aut si tulerit, sol non occidat super despoliatum: eum ante restituat, ne peccatum pauperis feneratori possit ascribi; et non solum suo, sed etiam alieno incipiat laborare peccato. Hoc pignus in hac sæculi nocte reddatur, hoc vestimento in his mundi tenebris induatur.

76. Hæc pignus illius Dominicæ sortis est, non illius contrariæ. Legimus enim duas sortes in Levitico, de quibus dictum est: *Unam Deo facies, alteram transmissori* (*Levit. xvi, 18*). Transmissor sortem suam ad foeneratores transmittit: servi Domini in sorte sunt Christi. In hac sorte constitutus Aaron, contrariæ sortis exclusit ærumnam, cum inter duas partes populi constitutus, mortem a defunctis serpere **617** in sortem vivorum sui corporis non permisit objectu. Hujus sortis bonum pignus est Verbi amictus. Hanc vobis tunicam nemo auferat, debitores: hanc tunicam nulli oppigneretis, si vultis nunquam turpitudinem sustinere, ut dormiatis inter clericos sicut Aaron, dormiatis inter duo Testamenta, ut dormiatis somnum resurrectionis, et vos reparare possitis. Hoc est vestimentum quod etiamsi oppigneraveris, recipiendum in Proverbiis sanctus Salomon suadet dicens: *Aufer vestimentum tuum: præterit enim injuriosus* (*Prov. xxvii, 13*).

77. Sapientiæ vestimentum est ex illis indumentis, est; referrique debet ad ea quæ leguntur supra: *proferet tibi foras pignus; nec non ad ea quæ infra sequuntur: Si sua stultitia amiserit, etc.*

^a Omnes edit. ac mss. aliquot, quod homo debitum reddit: melius alii, debitor; consequenter enim ponitur, debitor est autem, etc.; quod vero dicitur, et ipse protulit, idem est, atque non per vim eo privatus

quæ ex bysso et purpura sapientia sibi fecit : hoc est, indumentum fidei constat ex prædicatione cœlestium, et Dominicæ sanguine passionis : bysso ætherea figurantur, purpuræ specie mysterium sacri sanguinis declaratur, quo regnum cœleste confertur. Denique vestimentum sapientiæ significari^a superiora indicant; præmisit enim dicens : *Sapiens esto, fili, ut lætetur cor tuum (Prov. xxvii, 11)*. Et infra duos versus ait : *Imprudentes autem supervenientes damnium pendent (Ibid., 12)*. Aufer vestimentum tuum. Aufer igitur, ne damnium excipias imprudentiæ; et ne exutum te proprio vestimento nequissimus ille communis fenerator agnoscens, confusionem tui detegere conetur opprobrii, et persuadeat tibi, ut te foliis tegas, et nudum te esse conspiciens, in Dei verearis venire conspectum.

78. *Redde, inquit, proximo in tempore, coangusta verbum, et fideliter age cum illo; et in omni tempore invenies quod tibi necessarium sit (Eccli. xxix, 2 et 3)*, Non amat multis innocentia se defendere. Susanna vocis adsertione non eguit : verbum coangustavit ad Dominum, et statim adipisci meruit castitatis propriæ testimonium. Plurima presbyteri loquebantur, qui laborabant verborum fucio obducere veritatem, sed non filia Juda. Tacuit apud homines, locuta est Deo. Erubescenda erat in plebe ipsa defensio muliebris; et dum pudor defenditur, impudentia prætendebatur. Coangustavit verbum dicens ad Dominum : *Tu scis quia falsa dixerunt de me (Dan. xiii, 41)*. Et Dominus spiritum Danielis pueri castitatis excitavit ultorem.

79. Coangusta ergo verbum, ut redhibitio creditori; non lingua respondeat. Sive mystice : Coangusta verbum, hoc est, consumma. Verbum enim consummans et brevians faciet Dominus super terram, hoc est, ex multis ratiociniis abbreviata tibi summa conveniat. Deducito quod expensis diversis est erogatum, ut salvum habeas quod supersit : quomodo Dominus de multis dispensationibus Judæorum, ex multo illo ratiocinio peccatorum consummavit tandem atque breviavit, ut reliquæ salvæ fierent per electionem gratiæ, et servarentur ad semen, per quos intermortuam spem Synagogæ resuscitaret.

618 CAPUT XXI.

Reprehenduntur ii qui cum solvendo non sint, mutuum sumunt. Idem quam abjecti, et quemadmodum ad condictam diem non reddentes ex amicis inimicos faciunt; unde nulli mutuum sumendum concluditur. Quid per molam et lapidem supermolarem non obligandam intelligatur?

80. Quam deforme est, ut pro beneficio ei qui te adjuvit, rependas molestiam! Cum istum fraudaveris cui debes, postea in tempore necessitatis tuæ non invenies creditorem. Quam indignum, ut cum victum

^a Cod, Dion., *pejora indicat*; alii omnes, *superiora indicat*; edit., . . . *indicant*.

^b Omnes edit. ac mss. aliquot, *non reddere verecundius*. Non male; attamen omnium antiquissimi legunt, *non reddere inverecundum*. Unus, *inverecundius*. Et hoc etiam non absurde explicari potest eo sensu;

A tuum sustentare non queas, cum adhuc nihil debeas, putes quod et victum tuum possis, et debitum sustinere! Ante cogita unde dissolvas, et sic mutuum sume. Fructus, inquit, agrorum capio. Sed qui non abundant usui, quomodo abundabant contracti fenoris incremento? Sed possessionem meam vendo. Et unde fructus, quibus utaris ad sumptum? Fenus non pecunia sua solvitur, sed augetur : numerando coacervatur et crescit.

81. Deinde non cogitas humilitatem et verecundiam postulantis? Donec accipias, oscularis manus feneratoris superbi, humilias vocem tuam, ne clarior sonitus vocis tuæ aures ejus offendat, ne plures te audiant deprecantem. Paupertas non habet crimen, nulla indigentiae infamia est : sed debere verecundum est, ^b non reddere inverecundum. Postulabis dilationem, cum cœperis conveniri in tempore præscriptæ solutionis : pro pecunia afferes tædia, causaberis de tempore, excusationes strues; et cum totum promiseris, ne in universum fraudare videaris, vix dimidium restitues. De amico inimicum facies, pro honore referes contumeliam, pro benedictione maledictum. Quam hæc opinionem lædant considera : quam a viro bono discrepent, recognosce.

82. Ergo dum liber es a vinculis, ipse te revoca a jugo et onere servitutis. Dives es? Non sumas mutuum? pauper es? Non sumas mutuum. Dives es? Nullam pateris petendi necessitatem. Pauper es? Considera solvendi difficultatem. Opulentia usuris minuitur, paupertas usuris non levatur. Numquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere, sed exasperatur ulcere.

83. Hoc vide, ne dum pecuniam petis, molam tuam obliges, aut lapidem supermolarem. Mola est qua similago conficitur, qua molit similaginem una mulier quæ assumitur, et altera quæ relinquitur. Fortasse illa assumitur, quæ semper molit verbum Dei, ut habeat similaginem, et spiritalem facit farinam, ^c expurgat vetus fermentum, ut sit nova conspersio, custodit molam suam, interpretatur Scripturas, servat sibi lapidem supermolarem : illa autem relinquitur quæ oppignerat molam suam. Cum aliquid emoluerit perfunctorie, oppignerat lapidem qui est super molam. Quis iste sit lapis, quæro. Legi : *Lapidem quem reprobaverunt 619 ædificantes, hic factus est in caput anguli (Ps. cxvii, 25)*. Quare super molam? Quia ipse est qui molentes juvat : ipse est qui dicit : *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere (Joan. v, 39)*.

84. Noli, fenerator, hunc lapidem supermolarem oppignerare, ne cadas super illum. Omnis enim qui ceciderit super hunc lapidem, conquassabitur : super quem autem ceciderit, comminuet illum. Nec viduæ

nam qui debet verecundia quadam afficitur, qui vero non reddit, inverecundus atque impudens est.

^c Omnes omnino edit., *Expurgate vetus fermentum, ut sitis, etc.* Mss. Thuan., Dion. et Colb., *Expurgat. . . ut sit, etc.* Docet enim orationis series hic non tam citari Scripturæ verba, quam accommodari.

pignus suscipias. Grave et utrumque secundum litteram, ut usum, instrumentumque vivendi egeno auferas, aut viduæ pignus detrahas : sed gravius, si animæ quæ verbi vidua est, verbum teneas, ^a et ei sterilitatem viduitatis indicas.

CAPUT XXII.

Quem feneratorum imitari debeamus ; et quomodo Ecclesie Deus plus dederit, cui et ipsa plus reddidit non exigenti ; deque divina misericordie ac iudicii dispensatione.

85. Atque ut sciatis quod amanti hæc affectu suadeam, ut sciatis quod liceat et bene fenerare, ostendam vobis quem feneratorem debeatis imitari, *Duo*, inquit, *erant debitores uni feneratori, unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit ? Respondens Simon pharisæus dixit : Æstimo quia is cui plus donavit (Luc., vii, 41 et seq.). Et laudata est sententia ejus, dicente Domino : Recte judicasti. Recte judicavit pharisæus, qui male cogitavit, putans quod ignoraret magis Dominus peccata mulieris, quam donaret. Sed laudatur ejus sententia, ut excusatio ei omnis adimatur.*

86. Plus remissum est Ecclesie, quæ congregata est ex populo nationum, quoniam plus debebat : sed et ipsa plus solvit non exigenti, sed donanti. Dedit aquam pedibus Christi, quia sua peccata mundavit : osculata est pedes, ferens pacis insignia : misit oleum in pedes ejus, misericordiam et ipsa in pauperes conferendo. Isti sunt pedes Christi, in his innocentius ambulat Christus. Et capillis capitis sui tersit. Christo enim humiliatur, quicumque habet humilitatis affectum. *Et ideo, inquit, dimissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum (Ibid., 47).*

87. Adverte quod Dominus et misericordiam quasi liberalis impertit, et iudicium cum miseratione dispensat. Ante donavit per gratiam, sed quibus donaret sciebat. Non habet quod excuset Judæus. Mihi quasi peccatori plura donavit, illi quasi ingrato minora concessit. Scivit tamen quod et ille quasi ingratus non possit quod accepisset exsolvere, et Ecclesia memor gratiæ eo plura solveret, quo plura meruisset.

620 CAPUT XXIII.

Oggerentibus usuræ antiquitatem reponitur etiam culpam antiquam esse, quam solutum Christus venerit,

^a Edit. omnes, et quidam mss., *ut ei sterilitatem viduitatis inducas : alii melioris notæ, et ei. . . indicas, hoc est, imperes.*

^b LXX interp. ἔδωκεν γὰρ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ σου. Ἀγαθὰ ἐγγύου ἀνατρέψει ἀμαρτωλὸς. Unus mss. atque edit. Complut. ut Nobilius docet, ἔδωκεν γὰρ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ σου. Ἀγαθὴν ἐγγύην, etc. Sed Ambrosium legisse oportet, ἔδωκεν γὰρ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ σου ἀγαθὴν. Ἐγγύην, etc., quemadmodum observavit idem Nobilius.

^c Omnes edit., *ne si quod tibi (ut habet usus amicitie) debetur aut debitor dederit gratiæ, vet. edit. cum mss. Torn. et Vict. ut videatur emissè.*

invexerit autem diabolus : huic feneratores assimilari, nec non etiam eos qui fidejussorem obligant, in quo sibi alterum parant inimicum. Quam cavendum sit, ne quis pro alio se obliget, aut saltem pro summa suis majore facultatibus !

88. Habetis ergo quem sequamini feneratorem, si vultis laude donari, si vultis non esse quod reprehendatur a nobis. Nos enim non personæ obtreclamus, sed avaritiæ. Nec fallit dixisse aliquos, cum ante hoc biduum tractatus noster eorum compunxisset affectum : Quid sibi voluit Episcopus adversus feneratores tractare, quasi novum aliquid admissum sit, quasi id non etiam superiores fecerint, quasi non vetus sit fenerare ? Verum est, nec ego abnuo : sed et culpa vetus est. Denique peccatum ab Adam : ex illo culpa, ex quo et Eva : ex illo prævaricatio, ex quo et humana conditio. Sed ideo Christus venit, ut inveterata aboleret, nova conderet ; et quæ inveteraverat culpa, renovaret gratia. Ideo se passioni obtulit, ut renovaretur spiritu, et absolveret universos (*Conf. Aug. lib. i contr. Jul. Pelag., c. 3*). Diabolus autem Evam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hæreditatem.

89. Quid feneratores faciunt ? Decipiunt defeneratos, obligant fidejussores : sed non Tobias pignus quæsivit, aut fidejussorem poposcit (*Tob. i, 17, et iv, 22*). Curandum est igitur, ut fidejussorem requiras, ut eum tuis nominibus astringas. Ecce paratur alter inimicus. Nam cum non habueris unde debitum solvas, ille pro te tenebitur. Inveniris in eo circumventor et fallax, qui amicum deceperis. Ille nudabitur, ille pro te in vincula ducetur : illum graviores exactorem creditore patieris qui allegat : stimula civem tuum quem spondisti. Ita fiet ut ipse quoque esse incipias ingratus, et prætereas illud quod scriptum est : *Gratiam repromissoris ne obliviscaris ; dedit enim pro te animam bonam (Eccli. xxix, 20)*. Necesse est dicas : Quis enim te quærebat fidem dicere ? Nam nisi tu fidem dixisses, ego non accepissem pecuniam. Adulteram accepi pecuniam, æs auro admixtum mihi dedit : utinam te non obtulisses ! Fortasse creditor te subornavit, vel tu illum.

90. Ergo cave ne alieno te obliges debito ; ne hoc quoque vendidisse dicaris : ^e ne si quid tibi, ut habet usus amicitie, debitor dederit gratiæ, te videatur emisse. Aut si vis intervenire, moveris amici obsecratus oratis, erubescis negare ; ita interveni, ut si debito solvendo non fuerit, de tuo noveris esse sol-

Rom., *ut a te videatur emisse*. Alii mss. ut in textu. Rursus ubi edit. ant., *noveris amici obsecratus oratis, erubescis negare*. Rom. et mss., *moveris. . . erubescis*. Thuan., Dion. et Colb., *erubescis negare*. Latinius conjicit reponendum, *nam veri amici obsecratus*, etc. Verum ista conjectura nihil est opus, ut dispicienti planum fiet : modo ante verba *moveris*, et *erubescis*, subintelligat particulam, *si*. Denique pro, *si debitum non solutum fuerit*, ut in ant. edit. ac mss. duobus legere est ; Rom. et mss. totidem exhibent, *si debitor solvendo non fuerit* : alii omnium vetustissimi, *si debito solvendo*, etc., ubi subintelligenda vox, *amicus*.

vendum. In hæc paratus accede. Legisti enim : *Non spondeas super virtutem tuam ; si enim sponderis, quasi restituens cogita (Eccli. viii, 16). Et infra : Recipe proximum secundum virtutem tuam, et 621 attende tibi ne cadas (Eccli. xxix, 27)*, id est, ne majore te obliges ^a nominis quantitate quam ferre possunt et exsolvere tuarum copiarum facultatum. Si enim quod habes tradas, amisisti opes, non amisisti fidem. Famæ tuæ damna non sentis, redemisti amicum sine tua fraude. Alibi quoque id te monent Proverbia Salomonis dicentis : *Spondens sponde amico tuo, quemadmodum qui obligat se sponsorem amicorum suorum (Prov. xvii, 18). Si autem non habes, audi quid Salomon dicat : Noli te dare in sponsonem erubescens personam ; si enim non habueris unde solvas, auferent stramentum de sub lateribus tuis (Prov. xxii, 26 et 27).* Ergo bonus fenerator acquireret gratiam, execrationem improbus.

CAPUT XXIV.

Quomodo Tobias in mercedis solutione nobis imitandus ; quodve fenerandi genus idem nos doceat ?

91. Sed non his tantum virtutum finibus contentus sanctus Tobias, mercenario quoque scivit solvendam esse mercedem, dimidium usque obtulit (*Tob. iv, 15*) ; meritoque pro mercenario invenit Angelum (*Tob. xii, 5*). Et tu unde scis ne forte justum aliquem mercede defraudes, ^b pejus si infirmum ? Væ enim

^a Mss. Torn. et Vict. cum edit., *numismatis quantitate*. Sed cum Thuan., Laud., Dion. et Colb. legendum, *nominis quantitate* ; nomen enim hac in materia idem est ac *debitum*. Unde istæ locutiones, nomina contrahere, nomina dissolvere, et similes.

^b Edit. vet., *punisne*, Rom. *punisve infirmum*. Codex Torn. *punis si infirmum*. Vict. *punisse infirmum*.

A illi qui scandalizaverit unum de pusillis istis ! Qui scis an in eo angelus sit ? Neque 622 enim dubitare debemus quod in mercenario possit esse angelus, cum esse possit Christus, qui in minimo quoque esse consuevit.

92. Redde ergo mercenario mercedem suam, nec eum laboris sui mercede defraudes ; quia et tu mercenarius Christi es, et te conduxit ad vineam suam, et tibi merces reposita est coelestis. Non ergo lædas servum operantem in veritate, neque mercenarium dantem animam suam : non despicias inopem qui vitam suam labore exercet suo, et mercede sustentat. Hoc est enim interficere hominem, vitæ suæ ei debita subsidia denegare. Et tu mercenarius es in hac terra : da mercedem mercenario, ut et tu possis dicere Domino, cum precaris : *Da mercedem, Domine, sustentibus te (Eccli. xxxvi, 18).*

93. Tobias tibi dicit : *Luxuria mater est famis (Tob. iv, 15)*, ^c in quo continentiam docet. Dicit etiam : *Mercedem omni homini qui penes te operatus fuerit, redde eadem die, et non maneat penes te merces hominis ; et merces tua non minorabitur (Ibid., 15). Dicit tibi : Noli vinum bibere in ebrietatem (Ibid., 16). Dicit tibi : De pane tuo communica esurientibus (Ibid., 17). Vide quid te fenerare cupiat : Et de vestimentis tuis nudos tege : ex omnibus quæ abundaverint tibi, fac eleemosynam. Omni tempore benedic Dominum (Ibid., 18 et seq.).* In his itaque fenus æternum est, et usura perpetua.

C Melius Thuan., Laud., Dion. et Colb., *pejus si infirmum*.

^c In quo continentiam docet, resecatum fuerat in Rom. edit. Infra vero ubi omnes edit. ac mss. nonnulli, *quid te fenerare cupiat*, alii legunt *quid te*, quidam, *(quid de te) feneratore cupiat*.

IN LIBROS DE INTERPELLATIONE JOB ET DAVID ADMONITIO.

Constat hic tractatus quatuor libris de Interpellatione (id est, expostulatione seu querela) Job et David, qui non omnes simul in Ambrosianorum operum editionibus prodierunt. Enimvero qui antiquiores curaverunt editiones, cum in mutilum exemplar incidissent, librum secundum prætermisere. Hunc primus omnium evulgavit Erasmus, sed cum hujusmodi censura (Epist. huic libro præfixa in edit. Ambros.), quæ ipsum Doctorem nostro abjudicatum auctori libri de Vocatione Gentium attribueret. Ejus unicum argumentum est styli quem ab Ambrosiano longe diversum esse autumat, discrepantia. Gillotius vero qui post eum in edendis Ambrosii operibus laborem suscepit non mediocrem, acerrime hanc ejusdem opinionem impugnat, illam fulcro parum admodum tuto niti contendens (Præfat. in edit. Ambros. et monito in secundam Apologiam David) ; cum videlicet sanctis Patribus minime insolens fuerit stylum suum pro materia, tempore, vel personis quas alloquebantur, mutare ; cum præterea codices mss. quos e diversis bibliothecis conquisierat, magno consensu hanc omnem lucubrationem Ambrosio ascribant. Gillotio etiam suffragantur ea quibus usi sumus, exemplaria, quorum unum sin minus tam multæ est antiquitatis, ut jurare possis ætate divi Ambrosii scriptum esse, quemadmodum de quodam e suis loquitur idem Gillotius, (Loc. cit.) at saltem mille annos ut minimum præfert. In eo quatuor hi libri eodem ordine, ac sub iisdem titulis, quibus illos edendos curavimus, exhibentur.

At vero etsi nobis deessent tantæ auctoritatis manuscripti, tamen ipsa B. Præsulis verba, et totius operis series planum faceret secundum hunc librum nihilominus quam tres alios deberi Ambrosio. Nec illud asserere dubitamus, Erasmum ipsum prorsus opinionem suam, si modo horum quatuor librorum initia invicem contulisset, ejuraturum fuisse. Quid enim evidentius iis verbis quibus Ambrosius per ordinem querelas a sanctis Job et David super hominum miseriis habitas examinaturum se profitetur ? Utriusque igitur, inquit (Lib. 1, cap. 1, num. 5), inter-

pellationes considerare cordi est . . . Suo igitur ordine spectandæ nobis sunt. Hoc utique non nisi primis duobus libris præstare potuit, quod et ibidem a se præstitum tradit, cum initio tertii libri sic loquitur (Cap. 1, num. 1) : Superior nobis disputatio fuit de interpellatione sanctorum (nempe Job et David) quod fragilis et imbecilla conditio humana, etc. Postremo quisquis eundem secundum librum cum ejusdem operis quarto componere voluerit, is procul dubio per se intelliget, eam diversitatem quam Erasmus jactitat, purum putum esse commentum.

Romani quidem editores hos omnes libros ex æquo sub Ambrosii nomine cum aliis ejusdem operibus prælo subjecere, sed eos fortasse paulo audacius distrahere ab invicem. Primum ac tertium librum tanquam commentaria in librum Job primo suo tomo inseruerunt : secundum autem et quartum a superioribus avulsos in secundum tomum sub titulo Enarrationum in psalmos XLI, XLII ac LXXII rejecerunt. Porro cum hujusmodi separatio fieri nequaquam potuerit, quin induceretur in auctoris textum aliqua mutatio, et præclarum opus membrorum suorum luxatione ac dissectione quodammodo corrumperetur ; hinc illud consilii non tulit eorum approbationem, qui Patrum scripta, qualia ab illis relicta sunt, talia sibi exhiberi jure desiderant. Hinc Nicolaus Faber studiis Ludovici XIII quondam præfectus, vir pietate juxta atque eruditione clarissimus nequam sibi temperavit, quin libere distractionem hanc improbaret in quiddam sua epistola (ad Front. Ducaem), ubi eosdem editores ad hanc divisionem instituendam coactos fuisse asserit quædam interpolare minime probabili exemplo. Neque tamen putaverimus id illos fecisse malo animo, sed credidisse ea re se consulturos lectoris utilitati, si commentaria in varias Scripturæ partes digesta ipsi proponerent ; minus interim ea incommoda quæ ex admissa in Patrum libros hujusmodi licentia consequerentur, expendentes.

Itaque his quatuor libris legitimum ordinem restituimus. Nam quod is liber quem nos edimus secundo loco, in duobus recentioris ævi manuscriptis quarto reperitur, id eo factum arbitramur, quod illi codices ex aliquo exemplari mutilo in quo idem secundus liber desiderabatur, descripti fuerint ; cum vero scriptores postea eundem alibi nacti fuissent, illum post alios tres continua serie jam ante dispositos exararunt. Et certe non absimile quiddam in editionibus quoque contigit. Etenim omnium antiquissimæ quæ ad imperfectum codicem, ut jam diximus, excussæ fuerunt, tres libros quos solos habent, sub titulis librorum I, III et IV repræsentant : sequentes vero editiones Erasmi, Costerii, Gillotii, memoratum secundum librum non suo loco impressum ostendunt. Non fuisse autem alium sancti Doctoris ordinem in scribendis his libris, quam eum quo illi a nobis hic digeruntur, non solum probant antiquissimæ notæ manuscripti, nec non Gillotius (Loc. cit.), typographi (Annot. in lib. de Interpel. Job) ultimarum Parisinarum Ambrosii editionum, D. Hermannus (Cens. lib. Ambr.), atque alii observarunt : verum etiam tota operis series illud confirmat evidentissime. Hanc breviter oculis lectorum subjicimus.

In duobus prioribus libris agitur de Interpellatione Job et David ob vitæ humanæ miseram conditionem infirmitatesque illius tum corporeas, tum spiritales, hoc est, morbos et calamitates a quibus eximitur nemo ; atque infelicem illam necessitatem ea peccata committendi, quorum rationem severissimo offensi Dei judicio reddere nos oporteat. Id sanctus Antistes in priori libro docet verbis ipsius Job e primis capitibus libri prophetæ ejusdem petitis, copioseque relatis, ad quorum tantum insigniores locos nonnullas adjicit observatiunculas ; ubi tamen satisam quorundam verborum Job interpretationem mysticam, quæ ipsi visa est necessaria, scite admodum inseruit (Cap. 5, num. 12 et seq.). In secundo Vir sanctus idem argumentum prosequitur psalmis XLI et XLII accuratius enucleatis ; in quibus triplicem Prophetæ quærimoniam observat (Cap. 7, num. 26, et cap. 8, num. 29), primam de calamitatibus quas per hanc vitæ usuram perpetimur, alteram de bonorum quæ speramus, atque imprimis Domini adventus quem ille flagrantissimo ardore peroptabat, tertiam demum de necessitate vitam in impiorum consortio traducendi. Addit autem in utroque libro rationum momenta firmandæ Verbi divinitati peridonea (Lib. I, cap. 9 ; lib. II, cap. 4 et 6), quod eum non alia de causa factitasse crediderimus, nisi ut adversus venenum Arianorum qui Mediolani ea tempestate plurimum poterant, populum suum communiret.

Duo posteriores libri eas hominum querelas continent, quas hi prosperis abundare improbos, probos vero conflictari adversis indignati habere solent. Quæcirca primorum bona demonstrat non esse vera bona, non ea ipsis in præmium meritorum concessa, nec ullam eorum possessione felicitatem adferri neque in præsens, neque multo minus in futurum, quo tempore justii demum regnaturi sunt. Huic veritati fidem facit allatis verbis Job ex aliis capitibus libri ejusdem : verum hic non tam longas periodos, quam in primo hujus commentationis libro, describit : sed verba quæ sibi videntur ad rem magis esse accommodata seligens ea brevi expositione illustrat. In quarto libro eadem adstruit adhibita eleganti enarratione psalmi LXXII, in quo David perbelle de eadem materia disputat.

Ex ethicis illis præceptis quæ subinde huic tractatui admiscet Ambrosius, satis intelligas eum constare concionibus, quas ad fidelium institutionem composuerat. Has autem ab illo diebus diversis habitas fuisse cum secundi libri, tum maxime tertii exordium non obscuro est argumento.

De tempore quidem quo illud operis conscriptum fuit, aliquid indubitatum proferre majoris videtur esse negotii. Verumtamen haud absurde conjici possit annum eidem assignandum superiore trecentesimo octogesimo septimo quo Flaccillæ Theodosii Magni uxoris statuas in populari seditione dejecerunt Antiochenses. Cum enim sanctus Doctor de principum agit imaginibus, ita loquitur (Lib. IV, cap. 8, num. 24) : Vides quemadmodum in civitatibus bonorum principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum. Quis autem putet post illum eventum summæ prudentiæ Antistitem, et apud quem maximo erat in pretio Theodosius, hujusmodi verbis quæ acerbissimum tanti principis vulnus non sine contumelia refricassent, uti voluisse ? Præterea quæ hic (Lib. II,

cap. 6, num. 24) de psaltis memorantur, ea locum videntur præbere conjiciendi Ambrosium eosdem sermones habuisse ante annum 385 aut 386 quo tempore populi cantum instituit in Ecclesia. Nihil itaque prohibuerit quominus commentationem hanc circiter annum 385 factam dicamus, sanctumque nostrum de statuis mentionem habuisse occasione imaginum Gratiani imperatoris, quas, eo extincto, populus cui juvenis ille princeps tam justum sui reliquerat desiderium, conservavit.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE

INTERPELLATIONE JOB ET DAVID

LIBRI QUATUOR.^a

LIBER PRIMUS.

DE INTERPELLATIONE JOB,
ET DE HOMINIS INFIRMITATE.

625 CAPUT PRIMUM.

Multas in hac vita perturbationes esse, multas consolationes, sed his illas longe superari; quod sanctorum inductione comprobatur: David ac Jobum pro nostris infirmitatibus interpellasse, unde hujus operis argumentum.

1. Multas nobis perturbationes in hac vita esse subeundas scriptura divina frequentibus demonstrat locis: multasque suppetere consolationes, quibus animus capax vigoris, et recti conscius absorbere debeat quæ præsentium incommodorum sunt, spectare ea quæ habeant perpetem jucunditatem. Præponderant enim consolationes perturbationibus; quia et præsentium sedationem afferunt, et spem futurorum. Unde et apostolus Paulus: *Indignæ sunt, inquit, passionis hujus temporis ad superventuram gloriam (Rom. VIII, 18).* Indignæ utique ad consolationis comparationem, non ad fructum redemptionis.

2. Quæ est enim tam præclara cujusquam vita in terris, ut adæquare illam cœlestem gloriam possit; Quid sublimius Paulo, qui tantum periculorum subiit, tantum dolorum atque infirmitatum absorbit? In iis quas Christi nomine subiit passionibus quotidie, ut ipse dicit (I Cor. xv, 31), moriebatur, et nihil indignum perpeti se in hoc tempore pro tantæ gloriæ spe atque expectatione censebat. Elias famem, insidias, mortisque terrores, laborum acerba toleravit: et tamen solus ille igneis curribus, equis igneis de cœlo^b deductus **626** ad terras, et de terris revector ad cœlum, omne meritum hujus militiæ abscondit, at-

A que ultra humana omnia gratiam pii adscensoris evexit. Nam de Petro quid loquar, qui crucem suam futura remuneratione indignam arbitratus, ^c inverso suspendi poposcit vestigio, ut aliquid passioni suæ adderet, cujus acerbare ipse sibi supplicia non timeret?

3. Unde non immerito sanctus David ad illam gloriam, cui in cœlæro opere, tum maxime in quadagesimo primo psalmo se festinare testatur dicens: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei (Psal. xli, 5)?* In quo psalmo et perturbationes humanæ fragilitatis, et consolationes a Domino evidenter expressit. In quo etiam interpellat pro nobis Deum, quod oblitus operis sui, oblitus collatæ in hominem liberalitatis et gratiæ, quem tuendum atque ornandum susceperat, dereliquerit, et infirmum ac naufragum diversis infirmitatibus rejecerit atterendum. Quod idem ante ipsum fecerat sanctus Job: sed iste moralius, ille vehementius. Utriusque igitur interpellationes considerare cordi est; quod in his vitæ humanæ forma exprimitur; causa agitur, prærogativa formatur. Suo igitur ordine spectandæ nobis sunt.

CAPUT II.

Quomodo beatus Job, amissis omnibus præter uxorem, tamquam bonus athleta perturbationibus non cesserit, nec certare recusaverit.

4. Amissis itaque liberis Job atque omnibus suis præter uxorem, quæ ei sola ad tentationem fuerat reservata, ^d perfusus etiam ulcere **627** gravi, cum videret amicos suos non ad consolandum venisse,

^a Scripti forte circ. an. 385.

^b Ita edit. Era. cum mss. Thuan., Laud., Torn. et Vict. aliæ vero edit. ac mss., *deductis ad terras... revector vel reductis ad cœlum.* Sed putamus nostram lectionem præstare, atque Ambrosium spectasse ad Eliæ reditum illum, quo in dominica transfiguratione apparuit.

^c Hujus historiæ meminit Hieronymus in Catal. et Hegesippus a quo cum Ambrosius mutuatus videtur: qua de re a nobis dicitur alio loco.

^d Edit. et mss. duo, *perfossus etiam*; alii, *perfusus etiam.*

sed ad exaggerandum et acerbandum dolorem, advertit a Domino datam in se adversario tentandi sui potestatem. Et quamvis sagittas Domini in corpore suo sentiret esse, quibus compungi se diceret, tamen quasi bonus athleta, qui dolori non cederet, nec dura certaminis recusaret, addidit: *Incipiens Dominus vulneret, in fine autem non me^a perimat..... Quæ enim mea virtus, qui sustineo: aut quod meum tempus, ut sufferat anima mea? Numquid fortitudo lapidum, fortitudo mea: aut carnes meæ sunt æreæ: aut non in ipso confidebam? Adjutorium autem a me recessit: visitatio autem ejus desepxit me (Job. vi, 9 et seq.).*

5. *Nonne tentamentum est vita hominis in terra, et sicut mercenarii quotidiani vita ejus; aut sicut famulus timens Dominum suum, qui se sub umbra oblegat, aut sicut mercenarius expectans mercedem suam; sic et ego, menses expectavi vacuos, noctes autem dolorum datæ sunt mihi? Si quiescam dico: Quando dies? Si surgam iterum: Quando vesper? Plenus sum doloribus a vespera usque ad mane. Fermentatur mihi corpus in putredine vermium: liquefacio autem glebas terræ, saniem radens ulcerum. Vita autem mea^b levior est fabula, in spe vacua perit..... Dicam, consolabitur me lectulus meus..... Terres me in somniis, et in visionibus me percellis (Job. vii, 1 et seq.).*

CAPUT III.

De misera conditione hominis, qui quotidie sub formidine est; quamque stulte cogitet peccata sua Dei cognitionem fallere posse: item quam miserum in lectulo nobis ad quietem dato sollicitudine agitari, atque ex eodem vacuos ac nudos exsurgere, quæ vitæ istius imago est.

6. Quam misera hominis conditio, quæ quasi mercenaria aliis laborat, sibi indiget, et nisi aliena misericordia sustentare se nequit! Quotidie sub formidine, sub timore gravem tolerans servitutem, et ne deprehendatur a Domino, erratica atque fugitiva sub umbra quadam sæculi hujus putat se posse delitescere. Considera illum de quo ait in Ecclesiastico Syrach.: *Omnis homo transgrediens in lecto suo, contemnens et dicens in anima sua: Quis me videt? Tenebræ circumdant me et parietes, quem vereor (Eccli. xxiii, 25 et 26)?* Nonne tibi videtur^c iste vere esse mercenarius qui sua prodegerit, ut ille adolescens in Evangelio (*Luc. xv, 15 et seq.*), qui legitur accepisse a patre substantiæ portionem, et egens atque inops, quo famem levaret, pascere greges cœpit

^a Voci, *perimat*, subjungunt quædam Paris. edit., *Sit mea civitas sepulcrum, in qua super muros saltabam, in ea non abstineam: non enim fefelli verba sancti Dei mei.*

^b Rom. edit. cum cod. Thuan et Laud., *levior est fabula*. LXX interp., *ελαφρότερος λαλιᾶς*. Et hanc lectionem etiam confirmant quæ infra de fabula, et fatui narratione legere est; ea enim huc proculdubio referuntur. Attamen aliæ edit. atque mss. constanter legunt, *levior est favilla*. Paris. quædam edit. post voces *lectulus meus*, addit *referam autem ad me ipsam*

alienos, ut mercede sumptum exerceret suum? Sed ille tamen aliquando conversus est; quia revertit ad patrem, et peccata sua non repressit, sed prodidit. Hic autem qui se existimat ab eo qui omnia videt, non videri, et tenebris putat commissa sua posse celeri, umbram præterdit: sed frustra latere se credit, cum oculus Domini lucidior sole, occulta omnia deprehendat, **628** tenebrosa illuminet, et intimi cordis penetret conscientiam, atque in alta et profunda descendat. Vanus ergo qui putat tenebris esse se tutum, cum lucem vitare non possit, quæ lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehendunt. Quasi fugitivus itaque et malus mercenarius deprehenditur, et antequam se occultet, agnoscitur; quia Domino,^d omnia antequam quærat, cognita sunt, non solum quæ facta, sed etiam quæ futura sunt?

7. Perit igitur in vacua spe qui putat quod suum crimen abscondat: fabula est istud, non veritas. Denique fabula peccantium otiosa, non habens fructum, sed gemitum. Narratio enim fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum, nisi sarcina quæ hujus sæculi onerat viatorem gravi depressum fasce delicti; qui si nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam (Matth. xi, 28).*

8. Quid autem ærumnosius, cum ipse lectus ad communem quietem datus, grave vulnus infligat? Tunc enim solemus quæ fecimus recordari, et factorum suorum stimulis compungitur interior conscientia. Unde Scriptura ait his: *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini (Psal. iv, 5)?* Remedium quidem dedit, sed tamen conscientiam vulneravit. Sed esto ut aliquando fessis somnus obrepat, tremur insomniis, exagitamur visionibus; ut non jam requies, sed pœna sit. Ita enim abeunt divitiæ sæculi, veluti somnium exsurgentis. Surrexit aliquis ex istius corporis somno, et nihil possedit, idque ipsum quod se credebat habere, amisit.

9. Constituite mihi nunc divitem illum, qui quotidiana lucra, et quæstus varios congerebat, et exagtabatur cupiditatibus suis, subito resipiscentem, considerantemque secum, quia non cum morietur, accipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria domus ejus; et quod ea quæ possidet, in hac vita habeant aliquid voluptatis, non etiam in futurum: **D**aperientem oculos ad coelestia. Nonne tibi videtur sicut qui in somnis bibebat, bibisse; et sicut qui in somnis epulabatur, epulatus: aperuisse autem ocu-

private sermonem stratui meo: quæ verba in aliis edit. et cunctis mss. omittuntur.

^c Mss. aliquot, *iste vir esse mercenarius qui sua prodiderit.*

^d Sic omnes mss. ac vet. edit. Rom. vero, *omnia antequam erant, cognita sunt.*

^e Edit. Am. cum mss. Viet. et Torn., *et cum ea quæ possidet in hac vita habeant aliquid voluptatis: non etiam in futurum aperiant oculos, etc.* Aliæ edit. ac mss. ferme inter se conveniunt nisi in punctuatione et paucis voculis, quæ sensum haud multum diversum efficiunt.

los, et cognovisse quod anima ejus inane speravit, A et adhuc esuriat, atque sitiatur; quia modum non habet avaritia, nec rapiendo expletur, sed incitatur eo egentior, quo plura quæsierit? Et hic ergo surrexit, et vanum est somnium.

CAPUT IV.

Quomodo amici Job ad consolandum eum venientes ejus dolorem acerbaverint: et quam magnifice idem senserit de divina potestate, ac redemptionis mysteria designaverit?

10. Sed iterum ipsum audiamus dicentem: *In veritate novi quod ita est; quomodo enim 629 erit justus, mortalis, etc. (Job. ix, 1 et 2).* Incumbebant illi amici qui ad consolandum venerant, et quasi inimici amaris eum perurgebant sermonibus. Unum enim solatii genus est in ærumna et in amaritudine constitutis culpa vacare; ut ea quæ perpetiuntur adversa, non pro delicti pretio sustinere videantur. Hoc quoque sancto viro adimere gestiebant; ut videretur ipse suæ auctor ærumnæ, qui peccatis gravibus Domini contraxisset offensam, et pro impietatibus suis illa toleraret: describentes impiorum supplicia; ut qui vitia sererent, et meterent sibi dolores, quod mandato perirent Dei (Job. iv, 8 et 9),^a et spiritu vitæ ipsius interirent, qui insufflaret domos luteas inhabitantibus (Ibid., 19 et seq.), et^b arescerent, cogitationes destitueret versutorum, os obstrueret injusti (Job. v, 15 et 16). Quæ vera quidem de Domini potestate; sed non convenientia tanti viri meritis asserebant.

11. His ergo respondit: *In veritate novi quia ita est; quomodo enim justus mortalis apud Dominum? Si enim voluerit judicio contendere cum eo, non audiet illum; ut non ad unum verbum ejus mille sermonibus contradicat. Sapiens est enim intellectu, et fortis, et magnus: quis tam durus, ut in conspectu ejus possit subsistere? Qui facit montes inveterascere, et nesciunt, et evertit eos iracundia. Qui commovet orbem terrarum a fundamentis, et columnæ ejus quantiuntur. Qui dicit soli, et non oritur, adversus autem sidera consignat. Qui extendit cælum solus, et ambulat sicut in pavimento supra mare. Qui facit vergilias, et hesperum, et septentrionem, et austri ministerium: qui facit magna et investigabilia, gloriosaque et immensa, quorum non est numerus. Si præterierit me, D non videbo: et si me prætergressus fuerit, nec sic sciam (Ibid., ix, 5 et seq.).* Quanto vehementiore tuba iste increpuit de Domini potestate? Sed in ea justorum auxilium, non ruina est. Denique videtur exprimi potentia, sed magis redemptionis nostræ mysteria declarantur.

CAPUT V.

Deum fecisse montes inveterascere, id est, litteram

^a Rom. edit. et spiritu iræ ipsius interirent. Huic LXX suffragantur his verbis: ἀπὸ δὲ πνεύματος ὀργῆς αὐτοῦ ἀφανισθήσονται. Neque etiam Vulgata refragatur. Sed in lectione quæ mss. omnium, et vet. edit. est, nihil mutamus. Infra autem ubi omnes edit. cum

veteris Testamenti in spiritalem sensum convertisse: Judæos, quod illud ignoraverint, excusabiles non esse ob prodigia quæ Christi mortem sunt comitata; sed maxime ob solis defectionem quæ describitur. Tanguntur alia quædam Christi opera, et præcipue ambulatio in mari; ubi de titubatione Petri, ac de conterendis navibus Tharsis, quibus corpora nostra designantur.]

12. Qui sunt enim montes quos inveterascere facit, nisi Moyses, Aaron, et Elias, Jesus Nave, Gedeon, prophetæ, omnes libri veteris Testamenti? Venit Dominus Jesus: novum detulit Testamentum, et illud quod erat vetus, factum est novum. Innovatus est Christianus, inveteravit Judæus. Renovata est gratia, inveteravit littera. Evertit montes, et convertit. Evertit enim et subruit intellectum secundum litteram, et statuit intelligentiam spiritalem. Intellectus ergo ille Legis evanuit carnalis, et factus est spiritalis. Unde Apostolus ait: *Scimus autem quia 630 Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum (Rom. vii, 14).* Sed et ipse qui carnalis erat, factus est spiritalis, sicut ipse asseruit dicens: *Puto enim, et ego spiritum Dei habeo (I Cor., vii, 40).* Hos ergo montes inveteravit Jesus, et Judæi nesciunt. Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent: numquam adhuc Judaica deliramenta sequerentur. Ipsi sunt ergo qui nesciunt. Unde et in Evangelio dicit Dominus Jesus: *Dimitte illis, Pater, quia nesciunt quid faciunt (Luc., xxiii, 34).*

13. Sed non excusantur quia nesciunt, cum nescire nolint, quod debuerint cognoscere. Certe non illis invidemus, si Domini sequantur sententiam. Sententia enim superiora solet absolvere, non futura. Sed nec ille immunis a scelere qui crucifixus suæ auctorem salutis, et postea veniam non poposcit. Esto ut ante ignoraverit quem persequeretur; in cruce tamen positum debuit recognoscere universorum esse dominum elementorum, sub quo omnia elementa tremuerunt, cælum obscuratum est, sol refugit, terra dissiluit, defunctorum sepulcra patuerunt, mortui viventium receperunt consortia. Unde et Centurio ait: *Vere Dei Filius erat iste (Matth., xxvii, 54).* Centurio agnoscit alienum, levita non recognoscit suum: gentilis veneratur, Hebræus abjurat. Non immerito ergo columnæ orbis terrarum motæ sunt, quando non crederunt principes sacerdotum. Sed motæ sunt veteres, ut novæ confirmarentur, sicut ipse dignatus est dicere: *Ego confirmavi columnas ejus (Psal. lxxiv, 4).* Audi quas columnas confirmaverit. *Petrus et Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteram dederunt mihi et Barnabæ communionis (Galat., ii, 9).*

14. Quomodo ergo excusant se nescisse, quorum alii viderunt, alii cognoverunt solem non expleto

recentioribus mss., *Is ergo respondit*, Cod. melioris notæ legunt, *His*, etc.

^b Mss. Thuan., Dion. et Colb., *Et illud quod erat, vetus factum est. Innovatus*, etc. Quod etiam non incommode potest explicari.

diei curriculo, se recepisse; et rursus ante peractum spatium noctis egressum, noctem in die fecisse, in nocte diem. Utique intelligere debuerunt quia sol iussus se recepit, et iussus exivit. Prædixerat enim Dominus (*Matth. xii, 40*), quia tribus diebus futurus erat in corde terræ, et tribus noctibus: didicerat hoc sol, servabat præceptum. Dubitabat ergo, dicens: Quid facio? Orior, et dies est: occido, et nox est. Si cursum meum servavero, demorabor mundi salutem. Festinemus etiam ad redemptionem nostram: festinare etiam debeo ipse ad novam vitam; erit enim beneficio crucis qua renovantur universa, et sol novus, et cælum novum. Festino ergo ut illum possim videre solem justitiæ, illuminantem animas universorum. Sed quid faciam? Ipse vult post triduum fieri resurrectionem. Inveni quid faciam, ut et moras non faciam et numerum dierum custodiam. Non faciam integrum diem et integram noctem. Abbreviabo horas, ut tribus quidem diebus ac noctibus sit inter mortuos Dominus Jesus: citius tamen quam trium dierum et noctium intervalla patiuntur, resurgat a mortuis. Abbreviabo igitur horas ubi ascenderit crucem. A sexta hora statim fiat nox; ne videam Domini passionem, sed fugiam parricidalis persecutionis spectaculum. Occidam, et erit nox horarum trium: egrediar, et innovabo diem, ut sit horarum trium: percursus est primus dies: sequetur nox secunda spatio **631** suo, sequetur similiter dies: incipiet nox tertia, resurget Dominus in nocte, et erit dies in lumine resurgentis; ut compleatur illud: *Et nox sicut dies illuminabitur* (*Psal. cxxxviii, 12*). Hic est dies ille magnus quem vidit Abraham, et gavisus est: de quo et David ait: *Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo* (*Psal. cxvii, 24*): cui non ministerio laboris, sed fructu exultationis intererem.

15. Ipse ergo Dominus diem ducit, et ante mundi consummationem videbitur lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipse est Dominus, qui signat et numerat multitudinem stellarum; ipse est Dominus, qui cælum solus extendit, qui ambulavit tamquam in pavimento super mare; quando Petrus vidit eum ambulantiem, et dixit: *Domine, jube me venire ad te super aquas* (*Matth. xiv, 28*). Et iussit Dominus: sed ille titubavit; et nisi porrexisset ei Dominus dexteram, demersus fluctibus occidisset. Titubavit caro, salvavit dextera. Et ait illi: *Modicæ fidei, quare dubitasti* (*Ibid., 31*)? Fides ergo ambulavit in Apostolo, non caro. Denique fides titubavit, et caro sentire cœperat naufragium. Quod non improprie dictum est; quia caro navis est animæ, sicut scriptum est: *Qui descendunt mare in navibus* (*Psal. cvi, 23*). Et alibi: *Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis* (*Psal. xlvii, 8*). Animæ enim nostræ cum Verbum parturiunt, edunt dolores: quæ autem peperit, jam non meminit tristitiæ propter gaudium; quia natus est illi homo qui mundum redemit.

^a Mss. quatuor melioris notæ, *quare titubasti?*

^b Edit. omnes, et mss. *Vict.*, *sacrilegio*; melius

A *Naves Tharsis*, id est, intelligibiles quæ Salomoni aurum ferebant atque argentum, id est, corpora nostra, quæ habent thesaurum in vasis fictilibus, ut Apostolus dicit (*II Cor., iv, 7*): vel quod etiam hic partus dubio conteruntur, juxta quod dictum est: *Væ prægnantibus et nutrientibus* (*Luc. xxi, 23*)! Nam cum anima quatitur, caro fluctuat: vel spiritu vehementi exagitabuntur infuso, cum expleto tempore fuerit resurgendum, secundum quod scriptum est: *Veni, spiritus, et insuffla in mortuos istos, et vivent* (*Ezech. xxxvii, 9*). Unde et ipse Job in posterioribus dicit: *Novi enim quia æternus et potens est, qui soluturus est me in terra, resuscitare pellem meam quæ portavit hæc* (*Job. xix, 25 et 26*). Conteruntur autem qui in iudicium resuscitantur. Est autem bona contritio: cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit (*Ps. l, 19*). Et alibi: *Sana contritiones ejus* (*Psal. lxx, 4*). Sed et ad Josaphat dictum est: *Contritæ sunt naves ire in Tharsis* (*II Par. xx, 37*); eo quod se ^b sacrilego miscuisset. Utrumque igitur contritio significat; quia utrumque est in die iudicii: *Quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii* (*Joan. v, 28 et 29*). Quod etiam David propheta significat dicens: *Ibi dolores ut parturientis: sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri* (*Ps. xlvii, 8 et 9*). Namque et dolorem futurum, et lætitiâ comprehendit: dolorem de iudicio, et de absolute lætitiâ.

632 CAPUT VI.

Verba Job, quibus humanas infirmitates aperit, expenduntur. Quemadmodum Vir sanctus peccatum suum non negaverit, quidve inter peccare et impie agere sit discriminis; quibus verbis hominem apud Deum conetur excusare; postremo confitenti veniam promitti, ac justum iniquitates suas agnoscere, ostenditur.

16. Sed ad propositæ nobis interpellationis seriem revertamur. *Multas, inquit, contritiones fecit mihi, respirare me non sinit, replevit me amaritudine; et quia virtute est potens, nemo potest iudicio ejus resistere. Si justus sum corde, lingua mea errat. . . Magnum et potentem disperdit ira. Improbi in morte gravi: D justis autem irridentur. Dati sunt enim in manus impii* (*Job. ix, 17 et seq.*). Vide singula. Potentibus ira sua gravis est, improbis nequitia, justis conditionis infirmitas. Ita nihil periculo vacat. Fortitudo et magnitudo viri sua potestate decipitur, improbitas affligitur, virtus ridetur. Ille quia plus potest, labitur: iste quia nihil potest, affligitur. Conditionis est vitium, quia *vita nostra levior est cursore. Transivit, et nihil vidit. Tamquam navis vestigium, aut aquilæ volantis et quærentis escam* (*Ibid., 25 et 26*); ita præterit et vita hominis. Quod loquimur, obliviscimur, nec ullum transitus nostri insigne deprehenditur. alii mss., *sacrilego*, id est, Ochoziæ regi Israel cum quo Josaphat inivit amicitias.

nisi quod sit plenum mœroris et gemitus. *Concutior*, A inquit, *omnibus membris. Utinam sit mediator noster arguens et dijudicans inter utrumque nostrum* (Job ix, 28, 35).

17. *Dicam Domino : Quare sic me judicas? An bonum tibi est ut injustus ego sim ; quia repulisti opera manuum tuarum, et consilio impiorum intendisti? Numquid sicut mortalis videt, sic vides, aut vita tua sicut hominis, aut anni tui sicut viri ; quia exquisisti iniquitates meas, et peccata mea investigasti? Nosti enim quia impie non gessi : sed quis est qui de manibus tuis eruatur* (Job. x, 2 et seq.)? Magna fides, magna auctoritas conscientiae, Deum testem mentis suae accessere. Quod conditionis est, non negat : quod impietatis est, repellit : quod infirmitatis, fateitur. Peccasse conditionis est, quia nemo immunis lapsus est : impie agere non conditionis est, sed perfidiae et nequissimae mentis venenum. ^a Non agnoscit hoc justus : sed absolutio hominis in Dei miseratione, non in hominis potestate est.

18. *Manus, inquit, tuæ plasmaverunt me : postea convertisti et percussisti me. Memento quia lutum me fecisti, et in terra me resolves. Numquid non ut lac mulisti me, confecisti me sicut caseum? Corium et carnem me induisti, ossibus et nervis me inseruisti : vitam et misericordiam in me posuisti ; et visitatio tua protexit spiritum meum* (Ibid., 8 et seq.). Quanta deploratio sancti viri pro communi infirmitate, quanta conventionis auctoritas, quod Deus hominem manibus suis fecerit? Excusatur culpa infirmitatis obtentu, commendatur gratia privilegio operationis aeternae, ^b et protectionis dignatione coelestis. De quo ^C loco etiam David pulcherrime locutus est dicens : *Quid est homo, quod memor es ejus ; ^c aut filius hominis, nisi quia visitas eum* (Psal. viii, 5)?

633 19. *Hæc, inquit, habes in te : novi quia omnia potes, impossibile autem tibi nihil. Si enim peccavero, custodies me, ab iniquitate autem immaculatum me non fecisti. Si impius fuero, vae mihi ! Si sim justus, non possum me erigere. Plenus sum enim confusionis, investigor sicut leo ad necem* (Job. x, 13 et seq.). Vide tria : *Si peccavero, inquit, custodies me. Et ideo, o homo, fatere peccatum, ut veniam consequaris : Dic, inquit, iniquitates tuas, ut justificeris* (Esai. xliii, 26). Quid erubescis fateri eas in quibus natus es? Negantis, non fatentis crimen est, negare quod natus ^D sis. Quod accepisti, utinam serves. Cur putas te habere quod non acceperis? Ergo peccator fateatur, impius ingemiscat, justus non se erigat et extollat ; ne per arrogantiam fructum justitiae amittat.

20. Et pulchre ait : *Si justus sum, non possum me*

^a Rom. edit., *Lapsus suos agnoscit justus*. At contra aliarum edit. ac mss. omnium fidem. Sensus autem est justum qui se peccare agnoscit, non tamen agnoscere se impie agere.

^b Omnes edit., et *protectione dignationis* ; omnes mss. et *protectionis dignatione*.

^c Ita mss. quinque melioris ævi. Alii vero et edit. omnes, aut *filii hominis, quia visitas eum*.

^d Edit. vel., *somnum excusationis* ; Rom., *sonum*

erigere ; plenus enim sum confusionis. Justus enim advertit magis fragilitatem suam, quam injustus ; et sapiens agnoscit, non agnoscit insipiens. Denique lapsibus suis sapiens compungitur, insipiens delectatur : justus accusator est sui, injustus assertor : justus prævenire vult accusatorem confessione peccati, injustus peccatum suum occultare desiderat : ille in principio sermonis occurrit ut prodat errorem, iste multiloquio sermonis sui ^d sonum accusationis involvit, ne prodat errorem.

CAPUT VII.

Omnium ætatum maxime lubricam adolescentiam : nos eorum etiam peccatorum, quæ vitare nequiverimus, rationem esse reddituros : ærumnas nostras maris ac terræ incommodis non satis exprimi : cælum ac terram innovanda esse, nec futuram resurrectionem ante adventum ejus, qui nova omnia sit facturus.

21. Iterum adjiciens dicit : *Quare ascripsisti ^e adversum me mala, et apposuisti mihi adolescentiæ peccata* (Job. xiii, 26)? Pulchre id ætatis arripuit ad querelam, quæ magis ad vitium lubrica esse consuevit. Habet enim pueritia innocentiam, senectus prudentiam, ipsa vicina adolescentiæ juvenus bonæ existimationis intuitum, et verecundiam delinquendi : adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. In tanto igitur et tam confragoso et procelloso mundi hujus turbine, cur tam crebra naufragia improvidæ ascribuntur ætati? Unde præclare David totius temporis ejus veniam sibi a Domino postulavit dicens : *Delictum juventutis meæ et ignorantiae ne memineris, Domine* (Psal. xxiv, 7), quia tunc maxime calor corporis fervet, et æstu sanguinis vaporantis ignescit.

22. Sed iterum ipsum audiamus : *Mortalis, inquit, filius mulieris, brevis vitæ est, et plenus iracundiæ, qui sicut flos floruit, et decidit, discedit autem ut umbra, et non resistit. Nonne et ab hoc ratio quæritur? Et hunc fecisti intrare in iudicium sub conspectu tuo. Quis autem mundus est a sorde? Sed nemo, **634** etiamsi unius diei sit vita ejus super terram* (Job xiv, 1 et seq.). Vere miserabilis conditio, ut peccati sui quod vitare non possit, rationem præstare ^f cogatur : iudicium intrare, in conspectum Domini subire omnipotentis ^D compellitur, edere causas gestorum suorum, quæ tot vitæ suæ ætatibus percurrerit, cum mundus a peccato quivis esse non possit, ut ab ipsis cunabulis prius obrepat infantiae culpa, quam sit ullus sensus erroris. Quamque illud miserabile, ut brevis sit vita ejus, dulcis illecebra, multiplex ærumna, iracundia

excusationis ; Gall. mss., *somnum accusationis*. Optime Vat. cod., *sonum accusationis* ; idem est enim ac si diceret : cum se deberet accusare, accusationem suam ita involvit, ut animadverti non possit.

^e Cod. duo, *adversum me laborem*.

^f Rom. edit. *cogatur, intrare in conspectu Domini, et iudicium subire omnipotentis compellatur*. Bonus quidem verborum ordo, sed edit. ant. ac mss. cod. minime consentiens. Alium itaque restitimus.

quotidiana. Itaque in exigua delectatione amaritudo A
perpetua est.

23. Est, inquit, arbori spes. Si enim fuerit ^a excisa, virescit; et in petra mortuus ramus ejus fuerit, ad odorem aquæ florebit; faciet autem messem sicut novella. Vir autem defunctus abiit, cadens autem mortalis homo non ultra est. Tempore autem fluctuat mare Job. xxiv). Spectavimus prophetici sermonis seriem ex duobus inferioribus elementis, terra ac mari, quæ omni injuriæ, crebrisque tempestatibus subjacent: quam validum argumentum nostræ expressit ærumnæ? Terrena, inquit, virgulta, nemosaque arborum, etiam cum fuerint mortua, in usus vitales resurgunt. Mare quoque ipsum temporum vicibus solet fluctuare. At vero caro nostra semper exæstuat, sibique ipsa tempestas est, nec umquam B
a motibus procellarum miserandisque naufragiis feriatur.

24. Cum autem dormierit homo, ^b non resurgit usque dum cœlum non assuatur (Ibid., 12). Quod videtur declarare, donec cœlum novetur; erit enim cœlum novum et terra nova, sicut scriptum est (Esai. lxxv, 17). Nam quod assuitur, vetus est: quod vetus, mutabitur. Denique audi David dicentem: *Initio terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt: tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur* (Psal. ci, 26 et 27). Possumus etiam illud adtexere, quoniam quod vetus est, assuitur; quod novum, cogitur. A diebus autem Joannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt illud. Assuebat ergo illud Synagoga in paucis, Ecclesia cogit in millibus. Vel quia nunc cœlum assui videtur nebulis et caligine, nocturnisque tenebris, et croceo diei surgentis rubore diversa et discolori specie sæpe contextum. Tunc autem nox non erit amplius, et non indigebunt luce lucernæ, et lumine solis; quia Dominus illuminabit super eos, sicut dicit Joannes (Apoc. ii, 23). Vel quia: *Væ iis qui assument cervicalia ad evertendas animas populi* (Ezech. xiii, 18).

25. Deploranti prophetæ miseriam nostræ fragilitatis, quæ et in hac vita requiem non haberet, et universa subito incursu mortis amitteret, Spiritus sanctus infudit tamdiu non resurrecturos homines, donec veniret qui non assueret vetera novis, nec vestimentum novum committeret in vestimentum vetus; sed omnia faceret nova, sicut ipse dixit: *Ecce faciam nova*. Ipse est enim resurrectio, ipse primogenitus ex mortuis in quo omnes **635** quidem prærogativam futuræ resurrectionis accepimus: solus tamen ipse adhuc resurrectione perpetua resurrexit. D

^a Sic mss. et vet. edit. nisi quod pro, in petra, mss. duo et edit. habent in terra, et alias quasdam diversitates nullius momenti. Rom. autem edit. ita reposuit: *Excisa, adhuc viridescit, et ramus ejus non deficiet: etsi in terra mortua radix ejus fuerit, truncus ejus adhuc ab odore aquæ germinabit, etc.*

^b Omnes edit., non resurget, usque dum cœlum assuatur.... movetur. Am., novetur. Mss. sex ut nos in

CAPUT VIII.

Quomodo beatus Job resurrectionem atque iram Domini in consummatione futuram significaverit; et quam desideraverit ex hac vita, ubi perfidia dominatur, evolare?

26. Audito igitur quid locutus esset in eo Deus, et cognito per Spiritum sanctum quod Filius Dei non solum veniret in terras, sed etiam descensus esset ad inferos, ut mortuos resuscitaret (quod tunc quidem factum est ^c ad testimonium præsentium, et exemplum futurorum), conversus ad Dominum ait: *Utinam in inferno me conservares, absconderes autem me, donec desinat ira tua, et statuas mihi tempus in quo memoriam mei facias. Si enim mortuus fuerit homo, vivet consummans dies vitæ ipsius. Sustinebo donec iterum fiam, deinde vocabis me; ego autem te obaudiam: at opera manuum tuarum ne despicias. Numerasti autem meas adinventiones, nec præteribit te quidquam ex peccatis meis. Signasti autem iniquitates meas in sacco, et notasti si quid inscius præterivi* (Job. xiv, 13 et seq.). Quam suavis locus, qui nos de resurrectione confirmat; et quam videtur voci Dominicæ convenire, quæ in Evangelio legitur, ubi ait: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos* (Luc. xxiii, 30). Erit enim in consummatione sæculi ira Domini. Recte ergo Sanctus in judicium mavult resurgere, quam in tempus divinæ iracundiæ, quæ terribilis etiam innocentibus est.

27. Simul etiam illud prophetare intelligitur, dicendo: *Statuas mihi tempus in quo memoriam mei facias*; quod in passione Domini resuscitandus foret, sicut in fine istius libri demonstratur; nec tamen deplorare desinit: et quo magis intelligit sibi resurrectionem esse propositam, vitam hanc fugere desiderat, videns se in manus traditum adversariorum, projectum se in potestatem impiorum, cui etiam amici in inimicos conversi sunt, qui cum debuerint consolari, ruinam super ruinam inferant; memor tamen conscientiae suæ puræ, et mundæ orationis ait: *Terra non cooperias ^d in sanguine carnis meæ* (Job xvi, 19); ut oratio ejus sicut incensum dirigatur ad Dominum, non in terra diversetur. Sancti enim oratio nubes penetrat; peccatoris orationem, sicut a Deo Cain dictum est parricidæ, aperiens os suum terra in sanguine carnis abscondit. *Maledictus, inquit, a terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui de manu tua; quoniam operaberis terram* (Gen. iv, 11).

CAPUT IX.

Reprehenduntur ii, qui curiosius sapientiæ adyta ritextu; quam lectionem esse genuinam sequentia aperte clamant.

^c Edit. Gill. ac Rom., ad testimonium præcedentium.

^d Vet. edit. cum mss. aliquot, in sanguine carnes meas; Rom. cum aliis, in sanguine carnis meæ, juxta Vat. cod. LXX interpretum, ubi habes: ἐπ' αἵματι τῆς σαρκός μου.

mari audent : eam neque in abyssu, neque in mari quærendam esse ; et qua causa : denique ejusdem cognitionem soli Deo, et quibus eam ille revelaverit, patere.

28. Flebiliter itaque Sanctus deplorat vitæ istius tempora : *Pereo, inquit, et spiritu 636 circumferor : oro autem sepulturam, et non impetro, precor laborans. Et quid faciam (Job xvii, 1 et 2)? Dies mei^a transierunt in horrore : disrupti sunt articuli cordis mei (Ibid., 41). Nec tamen usquam derogat iudicio Dei ; scit enim profundam esse altitudinem sapientiæ et scientiæ Dei, et inscrutabilia iudicia ejus, atque investigabiles vias ejus.*

29. *Non calcaverunt, inquit, eas filii se glorificantium, nec transivit per eas leo (Job xxviii, 8). Quis enim potuit vias ejus comprehendere, quæ abdite occulta penetravit? Unde, inquit, inventa est sapientia, aut quis locus disciplinæ? Nescit mortalis homo viam ejus, nec inventa est in hominibus. Abyssus dixit : Non est in me ; et mare dixit : Non est mecum (Ibid. 12 et seq.). Non tibi licet scire, o homo, alta sapientiæ ; ideo tibi scriptum est : Noli altum sapere, sed time (Rom. xi, 20). Quid curiose cupis investigare quod tibi non expedit scire, nec cognoscere datur? Paulus audivit aliqua secreta sapientiæ, quæ prohibitus est aliis intimare ; et ideo raptus est in paradysum, raptus usque ad tertium cælum, ut audiret ea quæ positus in terris audire non poterat (II Cor. xii, 3 et 4). Si quæ audivit homo, non licuit ei loqui, quemadmodum quod non audivit, inquit? Imperatoris hujus in terris non licet tibi scire consilia, et vis scire divina ; non licet tibi curiosius investigare quæ in terris geruntur, et curiosius requiris quid supra cælum agatur. Cur tu disputas unde nata sit Sapientia? Nescit homo viam ejus, nec in hominibus inventa est perfecta Sapientia. Non in Moyse, non in Aaron, non in Jesu Nave fuit, non in ipso David qui ait : Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi (Psal. l, 8) ; quia ipse dixit in posterioribus : Velut jumentum factus sum apud te (Psal. lxxii, 23). Supra te est scire, o homo, altitudinem Sapientiæ, satis est tibi ut credas. Si enim non credideritis, inquit, nec intelligetis (Esai. vii, 9). Abyssum scire non potes, abyssum non potes comprehendere, quomodo altitudinem Sapientiæ comprehendes? Abyssus dixit : Non est in me ; et tu potes dicere quia in te est Sapientia?*

30. Abyssus ergo dixit : *Non est in me ; quia ipse Dominus dixit : Non derelinques animam meam in inferno (Psal. xv, 10). Et Apostolus dixit : Quis descendit in abyssum? hoc est Christum ex mortuis deducere (Rom. x, 7). Ergo si interrogatur abyssus : Ubi est Sapientia? Respondet : Non est in me, quia resurrexit. Interrogatur mare : Ubi est Sapientia? Dicit : Mecum non est : quia calcavit me, nec fluctus*

A mei eam turbare poterunt. Et tu ergo in hoc sæculi istius positus freto, noli perfectam illam Dei Sapientiam in hoc mundo quærere ; quia mundus eam non cognovit. Sed si vis eam invenire, calca fluctus hujus mundi, sicut calcavit Petrus, et ambula super aquas hujus sæculi, et porriget tibi dexteram Sapientia, sicut porrexit et Petro ; quia nemo fuit quem non sæculi hujus unda turbaverit. Turbavit Abraham, turbavit et Moysen, turbavit et Petrum. Moyses per mare transivit, et per mare peditem duxit exercitum : sed ante et ipse turbatus est. Petrus super aquas calcavit : sed mersus fuerat corpore, quia infirmioris fidei vestigiò claudicavit. Ergo noli Sapientiam in mari quærere ; **637** quia non dixit cum mari se futurum Dominus Jesus, sed cum apostolis suis ; ut aliqua ex parte eum cognoscerent, quibus ait : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (Math. xxviii, 20). Beati cum quibus est, utinam et nobiscum sit. Sed nobiscum mare est, Petrus cum Christo, quia et ipse calcavit mare. Nobis aurum cordi atque argentum est : sapientia autem supra aurum, non in auro est. Ideo qui Sapientiam habere cupiebat, Argentum, ait, et aurum non habeo ; sed quod habeo, do tibi : in nomine Jesu Christi Nazarenì surge et ambula (Act. iii, 6). Quia aurum non habebat, in nomine Christi habebat piæ operationis gratiam. Ideo et tibi dicitur : Et trahe Sapientiam in interiora (Job xxviii, 18) ; et infra : Latuit, inquit, omnem hominem, et a volatilibus cœli abscondita est (Ibid. 21). Nec homines sciebant ubi erat, nec Angeli, quia ipsi sunt aves cœli, de quibus dictum est : Et vidi Angelum volantem per cœlum (Apoc. xiv, 6).*

31. Nemo potuit noscere Sapientiam ; quia nemo novit Filium nisi pater, et nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Ipse ergo revelavit Joanni cum quo esset sapientia ; et ideo dixit ille, non quod suum erat, sed **638** quod Sapientia insudit ei : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (Joan. i, 1). Nescit Sapientiam interitus, nescit malitia. Interitus enim tenere eam non potuit, qui dixit : Ubi est, mors, victoria tua? Ubi mors, aculeus tuus (I Cor. xv, 55)? Nescit eam malitia, quia dixit : Quærent me mali, et non invenient (Prov. i, 28). Possunt dicere : Audivimus gloriam ejus. Solus est Deus qui novit eam : quia Deus, inquit, bene constituit viam ejus ; ipse novit locum ejus (Job xxviii, 23). Quod sit receptaculum Sapientiæ, audi discipulum ejus dicentem : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit (Joan. i, 18). Agnovit enim Patrem Filius, quia ipse ait : Sicut agnovit me Pater, et ego agnosco Patrem (Joan. x, 15). Æqua mensura est cognitionis, ubi unitas potestatis est. Pater ergo qui omnia fecit, novit ventorum libram, aquarum mensuram (Job xxviii, 25) : ipse vidit^b Sapientiam, et enarravit eam per prophetas suos, quia Pater enarravit Sapientiam, et*

^a Edit. ant. et cuncti mss., *transierunt in honore* ; excepto solo Colb. in quo legitur, *transierunt in honori*. Sed melius Rom. edit. *transierunt in horrore*. Nam præter quam quod nullo negotio geminum r po-

tuit coalescere in n, LXXI interpretes habent : *Δὲ ἡμέραι μου παρήλθον ἐν βρόμῳ* : quod significatione proximum est.

^b Rom. edit. sola voci, *Sapientiam*, addit, *cum*

investigavit eam; sicut et Filius Patrem enarravit, quem nihil præterit, et dixit: O homo, quid vis profunda scire Sapientiæ, quæ supra te sunt? Timere

præparavit eam. Eadem hoc ipso loco reseceverat hæc verba, quia Pater enarravit Sapientiam, et investigavit eam; quæ tamen in ant. edit. atque omnibus mss.

A Deum sapientia est, abstinere autem a malis disciplina est (Ibid., 28).

inveniuntur; nisi quod Laud. verba ac sensum invertit, hoc modo, quia Patrem enarravit Sapientia, etc.

LIBER SECUNDUS. DE INTERPELLATIONE DAVID.

CAPUT PRIMUM.

Post absolutam vehementiorem interpellationem Job sequitur placidior interpellatio David. Hunc non inepte cervo comparari, cum Christus ipse per idem animal se designari non recusaverit. Illi similitudinem hanc convenisse potissimum ob passionis susceptionem, Ecclesiæ vocationem, profligationem diaboli, atque apostolorum, qui et ipsi cervi fuerunt, missionem.

1. Multi quidem deploraverunt infirmitatem fragilitatis humanæ excellentius; tamen cæteris sanctus Job, et sanctus David. Ille superior, directus, vehemens, acer, et quasi gravibus exasperatus doloribus majore cothurno: hic blandus, placidus, atque mansuetus, mitiore affectu; ut vere quem imitandum sibi proposuit, cervi imitaremur affectum. Nec te moveat, si tantum prophetam feræ similitudine videar prædicare, cum legeris ad apostolos dictum: *Estote astuti sicut serpentes et prudentes sicut columbæ* (Matth. x, 16).

2. Sed tamen quamvis istiusmodi similitudines piis astruantur exemplis, sitque innocens et mitis natura cervorum; illum cervum ad imitationem Prophetæ propositum hoc loco arbitror, de quo Salomon paternæ mentis assertor in Proverbiis dixit: *Cervus amicitiae, et pullus gratiarum confabuletur tibi* (Prov. v, 19). Verus enim Dei Filius in semetipso naturam quam animantibus ipse donavit, expressit, qui in hunc mundum tamquam cervus advenit: et cum his se mera simplicitate iungebat, a quibus ei parabantur insidiæ. Fertur enim hujusmodi cervorum esse simplicitas, ut cum se exagitari viderint, his sese equitibus adnectant, qui ministerio fraudis appositi, fugæ specie ac simulatione societatis inductos ad retia usque deducant. Ita ergo Dominus tamquam ignarus periculi atque improvidus, Judæis dolum sibi struentibus admiscebatur, et societatem Judææ proditoris sibi adscivit, cujus simulatione funesta, usque ad crucis laqueos et retia passionis accessit. Unde conversus ad eum dixit: *Juda, osculo Filium hominis tradis* (Luc. xxii, 48)? Et hoc modo quidem

^a Edit. omnes, excitari sponsam suam. Contra mss. omnes, excitari sponsum suum: quod magis congruit cum antecedentibus ac sequentibus.

^b Rom. edit. post hanc vocem adjicit.

Psalmus quadragésimus primus.

Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

venit ad Synagogæ retia, volensque se induit: sed non implicitus est, nec inscriptus, qui omnes resolvit.

3. Denique eminebat super retia. Et quia eum sui non susceperant, vocabat Ecclesiam, et suam ei gratiam conferebat, sicut ipsa sacrosancta Ecclesia in Canticis protestatur dicens: *Adjuravi vos, filiae Hierusalem, in virtutibus et fortitudinibus agri; ne suscitaveritis, et excitaveritis charitatem usquequo voluerit* (Cant. ii, 7). Petit ergo in odore agri, quem olebat sanctus Jacob, id est, illa fide, illa devotione^a excitari sponsum suum a filiabus Hierusalem, ut festinet ad sponsam, et excitari ejus in se charitatem, aut etiam ipsam excitari, quia charitas sponsus est. *Deus enim charitas est*, sicut dixit Joannes (I Joan. iv, 16). Sed ille non est passus se ab aliis excitari; qui sponte prope-rabat, egressus de thalamo exultabat ut gigas ad currendam viam. Vidit **639** cum sponsa, et vocem venientis audivit, subitoque conversa ait: *Ecce hic advenit saliens super montes, transiliens super colles* (Cant. ii, 8); majores enim salit, minores transilit, ne piæ festinationis impedimenta patiatur. *Similis est*, inquit, *consobrinus meus capreolæ, aut hinnulo cervorum super montes Bethel* (Ibid. 9). Bonus cervus, cujus mons est domus Dei, in quam tanta celeritate currebat, ut sponsæ vota et desideria præveniret. Denique quem de longinquo venientem viderat, repente sibi adesse cognovit; unde et ait: *Ecce hic post parietem nostrum, prospiciens per fenestras, eminebat per retia. Respondit consobrinus meus, et dixit mihi: Exsurge, veni, proxima mea, formosa mea, columba mea; quia ecce hyems præterit, imber abiit, discessit tibi, flores visi sunt in terra* (Ibid. 10 et 11). Hyems Synagoga est: imber populus Judæorum, qui solem videre non potuit: flores apostoli sunt. Et addidit: *Messis incisionis advenit, vox turturis audita est in terra nostra* (Ibid. 12). Messis illa Ecclesiæ fides est: vox turturis^b pudicitia est.

4. Nec his solis, sed etiam cervi similitudinem suscipit Christus, quia veniens in terras serpentem illum diabolum sine ulla sui offensione protrivit, cui cal-

Cervi similitudinem suscipit etiam Christus. Aliæ, atque mss. ut in textu, nisi quod edit. vocibus, nec his solis, subdunt, contentus: quæ vox hoc loco supervacanea est, cum verba nec his solis referantur ad superiora Scripturæ testimonia quibus cum cervo vel aliis animantibus Christus comparatur.

caneum suum obtulit, sed ejus venena non sensit. **A** Unde dictum est ei: *Super aspidem et basiliscum ambulabis (Psal. xc, 13)*. Simus ergo et nos cervi, ut super serpentes ambulare possimus. Erimus cervi, si vocem Christi sequamur, quæ præparat cervos, et facit morsus serpentium non timere: ac si qui forte fuerint vulnerati, aufert eorum dolorem, solvendo delictum. De his cervis dicit Dominus ad Job: *Observasti partus cervorum: numerasti autem menses eorum, plenos partus? Partus autem eorum solvisti, vel enutristi filios eorum, ut non timeant (Job xxxix, 1 et seq.)*. Audi quomodo non timeant filii cervorum talium. Doceat te Esaias dicens: *Et puer parvulus mittet manum in cavernam aspidum, et illi non nocebunt (Esai. xi, 8)*. Et ut agnoscas quod Ecclesiæ filios significare videtur, addidit: *Partus autem eorum emittes, dirumpent filii eorum, et multiplicabuntur in generatione, exhibunt et non revertentur retro (Job xxxix, 4 et 5)*. Nemo enim mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro, habilis est regno Dei.

5. Merito ergo cervus factus est Dominus; ut tales sibi cervos Domini vox præpararet, de quibus ait: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguæ loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit (Marc. xvi, 17 et 18)*. Tollebant enim serpentes, cum spiritu oris sui sancti apostoli de latebris corporum eruerent nequitiæ spirituales, nec venena mortifera sentiebant. Denique cum exsiliens de sarmentis Paulum vipera momordisset, videntes Barbari pendentem viperam de manu ejus, putabant repente moriturum. At ille stabat intrepidus, nec vulnere movebatur, nec veneno infundebatur. Unde videntes eum non tamquam hominis conditione genitum, sed tamquam Dei gratia editum, supra homines esse arbitrabantur. Vide cervum vipersas de latebris eruentem spiritu **640** divino qui erat in naribus ejus, sicut dixit Job (*Job xxvii, 3*). Conversus, inquit, Paulus in spiritu, et respiciens cum dolore ait ad Pithonem: *Præcipio tibi in nomine Domini nostri Jesu Christi continuo exire ab ea. Et exivit eadem hora (Act. xvi, 18)*. Vide cervum quando venit ad baptismum, et sacri fontis ablutus irriguo, omnia persecutionis venena rejicit. Vide cervum Dominum Jesum, quando venit ad Joannem Baptistam, et dicenti sibi Joanni: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me*, **D** respondit: *Sine modo (Matth. iii, 14 et 15)*. Et hoc dicto, in aquas salutem sitiens publicam, tota aviditate descendit. Sed jam satis nobis in exordio tractatus, sicut in principio anni ^a, more vulgi cervus allusit. Pergamus ad cætera.

CAPUT II.

Quam desideraverit David ex hac vita innumeris cala-

^a Subscriberemus libenter doctiss. Cangio, qui in Glossar. ad verb. *Cervula* putat Ambrosium hic agere de ludis profanis, qui apud ethnicos kalend. januarii fieri solebant; nisi de ea superstitione quæ a SS. PP. et in synodis et in cathedris magno postea zelo proscripta est, paulo frigidius loqui videretur. Dici tamen potest vigilantissimum Præsulem in eam

mitatibus, ac peccatis obnoxia liberari; ut ad conspectum Dei perveniret! Terram lacrymarum esse locum, et quæ illarum utilitas? Quomodo Propheta animam supra carnis infirmitates attollens orationem qua peccata teguntur, coram Deo effuderit, ut in coelestem aulam introiret. Ejusdem aulæ paucis tanguntur deliciae, cum qua etiam Ecclesia comparatur.

6. ^b Interpellat, ut dixi, David dicens ad Dominum: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et parebo ante faciem Dei (Ps. xli, 2 et 3)?* Æstuat sanctus, nec sese capit. Major est enim animi magnificentia, quam cujuslibet corporis magnitudo; et securus meriti, de terris ad coelestia evolare desiderat, sicut et alibi dicit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam (Ps. liv, 7)*. Hic enim sunt laquei, quibus etsi non implicatur justus, tamen impeditur: hic dolores et sollicitudines; illic lætitia, ubi gratia: hic postremo corporis vincula, quæ Paulus solvere gestiebat; ut omnibus exutus impedimentis, Domino liber assisteret. Hoc ergo sitiebat anima David, ut jam non per fidem, sed facie ad faciem Deum videret; nec solum peregrinaretur a corpore, sed corpore solveretur. Dissolvi enim et cum Christo esse multo melius; quia justo mori est lucrum. Et grande quidem lucrum carere peccato, delictorum illecebris non moveri. Quis enim mundus a sorde, quando nec unius diei vita hominis in terra caret delictorum contagione? Vivendo ergo damna contrahimus innocentia, morte finem erroris adipiscimur. Lucrum ergo morte acquiritur, vitæ autem usu tanquam miseris debitoribus usurarii nominis ad reatum fenus augetur. Et bene sitit anima, quæ festinat ad fontem, non aquæ istius, sed vitæ æternæ, de quo supra dixit: *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (Ps. xxxv, 10)*. Merito ergo David properabat pervenire et apparere ante **641** faciem Dei, cujus vultus lumen est; quia omnes quos Dominus spectat, illuminat.

7. *Fuerunt lacrymæ meæ mihi panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus (Psal. xli, 4)?* Ibi bene lacrymæ panes sunt, ubi esuritur justitia. Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sunt igitur lacrymæ quæ panes sunt, et confirmant cor hominis. Cui disputationi etiam illud Ecclesiasticum convenit dictum: *Mitte panem tuum ante faciem aquæ (Eccl. xi, 1)*; quia ibi panis coelestis, ubi aqua gratiæ; quoniam recte accipiunt substantiam verbi, et mysticæ rationis alimentum, quibus flumina aquæ vitæ de ventre labuntur. Similiter quoque ibi panis hic vivus, ubi

ideo vehementius non insurrexisse, vel quia durior tum erat paganorum patientia et obstinatio, vel major Christianorum pietas, ab hac impietate satis aliena.

^b Resecaverat edit. Rom. has voces: *Interpellat, ut dixi, etc. usque ad versum, Sitivit anima mea, etc.*

aqua lacrymarum, et fletus est poenitentiae. Sic enim scriptum est : *In fletu exierunt, et in consolatione revocabo eos* (Jerem. xxxi, 9). Beati ergo quorum lacrymae panes, qui ridere meruerunt; quia beati qui fletis.

8. *Horum memor, inquit, effudi super me animam meam* (Psal. xli, 5). ^a Sanctus colligit ab his quae foris sunt, et supra se effudit animam suam; ut anima supra corpus effusa infirmitatem carnis abscondat, ^b tegat corporis ad poenitentiam, et virtus ubique animae mentisque praetendat. Unde et in posterioribus dicit : *Effundam in conspectu ejus orationem meam* (Psal. cxli, 2). Ubi effunditur oratio, ibi peccata sunt tecta. Quorum autem memorem se dicit? Eorum utique quae desiderabat, ut veniret et appareret in conspectu Dei, ut ejus aulam illam videret aeternam, in qua spatiabatur animo et praesumpto delectabatur ingressu.

9. *Quoniam ingrediar, inquit, in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. In voce exsultationis, et confessionis c sonitus epulantis* (Psal. xli, 5). Non immerito flebat, quoniam versaretur in terris, cui coelestia tabernacula deberentur, et quem aulae potentis exspectaret introitus. Denique illam solam omnibus regni sui opibus praeferebat, sicut ipse testificatus est alibi dicens : *Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae et ut videam delectationem Domini* (Psal. xxvi, 4). Delectatio Domini in Ecclesia est : Ecclesia est imago coelestium; etenim postquam umbra praeteriit, imago successit. Umbra Synagoga est : in umbra Lex, in Evangelio veritas. Ideo in Evangelii lumine veritatis imago resplendet. Flebat igitur Propheta; quia differebantur plena gratiae bona et referta laetitiae.

CAPUT III.

Non mirum si David hujus vitae malis, et si consolatione sua minime careant, turbatus sit; cum ipse Christus qui mortem subivit voluntariam, turbari voluerit, et quo sensu hoc intelligendum? Item quare alio loco non confiteor, sed confitebor Propheta dixerit?

10. Denique et in posterioribus dicit : *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est* (Psal. cxvi, 5)! Et ideo interpellabat Dominum, quia ad meliora properabat. In ipsis tamen afflictationibus saeculi magna esset consolatio praesentium, spes futurorum. Quis enim non erigeret animum, qui posset sperare in tabernaculo coelesti beata illa sibi consortia **642** reservari. Sed quia infirmæ conditioni plerumque futura tædio sunt, praesentia vexationi; ideo et sancti Prophetae insurgentibus corporis fluctibus anima turbabatur.

11. Nolo enim mireris si Propheta animam suam

^a Edit., *Sanctus sese colligit*. Melius mss. *sanctus colligit, nempe animam, quae vox sequenti versu exprimitur*.

^b Edit. omnes, *tegat corpus*; mss. contra, *tegat corporis, subintellige infirmitatem*.

^A dicit esse exagitata, cum dixerit ipse Dominus Jesus : *Nunc anima mea turbata est* (Joan. xii, 27). Qui enim suscepit infirmitates nostras, nostrum quoque suscepit affectum, in quo et tristis erat usque ad mortem, non propter mortem; mors enim voluntaria moestitiam habere non poterat, in qua futura erat universorum laetitia, universorum refectio. De qua et alibi dicit : *Et surrexi, et vidi, et somnus dulcis factus est mihi* (Jerem. xxxi, 26). Bonus somnus qui fecit non esurire esurientes, non sitire sitientes, quibus sacramentorum dulcedinem praeparavit. Quomodo ergo anima ejus timore turbata est, qui fecit aliorum animas non timere? Tristis ergo usque ad mortem, donec consummaretur gratia : quod probatur ipsius testimonio dicentis de morte sua : ^B *Baptismate habeo baptizari, et quomodo angor, usque dum perficiuntur* (Luc. xii, 50)?

12. Turbatus igitur David lubricis saeculi hujus anfractibus dicit : *Quare tristis es, anima mea : quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus* (Psal. xli, 6 et 7). Ergo quando anxii et solliciti sumus, spes nos futurorum expectatione confirmet. Vide singula : *Spera, quoniam confitebor*, inquit. Non confiteor, sed confitebor; hoc est, tunc melius confitebor, quando revelata facie gloriam Domini speculatus in eandem imaginem reformabor.

13. Subito cum se consolaretur, in se reversus ait : *Ad me ipsum anima mea turbata est* (Psal. xli, 7); id est, qui alios confirmare debeo, ipse conturbor. Et quia ex me non habeo firmamentum, de auctore sumamus.

CAPUT IV.

Qui turbari se boni consulunt eos exire ex Aegypto, quae per Jordanem designatur : per eum fluvium adumbrari etiam Christum, quod nempe cordium cogitationes penetret, et sanctis terrenum ac caelestem dividat possessionem. Hoc tamen Christo convenire, Patre non excluso; et ibi quid per Sicimam significetur? Item Christum montem fuisse magnum per divinitatem, modicum per incarnationem, quam cum Lex vetus ad homines redimendos non sufficeret, Evangelium illaturus susceptam voluit.

14. *Propterea, inquit, memor ero tui, Domine, de terra Jordanis et Hermoniim* (Ibid.). Memor est de terra Jordanis, in quo gratia memoriam devotionis accumulat. In Jordanem Naaman Syrus ille descendit, et mundus a lepra factus est. In Jordane baptizatus est Christus, quando formam lavacri salutaris instituit. Jordanis nomen descensionem significat, qua descendit Dominus Jesus, quia contagio delictorum vicinos Jordanis fluminis emundavit. Hic fluvius exit de Aegypto, et dividit terram repromissionis. Ergo qui turbatur, ^d si boni consulit, de Aegy-

^c Ita mss. et vet. edit. Rom. vero, *soni festa celebrantis. Quis non erigeret animum qui posset sperare in tabernaculo coelesti beata illa sibi consortia reservari. Quae verba loco suo restituimus.*

^d Mss. duo, *si bene sibi consulit*.

pio exit, et sequitur viam lucis. Hermoniim etiam viam lucernæ interpretati sunt. Exi ergo prius ex Ægypto, si vis lumen **643** Christi videre. Exiit Chananæa a sinibus gentium, et Christum invenit, cui dicebat: *Miserere mei, fili David* (*Matth. xv, 22*)! Exiit et Moyses ex Ægypto, et propheta factus est, et remissus ad populum, ut de terra afflictionis animas eorum liberaret. Lucerna autem in Christi corpore. Hæc tibi lucerna viam monstrat. Unde et sanctus David ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Psal. cxviii, 105*). Lucerna, quod illuminaverit animas universarum, et in tenebris viam monstraverit. Evangelium via lucernæ est; in umbrâ lucet, id est, in sæculo. Unde et alibi habes: *Nive dealbabuntur in Selmon* (*Psal. lxxvii, 15*), id est, in obumbratione.

15. Jordanis quoque Christus qui dividit terram. Quomodo dividat, audi: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ad revelandas multorum cogitationes cordium* (*Luc. ii, 35*): eo quod sit nostrarum divisor animarum, qui in intima cordis secreta descendat, et cogitationes mentium deprehendat. Ille gladius verbum est Dei vivum. Denique ad Hebræos sic legis: *Vivum est Dei verbum et validum, et acutius omni gladio acutissimo, penetratque ad divisionem animæ et spiritus, artuumque et medullarum* (*Hebr. iv, 12*). Hic est fons Siloa, qui dicitur missus, quoniam Christus a Patre dixit se esse missum (*Joan. ix, 7*). Est et illa divisio quæ colligitur ex eo quod utramque ripam Jordanis Tribus incoluerint Judæorum, quoniam Filius hominis qui posterioribus temporibus descendit e cælo, verus ille Jordanis, verus ille terrestrium atque cælestium divisor, possessionem dividuam patribus dedit: unam quæ possideretur in terris, alteram quæ futuræ vitæ meritis servaretur. Quorum utrumque convenit soli Christo, vel cælestia dividere, vel occulta deprehendere. Interiora enim dividit, qui occulta deprehendit, quod est utique divinitatis insigne. Denique sic habes scriptum quia Dominus dixit: *Lætabor et dividam Sicimam* (*Psal. lix, 8*). Hæc est illa magnifica portio, quam Jacob filio suo Joseph præstantiorem omnibus deputavit. Unde ait: *Ego do tibi Sicimam magnificam super fratres tuos, quam accepi de manu Amorrhæorum, in gladio meo et sagitta* (*Gen. xlviii, 22*). Quod divisio soli Domino debetur, quæ Verbo, hoc est, spiritali illo veri Salomonis gladio comprehenditur. Quid est soli? Patri sine Christo, an Christo sine Patre? Minime. Cum solum dico Patrem, Filium non separo; quia in sinu et secreto Patris Filius est. Cum solum Filium dico, et Patrem jungo, sicut junxit et Filius dicens: *Ecce venit hora, ut me solum relinquatis: sed non solus, quoniam Pater mecum est* (*Joan. xvi, 32*). Sic ergo et Pater solus beatus, et solus potens dicitur; ut ab eo Filius non sequestretur, qui in Patre semper est (*I Tim. vi, 15 et 16*). Denique præclare

A Johannes: *In principio erat Verbum* (*Joan. i, 1*), sed sine Patre non erat. Et Deus Pater erat, sed sine Verbo non erat: quia *Verbum erat apud Deum*.

16. Hæc Sicima Ecclesia est. Ipsam enim elegit Salomon, cujus latentem distinxit affectum. Hæc Sicima Maria est, cujus animam gladius Dei transit et dividit. Hæc Sicima est ascendens, sicut interpretatio habet. Quæ sit ascendens, audi de Ecclesia. *Quæ est quæ ascendit dealbata innitens super fratrem suum* (*Cant. viii, 5*)? Hæc est actiuosa, quæ Græce ἀκτινώδης dicitur, quod fide operibusque resplendet: **644**^a cujus filiis dicit: *Opera vestra luceant coram Patre meo, qui in cælis est* (*Matth. v, 16*).

17. Memor ergo est Dei David de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico. Quis est iste mons modicus? Consideremus ne forte divinitas Christi mons magnus. Denique *cælum et terram compleo, dicit Dominus* (*Jerem. xxiii, 24*). Si ergo divinitas Christi mons magnus est, utique incarnatio ejus mons exiguus est. Utrumque ergo Christus, et mons magnus et minor: magnus vere; quia magnus Dominus et magna virtus ejus: minor; quia scriptum est: *Minorasti eum paulo minus ab Angelis* (*Psal. viii, 6*). Unde et Esaias dicit: *Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem* (*Esai. liii, 2*). Idem tamen et ex magno minor factus, et ex minore magnus. Ex magno minor; quia cum in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit, et formam servi accepit: ex minore magnus; quia dicit Daniel: *Et lapis qui elisit imaginem, factus est mons magnus, et implevit omnem terram* (*Dan. ii, 36*). Lapis hic si requiris quis sit, agnosce. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal. cxvii, 22*). Idem tamen cum et exiguus videretur, magnus erat. Cui rei astipulatur Esaias dicens: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cujus initium super humeros ejus, et vocabitur magni consilii Angelus* (*Esai. ix, 6*). Omnia propter te Christus. Lapis propter te, ut tu ædificeris: mons propter te, ut tu ascendas. Ascende ergo super montem, qui cælestia petis. Ideo inclinavit cælum, ut tu esses vicinior; ideo surrexit in verticem montis, ut te elevaret.

18. Non immerito ergo abyssus abyssum invocabat; ut iste mons fieret exiguus, de quo Propheta ait: *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum* (*Psal. xli, 8*). Non prævalebat vetus Testamentum ad istius mundi redemptionem: invocabat, et quasi ad auxilium arcessebat novum Testamentum. Clamabat Lex annuotians Evangelium. Erat enim semiplena: et ideo erat necessarius, ut veniret qui Legem impleret. Finis enim Legis Christus ad justitiâ omni credenti, qui venit Legem implere, non solvere. Quomodo abyssus Lex, audi dicentem: *Judicia tua sicut abyssus multa* (*Psal. xxxv, 7*). Simul hinc intellige utrumque unius esse sapientiæ Testamentum, quod quasi suum venit implere. Cata-

tatu versiculos psalmi xli, resecaimus quos edit Rom. ut continuum efficeret commentarium, induxerat:

^a Sic mss. Thuan., Dion., Torn. et Viet. Alii vero atque edit., *cujus filius dicit*. Minus commode; ut docet orationis contextus. Porro passim in hoc trac-

ractas autem intelligimus profunda verborum, et vim celestis eloqui: quæ fluxere nobis sicut imber e caelo. Ergo remedium tædiorum omnium Christus, et Scriptura divina; atque in tentationibus unum per-fugium.

CAPUT V.

Propheta miseriis obsessus divinam implorat misericordiam, quæ in adversis præcipue manifestatur. Deum hominis susceptorem esse, tum ob creationem qua in nos idem jus habet atque in lutea vasa figulus, tum ob defensionem qua concessam homini vitam conservat.

19. Denique ubi advertit David quod elevationes fluctuum sæcularium super se venirent, quas necesse est plurimas subeamus in istius salo vitæ, memor Domini miserationum quas innumeris promisit oraculis, ad preces conversus **645** interpellat Deum, B sciens quod misericordia ejus in luce mandatur, id est, in Lege; quia *lux præcepta tua* (Esai. xxvi, 9): in tentationibus autem quasi in noctis tenebris, manifestatur. Unde tamquam viator qui repatriare desideret, et pervenire quo tendat, confragoso tamen vitæ hujus itinere fatigatus, ducem arcessit, et allevamentum obsecrat.

20. *Apud me, inquit, oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo: Susceptor meus es* (Psal. xli, 10). Bene nota jam sibi quærit auxilia, et promissi auctorem convenit, atque usitati muneris præbitorem; ut in subveniendo, si meritum hominis offendit, divinum non offendat exemplum. Dicit aliquis: Quando suscipit eum Deus? Ut hoc astruamus, veni mecum ad Scripturæ sacræ exordium (Gen. ii, 7), et vide quomodo Dominus manibus suis de luto hominem figuraverit. Unde et hic ipse in posterioribus dicit: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* (Psal. cxviii, 73). Quasi figulus quidam Deus fabricam carnis est operatus humanæ. Et ad Hieremiam dicitur: *Descende in domum figuli, et audies illic verba mea* (Jerem. xviii, 2). Figulo utique sæpe contingit, ut dum vas fingitur, cadat de manibus ejus, et iterum colligat lutum, ut vas reformet. Denique et Hieremias dicit: *Descendi, et vidi quo modo cecidit vas, quod ipse faciebat in manibus suis* (Ibid. 3, 4). Et iterum inquit: *Fecit vas aliud quo modo placuit ei* (Ibid.). Recte ergo susceptor dicitur; quia manibus suis nos ipse suscepit, ipse formavit. Humani figuli vasa sunt illa, alia in honorem, alia in contumeliam. Omnes sumus vasa fictilia: et si rex sit aliquis, vas fictile est; et si apostolus, vas fictile est. Unde et Paulus: *Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus* (II Cor. iv, 7). Et propheta de rege dicit: *Depretiatum est Jechonias sicut vas, cujus opera non est necessaria* (Jerem. xxii, 28). Et addidit: *Terra, audi verbum Domini, scribe virum istum abdicatum* (Jerem. xxii, 28). Quasi patrio jure Deus noster filios solet abdicare degeneres; ideo et in terra eos scribit, quia filii terræ sunt. Unde cum Judæi accusarent adulteram, Dominus Jesus digito scribebat in terra. Justi autem non in terra

scribuntur, quibus dicitur: *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in caelo* (Luc. x, 20).

21. Suscepit ergo nos Dominus, quando nos finxit: suscipit et quando nos jubet nasci. Unde ait justus: *Suscepit me ex utero matris meæ* (Ps. cxxxviii, 13). Cujus matris? *Priusquam te formarem in utero, novi te* (Jer. I, 5). Quos format et suscipit, exeuntes quoque suscipit. *Et priusquam exires de vulva matris, sanctificavi te*. Susceptor est qui susceperit manibus, ut generis operator humani susceptor dicitur; et qui visitatione susceperit, ut protegat. Unde ait Propheta: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum* (Psal. xc, 1 et 2). Prima susceptio est operationis, secunda defensionis. Denique audi Moysen dicentem: *Extendens alas suas assumpsit eos, et suscepit eos super scapulas suas* (Deut. xxxii, 11): sicut aquila suscipit, quæ fetus suos examinare consuevit; ut teneat atque enutriet, quibus veri indolem partus, et incorruptæ grâtiæ naturæ astipulari adverterit; aut repellat, in quibus degeneris originis infirmitatem in tenera adhuc ætate deprehenderit.

646 CAPUT VI.

Queritur David sui oblitum Deum videri, quo et peccatorum suorum merita, et propriam infirmitatem quæ sine divino præsidio subsistere non potest, confitetur. Ibidem luget quod fuerit a Deo repulsus, qui susceptus ante fuerat. Quam beatum sit ex utero in Deum projici; et qua ratione illud Christo accommodetur?

22. *Quare me oblitus es, et quare me repulisti* (Ps. xli, 10)? Deus non obliviscitur. Impossibile est enim ut obliviscatur, cui omnia quæ sunt facta et futura, præsentia sunt: sed nostra peccata meritum oblivionis ei infundunt; ut oblitteret eos, quos indignos sua visitatione cognoverit. Eos enim cognoscit Dominus, qui sunt ejus. Tamen ubi aliqui iniquitatem operantur, his dicit: *Non novi vos* (Matth. vii, 23). Quis ergo est qui possit Deo dicere: *Quare me oblitus es?* Sed tamen commune hoc sanctis nobisque infirmis est. Sanctus dicit quasi meriti sui conscius; et tamen quo sanctior, hoc humilior. Quod si vix sanctus dicit, quid ego dicam peccator, nisi ad illud referam: *Quare operis tui oblitus es; quare visitationis tuæ oblitus es?* Postremo quare infirmitatis meæ oblitus es? Quid est enim homo, nisi quia visitas eum? Non ergo obliviscaris infirmum. Memento, Domine, quia infirmum me fecisti: memento quia ^a pulverem me finxisti. Quomodo stare potero, nisi solidaturus hoc lutum semper intendas, ut de vultu tuo soliditas mea prædeat? Cum averteris faciem, turbabuntur omnia: si intendis, væ mihi; non habes quod in me aspicias, nisi contagia delictorum; nec deseri utile, nec videri est; quia dum videmur, offendimus. Possumus tamen æstimare, quia non repellit quos videt; quia emundat quos aspicit. Ignis ante eum ardet, qui crimen exurat.

23. Bonum est ergo nobis, ut non repellamur. Ideo

^a Edit., de pulvere me finxisti; omnes mss., pulverem me finxisti.

queritur David; quia repulsum se credidit, qui fuerat ante susceptus. Denique in posterioribus dicit: *In te confirmatus sum ex utero* (Psal. LXX, 6). Sed et supra scriptum habemus: *In te projectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es tu* (Psal. XXI, 11). Bonum est et projici, sed in Deum. Denique ex persona Christi; hoc in XXI psalmo dicitur, qui vere in Patrem de utero projectus est Virgini; non enim terrena eum excepere morientem: Unde in cruce positus; cum emitteret spiritum, ad Patrem ait: *In manus tuas commendo spiritum meum* (Luc., XXIII, 46).

24. Non ergo aliqui addant: *Domine*, ut psaltæ faciunt, quod neque in Latino codice inveni meo, neque in Græco, neque in Evangelio, quod est evidenti. Denique supra dixerat: *Pater, dimitte illis hoc peccatum* (Ibid., 34); et ideo tamquam Patri, in manus ejus commendare se spiritum suum, in cuius sinu semper est Filius. Quamquam, etsi addant quod dixerit, *Domine*, considerent quod quasi homo in morte positus hoc loquatur.

25. Ergo projectus est de utero in Patrem; de ventre matris suæ; hoc est, desinivit quod ille uterus qui projecit eum, venter est matris. Pater autem dixit: *Ex utero ante luciferum genui te* (Psal. CIX, 3). Non projecit utique Filium Pater; a quo nunquam egressus est Filius, sicut ipse ait: *Traditus sum, et non egrediebar* (Psal. LXXXVII, 9). Non projecit eum, cui ejusdem substantiæ 647 unitate connectitur. Potest ergo et sic legi: *In te projectus sum ex utero de ventre matris meae* (Psal. XXI, 12); ut sequatur: *Deus meus es tu; ne discedas a me*. Potest et sic: *De ventre matris meae Deus meus es tu*; quoniam in utero positus a te nunquam recessi; tecum eram qui tanquam Jonas in utero ceti positus, te pro populo deprecabar. Et vere de matris suæ ventre cum Deo erat, secundum quod scriptum est: *Quoniam priusquam sciret puer bonum aut malum, elegit quod bonum est* (Esai. VII, 16). Et: *Antequam patrem vocaret aut matrem, virtutem Damasci et spolia Samariæ depraedatus est* (Esai. VIII, 4); ut gentibus evocatis regnum Patri piæ cultu devotionis acquireret. ^a Videamus cætera.

CAPUT VII.

Dum exoptatus Christi adventus differtur, stovisse diabolum, ut in Christum credituros obtereret, et in ipsis signa defigeret sua: ubi de signis quæ sequi et quæ fugere nos oporteat, disseritur. Diabolum signa sua in eis ponere, qui fidei semen in via excipiunt; sanctos e contrario diaboli fidem collocare in pervio: tandem ne diabolum tabernaculum Dei polluat, providendum, ad quod maxime opus est perseverantia.

26. *Quare, inquit, me repulisti: et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus: confringit ossa mea: exprobraverunt mihi qui tribulant me, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? quare tristis es, anima mea* (Psal. XLI, 10)? Et reliqua. Prima interpella-

^a Sic mss. omnes atque edit. Era. et Gill.; Rom. vero prætermisissis vocibus, *Videamus cætera*, et versu sequenti, nempe: *quare, inquit, me repulisti*, etc.

tiō querelam habuit; quod comperendinarentur bona, quorum jam fructus desiderabatur. Secunda interpellatio, quod expectatus prudentibus Christi differebatur adventus, quem Lex annuntiaverat, quem prophætæ pollicebantur, et eo impatientius aestuabant corda iustorum, quoniam ad redemptionem cognoverant esse venturum universorum. Quorum universorum? Quibus Evangelico tramite viam virtutis aperiret, bonorumque operum semitas demonstraret, sicut ipse dixit in Proverbis: *Dominus creavit me principium viarum suarum* (Prov. VIII, 22). Ideo ergo dicebatur ei: *Ubi est Deus tuus*; quia adhuc non venerat Christus; sed sperabatur? Sciebat ergo diabolus, ut obtereret quos sciebat in adventum Domini credituros, et diversis afflictabat exitiis. Interpellat ergo David, ut morantem excitet questu prophetico, festinare urgeat, admoneat subvenire. Habemus similitudinem hujus interpellationis etiam in posterioribus, ubi dicit idem propheta: *Ut quid repulisti nos, Deus, in finem* (Psal. LXXIII, 1)? Et ibi aperte quod congregationis suæ oblitus sit, et virgam hereditatis suæ abjecerit, flebiliter deploravit; et quod in plebem Dei insurrexerint ejus inimici, de quibus ait: *Et gloriosi sunt qui oderunt te, in medio festi tui* (Ibid. 4). Forte hic versiculus videretur Assyrios declarare, qui triumphaverunt populum Judæorum, nisi sequeretur: *Posuerunt signa sua signa, et non cognovi* (Ibid. 5). Signa semper in bello sunt, quæ præliatos præire consueverunt, et agmen ducere militare. Unusquisque numerus aut legio signa sua sequitur. Et si dispersi fuerint bellorum tumultu, eo ubi signa sua prospexerint esse, quamlibet longe positi revertuntur. 648 Unusquisque ductor hæc signa constituit, et sequenda præscribit. Sed sunt etiam alia signa, quæ victor hostis imponit, et tamquam captivis observanda decernit; sed qui fidelis est miles, propria signa sequitur, non agnoscit aliena.

27. Quæ sint aliena signa intensius et impensius consideremus. Signum suum posuit Christus in frontibus singulorum; ibi quoque Antichristus sua signa ponet, ut proprios recognoscat. Sed qui in occulto Judæus est, ille verus confessor dicit: *Posuerunt signa sua signa, et non cognovi*. Posuerunt diabolus et ministri ejus, sed ego nescivi illa; quia non consensi artibus ejus, non acquievi imperiis ejus. Posuit Assyrius Nabuchodonosor signa pueris Hebræorum, et mutavit illis nomina; et præcepit ut adorarent imaginem ejus, et recederent a solemnibus patrum suorum, ritusque Chaldæos, posthabita Dei Lege, sequerentur. Constituit hoc rex, sed statuit Daniel in corde suo, ut regalis mensæ contagia declinaret (Dan. III, 18). Recte ergo ei convenit dicere, Signa non cognovi aliena. Jussum erat ut Hebræi pueri adorarent imaginem regis; responderunt ei, Non adoramus imaginem tuam. Apte ergo dixit unus-

Tres alios consequentes non paucis vocibus adjectis aut mutatis hic posuerat.

quisque eorum : *Posuerunt signa sua signa, et non cognovi* (*Dan. III, 18*) ; id est, non sum expertus, non ullo consensu recepi, non aliqua societate a me transtuli. Unde et de Dei Filio legitur quod peccatum non cognovit (*II Cor. v, 21*). Et alibi habes : *Quoniam qui custodit mandatum non cognoscit verbum nequam* (*Eccles. VIII, 5*) : cum liquido clareat, quia non cognitio improbitatis, sed societas criminosa sit, ipse etiam David in posterioribus dicit : *Declinantes autem malignos a me non agnoscebam* (*Psal. c, 4*). Ubi autem voluerint hæc signa adversarii ponere, declarat : *Sicut in via, inquit, super summum : quasi in silva lignorum securibus conciderunt januas ejus in idipsum, bipenni et ascia dejecerunt illud* (*Psal. LXXIII, 6*). Quid hoc sibi vult, nisi hoc ostendat quia fides nostra non quasi in via esse debeat ; ne veniant volucres cœli, et auferant eam, sicut verbum illud quod legis in Evangelio, non debere circa vias et semitas seminari (*Luc. VIII, 5*).

28. Ergo sancti volentes fidem hujusce eradicare adversarii, qui non vident signa sua in corde ejus, tentaverunt quasi in via, id est, in pervio collocare. Cor autem in summo est ; quia oculi sapientis in capite ejus. Et posuerunt signa quasi in silva lignorum, quæ cito exuruntur igni, aut securibus conciduntur. Exit enim ignis de silva, et exurit etiam cedros Libani. Hoc autem faciendum putaverunt ; ut polluerent divini nominis tabernaculum, quod est in nobis. Sicut enim templum Dei sumus : ita sumus et tabernaculum Dei, in quo festa Domini celebrantur. Ergo tu, o homo, summum tuum custodi, ut conquasses capita inimicorum, verticem capilli perambulantium (*Psal. LXXVII, 22*). In superfluis enim perambulant, non in sanctis ; in vertice capilli, non in vertice devotionis et fidei. *Et si spiritus potestatem habentis in te ascendat, ut habes in Ecclesiaste, locum tuum non derelinquas* (*Eccles. x, 4*). Etenim superiorem te Christus constituit, quem ad imaginem Dei fecit. Tene ergo superiorem fidei et pietatis locum, quem a Christo accepisti ;

649 ut superior factus, ascendentem de inferioribus, hoc est, de terrenis et sæcularibus, spiritum nequam facile repellas, et signa ejus non suscipias in pectore tuo : non occupet animæ tuæ vestibulum, nec introitus mentis tuæ ; et quasi in silva lignorum ignibus suis caduca et fragilia populetur, aut securibus suis januas tui cordis excidat. Sit igitur in nobis non silva, sed vinea ; sit porta nostri oris et cordis clausa diligentius, ne hostis introeat. Cito desidit januam, si patentem eam invenerit. At vero Christus pulsat, non dejicit, qui confortavit, o Hierusalem, seras portarum tuarum. Christus manu pulsat, ut aperias, adversarius securibus concidit ; et ideo scriptum est (*III Reg. VI, 7*), ne securis et malleus in

domum Dei intret. Foris debet esse superbia et fallacia, non intus. Foris enim pugnae, pax intus quæ supra omnem intellectum est. Non scindatur ferro anima tua : sed ut anima Joseph, ita anima tua ferum pertranseat ; ne principale tuum, velut quoddam tabernaculum Verbi, in ipso fidei principio et doctrinæ spiritualis diruatur ingressu. Fundatus enim usu atque exercitatione immobilis perseverat, nec locum dat ei qui in summum, quasi transfigurans se in angelum lucis, conatur ascendere ; qui si in nobis sua signa non viderit, auctoritatem resistendi habere non poterit. Ergo ne affligat nos inimicus, ne ossa nostra confringat, non deficiamus perseverare in Christo ut dicat de nobis : *Triduum habent quod perseverant mecum, et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via* (*Matth. xv, 32*). Beatus cui ipse dederit cordis firmamentum, ut deficere non possit in istius vitæ tramite constitutus. Non enim deficit qui sperat in Domino, atque ei intimo confitetur affectu ; quandoquidem etiam eques ille cujus equi calcaneum serpens momordit, etsi retro cecidit, deceptus tamen non est, quia salutem a expectavit a Domino.

CAPUT VIII.

David ab iniquorum causa suam discerni postulat, non autem Christus, quippe cui a Patre datum sit omne judicium. Merito Prophetam ob intestinos atque externos hostes turbatum instituisse, ut mature sibi divini auxilii lux affulgeret ; eum tamen futuræ redemptionis cognitione a Deo fuisse recreatum.

29. Tertia quoque Prophetæ interpellatio quod in medio hominum nequitiis exercentium constitutus, causam suam ab eorum contagio cupiat separari. Quod multi ad Dominum Jesum referendum putant, eo quod ipsius solius est non timere judicium, qui vincit cum judicatur. Habet enim a viro iniquo judicium, in quod volens Christus ingreditur, ut habes scriptum : *Populus meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te* (*Mich. VI, 3*) ? Cæterum cum omne judicium illi dederit pater, non quasi infirmo utique, sed quasi filio, quod potest ipse subire judicium ? Si judicium Patris arbitrantur Filio esse subeundum, Pater utique non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio ; ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Pater honorat filium, et tu dijudicas ? Hoc eo posuimus, ne quis nos arbitraretur **650** quasi metu questionis in locum Domini subrogare personam Prophetæ, cum sanctus David prævidens spiritu insurrecturos Judæos adversus Domini passionem, ^b judicium suæ fidei non pertimescat : discerni quoque causam suam a persecutorum gente deposcat ; ne malis generis sui et posteritatis hæredibus prosapia totius Judaici generis implicetur.

30. Non immerito ergo turbatur, qui videt sibi adversus carnem et sanguinem esse luctamen, atque restituimus.

^b Edit. ant., *Judicium Domini non pertimescit. Rom., suæ fidei judicio corroboratus non pertimescat. Mss. omnes ut in textu.*

^a *Expectavit a Domino.* His verbis enarrationem psalmi xlii concludit Rom. edit. ac subjecto titulo, et primo versu psalmi xlii novam enarrationem instituit. Nos vero mss. auctoritate cuncta priori formæ

in seipso sibi grave esse naufragium, in suo corpore tempestatem, quam sustinere non valeat, nisi cœlestis auxilium suffragetur. Nemo enim gravior homini hostis, quam domestici ejus: quid autem tam domesticum quam sibi homo, et suæ carnis infirmitas? Et ideo festinat Propheta, et toto precatur affectu, ut Christus adveniat fortitudo universorum, qui suscipiat omnes infirmitates, et faciat utraque unum, compugnantesque sibi mentis et carnis inimicitias, sublato solvat pariete, qui internum, quominus in concordiam conveniret, dividebat affectum. Ergo quia in se ipso sibi erat pugna, erat a proximis qui legis et æquitatis immemores laqueos fraudis et insidias præparabant, speratumque differre remedium; repulsum se arbitrabatur, quasi recusaret venire qui promiserat remedio se futurum. Et tanquam ab spe lucescentis diei in tenebrarum profunda revocatus, orabat ut squallorem hujus sæculi repulsura lux irradiaret, æterna adesset veritas, quæ fallacem imaginem mundi hujus aboleret.

31. Adfuit Deus votis, qui solet et improvisus assistere, et non rogantibus se manifestare, sicut ipse ait: *Palam factus sum non quærentibus me* (Esai. LXV, 4). Et piis astipulatus oratis, votorum seriem celeri prævenit effectu, subitoque in Ecclesiam et in tabernacula sua sanctum Prophetam deduxit in spiritu, atque ante oculos ejus sacrum altare constituit, in quo futura totius mundi esset redemptio, et universorum toto orbe remissio peccatorum.

CAPUT IX.

Prophetæ verbis significari Deum, qui ab hominibus propter eorum peccata fuerat aversus, eis postea per passionem Christi reconciliatum: ubi Deum hominum sacrificia aversatum, reconciliari tamen posse etiam Esaiæ testimonio confirmatur. Item ut in domum Dei ingrediamur, nos qui insularum instar, criminum fluctibus tumsi, naufragia patiebamur, multiplici ratione fuisse a Christo renovatos.

32. Videns ergo in spiritu illam dulcedinem sacramentorum cœlestium, illam mensam quæ repellit atterentium insidias, sicut ipse in superioribus dixit: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui conterunt me* (Psal. xxii, 5), ait: *Et introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* (Psal. xlii, 4). Pulchre dixit, quasi Adam, *Et introibo*. Ejecti enim eramus de paradiso Domini, ex quo Adam peccati sui conscius vultum Domini declinavit. Decore quoque addidit: *Et introibo ad altare Dei*, quasi in conspectu Dei rediret. Aversus enim erat a muneribus nostris, quando Cain parricida **651** illius munera non probavit. Latebat Cain alienus a Domini conspectu, furens effera vis animi, quod in fratris sui Dominus respexerat munera, in sua autem non respexerat, sub offensione proprios reliquit hæredes. Occiderat Abel non sibi, cujus et sanguis clamabat ad Dominum; sed occiderat omni-

Abus nobis. Nullius prope jam sacrificium probabatur; quia non erat qui faceret bonitatem, non erat usque ad unum, quando nec Deo fides, ^a nec fratris germanitati pietas reservata est. Venit Dominus Jesus ut resuscitaret Adam. Resuscitatus est et Abel, cujus munera placuerunt Deo. Obtulit semetipsum Dominus Jesus, id est, primitias corporis sui, in sanguinis aspersione melius loquente, quam sanguis Abel locutus est in terra. Respexit Deus in ejus munera, ex quo ipse reconciliationis divinæ gratiam bonis reliquit hæredibus. Recte igitur sanctus David, quasi ex persona reconciliati hominis ait: *Et introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

33. Astruamus hunc locum, si possumus, etiam alterius prophetæ exemplo, quemadmodum et hominis aversatus sit Dominus prius sacrificia, et postea sit eidem reconciliatus. Habemus in Esaiæ libro scriptum, dicente Domino: *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus. Plenus sum: (Esai. i, 11), id est abundo meis, vestra non quæro: holocaustomata arietum, et adipem agnorum et sanguinem taurorum et hircorum nolo, nec sic veniatis in conspectum meum. Et utique fetu pecorum obtulerat Abel sacrificium in quo placuerat Deo: sed typum non requirebat, qui expectabat sacrificii veritatem. Expectabatur enim passio Domini salutaris. Quis enim, ista requisivit de manibus vestris? Calcere regiam meam non apponetis* (Ibid. 12). Et infra. *Cum extenderitis manus ad me, avertam faciem meam a vobis... Sed lavamini, mundi estote, auferte malitiam ab animis vestris. Judicate pupillo, et justifyate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus* (Ibid. 15 et 16). Claret igitur quod et ante aversus sit Dominus a sacrificiis hominis, et postea reconciliatus, ut respicere in nostra sacrificia dignaretur.

34. Ideo ergo securus intrat, qui ad Domini ingreditur misericordiam. Denique bono servo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui* (Matth. xxv, 21). De servo autem nequam dicitur: *Tollite illum in tenebras exteriores* (Ibid. 30). Ideo et Adam dejectus de patria cœlesti et illa sede paradisi, in insulam peccati est relegatus. Recte ergo dicit Scriptura: *Renovamini, insulæ* (Esai. xli, 4). Quia peccatorum fluctibus, sicut insulæ in istius mundi freto circumvenimur. Istæ ergo insulæ per adventum Domini peccatorum remissione renovatæ sunt, id est, homines in lavacro, medii inter aquas quasi insulæ constituti, tundeantur undarum molibus sicut insulæ, sonoris peccatorum relidentibus fluctibus sicut insulæ, in quibus ante, velut fraudum scopulis, erant simplicibus crebra naufragia; quia dolus erat in corde, in ore blanditiæ. At vero postea quam Dominus **652** Jesus in quo dolus non est, adveniens in hunc mundum, cœlestis expositione doctrinæ humanarum profunda mentium serenavit, et tranquillitatem refudit affectibus singulorum, auferens sepe discordiæ, quasi

^a Edit., nec fratri germanitatis pietas; mss., nec fratris germanitati, etc.

quædam portuum cœpere^a appropinquantibus esse suffragia; ut unusquisque navigium suæ quietis in proximi aut fratris constituat affectu, et in recessu quodam piæ mentis hæreat littorali.

35. Non immerito ergo tanquam renovatus clamat David: *Et introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam*; ut qui suprase inveterasse inter inimicos suos dixerat, ut in sexto legitimus psalmo, hic ait juventutem sibi ex inveteratâ prolapsionis humanæ senectute renovatam (*Psal. vi, 8*). Renovamur enim per lavacri regenerationem; renovamur per Spiritus sancti effusionem; renovabimur etiam per resurrectionem, sicut in posterioribus dicit: *Renovabitur sicut aquilæ juvenus tua* (*Psal. cii, 5*). Quomodo renovemur, audi: *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal. l, 9*). Et in Esaia ait: *Si fuerint peccata vestra ut phœnicium, ut nivem dealbabo* (*Esaï. i, 18*). Recte renovatur, qui de tenebris peccatorum in lucem virtutum mutatur et gratiam: ut qui tetra prius colluvione sordebat, supra nivem albeni nimis fulgore resplendeat.

CAPUT X.

Ob superiora beneficia pollicetur David Deo se confessurum in cithara: qua occasione quæ cum cithara

^a Edit., *appropinquantibus esse suffragia*; mss. *suffragia*.

corpori nostro sit affinitas, et qualis illud sonus deceat, explicatur.

36. *Constebor tibi in citharâ, Deus meus* (*Ps. xlii, 4*). Habet citharâ suam anima nostra. Nequæ enim diceret Paulus: *Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor. xiv, 15*); nisi haberet citharâ, quæ plectro sancti Spiritus resuleret. Citharâ est carô nostrâ; quando peccato moritur, ut Deo vivat: cithara est, quando septiformem accipit Spiritum in baptismatis sacramento. Testudo enim dum vivit, luto mergitur: ubi mortua fuerit, tegmen ejus aptatur in usum canendi, et piæ gratiam disciplinæ; ut septem vocum discrimina numeris modulantibus obloquatur. Similiter caro nostra, si vivat illecebris corporalibus, in quodam cœno vivit et voragine voluptatum. Si luxuriæ moriatur atque incontinentiæ, tunc veram vitam resumit, tunc edere incipit honorum operum dulce modulamen. Dulcis sonus est castimonie: dulcis sonus timientium Deum: denique, *in omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal. xviii, 5*); dulcis sonus est fidei quæ annuntiat, ut scriptum est (*Rom. i, 8*), in universo mundo. Hic sonus a nobis exeat ad Deum, sicut exivit etiam a Thessalonicensibus (*I Thes. i, 8*); ut etiam non canentes canamus; et honorum concentu operum Dominum prædicemus, cui est honor, gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc et semper et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS.

DE INTERPELLATIONE JOB.

653 CAPUT PRIMUM.

Moveri plerosque etiam prudentes, cum prosperis hic affluere injustos, justos autem affligi viderint, quæ librorum sequentium materiâ est: ob eandem rem amicos Job ignaros divini consilii, eum propter admissa crimina pœnis affectum contendisse.

1. Superior nobis disputatio fuit de interpellatione sanctorum, quod fragilis et imbecilla conditio sit humana, quæ nusquam sui habeat firmitatem, nisi in protectione cœlesti: hodie nobis ea sumenda est, qua vulgus hominum, plerique etiam prudentium valde moventur; cum vident injustos affluere rebus secundis, justos autem frequenter affligi in hoc sæculo. Et vere lubricus hic locus, in quo etiam sancti vix potuerunt veræ opinionis tenere vestigium. Denique turbatus est et ipse David, qui in superioribus dixerat: *Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal. l, 8*). Verumtamen confirmavit se ipse postea, et perfectæ rationis viam investigavit. Job quoque sanctus cum tribus illis veteribus amicis qui ad consolandum venerant, de ea opinione in sermone luctatus est (*Job iv et seq.*). Utriusque igitur disputationes in medium proferamus. Digni sunt enim qui nobis ma-

gisterium vivendi afferant; quando quidem in adversis positi, plus Deo placere meruerunt. Audiamus igitur utrumque suo ordine.

2. Increpuerant vehementer sanctum Job Eliphaz Themanorum rex, et ^a Baldad Sauchæorum tyrannus, et Sophar Minæorum rex, eo quod propter peccata sua tantum supplicii sustineret. Infirmo etenim ingenio non advertebant quod Dominus eum tentandum dedisset; ut athleta Christi tentationibus eruditus, majore ad coronam gloria perveniret. Non videntes itaque tantum sapientiæ sacramentum; angusti cordis timore, ne viderentur injustitiæ Deum arguere qui pœnis affici innoxium perpeteretur, in sanctum Job pœnarum merita retorquebant; dicentes quia omnis vita impii in sollicitudine (*Job xv, 20*), et divitiæ injuste congregatæ evomentur (*Job xx, 15*); omnia quæ patitur homo gravia in terra, propter peccata sua eum perpeti: qui etiam si in rebus prosperis sit, perpetuari ei secunda non posse, et tamquam somnium cito evanescere, et non invenitur locus ejus; lætitiâ autem impiorum esse graviores ruinam (*Ibid. 5*); ideoque etiam sanctum Job a prosperis in adversa mutatum, delictorum suorum

^a Edit. vet. cum cod. Vat., Torn. et Vict., *Baldach Saitheorum tyrannus, et Sophar Naamatenorum rex*. Rom. et alii mss. *Baldad Sauchæorum tyrannus, et*

Sophar Minæorum rex. LXX interpr. *Βαλδὰδ Σαυχάϊων τύραννος, Σωφάρ Μειναιῶν βασιλεὺς*.

pretio ex summis in ultima corruisse : labi eum qui A se assereret innocentem ; cum portio impii hujusmodi sit, ut superveniens in eum a Domino indignatio jungat ei dolores, et interitus domum ejus involvat (*Ibid.* 28 et 29).

654 CAPUT II.

Job infirmum sanis amicis et se ipso etiam fortio- rem exstitisse. Quomodo conviciatores suos redarguerit? ubi præsertim silentium ejus, nec non Davidis quoque, atque Apostoli nobis proponitur ad imitandum.

3. Audiebat hæc sanctus Job, et quasi athleta fortis in stercore sedens, in tantis viliibus et sævi doloribus vulneris, totum corpus diris perfusus ulceribus, mysteria loquebatur, nec acquifendis propriæ remediis ægritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Fortiores itaque sermones ægri hominis, quam illorum qui non ægrotabant. Illi enim loquebantur injustitias, sed non secundum scientiam : prædicabant divina judicia, pœnas reorum, præmia sanctorum ; sed reum a justo discernere nesciebant : denique quem Dominus Deus justum pronuntiavit, eum condemnabant injustitiæ, arcessebant iniquitatis. Ignorabant ergo quid unicuique conveniret. At vero sanctus Job discernebat spiritu quomodo cuique eum oporteret loqui ; fortior ergo quam illi qui sani et incolumes videbantur. Et quid dico fortio- rem inventum cæteris? Fortior se ipso inventus est. Fortior enim erat æger Job, quam sanus fuerat, secundum quod scriptum est, quia *virtus in infirmitatibus consummatur* (II Cor. xii, 9). Ergo et Job cum infirmaretur ; tunc validior erat. Non enim ægrotabat animo, etsi C doleret corpore : quia non erat in carne anima ejus, cujus passionibus non adhærebat ; sed in spiritu, cujus virtute se texerat.

4. Ideo ergo non carnis gemitus et corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur quibus urgeret, non quibus cederet. Et primo quidem lenius, ut illis pudorem incuteret ; quia urgebant justum injuste dicentes quod minora peccatis suis supplicia sustineret, et non erubescabant ipsi peccatores falsis accusare innocentem. Esto, inquit (*Job* xix, 4 et seq.), ego erraverim, et apud me^a devius ille inhabitet qui mentibus hominum offundit errores ; ut loquar sermones quos non oportet, sicut vos dicitis, et errent verba mea, nec opportunè sermo meus promatur : cur vos in me insilitis et conviciamini, non D considerantes quia a Domino mihi venit ista tentatio, qui me vallo quodam perturbationum arbitratus est sepiendum. Exerceor adversis, circumvallatus undique laboribus et periculis ; et insultatis adhuc, vo-

^a Cod. Torn. et Vict. cum edit. Am., *Deus illè... offendit* (Am. ostendit) errores. Melius alii mss. et edit., *devius ille*, etc. Est autem *devius* idem ac *vagus* atque *erro*, hoc est, diabolus qui lib. Job c. 1, vers. 7, de se dicit : *Circuivi terram et perambulavi eam*. Vox tamen *πλάγος* quæ hic Ambrosio idem significat ac *πλάγος*, ab aliis redditur per vocem, *error*, aut *ignorantia*. Et certe in multis exemplaribus loco ejus habetur, *ἀπόρημα* ; et vulg. edit. legit : *Nempe etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea*.

lentes opprimere quem deberetis juvare. Ecce rideo in opprobriis, et non loquar, nec respondebo conviciis vestris. Non enim vos estis qui judicatis : sed qui judicat me, Dominus est ; et ipsius tamen judicii tempus nondum advenit. Quid opus clamare ante judicium? **655** Bonum est tacere dum expectatur qui judicat. Bonum est convicium convicio non referre, ne et nos inter detrahentes annumeremur.

5. Imitemur ergo hunc virum, qui silentio suo redarguebat conviciantes. Ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumeliæ non moverent : et conscientia innocentiam manifestabat, qui objecta non recognosceret, sed quasi a se aliena rideret. ^b At vero nos quasi aliquid nobis objiciatur, dum purgare volumus, acerbamus : dum ulcisci cupimus, contemur ; cum dicat Scriptura ul avertas dedecoris sermonem (*Prov.* xxvii, 11), et auferas vestimentum tuum (*Ibid.* 13) ; præterit enim injuriosus. Taceamus ergo, ut præcreat, ne vestimentum nostrum provocatus exurat. Scriptum est enim : *Noli incendere carbones peccatoris, ne forte exuraris in igne flammæ ejus* (*Eccli.* viii, 13). Propterea ergo sanctus tacet ; et si servus protervit, et si pauper conviciatur, tacet justus : et si peccator opprobria jacet, justus ridet : et si infirmus maledicit, justus benedicit.

6. Tacebat David cum Semei filius Gera malediceret, Job ridebat, Paulus benedicebat, sicut ipse ait : *Maledicimur, et benedicimus* (I Cor. iv, 2). Magisterio quippe divino processus humanæ virtutis excrevit ; quia jam venerat qui ex infirmioribus faceret fortiores, et audierat dicentem : *Benedicite maledicentes vobis, et orate pro calumniantibus vos* (*Luc.* vi, 28). Quod verbo dixit, exemplo probavit. Denique et in cruce positus de persecutoribus suis conviciantibus sibi dicebat : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii, 34) ; ut oraret pro calumniantibus, quibus poterat ipse dimittere. Job ergo ridebat, quia nondum venerat Christus, cui soli servabatur magnarum prerogativa virtutum ; quia ipse est virtutum principium, sicut dixit : *Dominus creavit me principium viarum suarum* (*Prov.* viii, 22).

CAPUT III.

Job verborum certamine, quo non aliud fere difficilius, victor renuntiatur. Quam pulchrum sit ridere ac tacere in objectis criminationibus ; et quemadmodum post responsum lenius, idem fortioribus verbis impertunius calumniantes repulerit.

7. Et ridens tacebat. Qua ratione tacendum sit, docet : *Clamabo, et nondum^c judicium* (*Job* xix, 7

^b Edit. Era., Gill., Rom., *At vero si nobis aliquid objiciatur, dum nos purgare volumus*, etc. Verum nobiscum faciunt edit. Am. et mss. omnes. Et hæc quidem germana lectio est, cum opponatur hisce verbis : *Sed quasi a se aliena rideret*. Is itaque loci sensus est ; Job in se dicta, quasi aliis objiceretur ; ridere ; nos vero convicia, non quasi aliis, sed quasi nobis objiciantur, moleste terre.

^c Rom. edit. sola, *judicium*. *Ipse, inquit, Dominus turbavit me ; hoc est, ipse Dominus voluit*, etc.

et 8). Ipse, inquit, voluit me hæc perpeti. Tamquam muralibus tentationibus clausus non possum fugere, donec placeat Deo destruere altitudines tentationum mearum. Nunc enim si clamo, nondum iudicium. Adhuc in agone sum, adhuc luctor, adhuc certamen superest mihi, nondum enim exivit corona. Nemo autem nisi qui legitime certaverit, coronatur.

8. Debeatur illi certamen tertium : amiserat omnia sua, id est, patrimonium cum filiis : patiebatur vulnera caro ejus : manebat ut tentationes verborum vinceret. Non mediocre certamen. **656** Ser-mone deceptus est Adam, verbo victus Samson. Nihil enim sic penetrat animam sicut sermo fucatus : nihil iterum sic mordet, ut durior sermo. Multi cum vice-rint adhibita tormenta, sermonum duritiam non sustinuerunt. Laborabat Job, sed sustinebat, et ver-**B**borum juxta vulnerum onera portabat. Vidit eum ago-notheta suus, de nube et turbine manum laboranti dedit, et obluctantes gravi lapsu cecidisse pronun-tiavit, victorem asseruit, coronam detulit.

9. Quid autem pulchrius, quam ridere cum ma-ledicitur nobis? Gaudere enim debemus si aliena di-cantur. Primum, quia volens inimicus aliquid adver-sum nos dicere, quo crimen affigeret, non invenit quod verum est, sed falsa pro veris composuit. Deinde, quia dixit ipse Dominus in Evangelio de hu-jusmodi criminatione quæ innocentibus falso irroga-retur propter justitiam : *Gaudete et exultate, quo-niam merces vestra multa est in cælo (Matth. v, 12)*. Tacere ergo debet qui recognoscit objectum; ne vul-nus exasperet, et scindatur cicatrix : tacere et qui **C** non recognoscit; audit enim alterius, non suum cri-men : quod si referat, suum facit : si taceat, retor-quet, et conviciantem vulnerat. Tacere debet etiam ille qui de memorata mercede præsumit. Non enim patitur præjudicium, cui non est iudicium. Et si fue-rit præjudicium in sæculo, non erit in iudicio Dei. Denique ut cognoscas quia non præjudicat contume-lia bonæ conscientiæ, audi sanctum Job dicentem, locupletiore[m] utique testem quam si imperio orbis Romani potitus esset : *Nunc obmutescam et derelin-quam : si nunc mihi præjudicium est, tunc a facie tua non abscondar (Job xiii, 19 et 20)*.

10. Hæc ergo parcus in exordio respondit, ut ad-moneret illos iudicii Dei, atque ab insolentia et fu-rore revocatos quasi bonus medicus faceret resipi-scere. Sed posteaquam eos advertit perseverare in **D** contumeliis, plura fortior repetivit, et tamquam pugno eos validiore percussit, qui verborum suorum saxis lapidabant innoxiam. *Audite, inquit, audite verba mea, a non sit mihi a vobis consolationem quærere : portate me, quia fortiora loquar : grave erit pondus verborum*

^a Rom. edit., *ut sit mihi a vobis hæc consolatio ; alia et mss. omnes, non sit mihi a vobis consolationem quærere. LXX autem, ἵνα μὴ ἦ μοι παρὰ ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἡ παράκλησις. Attamen quædam exemplaria negationem prætermittunt, ut docet Nobilius ad hunc locum.*

^b Edit. vet. ac mss. duo, *et videtur hoc sæculum peccatorum merito deseri : alii tres.... merito deferri. Rom. edit., et videntur secundum hoc sæculum pecca-*

meorum (*Job xxi, 1 et seq.*). Dicam et ego secun-dum opinionem vestram; eo quod multi abundant in hoc sæculo rerum secundarum successibus, et alii gravantur. In ærumna positi sunt, ^b et videtur hoc secundum peccatorum merito deferri. Quod et si di-cam, nolite ridere quasi vobis acquievero; et si pec-cator sum, non sum homini reus, quia sub peccato est et ipse qui iudicat, et sibi in me potestatem vin-dicat. Aut si iudicor quasi homo, commune est istud, increpari non debeo : infirmitas conditionis est, non specialis improbitas.

657 CAPUT IV.

Amicos mala semper delictorum causa evenire asseren-tes retundit Job, interrogando cur impii hac in vita bonis affluent; quæ tamen vera mala esse ostendun-tur. Ibidem quis vere beatus habendus sit : tum quis bene vel male seminet : tum qualis injustorum poste-ritas ; quove discrimine hi flagellis immunes, justi eisdem dicantur obnoxii? Denique impios non æ-ternitate, sed falsa ejus imagine potiri demonstratur.

11. Sed dicite mihi : Si propter peccatum meum hoc patior, sicut objicitis, quare impii vivunt? Nec solum vivunt, sed etiam repleti sunt divitiis, et fructus multiplicant : sed etiam filiis potiuntur, abun-dant domus eorum? Hæc evidenter specie bona : sed altiori mysterio invenies, quoniam quæ putantur bona, non sunt bona; et quæ putantur mala, potiora illis æstimantur.

12. *Inveteraverunt, inquit, in divitiis (Ibid. 7) ; πε-παλαιονται, dixit; ut non tam diuturna divitiarum pos-sessio, quam inveterata copiarum molestia significa-ta videatur; sicut vidit Ecclesiastes divitias custodiri in malum possidenti eas, quæ pereunt in summa districtione ac sollicitudine (Eccle. v, 12). Pereunt enim quæ hic relinquuntur, et mortuo prodesse non possunt. Habuit igitur defunctus ex illis sollicitudi-nem, requiem invenire non potuit, qui reliquit quod erubesceret, nec secum abstulit quod teneret, longe dispar ab eo de quo scriptum est : *Beatus homo qui replevit desiderium suum ex his; non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta (Psal. cxxvi, 5)*. Cui hæreditas Dominus est, et merces ex Mariæ Virginis partu : hic in exitu sapientiæ laudibus prædicatur, quoniam non habuit quod erubesceret, qui nihil eorum quæ sunt sæculi concupivit : sed adversarium, depositis veteris hominis exuviis, telo continentia vulnerati; ut obstrepere ei in hujus vitæ fine non posset, vulnere claudus, et virtutum admira-tione confusus. Habes ergo non esse laudabilem, qui inveteratus in pecuniæ cupiditate sit, non reno-vatus in perceptione gratiæ.*

13. Videamus aliud : *Semen eorum, inquit, secun-dorum merito deseri. Cod. Viet. ac Thuan., et videtur hoc secundum peccatorum merito deferri. Commode : superiori enim phrasi instituta sunt duo orationis membra, primum eorum qui prosperis abundant suc-cessibus : secundum eorum qui gravantur et in ærumna sunt; hoc autem secundum, nempe gravari, et, in ærumna esse, videtur merito deferri pecca-torum.*

dam animam (Job. xxi, 8), id est, non inter justos habentur. Justi enim in spiritu seminant, et de spiritu metent vitam æternam: illi vero qui secundum animam seminant, spiritualia metere non possunt; quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim illi est, et non potest scire quæ sunt spiritus; et ideo non repletur spiritualibus. sed judicatur.

14. *Filii eorum in oculis* (Ibid.) id est, quæ faciunt ideo faciunt, ut videantur ab hominibus, non quia boni consulant ut hoc eligant, quod futuro judicio comprobetur. Filios ergo Scriptura pro operibus frequenter declarat, eo quod locupletior in bonis factis quam in filiis sit nostra posteritas. Unde et Ezechias de gravi ægitudine liberatus, *Ex hodierno*, inquit, *filios faciam qui nuntiabunt justitiam tuam, Domine Deus salutis meæ, et non cessabo te benedicens cum psalterio omnes dies vitæ meæ* (Esai. xxxviii, 19 et 20). Bona enim posteritas devotionis et fidei, quæ captivitate nec civit succumbere, quam filii Ezechie pertulerunt.

658 15. Et addidit dicens: *Quia non est illis timor, non est flagellum a Domino* (Job xxi, 9). Justus autem dicit: *Quoniam flagellatus sum tota die* (Ps. lxxii, 14); et optat flagellari, ut recipiatur a Domino: et vult timere Dominum; quia timor Domini initium sapientiæ est. Nec beatitudinem putat, si non abortit bucula sua (Job xxi, 10). Sicut putant stulti. Per bovem enim quid significatur, nisi ruralis culturæ labor, qui semper redit in orbem; et nunquam desinit, sed cum expleri videtur, revocatur in exordium? Isti sunt qui colunt Sodomam et Gomorram. Ergo qui colunt Ægyptum, glebasque terrarum aratro quodam solidæ mentis invertunt, laborem sibi pariunt, et dolores metant. Ideo bucula eorum non abortit; sed parit, ut augeatur labor eorum et quæ conceperunt omnia, generant sine timore Dei. Justo autem longe aliter gloriantur. Non enim in abundantia divitiarum, nec in partu pecorum; sed in Domino gloriantur dicentes: *De timore tuo in utero accepimus, et parturivimus spiritum salutis* (Esai. xxvi, 18). De justis ergo dicitur; quia spiritum salutis generaverunt, quem acceperunt de timore Dei, non de malitia hujus sæculi, de qua legimus: *Ecce parturivit injustitiam, concepit laborem, et deperit iniquitatem* (Ps. vii, 15). Melior ergo abortus quam partus sæcularium. Denique de homine qui in hoc sæculum venit, et vanitatem mundi hujus et tenebras pertulit longævitate diuturna, Ecclesiastes pronuntiavit quia melior illo abortivus (Eccl. vi, 3). Huic enim requies magis quam illi; quia non expertus est varietatem sæculi, in qua et si mille annos quis vixerit, quod bonum est videre non potuit. Fugisse ergo hæc magis est gratiæ, quam subiisse.

16. Sed fortasse illud moveat quod adjunxit: *Quia manent sicut oves æternæ; pueri autem eorum ludunt accipientes psalterium et citharam, et delectantur voce psalmi. Consummaverunt autem in bonis vitam suam,*

^a Rom. edit., *si obviamus ei*; aliæ cum mss. omnibus, *si observemus eum*.

in requie autem inferni dormierunt (Job xxi, 11 et seq.). Distingue hæc, et quia spiritualis es, dijudica. Impii sicut æterni sunt, non æterni; quia non possunt æternitatem accipere ab eo qui non sit æternus. Non ergo potest dare quod non habet, nec potest illuminare qui non possidet lucem: sed transfigurat se in angelum lucis, ut decipiat incredulos. Transfigurat autem se simulatione falsæ lucis, non splendore perpetuæ claritatis. Unde et Salvator ait: *Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cælo* (Luc. x, 18). Nec fulgur est, sed sicut fulgur. Considera hæreticum aliquem intentum abstinentiæ corporis, et cognitioni cœlestium sacramentorum, sicut æternus putatur, non habet æternæ vitæ stipendium; quia falsam habet imitationem, qui fidei non habet veritatem. Hujus parvuli ludunt, sicut illa quæ cum luxuriata fuerit, nubere vult. Luxuriata est in psalterio et cithara, id est, in sono vocis, non in sacramentorum profundo; ut labiis resultaret, non in corda conferret.

659 CAPUT V.

Impios in bonis sæculi finire vitam, at postea requie cœlesti carere: contrarium vero nobis optandum; quod in prosperitate sit illecebra vitiorum ac impunitatis præsumptio. Hanc amentiam revincit sanctus vir supplicium et præsens et æternum præparatum esse declarans. Tum enumeratis eorum sceleribus ipsa Deo latere non posse ostendit: quæ sit eorundem portio, describit; atque ad sapientiam quam illi deseruerunt, sectandam nos adhortatur.

17. Hujusmodi itaque in bonis sæculi consummaverunt vitam suam (Job xxi, 13), hanc utique quam vivebant, non illam cujus mercedem sperabant; et ideo in requie inferni dormierunt, non in requie cœlesti. Nos autem oremus hic potius laborem subire, ut in regno cœlorum consolationem quietis æternæ mereamur adipisci. Magna enim illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum: in superbiam extollit, oblivionem auctoris infundit. Considera illum divitem in Evangelio (Luc. xvi, 19 et seq.) super ostrum et purpuram recubentem, cujus de mensa micas justus ille pauper Lazarus colligebat. Nonne tibi videtur dives ille ad Deum dicere: *Discede a me: vias tuas scire nolo* (Job xxi, 14). Et vere nolunt scire hujusmodi vias Domini; si enim vellent, cognoscere. Sed quia plenæ sunt laboris, fugiuntur et declinantur a perditis. Quasi ebrius itaque non recognoscit salutis auctorem (Esai. xxii, 15). Denique conversus ad compotatores suos: *Manducemus, inquit, et bibamus: quid enim prodest si serviamus ei? Aut quæ utilitas si observemus eum* (Job xxi, 15)? Hæc itaque dicit sæcularium abundantia rerum temulentus; quia non continuo in sæculo scelerum merita rependuntur. Supinabatur enim, quia in manibus ei ad voluptatem omnia suppetebant: et conscius impietatis suæ cujus poena sequestrabatur, putabat quod Deus impiorum scelera non videret.

18. Huic ergo ^b opinioni ejus respondit sanctus

^b Rom. edit., *stultitiæ ejus respondit*. Et infra, *sollet venire rerum subversio*.

Job : noli esse securus ac dissolutus æstimans quod ad te in hoc ipso sæculo Domini flagella non veniant.

Verumtamen etiam impiorum lucerna exstinguitur (Job xxi, 17 et seq.) : ad tempus lucet, non habet lumen æternum ; et ipsis quamvis sæculum faveat, quia ejus qui principatum habet in hoc sæculo, faciunt voluntatem, solet venire rerum conversio, et dolores ab ira et indignatione coelesti, ut ventilentur, sicut paleæ a vento. Injusti sicut paleæ ventilantur, justi sicut triticum. Denique audi dicentem Petro Dominum : *Ecce satanas expetivit vos, ut ventilet sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (Luc. xxii, 31 et 32)*. Deficiunt illi qui sicut paleæ ventilantur : non deficit qui ad similitudinem illius grani est, quod cecidit et resurrexit, plurimorum fructuum accessione cumulatum. Ideo dicit Propheta : *Heume quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe (Michæ. vii, 1)* ! Stipulæ igitur quæ cito exurit, impietas comparatur, et pulveri. Ideo postquam dixit : *Erunt sicut paleæ a vento*, subtextit versiculum **660** statim dicens : *Aut sicut pulvis quem abstulit ventus (Job. xxi, 18)*. Denique ut cognoscas quia impius sicut pulvis cito fatiscit atque evanescit, habes in primo psalmo dictum : *Non sic impii, non sic, a id est, non sicut justii : sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.*

19. Et facit discretionem inter justum et impium. *Hic, inquit, moritur in^b simplicitatis suæ potentia, totus in abundantia et gratia : interiora autem ejus plena sunt adipis : medulla autem eorum supereffluit. Ille autem conficit in amaritudine animæ suæ cursum vitæ istius, nihilque boni epulatus finem accipit (Job xxi, 23 et seq.)*. Cui pro meritis suis quid potest dignum representari ? In sepulera inducitur, et in tumulo vigilat suo. Ne hæc quidem pœna mediocris ; mortis requiem non habere, deferri eum non ad terram viventium, sed ad tumulos mortuorum. Qui vivit enim non inter mortuos quæritur, sed in Abraham sicut vitam carpit æternam. Ideo viri illi duo in veste fulgenti dicebant ad mulieres : *Quid quæritis viventem cum mortuis ? Non est hic (Luc. xxiv, 6)*.

20. Deinde (*Job xxiv, 2 et seq.*) enumerat scelera impiorum, quod confinia transcenderent, et cum pastore diripuerint gregem, ^c subjunctorium pupilli abduxerint, pigneraverint bovem viduæ, agrum demessuerint non suum, infirmi autem in vineis eorum sine mercede et cibo operati sint, detractis vestimentis nudos fecerint dormire. Plerique quorum animæ operimentum ademerint, stillicidiis humescebant montium ; et quia integumentum deerat, petra sese operiebant. Rapiebantur pupilli ab uberibus matrum

^a Id est, non sicut justii, hæc verba in Rom. edit. resecata fuerant.

^b Rom. edit., in stultitiæ suæ potentia.

^c Subjunctorium, id est subjugale. LXX, ὑποζύγιον ὀρφάνων ἀπήγαγον. Vulg. autem, Asinum pupillarum abduxerunt.

^d Sic edit. vet. et cuncti mss. excepto Dion. ubi legitur, disciplina ejus stravit cetum maris. Rom. edit. huic accedit, sed vocem maris omittit cum LXX, apud quos ἐπιστήμη δὲ ἔστρωται τὸ κῆτος. Symmach.

A suarum, lapsi opprimebantur, qui magis erigi debuissent. Esurientes fraudabantur cibo, et anima infantulorum graviter ingemiscebat.

21. Numquid hæc ignorare potuit, quem nihil præterit ? *Nuda inferna in conspectu ipsius, et non est amictus nequissimis (Job xxvi, 6 et seq.)* ; quia latere non possunt. *Extendit Boream pro nihilo : suspendit terram in nihilo, alligans aquam in nubibus suis, et non est rupta nubes sub pedibus ejus : columnæ cæli dissiluerunt, et timuerunt ab increpatione ejus. Virtute compescuit mare, a disciplina autem stravit cetum maris. Claustra cæli reformidant eum : præcepto mortificavit draconem prævaricatorem. Virtutem tonitruum ejus quis intelligit ? In tantis ergo flagitiis quæ spes impio est ? Numquid si confidit in Domino salvabitur ? Dicam, inquit, vobis quid sit in manu Domini ; et desinite inani- bus inania addere (Job xxvii, 8 et 11)*.

22. Et describit quam miserabilis impiorum portio sit. Quod etsi plures habeant lilios, sine posteritate sunt, quibus deest honorum meritorum successio (*Ibid. 14 et seq.*). Illa enim vera posteritas, quæ non terris, sed in cælo est. Hujusmodi ergo viris hæreditas inopia est, et mors successio. Cum divitias coacervaverint, mendicabunt ; ^e quia cum mortui fuerint, indigebunt, qui requiem invenire non possunt. Viduas eorum nemo miserabitur : sed manebunt deserti, atque omnis copulæ solatio destituti. Etsi congregetur pecunia sicut terra, atque ut lutum præparatum fuerit aurum, **661** inanis erit sicut aranea substantia eorum, et omne nominis eorum patrimonium tamquam a tineis consummabitur. Dormiens dives nihil adjiciet, aperuit oculos suos, et jam non est (*Job. xxviii, 1 et seq.*). Permanet in doloribus. Nihil ergo sunt omnia quæ in hoc mundo sunt. Aurum in metallis, argentum in metallis : de metallo eruitur, et in metallum revertitur. Quid enim aliud nisi metallum est mens avari ? Quæ tamquam defossum tenet quidquid receperit, et in venis terræ ac latibulis abscondit ; eo quod uti nesciat. Quotidie aurum de metallis promitur : de avaro proferre quis potuit ?

23. Cum igitur nihil prosit vana fames auri, quia quidquid congregaverit, labitur ; miserandi profecto qui deseruerunt viam justam, et oblitii **662** sunt eam, cui pretiosi lapides haudquaquam sunt comparandi, difficilis investigatu, impervia superbis, interclusa jactantibus : humilioribus plana, aperta sapientibus. Et ideo sapientiam debemus quærere, ut ambulemus in viâ justa, per quam adversarius ille sicut leo rapiens et rugiens, qui percucurrit huic mundum, transire non potuit. Sed qui sapientiam

συγκλῆ ἀλαζονείαν. Vulg. ab hoc non multum distans præfert, et prudentia ejus percussit superbum.

^e Rom. edit. quia cum superstites fuerint, indigebunt, et morientur qui requiem, etc. Et infra ubi eadem ac Gill., deserta.... destitutæ Am., Era. et mss. nobiscum, deserti.... destituti. Quod etiam explicari non incommode potest. Quidni enim liceat mortuos dicere in viduis suis desertos ac destitutos, quibus solatio esse in Lege veteri putabatur, si quis maxime consanguineorum easdem in uxores duceret.

vult investigare, non in abyſſo eam quærat (ſicut philoſophi, qui arbitrantur quod ipſi ſua ſponte, ſuo ingenio profunda ejus poſſint cognoscere), non in mari eam requirat. Etenim ubi tempeſtas, ubi pro-

cella venti eſt, non poteſt ibi eſſe ſapientia. Sed ibi quærat, ubi eſt tranquillitas mentis, et pax quæ ſuper omnem intellectum eſt.

LIBER QUARTUS.

DE INTERPELLATIONE DAVID.

661 CAPUT PRIMUM.

David frequenter de ſæculi vanitate diſſeruiſſe in psalmis, ſed maxime in LXXII, ubi ſe ob improborum proſperitates, et calamitates proborum graviter initio commotum eſſe, ac tamen poſtea correctum ſignificat. Uter ejusdem psalmi auctor David nimirum, an Aſaph dicendus videatur.

1. ^a Decurſa eſt interpellatio ſancti Job: nunc adoriamur eam interpellationem quam reperimus in psalmis. Ipſe quidem David pluribus locis de ſæculi vanitate non tacuit, et inania eſſe quæ putantur bona iſtius mundi, frequenter aſſeruit, et maxime in psalmo trigesimo octavo, in quo dicit: *Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens (Psal. xxxviii, 6);* et quamquam in imaginem Dei ambulet homo, tamen vane conturbabitur, theſaurizat, et ignorat cui congregat ea. Et alibi: *Uſquequo peccatores, Domine, uſquequo peccatores gloriabuntur (Psal. xciii, 3)?* Quod hic habeant umbratilem gloriam, ubi de ſæculo exceſſerint, fructum conſolationis invenire non poſſint. Idem tamen inſeruit psalmum ſeptuageſimum ſecundum, in quo ipſe ſub Aſaph nomine proteſtatur quod ejus fuerit principium prolapsionis; ut non mediocri dolore perſtrictus ſit, cum videret peccatores in hoc mundo affluere divitiis, abundare rebus ſecundis: ſe autem, qui juſtificaverit cor ſuum, eſſe in afflictationibus et arumnis: nec mediocrem traxiſſe offenſam in exordio; ſed poſtea per Domini flagella correctum, et illuminatum divinæ cognitionis gratia veræ didiciſſe ſeriem traditionis.

2. Nusquam autem invenio ſanctum Aſaph aliquibus adverſis fuiſſe vexatum: at vero ſanctus David plurima gravia et periculorum plena toleravit, de ſuis enim laboribus dicit. Unde et psalmus **662** non quaſi ſancti Aſaph, ſed quaſi ſancto Aſaph, ut docet titulus, ſuperscribitur, quod ex græco Psalterio apertius manifeſtatur, ut videatur David etiam huic Aſaph ſicut et aliis, canendum, quem ſcripſerat ipſe psalmum dediſſe. Sed quia ſcriptum eſt in ipſo titulo, defeciſſe psalmos David, quomodo autem deſe-

^a Edit. Rom. ad calcem in libri Interpell. quem nuncupabat, tranſtulerat has voces, *Decurſa eſt interpellatio ſancti Job;* et omiſſis ſequentibus uſque ad iſtas, *Ipſe quidem,* totum hunc librum rejecerat inter enarrationes psalmorum ſub titulo enarrationis in psalmum LXXII.

^b Edit. omnes, ac mss., *inſcriptionem comprehendit;* exceptio Thuan. ubi habes, *inſcriptio comprehendat;* forte lapſus eſt librarii in voce *inſcriptio,* niſi dicamus appoſitionem ſeu potius ellipſim eſſe. Hoc autem loco videtur id Ambroſius ſignificare, poſt decem ſubſequentes psalmos, quorum omnium titulus

runt, cum decurſis hiſ decem psalmis, poſtea psalmus David titulorum ^b inſcriptionem comprehendat uſque in ultimum finem? Ideo ſequeſtrata hujusmodi definitione, quæ ſit psalmi ſeries conſideremus, et a primo verſiculo interpellationis prophetiæ ducamus exordium.

CAPUT II.

^B *Ex ipſo psalmi exordio correctionem Davidis apprehendi: Deum juſtis ſemper bonum eſſe, eo quod ſi vexentur adverſis, futuræ remunerationis ſpe recreantur, et ſe ſemper peccatis minora pati exiſtimant, nec ullis pœnis ſua ſpoliari poſſunt ſapientia: bonum tamen etiam improbis eſſe Deum, ſed eos nolle paratam omnibus illius bonitatem experiri.*

3. *Quam bonus Deus Israel rectis corde (Psal. LXXII, 1)!* Elucet in principio emendationis profectus. Nemo enim poteſt Deum bonum vere fateri, niſi hic qui non ex ſucceſſibus commodorum ſuorum, ſed ex cœleſtium myſteriorum profundo, et divinæ diſpoſitionis altitudine bonitatem ejus agnoſcit: quæ non ſpecie præſentium, ſed futurorum utilitate penſanda eſt. Juſto itaque ſemper bonus eſt Deus: et cum torquetur doloribus corporis, et cum affligitur acerbitate pœnarum, ſemper dicit: *Si bona accipimus de manu Domini, quæ mala ſunt cur non ſustineamus (Job. ii, 10)?* Gratulatur hic ſe conteri, ut in futurum conſolationem invenire poſſit; ſciens quoniam qui bona receperit in hac vita, habet mercedem ſuam; futura præmia ſperare **663** non poterit, qui non luctatus, non exercitatus ſit diverſorum certamine præliorum. Qui vero ſive juſte ſive injuſte afficitur in hoc ſæculo, gratulatur vel quod hic ſolvat pretia delictorum ſuorum, vel quia novit eam eſſe apud Deum uberioſam gratiam, ſi injuſte pro ejus nomine, aut pro bono aliquo opere acerba aliqua patiatur, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Quia nulla eſt gloria ſi peccantes punimini et ſufferis, ſed ſi beneficientes, et patientes: hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis, quia et Chriſtus pro vobis mortuus eſt, relinquens vobis exemplum, ut ſe-*

*eſt. Ipſi Aſaph, ruruſ uſque ad Psalterii finem ſubinde aliquos occurrere, qui inſcribantur, psalmus David; niſi malis, uſque in ultimum finem, idem hic eſſe, ac in finem, quæ verba psalmis non paucis præſiguntur. Porro quod inſoluta relinquitur ea difficultas, non mirabitur qui cum Auguſtino in psal. cv. num. 1, intellexerit, quam ſit arduum omnium arcana titulorum penetrare. Sed hoc imprimis psalmi de quo agimus titulo congruere idem Doctor ſatis teſtatur, cum poſt myſticam ipſius interpretationem iſta ſubjungit: *Perculoſum, inquit, locum tituli psalmi præſentis, ſicut Dominus voluit, prætervecti ſumus.**

quamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : qui cum malediceretur, non remaledixit : cum pateretur, non comminabatur (I Pet. II, 21 et seq.). Ergo justus etiam si in equuleo sit, semper justus est ; quia justificat Deum, et minora se peccatis suis dicit sustinere : semper sapiens est ; non enim aufertur equulei tormentis vera perfectaque sapientia : non amittit quod est ; quia timorem excludit foras, studio et proposito charitatis : novit ut sapiens dicere, quia indigna sunt quæ in hoc corpore sustinemus remuneratione futuræ gloriæ ; et omnes hujus temporis passiones superventuram mercedem æquare non possunt. Bonus igitur huic semper est Deus, qui novit quo tempore metat. Et ideo quasi bonus agricola hic arat agrum suum quodam abstinentiæ rigidioris vomere : hic stirpat quadam falce virtutum amputatrice vitiorum : hic stercoreat humiliando se usque ad terram, sciens quia Deus de terra suscitatur inopem, et de stercore erigit pauperem. Denique Apostolus Paulus nisi æstimatus esset stercorea, numquam Christum sibi potuisset acquirere. Hic custodit fructus suos, ut illic securius recondat. Semper itaque ei bonus est Deus, quia semper quæ bona sunt, de Deo sperat.

4. Accipe aliud : *Quam bonus, inquit, Deus Israel rectis corde !* Non ergo omnibus bonus est Deus ? Ille quidem omnibus bonus est, quia Salvator est omnium, maxime fidelium ; et ideo venit Dominus Jesus, ut salvum faceret quod perierat : venit enim ut peccatum mundi tolleretur, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiant, ne medicamentis compungatur vis ulceris, ideo volentes curat, non astringit invitos. Accipiunt igitur sanitatem qui medicinam expetunt : illi autem qui refutant medicum nec requirunt, bonitatem medici quam non experiuntur, sentire non possunt. Qui autem curatur, etiam sanatur ; ideoque his bonus est medicus, quos sanavit. His igitur bonus est Deus, quibus peccata donavit : qui autem insanabile peccatum habet mentis suæ ulcere, quomodo potest medicum bonum æstimare, quem refugit ? Pulchre itaque Apostolus, ut præmisimus, explanavit, quia et omnibus bonus est Deus, *qui vult omnes homines salvos fieri* (I Tim. II, 4) ; et maxime fidelibus divinæ bonitatis prærogativa servatur, quibus et voluntas Dei opitulatur et gratia. **664** Sed et Psalmista dicendo : *Quam bonus Deus Israel rectis corde !* ad ipsorum sententiam retulit, qui aliter de Deo sentire non norunt, nisi quia bonus ad omnia et in omnibus est.

^a Re vera scripti codices Rom., Mediol., Carn., secundum græcum ; et cum his Augustinus, præferunt, *non est declinatio morti eorum* ; quibus etiam annumerari potest Theodoretus ; huic enim ἀνάκλιση quæ vox legitur apud LXX idem plane significat atque ἀπαγόρευσις, *repudiatio*, id est, eorum interitus evitari minime potest. Non male autem ab Ambrosio reddita est per dictionem, *reclinatio* ; siquidem verbum κλίω proprie actionem signat qua corpus inflectimus ac inclinamus : ἀνακλίω autem contrariam ac-

CAPUT III.

Fateri Prophetam se tantum non esse prolapsum, dum peccatorum pacem æmularetur ; duplicem esse pacem, sed eam quæ offendiculum habet, fugiendam ; nullum in morte peccatorum levamen esse ; non prodesse flagella post mortem exemplo Lazari et divitis demonstrari ; quantum vero prosint in vita, Davidem ac Jobum patefacere ; demum perpetuo esse flagellandos, qui hic flagellati non fuerint.

5. Denique sequentibus exponit ipse quid senserit, dicendo : *Mei autem pene moti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei : quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns* (Psal. LXXII, 2 et 3). Non utique pedes corporis appellat gressus, sed directionem mentis et gressum, de quo alibi dicit : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me* (Psal. xxxv, 12). Ideo semper petendum est, ut dirigat Dominus nostrorum animorum vestigia, ne labantur, et lubrico quodam erroris effusa, stabilitatem sui tenere non possint. Prolapsionis autem causa ea est, quod pacem æmulatus est peccatorum. Æmulari autem debemus quæ bona sunt, non ea quæ plena dedecoris ; sicut et Paulus apostolus expressit dicens : *Bonum est autem æmulari in bono semper* (Galat. IV, 18).

6. Nec te moveat quod pacem in malo posuit. Denique et in Evangelio habes esse pacem, quam respuit Christus, ut ipse ait : *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis : non sicut mundus dat, ego do vobis* (Joan. XIV, 27). Est enim pax quæ non habet offendiculum, est quæ habet : quæ ex dilectione est, non habet offendiculum ; quæ ex simulatione, habet. Ideo et Propheta dicit : *Pax, pax ; et ubi est pax* (Ezech. XII, 10) ? Refugiamus ergo pacem peccatorum ; conspirant enim adversus innocentem, coeunt ut justum opprimant, viduam exterminent, vel expugnent ejus pudorem.

7. Et ideo non est *reclinatio* morti eorum (Psal. LXXII) : non *declinatio*, ut plerique codices latini scripti sunt, sed ^a *reclinatio*. Quando enim laboramus, et incurvamur ad opus aliquod, atque inclinamur, nos reclinare consuevimus : peccatores autem gravium scilicet delictorum, et maxime impii se reclinare non possunt ; de quibus dictum est : *Et dorsum illorum semper incurva* (Psal. LXVIII, 14). Non enim se erigunt ad coelestia, qui Christo non adhæserunt. Et ideo nec resurgunt cum eo, quorum mors pessima, sicut scriptum est : *Mors peccatorum pessima* (Psal. XXXII, 22). Qui autem Christo commo-

tionem qua inclinatum corpus reclinamus, hoc est, erigimus ; ea quippe vis est præpositionis *re* in compositione verborum, ut eis non raro significationem simplicibus verbis, aut etiam ex præpositionibus *cum* et *in* compositis contrariam tribuat ; ut patet in verbis, signo, resigno ; contego, retego ; innuo, renuo, et similibus. Alias hujus loci differentias in notis Nobilii ad hunc versum, et in locis variantibus ultimæ editioni commentariorum S. Augustini in psalmos præfixis invenies.

ritur, et consepelitur cum illo, non solum reclinatur, sed etiam resuscitatur. De quo pulehre illud convenit dictum: *Universum stratum versasti in infirmitate ejus* (*Psal. xl, 4*); maxime si martyr sit, cujus infirmitas passione solvitur, mors resurrectione.

665. 8. Vidimus illum divitem qui indutus purpura et bysso in hoc sæculo recumbebat, et epulabatur quotidie splendide, de cujus mensa quæ cadebant pauper Lazarus colligebat, quemadmodum in tormentis positus, in inferno se reclinare non poterat; sed vix ad Abraham, non totum se, sed solos oculos erigebat, rogans ut mitteret Lazarum, qui extremum digiti sui in aquam tingeret, et linguam ejus refrigeraret (*Luc. xvi, 19 et seq.*). Ergo illius morti reclinatio non erat, nec firmamentum in plaga ejus (*Psal. lxxii, 4*). Nihil enim prosunt flagella post mortem.

9. Et ideo David dum esset in istius corporis vita, in flagella se præparabat, ut eum Dominus reciperet castigatum. Considera iterum mihi sanctum Job, qui perfusus erat ulceribus, et concutiebatur omnibus membris, et plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terræ vulnerum suorum sanie et humore dissolvens, quemadmodum cum se in hoc corpore positus reclinare non posset, requiem mortis invenerit; ideoque conscius sui dixit: *Mors viro requies* (*Job. iii, 23*). Is igitur in plaga non motus est, nec nutavit sermonis sui lubrico, qui in illis omnibus nihil peccavit labiis suis, sicut Scriptura testatur (*Job. ii, 10*): sed magis plagæ suæ reperit firmamentum, per quam confirmatus in Christo est. Ergo et Job et David, quia hic flagellati sunt, firmamentum habuerunt in plaga sua; quia flagellat pater filium quem suscipit: qui autem hic non flagellantur, ibi non suscipiuntur ut filii. Ideoque *in laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal. lxxii, 5 et 6*); ut in perpetuum cum diabolo flagellentur.

CAPUT IV.

Peccatores iniquitate propria vestiri: quod vestimentum a nobis rejiciendum; ut vestimento virtutum induamur, ac potissimum jejunii; hoc se utiliter Josephum induisse, Adamum exuisse cum gravi damno; denique Judæorum iniquitatem quasi ex adipe prodeuntem magnam ac deliberatam exstitisse.

10. Ideo obtinuit, inquit, eos superbia eorum, cooperiti sunt iniquitate et impietate sua. Malum vestimentum iniquitas, quod si quis voluerit in nobis tenere, remittere nos oportet, ne incipiat in judicium venire nobiscum; et si quis tunicam nostram quam accepi-

^a Sic mss. Thuan., Laud. et Colb. Alii autem duo loco vocis, *adipsal*, lacunam habent. Edit. vero tantummodo præferunt, *adeps dicitur pingue*. Clarum est inductam esse hanc diversitatem, ut vox non intellecta evitaretur; sed nos potiorum mss. lectionem repræsentamus, maxime cum fieri potuerit, ut dictio *adipsal*, ætate Ambrosii a populo per corruptionem frequentaretur.

^b Edit. Era., *qui sibi criminum auctores, nativita-*

A mus spiritalem auferre conetur, remitte pallium iniquitatis, sume operimentum fidei atque patientiæ, quo se David operiebat in jejunio, ne amitteret integumenta virtutis. Ipsum jejunium operimentum est. Denique nisi sanctum Joseph texisset jejuna sobrietas, adulteræ protervitas exuisset. Quo jejunio si se tegere voluisset Adam, nudus non fuisset effectus. Sed quia de ligno scientiæ boni et mali contra interdictum coeleste gustavit, et imperatum jejunium prævaricatus est incontinentiæ cibo, nudum se esse cognovit. Quod si jejunasset, et fidei servasset exuvias, nec se aspexisset intectum. Non ergo nos induamus iniquitate et impietate, ne de aliquo **666** nostrum dicatur: *Et induit se maledictionem* (*Psal. cviii, 18*). Male se induit et Adam, qui dum quæreret integumenta foliorum, maledictionis excepit sententiam.

11. Induerunt se maledictione Judæi, de quibus scriptum est: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in dispositionem cordis* (*Psal. lxxii, 7*).
^a Ab adipe adipsal enim dicitur, id est, pingue. Sicut enim anima bonis pasta, et referta virtutibus, tamquam adipe et pinguedine repletur, ut scriptum est (*Psal. lxxii, 6*): sic iniquitas quæ quasi ex adipe procedit, non tenuis et exilis significatur, sed plena vitiorum. Denique non fortuito quodam lapsu in errorem incidere: sed consilio et dispositione in sacrilegium transierunt.

CAPUT V.

Qui os suum in cælum ponunt, eos præ cæteris esse qui omnia stellarum necessitati attribuunt: ipsis tamen hanc a Deo gratiam reservari, ut revertantur cum Israel; cujus reditus mysterium declaratur: eosdem ut a Deo negent occulta cognosci, maxime induci peccatorum divitiis: postremo idem de Christo sensisse Simonem Phariseum.

12. Posuerunt in cælum os suum; et lingua eorum transivit super terram (*Psal. lxxii, 9*). Ponere in cælum os suum quid sit, docet nos ille ex fratribus adolescentior, qui regressus ad patrem dixit: *Pater, peccavi in cælum et coram te* (*Luc. xv, 18*). Ponunt autem in cælum os suum ^b qui sibi criminum auctoritates, nativitatis putant quadam necessitate deferri. Hi nec cælo nec terris parcere solent, ut cursu quodam stellarum arbitrentur vitam hominis gubernari. Nihil providentiæ, nihil bonis moribus derelinquunt. Atque utinam et isti, sicut ille unus de duobus adolescentibus, revertissent: bonus Dominus remedium non negasset, ^c et tamen etiamsi ipsi nolint sanari, reservat Dominus regressionis gratiam; ut qui in Israel expulsi sunt per cordis proprii cæcitatem, per

tes; Gill. et duo mss., . . . vanitates; Rom., . . . nativitatibus. Ms. vero Vat., . . . auctoritate nativitates; alii denique, . . . auctoritates, nativitatis, etc. Cujus lectionis sensus omnium videtur maxime naturalis.

^c Edit. Rom., *et tamen etiam ipsis, si volunt sanari, etc.* Edit. Am., Era. ac Gill. cum mss. Vat. et Gall. præferunt: *Et tamen etiam ipsi si nolunt sanari; excepto Thuan. qui ut antiquitate, ita et perspicuitate videtur hoc loco præferendus.*

plenitudinem Ecclesiae revertantur; et non vacuos dies vitæ istius ducant, sed plenos habeant bonæ operationis et fidei, cum repleverit eos Dominus gratia spiritali. Quomodo autem revertantur, accipe. *Quia cæcitas, inquit, ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. xi, 25 et 26).* Sed quia mysterium oportebat impleri, ut concluderet Deus omnia in incredulitate (*Ibid.*, 52), id est, redargueret atque convinceret (cum enim duo contendunt, si unus superior sit, dicitur: Concluserit illum alterum), ideoque per suam misericordiam ut subditus fieret Deo mundus, regressus quidem est populus in hæredibus; sed is celeri errore traductus est, ut Deum non crederet occultorum esse præscium. Sed Dominus illis, ut quandoque redimantur, salutis futuræ gratiam reservavit dicens: *Ideo revertetur huc populus meus (Psal. LXXII, 10).* Quid est *huc*? Id est, ad me, ad æquitatem et justitiam meam, ad cultum meum.

13. *Et implebit dies vitæ suæ (Ibid.).* Quod utique sic accipies, **667** ut populus quidem redimatur, qui crediderit in eo: in quo etsi non redimantur, qui non crediderunt, tamen redempti populi Dei prærogativa defertur.

14. Isti ergo in errore positi dixerunt: *Quomodo scivit Deus; et si est scientia omnis in Altissimo (Ibid., 11)?* Putant enim non esse in Deo scientiam; quia peccatores abundant prosperis sæcularibus. Et adhuc inducit eos loquentes: *Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias (Ibid., 12).* Habes hoc in Evangelio planius expressum, ubi Simon ille Pharisæus videns quod mulier illa peccatrix venit in domum ejus, et super pedes Christi effudit unguentum, dicebat intra se: *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum; quia peccatrix est (Luc. vii, 39).* Sed patientia Dei non præjudicat veritati, et præscientia ejus, ac providentia hoc ipso amplius probatur, quod in peccato positus successu affluit sæcularium prosperorum. Quod fortior videns ridet, incautus traducitur et movetur.

CAPUT VI.

Prophetam cum primo animo despondisset, postea castigatione emendatum cognovisse omnia quidem evenire dispositione divina, opes autem non esse præmia virtutis, nec pœnam peccati inopiam.

15. Denique Psalmista dicit, dixisse se: *Ergo sine causa justificavi cor meum: et lavi inter innocentes manus meas (Psal. LXXII, 15).* Hoc est, video illos abundare, video illis commoda omnia secundare, me autem conteri atque exagitari tentationibus plurimis. Frustra ergo dedi me innocentiae, atque ad studium sobriæ conversationis intendi. Et pulchre ait: *Lavi inter innocentes manus meas (Ibid., 14);* ut non arro-

^a Edit. Era. ac Gill., *Ecce generatio filiorum tuorum cui disposui.* Rom. *Ecce generationi filiorum tuorum sic disposui.* Mss. denique, *Ecce generationi*

gare sibi summam innocentiae, sed sedulum deferre studium videretur.

16. Interea non impune hujusmodi a se sermonem exisse testatur. Nam tota die flagellatum esse se memorat; quia frustra justificasse se Domino cor suum dixerat: post flagella autem continuo secuta est pravæ opinionis correctio. Statim enim *vindex meus, inquit, in matutinis (Ib.),* id est, in aperto et perspicuo; lux enim veritatis comprehendens eum, non sivit hæc sentire, quæ dixit. Revincebat itaque et redarguebat me veritatis lumen offusum animo meo, eo quod non recte dixerim: *Sine causa justificavi cor meum.* Locutus sum enim illa tamquam in tenebris constitutus, et recordanti illa mihi cor compungebatur: compuncto autem corde, illuminabatur affectus; ut fieret in corde meo ignis flammigerans, qui faciebat in me diei spiritale principium. Illuminata itaque oriente mihi die, et quasi in multis matutinis positus, intelligebam quia extra constitutionem generationis filiorum Dei factus sum. Qui cum primo credidissem, eo quod operator mundi providens generationi humanæ, omnia ad utilitatem nostri vel tristia, vel ea quæ parum delectent, fecerit; tam bonam sententiam postea pravis opinionibus turbatus amiserim.

17. Conferebam itaque cum corde meo, et dicebam **668** mihi: *Si narrabo sic, quia sine causa justificavi cor meum, occurrebat mihi Dei vox dicens: Ecce generationi filiorum tuorum cui disposui (Ibid., 15):* id est, ecce in Scripturis invenis, o tu Adam, quia disposui generationi filiorum tuorum; quia fortuito divitiæ ad impios, non aliquo merito deferantur, nec præmia virtutis sunt emolumenta thesauri: nec e contrario inopia pœna peccati est, sed indiscrete veniunt ista, quæ modo fluminis quodam sæculi proflavio volutantur.

18. Et existimabam, et videbar mihi cognoscere hoc esse verum, hoc congruere divinæ providentiæ et convenire; me autem frustra in iis turbatum esse, in quibus inhærere non debui (*Ibid.*, 16).

CAPUT VII.

Emendato errore David hunc unum laborem sibi cognoscit superesse, ut ingrediatur in adyta divinæ cognitionis. Sancti progressu ætatis finem suum scire desiderant, et quis ille sit? Primam veram cognitionem hanc esse, qua credimus prospera improbis ad hoc tantum concessa, ut eorum excusationes excludantur. Eisdem dum Dei beneficiis allevantur, dejici ac prorsus redigi ad nihilum.

19. Itaque quia videbar mihi veram sententiam comprehendisse, et cognitionem rei ipsius esse assecutus, dicebam mihi: *Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimo (Ibid., 17).* Id est, solus mihi superest labor, ut ingrediar in sanctuarium Dei, ubi est Cherubim, id

filiorum tuorum cui disposui. Hellenismus est sive attractio regiminis. •LXX, ἰδοὺ τῆ γενεᾶ τῶν υἱῶν σου ἢ συντέθηκα.

est, cognitionis profundum, ^a et non laborem in incertis et vanis opinionibus; narratio enim fatui sicut sarcina in via. Ideo ingrediamur adytum cognitionum sacrarum, atque interiora penetrabilia veritatis, ut non sit in nobis labor; sapientia enim nos a sensu laboris abducit. Denique non est labor in Jacob. Causa autem laboris ignorantia est; quoniam qui nescit justis reposita esse præmia, non reficitur a laboribus, sed magis imprudentiæ suæ labore curvatur et frangitur. Ingre diamur igitur sanctuarium Dei, ubi sunt Cherubim, in quibus est recordantia sacræ cognitionis et veri illius atque æterni luminis.

20. In illo candelabro imago resplendet, quo possumus intelligere in novissimo. Sanctus etenim in ultimo cognoscit, et perfectam sapientiam processu ætatis adipiscitur dicens: *Notum fac mihi, Domine, B finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi (Psal. xxxviii, 5)*. Quis est finis, nisi ille, cum traditur regnum Deo Patri, quando revelantur occulta sapientiæ? Hunc finem nostri certaminis requirebat Propheta, cupiens cognoscere quid suæ deesset perfectioni; finis enim disciplinæ nostræ et studiorum perfectio est.

21. Hæc ergo prima veræ ratio cognitionis; quia fortuito accidant quæ in sæculo sunt: secunda illa; quia *propter eorum tergiversationes posuisti eis (Psal. lxxii, 18)* successus profluos sæcularium commodorum, et abundantiam divitiarum; ne causarentur propter inopiam se et acerbiter alicujus doloris et luctus minus fuisse devotos, atque in culpam latrocinii et direptionis studium necessitate egestatis **669** impulsos. Non enim ad tranquillitatem vitæ usuramque lætitiæ divitiis opimati, aut honoribus elevati sunt: sed ut querela excluderetur, coacervaretur ærumna.

22. Dejiciuntur itaque dum elevantur hujusmodi viri (*Ibid.*). Non enim gratia, sed ruina est; ubi nec diuturni usus muneris reservatur, et adimitur excusatio delinquendi. Quod enim gravioris pondus querelæ, quam illud divinum quod habes in Michææ prophetæ libro: *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te, aut quid molestus fui tibi; responde mihi? Nonne eduxi te de terra Ægypti, et de domo servitutis liberavi te (Mich. vi, 3 et 4)?* Ecce quomodo dejiciuntur impii dum allevantur, querela eorum excluditur, pœna acerbatur. Coelestibus enim **D** beneficiis invitati deserere non debuerunt vitæ securitatis et prosperitatis datorem, cui magis debuerant obtemperare. Sed sicut justitia Dei magna, ita etiam severa vindicta. Quando enim impius perseverare consuevit, de quo et alibi habes scriptum: *Vidi impium superexaltatum et elevatum super cedros Libani; et transivi, et ecce non erat: et quæsi eum, et non est inventus locus ejus (Psal. xxxvi, 35 et 36)?* Incredibilis celeritas extinctionis ejus. Vides subito impium in hoc sæculo potentem; dum tu transis, ille jam non est. Quanta est enim umbra in terra: quau

A non diuturna? Transpone vestigium, et umbra præterit. Aut si hic aliquid movet, ad ea quæ futura sunt, attolle mentis vestigium, et invenies illic impium non futurum, quem hic esse credebas; non enim est, qui nihil est. Denique Dominus eos cognovit qui sunt ipsius: qui autem non sunt, eos non agnoscit; quia ipsi eum qui est, non agnoverunt.

CAPUT VIII.

Impios in interitu suo cum somnio bene comparari, quod nempe animæ illorum omnibus bonis vacuæ reperiuntur: et eorundem tenebræ imagines e lumine cœlestis Hierusalem deleantur.

23. De ipsis ergo et hic dicit: *Defecerunt et perierunt propter iniquitatem suam, velut somnium exurgentis (Psal. lxxii, 19 et 20)*, id est, ita deficiunt et evanescunt impii, sicut somnium exurgentis a somno primum; quia in tenebris sunt, et in tenebris ambulaverunt, nec resedit aliquod eorum boni operis vestigium, sed similes eorum qui somnium vident: qui autem somniat, in nocte somniat; nox autem in tenebris. Filii tenebrarum sunt privati sole justitiæ, et splendore virtutis, dormientes semper, et non vigilantes, de quibus bene dicitur: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt (Psal. lxxv, 6)*. Etenim cum animæ eorum a corpore separatæ, tamquam resoluti a corporis somno nihil inventient, nihil tenebunt; et quod se tenere arbitrabantur, amittent; quoniam stultus et insipiens cum divitiis exundaverint, relinquent alienis divitias suas, neque simul ad inferna descendet cum eis gloria domus eorum.

24. Sequentia quoque demonstrant quomodo impius non inveniatur, sed intereat. Quoniam imago ejus in civitate Domini illa superiore Hierusalem non invenitur. Dominus enim pinxit nos ad imaginem et similitudinem suam, sicut ipse docet dicens: *Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos (Esai. xlix, 16)*. **670** Si bene egerimus, manet in nobis ista imago cœlestis: si male quis agit, deletur in illo hæc imago (illius utique qui descendit de cœlo), et est in eo imago terreni. Unde et Apostolus dicit: *Sicut portavimus imaginem illius terreni, portemus et imaginem hujus cœlestis (I Cor. xv, 49)*. Bonorum ergo imagines perseverant, et in illa Dei civitate resplendent. Si quis autem ad graviora peccata deflexerit, nec egerit pœnitentiam, imago ejus aboletur vel dejicitur; sicut Adam de paradiso ejectus est et exclusus. Quicumque autem pie honesteque se gesserit, intrat in civitatem Dei, et infert imaginem suam, ut in illa Dei fulgeat civitate. *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges (Psal. lxxii, 20)*; quia isti in lumine fulgere non possunt, qui tenebris se operibus induerunt. Exemplum accersamus de sæculo. Vide quemadmodum in civitatibus bonorum principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum.

^a Ita mss. Thuan., Viet., Colb., Torn. At edit. Era. ac Gill., et non labor est in incertis. Rom., et non labor qui est in incertis, etc.

CAPUT IX.

Prophetam cognitione divinæ providentiæ recreatum : ipsum et cum eo omnes homines comparatione cœlestium civium jumentis haud esse absimiles ; eosdem tamen Dei gratia ad humanam revocari dignitatem.

25. Hæc ergo considerans, animoque intendens sanctus Propheta delectatus est, qui fuerat ante turbatus. Unde ait ipse : *Quia delectatum est cor meum, et resoluti sunt renes mei. Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi : et velut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (Ibid., 21 et seq.).* Cum cognovissem, inquit, quia Deus humana curat et respicit, *requieverunt renes mei*, hoc est, ex maxima fatigatione veteris imprudentiæ quievi per agnitionem boni cœlestis et gratiæ. Sunt enim quidam renes animæ, qui vexantur in nobis per ignorantiam laborem : hi resolvuntur ad requiescendum cœlestis agnitione doctrinæ, et quasi pulchro quodam fulcro cœlestium præceptorum subnixi foventur. Tunc, inquit, intellexi, quia vane fatigabar ; quoniam id quod verum est nesciebam.

26. *Et velut jumentum factus sum* : pulchre addidit, *apud te* ; comparatione enim cœlestium homo quid est nisi jumentum irrationabile ? Nam et stellæ cum sint lucidæ, vanescunt solis exortu. Et Moyses ait : *Non sum idoneus ab hesterno die, ex quo cœpisti loqui cum servo tuo : et tenui*, inquit, *voce et tardiloquus sum (Exod. iv).* Ita ergo et homo, non dicam Christi, sed angelorum comparatione mutum videtur esse jumentum. Sed tamen nemo desperet ; quia homines et jumenta salvos facit Deus. Et ideo quia non ex me, sed ex te didici, tibi adhærebo semper ; ut desinam esse jumentum, et dicas mihi : *Tu autem hic sta mecum (Deut. v, 31).* Circumfusus enim Dei gratia homo incipit esse, qui per imprudentiam prætendebat insensibilitatem et inscientiam bestialem. Homo enim eo probatur, si capax sit rationis et gratiæ. Itaque a mutis animalibus separatum se esse gaudet, et in hominum adscitum esse consortia, quæ Deus visitat et tuetur. Quid enim est homo, nisi quia memor est ejus Dominus, aut quia a Domino visitatur ?

671 CAPUT X.

Si Deus nobis ad dexteram non fuerit, eum locum a diabolo occupatum iri, sicuti primo parenti contigit : cum hujus vices ageret Christus eum sibi ad dexteram dæmonem statuisse, quo ipsum gloriosius prosterneret : postremo maximas utilitates ad eos redire, quibus ad dexteram steterit Christus.

27. Unde quasi visitatus ab eo dicit : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me (Psal. LXXII, 24).* Sic accepimus, et secundum Græcum sic convenit. Dixit enim Græcus : *Ἐκρατῆσας τῆς χειρὸς*, id est, *tenuisti manum*, *τῆς δεξιᾶς μου*, *dexteram meam*. Bene dirigitur, cujus dexteram Deus manu sua tenet. Potest dicere : *Dominus a dextris meis, ne commovear (Psal. xv, 8).* Adam si a dextris suis Dominum ha-

A bere voluisset, non esset a serpente deceptus. Sed quia oblitus est mandatum Dei et voluntatem serpentis implevit, manum ejus diabolus tenuit, et ad lignum scientiæ boni et mali extendi fecit, ut interdicta decerperet. Præjudicatum est in illo omnibus, et cœpit universis adversarius ad dextram stare. Unde et illa in Judam maledicti forma processit : *Et diabolus stet a dextris ejus (Psal. cviii, 6).* Si illud maledictum grave, maxima est ista benedictio, qua maledictionis duræ vincula laxantur. Ideo Dominus Jesus ad dexteram sibi diabolum statuit, sicut in Zachariæ libro legimus (*Zach. iii, 4*) ; hominis enim causam locumque susceperat. Ibi ergo stetit, ubi Adæ stabat hæreditas. Quasi bonus athleta permisit eum ad dexteram sibi stare, ut eum retrorsum repelleret dicens : *Vade retro, satana (Matth. iv, 10).* Itaque adversarius loco dejectus recessit : tibi autem ne diabolus a dextris staret, ait : *Veni, sequere me (Matth. xix, 21).* Prævidens igitur David adventum Domini, qui nos a potestate adversarii liberaturus descendit e cœlo, ait : *Dominus a dextris est mihi, ne commovear.* Cui autem a dextris erat diabolus movebatur. Merito ergo et hic ait : *Tenuisti manum dexteram meam*, id est, ut jam peccare non possim ; ut ille lubrico ante fluctuabundus vestigio, fida possim statione consistere. Quam bene hoc apostolus dixit, quando eum turbatum Dominus vidit, et extendens dexteram suam titubare non passus est, atque intrepido firmavit incessu (*Matth. xiv, 30 et 31*). Liberatus itaque Petrus quid aliud est locutus nisi hos propheticos versus : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me.* Quæ est dextera nisi actiosa animæ virtus ? Quæ si Domini voluntate dirigatur, nihil aliud desiderat, nil requirit, nullas mundi hujus opes, nulla adjumenta deposcit.

CAPUT XI.

Davidem possessione Dei contentum nihil præter eum exoptare ; debere enim terrena deleri oblivione, ut succedant cœlestia, atque etiam ad Deum qui neminem repellit, accedatur, a quo pravis tantum actionibus recedimus.

28. Ideo dicit sanctus David : *Quid enim mihi restat in cœlo, et a te quid volui super terram (Psal. LXXII, 25) ?* Id **672** est, Tu portio mea es, abundas mihi ad omnia, nihil quæsivi aliud, nisi ut te partem haberem, nulli me cœlesti, ut gentiles faciunt, subdidi creaturæ, nullas sæculi hujus divitias, et voluptatum illecebras concupivi. Nullius ego, qui a te assumptus sum : nec superest in cœlestibus quod amplius quæram. Nihil habens, omnia habeo ; quia Christum habeo, cui Pater altissimus non pepercit ; sed pro nobis omnibus tradidit illum : *quomodo ergo non cum illo omnia nobis donavit (Rom. viii, 32) ;* sicut Apostolus dixit ? Omnia enim in Christo, per quem omnia, et in quo constant omnia. Omnia ergo in illo habens, aliam non quæro mercedem, quia ipse merces est universorum. Ideoque perfecto dixit : Tolle

crucem tuam, et sequere me (*Marc. viii, 34*). Qui illum sequitur, non præmio ducitur ad perfectionem : sed perfectione consummatur ad præmium. Imitatores enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro amore virtutis. Christus enim per naturam bonus, non propter præmii cupiditatem. Ideo passus est, quia benefacere eum delectavit, non quia incrementum gloriæ ex sua passione quærebat. Ideo qui illum imitari cupit, non quod sibi, sed quod aliis prosit, operatur. Unde non immerito deficit sibi, aliis autem virtutis incremento valescit.

¶ 29. Et convenienter dicit : *Defecit cor meum et caro mea, Deus cordis mei (Psal. LXXII, 26)*. Neque enim possunt perpetua succedere, nisi terrena defecerint. Deficit ergo caro, quando mortificantur quæ sunt carnalia. Deficiunt et illi qui mortificationem Jesu Christi in sua carne circumferunt ; mors enim Christi in illis operatur, ut omnis errorum moriatur illecebra. Unde colligitur quia et cor hominis deficit, quando mortificantur cogitationes malæ, quæ de corde procedunt ; ut terrena omnia abscondat oblivio, et fiat Deus cordis eorum, qui beati mundo corde Deum videre mereantur ; ut appropinquent tibi, et non se segregent. Deus enim appropians, non

repulsor appropinquantium est ; omnibus enim vult salutis causa esse, non mortis. Denique neminem repellit, nisi qui se ab ejus conspectu putaverit sequestrandum.

30. *Quoniam ecce, inquit, qui elongant se a te, peribunt (Ibid., 27)*. Unusquisque enim operibus suis pietati tuæ sese aut jungit aut separat. Fugit enim Deum qui operatur ea, quorum cognitionem metuat deprehendi ; sicut ille qui tectus parietibus et circumfusus tenebris a Domino Deo sese existimat non videri : videtur autem, cum dicitur : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te (Ibid.)*. Sicut enim mulier quæ fornicatur, non adhæret viro, nec una caro cum viro suo, nec unus spiritus est ; sed dividit sese ac separat fornicando : ita quæcumque anima non adhæret Deo, sed vanis idolorum cultibus inserviens fornicatur, dividit se a sacrilegii scævitate, et longe fit a Domino, quæ prope esse deberet. Perit autem qui separatur a Domino.

31. Unde Sanctus qui Dei judicium reformidat (*Ibid., 28*), semper adhærere vult Christo, et in eo spem suam ponere, ut laudet Dominum, cui est honor, gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc et semper, et omnia sæcula sæculorum. Amen.

^a Omnes edit., *sacrilegii obscenitate* ; omnes mss., *sacrilegii scævitate*.

IN APOLOGIAM PROPHETÆ DAVID ADMONITIO.

Nonnulli (*Cap. 1, num. 1*) cum historiam David perlegendo tantum prophetam ac regem tam sanctum in geminum scelus, adulterii scilicet atque homicidii, incidisse cognovissent, offensionem haud mediocrem passi fuerant. Quapropter hujus rei vulgato rumusculo sanctus Ambrosius, ad utilitates populi sui numquam non intentus, huic malo putavit mature occurrendum. Itaque sacrum suggestum conscendens, defensionem ejusdem prophetæ ac regis aggressus est. Neque tamen ipsum ita suscepit defendendum, ut a crimine immunem assereret. Fatetur siquidem (*Cap. 1 et seq.*) illum duobus gravissimis peccatis maculatum fuisse : at vero contendit eundem accelerata confessione (*Cap. 2*), proluxa pœnitentia (*Cap. 4*), et indefesso bonorum operum studio (*Cap. 6 et seq.*) expiatum, ut jam peccatoribus eum accusare quem ipsemet Deus absolverat (*Cap. 4 et alibi*), minime liceret : cæterum haudquaquam insolitum videri, quod tentationis et concupiscentiæ vi succubuerit homo fragilis (*Cap. 1 et alibi*), sed illud prorsus omnium admiratione dignum, quod rex potentissimus qui legum severitate non tenebatur, statim atque de commisso peccato fuit admonitus, culpam agnoverit, eamque sincero ac vehementi dolore deleverit. Addit his memoratum lapsum eam ob rem divino permissum consilio, ut idem ille ad posteritatis exemplum humiliatus exerceretur ac probaretur (*Cap. 2 et 3*) ; neque non in hoc ipso mysterii figuram extitisse (*Cap. 3*), quæ atrocitatem noxæ minueret. Postremo non paucis præclaris ac sanctis actionibus (*Cap. 6 et seq.*) quibus Propheta delictum texerit suum, dinumeratis, affirmat eum alio patrono haud indigere ; quandoquidem in psalmo L, quo et actam abs se pœnitentiam et impetratam veniam testatus est (*Cap. 8 et seq.*), suam ipse reliquit apologiam. Hoc vir sanctus probat brevi quidem, at eleganti omnium ejusdem psalmi versuum enarratione, in qua sicut et in toto opere mysticas quasdam expositiones, observationes, adhortationesque morales ad populi apud quem verba faciebat, institutionem spargit.

Ipsa hujus operis constitutione satis intelligas in editione Romana parum consulte illud contra manuscriptorum omnium, ac superiorum editionum auctoritatem, in duos tractatus esse divisum, quorum alter priscum titulum Apologiæ David retinuit, alter accepta nova inscriptione ad enarrationes in psalmos amandatus est. Huic quoque divisioni refragatur beatus Augustinus ; is enim (*Lib. IV, cont. duas epist. Pelag., cap. 11, et lib. II cont. Jul. Pelag., cap. 7*) testimonium ex enarratione psalmi L petitum proferens illud non alio sub titulo quam Apologiæ David laudat. Non putamus etiam quempiam inveniri, cui aut inductæ ab ejusdem editionis ἐπιμεληταῖς in auctoris textum immutationes approbentur, aut verborum quibus hujus lucubrationis, quam omnino unam esse oportet, partes inter se nectebantur, facta detractio non displiceat. Quocirca e scriptorum codicum ac veterum editionum fide omnia restituimus, ut suis locis submonuimus ad calcem paginarum. ¶

Ambrosius conciones quibus hic tractatus componitur, more suo in Ecclesia pronuntiavit post recitatum Evange-

lium, quemadmodum aperte significant ea verba : ut hodie lectum est (Cap. 5, num. 20), quod homo quidam cum dives esset, abiit in regionem longinquam, etc. (Luc. xix). Sed nec minus manifestum est id evenisse non ita multo post Gratiani imperatoris cædem, quando eam ille hisce vocibus lamentatur (Cap. 6, num. 27) : Quam gravi, inquit, adhuc luimus vastitate, quam publico quodam totius orbis funere appetiti necem regis exsolvimus ! etc. Plane hoc modo loqui sanctus Antistes non poterat nisi aut de Gratiano, aut de Valentiniano juniore, cum illis temporibus per vim nullus imperator præter hos duos juvenis fuerit exstinctus : at quæ adjuncta illic referuntur optime in violentum Gratiani interitum, minime vero in Valentiniani quadrare satis constat. Præterea hæc ipsa Apologia citatur in commentariis in Evangelium secundum Lucam (In cap. 5), quæ circiter annum 385 scripta esse probabilius est, ac perinde diu ante necem Valentiniani. Colligendum itaque commentationem hanc post mensem Augustum anni 383, quo trucidatus fuit Gratianus, et ante annum 385, quo memorata commentaria lucubrata sunt, in lucem prodixisse, anno videlicet, ut vero videtur similis, 384.

Codex Thuaneus ante mille annos, ut characteres indicant, exaratus, et alii aliquot probatæ notæ hanc eandem opellam exhibent ita inscriptam : Tractatus S. Ambrosii de Apologia prophetæ David ad Theodosium Augustum. Sed forte suspicetur aliquis postrema verba fuisse ab imperitis quibusdam vel audaculis superaddita, cum Theodosius Magnus quo tempore eosdem sermones habitos esse demonstravimus, non potuerit esse Mediolani, quam in urbem non nisi aliquot post annis cum de Maximo triumphasset, sese contulit. Veruntamen nihil admodum vetat quominus sanctus Præsul Theodosio a se aliquem e suis libris petenti hunc ipsum, licet ante annos non paucos compositum, tamen quasi maxime convenientem ob regiam personæ de qua ibidem agitur dignitatem, potissimum tribuerit : aut etiam ipsemet sponte sua eidem principi forte post factam Thessalonicensium stragem, propterquam ipsi publicam satisfactionem indicit, mittendum putaverit, ut illum in penitentia firmaret proposito. Re ipsa inter plurima præclare dicta quæ leguntur in hoc tractatu, nonnulla etiam observare est, quæ videantur eo spectare. Hæc Ambrosius scriptioni suæ antequam illam mitteret ad imperatorem, addere potuit. Quod si ita sit, prædicare possumus hoc opus postrema Auctoris cura perfectum et recognitum ad nos pervenisse.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

APOLOGIA^a PROPHETÆ DAVID

AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

CAPUT PRIMUM.

Quare apologiam David scribere aggrediatur Ambrosius. Historia facti præmittitur. Deinde judicandus non esse ostenditur, quem Deus justificaverit : contra vero etiam laudandus, quod in tanta potestate non plura peccaverit.

1. Apologiam prophetæ David præsentī arripuimus stylo scribere, non quod ille indigeat hoc munere, qui tantis meritis emittit, virtutibusque effluit; sed quia plerique gestorum ejus lecta serie, non introsipientes vim Scripturarum, vel occulta myste-

A riorum, mirantur quomodo tantus propheta adulterii primo, deinde homicidii contagia non declinaverit.

2. Ideo nobis studio fuit ipsam recensere historiam, quæ patuisse peccato videtur. Namque in secundo Regum legimus libro (II Reg. xi, 2 et seq.),^b quoniam deambulans David in domo sua regia, prospexerit lavantem se mulierem (nomenque illi Bethsabæe),^c formæ egregiæ et gratia et vultu decora, præstantique admodum facie, quibus illecebris delinitum potiendi ejus sumpsisse affectum. Erat autem mulier viro nupta,^d Uriæ nomen marito, cui

^a Scripta forte circ. an. 384.

^b Rom. edit. sola, legimus, ut audistis, quod deambulans David in solario domus suæ regiae.

^c Edit., formæ gratæ, (Rom. gratia) et vultus decore præstanti admodum quibus, etc. Mss. aliquot, formæ gratia, et vultus decore, præstantique admodum facie, quibus, etc. Alii multo plures atque antiquiores ut in textu, nisi quod Thuan. recentior habet. . . . vultu decoram, etc. Neque vero putaveris in vocibus vultu et facie inanem esse battologiam; cum facies non tantum pro vultu, sed etiam pro totius corporis compositione, atque exteriori conspectu sumi possit. Rursus edit. omnes, et mss. nonnulli : potiendæ ejus;

mss. alii longe plurimi, ac ævi melioris : potiendi ejus. Melius; sic enim Terentius in Hecyra, ego ejus (uxoris scilicet) videndi cupidus. Videsis Fr. Sanctii Minervam lib. iii, cap. 8. Denique ubi edit. Era., Gill. et Rom. cum potioribus mss. sumpsisse affectum; illic Am. cum reliquis : sumpsisset affectum. Verum eos movit, quod non crederent aliter constructionem constare posse, cum tamen melius verbum legimus initio periodi expressum hoc loco mente suppleatur.

^d Thuan. codex vetustissimus semper atque in omnibus casibus habet Uri. Et certe lectionem Ambrosii esse hanc id argumento esse potest, quod infra cap. 5, num. 14, nomen mariti Bethsabæe dicit idem

mandatis regiis composita est scena necis. Nam etsi nihil ad impedimentum cupiditatis, plurimum tamen ad verecundiam adulterii obstare vita ejus aestimabatur.

3. Itaque ut a planioribus exordiamur, quem Deus justificavit, ne tu dijudices. *Pro minimo mihi est*, inquit Paulus, *ut a vobis dijudicer, aut ab* **676** *humano die: sed neque me ipsum dijudico* (I Cor. iv, 3). Et adhuc erat in corpore situs, adhuc tentationi obnoxius: sed ideo se non dijudicabat, quia spiritalis a nemine dijudicatur, nisi a solo Deo. Denique subdidit: *Qui dijudicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus quid judicare* (Ibid., 4 et 5). Sed David jam tempus implevit, et gratiam meruit, et justificatus a Christo est; quandoquidem David se dici filium ipse Dominus gratulabatur, et qui eum ita confitebantur, illuminabantur. Cur hominem Dei a præmio in judicium vocas? Judicavit jam de eo Dominus, de quo dixit ad Salomonem: *Si ambulaveris in conspectu meo, sicut ambulavit David pater tuus in sanctitate cordis et justitia, ad hoc ut faceret secundum omnia quæ mandavi ei* (III Reg. ix, 4). Hic ergo iudicio dignus an præmio est, qui fecit secundum omnia mandata cœlestia, ambulans in sanctitate et justitia cordis? Ubi aliorum vitia et peccata delitescunt, ibi David virtutis et gloriæ suæ divinum accepit testimonium. Et de ejus peccato disputamus otiosi, pro cuius merito et gratia aliorum peccata revelata sunt. Nam cum offendisset Salomon, quod non custodisset mandata Domini, et regnum ejus disposuisset Deus scindere in plurimas partes, ait ad eum: *Verumtamen in diebus tuis non faciam hoc propter David patrem tuum. De manu filii tui accipiam illud. Verumtamen non totum regnum accipiam, sceptrum unum dabo ei propter David servum meum* (III Reg. xi, 12 et 13). Justificante igitur Domino, quis est qui tantum dijudicet virum? *Quod Deus*, inquit, *mundavit, tu commune ne dixeris* (Act. x, 15).

4. Salvo tamen iudicio cœlesti, quo etiam ipse tantum honorifices prophetam, in ejus actus moresque ingredi. Non miraris hominem, et **677** angelis adæquandum iudicas, plurimum vitæ suæ, immo a pueritia in divitiis, honoribus, imperiis demorantem, in multis tentationibus positum, semel tantum locum errori dedisse, et ei errori quo etiam ^a angeli cœlorum, ut Scriptura commemorat (Gen. vi, 2), de sua virtute et gratia dejecti sunt. ^b Sane et alter legitur error ipsius, quod numerari fecerit populum.

CAPUT II.

Laudatur David ab humilitate confessionis; ac tres causæ, cur sanctis peccatum obrepere utile sit, idque Deus permittat, afferuntur.

5. Unusquisque nostrum per singulas horas quam multa delinquit, et tamen unusquisque de plebe significare ac *lumen meum*, quo modo vocem *Uri* vulgo interpretantur, cum vox *Urias* exponatur *lumen*, seu *ignis Domini*.

^a De illo Angelorum lapsu a nobis in lib. de Noe

peccatum suum confitendum non putat. Ille rex (*De Pœnit. dist. 3, cap. Ille rex*) tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam; sed præmatura confessione atque immenso dolore, reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facile reperias honoratum ac divitem, qui si arguatur alicujus culpæ reus, non moleste ferat? At ille regio clarus imperio, tot divinis probatus oraculis, cum a privato homine corriperetur, quod graviter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimi movit affectus (*Ibid., § Denique Dominum*), ut Nathan diceret: *Quoniam pœnituit te, et Dominus transtulit peccatum tuum* (II Reg. xii, 13). Maturitas itaque veniæ, profundam regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit.

6. Alii homines cum a sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingravant, dum negare cupiunt aut defendere; ibique eorum lapsus est major, ubi speratur correctio. Sancti autem Domini (*Ibid., § Sancti*) qui consummare pium certamen gestiunt, et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina; ut non solum nullum attulisse aestimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. Ergo si currentium non solvitur cursus, cum forte aliqui ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina; quin etiam plerique post unum aut alterum lapsum, gratia majore vicerunt: quanto magis agonem pietatis ingressi non debent unius prolapsionis offensione cœteri, cum beatus sit qui se potuerit reparare post lapsum; quoniam post mortem quoque resurgere munus beatorum est.

7. Alias quoque prodesse peccatum possumus comprehendere, et providentia Domini sanctis obrepisse delicta. Propositi enim ad imitandum nobis sunt; et ideo curatum est ut et ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum a vitiis inter tot lubrica hujus sæculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus aestimandi cujusdam superioris eos naturæ ac divinæ fuisse; ut delictum recipere, et culpæ consortium habere non possent. Quæ opinio utique, ut exortes nos illius substantiæ, ab impossibili imitatione revocaret. Præterit igitur paulisper illos **678** Dei gratia; ut nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina; et sicut innocentia, ita et pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco: dum credo consortes, imitandos esse præsumo.

8. Admonet etiam apostolus Paulus (II Cor. xii, 7) prospexisse Dominum Deum nostrum, ne vel re-

et Arca ad calcem col. 251 dictum reperies.

^b Rom. edit. ista jugulaverat: *Sane et alter legitur error ipsius, quod numerari fecerit populum; quæ nos ex omnibus mss. et ant. edit. restituimus.*

velationum sublimitate, vel secundo operum continuante processu, humanus etiam in sanctis extolleretur affectus, nec sibi deputerent, virtutique attribuerent suæ, quod divina sibi operatione foret collatum. Ergo ne in tantum præjudicium ruerent, atque in perfidiæ foveam deciderent, passus est Dominus illis subintrare culpam; ut et ipsi adverterent divinis se auxiliis indigere, ducemque salutis suæ quærendum esse cognoscerent. Denique Paulus infirmitatem sibi profuisse testatur, dicente Domino roganti sibi, ut a se stimulus carnis suæ discederet: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate consummatur* (*Ibid.*, 9). Meritoque gloriatur in infirmitatibus; sciebat enim virtutis abundantia plurimos etiam sanctos sine remedio corrumpisse. Quanto igitur commodius uni aut duabus reprehensionibus locum dedisse, quam traxisse in perpetuum divinitatis offensam?

CAPUT III.

Davidem eo tentationi expositum fuisse, quod athletas suos variis certaminibus exerceri, et nobis exemplo esse Deus velit: præterea ejusdem adulterium in figuram factum, adductis variis allegoriis, declaratur.

9. Quid etiam illa adjiciam quæ ex ipso usu mundi conicere possumus, quia plerosque cum probaverimus in aliquo officio, eosdem quasi industrios atque impigros in alio munere volumus experiri? Quam multi athletæ cum isto certandi genere prævaluerint, ad aliud genus vocantur certaminis! Quid si et te Dominus Deus tuus cum aliquod specimen virtutis dederis tuæ, in alio virtutum genere vult probare? Job sanctum currentem inoffense, tentari tamen filiorum interitu, et corporis totius ulceribus passus est: ut in hoc quoque ejus virtutem probaret, si nec injuriis, nec acerbitatibus coactus devotionem sui minueret affectus. Num liquet quod etiam sanctum David fide nobilem, præstantissimum mansuetudine, manu fortem probare voluerit, quemadmodum vitium tegetet, lapsum emendaret; ut nos doceret quemadmodum admissum possimus operire peccatum?

10. Nisi forte vilis causa alicui videtur, ut propter nostram correctionem tantus erraret propheta, cum propter omnium redemptionem infirmitates nostras Christus susceperit, qui peccatum pro nobis factus est, cum peccatum non cognoverit. Et indignum æstimatur, nec verisimile creditur, quod David propter posteritatis profectum in unius lapsus opprobrium incidere; cum ipse Dominus sit pro nobis factus opprobrium, sicut ipse ait: *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal.* XXI, 7). Et alibi: *Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt* **679** *super me* (*Psal.* LXVIII, 10). Ergo futuræ dispensationis mysterium in suis ante præmisit. Et servuli quidem conditionis suæ peccata portarunt, ideo non potuerunt et ipsi exsortes esse peccati: Dominus autem onus suscepit

A alienum, ideo solus fuit sine consortio delictorum.

11. Ad summam, Apostolo quoque docente, cognovimus in figura gesta esse complura, quæ temporibus gesta superioribus sunt. Nam cum dixisset in deserto patres a serpentibus vulneratos non aliter potuisse sanari, nisi Moyses serpentem suspendisset æreum, quo viso, lethales illi morsus infusionesque veneni noxiæ curabantur, subjecit: *Hæc autem in figura facta sunt illis* (*1 Cor.* X, 6) ad nostram correctionem. In figura æreus serpens tamquam confixus cruci; quia verus crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret, in figura maledictus, in veritate autem qui totius mundi maledicta deleret. Alibi quoque, id est, ad Galatas ait: *Quia duos filios habuit Abraham, unum de ancilla, et unum de libera* (*Galat.* IV, 22). Et subdidit: *Sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta* (*Ibid.*, 23). Quid sit per allegoriam, in sequentibus exposuit evidenter, dicens duas illas generationes, unam de ancilla, alteram de libera, duo esse Testamenta: unum quidem a monte Sina in servitum generans, in quo monte Legem Moyses accepit a Domino: alterum autem ab Hierusalem quæ est libera, quæ in Isaac filios, hoc est, in libertate gratiæ, non litteræ servitute generavit. Servis enim poena decernitur, liberis confertur gratia. Nonne in typo geminæ plebis Jacob duas accepit uxores, ex quibus diversam sobolem procreavit? Cur patriarcha Judas propriæ nurus post filii sui mortem legitur expetisse concubitum (*Gen.* XXXVIII, 16), quo geminorum partus est editus, nisi ut figura utroque Jesu Domini præcederet Testamento: quorum alterum in typo futuræ mortis ejus est conditum, alterum in Evangelii veritate, duos populos esse generandos, quorum posterior in crucis signo sepem omnem ac munitionem populi superioris incideret? Hic est populus manu prior, ortu posterior. Vel quia ipse Dominus Jesus natus ex Tribu Judæ opera sua ante præmisit, quam nobis ex Virgine nasceretur.

12. Quid de Joseph loquar, qui a fratribus appetitus, exutus patrio vestimento, in lacum missus, in servitum venditus, evidens Dominicæ Incarnationis expressit indicium? eo quod ille dilectus **680** Patri cum esset in Dei forma, non rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo, sed ipse se exinaniret: ut formam servi accipiens veniret, et se usque ad mortem crucis humiliaret: cujus pretio et emptus et venditus a suis fratribus genus redemit humanum. In cujus typo David minor electus ex fratribus, unctus in regnum, solus belli gravis periculo, singulari certamine universum populum liberavit, triumphavit in decem millibus; ita ut puellæ cum tympanis psallerent: *Saul triumphavit in millibus, David in decem millibus* (*1 Reg.* XVIII, 7). Quæ figura in illis juvenulis, nisi animarum quæ triumphalem psalmum concinunt Christo? Genuit ex se filios, unum incestum; alium parricidam; eo quod incestus et par-

ricidalis populus affixam patibulo crucis carnem A solent reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt facere privati, rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis. Quod peccavit, conditionis est (*De Pœn. dist. 3, cap. Ille rex, § Quod peccavit*): quod supplicavit, correctionis. Lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est: ^d diluisse, virtutis, *Quis gloriatur*, inquit, *castum se habere cor* (*Prov. xx, 9*)? Nec unius diei infans mundus esse Scripturæ testimonio declaratur (*Job. xiv, 5*).

13. Quid de Salomone sancto loquar, cujus posteriora cum gravi errore non careant, vulgus tamen Judaicum ipsum existimat venisse pro Christo? Et quam multos gravis erroris offensa revocavit? Major itaque culpa plus profuit, ne supra hominem crederetur, ^a qui vitio non caruisset humano. Fuit igitur in eo invidiosa sapientia, et culpa suasoria, quæ hominem comprobaret.

14. Quid igitur obstat quominus etiam Bethsabæe sancto David in figura sociata fuisse credatur; ut significaretur congregatio nationum, quæ non erat Christo legitimo quodam fidei copulata connubio, B quod ^b transversariis quibusdam foret vestibulis in ejus gratiam præter Legis ingressura præscriptum, in qua nuda mentis sinceritas, et aperta simplicitas lavacri justificante mysterio, veri David et regis æterni mentem traduceret, lacesseret charitatem? Merito venit occultus, et qui falleret principem mundi, tamquam Uriam illum qui interpretatione dicitur lumen meum, transfigurantem se in angelum lucis. Venit, inquam, in hunc mundum, et venit occultus, tamquam adulter intravit, ut jus legitimum vindicaret.

CAPUT IV.

Davidis pœnitentia paulo fusius commendata, neminem a lapsu immunem inveniri sanctissimorum virorum inductione palam facit.

15. Distinximus ^c allegationes validas, ut arbitramur, et in figura fuisse textum hujus historię comprobavimus: nunc superiora repetamus, **681** et tamquam exutum spiritalibus indumentis introspicimus errorem. Peccavit David, quod solent reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non

^a Edit. Era. ac Rom., *qui vitio caruisset humano*; Am. vero et Gill. cum mss., . . . *non caruisset* . . . Commodè. Hic enim subintelligi videtur, *ut pote*, vel simile quidpiam. Iterum sequenti sensu edit. Era., Gill. et Rom., *culpæ suasoria*; melius Am. et mss. *culpa suasoria*: quippe quæ suasit seu probavit Salomonem supra humanam conditionem non esse. Hoc autem loco videtur Ambrosius de Salomonis, quem sanctum appellare non dubitat, pœnitentia et salute nequaquam ambigere. Neque vero in ea sententia solus est; eam enim defendunt Cyrillus Hieros. Cath. II, et Hieronymus in cap. XLIII Ezech. Idem Hieron. alibi etiam refert Judæorum opinionem de pœnitentia Salomonis, quem ea de causa scripsisse libros Proverbiorum atque Ecclesiasticis arbitrantur. Alii Patres multo majori numero illum sine ulla pœnitentia defunctum, atque adeo æternæ damnationi addictum esse existimant. In his numerari potest Tertull. lib. II cont. Marc. et alibi.; Basil. epist. ad Chilon.; Cyprian. lib. I, epist. 5, atque alii, quos inter prætermittendus non est Augustinus, qui licet ex industria præclaros veteris Testamenti viros defendat, de Salomone tamen ita pronuntiat: *Veheementer eum arguit sancta Scriptura atque condemnat, nihilque de pœnitentia ejus vel indulgentia Dei omnino commemorat.* Denique non defuerunt qui mediam

16. Da mihi aliquem sine prolapsione delicti. Validissimus omnium Samson legitur (*Judic. xiv et seq.*), qui leonem etiam suis manibus strangulavit; sed utinam amorem suum suffocare potuisset. Messes incendit Allophylorum, et ipse mulieris unius arsit igniculo. Jephthe victor ab hoste remeavit: sed vexilla referens triumphalia, suo victus est sacramento, ut pietatem occurrentis filiæ parricidio remunerandam putaret. Primum omnium quid opus fuit tam facile jurare, et incerta vovere pro certis, quorum nesciret eventum? Deinde ad quid sacramenta tristia Domino Deo reddit; ut cruentis solvat sua vota funeribus?

17. Nec de sacerdotibus silendum arbitror, ne nostra videar dissimulare delicta. Aaron ipse summus sacerdos (quo duce pariter ac Moyse, Rubrum pedes mare transivit populus Hebræorum) rogatus a plebe ut deos sibi faceret quos adorarent, aurum poposcit, in ignem misit, et caput vituli figuratum est, cui sunt oblata sacrificia. Quo indicio claruit auri cupiditatem materiam esse perfidiæ, et avaritiæ studio sacrilegia solere generari. Iterum tantus sacerdos locum incidit offensionis cum sorore sua Maria.

quamdam viam putarent ineundam, dicerentque tamen peccato ejus nihil certius sit, nihil autem incertius ejus pœnitentia; tamen quia de ipsius salute nihil Scriptura definiat, nec nos etiam de illa quidquam definire debere.

^b Mss. Dion., Colb., Maz., *adversariis*, alii et edit., *transversariis*. Iterum mss. Rom. et Colb., *præter Legis jura præscripta*; Benig. Albin. et edit. Am. atque Era., *præter Legis jura præscriptum*; Thuan. et Dion., *præter leges ingressura præscripto*. Denique alii cum edit. Gill. et Rom. ut nos superius. Porro mysterium in hoc adulterio exstitisse agnoscit etiam in Comment. in Luc. cap. III idem Ambrosius. Utrum autem mysterii ratione peccatum tolli credendum sit; vide quæ ad cap. III libri de Joseph Patriarch., num. 13, annotavimus.

^c Edit., *allegorias*; mss., *allegationes*. Non dubium, quin intelligat allegoricas superioris capitis historias; at forte suspicetur aliquis pro *distinximus*, legendum *distrinximus*, id est, strictim attigimus, delibavimus. Attamen *distinximus* ita explicari potest, ac si legeretur, non confuse, sed suo quamque ordine retulimus.

^d Edit. vet. cum paucis mss., *delesse virtutis*; Rom. cum reliquis, *diluisse virtutis*.

Nam dum fratri uterque obtrectat quod alienigenam accepisset uxorem, illico Maria^a contagio maculosæ carnis effloruit.

18. Quo loci evidentis fuit figura mysterii, quod sacerdotalis ille populus patrum fraterno populo posterioribus temporibus derogaret, Æthiopissæ illius nesciens sacramentum. Nam si cognovisset, non reprehendisset, quod cum veteri mysterio conveniret. Itaque cum Judæus eum qui ex Gentibus credit, dicit esse^b communem, et vult a Lege secernere, lepram habet, quam non poterit evadere, nisi spiritualis ei legis agnitio ad veniam fuerit suffragata.

19. Ergo et David qui sciret hominem se esse natum lapsui, veniam postulavit: Domini autem non desperavit misericordiam.

682 CAPUT V.

Parabola quam Davidi proposuit Nathan, exponitur; et Christo, susceptæque ab eo carni humanæ accommodatur.

20. Nec parabola videtur a mysterio discrepare. Quis enim dives, nisi Dominus noster Jesus, qui de se ait, ut hodie lectum est, quod *homo quidam cum dives esset, abiit in regionem longinquam accipere regnum et reverti (Luc. xix, 13)*. Et vere dives erat majestatis suæ opibus, et divinitatis propriæ plenitudine, cui Angeli et Archangeli, Virtutes et Potestates et Principatus, Throni et Dominationes, Cherubim et Seraphim indefesso obsequio serviebant. Sed tamen cum dives esset, reliquit nonaginta novem in montibus oves, et unam ovem quæ lassa remanserat, requisivit. Hanc princeps istius mundi, contemplatione illius divitis egenus et pauper, quasi filiam alimentis propriis nutrebat. Merito itaque defecerat, cui substantia erat cibus sæculi. Erraverat hæc ovis in Adam, insidiis sollicitata serpentis.

21. Et non mala ovis, quæ erat Verbi plena, utpote^c rationalis hebdomadis filia, et sancti munus auctoris; tamen non pretiosis aliquibus, sed vilibus pauperis diu opibus alebatur. Denique *de pane ejus, inquit, manducabat, et de calice ejus bibebat, et in sinu ejus dormiebat (II Reg. xii, 3)*. Non bona esca Æthiopum, noxius calix aureus Babylonis, qui gentes inebriat: non utilis somnus est dormientibus, malo vigilare. Denique turbati sunt omnes insipientes corde, obdormierunt somnum suum, et nihil invenerunt. Hospitii igitur gratia, quia susceperat hospitem, ut ei epulas exhiberet, illam pauperis ovem abstulit. De suis enim vel gregibus vel armentis si quod animal immolaret, nobis prodesse non poterat, quos nisi immolasset, non redemisset.

^a Id est, lepra.

^b Communem, hoc loco interpretare impurum et pollutum, ut ea vox sumitur Actuum cap. x, vers. 14 et alibi.

^c Rationalis hebdomadis, id est spiritualis ac mysticæ, sive, ut sanctus Doctor frequenter loquitur, intelligibilis hebdomadis, veteris scilicet Testamenti. Nam per hebdomadam antiquum fœdus designari

22. Infirmittates igitur nostræ fragilitatis in sua carne hospitali quodam suscepit affectu, cujus levandæ causa vel potius reficiendæ, carnem suam salutari illi obtulit passioni, ut et cibum nobis vitæ præberet æternæ. Et bene *agnam* dixit Scriptura (*Ibid.*), quia erat Virginis partus. Bene dignus morte pronuntiatur dives iste iudicio prophetico; quia et Caiphas prophetavit dicens: *Expediit unum hominem mori pro populo (Joan. xi, 50)*. Solus autem Dominus Jesus tali dignus electus est morte, qua tolleretur peccatum mundi. Pulchre quoque addidit: *Agnam restituet (II Reg. xii, 6)*; quia carnem propriam resuscitavit, carnem illam virginalis integritatis reddidit. Nec illud otiosum quod ait: *In quadruplum restituet*. Quadruplatur enim resurrectio mortuorum, sicut docet Apostolus dicens: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in virtute; seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale (I Cor. xv, 42 et seq.)*. Restituet plane in quadruplum agnam etiam illo modo quo potest jam homo dicere: *Si cui aliquid abstuli, reddo quadruplum (Luc. xix, 8)*.

683 Convenienter etiam illud adjecit: *Quia non pepercit (II Reg. xii, 6)*; non enim pepercit sibi Christus, ut omnibus subveniret.

23. Ideoque dictum est a Domino Jesu Christo ad servum suum David, ut mysterium declararet: *Quoniam tu hoc fecisti in occulto, et ego faciam hoc verbum coram omni Israel, et in conspectu solis hujus (II Reg. xii, 12)*. Et primo quidem nesciens sacramentum, commotus est David indignatione, sed non erravit affectu. Postea vero ubi cognovit mysterium magnum, magnum enim sacramentum Christi et Ecclesiæ, videns remissionem futuram omnium peccatorum, prævidens fulgorem gratiæ per lavacrum regenerationis, et infusionem Spiritus sancti, ait securus veniæ: *Peccavi Domino*; ut et ipse in eorum veniret consortium, quibus culpæ remissio proveniret. Advertis quemadmodum peccatum proprium deploraverit? Quis igitur miretur ei esse dimissum?

CAPUT VI.

Bonos et malos hoc inter se differre, quod illos peccata sequantur, hos præcedant; et quibus operibus David peccatum suum texerit.

24. Nunc consideremus opera ejus quibus potuit tegere peccatum. Etenim quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cavendum ne plura peccata sint, quam opera virtutum. Quod magna vi sapientiæ suæ sanctus Paulus expressit dicens: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdam autem et subsequuntur (I Tim.*

cum alibi significat, tum epist. ad Horont. ubi legas: *Hebdomas Veteris Testamenti est: octava Novi, etc.* Hic ergo totius loci sensus est: Natura humana etsi in Adamo lapsa fuerit, non tamen mala est, quippe quæ creata sit in Veteri Testamento, sub quo et prædictiones promissionesque incarnandi Verbi accepit, unde etiam dicitur *Verbi plena*.

v. 24), hoc est, non invenitur quisquam illibatus a culpa; habet quis bona merita, habet et vitia atque peccata. Omnia itaque nostra quasi in trutina ponderantur: si bonis igitur factis peccata præponderant, præcedunt ad iudicium; vergunt enim peccata quasi in profundum, vergunt quæ manifesta sunt vel pondere atque acerbitate, vel multitudine. *Quosdam autem, inquit, et subsequuntur*; hoc est, eos qui se egerint sobrie, sed fragilitate conditionis dederint aliquando etiam errori locum, bona facta præcedunt, mala sequuntur. Hi honestiores, sed tamen homines lapsi levioribus vitiis et erratis. Ergo justos sequuntur peccata, non præeunt; injustos præcedunt. Præponderant peccata quæ vergunt; sequuntur autem si quæ recte facta sunt, quasi quodam præiudicio peccatorum præeuntium prægravata. Similiter et facta bona manifesta sunt. Lucent enim opere virtutum, et splendore meritorum; et quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Ergo talia non teguntur, non obumbrat ea charitas quæ operit multitudinem peccatorum, non operit bonorum operum gratia, non abscondit virtutum multitudo, sed quasi nuda et intacta produntur. Non enim est in iis qui dicat: *Sub umbra alarum tuarum protege me* (Psal. xvi, 8). Crux enim Domini omnes abolet atque abscondit errores.

25. Quis igitur magis operuit et texit quam sanctus David, qui et alibi ait: *Et in umbra alarum tuarum speravi, donec transeat iniquitas* (Psal. lvi, 2); et sic dilexit Dominum, ut nimia charitate peccatum omne tegetet atque absconderet. Etenim si sanctus **684** apostolus Petrus lapsum suum confessione charitatis abolevit, et ille interrogatus a Domino dicente ei tertio: *Simon Joannis, amas me* (Joan. xv, 16)? ut quem tertio negaverat, tertio fateretur, atque ita trino quodam dilectionis velamine lapsum trinæ negationis absconderet: si quia semel Petrus flevit, veniam reportavit, quanto magis David, qui lavabat per singulas noctes lectum suum, et lacrymis stratum suum rigabat; cui erant lacrymæ suæ panis die ac nocte; qui cinerem tamquam panem manducabat, et potum suum cum fletu miscibat? Etenim si ejus qui conversus ingenuerit, miseretur Jesus; si Petrum aspexit, et ille flevit: quanto magis qui diu flevit, a conspectu Domini non recessit? Negavit Petrus, et non flevit, quia non respexerat Jesus; negavit secundo, et non flevit, quia non respexerat Dominus; negavit tertio, respexit Jesus, et statim flevit, et flevit amarissime. Ideo David qui semper flebat, dicebat: *Oculi mei semper ad Dominum* (Psal. xxiv, 15). Qui semper videbatur a Christo, dicebat: *Per exitus aquarum descenderunt oculi mei* (Psal. cxviii, 156).

26. Sed jam etiam facta ejus consideremus. Quis non tantarum laude virtutum unius criminis obum-

braret invidiam? Divino electus examine, statim probavit indignum se tanto non esse iudicio. Processit in prælium, et trepidantibus cæteris, solus allophylum Goliath verborum jactantia, et immanis corporis mole terribilem concurrente simul fide ac virtute prostravit. Unius fortitudo facta est universorum victoria. Conferatur, si placet, privatum crimen, et triumphus omnium: mors unius, et tantorum quos liberavit a morte, vita populorum.

27. Veniamus ad alia. Insidias patiebatur a rege, vitam ejus quærebat extinguere; sed dispositione divina in ejus rex potestatem traditus, cum totus pateret ad vulnus, a ferituris sociis David sanctus occurrit, et a corpore perituri vulnus lethale retorsit dicens: *Nolite tangere Christum Domini* (I Reg. xxiv, B 7). Quin etiam inimici illius ultus est mortem, flebiliter satis deploravit interitum, et debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo auctore deberi. Quo solo docuit omnes homines ad non præripiendum regnum, etiamsi debeatur; sed expectandum ut suo tempore deferatur. Utinam hunc virum imitati essent posteri, non tantas bellorum pertulisset acerbitates! Arguis quod unum occiderit, non consideras quod docuerit quemadmodum pax orbi Romano perpetua servaretur. Quam gravi adhuc luimus vastitate, quam publico quodam totius orbis funere appetiti necem b regis exsolvimus? Heu dira supplicia! Inde adhuc nobis barbarus hostis insultat, dum parata adversum se in nos arma vertuntur. Sic vires ceciderunt publicæ, sic Romana virtus suis motibus fracta consenuit, dum publico rapitur parricidio, quod paternæ sollicitudinis religione suscipitur. Idque eo usque præcavit, ut cum Adoniam filium regnum sibi usurpare comperisset, et serere conventus, non eum qui præripere gestiebat, sed eum qui exspectaret, eligeret.

685 28. Saltabat ante arcam Domini potentissimus regum, et cum a propria reprehenderetur uxore, quod denudatus esset ante faciem puellarum, respondit: *Coram Domino nudabor adhuc, et ero nugax ante oculos tuos; ut honorificetur*, inquit, *Dominus, qui me pro patre tuo adscivit in regnum* (II Reg. vi, 21), docens contuitum regalis potentie non habendum, ubi religioni exhibetur obsequium. c Honestum est enim pro religione facere, etsi id incongruum potestati sit.

29. Specta aliud memorabile. Parricida filius regnum patrium violenter invaserat, cedebat primo pater ejus furori, et locum prælii declinabat; ut vel sic impius a furore resipisceret. Bello quoque interesse noluit, rogavit ad prælium profecturos ut parcerent filio. Securus erat de victoria, qui rogabat ut parcerent: nec pietatis alienus, qui perire debere etiam impium filium non putabat. Flevit, et magno luctu deploravit exitum parricidæ dicens: *Filius*

a Ita edit. Gill. ac Rom. cum multo maxima parte ms. Edit. vero Am. atque Era., *separatus a sociis David sanctus occurrit*. Mss. aliquot, *separatus a sociis David sancto occurrit*.

b Videlicet Gratiani imperatoris, ut diximus in Admopit. ad hunc librum.

c *Honestum est enim*, et quæ sequuntur usque ad verbum *Specta*, etc., in Rom. edit. ablata fuerant.

meus Abessalon, quis dabit mihi mortem pro te, filius meus Abessalon (II Reg. xviii, 33)? Vindicandum putabat eum qui pro paternæ vindicta pietatis occiderat.

30. Quam vero injuriæ patiens et doloris! Cedebat, ut dixi, filii sui Abessalon furori, vallatus dextra lævaque validis bellatoribus. Maledicebat ei vir cui nomen Semei, cruentum appellans, et virum sanguinis, dignoque iudicio Domini dejectum esse de regno: sed ne talibus quidem movebatur conviciis; movebantur autem comites ejus. Denique unus ex sociis (Abessa nomen viro) minitatus est quod injuriæ pretium caput ejus auferret: sed rex conversus ad Abessa: *Quid mihi, ait, et tibi est, fili Sarvia? Ideo maledicit mihi, quoniam Dominus dixit illi, ut maledicat* (II Reg. xvi, 10). Quam moraliter docuit B quod injuriarum vel periculorum nostrorum tempora, tentationum certamina, et examina probationum sint; et ideo non sine divino ea irrogari solere iudicio? Exercetur bonus athleta conviciis, exercetur laboribus et periculis, ut dignus sit cui deferatur corona justitiæ; et ideo ferenda patienter sunt quæ putantur adversa. Denique et alibi id te docet Scriptura divina, dicente justo: *Si bona accepimus de manu Domini, quæ mala sunt cur non sustineamus* (Job. ii, 10).

31. Et addidit sanctus Propheta dicens: *Ecce filius meus qui exivit de ventre meo, quærit animam meam. Si autem Jemineus maledicit mihi, dimitte illum ut maledicat; quoniam dixit illi Dominus, ut videat humilitatem meam; et retribuet mihi Dominus pro maledicto hoc* (II Reg. xvi, 11 et 12). O altitudo prudentiæ! o insigne patientiæ! o devorandæ contumeliæ grande inventum! Moveris, inquit, Abessa, quod mihi maledicat extraneus, quem parricidio petit filius; Dominus dixit ei ut maledicat mihi. Sed non est maledicus Dominus, nec delectatur contumeliis.

32. Vide quam singula diligenter custodiat. Non accusat Dominum quasi auctorem injuriæ; sed magis laudat^a quod patiat nos minora perpeti, ut majorum veniam peccatorum adipiscamur. Ecce verborum contumelia parricidii levavit ærumnam, absolvit procacem, cujus maledicta plus prosint, quæ divina remuneratione donantur. **686** Quis secum talem non compenset injuriam; ut quem homo læsit, eum Deus meliorum retributione soletur?

CAPUT VII.

De pugnis David contra gigantes, et aquæ Bethleemici lacus libatione; ex quibus aliisque præclare factis concluditur suum ab eo peccatum tectum fuisse: præsertim cum illud non cruento affectu patriverit, et postea se Deo, quam hominibus maluerit committere; nec non crimen sibi dimissum ipse docuerit.

33. Alia quoque ejus gesta consideremus. Pugnavit adversus progeniem gigantum, quando unus ex

^a Mss. septem, quod patiat. Nos minora perpeti nolumus, ut majorum, etc. Reliqui vero, jique potiores cum edit. omnibus nobiscum faciunt.

A illis versantem in prælio regem pene percusserat, quos ausus tamen adversarius exceptæ pretio mortis exsolvit.

34. Hoc quoque percepto victæ gentis ferocis triumpho, iterum in valle Titanum bellum immane suscepit, non minus adversus hostem, quam adversus naturam. Sitiens enim cum versaretur in bello, quod biberet non habebat: *Quis mihi potum, inquit, dabit de lacu qui est in Bethleem ad portas* (II Reg. xxiii, 15). Erat autem inter lacum et sanctum David interfusus hostis, et media hostilium septa castrorum. Præciderunt tres viri multitudinem adversariorum, et impleverunt aquam de lacu qui erat in Bethleem, et obtulerunt regi bibendam: sed rex noluit bibere, b et profudit illam Domino. Dignum etenim tantomunere fuit, ut quæ erat vividæ virtutis insigne, fieret pietatis sacrificium. Dixitque dignam prophetico spiritu sententiam: *Non contingat mihi hoc facere; ne sanguinem virorum qui abierunt ex animis illorum, bibam* (Ibid., 17). Vicit ergo naturam, ut sitiens non biberet; et exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret. Exercuit etiam subditos ad virtutis officium, ut etiam per pericula regali imperio voluntarii milites obtemperarent. Quod autem noluit bibere, declaravit probandorum militum se imperasse gratia, non sitis victum necessitate: prospexisse etiam ne cui regum bibendi usus alienis periculis quæreretur. Postremo piæ vulnus conscientiæ deprecatur, eò quod aqua tot virorum quæsita sanguine, suavitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret.

35. Quod si altius velis spectare, et introspicere mysterium, sitiebat David non aquam de lacu qui est in Bethleem, sed oriundum ex Virgine Christum in spiritu prævidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritalis, hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino fudit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum: illud sacrificium in quo esset remissio peccatorum, illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis; sed pericula aliena depelleret.

36. Tot igitur operibus tam mirandis unius sanguinem tectum non credimus? Merito vox sanguinis D Abel justi clamabat ad Dominum; quia nullis Cain impius bonis operibus tegebatur, quia **687** parricidalis erat, quia non confitebatur flagitium, sed negabat. David vero occiderat quidem virum minime reum; sed occiderat non studio crudelitatis impulsus, sed ut obumbraret pudorem, tegeret^c verecundiam concupiscentiæ. Non audeo dicere quod vi criminis fuerit oppressus (neque enim oppressus est, qui scivit quemadmodum a ruina illa peccati se posset levare), dico tamen quod vi tentationis inflexus sit. Dixerat enim supra: *Proba me, Domine, et tenta*

^b Rom. edit., et libavit illam Domino. Ita etiam infra.

^c Rom. edit., verecundiam conscientiæ; commodius alix ac mss., verecundiam concupiscentiæ.

me : ure renes meos et cor meum (Psal. xxv, 2). Et A alibi : Ego autem dixi in mea abundantia, non movebor in æternum (Psal. xxix, 7). Et : Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas (Psal. xvi, 3). Voluit eum subjacere Dominus tentationi, ne supra hominem sibi aliquid arrogaret; nam virtus in infirmitate consummatur. Neque enim cruento fecit affectu: nihil minus sancto Prophetæ ascribi potest, qui etiam vita decedens suprema voce convenit Salomonem filium: ut innocentem sanguinem a se tolleret, quem fuderat dux ejus exercitus Joab, quando Abenner, cum de ineunda societate tractaret, dux licet adversarii agmīnis insidiis appetitus occubuit; quem flevit, et ^a post luctum ejus ambulans, depositis infulis potestatis, exsequiarum justa curavit. Quo facto docuit etiam adversariis fidem promissam esse B servandam, honorandam quoque et in hoste virtutem. Nonne tam miti suæ hæreditate pietatis, etiam hujus nævum deterisit erroris?

37. Quam præclarum autem, quod tribus oblatis sibi conditionibus quam vellet eligeret, quando numerato populo contraxit offensam, cum propositum esset utrum triennio famem super terram fieri vellet, aut tribus mensibus fugere a facie inimicorum suorum persequentium se, aut triduo fieri mortem in terra; tertium elegit, quod Domini se mallet, quam hominum committere potestati! Dominus enim cito miseratus ignosceret. Itaque sic ait : *Angustiae sunt mihi valde in his tribus : sed magis incidam in manus Domini (quoniam magna est misericordia ejus valde) quam in manus hominum incidam* (II Reg. xxiv, 14). C Hac humilitate, prudentia, mansuetudine fecit, ut verbis Scripturæ utar, habere Dominum propriæ commotionis pœnitentiam. Denique sic scriptum est : *Quia pœnitentiam habuit Dominus super malitiam* (Jerem. xvi, 19).

38. Quam vero illud etiam admirabile (De Pœnit. dist. 3, cap. Illud vero), quod Angelo ferienti plebem se obtulit dicens : *Grex iste quid fecit! Fiat manus tua in me, et in domum patris mei* (II Reg. xxiv, 17). Quo facto statim dignus sacrificio judicatus est, qui absolute æstimabatur indignus. Nec mirum si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam, cum Moyses offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleverit.

39. Textit igitur peccata sua, an non? Sed quis D hoc neget, cum ipse docuerit Propheta, quod remittantur iniquitates, tegantur peccata, non imputentur a Domino? Peccatum remissum sibi **688** ipse docuit, sicut scriptum est : *Delictum meum agnosco, et injustitiam meam non operui. Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu dimisisti*

impietatem cordis mei (Psal. xxxi, 5). Si dixit, *Pronuntiabo*, et veniam meruit antequam pronuntiaret; quanto magis ubi de se pronuntiavit dicens : *Iniquitatem meam ego agnosco* (Psal. l, 5), remissum est ei omne peccatum? Licet specialiter de hoc et Nathan propheta responderit : *Et Dominus traduxit peccatum tuum* (II Reg. xii, 13).

40. Ergo et remissionem meruit iniquitatis, et textit charitate atque operuit peccata sua, et textit operibus bonis. Nec imputatum est ei peccatum, quia non fuit in eo dolus malitiæ, sed lapsus erroris. Deinde quia non fuit improbitatis æstus, sed umbra mysterii. Et tamen confessus est delictum suum, agnovit iniquitatem, vidit lavacrum, et vidit, et credidit. Dilexit multum, ut nimia charitate tegere quemvis posset errorem.

CAPUT VIII.

Cur psalmus L aliis quibusdam in res anteriores compositis præmissus; et quæ mysteria in quinquagesimo numero comprehensa? Quomodo Davidis exemplum agendam pœnitentiam doceat; quamve multipliciter mundetur quis ab iniquitate?

41. ^b Sed jam se ipse defendat, nam quinquagesimum psalmum ad eam scripsit historiam. Et cum priorum gestorum suorum historiam subjecerit, ut de prodicione Doeck Syri, cujus est titulus in psalmo quinquagesimo primo, et Zyp hæorum, quæ comprehendit titulo videtur psalmi quinquagesimi tertii; istam quæ posterior est, præmisit historiam, cum Doeck ante prodiderit, vel Zyp hæi, quam regnum David propheta susciperet. Quandoquidem regem Saul fugiens, adhuc ^c per diversa secreta exsul errabat; Bethsabee autem cum jam regnaret, accepit.

42. Cur ergo secundum gestorum ordinem psalmore quoque ordo non quadrat? Quia non tam ordinem ordini, quam mysterium gestis voluit convenire; ideoque numerum remissionis aptare huic voluit historię. Quinquagesimus enim numerus remissionis est numerus, sicut in Evangelio Dominus ipse nos docuit dicens : *Duo debitores erant cuidam fenaratori; unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta; non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit* (Luc. vii, 41 et 42)? Et in Lege habes (Levit. xxv, 10 et seq.), quia jubilæus dicitur numerus quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodum, quo debita vacuantur, confirmantur Hebræorum libertates, possessionum refusiones. Hunc numerum læti celebramus post Domini passionem, remisso culpæ totius debito, chirographo quoque vacuato, ab omni nexu

ravit. Sed retinenda vox, *justa*, quæ pro inferiis, seu exsequiarum ceremoniis passim ab auctoribus usurpatur.

^b Omissis primis duabus capitulis hujusce lineis, quidquid ab his verbis, *cum priorum gestorum* usque ad finem tractatus sequitur, in classem enarrationum in psalmos rejecerat Rom. editio.

^c Rom. edit. sola, *per diversa deserta*.

^a Remig. codex, et post feretrum ejus ambulans; reliqui atque omnes edit., et post luctum, etc., id est, funebrem ejus pompam prosequens. Etenim luctus hoc loco non aliud significat, quam in Actis Apostolorum planctus, quo dicitur elatus Stephanus protomartyr. Iterum ubi cunctæ edit. et mss. longe plurimi, *exsequiarum justa curavit*, habent ms. Benig., *exsequiarum busta; Albin., lustra; Coen., excubias cu-*

liberi; et suscipimus advenientem in nos gratiam Spiritus sancti die Pentecostes: ^a vacant jejunia, laus dicitur Deo, alleluia cantatur. Denique (36, quæst. 2, cap. Denique) et 689 puellæ pater illius quæ per vim, concubitus nulli desponsata pertulerit quinquaginta didrachmata argentea accipiet; ipsa autem in conjugio permanebit (Deut. xxii, 29). Hoc ergo numero etiam vitia vertuntur in gratiam. Magnus igitur psalmus, quo docemur quemadmodum agenda poenitentia sit.

43. Miserere, inquit, mei, Domine, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. In multum lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco: et delictum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in delictis peperit me mater mea (Psal. L, 3 et seq.). Quis nostrum etiamsi constiteatur delictum suum, non perstringendum potius, quam repetendum putet? Quis secundo repetat, aut tertio? Vide quot versibus tantus Propheta peccatum suum resonet, quam nullus versus sine confessione delicti sit. Congessit omnia simul, iniquitates suas et injustitiam personando, jungens delicta peccatis; atque ea sæpe ^b repetendo, merito magnam misericordiam poscit; nec solum magnam misericordiam, sed etiam multitudinem miserationum. Quod ergo peccatum talis non diluat deploratio, quam culpam precatio hujusmodi non emundet? Ille pro uno peccato miserationum multitudinem deprecatur: nos pro pluribus peccatis vix semel ejus misericordiam credimus obsecrandam. Deinde legimus (Psal. cxxxv, 11 et 12) quia in virtute sua magna, et brachio suo excelso populum suum de terra Ægypti liberavit, quando traduxit eum per mare Rubrum, in quo fuit figura baptismatis. Si ergo virtus magna in figura fuit sacramentorum, quanto magis in veritate eorum magna misericordia est? Recte quoque illic poscitur miserationum multitudo, ubi multitudo peccantium est.

44. In multum lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me (Psal. L, 4). Non tam sapius, quam plenius lavari petit, ut conceptam sordem possit eluere. Noverat secundum Legem (Levit. xi et xiii) pleraque mundandi esse subsidia, sed nullum plenum atque perfectum. Ad illud ergo perfectum tota intentione festinat, quo justitia omnis impletur, quod est baptismatis sacramentum, sicut ipse docet Dominus Jesus. Nam cum venisset ad Joannem, ait Baptista: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me (Matth. iii, 14)? Respondit Dominus: Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam (Ibid., 15).

^a Edit. Am., Gill. ac Rom. cum paucis mss., vacante jejunio; Era. et plures mss., vacant jejunia. Quo loco observare licet veterem Ecclesiæ ritum non jejunandi hisce totis quinquaginta diebus qui inter festa paschatis ac pentecostes intercedunt; crebrius vero canticum Domini Alleluia per idem tem-

A Sed posteaquam baptizatus est Christus, et Spiritus sanctus super eum tamquam columba descendit, et Pater Filium signavit e cælo; justitia omnis impleta est. Ideo Propheta dicit: In multum lava me ab injustitia mea. Grandis enim squalor et macula non exigio, sed multo aufertur lavacro.

690 45. Quod si quis aliter accipere vult, potest ita suum formare intellectum; mundat sermo divinus, mundat nostra confessio; ille dum auditur, ista dum promitur; mundat bona cogitatio, mundat honesta operatio, bonæ quoque usus conversationis. His mundatus unusquisque facilius haurit, et tamquam in se rapit splendorem gratiæ spiritualis. Denique non una infusione velleris statim pretiosus succus irradiat, sed primum succo ignobili vellus inficitur; deinde Ballis atque aliis succis naturalis ejus species frequenter eluitur, et diverso sæpius colore mutatur; ac sic postea velut plenioris lavacri adhibetur inlectio, ut purpuræ verior atque perfectior fulgor irrutillet. Sicut igitur muricum plurimorum in purpuræ infectione, ita in lavacro regenerationis miserationum est multitudo cælestium, ut iniquitas deleatur. Itaque qui in multum lavatur, ab injustitia mundatur et a delicto, et peccandi quamdam inolitam studiis ac moribus deponit habitudinem, et obliviscitur qualitatem. Et bene lavatur ab injustitia vel iniquitate, quæ major est: mundatur et a delicto quod minus est.

CAPUT IX.

C Paucos cum David peccata sua agnoscere, immo plures de illis gloriari; sapientem delicti sui numquam deponere memoriam; et quanta sit conscientiæ vis? Inter peccatum et iniquitatem discrimen esse: quo pacto illa baptismate ac poenitentia charitati conjuncta deleantur.

46. Ideoque addidit: Quoniam iniquitatem meam ego agnosco; et delictum meum contra me est semper (Psal. L, 5). Non mediocre est, ut agnoscat unusquisque peccatum suum. Ideoque et supra ait: Lapsus quis intelliget (Psal. xviii, 13)? id est, quis est tantus ut intelligat? Quomodo illud: Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis ascendet in montem Domini (Psal. xiv, 1)? Non utique nullus, sed rarus. Qui enim potest agnoscere, potest declinare, potest quid sequatur, eligere. Plerique in suis lapsibus gloriantur, et putant ea laudi esse quæ crimini sunt. Si alienum coinquinavit thorum, et pudicæ feminae expugnavit affectum, si viduæ propositum aliqua fraude mutavit: alius nece hominis, latrocinii insidiis, et rapto vivere putat esse virtutis: nonnulli circumvenire ac fallere arbitrantur esse sapientiæ. Ex his nullus potest dicere: Quoniam iniquitatem meam ego

pus in officio divino concinendi. Sed de his plenius lib. viii Comment. in Evang. Lucæ, ad cap. 17.

^b Mss. Corb. sed secunda manu, Alb., Ebr. et Vine., repetendo. Merito non solum magnam misericordiam; sed etiam multitudinem promeruit miserationum.

agnosco : sed ille qui potest dolere quod fecerit, condemnare quod deliquerit, quem sua vitia compungunt. Unde et Propheta ait : *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (Psal. IV, 5). Plerique equorum cum ceciderint, se jactare consuerunt; et quos casus non læserit, jactando se debilitant et frangunt. Alii (qualis Græcorum equorum fertur natura) cum vel ^a in certamine curuli elisi fuerint vel fortuito ceciderint, **691** nequaquam se movere consuerunt, et quamdam tenent quietis et patientiæ disciplinam. His si casus non nocuit, quies prodest; certe non acerbatur offensio. Nonne mutis animalibus deteriores æstimandi, qui se in flagitiis suis jactant, et putant insigne esse virtutis, ubi lapsus est criminis? Ideo quasi muto dicitur jumento : *Peccasti, quiesce* (Gen. IV, 7).

47. Unde pulchre addidit : *Et delictum meum contra me est semper*. Insiptens enim delectatur erroribus suis, et novis vetera obumbrando, peccatis se existimat adjuvari; ideoque exultat in crimine. At vero sapiens adversum se judicat esse delictum suum, et tamquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum adversantium modo sibi arbitratur obsistere. Quidquid personuerit, quidquid increpauerit, culpa ei propria semper occurrit; quidquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat; quidquid intenderit, ^b se nutu, se oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret ac deprecetur, ante oculos ejus semper est error proprius, et momentis omnibus culpa pulsatur conscientiam, nec quiescere, nec oblivisci sinit, velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo. Omnia igitur adversa habet, qui ipse sibi displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec invenit quo fugiat, qui ipse se perurget, et stimulat. Sed hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbiter, quod est immedicabilis ægritudinis : qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Ubi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ; sentire enim vitalis vigoris ac muneris est. Unde et ille qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit; qui autem agnoscit, utique resipiscit, non respuit remedia sanitatis, sed se ipse restringit, pœnitet eum cul-

pæ, de ipsa semper cogitat, et cogitando se ipse condemnat. Justus enim in primordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat, justus est; qui justus est, sobrius est, sanus est. Justus favere sibi nescit, rigorem judicii etiam circa se non novit inflectere, recordationem lapsus proprii perhorrescit, et commissum erubescit errorem, omnem ejus memoriã pavet, metuit, reformidat; gravem sibi se judicat, se ipsum arbitrum refugit, nec sese sibi audet committere; quod nullum putat sibi esse graviorem; quam eum quem latere non possit, fallere non queat, fugere ac vitare non reperiat, nisi ut se sibi abneget, et Domini crucem tollat.

48. Magna vis obnoxiiæ conscientiæ, magna supplicia. Timebant Adam et Eva; et cum Domini vocem **B** in paradiso ambulantis audierunt, cupiebant se abscondere, quos nemo quærebat. Cain quoque metuēbat, ne omnis eum quicumque inveniret, occideret : ita in se ipse ferebat sententiam, quod dignus esset cui nullus ignosceret. Unde bene ait : *Et delictum meum contra me est semper*, hoc est, sine intervallo aliquo recordatio et species ipsa mei me erroris impugnant. Considera quomodo nos confundat, cum aliquid deliquimus, quomodo incursēt oculos, quomodo in memoriã semper recurat. Quem commissi **692** pudet, nescit postea aliquid tale committere, unde similiter erubescat.

49. Præcedit autem iniquitas, peccatum sequitur. ^dRadix est iniquitas, fructus autem radicis est culpa. Unde videtur iniquitas ad mentis improbitatem referri, peccatum ad prolapsionem corporis. Gravior iniquitas tamquam materia peccatorum, levius peccatum. Denique iniquitas per lavacrum remittitur, peccatum tegitur ^e bonis factis, et tamquam aliis operibus obumbratur. Unde bene supra hic ipse ait : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecti sunt peccata* (Psal. xxxi, 1). Charitas enim abscondit errorem, et operit multitudinem peccatorum. Multa quoque charitas remittit etiam ipsa peccata, sicut scriptum est de muliere, quæ super Dominum fudit unguentum : *Remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum* (Luc. vii, 47).

50. Sunt etiam qui accipiant priorem versiculum de lavacro esse, secundum de pœnitentia. Qua etiam

^a Eorum qui in curuli certamine equos agitabant **D** posita in hoc erat industria, ut ferventi equorum cursu tam perite flecterent currum, ut ejus modiolus proxime quidem ad metam accederet, minime tamen eam tangeret. Non enim impune illi erat, qui in eandem impegisset. Siquidem contingebat non raro, ut frangeretur currus, eliderentur equi, atque etiam interdum auriga misere dilaceraretur. Pseudo-Orestæ in ejusmodi certamine laniati casum elegantissime describit Sophocles in Electra. Hinc etiam Homerus, Iliad. ψ, Nestorem inducit filio currum agitaturō caute præcipientem qua ratione equos ab eo regi oporteat, ut ad præmium perveniat inoffensus. Inter cætera autem ita commonet :

Ἐν νόσῃ δὲ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγγυμφοθήτω,
ὡς ἂν τοι πλήμνη γὰρ δράσσειται ἄκρον ἰκέσθαι
Κύκλου ποιητοῖο, λίθου δ' ἀλίσταται ἱπαυρεῖν,
Μήπως ἵππους τε τρώσῃς, κατὰ θ' ἄρματα ἀέης.

Hoc est : « Equus sinister urgeatur ad metam, ita ut ejus summam partem videatur elaboratæ rotæ modiolus tangere, in lapidem vero non impingat; ne quo modo et equos vulneres, et currum in terram dejectum frangas. » Idem infra non incrementum unius e concurrentibus lapsum narrat, quem tibi adire, si libet, licet.

^b Mss. quatuor, *se notis, se oculis, etc.*

^c Sic edit. omnes ac plerique mss. At Corb., Alb., Ebr. et Vinc. habent : *nisi ut obnoxium se conscientiæ fateatur. Magna supplicia timebant, etc.*

^d Mss. aliquot, *Peccati radix iniquitas.*

^e Edit. vet., *bonis factis, et tamquam malis*; Rom. edit., *et bonis operibus tamquam alis*, non male. Attamen plerique omnes mss. nobiscum faciunt.

gratia Petrus qui ante fuerat baptizatus, interrogatur, postquam visus est Dominum negasse: *Simon Joannis diligis me? Dixit ei: Utique tu scis, Domine, quia diligo te (Joan. XXI, 15 et seq.)*. Et iterum interrogatur: *Simon Joannis, diligis me?* Et iterum respondit: *Tu scis quia amo te*. Et tertio interrogatur: *Simon Joannis, amas me?* Et contristatus est, quia dixit ei tertio: *Amas me; et dixit ei: Domine, omnia tu scis, tu nosti quia amo te*. Et dictum est ei trina vice: *Pasce oves meas; sequere me (Ibid., 18)*, quasi qui peccatum suum nimia charitate texisset. Nec otiose post confessionem nimiae charitatis jubetur plebem regere, qui etiam turbatus non amiserat, quemadmodum ipse se regeret? Hæc propter gratiam diximus charitatis, eo quod peccatum legat. Denique nonnulli ideo trinam interrogationem dilectionis factam esse dixerunt, quia trina fuerat negatio; ut trinæ lapsus negationis professio charitatis toties repelita deleret.

CAPUT X.

David licet legibus humanis liberum, se tamen Deo subjecisse, cui soli peccavit; et quot modis ultimum hoc intelligendum? Magnum scelus præsentem Deo peccare. Qui peccatorem se neget, mendacii ab eo accusari ipsum Deum, cujus patientia et moderatio commendatur. Ad hæc Deum ab illo etiam justificari, qui pœnitentiam agat erroris.

51. Sequitur, *Tibi soli peccavi (Psal. L, 6)*. Rex utique erat, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges a vinculis delictorum; neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti sub imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius. Sed quamvis tutus imperio, devotione tamen ac fide erat Deo subditus: et legi ejus subjectum se esse cognoscens, peccatum suum negare non poterat; sed quasi reus cum amaritudine fatebatur, qui sciret majoribus vinculis se teneri, quia majora deberet; quoniam plus ab eo exigitur, cui plus commissum est. Possumus etiam et ita accipere. Quis me dijudicat, cum omnes sub peccato sint? Denique Dominus de illa adultera: *Qui sine peccato, inquit, est, prior lapidet eam (Joan. VIII, 7)*. Et nemo eam lapidavit. Hoc igitur ait Propheta: *Tibi soli peccavi*, qui solus sine peccato es. Qui autem peccato obnoxius est, quasi peccatorem non potest judicare. Inexcusabilis est enim omnis homo qui in alio ea quæ agit ipse, condemnat; in quo enim alium judicat, semet ipsum adjudicat. *Tibi, inquit, peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (Psal. L, 6)*. Tibi peccavi, qui me ad virtutis studia provocasti, qui me erudisti in lege tua. *Tibi soli peccavi*, quem solum abscondita cogitationum, et mentis occulta non fallunt.

52. *Et malum coram te feci*, quem solum sanctificatio decet. Hominis testimonium declinamus, et in conspectu tuo ea quæ sunt indigna committimus.

^a Rom. edit., summum Deum videmur arguere mendacii.

A Injuria est homini spectare flagitia. Deum arbitrum omnium esse scimus, et eo ipso teste, peccamus: et tamen in his justificatur magis Dominus Deus noster; quia injustitia nostra Dei justitiam commendat, et mendacium nostrum concelebrat veritatem Dei. Sit enim Deus verax, omnis autem homo mendax.

53. *Ut justificeris in sermonibus tuis*. Sermones Dei pleni veritatis sunt atque justitiæ, ideoque vera sunt quæcumque locutus est Dominus de fragilitate humana, quia inclinatum est cor eorum ad nequitiam, propendet ad fraudem; et quia definivit eo quod non sit homo qui non peccet: *omnes enim declinaverunt, et inutiles facti sunt (Psal. XIII, 5)*. Ideo vincit dum judicatur, quoniam prolapsione universorum probavit quæcumque de nostra judicavit fallacia. Ergo si dixerimus quia iniquitatem fecimus, justificamus Deum in sermonibus suis: si autem dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus Deum: sed impossibile est mentiri eum: nos igitur omnes sub peccato esse manifestum est.

54. Quantum igitur crimen, ut homo peccatorem se neget? Quoniam quantum in ipso est, ^a summi Dei videtur arguere ac refutare mendacium, qui tam moderatus et patiens est, ut vincat cum judicatur. Venit enim ad judicium Deus et dicit: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid contristavi te, aut quid molestus fui tibi? Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servitutis liberavi te, et misi ante faciem tuam Moysen, Aaron, et Mariam. Plebs mea, in mente habeto quid cogitaverit de te Balach (Mich. VI, 3 et seq.)*. Singula in conspectu tuo locat beneficia sua, ut tamquam de his judices quæ servare debueras, quo magis reus fias, qui divinis non potueris stare beneficiis. *Quid feci, inquit, tibi?* Tamquam reum se constituit, et te judicem. *Aut quid contristavi te?* Offensi vultus non abnuat crimen, si tu Deo es contristatus auctore. *Aut quid molestus tibi fui?* Interpellationis injuriam confitetur, si molestior æstimata est: addidit beneficia quorum gratia non erubuit, qui existerat ingratus. In hac quoque causa considera quomodo Dominus **694** se ipsi David judicandum præbuit, ut vinceret; dicit enim Nathan: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et ego liberavi te de manu Saul, et dedi tibi omnia quæ erant domini tui, et uxores illius in sinum tuum dedi, et dedi tibi domum ipsius Israel; et si pauca sunt, adjiciam tibi. Et quare pro nihilo duxisti Dominum, ut faceres nequiter in conspectu ejus (II Reg. XII, 7 et seq.)*. Horum commemoratione conventus, cum videret inferiorem se esse, cum judicaret, ait: *Peccavi Domino (Ibid., 15)*. Ita justificavit Dominum, qui peccatum suum negare ausus non est.

55. Possumus et ita accipere: justificat Dominum qui peccatum suum fatetur. Denique in Evangelio (*Luc. VII, 29*) habes quia Publicani justificaverunt

Deum, baptizati baptismo Joannis. Baptista autem Joannes baptismum fecit poenitentiae. Qui autem agit poenitentiam delicta non abnuit. Ergo quia David contra se habebat semper delictum suum, utique non negabat quod et erubescerat, non negabat quod et agnoscebat. Non negando autem utique commissi poenitentiam gerebat erroris; atque ita confitendo delictum, justificabat Dominum, et ipse justificabatur a Domino. Justificatur enim Dominus, dum ejus praedicatur justitia, et ab eo venia postulatur. Simul et ipse justificat contentem, et justificatur in sermonibus suis, sicut scriptum est: *Dic iniquitates tuas, ut justificeris (Esai. XLIII, 26).*

CAPUT XI.

Prophetæ verbis doceri, qui in iniquitate non concipiatur, esse neminem. Utrum parentum an prolis ea sit iniquitas, a qua solus Christus immunis fuisse ostenditur?

56. Sequitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (Psal. L, 7).* Quis tanto affectu agit poenitentiam? Humi stratus jacuit fusus in lacrymas, cibum non gustavit, lavaero se abdicavit. Quid jam reliqua dicam, ^a quod abstinerit ornatu et comptu regio (*Conf. S. Aug., lib. IV cont. duas epist. Pelag., cap. 11*)? Adjunxit confessionem iniquitatis suæ, et in perpetua sæcula toto canendam orbe transmisit. *Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* ^b *Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.* Antequam nascamur, maculamur contagio; et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur: non expressit utrum parentum, an nostra. Et in delictis generat unumquemque mater sua: nec hic declaravit utrum in delictis suis mater pariat; an jam sint et aliqua delicta nascentis. Sed vide ne utrumque ^c intelligendum sit. Nec conceptus iniquitatis exsors est, quoniam et parentes non carent lapsu. Et si nec **695** unius diei infans sine peccato est, multo magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt. Concipimur ergo in peccato parentum, et in delictis eorum nascimur. Sed et ipse partus habet contagia sua, nec unum ^d tantummodo habet ipsa natura contagium. Bonum

^a Omnes edit. ac mss. longe plurimi, *quod abstinerit ab ornatu et comitatu regio; omnium probatissimi... et comptu regio.* Utrumque non male.

^b Tres sequentes L psalmi versiculos omiserant Rom. editores.

^c In totum hunc locum mss. ac vet. edit. consentiunt; eum vero edit. Rom. inverit in hunc modum, *intelligendum sit; quoniam et parentes non carent lapsu, nec conceptus iniquitatis exsors est. Nam si nec unius diei infans sine peccato est, multo magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt. Bonum quidem conjugium, sancta copula, quia honorabile conubium, et thorus immaculatus: sed tamen qui habent uxores, ita sint ac si non habentes; et nemo alterum*

A quidem (*Conf. S. Aug. lib. II, cont. Jul. Pel., cap. 7*) conjugium, sancta copula; sed tamen qui habent uxores ita sint, ac si non habentes. Ipse thorus incoquinatus: et nemo alterum fraudare debet eo, nisi forte ad tempus, ut vacent orationi. Tamen secundum Apostolum non vacat orationi quis eo tempore, quo usum corporeæ illius conventionis exercet, et mulieris menstruatæ coquinatus est panus, nec potest illis diebus purgationis suæ offerre sacrificium. Et mulieris quæ generaverit dies partus et plerique alii a sacrificio feriati sunt, donec legitimo ritu seta mundetur.

57. Ideo in quo voluit Dominus nulla hujusmodi originis esse contagia, dicit illi Dominus: *Priusquam te formarem in utero matris tuæ, novi te; et priusquam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te (Jerem. I, 5).* Quis tantus, cui tam magna delata sunt? ^d Numquid Hieremias? Sed ille non utique in gentibus propheta propositus, sed in Judæa tunc temporis, nunc autem etiam in nationibus, quæ in Jesum Christum Dominum crediderunt. Vide tamen ne illi dicatur, qui antequam nasceretur ex Virgine, jam dudum erat, et erat semper, et operabatur etiam in utero Mariæ constitutus; et ita sanctus erat, ut sanctificaret prophetas suos: in quo solo et conceptus virginalis et partus sine ullo fuit mortalis originis inquinamento. Dignum etenim fuit (*Conf. S. Aug. lib. IV cont. duas epist. Pelag., cap. 11*), et qui non erat habiturus corpore peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Merito ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula quam vita.

CAPUT XII.

Confitenti peccatum cœlestia sacramenta divinitus pateferi: cum hæc incerta in psalmo dicuntur, significari non esse manifesta; sed præcipue hoc loco baptismatis lavacrum præfigurari.

58. Dum hæc dicit, et peccatorum specialium atque communium colluviem confitetur, subito ei splendor veritatis, et candor gratiæ spiritualis affulsit. Supergressus enim umbram, spiritu prophetico ipsa vidit mysteriorum sacramenta cœlestium, quorum typum Moyses præfiguravit in Lege (*Exod. XXIV, 7 et seq.*). Vulneratus igitur charitatis vulnere, et in-

fraudare debet, nisi forte ad tempus, ut vacent orationi, et iterum in unum convenire, ne tentet Satanas propter incontinentiam. Concipimur ergo in peccatis parentum, et in delictis eorum nascimur. Sed et ipse partus habet contagia sua, nec unum tantummodo habet ipsa natura contagium. Unde in Lege dies partus, et plerique alii a sacrificio feriati sunt: mulier enim quæ generavit, non potest in diebus purgationis suæ offerre sacrificium, nec ingredi Sanctuarium, donec legitimo ritu mundetur a fetu.

^d Ita mss. ac edit. omnes, excepta Rom. ubi legitur: *Numquid Hieremias? Non utique. Ille enim non in gentibus propheta propositus, sed in Judæa tantum, licet nunc etiam in nationibus... Vide igitur, etc.*

dagandæ captus veritatis cupiditate, in superiora A telligibilis, de qua ait quod Domini Jesu in Evange-
suaræ mentis extendit intuitum, et in futura prospiciens, thesauros sapientiæ et scientiæ vidit in Christo; prævidit baptismatis sacramentum, et miratus gratiam exclamavit subito dicens: *Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta* **696** *sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (Psal. I, 8). Non incerta mysteria, quia certa sunt; nec incerta secreta et arcana sapientiæ, sed non manifesta. Hoc enim significat, quia nullis adhuc essent manifestata. Quod enim oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, hoc præparavit Deus diligentibus eum. Videns igitur ea dicit: Ecce jam non in umbra, nec in figura, nec in typo, sed in veritate lux aperta resplendet: ecce nunc veritatem aspicio, splendorem veritatis agnosco: nunc te majori, Domine Deus noster, veneror affectu. *Ecce enim veritatem dilexisti, non per speculum, non in ænigmate, sed facie ad faciem te mihi, Christe, demonstrasti; in tuis te invenio sacramentis. Hæc sunt tuæ vera sacramenta sapientiæ, quibus mentis occulta mundantur.*

59. Itaque jam lætus atque securus, quod a vibrasset ei sapientiæ plenitudo, dicit ad Dominum: *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor* (Psal. I, 9). Bene et veteris Testamenti sacramenta non evacuat; et Evangelica docet mysteria præferenda; hyssopo mundari secundum Legem postula (Exod. XII, 22); lavari secundum Evangelium concupiscit; et supra nivem se existimat, si lotus fuerit, dealbandum. Per hyssopi fasciculum aspergebatur agni sanguine (Levit. XIV, 6); qui mundari volebat typico baptisate. Lavatur autem qui diluitur æterni fontis irriguo; et supra nivem dealbatur, cui culpa dimittitur. Denique de ipsa anima dicitur: *Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata* (Cant. VIII, 5)? Antequam baptizaretur, ipsa est quæ dicebat: *Nigra sum et decora, filia Hierusalem* (Cant. I, 4). Erat enim nigra, tenebrosa, peccatorum horrore deformis; sed postea quam abluta per baptismum remissionem meruit delictorum, dealbata ascendit ad Christum. Inde et per Esaiam Dominus locutus est dicens: *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, ut nivem dealbabo* (Esai. I, 18), id est, si cruenta, si tetra, mundabo. Hæc est nix in-

lio (Matth. XVII, 2) resulserint vestimenta sicut nix; eo quod peccatum non^b cognoverit. Caro enim qua se induit, ab omni fuerat munda delicto. Quid miraris si vidit baptismatis sacramenta; cum supra dixerit, ubi descripsit passionem Domini: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit*:^c *in loco viridi ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me* (Psal. XXII, 2). Et alibi: *Vox Domini super aquas; Deus majestatis intonuit* (Psal. XXVIII, 3). Et de ipso^d sacramento plenius dixit: *Parasti in conspectu meo mensam, impinguasti in oleo caput meum, et poculum tuum inebrians, quam præclarum est* (Psal. XXII, 5)?

697 CAPUT XIII.

B *David solo futuræ remissionis auditu recreatus, fore ut ossa humiliata exsultent, prædicit; et quæ sint illa? Rogandum Deum ut faciem avertat a peccatis nostris, illam vero ad nos convertat; item sicut peccatum, ita et iniquitatem quæ ejus origo est, triplici ratione tolli, quæ aperitur.*

60. Merito ergo istæ quoque exsultans ait: *Auditi meo dabis gaudium et lætitiâ: et exsultabunt ossa humiliata* (Psal. I, 10). Probasti, Domine Jesu, quia nunquam verba tua prætereunt (Matth. XXIV, 35). Probasti illud Evangelicum quod dixisti: *Multi prophetae et justii voluerunt videre quæ videtis, et audire quæ auditis* (Matth. XIII, 17). Ecce David solo lætatur auditu, quia futura esset peccatorum remissio; et prophetat quia exsultabunt ossa humiliata. Sicut omnia justii ossa dicent: *Domine, quis similis tibi; sic exsultabunt ossa humiliata* (Psal. XXXIV, 10),^e humiliantis scilicet animam suam justii. Dicuntur ergo ossa virtutes; dicuntur ossa velut quidam animi motus, vel animæ, qui motus humiliantur peccatis, et exsultant gratiæ coelestis munere; dicuntur et ossa populi Ecclesiarum; unde habes dictum et in psalmo: *Non est absconditum os meum, quod fecisti in abscondito* (Psal. CXXXVIII, 15). Os suum Ecclesiam dixit, et plebis devotæ conventus sacros; quoniam sumus membra corporis Christi de carne ipsius, et de ossibus ejus. Hoc igitur dicit, quia Ecclesia Domini omnia opera divina cognoscet, et fidem resurrectionis accipiet.

61. Sequitur: *Averte faciem tuam a peccatis meis,*

D *liandis, cap. 8 et 9, ubi etiam hunc ipsum locum profert ad eum modum: Venit igitur (scilicet plebs baptizata) et videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait: Parasti in conspectu meo mensam. Hanc loquentem inducit David dicens: Dominus pascit me.... Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, etc.*

^e Edit. Rom. hunc locum exhibet in hanc formam: *humiliantes enim animam suam justii dicuntur: ergo ossa virtutes dicuntur: ipsa enim velut quidam animi motus humiliantur peccatis, et exsultant gratiæ, etc.* Aliæ vero cum mss. summopere consentiunt, præterquam quod alibi legas, *humiliantes.... ossa virtutes*; alibi autem, *humiliantis.... ossa virtutis*. Neque nobis visum est ab ipsis recedendum, nisi in punctuatione quam, ut sensus clarior fieret, nonnihil immutavimus.

^a Vibrasset, supple radios, id est, illuxisset.

^b Ita edit. Gill. ac Rom. cum mss. aliquot. Edit. Am. atque Era., *non cognoverit caro ejus; quando se induit veniens in hunc mundum, ab omni, etc.* Quatuor mss., *non cognoverit caro ejus, qua se induit... ab omni fuerit, etc.* Non male si addatur conjunctio, et, quam habet Corb. secunda manu. Melius tamen Vinc.... *quia quando se induit, etc., fuerat munda delicto, a quo non multum recedit Alb. alter ludens his verbis: cum profecto quando se induit... fuerit mundata delicto.*

^c Omnes edit. et quidam mss., *in loco pascuæ; mss. magno numero, in loco viridi.*

^d Eucharistiam significat, quam etiam alii Patrum simpliciter et per anonomasiam *sacramentum* consuerunt appellare. Nec solum hoc loco ita loquitur Ambrosius, sed cum alibi sæpe, tum in lib. de In-

et omnes iniquitates meas dele (Psal. L, 41). Usitata A est deprecatio, ut eos quos læsimus, oblivisci offensionis propriæ postulemus. Moraliter ergo Deum rogat Propheta, ut avertat faciem suam a peccatis ejus, et tamquam obliviam peccatorum ejus assumat. Sed quia omnia spectat, et nihil eum præterit, oblivisci non potest, sicut nos, quos brevi intervallo temporis eorum quæ cognoverimus, memoria subterfugit. Ideo bene ait ut faciem suam avertat, non ab ipso, ne deficiat destitutus : sed a peccatis, ut vires non possint habere peccata ipsius. Quos enim aspicit Dominus, illuminat, et in vultu Domini pietas atque indulgentia est. Ideoque hic ipse ait : *De vultu tuo judicium meum prodeat* (Psal. xvi, 2), de vultu enim Domini venia, non pœna procedit. Rogandus est ergo ut nos aspiciat, avertat autem faciem suam a B peccatis nostris, ut deleat ea. Quæ enim non aspicit, delet; et quæ deleverit, ea memoria sepelientur, sicut ipse Dominus ait : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero : tu autem memor esto, et judicemur* (Esai. xlii, 25).

62. Peccatum autem aut donatur (*De pœnit. dist. 5, cap. Ille rex, § Peccatum aut donatur*), aut deletur, aut tegitur : donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem. Similiter et iniquitas, quæ estimatur habitudo mentis injustæ. Licet Joannes in epistola eum qui fecerit peccatum, **698** et iniquitatem fecisse dixerit, sicut habemus scriptum : *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit* (I Joan. iii, 4), peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso iniquitas est; tamen ut nobis videatur, ^a peccatum opus est iniquitatis, iniquitas autem operatrix culpæ atque delicti. Plus est ergo ut ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix et seminarium peccatorum; mala tollatur radix, ne malos fructus faciat; aboleatur erroris omnis affectus, universa iniquitatum genera tollantur.

63. Itaque quemadmodum intrans in animam sapientiæ disciplina imprudentiam tollit, et scientia ignorantiam : sic perfecta virtus iniquitatem, et remissio peccatorum delet omne peccatum. Unde præclare Apostolus ait : *Quia donavit nobis peccata Dominus Jesus, delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum, inquit, de medio tulit, affigens illud cruci* (Coloss. ii, 14). Delevit sanguine suo atramentum Evæ, delevit obligationem hæreditatis obnoxie. Fides igitur peccatum minuit. Et ideo Dominus dimittens peccata dicebat : ^b *Fiat tibi secundum fidem tuam* (Matth. viii, 13).

^a Omnes edit. et mss. aliquot, omne peccatum est iniquitas; alii mss. majori numero et antiquitate, peccatum opus est iniquitatis.... Plus est ergo. Gratian., Prius est ergo, etc.

^b Edit. Rom., *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

^c Ita vet. edit. et antiquissimi mss. Rom. autem edit. cum recentioribus mss. habet : *interiora sunt animæ, sicut enim viscera sunt interiora corporis; ita, etc.* Sed cum priores legitimum sensum efficiant, posteriorum scriptores calamo indulsisse credibile est.

CAPUT XIV.

Cor mundum solis inesse renovatis; atque inibi quænam sint viscera, quisve spiritus, quorum hoc loci sanctus Propheta meminuit? Aversum Domini vultum, gravis supplicii loco esse; et quomodo idem a facie sua projiciat? Atrocissimæ huic pœnæ quinam obnoxii? Post quæ nonnihil perstringitur de libertate ac unitate voluntatis in Trinitate.

64. Sequitur : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Psal. L, 12). Superius mundari ab occultis se petit (Psal. xviii, 13); hic postulat cor mundum creari sibi, quod ei provenit qui renovatur spiritu : in novo enim homine cor mundum est, in quo veterum delictorum fuerit deleta colluvies, nec inscripta remanserit aliqua iniquitatis effigies. Grande autem munus est, cordis esse mundi. Unde pulchre Salomon : *Quis gloriabitur castum se habere cor* (Prov. xx, 9)? Et Dominus in Evangelio : *Beati mundo corde; ipsi enim Deum videbunt* (Matth. v, 8). Propheta etiam David cor mundum habere cupiebat, ne a facie Domini projiceretur.

65. In quo autem cor mundum est, innovatur in ejus interioribus spiritus. Viscera enim velut ^c interiora sunt corporis : ita sunt et intelligibilia viscera animæ, ut sunt viscera misericordiæ (Coloss. iii, 12), ut sunt interiora quæ benedicunt Dominum, de quibus ait : *Benedic, anima mea, Dominum, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus* (Psal. cii, 1). Viscera autem animæ adinventiones sensuum sunt, bonæ cogitationis studia, virtutum perseverantia, postremo illæ quæ Græce εὐνοιαὶ dicuntur.

66. Rectus autem spiritus qui bene dirigit, qui deducit in viam rectam, hic est spiritus veritatis; vel certe recta hominis conscientia nullis inflexa peccatis, vel spiritus qui in homine est. Non prætermisimus quid alii sentiant; tamen nobis videtur **699** quoniam de mysteriis dicit lectio, et ^d futuræ gratiæ renovationis exprimitur, Spiritusque sancti infusio postulatur.

67. Deinde sequitur : *Ne projicias me a facie tua; et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (Psal. L, 15). Si quis nos offenderit servulorum, avertere ab eo vultum solemus. Plerique autem divitum ^e amandare consueverunt mancipia sua, et per agellulos relegare, et hæc pœna gravior æstimatur. Denique solent magis se offerre verberibus. Si apud homines hoc grave ducitur, quanto magis apud Dominum

^d Mss. aliquot, *fururæ gratiæ renovatio.* Rursus hoc ipso loco edit. Era. cum paucis mss., *Spiritus sancti infusio postulatur.* Ubi et nonnulli repetunt verbum *videtur.* Edit. vero Am., Gill., Rom. ac major mss. numerus cum nostra lectione faciunt. Notandum porro vocem, *quoniam*, in hac oratione ut alibi sæpe apud hunc Patrem sumi pro Græcorum ἐτι, idemque significare ac si scriberetur : *Videtur lectio de mysteriis dicere.... gratia exprimi.... infusio postulatur.*

^e Mss. aliquot, *emendare consueverunt.... agellulos relegare.*

Deum nostrum. Quasi non hinc dolor parricidalis A (reprimendus quidem, si qua eum pietas temperare potuisset) eruperit, quod faciem suam Deus a Cain muneribus avertit; respexit autem super munera Abel. Iaque tacito vultu, alterum innocentem pronuntiavit, alterum peccatorem. Ergo quasi ultimus servus humiliat se; et quasi in peccato deprehensus, et offensæ reus, obsecrat ut flagelletur potius, quam projiciatur a facie Domini.

68. Quomodo projiciat Deus a facie sua, audi dicentem: *Tollite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium* (Matth. xxii, 15). ^a Qui non emendatur, a facie ejus in tenebris constituitur. Ideo justus ne tenebras patiat, ait: *Vultum tuum, Domine, requiram* (Psal. xxvi, 8). Ubi enim Domini vultus, ibi lumen est, sicut scriptum est: *Faciem B tuam illumina super servum tuum* (Psal. cxviii, 35). Denique ubi primum intuitus Petrum vidit, et illuminavit.

69. Grande igitur supplicium, projici a facie Dei. Projectus est ^b Adam cum de paradiso exiret, nec immerito; ipse enim ante se absconderat a facie Dei. Exivit et Cain a facie Dei, non solum post parricidale commissum; sed etiam postquam Deum putavit esse fallendum, ut crimen negaret. Peccator igitur excluditur a facie Dei: justus autem dicit: *Ecce ego* (Esai. vi, 8). Denique ipse David cum videret interire populum, semetipsum obtulit dicens: *Ego sum, ego peccavi, et ego pastor male feci* (IV Reg. xxiv, 17): et sic ira Domini mitigata est, et venia donata.

70. Simul ostendit quia sancti permanent, criminosi projiciuntur. Ideoque servanda est nobis gratia spiritalis, ne propter peccata nostra auferatur a nobis. Non enim projicitur in quo Spiritus sanctus est: sed inoffenso muneris sui fructu studet se Domino semper offerre, sicut ille qui dicenti Domino: *Numquid et vos vultis discedere*, respondit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et nos credimus* (Joan. vi, 68 et 69).

71. Simul illud considerandum, quia non auferitur Spiritus nisi Domini ^c voluntate; sicut non datur nisi Domini voluntate: qui utique cum datur, non quasi coactus operatur, sed præ sua voluntate dividitur, sicut scriptum est, dicente Apostolo: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens D singulis prout vult* (I Cor. xii, 11). Cum igitur non auferatur nisi Domini voluntate, apparet quia una Trinitatis voluntas est.

700 CAPUT XV.

Rationalem naturam lætitiæ salutaris solam capacem

^a Mss. quatuor melioris notæ, *Quia qui projicitur a facie ejus in tenebris constituitur.*

^b Cunctæ edit. ac mss. non pauci, *Adam de paradiso, nec immerito.* Alii octo vetustissimi, *Adam cum de paradiso exiret, nec immerito.* Commodus sensus, cum *τὸ projectus est*, non ad vocem, *a paradiso*, sed ad voces, *a facie Domini*, referri oporteat.

esse; eamque principali spiritu confirmari; et quis ille spiritus?

72. *Redde mihi lætitiã salutaris tui: et spiritu principali confirma me* (Psal. l, 14). ^d Cui debetur, et redditur: redditur rationali naturæ lætitiã salutaris. Lætitia autem et gaudium fructus est Spiritus. Firmamentum quoque nostrum spiritus principalis est. Denique is qui principali confirmatur spiritu, non est obnoxius servituti, nescit servire peccato, nescit fluitare, nescit errare, nec studio nutat incertus; sed firmatus in petra, solido stabilitur vestigio.

73. Quem putamus dici spiritum principalem? Plerique spiritum rectum ad Dominum referunt Jesum, qui peccatum mundi abstulit, et omne hominum genus sui sanguinis effusione renovavit; et ideo dictum est: *Spiritum rectum innova in visceribus meis: spiritum autem sanctum, de quo dicit: Spiritum tuum ne auferas a me*, Spiritum intelligunt veritatis: sanctum Spiritum vero principalem, Deum Patrem arbitrantur. Quam moraliter autem ait: *Ne projicias me a facie tua.* Fideliter timet auferri sibi quam accepit gratiam; ideoque alibi ait: *Oculi mei semper ad Dominum* (Psal. xxiv, 15). Et in posterioribus: *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis* (Psal. cxxii, 2). Certe hic est Spiritus doctor et princeps, qui regat mentem, confirmet affectum, quo velit trahat, et in superiorem vitam dirigat.

74. Sunt et qui acceperint spiritum hominis, qui in ipso est. Ideo ait Apostolus: *Quis enim scit hominum, quæ hominis sunt, nisi spiritus qui in ipso est* (I Cor. ii, 11)? Qui potest scire omnia, quem hominis occulta non fallunt, potest in homine habere principatum.

CAPUT XVI.

Periti doctoris esse iniquos vias Domini edocere. Quomodo id tum Christi, tum Davidis personæ accommodetur; quidve liberari se de sanguinibus oret Propheta?

75. Sequitur: *Docebo iniquos vias tuas, et impij ad te convertentur* (Psal. l, 15). Ille præcipuus est gubernator, qui scopuloso in littore navim gubernat: ille doctor bonus, qui duriora acuit ingenia ad eruditionis profectum: ille bellator egregius, dux mirabilis, qui timidiores accendit in prælium, exploratisque locorum ingeniis, fulcit; ut infirma virium comoda stationis opportunitate compenset: ille similiter magnus etiam ^e fidei zelator, qui iniquos docet. Unde pulchre ait: *Docebo iniquos.* Non dixit: *Docebo justos; noverunt enim justis vias Domini: sed, ini-*

^c Desiderabantur in edit., *sicut non datur nisi Domini voluntate*, quæ verba in nostram mss. Corb., Rem., Theod. ac Dion. autoritate restituimus.

^d Rom. edit., *Cui debetur lætitiã salutaris redditur; redditur autem rationali naturæ. Lætitia vero, etc.*

^e Aliquot ex antiquis cod., *fidei prædicator.*

quos, inquit, docebo. **701** Denique auctor prudentiæ et magister omnium dicit: *Non veni justos vocare, sed peccatores* (Matth. ix, 13). Et medicus ille celestis: *Non opus est sanis, inquit, medicus, sed infirmis* (Ibid., 12).

76. Sive igitur ex persona illius qui gentes vocavit, sive ex sua, bene posuit: *Dacebo iniquos vias tuas*; quia commutari vitiosos affectus potest, propositumque convertere doctrina celestis, et operatio divina sacrilegis pectoribus studia pietatis infundere; ut hi qui sine lege vivebant, convertantur ad Dominum verum, qui ante avertebantur: regalis quoque exemplo pœnitentiæ, hi qui iniquitates et acerba exercent flagitia corrigantur; et fide atque opere conversi, doctrinæ remedium salutaris accipiant, ingrediantur Domini vias, in quibus nullos erroris anfractus, nulla diverticula præcipitis prolapsionis offendant. Sicut enim bonæ vitæ specimen, et virtutis exemplar in iis viris est, qui inoffensa vitæ suæ tempora percurrerint: ita qui anteactis renuntiantes flagitiis, vel incrudelitatis erroribus, emendaverint cursum posterioris ætatis, his ad imitandum propositi sunt, qui vel opere vel cogitatione labuntur.

77. Sequitur: *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ* (Psal. l, 16). Et ad Uriæ mortem potest referri, quod mandata necis ejus conscius, veniam tanti poscat admissi, et quamvis rex legibus absolutus, suæ tamen reus sit conscientia; quibus vinculis se enodari desiderans, divinum sibi precatur auxilium, ut ab omni criminis perpetrati labe mundaletur. Et re vera cum mitis et corde mansuetus egregia semper dederit sanctus Propheta suæ mansuetudinis et pietatis insignia, ita ut adversariis suis frequenter ignoverit, atque ab eorum nece putaverit abstinendum; non est mirum quod tam graviter doleat fundendi sanguinis innoxii sibi obrepisse peccatum. Ideo liberari se a sanguinibus, hoc est a peccatis mortalibus, postulavit. Laudavit Dominum Deum suum, justitiam Domini prædicavit; ideoque addidit: *Exsultabit lingua mea justitiam tuam*.

CAPUT XVII.

Davidem verbis suis peccatum sibi dimissum significare, cum Deus peccatori os occludat. Eadem verba etiam Christo convenire, quippe qui verus sit David, a quo futura gentium congregatio, et Ecclesiarum fundatio præsignetur, postremo nonnullis de sacrificio Christi atque Martyrum, propositis opus clauditur.

78. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam (Psal. l, 17). Qui laudat Dominum, ab inimicis suis erit salvus, ut scriptum est (Psal. xvii, 4). Et certe supra dixerat in quadragesimo nono psalmo: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas* (Psal. xlix, 17)? Cum ergo per os suum dixerit quod peccatorem prohibuerit Deus suas enarrare justitias, utique ipse enarrando justitiam

A Dei, declaravit commissum, hoc nequaquam a sibi imputatum esse peccatum.

79. Et addidit: *Labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*. Os peccatoris Deus claudit; ne loquatur justitias Dei; justus aperit, ut loquatur. Cujus ergo labia aperit, hunc peccati absolvit reatu. Illius autem aperit labia Dominus, **702** qui accipit verbum in apertione oris sui. Unde et Apostolus petit se adjuvari orationibus plebis, ut aperiatur sibi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi (Colos. iv, 5). Linguam vero pro sermone accipimus ejus, qui exsultat in Dei laudibus. Unde et illud sic æstimatur: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (Psal. xliv, 2), sermo infusus Prophetæ.

80. Quod si ex persona Christi dictum accipimus, B vide ne scriba sit velociter scribens Verbum Dei, quod animæ viscera percurret et penetret, et inscribat in ea vel nature dona vel gratiæ: lingua autem sit sanctum illud corpus ortum ex Virgine, quo vacuata sunt venena serpentis, et Evangelii opera toto orbe celebranda decursa sunt. Accedit ad évacuandum peccatum, quod humilitatem suscepit; contrivit cor suum, quod magis sacrificium Dominus elegit, quam holocausta pro peccatis, quæ secundum Legem offerri solebant. Denique supra ait: *Holocausta et pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio* (Psal. xxxix, 7 et 8), id est, non rapinam arbitratus esse me æqualem Deo, venio formam servi accipiens; venio in specie susceptionis humanæ, in veritate crucis, mortis humilitate obedientiam probaturus; ut in obedientia deleatur.

81. Merito ergo et hic dicit: *Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (Psal. l, 18 et 19). Et sicut supra dixi, certum est mysterio convenire quod ipse Dominus Jesus videtur hic quoque ex sua persona loqui, qui superius illud personæ suæ evidenti testificatione deprompsit. Ipse enim verus David, manu fortis, verus humilis, atque mansuetus, primus et novissimus, æternitate primus, humilitate ultimus: per cujus obedientiam humani generis culpa deleta, refusa justitia est. Ipse, inquam, Jesus umbræ finis et Legis, advenit humilitatis magister docere superbos sensu, et tumore cordis inflatos ad mansuetudinem et simplicitatem esse migrandum. Quomodo igitur in typo ejus mysterii peccatum imputari potest, cum in ipso mysterio sit remissio peccatorum? Nisi forte ideo David iniquitatem suam, peccatumque confessus est ejus admissi; ut et ipse ad remissionem peccati, et gratiam mysterii pertineret.

82. Nam quid sibi vult quod vir peccatum suum confitens, de Sion et Hierusalem psallit dicens: *Benefac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem* (Ibid., 29); nisi quia accelerari ei placet Ecclesiæ congregationem per vocationem gen-

^a Mss. non pauci, suo imputatum esse peccato.

tium; quæ non ancillæ filii, sed liberæ Hierusalem, illius, quæ in cœlo est, fidei suæ prosapiam toto orbe diffunderet. et spiritualium septa murorum doctrinæ apostolicæ fundaret. assertione?

83. Muri itaque Hierusalem fidei propugnacula, disputationum munimenta, virtutum culmina sunt; muri Hierusalem Ecclesiarum conventus sunt toto orbe fundati. Ecclesia enim dicit: *Ego murus, et ubera mea turris* (Cant. viii, 10). Et bene muri Hierusalem Ecclesiarum conventicula sunt; quoniam quisquis bona fide atque opere ingreditur Ecclesiam, ut supernæ illius civis et incola civitatis quæ descendit de cœlo. Hos muros lapidum ædificat structura vivorum.

703 84. Videns igitur Hierusalem veram et Sion dixit: ^a Cum benedixeris in bona voluntate tua Hierusalem et Sion, tunc acceptabis sacrificium justitiæ (Psal. l, 21), hoc est sacrificium corporis Christi, qui ait, cum de propria passione loqueretur: *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino* (Psal. cxvii, 19). Et in Evangelio ait ad Joannem: *Sine modo; sic enim oportet nos implere omnem justitiam* (Matth. iii, 15). Et infra: *Beati qui persecutionem*

patiuntur propter justitiam (Matth. v, 10). Justitia Christus est. Sacrificium ergo Christi acceptabile futurum Patri asserit. Hoc est ergo de quo et supra ait: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino* (Psal. iv, 6). Hæc est justitiæ spiritualis oblatio, et holocaustum ferventis devotionis, et infusionis Spiritus sancti, quod dicit futurum, cum ad illud spiritale Domini altare cœperint admoveri **704** animæ credentium, quæ renuntiantes voluptatibus atque deliciis, tamquam aratrum in visceribus suis ducant, ut fructus possint ferre piæ culturæ.

85. Vel certe ita: Cum benedixeris Ecclesiam ex gentibus acquisitam, et spiritale sacrificium justitiæ cœperit frequentari, tunc et martyres sancti qui suum pro Christo corpus obtulerint exarandum, tamquam vituli sacris altaribus offerentur; sicut in Apocalypsi Joannis scriptum invenimus (Apoc. vi, 9), quia sub altari erant animæ eorum, qui pro Domini Jesu nomine corpora sua obtulerunt martyrio, ut Christi sibi gratiam mercarentur: cui est honor et gloria, laus, perpetuitas cum Deo Patre et Spiritu sancto a sæculis et nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

^a Aliquot mss., cum dixeris in voluntate tua.

IN ALTERAM DAVIDIS APOLOGIAM ADMONTIO.

Hujus libri idem est atque superioris argumentum. In eo quippe ostenditur, quod sacri codices Davidem prodant in geminum crimen incidisse, adulteri scilicet atque homicidii, non esse cur quisquam offendatur. Verumtamen sive styli elegantiam spectes, sive tractandi rationem, et œconomiam, utrumque opus inter se haud parum dissidere comperies. Enimvero studiose accurateque hoc in tres partes ab Auctore suo divisum fuit. In prima sic disputatur contra Gentiles (Cap. 5, num. 51), ut lapsus conditioni tribuatur, emendatio virtuti; in secunda adversus Judæos demonstratur ideo lapsum esse sanctum David, ne amplius Judæorum perfidia claudicaret (Ibid.); in tertia docentur Christiani hac in historia inesse multa mysteria et figuras, quæ gratiam quoque promissam jamdudum conciliant (Ibid.). In prima parte Auctor futilem ethnicorum objectionem refellit (Cap. 5, num. 6 et seq.) qua illi deblaterabant vitæ innocentiam nequicquam jactari a Christianis, quando eorum principes adulteriis atque homicidiis scædati contaminatique exstitissent; in altera Judæis, qui Davidem aut Salomonem fuisse verum Messiam astruebant, falsi convictis (Cap. 4, num. 21 et seq.), validam adjicit consutationem (Cap. 4, num. 26 et seq.) hæreticorum, qui divinitatem Christi inficientes ipsorummet Judæorum æquabant vel superabant perfidiam; in postrema denique, ubi quatuor magna mysteria sub hac historia Davidis latentia aperuit (Cap. 7, num. 57 et seq.), prophetæ Nathan parabolam explicat (Cap. 11, num. 55 et seq.), quibus demum priorum psalmi quinquagesimi versuum adjungit expositionem (Cap. 12, num. 61 et seq.). Quamvis autem significet Davidem illic pro se loqui ac se ipsum defendere ingenue tamen fatendum est quidquid ibi dicitur extra propositam vagari materiam, ac potissimum in revincendis Arianis atque Manichæis versari. Cæterum non licet certo pronuntiare quid causæ sit, cur integram psalmi non habeamus explanationem; utrum scilicet injuria temporis, an scriptoris negligentia, an denique ipsemet Auctor per vocis debilitatem de qua in hoc opere conqueritur (Cap. 5, num. 28), sermones continuare fuerit prohibitus.

Etenim extra controversiam est lucubrationem hanc sermonibus qui ab eo non semel indicantur (Ibid. et cap. 11, num. 55), constare. Hos ille in Ecclesia diebus (Ibid.) diversis habuit post veteris Testamenti atque Evangelii lectiones (Cap. 1, num. 1, et cap. 7, num. 58). Quo loci non abs re fore putavimus, si lectoris gratia observaremus Auctorem hunc non secus ac ipsum Ambrosium in certis suis operibus voces lectum et lectionem semper usurpare, non vero voces cantatum aut similes: unde forsitan colligi possit lectiones et Evangelia in liturgiis eo tempore cantari nequaquam solita, sed recitari; postquam recitationem populus fidem suam animique obsequium quadam quasi acclamatione testabatur, quod signant illa Auctoris nostri verba, quam pio, inquit, prosecuti estis assensu (Cap. 7, num. 58).

Porro simpliciter Auctorem nostrum dicimus; est enim non levis controversia possitne hoc opus vere adjudicari Ambrosio. Erasmus a quo primo illud publici juris factum est, monuit (Epist. huic operi præfixa) etiamsi huic

ipsi Patri ascriberetur in eo quem detexerat manuscripto, minime tamen Ambrosianum videri; sed eidem Auctori tribuendum cujus sunt libri De vocatione gentium. Cui quidem censuræ stabilendæ non aliud firmamentum præstruit, nisi styli diversitatem. Namque Auctorem Ambrosianæ dictionis asserit esse ita feliciter æmulum, ut dotibus aliquod præcurrat. Nam et explicat dilucidius, et minus a re digreditur, etc. Gillotius e contrario Artistiti nostro patrocinator (Admin. in hoc opus.), munitus consensu manuscriptorum, quos non parvo numero conquisierat, et in quibus utroque Davidis Apologia Mediolanensis Ambrosii titulum ex æquo præferens, Theodosio Augusto nuncupabatur. Quod vero elocutionis opponebatur discrepantia, idem reponit novum non esse si sanctus Doctor pro re, loco, tempore, personis stylum mutavit. Nihilominus tamen plerique posteriorum criticorum pedibus in Erasmi sententiam discessere, singuli interim novam aliquam rationem adjicientes. Bellarminus autumat (De Script. Eccl.) Ambrosium de scribenda secunda Apologia cogitationem neutiquam fuisse suscepturum; ad hæc ab Auctore ejusdem posterioris Apologiæ negari adulterium Davidis fuisse verum adulterium et allegorice interpretandum censerit, cum Ambrosius in priore Apologia illud peccatum agnoscat re ipsa fuisse admissum. Approbat omnia Bellarmini argumenta Possevinus (Appar. sac.) cum ea tamen exceptione, ut qui ita maluerit, existimet sanctum Doctorem, et vario stylo uti, et plures Davidis Apologias scribere potuisse, non secus ac eundem ipsum plures libros de Interpellatione David scripsisse compertum est. Nicolaus Faber (Epist. ad Front. Duc.) præter superiores rationes hunc librum ait non Ambrosii, sed Origeniani cujusdam esse, qui Scripturam ad Allegorias transferens lavationem Bethsabeæ inficietur (Cap. 8, num. 59). Utriusque autem rationes diluere conatur Theoph. Raynaudus tom. XI, De libris configendis, part. 1, Erot. 10, num. 185, quem consule. Hermanus in suo de Ambrosianis operibus judicio, non pauca quæ in priore apologia dicta fuerant, in hac itidem posteriori legi observat; non ergo credibile videri ea repetitione usum fuisse Ambrosium; præterea sanctum Augustinum laudando Apologiam David numquam eam primam appellare; secundam Sixto Senensi prorsus incognitam; denique ipsius Auctorem, quantum ex hæreticis quorum meminit colligere est, haud serius quinto sæculo scriptitasse (In fine Vitæ Amb. Gall. script.).

In hac diversitate opinionem nostram ingenue proferemus, liberum unicuique relinquentes ut quam potiore esse duxerit, amplectatur. Id in gratiam Gillotii affirmemus licet, non modo in iis quibus usus est scriptis codicibus, verum etiam in Italis ex quibus Milleloquium suum Urbinas compilavit, nec non in illis ad quos eundem castigavimus tractatum, Ambrosii inscriptionem reperiri. Sed et Guillelmus a sancto Theodorico in expositione Cantici canticorum abs se ex Ambrosianis sententiis collecta, quam suo loco edituri sumus, Ambrosii secundum Apologiam citat. Verum cum hic Auctor non sit admodum antiqui ævi, ut pote qui vix ante annum 1545 diem obierit, fatendum est nos in manuscriptos ea ætate multo vetustiores non incidisse.

Addi etiam pro Gillotiana sententiâ potest Auctorem quo de agimus, queri quod per fragilitatem vocis, ut ipse loquitur, omnem seriem non possum explere tractatus (Cap. 5, num. 28). Quam quidem querimoniam in libris quoque de Sacramentis advertere est (Lib. I, cap. 16). Numquid autem ea liceat accommodare Ambrosio nostro? Certe Augustinum de ipso reperimus locutum in hæc verba: Quamquam et causa servandæ vocis, quæ illi facile obtundebatur, etc. (Lib. vi, Confess. cap. 5, num. 5). Sed in promptu succurrit ea responsio non insolitum esse concionatoribus, ut vocis suæ accusent fragilitatem. Hinc Basilii Homilia in psalmum primum queritur sibi difficile esse τὴν διακρίσιν τοῦ λόγου διὰ τὴν σύντροπον ἀσθένειαν τῆς φωνῆς ἡμῶν ἐπιλειποῦσῆς.

Quod ad Fabri opinionem attinet, Auctorem e secta Origenistarum fuisse, cum Bethsabeam ante regis palatium lavasse negaverit; respondemus id sane in Uria objici. Manifestum quippe est ipsum locis bene multis (Cap. 2, num. 5, et cap. 3, num. 12, et alibi) totam historiam seriem pro vera admittere; unde si postmodum illam non litterali, sed allegorico sensu accipiendam significet in hoc maxime secutus est beatum Ambrosium, qui non semel in enucleando sensum mysticum historiam veritatem penitus videtur destruere. Lege notam verbis e cap. 8, num. 59, in edit. Rom. revulsis suppositam.

At primam tantum Apologiam ab Augustino cognitam urget eruditissimus Theologus. Esto; quid enim incommodi si Ambrosianæ lucubrationes in manus Augustini non omnes pervenerint? Neque vero ex silentio Sixti aliud conficias, nisi aut illi cognitum non fuisse hunc librum, aut ipsum de eo sententiam ferre noluisse. Sed nec etiam est quod miretur aliquis si Doctor noster geminam David defensionem scripserit, cum ipse testatum reliquerit a se plures libros de Eliæ gestis (Lib. de Elia et Jejun. cap. 3, num. 5), ac de historia Joseph (Lib. de Joseph Patriar. cap. 6, num. 50, et cap. 7, num. 38) compositos esse; cumque etiam nunc binos ejus in Abrahamum libros habeamus, ubi eosdem sacrarum paginarum locos, licet non eodem sensu explicat, multis tamen sententiis quas jam ante calamo exaraverat iteratis.

De styli vero diversitate quam jam initio agnovimus esse manifestam, ut quod sentimus, apertius explicatiusque proferamus; hic Auctor tametsi Ambrosianas locutiones frequens adhibet, alias tamen crebro usurpat quæ nihil sapiant Ambrosiani. Hoc autem maxime illic observes, ubi auditores suos blande appellando eorum sibi benevolentiam conciliat. Sed nec illud diffiteri licet non esse moris Ambrosio tam anxie tantaque cum arte suam partiri materiam, ejusque membra subinde auditorum sive lectorum animis ingerere. Huc etiam addi poterat hoc in opere nonnullos Scripturæ locos paulo aliter citari, quam in admissis Ambrosii operibus, Auctoremque alicubi (Cap. ult. num. 68) Vulgata versione usum videri.

Quæ quidem rationes si habeantur idoneæ ut hoc operis Ambrosio adjudicetur, poterit etiam conjici ex iis quæ inibi de duabus Christi voluntatibus atque operationibus traduntur (Cap. 7, num. 38, et cap. 12, num. 62, 64, et

aliis), Auctorem post exortam Monothelitarum hæresim in vivis egisse. In ea autem sententia clarum est ipsum, quisque ille sit, Ambrosianam Apologiam sibi proposuisse imitandam, et non solum ex ea in opus suum plurimam quæ amplificata stylo suo accommodavit (Cap. 5), transtulisse; sed etiam ex aliis sancti Doctoris commentationibus, maxime ex eo loco Comment. in Evangelium Lucæ, ubi cur e peccatoribus originem ducere Christo placuerit, inquiritur. Et hoc argumentum videretur unum sufficere ad vindicandam Ambrosio secundam illam Apologiam, cum non multo post lectores ad scriptionem quamdam remittat, quam ipse in historiam David elucubraverat; sed ei rationi istuc efficit, quod quæ proxime ante memoratam citationem leguntur, in prima reperiuntur Apologia. His igitur causis adducti liberum de Auctore hujus libelli iudicium lectori esse volumus; cumque saltem jus sit in ambiguo, possessionem quæ hactenus penes Ambrosium fuit, eidem non putavimus abrogandam.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

APOLOGIA ALTERA

PROPHETÆ DAVID.

707 CAPUT PRIMUM.

Quosdam offendi posse quod in adulterium inciderit David, et Christus oblatam sibi adulteram absolvent; maxime vero quod idem propheta peccatum evulgaverit suum. Sed, ut David erraverit, Christum errare non potuisse ostenditur; proindeque explodendos eos, qui Dei potentiam, vel providentiam, detrahunt.

1. Fortasse plerosque psalmi titulus offenderit, quem audistis legi; quod venerit ad David Nathan propheta, cum intravit ad Bethsabee: simulque etiam non mediocrem scrupulum movere potuit imperitis Evangelii lectio (Joan. viii, 41), quæ decursa est, in quo advertistis adulteram Christo oblatam, eandemque sine damnatione dimissam. Nam profecto si quis ea auribus accipiat otiosis, incentivum erroris incurrit, cum leget sancti viri adulterium, et adulteræ absolutionem; humano propemodum divinoque lapsus exemplo, quod et homo putaverit adulterium esse faciendum, et Deus censuerit adulterium non esse dammandum. Lubrica igitur ad lapsum via vel veniæ, vel concupiscentiæ.

2. Accedit illud, quod ipsas faces juvenilis lasciviæ videtur accendere; quia adulterium suum non erubuerit, non celaverit: sed quadam divini carminis prædicatione vulgarit. Quid ergo tam impudens, tam improvidus sanctus David fuit, ut ipse suum cantaret opprobrium: maxime cum ipse in alio quoque, qui hodie decursus est, psalmo dixerit: *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur* (Psal. xciii, 3)? Alios de peccato gloriari prohibet, et ipse etiam sacro carmine gloriatur. Quomodo igitur ista distinguimus?

3. Esto tamen, David petulanter erraverit: numquid et Christus erravit, ut putemus eum non rectum habuisse iudicium? Bene ergo quasi ad eos Da-

vit hodie prophetavit dicens: *Intelligite, insipientes, et stulti aliquando sapite* (Ibid., 8). Quomodo enim Christus potuit errare? Fas non est, ut hoc veniat in sensus nostros. Qui plantavit aurem non audit: aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam (Ibid., 9 et 10)? Christus ergo interrogare culpam, et accusationem justam audire nescivit? Christus petulantiam potuit approbare? Christus qui corripit gentes, arguendam adulteram non putavit? Christus qui novit uniuscujusque cordis interna, et scientiam docet Legis, aut falli potuit errato, aut contra Legis seriem judicare? Et quomodo ipse dixit: *Non veni Legem solvere, sed adimplere* (Matth. v, 17)? Christus qui condemnat occulta, potuit dissimulare vulgata? Christus qui fecit tempora, potest nescire tempora? Qui novit cogitationes hominum vanas, non novit etiam criminosas?

4. Et ideo satis illis responsum sit, qui cum creatorem negare non possint, negant tamen potentiam creatoris: qui cum sapientiam fateantur, insipientiam asserunt, objiciendo ei imprudentiam futurorum. De quo possemus latius dicere: sed alius propositus nobis videtur esse tractatus. Et licet diversarum series decursa sit lectionum, in eandem tamen assertionem proficiunt, et maxime psalmi titulus et Evangelica lectio. Sed quamvis conveniat una assertio, tamen juxta ordinem lectionum sit ordo tractatus; et ideo de titulo psalmi prius tractandum videtur.

CAPUT II.

Proposito argumento auctor hic non facile iudicandum scribit. Tum quo ordine, et apud quos homines David errantis causam sit defensurus, explicat.

5. Proposita est historia, quæ adulterium habeat et homicidium. Nam ita reperimus in libro scripturæ

esse Regnorum (II Reg. xi, 2 et seq.) ; quia David rex cum deambularet in domo sua, lavantem se Uria vidit uxorem, amavitque illico, et jussit accersiri. Deinde virum ejus innocentem, ut Scriptura inducit, bellatoribus objici jussit acerrimis, ut vi **709** opprimeretur hostili. Hæc facta sunt, nec negantur : quomodo igitur defenduntur? Bene admonet Evangelica lectio (Joan. viii, 11), etiam cum peccatum ^a appareat subreptum; tamen debere esse judicis judicium : ac memorem unumquemque esse oportere suæ conditionis et meriti. Sæpe enim etiam in judicando majus peccatum judicii est, quam peccatum ipsius de quo fuerit judicatum. Nam si præscriptum est a quibusdam ^b sapientibus mundi, ut in judicando caveatur, ne major pœna quam culpa sit, idque servatur : quanto magis id servandum videtur, ut unusquisque de alio judicaturus, de se ipso prius judicet, nec minora in alio errata condemnet, cum ipse graviora commiserit? Quis es igitur tu, qui David sanctum virum judicas? Gentili dico, Judæo dico, Christiano dico; et ideo tripertito mihi distinguendus esse videtur tractatus, unus adversus gentiles, alius adversus Judæos, tertius apud Christianos.

CAPUT III.

Gentiles monet, ne tam errantem, quam pœnitentem David respiciant, quia sicut illud est hominibus commune, ita hoc rarum in regibus. Tum quam proclive sit vinci libidine, declarat, et adductis sanctorum virorum exemplis confirmat.

6. Primus ergo adversus gentiles mihi sermo est, qui plerumque objectare consueverunt : Ecce quomodo Christiani innocentiam sequuntur, fidem præferunt, religionem venerantur, castitatem docent, quorum principes et homicidia et adulteria fecisse produntur? Ipse David de cujus genere, ut dicitis, nasci Christus elegit, homicidia sua et adulteria decantavit. Et quales possunt esse discipuli, quorum tales magistri sunt?

7. Quid igitur? Negamus factum, an repudiamus magistrum? Nihil horum. Sed qui speciem objicit, communitatem consideret. Species facti est, communitas naturæ. Nihil ergo mirum si intra generalitatem species est. Agnosco enim hominem fuisse

^a Edit. Gill. in margine, ac Rom. in textu, *peccatum appareat; sobrium tamen, etc.* At edit. Era. et eadem Gill. in corpore cum mss. omnibus, *peccatum apparcat subreptum; tamen, etc.* Quod quidem non malum sensum efficit ita interpretanti : etiam cum appareat peccatum cuiquam obrepsisse; non tamen est cujuslibet sententiam ferre, sed judicis, nimirum Christi.

^b Quando quidem *pœna est noxæ vindictæ, leg. 151, Dig. tit. de Verb. signif., col. 1855, recte consequitur inter utramque rem inveniri debere proportionem. Quapropter conditores legum varias pœnas variis criminibus assignando, summopere ut his illæ responderent, prospexerunt. Sed hac de re in universum sapientissime præcipitur, tom. 5, Pand. ff. leg. 48, tit. de pœnis, col. 1556, in hunc modum : *Perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituitur, quam causa poscit. Nec enim**

A David, et nihil mirum : agnosco commune, ut homo peccet. Nec enim nova infirmitas conditionis humanæ, magisque mirum videtur si homo peccato careat ^c quam si peccatum aliquod affectet. Igitur peccavit sanctus David, nullo ambiguo vos tenebo, fecit adulterium, commentus est homicidium, et commentus est et peregit. Peccavit quod solent reges; sed pœnitentiam gessit et flevit, quod non solent reges. Rogavit veniam, non arrogans potestatis, sed infirmitatis suæ conscius; prostratus in terram cilicio se operuit, oblitus imperii, et memor culpæ.

8. Quem mihi hujusce modi reperias virum **710** qui in potestate constitutus non magis peccata sua diligit, culpam prædicet, crimina defendat; qui putet sibi quod non decet, non licere : qui se legibus obstringat suis; et quod per justitiam non licet, nec per potestatem licere agnoscat? Non enim solvit potestas justitiam, sed justitia potestatem; nec legibus rex solutus est, sed leges suo solvit exemplo. An fieri potest, ut qui de aliis judicat, suo ipse sit liber judicio, et in se suscipiat, in quo et alios astringat?

9. Bonus ergo David, et multo admirabilior qui potestatem vicit, quam qui amorem. Castitas enim corpori nonnumquam defertur, frequenter errori; potestas Deo subditur; et facilius quis se in amore colibeat, quam in potestate moderetur. Non ergo ignoscis quod minus est, in quo majora miraris. Lubrica enim in omnibus hominibus et prona natura peccandi; lubrica etiam in bonis moribus licentia potestatis, et oblatio facultatis. Non enim distat ira regis ab ira leonis; sed qui stimulat illum et admiscetur, peccat in animam suam. Caveat ergo ne stimulet aliquis potestatem, ne cassibus anima irretita corporeis, vitio se non possit exuere. Non ergo mirum si etiam David specie lapsus est potestatis; sed multo amplius admirandum, quod fidei contemplatione revocatur.

10. Videtis igitur quod potestas hæc sæcularis frequenter nihil prosit, et plerumque obsit; sæpe enim culpæ exitus in auctoritate est potestatis. Noli igitur quicumque es rex, de potentia et facultate præsumere; cor enim regis in manu Domini. Noli tibi de populorum subjectione blandiri; quia non salvabitur rex per multitudinem virtutis suæ, nec

D aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est : sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent : in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Neque his absona tradit Horatius lib. I Serm. sat. 5, ubi sic habet :

Cur non

Ponderibus modulisque suis ratio utitur ; ac res
Ut quæque est, ita supplicis delicta coercet ?

Et infra :

adsit

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.

^c Edit. Era., *quam si peccatum iniquitas fecit. Igitur peccat, etc.* Rom. ac mss. duo, *quam si in peccatum incidat. Fecit igitur peccatum;* etc. Gill. et cæteri mss. ut in textu.

gigas salvus erit in multitudine virtutis suæ. Non enim in altis tabernaculorum fastigiis, pretiosoque tectorum culmine, sed super timentibus eum bene placitum est Domino, et his qui sperant super misericordia ejus.

11. Lubricam igitur videmus ad vitia potestatem, nec tamen semper inflexam dixerim; quoniam regali potestate sublinem et David legimus cultus auxisse divinos, et Salomonem templum Deo consecrasse.

12. Nunc illud quod perstrinximus, asseramus, facultatem imperandi, incentivum esse peccandi, et secundum historiæ seriem prosequamur. Non adulterasset David alieni jus thori, et foederati pacta conjugii, nisi nudam et lavantem mulierem de domus suæ interioribus vidisset. Et ideo bene scriptum est: *Non intendas in mulieris speciem: et non concupiscas mulierem* (Eccl. II, 5, 28). Ait alibi: *Ab omni irreverenti oculo cave* (Eccl. XXVI, 14). Nihil de continentia tuæ virtute præsumas. Etenim fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnosceatur (Ibid., 12); et ideo causam primo peccati fuge. Nemo enim diu fortis est. Neque fragilitantum, sed omni homini dicitur: *Non te vincat concupiscentia formæ* (Prov. VI, 25); si non vis vinci, non congregiare peccatis, ne de te vitia coronentur; neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris (Ibid.). Vilis tibi mulier videtur ad pretium, ^a sed fortis ad vitium; quia mulier virorum pretiosas animas capit (Ibid.).

13. Difficile est itaque ut quisquam libidinis irretitus illecebris, immunis evadat. Nec mea tantum hoc sententia difficile judicatur: sed etiam sancti Salomonis Proverbiis impossibile judicatum est, qui suo ductus exemplo ait: *Ligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet? Vel ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet* (Ibid., 27 et 28)? Cave ergo et tu ne intra sinum tuæ mentis ignem libidinis et amorem accendas; ne corporeum vestimentum illo animi consumatur incendio, ac perpetuitatem resurrectionis amittas: vel certe vestigium tuæ mentis uratur, si per libidinum faces tibi putaveris esse gradiendum. Nam qui uritur corde, comburitur corpore.

14. Omnibus igitur modis lascivæ mulieris vitandus occursum est. ^b Et ideo prudentiam discipulam acquire tibi, inquit, ut te custodiat ab uxore aliena et fornicaria (Prov. VII, 5); ne te laqueis labiorum suorum teneat obligatum, et crinibus erroris involvat. Itaque unde debeas cavere meretricem propheta te docuit (Ibid., 6), ut a fenestra caveas hujus ingressus. A fenestra enim domus suæ intrat. Fenestra ejus est oculus: et ideo ab omni irreverenti oculo cave, ne per fenestram introeat amor, libido penetret. Et

^a Mss. plures, sed ad vitium est; Era et Gill., sed ad vitium appetibilis est; Gill. in marg. ac Rom. edit. in corpore, sicut et mss. Theod., sed fortis ad vitium. Quæ lectio videtur aliis præferenda.

^b Sic omnes mss. atque edit. Era et Gill.; Rom.

enim mulier fornicaria illicit visu amatorem; et nisi petulantem obtutum mentis animique compescas, mors ingreditur per fenestram. Non est desidiosa petulantia meretricis, non otiosa lascivia, quæ facit juvenum volare corda; ut propriæ mentis nequeant tenere constantiam, et huc atque illuc fervido amore rapiantur. Cave ergo hujuscemodi mulierem (Ibid., 10 et seq.), quæ pedibus non quiescit, foris errat, insidiatur per angulos, oculis ligat, verbis illicit, instilis lectum intexit suum, et tapetis ab Ægypto stratis; neque enim de cogitatione divina, sed de sæculari illecebra, assumit ornatum: quæ merito virum suum dicit absentem, quoniam non potest adultera omnis Christum habere præsentem.

15. Vides igitur quantis rebus etiam sanctorum corda capiantur; et ideo ne mireris, si etiam sanctus David captus est. Vir quidem magnus, et qui Allophylum immasem corpore, armis quoque bellicis inhorrentem fide vicerit, sed utinam se ipse vicisset, utinam sicut illum adversarium stravit, sic interiorum adversarium suum sternere ac superare potuisset! Gravior est pugna ejus qui intus, quam illius qui foris dimicat.

16. Sed quid de solo David loquor? Accersamus etiam alios ad tractatum hujusmodi, ne imbecillitatem David magis, unius scilicet hominis putemus; quam corporeæ conditionis fuisse infirmitatem. Samson validus et fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit: vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus **712** cupiditatum; messes incendit alienas, et unius ipse mulieris accensus igniculo messem suæ virtutis amisit. Salomon templum Deo condidit, sed utinam corporis sui templum ipse servasset! Verum ad ipsum a quo dicesit, revertatur oratio. Triumphavit David in decem millibus: sed erravit in viginti et amplius millibus; et quia erravit, hominem se esse cognovit, confessus est culpam, veniam deprecatus est dicens ad Dominum: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* (Psal. VI, 2 et 3). Si David infirmus, tu fortis es? Si Salomon lapsus est, tu immobilis? Si Paulus primus peccatorum, tu potes primus esse sanctorum? Ergo si erraverunt justi, erraverunt tamquam homines, sed peccatum suum tamquam justus agnoverunt. Si justus pœnæ atrocioris exceperunt sententiam, tu quemadmodum tibi spem impunitatis proponis, cum Scriptura dicat: *Si justus vix salvus fit, peccator et impius ubi parebit* (I Pet. IV, 18)?

17. Advertitis ergo, filii, quam plerumque etiam bonum propositum subruat causa mœchandi; et ideo causas ipsas primo fugere et vitare debetis. Non vis amore capi? Noli in speciem mulieris inten-

vero, prudentiam, inquit, acquire tibi amicam. Ad hanc quidem accedit Vulg., quæ habet, prudentiam voca amicam tuam, ubi LXX scribunt, τὴν δὲ φρόνησιν γνώριμον περιποιῆσαι σεαυτῷ.

dere, quia oculi tui qui cum viderint alienam, os tuum loquetur perversa, et jaces tamquam in corde maris, et sicut gubernator in magno turbine. Magnam enim faciunt tempestatem multitudines cupiditatum, quæ velut quodam in freto corporis navigantem hinc atque inde perturbant, ut gubernator sui animus esse non possit, ^a diem ac noctem caligine amoris ignorans.

18. Oculis igitur excitatur libido, sed ebrietate succenditur. Omnis enim ebriosus et fornicator, pauper fiet. Nec tibi de potentia blandiaris potandi. Noe ebriatus est, et qui non inebriatus est diluvio, inebriatus est vino. Sed ille naturam vini ignorabat, non enim ante potaverat: tu in illo didicisti cavere quid debeas. Lot per somnum deceptus est, et tu si non vis decepti, somnum mentis tuæ discute, ne ebrio illudat filius aut filia dormienti. Non pietas illic, sed ebrietas reditur: nec pater illic, sed dormiens circumscribitur. Vis non aduri? Noli ad ignem accedere. Vis non præcipitari? Nutantia fuge, prærupta cave, caduca declina et labantia.

19. Vides igitur in illis qui justii esse meruerunt, non alteram fuisse naturam, sed alteram disciplinam. Post primi hominis lapsum, justamque sententiam, cum in uno carnis damnatus sit appetitus, vitium traxit conditio, infecit culpa naturam; sed naturæ ipsius vitium fides temperavit, et devotionis intentio mitigavit offensam.

20. Convertimini igitur ad Dominum gentes, scitote quoniam Dominus Deus est: ipse fecit nos, et non ipsi nos. Scitote quoniam caro sumus et pulvis. Relinquamus ergo quæ fecimus, et ipsum nostri veneremur auctorem, qui vitam dedit, peccata donavit, qui solus potest dicere: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates vestras, et memor non ero* (Ezai. XLIII, 25). Magnus plane et misericors Deus, qui beneficium confert, nec beneficii munus exprobrat. **713** Miramini quod David regem fecerit, victoremque multarum gentium? Sic servulos suos consuevit evehere. Non avarus munerum, nec beneficii parcus, nec gratiæ angustus et frugi; sed opulens largitatis, quos redemit a peccato, auget in præmio. Hæc adversum gentiles.

CAPUT IV.

Judæos perperam credentes David, qui obnoxius fuit peccato, vel Salomonem, cui dicta de Christo non conveniunt, esse Filium Dei, redarguit; et pravam quorundam hæreticorum de Filio Dei interpretationem confutat.

21. Sed quoniam tripartitam divisionem tractatus hujus polliciti sumus, unam adversus gentiles, aliam

^a Edit. ac mss. aliquot, *die ac nocte caliginem amoris ignorans*. Melius mss. Theod., Dion., Colb. et Maz., *noctem ac diem caligine*, etc.

^b Ita mss. omnes ac edit. Era. atque Gill.; Rom. autem, *Titulus, in finem psalmus David cum ingrederetur*, etc., fatendum quidem hunc titulum ita legi in Psalterii exemplaribus quæ nunc exstant, sed cum

A adversus Judæos, tertiam apud Ecclesiam; nunc contra Judæos videtur esse tractandum. Quid igitur nobis propositum sit recenseamus. ^b *Titulus, inquit, psalmi David intellectus, cum venit ad cum Nathan propheta: cum intravit ad Bethsabee* (Ps. I, 1 et 2). Nempe historia hæc et adulterum David inducit et homicidam, et hunc vos, Judæi, dicitis esse Dei filium? Sed Deus virtutum est, non criminum. Et de hoc dicit Deus Pater: *Thronus ejus sicut dies cæli* (Ps. LXXXVIII, 50); qui dolum fecerit, ^c peccata non vicerit? Et quomodo scriptum est: *Nemo sine peccato, nisi unus Deus* (Luc. XVIII, 19)? Si igitur non potest non esse Deus, qui Dei filius est, utique Dei filius arbiter justitiæ est, non obnoxius culpæ.

22. Qua autem opinione vel David Dei filium judicatis, vel Salomonem putatis? An quia scriptum est: *Deus judicium tuum regi dā, et justitiam tuam filio regis* (Ps. LXXI, 2); et quia ^d titulus psalmi in Salomonem psalmum LXXI dicit esse compositum? Sed quem Salomonem dicat, advertite. Salomon enim pacificus est, hoc habet interpretatio. Psalmus in eum dicitur, quem vere scimus esse pacis auctorem. Quomodo autem Salomon pacificus? Non hoc Joab sanguis ostendit, quem inter altaria templi jussit occidi; non Adoniæ pœna, quem affinitatis regiæ reum perculit, nec matris obsecratione ab indignatione revocatus. Quomodo autem in Salomonem David filium existimas convenire quod scriptum est, quia *permanebit cum sole et ante lunam, in sæcula sæculorum* (Ps. LXXI, 5); cum ille brevis vitæ adeptus usuram, angustis terminis vivendi spatium transegerit? Quomodo autem de eo dicitur: *Dominabitur a mari usque ad mare* (Ibid., 8); cum ille intra Syriam constitutus, hoc est, intra unius regionis provinciam, circumscriptos fines habuerit imperii. Solus autem Christus usque in orbis totius terminos suum propagavit imperium? Solus enim iste est, de quo bene psalmi series prophetavit, quia *reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei* (Ps. LXXI, 10 et 11). Hunc enim novimus gentibus universis et nationibus imperantem, incircumscripso imperio, interminata potestate. Non ergo Salomon Dei filius.

23. Sed qua ratione eum Dei filium putavistis? An quia sapiens fuit? Sed hic sapientiam postulavit, **714** ut quam non habebat, acciperet: Christus ipse sapientia est, naturaliter in universum habens, quod in rebus humanis Salomon accepit per gratiam. Denique quod accipitur ex tempore, in tempore possidetur. Salomon enim sapientiam nec in principio sui habuit, nec in fine possedit. Neque enim habere se credidit quod poposcit; et postea aversus a Dei cultu, non quasi sapiens, sed quasi insipiens lapsus

olim magna fuerit in titulis psalmorum diversitas, a mss. et priscis edit. non discedendum.

^c Rom. edit. sola, *peccata non vicerit, quomodo dicitur Filius Dei, quia scriptum est.*

^d Eadem Rom. edit., *et quia titulus psalmi septuagesimi primi in Salomonem dicitur esse compositus.* Alia, ac mss. omnes ut in textu.

est, ut offenderet. Offendit in tantum, ut etiam quod meruerat, amitteret. Cur igitur hunc Dei filium credidistis? An quia templum Deo condidit? Sed hinc Dominum et Deum non esse credere debuistis, quia scriptum est: *Nisi Dominus ædificaverit sibi domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (Ps. cxxvi, 1). In vanum laboravit, qui ædificavit id templum, quod subjectus ignis exussit. An quia David patri ipsius dictum est: *Non tu ædificabis mihi domum.... sed cum tu dormieris, excitabo semen tuum post te; et ipse ædificabit domum nomini meo* (II Reg. vii, 12 et 13). Verum ibi quoque templum non corporale, non materiale promittitur, neque enim Deus in manufactis habitat, sed templum est sancta Ecclesia, quæ utique non humana, sed cœlesti virtute fundatur.

24. Nam si præstantioris licet, sed humanæ tamen virtutis opera miremur, multos hujuscemodi reperimus, quos cum David et Salomone comparare possumus. Et ideo ubi operis æqualitas est, non est excellentia potestatis. Nec plures possumus dicere Dei filios, cum unum Dei filium legerimus; sed non ex beneficiis suis quæ in parentes nostros contulit, facienda est injuria Dei filio. Multi enim præclari viri: sed per unum Jesum Nave stetit, inquit (Josue x, 13), sol contra Gabaon. Videtis eum ultra David regis processisse virtutem; terrenis enim David, non sideribus imperavit. Videtis etiam solem ministrum esse, non dominum, qui etiam voci servierit humanæ. Stetit tamen, quia in Jesu et typum futuri agnoscebat, et nomen. Neque enim in sua virtute Jesus Nave, sed Christi mysterio cœlestibus luminibus imperabat; designabatur enim Dei filium in hoc sæculum esse venturum, qui mundani luminis occidentis et jam vergentis in tenebras, virtute divina differret occasum, lucem redderet, invehret claritatem. Enoch quoque raptus est ad cœlum: sed tamen ille raptus est, hic regressus. Raptus est ille, ne malitia mutaret cor ejus; hic ipsam malitiam sæculi hujus abolevit. Elias curru atque equis ascendit ad cœlum; Christus autem descendit e cœlo, nec curru et equis, ut ille conscendit, quia ille aliter nequivisset; hic autem propria virtute remeavit. Elisæus in Jordane leprosum lavare præcepit, ut ab omni contagione munderetur; hic in Jordane totum diluit mundum. Moyses ipse cui crediti sunt populi Judæorum, aquam divisit; et ille quidem divisit elementa, quia non divisit potentiam Trinitatis; separavit moles aquarum, quia Patrem non separavit a Filio.

25. Videtis quanti viri, et qualium documenta operum dereliquerunt. Quemadmodum igitur **715** quos pares David regi vel Salomoni virtute cognoscitis, conditione impares judicatis, ut Salomonem David filium putetis ad Dei sedere dexteram? Præsertim cum ipse David evidenter de quo dictum esset, expresserit; neque enim de filio suo diceret: *Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam* (Ps. cix, 1). Quomodo enim filium suum Dominum nominaret? Lex prohibet, repugnat religio, abhorret fides; ut ad dex-

A teram Dei omnipotentis mortalem hominem loces. Alius est ille qui sedet ad dexteram, qui corpus suscepit, non qui cœpit a corpore; qui ante luciferum genitus est, id est, ante omnium luminum claritatem; quoniam ipse creavit variorum luminum dignitates: nam Salomon utique post luciferum est. Salomon sacerdos non fuit; et ideo dici ei a Domino omnipotente non potuit: *Ex utero ante luciferum genui te* (Ibid., 3); dici ei non potuit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (Ibid., 4); maxime cum illo tempore quo Salomon fuit, secundum ordinem Aaron, non secundum ordinem Melchisedech, fuerint sacerdotes. Adhuc enim sacerdotes sanguinem hircorum atque taurorum pro peccatis plebis et erroribus offerebant: postea verò quam **B** Christus adventit, qui semetipsum pro salute obtulit mundi (ut quos taurorum sanguis lavare non poterat, Christi sanguis ablueret) semetipsos cœperunt offerre pro hostiis sacerdotes.

26. Itaque una quæstione Dominus noster Jesus Christus omnium hæreticorum ora sepsit, sacrilegia conclusit. Non solum enim Judæos, sed etiam Photinianos, et Arianos, et Sabellianos hac redarguit quæstione: et ideo nobis (quoniam Judæos defecisse jam cernimus, et illam execrabilem perfidiam imminutam) jam de Arianis, qui non multum a Judæis differunt, Photinianisque et Sabellianis aliqua in istius quæstionis tractatu perstringenda sunt. Taceat ergo Photinus, qui Christum David filium, non Dei dicit; et taceat, damnatus voce cœlesti. Quomodo enim dicit Christum filium David esse, cum ipse David dixerit in libro Psalmorum: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (Ps. cix, 1)? Si David, inquit, Dominum illum vocat, quomodo ejus filius est (Luc. xx, 13 et 14)? Non ergo David filius, sed Dei filius Christus. Taceat etiam Sabellianus; et eum legit Dominum Domino dixisse, intelligat non eundem et ipsum esse, qui dicit, et cui dicitur: nec enim sibi Pater dixit: *Sede a dextris meis; nec sibi dixit: Ponam inimicos tuos*. Et aliquando intelligant omnes eum Filium esse, qui a dextris sedet. Et hanc distinctionem inter Patrem Filiumque custodiant, ut sit distinctio Patris et Filii, quod alius Pater, alius Filius, quia una in sede, una majestate potiuntur, et **D** sedent, non pro discerniculo dignitatis, nec pro ordine potestatis, sed pro copula charitatis: unam Patris et Filii intelligant potestatem, in quo et Arius conticescat, qui contraria Sabellio erroris urget vestigia. Audiat Dominum Domino dicere, audiat ad dexteram Patris Filium sedere; et desinat **716** de sermone atque ordine hominum divinitati facere quæstionem. Nec argumentetur hic, quia Pater dicit, *sede*; legimus enim et alibi, etiam sine Patris dicto sedere Filium, sicut scriptum est: *Et sedet ad dexteram Dei* (Marc. xvi, 20). Et alibi: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram Dei* (Matth. xxvi, 64). Ipse est enim cui dicitur, *sede*, qui Filius hominis nominatur: audit quasi homo, sedet quasi Dei fi-

lius. Quid hac potest dici præcellentius potestate, quæ etiam carnem hominis ad dexteram Dei collocavit; et infirmum illud conditionis humanæ, postquam tamen Verbum caro factum est, divinitati copulavit æternæ?

27. Sed quid hoc est? Posteaquam Photinus obmutuit, Arius conticuit, Sabellius vocem perdidit; adhuc tamen hæresim diversa contra Ecclesiam excitantem ora conspicio. Nam ecce Manichæus et Valentinianus, et omnis derivatio Manichæorum in a eo telo nititur, quo alii sunt perempti; et fidei præjudicium, fidei testificatione molitur. Ait enim detestanda hæresis: Ecce negavit Christus filium se esse David (*Luc. xx, 43*); et ideo, inquit, credendum est quod non susceperit carnem. Quibus aperitissime in ipso principio Evangelii Scriptura respondet, cum dicit: *Liber generationis Jesu Christi filii David* (*Matth. i, 1*). Cur igitur aut alibi David filius dicitur, aut alibi David filius denegatur; nisi ut intelligas aliud esse secundum substantiam divinam esse filium, aliud secundum carnis susceptionem? Nam secundum substantiam divinam, Dei Filius est; secundum carnem filius David. Itaque ubi generatio secundum carnem describitur Salvatoris, David filius nominatur: ubi vero plenitudo confessionis exigitur, cum designatur generatio Salvatoris, non vult se David filium, sed Dei nominari; b designatio enim majestatis ejus naturam interpretatur. Sed jam redargutis sævorum interpretationibus, ad Ecclesiam sermo vertendus est.

CAPUT V.

Confirmat rationes adversus Judæos atque gentiles adductas, et sermonem ad Ecclesiam convertit.

28. Verum quod sæpe titulum quinquagesimi psalmi repetimus, non præsumptionis, sed infirmitatis est exemplum. Uno enim die vel per angustias ingenii, vel per fragilitatem vocis omnem seriem non possum explere tractatus. Et ideo quoniam superiori die adversus Judæos noster sermo directus est, quos quidem eo usque documenta fidei subegerunt, ut Christus in cœlesti solio collocaretur: quod utique in hominem non potest convenire. Neque enim alium nisi Dei Filium ad dexteram Dei sedere credibile est. Non alius utique nobis sedere ad dexteram Patris nisi Dei Filius, remotis omnibus ambiguis, æstimandus est. Rursus quoniam Scriptura habet: *Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Ps. cxxxii, 11*); idem utique Dei Filius carnem ex Maria suscepisse credendus est, in qua prophetici fructus est ventris: ut vere successionem originis recognoscas, illumque

717 Dei Filium, factum postea filium hominis per

^a Edit. Era. et Gill. cum mss. Torn. Colb. ac Maz., *meo telo obnititur*; at potiorum existimamus edit. Rom. et Gill. ad marg. aliorumque mss. lectionem.

^b Era. Edit., *designatam enim... interpretatur tractatus apud Christianos*. Gill. cum mss. quinque Erasmo concituit, nisi quod in his legitur, *Designatio enim*, etc. Sed editores Rom. bene advertere voces, *Tractus apud Christianos*, alicunde in textum irrepsisse. Certe quidem in mss. Dion. et Laud., Torn. et Theod. non inveniuntur.

A susceptionem carnis, in Patris throno cœlesti sedere non dubites. Neque enim Christus sedem aliquam regalem hoc habuit in sæculo, ut putes aliam sedem David c similem esse promissam; maxime cum ipse dixerit Dominus: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan. xviii, 36*).

29. Conclusi itaque undique, eo perfidiæ suæ tentamenta derivant, ut incredibile esse asserant, quod Deus susceperit carnem: qua ratione autem non potuerit suscipere, explicare non possunt. Quæro enim utrum impossibilitatis, an injuriæ causa existiment carnem a Deo suscipi nequivisse? Si impossibilitatis, aliquid ergo impossibile Deo: nihil enim est quod facere voluerit, et facere nequiverit. Superest ergo ut aut voluisse, aut noluisse doceatur. B Quod autem majus indicium voluntatis, quam quod ipse dixit: *Palam apparui non quærentibus me... Expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem* (*Esai. lxxv, 1 et 2*)? Si ergo voluit et potuit, an putamus eum causa injuriæ noluisse? Et quam divinitas sui sentit injuriam? Expers enim est contumeliæ, neque subjecta nostris est passionibus; neque enim caro vel detrimentum divinitati afferre potuit, vel augmentum.

30. Qui tamen hoc objiciunt, quod Dei Filius carnem suscipere non potuerit? d Si gentiles, qui deos suos (quoniam homines fuisse negare non possunt) humana specie visos esse testantur? An rex eorum, quem illi suis diis omnibus anteponunt, prodigiales formas potuit pro amore suscipere: Christus carnem C hominis, quem ad imaginem sui fecit, atque illud præstantissimum opus suum suscipere pro mundi salute non potuit; et pulchrius illis videtur propter adulterium alieni thori, quam propter redemptionem omnium hominum speciem carnis assumptam? Quod si Judæus hoc objicit, quomodo legit: *Ecce virgo accipiet in utero, et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Esai. vii, 14*), quod est interpretatum, nobiscum Deus? Quomodo legit: *Ecce qui loquebar adsum* (*Esai. lxxiii, 6*)? Quomodo autem lectum asserit: *Ecce sicut panthera... et sicut ursus aporiatu occurram eis* (*Osé. xiii, 7 et 8*)? Dei ergo filius carnem suscipere non potuit pro redemptione omnium, cum ipsi negare non possint quod pro nostrorum D rinæ crudelitatis induerit; ut qui natura pius est et misericors, nostrorum tamen scelerum atrocitate commotus, assumat in nos quamdam sævitiam bestiarum?

31. Sed jam quia et superiore die et hodie Judæis satis responsum arbitror, apud vos mihi, fratres

^e Ita edit. Era. et Gill. cum mss. Edit. autem Rom., *David semini esse promissam*. Sed non videre qui reposuere *semini*, subaudiendam esse vocem *sed* hoc modo: *Davidis sedi similem*, etc.

^d Edit. Rom., *Si gentiles, cur Deos suos humana specie*, etc. Aliæ edit. cum mss. in nostram lectionem consentiunt, nisi quod illæ habent, *cur deos suos*; sed quia hoc sensum non satis commodum officiebat, Rom. edit. phrasim decurtanti locum dedit.

dilectissimi, prophetici facti ratio præstanda est. Etenim cum primum legeretur hic psalmi titulus, quod venerit Nathan ad David, cum intravit ad Bethsabee, diximus plurimos serie historię hujus confundi: et ideo traciatum ejus assumpsimus tripertitum; divisionemque tractatus **718** ita putavimus esse faciendam, ut apud Gentiles lapsus conditionis non negaretur, correctio erroris astrueretur; apud Judæos autem ideo lapsum esse sanctum David doceremus, ne amplius Judæorum perfidia claudicaret, eumque vel Dei filium desinerent credere, quem viderent communi conditione obnoxium fuisse peccato; ^a Christiani vero surgentis Ecclesię mysteria possint advertere. Tripertita ergo divisio facta est, una secundum naturam, alia secundum fidem, tertia secundum gratiam; nec infirmitas excludit a venia, et fides excusat a culpa, gratiam quoque promissam jam dudum sacramenta conciliant.

CAPUT VI.

Ecclesiam docet, cur David ac plerique alii Dominici generis auctores in errorem labi permisi sint; et ut inde facilius mysteria eruat, historiam homicidii et adulterii ipsius David recenset.

32. Peccaverit David ne totus mundus erraret; peccaverit sibi, ut nobis omnibus emendaret; postremo peccaverit in corpus suum (qui enim fornicatur, in corpus suam peccat) peccaverit in corpus suum, ut in Christi corpore redimeretur: ecce quem vix defendendum putabamus, jam cernimus prædicandum. Quis enim est qui nolit divina magis in se munera, quam humana opera prædicari? Arbitramur enim secundum apostolum (*Rom. iii, 28*) justificari hominem per fidem, sine operibus Legis: justificetur ergo ex fide David, qui per Legem peccatum agnovit, sed peccati veniam per fidem credidit; justificetur David, ^b quia in peccato ejus subrepto Ecclesię mysteria refulserunt.

33. Dicit aliquis, qua ratione et adulterium et homicidium commiserit Dominici generis auctor electus a Deo? Aliud dico: Talis auctor Dominici fuit corporis eligendus. Quid est enim corporatio, nisi remissio peccatorum? Et ideo exsors peccati esse non potuit, ut divinam gratiam et exemplo præferret et nuntio. Denique ea dispositione Bethsabee et Thamar ^c inter auctores Dominici generis computantur: quarum altera adulterium fecit, altera commisit incestum. Ea dispositione et Achab et Jechonias, sicut Matthæus Evangelista descripsit (*Matth. x, 9 et 11*), annumerantur majoribus Christi, ut omnes ho-

^a Ita edit. omnes cum tribus mss. Alii autem legunt: *Christianis vero suggerentes Ecclesię mysteria possimus advertere.*

^b Rom. edit. cum Vat. uno, et Theod. mss., *quia in peccato ejus surrectura Ecclesię mysteria.* Alię edit. ac mss. ut in textu.

^c Edit. Era. atque Gill. et mss. aliquot, *matres auctores Dominici,* etc. Quidam alii mss., *matres auctoris,* etc. Gill. vero in margine, ac mss. nonnulli cum edit. Rom. nobiscum faciunt.

Amnes redempturus, beneficium a suis majoribus inchoaret; ^d simul ne qui se subjecit usque ad corporis passionem, nobilitatem captasse immaculatę originis videretur. Hominum enim ista jactantia est, alienam gloriam, non suam quærere; et tamen inter ipsos homines major virtutis, quam nobilitatis est gratia. Simul edendum exemplum fuit, ut intelligerent omnes majorum probra non posse posteris esse dedecori; quod unusquisque successionis maculam proprię merito possit abolere virtutis. Vides quantos **719** et quam graviter criminosos Dominicę generationis series comprehendat, de quorum origine propter te nasci Christus non erubuit? Et hæc si credas, divinę miserationis in te munera sunt, et hoc cęlestis insigne est potestatis. Superabundavit enim peccatum, ut superabundaret gratia. Non fuerit igitur David exceptus a culpa, ut esset electus ad gratiam.

34. Sed jam mysteria ipsius recenseamus historię, et ex ipsis Scripturarum fontibus hauriamus; atque ut omnem seriem mysteriorum introspicere possimus, textum ipsius repetamus historię. Sic enim in libro Regnorum meminimus expressum (*II Reg. xi, 2 et seq.*), eo quod David cum lavantem vidisset Bethsabee Urię uxorem, adamaverit; deinde domum venire præceperit, cum absens esset vir mulieris; non multo post maritum ejus reversum esse, nuntium belli, religiosum sane et devotum virum, qui belli tempore non putaverit sibi ingrediendam domum, cum socios bello videret intentos, nec domesticis in tabernaculis, sed in præliaribus tentoriis excubantes; postea jussu David in bella revocatum, sub ea præceptione, ut objiceretur adversariis bellatoribus, quo morte viri liberam copiam potiendę mulieris rex haberet. Et hic nonnulla est peccati verecundia, et pudor culpę, quod latebram quæsivit erroris; et injustę necis non auctoritatem sibi jure regię potestatis assumpsit, sed invidiam declinavit. Culpam fateatur, sed tolerabilior est quę premitur verecundia, quam quę insolentia prædicatur. Mortuus est igitur Urias, bellatoribus objectus, sed postea iidem qui eum peremerunt, jussu David, expugnata urbe, sunt perempti. Hęc est historię series, in qua profunda licet spectare mysteria.

CAPUT VII.

Divino invocato Spiritu, incipit detegere mysteria, quę sub David ac Bethsabee adulterio, nec non sub ipsius partu velabantur.

35. Et quoniam David non defendendum neque

^d Sic Rom. edit. et mss. aliquot. Alię vero edit. simul ne quis subjectus corporis passioni, etc., a quibus mss. plerique non procul abeunt. At quod edit. Rom. paucis interjectis, contra veteres alias, et mss. præfert: *Hominum enim ista jactantia est, non alienam gloriam, sed suam quærere;* non sane viderunt editores hanc sententiam per se verissimam, hoc loco absurdam esse; cum agatur de gloria in nobilitate majorum posita, quam multi quærunt avidissime, de propria sibi recte factis acquirenda nihil solliciti.

enim meo eget auxilio, sed excusandum recipimus, A vel potius prædicandum; ne in tanto mysteriorum profundo vacillem, justum est ut ejus ore utar, cujus uter historia. Utar igitur responsorio Prophetico dicens: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Psal. L, 12). Nemo enim sine Spiritus sancti infusione, tanta divini recessus potest spectare mysteria. Etenim si ille tantus propheta, Spiritus sancti petit sibi munus infundi, quid facere infirmus debeat; cum præsertim etiam Apostolus sanctus populi quoque se putet precibus adjuvari, ut aperiatur ei ostium ad loquendum mysteriam verbi. O si mihi ostium illud Christus dignetur aperire! Pulsemus tamen; solet enim exaudire pulsantes, quia ipse dixit: *Pulsate, et aperietur vobis* (Luc. XI, 9). O si mihi se ipse reseraret, quia Christus est B janua: ipse intus, ipse extra, ipse via quæ ducit, ipse vita ad quam contendimus pervenire.

56. Veni ergo, Domine Jesu, et aperi nobis fontes tuos, ut bibamus de aqua, quam qui bibit, non 720 sitiet in æternum (Joan. IV, 13). Vel si de fonte adhuc tuo haurire non possumus, dignare concedere ut de puteo saltem haurire possimus, unde potum Samaritanæ illi dubitanti adhuc mulieri polliceris. Et tu quidem de fonte omnibus polliceris, sed dubitantibus, ut illi Samaritanæ, fons tuus adhuc altus est puteus. Bibamus et nos aquam cœlestium secretorum. Et quoniam ad fontem tuum meruimus pervenire, liceat nobis imaginem saltem mysteriorum videre cœlestium.

57. Itaque, nisi fallor, per Prophetam Spiritum C sanctum intelligimus; per adulteram autem licet Synagoga fornicationes varias æstimare. Et ideo multo ante cernimus revelatum ex Spiritu sancto, et ex familia Judæorum (quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem) Dominum Jesum esse generandum (Gen. XLIX, 10), qui quidem quasi Judæus ex adultera familia natus est, sed quasi immaculatus ex Virgine. Erat sub Lege, erat quasi sub viro familia Judæorum; abolenda fuit Legis observantia, ut veritas substitueretur et gratia.

58. Habemus unum mysterium: accipite et aliud; ita tamen ut memineritis ex prima conceptione Bethsabee natum esse parvulum qui mortuus est, postea natum esse Salomonem: illum parvulum ex conceptione furtiva; istum vero Salomonem jam ex profes- D sione conjugii. Liqueat igitur per David intelligi prophetam, per Prophetam populum propheticum, ex quo et ex Synagoga primus ille qui natus est (quoniam degeneraverat a majoribus suis per flagitia formatus, et per vitia concretus populus Judæorum) ad resurrectionis æternitatem pervenire non potuit, nec in virum perfectum exerescere; sed in exigua sen-

^a Mss. plerique cum edit. omnibus; *Hebræi dicunt*. Laud., Torn. et alii nonnulli restituunt vocem, *excelsus*; ad quam videntur respicere quæ infra sequuntur, *David excelsus per naturam, sed humiliatus per misericordiam*. Neutram tamen interpretationem uspiam reperimus, sed tantum *Davidem* Hebræa significatione idem esse ac *dilectum*.

suam parvitate, et quadam virtutis defecit infantia. At vero ille qui postea ex legitima conceptus est copula, populus Christianus, ille sapiens atque pacificus, hoc enim Salomonis interpretatione reseratur, ad incanam longævæ resurrectionis ætatem, atque ad regnum illud cœleste pervenit. Per illum autem populum Lex soluta, per istum gratia reformata est.

59. Accipite etiam tertium mysterium. Quod David ^a Hebræi excelsum dicunt, Latini humiliatum interpretantur. Quis est autem vere humiliatus, nisi ille qui non rapinam arbitratus est esse se æquatam Deo: sed formam servi accipiens humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem (Philip. II, 6 et seq.)? Hic igitur est qui significatur David, excelsus per naturam, sed humiliatus per misericordiam: sublimis in divinitate, sed mitis in corpore. Itaque ubi humiliatus, ibi obediens. Ex eo enim nascitur obedientia, ex quo humilitas, et in eo desinit. Cum enim obediens dicitur factus usque ad mortem (mors autem non divinitatis, sed corporis fuit) non utique obedientia divinitatis fuit illa, sed corporis; nec humilitas majestatis illa, sed carnis. Itaque quantum ad susceptionem corporis spectat, apostolica lectio in quo Christi fuerit humilitas, declaravit: quod vero ad naturam spectat divinitatis, Evangelica lectione reseratum est: quam pio prosecuti estis assensu, cum audiretis legi, dicente Dei Filio: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. X, 30). 721 Unum enim divinitate sunt Pater et Filius: sed non unum sunt corporis sacramentum, et divinitatis æternitas. Nec solus tamen Apostolus humiliatum dixit esse Dominum, sed ipse quoque se humilem esse memoravit dicens: *Tollite jugum meum, quia leve est; quoniam mitis sum et humilis corde* (Matth. XI, 29). Et tamen non sola interpretatione, sed etiam appellatione signatum est; quia scriptum est: *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum* (Psal. LXXXVIII, 21). Et infra dicit: *Pater meus es tu* (Ibid. 27); ^b et, *Ego dicam illi: Filius meus es tu*. Ergo David quem quærebat, invenimus: servum quidem specie, sed Dominum veritate.

CAPUT VIII.

Quid domus regia, in qua deambulat David: quid nudatio et lavatio Bethsabee; quidve quod statim nuda visa amata sit, significet.

40. Hic ergo David intra domum deambulavit suam. Quæ utique domus est Christi, nisi illa de qua dicit: *Quia apud Patrem meum multæ mansiones sunt* (Joan. XIV, 2)? In illa ergo regia situs humanam conditionem nudam vidit, et miseratus adamavit. Erat enim adhuc nuda virtutum, quia per insidias serpentis genitalibus erat naturæ suæ ^c exuviis

^b Rom. edit. sola, et: *Ego primogenitum ponam illi, excelsus præ regibus terræ*. Forte voluerit auctor ad eum versum alludere; sed Era., Gill. ac mss. omnes nobiscum faciunt.

^c Quidquid inter voces, *exuviis destituta*, et illas, *Quæramus quæ ista sit*, concluditur, in edit. Rom. prætermisum fuerat, cum in aliis omnibus edit. et

desinita. Neque enim verisimile videtur, ut ante domum regis mulier nudaretur, ante domum regis femina se lavaret (II Reg. xi, 2 et seq.): quasi locus lavacro opportuno alius esse non posset. Non quadrat, non congruit, non cum fide convenit: distat a vero, abhorret a sensu. Talem rex, tam petulantem, tam procacem horrere potuit, non amare. An illa, si non viro verecundari, nec regios saltem vereri potuisset aspectus? An illam, priusquam rex videret, nec ministri ejus arcere potuerunt?

41. Ergo si hoc cum fide non potest convenire: quæramus quæ ista sit nuda, videlicet humana conditio, omnibus vestimentis exuta naturæ, carens amictu immortalitatis, et innocentiae spoliata velamine. Nudus est enim qui peccato nudatur et culpa. Denique ille primus nostri generis peccator, atque utinam solus, antequam peccaret, nudum se esse non sensit, posteaquam peccavit, nudum se esse vidit; et ideo tegendum foliis putavit, quia nudum se esse cognovit. Factus est igitur ille sibi nudus, posteaquam factus est reus culpæ. In illo nudata est omnis humana conditio, per successionem naturæ; non solum culpæ, sed etiam ærumnæ obnoxia. Ergo ille se nudum sensit et vidit: unde ita est omnis nostra conditio, ut qui se nudum putaverit, nudum et videat et sentiat. Denique qui divitias concupiscit, nudus est: qui contemnit, opulentus est. Adeo suus cuique sensus ærumna est, et sua cuique virtus expers injuriæ est. Ergo humanam conditionem primo per Legem sibi Christus in **722** conjugium vindicavit, quam repudiavit postea. Unde et ait: *Quis liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam (Esai. l, 1)?* Hoc igitur genere Christus familiam suam nudam vidit, et amavit: amat enim sanctam Christus animam. Denique amabat Jesus Lazarum et Mariam: amabat Christus Ecclesiam suam, quamvis nudam, quamvis nullo adhuc virtutum decore vestitam.

42. Denique ut sciamus propositæ disputationi Scripturarum seriem convenire, discamus Ecclesiam mundam, discamus quærentem, festinantem et lavantem se ante domum Christi, quando baptizabat Joannes in Jordane dicens: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem venit post me, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto (Matth. iii, 11).* Ergo quando baptizabatur plebs in poenitentiam, Christum utique domui ejus jam vicina quærebat, ut perveniret ad gratiam. Quærebat ergo a Joanne Christum Ecclesia dicens: *Annuntia mihi quem dilexit anima mea (Cant. i, 6)*; ipsum causam desiderii, ipsum causam lavacri sibi esse

mss. habeatur. Illorum autem verborum loco tantummodo reposita fuerant ista: *Vidit ergo David mulierem nudam lavantem se.* Manifestum vero est memoratas lineas idcirco fuisse ab editoribus Romanis resecatas, ne veritas historiæ destrueretur. Verum cum hic auctor supra c. 2, n. 5; c. 5, n. 7, 15 et 16; c. 4 n. 21, et c. 5, n. 31, facti veritatem expressissimis verbis astruxerit, quis putet eum in tam paucis pagellis sibi adeo turpiter contradicere? Ita igitur hunc locum interpretamur, ut historiam quidem nequamquam neget, sed multo magis ad tendendum doceat

commemorans, sicut habes: *Fusca sum et decora, filia Hierusalem, ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis (Ibid., 4).* Habes causam qua ratione se lavare gestiatur, quia fuscam se esse commemorat. Nam quasi interroganti Joanni, qua ratione plebs multa concurrere gestiret lavari, respondit: *Fusca sum et decora, filia Hierusalem.* Quia fusca est, lavari desiderat; quia decora est, videri nuda non metuit. *Nolite, inquit, aspicere me, quia offuscata sum, quia non est intuitus me sol.* Ergo fuscatur, quando non videmur a Christo; sed quando videmur, albescimus. Vidit ergo eam ille cui nuda sunt omnia, et interna pectoris occulta esse non possunt; quia scrutator est cordis et renum: nihil huic tectum, nihil est involutum. Vidit Ecclesiam suam nudam, et vidit, et amavit. Vidit nudam dilectam, et quasi filius charitatis adamavit.

43. Videte quemadmodum videat, videte quemadmodum vocet. Non hic adulterii opprobria, sed mysteria castitatis sunt. *Tota es, inquit, formosa, amica mea, proxima mea, et reprehensio non est in te. Ades huc a Libano sponsa, ades huc a Libano, transibis et pertransibis a principio fidei (Cant. iv, 7 et 8).* Et bene a principio fidei. Ergo ubi fidem habes, adulterium timere non debes; fides enim conjugii est, fraus adulterii. Sed ut adesse possit a Libano, ante præmisit dicens: *Exsurge, veni, proxima mea, formosa mea, columba mea, perfecta mea (Cant. ii, 10).* Proxima, utique fidei desiderio; formosa, decore virtutis; columba, gratia spiritali. Pennæ enim columbæ argentatæ æternam illam significant potestatem; et columbæ volatus sancti Spiritus præsentiam declaravit. Vocat igitur ad se eam Christus, ut veniat; quoniam spiritalibus jam pretiis dotata veniebat: *Quia ecce, inquit, hyems præterit, imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt in terra (Ibid., 11 et 12).* Videte **723** quemadmodum sancta invitetur Ecclesia. *Hyems, inquit, discessit sibi, ne hyemem nuda formidet, hyemem non temporis, sed infirmitatis, quæ agrum animæ secundum omni flore dispoliat. Est enim hyems non terreni solis, est hyems mentis, quando animo frigus illabatur, quando vapor animi evanescit, quando solvitur vigor sensus, quando nimius humor exundat et mentem gravat, quando interior caliginat aspectus. Et ideo ait Dominus: Videte ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato (Matth. xxiv, 20).* Bonum enim ut tunc dies iudicii vel mortis adveniat, cum viget animi blanda temperies, cum cœleste mysterium serena luce resplendet, cum cor nostrum ardet in nobis. Tunc enim Christus est præsens, sicut testantur in ad historiæ animam, ut sic loquamur, id est, ad mysticam intelligentiam, quam ad ejus corpus, hoc est, litteralem narrationem. Qua etiam ratione loci complures ipsiusmet Ambrosii conciliandi sunt utputa lib. 4 de Abraham cap. 9, numerus 87 cum libri et cap. ejusdem numero 89, et lib. de Joseph Patr. c. 1, numerus 4 cum libri ejusdem cap. 30, num. 15. Item lib. de Tobia c. 5, n. 57 et 58, cum ejusdem libri cap. 2, num. 70 et sequentibus. Videsis etiam præmissam a nobis huic tractatui Admonitionem.

Evangelio * Ammaon et Cleophas dicentes : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via, cum aperiret nobis Scripturas (Luc. xxiv, 52)? Viget autem animus quando etiam flos videtur in terris. Quis est iste flos boni odoris, nisi ille qui dixit : *Ego flos campi, et liliū convallium* (Cant. ii, 1)? De quo et in Esaia scriptum est : *Et exiet virga^b de radice Jesse, et virga ex radice ascendet et flos ex virga exiet* (Esaï. xi, 1). Radix utique familia Judæorum est, virga Maria, flos Mariæ Christus, qui quando nostra resplendet in terra, et in agro animæ redolet, vel in Ecclesia sua vernat, nec frigus possumus timere, nec pluviam vereri, sed exspectare iudicii diem.

44. Et ideo Ecclesia ut hunc florem videret, omni studio festinabat, sicut ipsa testatur dicens : *In cubili, in noctibus quæsi vi quem dilexit anima mea : quæsi vi eum, et non inveni : vocavi eum, et non exaudivit me. Exsurgam itaque, et introibo in domum, in forum, et plateas, et quæram quem dilexit anima mea* (Cant. iii, 1 et seq.). *Quæsi vi, et non inveni eum... Invenerunt me custodes qui circummeunt civitatem, me percusserunt, et tulerunt pallium a me* (Cant. v, 7). Videtis quemadmodum quærat quem desiderat invenire, ut non timeat vulnerari. Sed hæc vulnera non metuenda sunt, sed optanda; quia vulnera charitatis sunt; ^d sicut ipsa dicit : *vulnerata charitate ego sum* (Ibid. 8). Bona charitatis vulnera. Denique utiliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici.

CAPUT IX.

Eandem materiam prosequitur, ostenditque Ecclesiam Christo, qui velatam Synagogam despexerit, nudam placuisse; tum ejusdem ad illum inquirendum ardorem describit; ac demum Legis solutionem in Uriæ nece adumbratam explicat.

45. Merito ergo nuda, quia pallium perdidit: aut fortassis ideo nuda, quia nonnumquam virtutis est opertum non habere pectus, cor non habere velatum. Denique velatam illam, hoc est, Synagogam (II Cor. iii, 15 et seq.), quæ habebat velamen in lectione veteris Testamenti, quod modo revelatur, quoniam in Christo evacuatur; velatam, inquam, Synagogam Christus despexit et **724** sprexit; unde hodieque velamen super cor Judæorum est positum. ^e At vero ea quæ tota ad Dominum mente convertitur, nuda est atque perspicua. Cum enim quis conversus fuerit ad Dominum, velamen auferetur; ut gloriam Dei speculantes videre possimus. Denique etiam alibi nudam esse virtutis indicium est, quia scriptum est : *Exui*

* Codex Torn., duo discipuli; alii ac edit. omnes, Ammaon et Cleophas. Sic etiam nuncupantur ab Ambrosio tum alibi, tum maxime in *Comment. in Evang. Lucæ*, cap. xxiv, quia de re plenius ibidem disseremus.

^b Rom. edit. cum mss. aliquot, *de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*; quæ lectio etiam LXX et Vulg. auctoritate confirmatur. Era. tamen, Gill. et plures mss. habent ut in textu.

^c Ita mss. omnes, atque edit. Era. et Gill. Rom. vero, *et circuibo civitatem*. Certe hanc ejus lectionem

A tunicam meam, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos (Cant. v, 5)?

46. Quam igitur tunicam exuerit, et non invenerit quemadmodum induat eam, de Scripturis, si possumus, revelemus. Est enim quædam tunica corporalis, sunt cupiditatum quædam intexta velamina; et ideo interdum melius est nudum esse corpore, quam corde velatum. Unde etiam Paulus nos admonet exspoliari multo esse melius quam supervestiri, dicens etiam alibi : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite novum qui renovatur in agnitione, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (Coloss. iii, 9 et 10). Ergo quæ exspoliata est, et pedes lotos habet; et ideo quæ lavit, nescit quemadmodum inquinari possint. Obliviscitur enim per gratiam, quod hauserat per naturam. Magnus igitur hic est justus amor mulieris ante David regiam se lavantis.

47. Verum non solum lavit, sed etiam vocavit; ut in eodem accepimus libro, dicente sancta Ecclesia: *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas, videamus si floruit vitis* (Cant. vii, 11 et 12). Non solum igitur lavat, sed etiam Christum ad se venire provocat et invitat dicens : *Tibi dabo ubera mea* (Ibid.). Nec sua tantum, sed etiam nova ac vetera pollicetur, sicut habes : *Nova et vetera, frater meus, servavi tibi* (Ibid. 15). Et quasi amoris impatiens quærit adminiculum alicujus, a quo Christus rogetur ut veniat. Videte æstantem, videte desiderantem : *Quis dabit, inquit, te, frater meus, lactantem ubera matris meæ* (Cant. viii, 1)? Et qua ratione quærat, et qua gratia invitet, et quemadmodum possit tenere, demonstrat : quemadmodum foris morantem exspectet, ostendit : et ut domum suam ingrediatur, implorat dicens : *Inveniens te foris osculabor te, assumam te, et adducam te in domum matris meæ, et in secretum ejus quæ concepit me* (Ibid. 2). Vides quemadmodum nuda sit, quæ non potest tectum habere secretum intemeratæ utique naturæ, secretum intimæ conscientiæ, non designatum aliqua temeritate vitiorum. Hortus enim clausus est Ecclesia sancta, et immaculata virginitas, quæ ideo hanc gratiam meretur a Christo, quia Verbum Dei quæsi vit, desideravit, invenit, advigilans ante ostia sapientiæ, sicut ipsa dicit : *Beatus vir qui audierit me, et homo qui vias meas custodierit, advigilans meis ostiis quotidie, custodiens postes mei introitus. Exitus mei, exitus sunt vitæ* (Prov. viii, 34).

48. Sic Ecclesiæ suæ Christus speciem concupivit et paravit sibi eam uxorem adsciscere. Sed quia

LXX atque Vulg. stabiliunt, a qua nec multum recedit Ambrosius lib. *de Isaac et Anima*, cap. 5, num. 58, ubi habet, *et quæram in civitate*.

^d Sic. Rom. edit. et mss. aliquot; Era. vero et Gill. cum aliis cod. manu exaratis; *sicut ipse dicit; Vulneratæ charitatis ego sum*. Minus bene, cum hæc Ecclesiæ tribui manifestum sit.

^e Edit. Era. atque Gill., *At vero eam quæ tota ad Dominum mente convertitur, ut gloriam Dei speculantes videre possimus, Christus suscipit atque amplectitur*. At Rom. edit. et mss. cod. habent ut nos supra.

erat sub Lege (sub Lege enim Petrus, Joannes, **725** cæterique apostolici viri), prius nos observantiae corporalis vinculis relaxandos putavit. Quamvis enim Lex religiosa, Lex justa, sicut Uriæ persona iaducitur, qui tam religiosus et castus fuit, ut regressus e bello uxorem non recognosceret, nec intraret ad eam; ^a tamen quia Urias in David, hoc est, viro humili, copulam cognovit Ecclesiae, a Synagogae conjunctione discedens, locum futuris nuptiis præparavit. Unde et Joannes typum accepit Legis, qui quamvis esset ex Patribus, parari vias Domini nuntiavit et Ecclesiae copulam prophetabat; et ideo occisus inducitur, ut defectum legitimæ observationis ostenderet. Lex enim et prophetæ usque ad Joannem. Ergo jam Urias occisus est in typo Legis, ut Synagoga Legis laqueis solveretur, quoniam quæ sub viro est mulier, **B** vivente viro, ligata est legi; si autem mortuus fuerit vir, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si juncta fuerit alteri viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ita ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. Ergo non ^b adultera humanæ conditioni, quæ licet sub Lege fuerit, tamen abolita quodammodo observantia Legis, ⁱⁱ gratiam vindicata est.

49. Legis autem observantiam non Christus abolivit. Unde et Uriam non David occidit, sed occidi a bellatoribus passus est: hoc est, profanari ritum observantiae ex Lege venientis, per incursionem barbarorum et captivitatem Judæorum passus est Christus. Denique Urias, lux mea dicitur. Quæ autem Christi lux, nisi Lex et Evangelium? **C** Si enim crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit (Joan. v, 46). Quia lux Christi in Lege præcessit, cujus postea in Evangelii gratia quasi ^o in heptamyxo spiritu universa mundi hujus implevit. Hinc ergo Legi carnem sustulit vel Ecclesiam et sibi junxit: cujus Legis lumen populus hostilis imminuit, quando Legis sancta violavit. Imminuta ergo lux Dei est in populo Judæorum; quia cæcitas ex parte in Israël contigit, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.

CAPUT X.

Renovata attentione, altius mysterium in adulterio Davidico latens, nimirum Verbi divini cum humana natura conjunctionem scrutatur.

50. Superest adhuc et quartum mysterium, quod, quæso, placidis accipiatis auribus, et mentem nostram, non verba pendatis; non enim in verbo est regnum Dei, sed in virtute. Adulterium factum est, et homicidium factum. Hoc est quod dictum est ad Prophetam: *Sume tibi baculum nucinum* (Jerem. i,

^a Ita edit. omnes, ac pauci mss. Codex Torn., tamen ubi Urias interfecto. David, hoc est, vir humilis copulam cognovit Ecclesiae. Theod., tamen ubi veri David, hoc est, viri humilis copulam cognovit Ecclesia. Alii quatuor, tamen ubi Urias David, hoc est, viri humilis copulam cognovit, Ecclesiam, etc.

^b Rom., edit., adultera humana conditio; aliæ duæ ac mss. omnes, humanæ conditioni; nec male, si vocem adultera, de Ecclesia dictam intelligas. Rursus

A 11). Et alibi virgam nucinam legimus, per quam intelligimus jus quoddam et summam prophetiæ, quæ more nucis foris amara in cortice; dura in medio testa, tenera intus est et fructuosa. Etsi igitur in historia amariora auditis, in typo dura cognoscitis; sperate tamen in mysterio fructuosa. Adulterium, inquam, in typo **726** salutis est factum; non enim adulterium omne damnandum est. Denique ad Prophetam dictum est: *Vade, accipe tibi uxorem fornicariam* (Ose. i, 2). Dominus hoc jubet cum ea quæ fornicata fuerit, esse conjugium: cujus conjugii, ut supra diximus (*Supra, cap. 9 hujus libri*), partus est Christus. Namque filio qui ex fornicatione est natus, a Domino nomen impositum est Jezrahel, quod divina est generatio. Si ergo pia illa copula fornicariæ, etiam ista utique pia societatis adulteræ copula est. Sed illa de Judæis. De divinis autem non audeo, licet piis, adulterium nominare, ne quem vel sonus sermonis offendat, licet sensus venerationis in promptu sit; quod potest tamen cautius dici, etsi non expressius, ex disparibus copulis contubernium piis factum est, cum Verbum caro factum est. Non sunt enim legitima consortia divinitatis et carnis; nec ut quodam fœdere conveniunt naturæ, caro animæ et anima carni, ita etiam divinitas et caro justi servant quodammodo thori legem. Suscepit carnem Deus, assumpsit animam, per inusitatum nec legitimam incarnationem consortium fecit esse legitimum, ut sit Deus omnia in omnibus.

51. Denique ut scias esse mysterium, interpretare **C** vocabula. David enim accipis in typo Christi, Bethsabee filia sabbati, aut filia plena, vel puteus dicitur juramenti. Quid igitur expressius, quam quod filia sabbati caro Christi est; quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege? Eadem plena, quia in passione ejus Legis est plenitudo, vel quia plena gratia Spiritus sancti. Jesus enim plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane. Eadem etiam puteus juramenti, hoc est, religionis et fidei. Et bene puteus, quia flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hanc ergo assumens sibi Deus Verbum, copulam fecit esse legitimum; quod mysterium illæ nuptiæ designarunt, quæ sunt in Canticis canticorum, quibus Christo Ecclesia, et spiritui caro nubit. Et ideo circumcursabat et quærebat ubique Dei Verbum, quia **D** vulnerata, quia nuda, quia adultera in omnibus, etsi immaculata in Christo, quærebat caro misera redemptorem.

52. Hanc sibi Christus junxit, ut immaculatam redderet; hanc sociavit, ut auferret adulterium. Et quia sub Lege erat, moriendum fuit, ut liberaretur a

ibidem edit. Era. et mss. duo, tamen oblita est Legis quodammodo (mss., quemadmodum) observantia Legis in gratiam, etc.

^c Mss. aliquot, edit. Era. ac Gill. in margine, in heptamyxo septiformi spiritu. At glossema est. Non dubium autem quin alludatur ad candelabrum veteris Legis, in quo erant lucernæ septem, quibus septiformis gratia sancti Spiritus designabatur.

Lege, ut per illam mortem velut quoddam Legis et A
carnis matrimonium solveretur. Mortua est igitur
in Christo caro, ut nos mortificati Legi per corpus
Christi, sicut Apostolus dixit (*Rom. vii, 4*), essemus
alterius qui ex mortuis resurrexit, et passiones cupi-
ditatesque carnis, et cogitationes peccatorum quæ per
Legem erant in membris nostris, in illa morte mo-
rerentur: nos autem soluti a lege mortis, quasi
nova Christi copula, in novitate spiritus resurgere-
mus.

55. Et tamen qui Legem in Christi carne solve-
runt, eamque putaverunt esse violandam, omnes
jussu David a bellatoribus interempti sunt. Quo indi-
cio ostenditur id, quod posteriora docuerunt esse
signatum, quod eorum qui Christum interfecerunt,
727 nullus evaserit; idque evidentissime revela- B
tur, eos quos ante mortem assumpserat Jesus, sicut
Judæos, perisse parvulos et informes: eos vero quos
post mortem adscivit in numerum filiorum, regno
esse servatos. Unde juxta hoc mysterium convenit
quod primus in Judæis fuerit partus infirmus; ut
postea in Christianis fieret fructus æternus.

CAPUT XI.

*Parabolâ Nathan proponitur, atque ad sensum mbra-
lem, moxque ad allegoricum traducitur.*

54. Sed jam ad nuntium transeamus. Nam supe-
rioribus diebus tractatus nobis de illo invidioso
adulterio et homicidio David prophetæ fuit, decur-
sisque mysteriis non solum nihil quod condemnare-
tur; sed etiam quod laudaretur, invenimus. Nunc C
tractatus incipit esse de nuntio quem decursi psalmi
titulus jam sæpe repetitus ostendit. Sic enim est:
*Psalmus David intellectus, cum venisset ad eum Na-
than propheta, cum intrasset ad Bethsabæe (Psal. l, 1).*

55. Itaque et hæc pars historiæ retextenda est,
quæ hujusmodi est. Dives, inquit (*II Reg. xii, 1 et seq.*),
et pauper intra unam erant civitatem. Diviti multa
armenta, multæ oves; pauperi una ovis, quæ de
pane et vino pauperis alebatur, et in sinu ejus re-
quiescebat. Venit hospes ad divitem; dives neque
de armento suo, neque de gregibus suis aliquid abs-
tulit, sed unam ovem pauperis occidit. Hoc ubi cog-
novit David: Morietur, inquit, vir ille, et restituet
quadruplum. Respondit illi Nathan: Tu es. Deinde D
aperuit ei cœlestis mandatum, dicens mandasse Do-
minum quod multa illi bona, id est, opes regias, sub-
lato de pastorum numero, contulisset, quodque in
eum suam misericordiam profudisset; et ideo quo-
niam peccato exasperasset Dominum, abducenda ejus
omnia, rapienda ab hostibus, depopulandam domum.
Tunc ait ille: *Peccavi*. Et respondit Nathan: Quo-
niam peccasse te confiteris, remittet tibi Dominus
peccatum; sed filius tuus qui natus est ex Bethsabæe,
moriatur. Hoc filio ægrotante, David flevit, humi ja-
cuit, cilicio se operuit, jejunavit: ubi mortuum cog-
novit, surrexit, lavit, cœnavit, alios consolatus est.

*Rom. edit. solâ, Psalmus David in finem. Sed
magnam fuisse olim in Psalteriis titulorum diversi-*

56. Videte quam multa. Primo omnium, quod
Deus pius et misericors est, et quæ nobis adversa
contingunt, pro pretio nostri erroris excipimus. Di-
dicimus igitur captivitatem pretium esse peccati;
hæc enim decernitur pœna pro crimine. Deinde illud
advertimus quod regum lapsus, pœna populorum sit.
Sicut enim eorum virtute servamur, ita etiam errore
periclitamur. Unde optandum est nobis, ut regem
gloriosum atque perfectum habere possimus. Nos
ergo qui regem volumus habere perfectum, Dominum
nolumus habere perfectum? An vero illi possunt
velle hominem esse perfectum, qui Deum nolunt esse
perfectum? Illud etiam breviter textus operatur hi-
storiæ, ut advertamus quam cito veniæ spes secuta
sit. Non mediocre autem, quod Nathan denuntiavit
ei, hoc est, inferior propheta. Gravis **728** enim ve-
recundia pudorque delicti, ab inferiore reprehendi.
Videtur quod culpa gratiam minuat. Sciebat Nathan,
quod David nesciebat: adeo caligabat animus obum-
tratus quadam nube vitiorum. Deinde hic est Nathan,
qui in superioribus David acceptum Domino prophe-
tavit; ut doleret eodem redarguente peccatum, quo
prophetaute, meritum fuerat prædicatum.

57. Sed jam mysterium requiramus. *Duo, inquit,
viri erant in una civitate, unus dives, et alter pauper
(II Reg. xii, 1).* Quis est hic dives aut pauper, nisi
forte unus populus Judæorum, et alter populus Chris-
tianus? Ille dives in Lege, dives eloquiis Dei sibi cre-
ditis, dives prophetiis, dives oraculis; hic vero pau-
per. Sed nolite hanc refugere paupertatem, quam
sequitur regnum cœlorum. Scriptum est enim:
*Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum
cœlorum (Matth. v, 5).* Bona paupertas, quæ quod
habuerit, non amittit. Bona paupertas, quæ si the-
sauros non habet pecuniæ, habet tamen thesauros
scientiæ atque sapientiæ. Nolite, filii, quasi vilem
despicere paupertatem. *Iste pauper clamavit, et Do-
minus exaudivit eum (Psal. xxxiii, 7).* Nolite quasi
magnis invidere divitiis: *Divites eguerunt et esurie-
runt (Ibid., 11).* Sed si vultis habere bona, Domi-
num quaerite: *Inquirentes enim Dominum, non defi-
cient omni bono (Ibid.).* Ergo nolite recusare omnem
pauperem. Pauper erat Petrus, et quem donaret,
nummulum non habebat; sed pretiosorem omni pe-
cunia donabat salutem. Pauper ille erat Lazarus in
Evangelio (*Luc. xvi, 19 et seq.*); sed ille qui antè in
ostro dives jacebat et purpura, optabat post exitum
vitæ, stillante digito pauperis refrigerari. Quamvis ille
ostro superbus regio et purpuratis vestibibus vulnera
pauperis dives fastidiosus horruerit, tamen in infer-
nis locatus optabat eo loci fuisse quo Lazarus. Quo
loco lectio non videtur pecuniarum divitem paupe-
remque describere; sed eum pauperem qui pro fide
et devotione vulnera corporis non horruerit, famem
jejuniumque toleraverit.

58. Cum igitur haberet populus Judæorum in suis
gregibus plurimas copias hostiarum; tamen unam
tatem jam supra observatum ad calcem, pag. 711.

oviculam quam populus ille pauper habebat, eripuit, gloriosæ illam subjiciens passioni. Vis scire quam ovem? *Sicut ovis ad victimam ductus est (Esai., lxi, 7)*, qui pane pauperis alebatur, et potu pauperis utebatur, et in sinu pauperis dormiebat. Nostris enim utebatur alimentis, in nostri pectoris gremio quiescebat. Nam in Judæorum sinu quiescere se non posse memoravit dicens: *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet (Luc., ix, 58)*.

59. Et venit hospes, inquit, ad virum illum divitem. Quis est iste hospes, nisi miserabile peccatum? Etenim culpa in hunc mundum tamquam hospes intravit, aliena nostræ et peregrina naturæ. Itaque non de suis gregibus hostiam obtulit; sed accepit oviculam pauperis, et occidit illam. Cujus quidem passio licet quibusdam^a ad sacrificium salutare profecerit; tamen videtur illis sui fuisse furoris alimentum, et cibus culpæ, incentivumque peccati. Denique Judas panem accepit a Christo, et tunc magis repletus est diabolo; quia non accepit ex fide, qui tam hospitali Domino **729** prodicionem parabat.

60. Et iratus est David ad illum virum. Diximus quod per Prophetam Judæorum populus declaratur, et ideo sub hac figura se ipse condemnat. Dignus est morte vir ille qui fecit hoc, et oviculam restituet in quadruplum, hoc est, periturum populum Judæorum, sed cumulatoribus bonis fruiturum populum Christianum; quia præstabilius est præsentibus status qui ex resurrectione debetur.

61. Propositum mihi fuit, ut meminisse dignamini, adversus eos qui homicidium adulteriumque sancti David arguendum putant, qualicumque meo respondere sermone: et ita favore vestræ unanimi-
tatis tractatus nostri cursus evasit: ut prædicandus ore omnium videretur, quem putabamus non posse defendi. Sed quoniam nostro vir sanctus auxilio non indiget, jam ipse vobis pro se loquatur, et factum suum ipsius dicta defendant.

CAPUT XII.

David peccatum suum Deo confitetur, composito psalmo l, cujus hic versus aliquot explicantur; imprimis quæ sit magna misericordia, quæve multitudo miserationum, inquiritur; tum docetur, solum Deum iniquitates nostras delere, quæ cum latere non possint, exemplo David sunt confitendæ. Demum Arianos in Manichæorum impietatem recidere planum fit.

62. *Miserere, inquit, mei, Domine, secundum magnam misericordiam tuam. (Psal., l, 5)*. Nova, nisi fallor, fratres charissimi, conjunctio ista sermonis, ut magna misericordia diceretur. Non facile alibi lectum memini: et ideo quæ^b sit magna misericordia, non facile dixerimus. Legimus tamen magnam Dei virtutem. Et ideo considerantes quæ magna sit vir-

^a Codex Theod. pro *ad sacrificium*, solus legit *ad sacrarium*. Et quatuor vocibus interjectis, Era. ac Gill., *illis fuisse furatum alimentum*. Cod. Torn., *illis sui furti alimentum*. Rom. edit. et ms. Theod., *ille sui fuisse furoris augmentum*. Melius sex Gallicani cod. quos secuti sumus.

tus, conjicere poterimus, quam misericordiam magnam voluerit designare. Legimus enim in sancto Hieremia: *quis es, Domine? Tu fecisti cælum et terram, in magna virtute tua, et brachio excelso (Jerem., xxxii, 17)*. Virtus ergo magna cælum fecit. Quæ est virtus magna; Patris, an Filii? Magna utique Patris virtus est; ipse enim per Filium cælum fecit et terram, sicut habes: *In principio fecit Deus cælum et terram (Gen., i, 1)*. Sed tamen et Filius magna virtus est. Nam cum virtutem Patris Filium legeris: *(I Cor., i, 24)*, sicut habes Christum Dei sapientiam atque virtutem, utique cum virtus Patris Filius sit, magna virtus est Filius. Quemadmodum igitur omnipotens denegatur, quem fatemur magnam Dei esse virtutem? Hæc igitur magna virtus cælum fecit; quia cælum fecit et Filius, sicut habes: *Omnia per ipsum facta sunt (Joan., i, 5)*. Ergo si et Pater fecit et Filius, utique facti unitas operationis indicat unitatem. Non ergo operatio Patris et Filii discrepat. Si autem una operatio, una utique operationis potestas, et majestas una factorum est. Hæc de Patre et Filio.

63. Quid ergo silemus de Spiritu, præsertim cum Scriptura nos divina non patiat silere? Dat enim locus opportunissimum testimonium ad sancti Spiritus unitatem cum Patre et Filio **730** comprobendam, ut ejus quoque operationem ab opere Patris et Filii dissociare nequeamus. Legimus enim magnam virtutem Patris esse, quod cælum fecit; magnam virtutem etiam Filium esse, quoniam cælum fecit: nec solum fecit, sed etiam firmavit: *Verbo enim Domini cæli firmati sunt (Psal., xxxii, 6)*. Ergo si et fecisse et firmasse cælum magnæ virtutis est, etiam Spiritum sanctum a majestate magnæ virtutis separare non possumus; quia scriptum est: *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Ibid.)*. Namque cum cælum fieret et terra, superferebatur Spiritus; de quo alibi ait propheta David: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur (Psal., ciii, 15)*. De quo etiam alibi dixit: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum (Psal., viii, 4)*. Non enim corporalibus digitis Deus cælum fecit et terram; sed Spiritus gratia septiformis, illo videlicet digito de quo habes in Evangelio: *Quod si in digito Dei ejicio dæmonia (Luc., xi, 20)*. Hunc enim digitum alibi Spiritum dixit, sicut habes: *Quod si in spiritu Dei ejicio dæmonia (Matth., xii, 28)*. Si igitur Spiritus Dei digitus est, quoniam brachium Dei Filius est, utique Spiritus cooperatus Patri et Filio per unitatem operationis cælum fecit et terram. Ideo enim digitum Filius nuncupavit, ut tamquam unius corporis, ita divinitatis exprimeret unitatem. Itaque si magna virtus cælum condidit, utique magna sapientia cælum condidit; quia scriptum est: *Omnia in sapientia fecisti (Psal., ciii, 24)*.

64. Didicimus igitur quæ magna sit virtus, colligamus nunc quæ magna sit misericordia. Si magna

^b Sic edit. Era. et Gill. cum mss. fere omnibus. Rom. vero, et ms. Theod., *Quæ sit magna misericordia debemus advertere. Nam etsi magnam misericordiam non facile legerimus, etc.* At quæ hic addita sunt, nobis potius videntur conjectoris cujusdam periphrasis, quam auctoris ipsius vera locutio.

virtus cœlos fecit, et magna misericordia debet esse de cœlo, et magna justitia debet esse de cœlo; justitia enim de cœlo prospexit, et misericordia venit e cœlo. Magna ergo facta misericordia, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. I, 14). Ergo magna virtus cœlos fecit, magna virtus cœlos inclinavit, sicut legimus: *Et inclinavit cœlos et descendit* (Psal. xvii, 10). Quo ostenditur nunquam divinitatis suæ exors fuisse Dei Filius, nec cum inter homines versaretur; quoniam etsi suscepit quod non erat, non destitit tamen esse quod erat. Itaque cum dicitur: *Et inclinavit cœlos, et descendit*,^a non tam videtur de cœlo descendisse, quam ipso descendisse cum cœlo. Nam cum Pater Filium alloqueretur in terris situm, Angeli ministrarent, non tam mutasse videtur sedem Dei Filius, quam transtulisse. Ergo didicimus magnam esse misericordiam.

65. Itaque si magna misericordia est descendisse de cœlo, quæ sit multitudo miserationum distinguere atque intelligere debemus. Sequitur enim: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* (Psal. l, 5). Non enim idem significat uterque versiculus; sed illud ad Incarnationem refertur, hoc vero quod sequitur, ad eas referendum videtur quas Dei Filius in carne suscepit injurias, quia jejunavit, quia esuriit, quia flevit, quia vapulavit, quia crucifixus, quia mortuus, quia sepultus est. Hæc enim carnis, non divinitatis insignia sunt. Et necessarium fuit, ut ærumnarum multitudinem miserationum multitudo depelleret, profutura nobis C Dominicæ certamine passionis.

731 66. Non enim sua peccata debebat, quia peccatum nullum fecerat; sed quia peccatum factus est, nostra erant delenda peccata, sicut David dixit: *Dele iniquitatem meam*. Quid est *dele*? Videamus hoc verbum; non enim otiosum est. Denique et alibi ait: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero* (Esai. xliii, 25). Sunt profecto alte impressa quædam conscientia nostræ ulcera delictorum, et quædam mentium nostrarum animorumque vibices, quæ errorum nostrorum obducuntur ulceribus. Habet ergo culpa characteres suos et apices, quibus proditur: quod non ingenio nostro affingimus, sed prophetica auctoritate signamus. Scripta est ergo; et ubi scripta sit vide: ^b *In pectore, inquit, cordis tui* (Jerem. D xvii, 1). Hoc est, ibi scripta est culpæ series, ubi etiam forma virtutis; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sed quæ bona sunt non atramento scribuntur, sed spiritu Dei vivi: quæ autem vitiosa, graphio ferreo et ungue adamantino. Talis propemodum scriptura, qualis est pœna pec-

cati. Scribitur illa graphio ferreo, hoc virga ferrea coercetur, sicut scriptum est: *Reges eos in virga ferrea* (Psal. ii, 9). Alia est illa virga recta, virga regni tui (Psal. xlii, 7): hæc supplicio coercet noxios, illa innoxios gubernat imperio. Ergo scripta est culpa: videamus ubi. Non foris, sed intus in corde tuo et in pectore tuo. Sicut enim prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: sic infidelibus in ipso corde exprimitur figura peccati, et erroris effigies. Intus igitur est culpa, intus et virtus. Et ideo Dominus: *Sentio, inquit, de me virtutem exisse* (Luc., viii, 46): ut ostenderet quæ bona sunt, de interiore procedere, et contra quæ mala sunt, de interiore prodire. *Non enim quod intrat, inquit, in os, coinquinat hominem; sed quod exit de ore* (Matth. xv, B 41). De corde enim tuo cogitationes procedunt; et ideo cave ne de corde tuo malæ cogitationes prodeant, quæ te posteriore tempore arguant et accusent. Non enim Deus testimoniis ad revincendum te argumentisque indiget: tua te ipsa culpa accusat et prodit.

67. Deinde bene in hoc psalmo David dicit: *Et delictum meum contra me est semper* (Psal. l, 5). Væ enim mihi quod latere cupio, et latere non possum! Quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum indicia delictorum? Nudabitur in illo judicii die uniuscujusque pectus, testimonium reddente omnibus conscientia sua, et invicem accusantibus cogitationibus, aut etiam defendentibus, in die qua judicabit Dominus occulta hominum. Quis pudor ille, cum prodi omnibus cœperit quod putabamus occultum; cum aperire se cœperit uniuscujusque imago delicti, ut unusquisque sui criminis serie revincatur? Quis pudor cum illum quem despiciabilem in hoc sæculo judicabas, videris esse prælatum; illum servum tuum, illum quem juxta sæculi hujus astutias ineptum et inhabilem arbitraberis, simplicitatis suæ divitiis cognoveris honoratum? Ergo dum vivimus, confugiamus ad eum qui potest delere peccatum. Nec vereare quod ^c graphio ferreo, **732** scriptum est, et ungue adamantino; hic enim portas ferreas adamantinasque confregit, nec timeas culpam fieri.

68. Confessus est David, agnovit iniquitatem suam, agnovit errorem; et ideo ait: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco* (Ibid.). David agnoscit, et tu non agnoscis? David fatetur, et tu negas? Paulus se nocentem clamat (I Tim. i, 15), et tu innocentem te asseris? Non est igitur maximus erubescendi locus, quando cum plurimis peccati mixta consortia sunt; si sequamur tamen studium corrigendi. Neque rursus paveas, ne culpæ confessio teneatur ad pœnam. Bonus enim et misericors Deus non solum culpas ignoscere contentibus, sed etiam præmia corrigentibus

^a Edit. Era., Gill. ac Rom., non tam videtur cœlos inclinasse, quam ipse de cœlo descendisse. Sed mss. quinque locum nobis restituerunt.

^b Gill. in margine et edit. Rom. in contextu: *in tabulis, inquit, cordis tui*. Aliæ vero edit. atque omnes mss. *In pectore*, etc. Vide Nobilem ad hunc locum.

^c Non obscurum est alludere Auctorem ad illa Hierem. c. 17: *Peccatum Judæ scriptum est stylo*

ferreo, in ungue adamantino, ut Vulg. præfert. Hæc autem verba cum desiderentur in LXX Interpr., necesse fuerit ut Auctor, siquidem Ambrosius ille sit, aut ejus suppar ætati, eam citaverit ex alio interpr. aut forte ex versione communi, quæ variè olim legabatur, et in quam non pauca ex aliis versionibus fuerant congesta. Consule etiam, si vacat, super hoc loco Nobilem.

impertire consuevit; si tamen unusquisque sibi donari petat, quod intelligit non latere. *Dic ergo iniquitates tuas, ut justificeris (Esai. XLIII, 26)*, Dei vox ista est volentis ignoscere: Dei vox ista est promittentis, quod tuum velit delere peccatum.

69. *Tibi peccavi*, David dicit, *et malum coram te feci*. Hoc est, etsi homines non vident, sed tu vides; etsi homines me dijudicare non possunt, quia participes delictorum sunt; tu tamen iudex es singulorum, quia expers es delictorum. Quamlibet in corde intimo cogitationes noxiæ lateant, coram te tamen sunt, qui potes dicere: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris (Matth. IX, 4)*? Nempe Christus hoc dicit. Qui ergo novit quid in corde sit scriptum, potest delere quicquid in corde conscriptum est. Cui se fateatur noster David non solum in seipso, sed etiam in primo homine peccasse, dum præcepta divina temerantur.

70. Quo licet advertere, fratres dilectissimi, quemadmodum omnes hæreses, dum se impugnant, in se recurrant. Itaque Ariani dum Patris et Filii separant potestatem, in eum furiose exitum disputationis incurrunt, ut cum Manichæis eorum concurrat assertio, illi enim dicunt alterum Deum esse veteris, alterum novi Testamenti. Quam profanam assertionem Ecclesia sancta condemnat, quæ unum Deum legit; quia *unus Deus Pater ex quo omnia, et nos in ipsum: et unus Dominus Jesus per quem omnia, et nos per ipsum (I Cor., VIII, 6)*. Utiq; omnipotens potestas et una Patris et Filii declaratur; ut nec Patrem a novi Testamenti gratia secernamus, nec rursus ab instauratione mundi Filium separemus.

71. Denique^a consideremus utrum idem Deus utriusque sit conditor Testamenti. Nempe omnes in primo homine peccavimus, et per naturæ successionem, culpæ quoque ab uno in omnes transfusa successio, est. In quem ergo peccavi, in Patrem, an in Filium? Utiq; in eum qui mihi credidit, quod non servando peccavi. Mandatum est homini, ut ab omnibus gustaret quæ erant in paradiso, sed lignum scientiæ boni et mali non tangeret (*Gen., II, 17*). Adam ergo in singulis nobis est. In illo enim conditio humana deliquit, quia per unum in omnes pertransiit peccatum. Video summam mihi creditam; video quæ prævaricationis æra **733** contraxe-

^a Era. et Gill. cum parte mss. *consideremus utrumque cum idem Deus*. Edit. Rom. cum alia parte ut in textu.

^b Ita edit. Era. ac Gill. quibuscum faciunt mss. excepto quod nonnulli habent, *cum quorum assertionem perveniunt*. Unde forte Rom. edit. et mss. Theod., *cum quorum assertionem conveniunt*. Sed potior videtur

Arim, dum vetita et interdicta degusto. Hinc de deo commissæ sortis usuram; quia creditum mandatorum cælestium scœnus intemerata fides servare non potuit.

72. Agnovimus creditum, agnoscamus etiam creditorem. Creditoris nempe jus est ut exigat et relaxet; et ideo idem relaxat, qui jus habet exigendi. Cum igitur in Evangelio Christus dixerit mihi: *Remissa sunt tibi peccata tua (Luc. V, 20)*; nonne eundem intelligo dominum sortis, quem arbitrum veniæ recognosco? Aut si Pater credidit, et Filius relaxavit, non per unitatem, ut nos dicimus; sed, ut Ariani asserunt, per distantiam potestatis: alius ergo Deus credidit, alius relaxavit? Unde incurrunt, ut Manichæorum perfidiam non evadant. Deinde unum dicendo bonum Deum, advertant quos laqueos dementiae suæ incidant. Si bonus est, qui credidit, quomodo non est bonus, qui relaxavit? Ergo cum illis partem habeant Ariani,^b in quorum assertionem perveniunt. Nec mirum si is qui semel deviare cœpit a vero, nexibus se alieni erroris involvat.

73. Et ideo una est sententia, quæ hæreticorum omnium machinas destruat, ut unius potestatis, **734** majestatis atque virtutis Trinitatem esse credamus; ^c et ideo ab eo quod Filius fecit, non separemus Patrem; nec ab eo quod Pater mandavit, Filium segregemus. Ita enim fiet, ut non alterum Deum veteris, alterum novi Testamenti inducamus; sed per unitatem potestatis et Filius in Patre, et Pater intelligatur in Filio; et Filius scœneretur in Patre, et Pater relaxet in Filio. Nam et Pater dimittit peccatum: Filium dimisisse jam diximus.

74. Accipite quia dimittit et Pater. *Dimitte*, inquit, *nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. VI, 12)*. Utiq; ex persona nostra hoc Filius Patri dicit. Nec ideo dicit, quasi dimittere ipse non possit; sed ideo dicit, ut tu unitatem potestatis intelligas.

75. Denique si auctoritatem quæris in Filio: *Jam vos*, inquit, *mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis (Joan., XV, 3)*. Dimittit sermone, dimittit imperio: sed cum ratione dimittit dicens: *Vade, et posthac vide ne pecces (Joan. V, 14)*. Habes auctoritatem, quia vetera donavit: habes iudicium, quia futura præscripsit.

D nostra lectio, cum haud dubie auctor ad id respiciat, quod supra dixerat, omnes hæreses in se invicem recurrere.

^c Edit. Era. ac Rom., *et ideo quod Filius fecit, non separemus a Patre*, etc. Gill. et ms. Theod., *non separemus Patrem*. At veram istius loci lectionem mss. aliorum consensui debemus.

IN XII PSALMORUM ENARRATIONES ADMONITIO.

Divum Ambrosium superioribus libris expositiones psalmorum aliquot inseruisse jam ante non semel indicavimus (*Admonit. in lib. de Tobia, Lib. de Interpell. et Apolog. David*), ac præterea etiam in subsequenti volumine animadvertemus (*Orat. de Obiit. Theodos.*). Tantæ scilicet utilitatis, immo vero et necessitatis esse ducebat hujusmodi enarrationibus populum suum instituere! Non alia quoque haud dubie causa indu-

ctus ad hosce XII psalmos edisserendos appulit mentem. Illos temporibus occasionibusque diversis partim concionando, partim dictando, cum nimirum jam publice verba facere sibi per valetudinem non liceret, explanavit. Istic autem Psalterii seriem secutus non est, quandoquidem ultimo loco elucubravil psalmi XLIII commentationem. Unde intelligas hanc XII psalmorum collectionem quam secundum ordinem mss. nostrorum exhibemus, Ambrosii esse non posse, Fortassis illam concinnaverit quispiam e discipulis ejus, atque adeo Paulinus ipse; quippe qui ultimam ejusdem enarrationem illo dictante exceperit. Utrum vero quidquid S. Præsul in idem argumentum unquam edidit, ea collectione contineatur, incertum est. Siquidem apud antiquissimos auctores (Hieron. Epist. 89, in edit. nova August. 75; Cassiod. lib. de div. Litt. cap. 4) qui de hoc aliquid scripsere, quot psalmos ille exposuerit, nusquam reperimus.

Arbitrati sunt nonnulli ex ea præfatione quæ primo psalmo præmittitur, recte colligi Doctorem nostrum de illustrando commentationibus omni Psalterio suscepisse consilium. Verum cum illa præfatio tantummodo Basilii, de quo nihil tale memoratur, imitationem contineat, ac sermone uno ad populum habito constet; quo quidem ille psalmorum in genere laudes amplificat, sed præterea nihil recipit se præstiturum: non multum urgere nobis videtur ea ratio. Hinc paulo validiorem duci posse existimamus tum quod psalmum XXXVI enucleans enarrationem LVII polliceatur (Num. 32), quam non reliquit: tum quod XLIII integrum explanare non valuerit, ultimi sui morbi conflictatione præpeditus. Pulcherrimæ autem illi præfationi Vir sanctus primi psalmi expositionem continua serie conjunxit; ut ex transitione qua inter se illæ copulantur, intelligimus. Sed illud quoque istic animadvertimus ipsum in Ecclesia sua et post consuetos psalmorum cantus sermonem habuisse; nec non una cum aliis auditoribus intersuisse catechumenos. Quod forte non male arguit eundem per Quadragesimam esse pronuntiatum. Cujus annum etsi certo non deprehendamus, tamen ad illius cognitionem accedere utcumque possumus. Etenim eam concionem non tantum libris de obitu fratris Satyri ac de Fide resurrectionis qui in eadem citantur, constat posteriorem esse; verum etiam post popularem cantum in Ecclesia Mediolanensi institutum habitam. Cœpisse enim populi cantum priusquam hic psalmus ab Ambrosio explicaretur, ipse satis declarat; cum post memoratam mulierum, virginum, senum, infantium, regum, militum psalmodiam ita subjungit: cum psalmus legitur, ipse sibi effector est silentii. Omnes loquuntur, et nemo obstrepat (Præfat. num. 9). Quæ sane haud obscure designant studia recentis instituti adhuc ferventia; unde fit ut eandem opellam ultra annum CCCXC rejiciendam non putemus.

Psalmi xxxv et aliorum quinque sequentium enarrationes eundem orationis characterem præ se ferunt. Extra controversiam est eas omnes ad populum fuisse pronuntiatas; hoc enim Scripturæ quæ in Ecclesia eodem die lecta fuerat priusquam diceret Ambrosius, frequens mentio satis ostendit (In Psalm. xxxv, n. 20; In psalm. xxxvi, num. 2 et alibi). Cum autem pius pastor unice gregis sui profectum in concionibus spectaret suis; idcirco in his præcipua quadam cura moralem sensum vestigat et prosequitur. Sicubi tamen mystici evolvendi occurrat locus, eum sibi minime omittendum putat. Veruntamen quæ sua modestia est, dum in utroque sensu aliorum placitis suam quoque adjicit sententiam, auditorum iudicio quidnam præstare videatur, numquam non permittit. Hinc præclarâ illa: Nostrum est enim quærere veritatem, tuum est eligere quid sequaris (In psalm. xxxviii, n. 22). At vero illic non solum mores ad virtutem informandi studium elucet; summa insuper adhibetur diligentia, ut mentes orthodoxæ fidei dogmatis imbuantur. Ea de causa varios hæreticos, ut puta Novati, Apollinaris, ac potissimum Arii sectatores impugnat. Ibidem etiam non modo Trinitatis atque Incarnationis mysteria enodat et confirmat singulari perspicuitate: sed et geminam Christi voluntatem atque operationem ita explicat (In psalm. xxxix, num. 16, et alibi), ut vix præstantius quidquam post exortos Monothelitas exspectares. Facit autem hæc mysteriorum tam sublimium expositio, ut ei solos intersuisse baptizatos existimemus; maxime cum isthic nihil observetur, quod apte ad catechumenos queat referri. Cæterum nec ibi pro nata occasione prætermittit tritas quasdam retundere idololatrarum criminationes.

Quisquis easdem commentationes, imprimis autem ipsarum exordia inter se non perfunctorie computaverit, tantam in eis cohærentiam cognationemque deprehendet; ut detecto quotus annus uni cuiquam inscribi debeat, crediturus sit ætatem omnium sibi esse exploratissimam. Itaque illas non nisi post VIII idus Sept. anni 393 lucubratas aut peroratas fuisse haud magno negotio cognoscemus; cum evidentissimum sit mentionem in psalmo xxxvi fieri victoriæ (Enarr. in psal. xxxvi, num. 19) quam eo die ope divina de Eugenio tyranno reportavit Theodosius. Et hanc temporis definitionem confirmant bene multa. Primum enim Sanctus hic noster de Sarmationis ac Barbatiani defectione a monastico instituto quasi de re minime recenti loquitur: Dudum, inquit (Enarr. in psal. xxxvi, num. 49), de monasteriis exierunt. Horum autem Apostatarum fugam ad annum 389 refert accuratior supputatio. Deinde ubi dicit: Exstiterunt Ariani regali subnixa potentia, qui templum Domini putarent sibi esse tradendum, persecutionum acerba minitantes (Enarr. in psalm. xxxvii, num. 19 et num. 45); nequaquam obscurum est persecutionem Justinæ designari. Tertio nonne Theodosium ob Thessalonicensium cædem admonere videtur illis verbis: Imitamini, imperatores, exemplum divinum, etc. (In psalm. xl, num. 58)? Sed neque nobis absurdi notam merito quisquam inussit, si dixerimus ibidem esse nonnulla, quæ scite in ejusdem principis numquam satis laudatam pœnitentiam cadant. Hæc autem omnia ante annum 389 eve-

nisse in confesso est. Postremo commentaria sua in Lucam citat quasi non ita pridem composita (In psalm. xxxviii, num. 1); quandoquidem memorati loci expositionem repetit, ut quam auditorum animis desperet adhuc esse præsentem.

Quæ cum sic habeant, existimamus fore neminem qui easdem enarrationes ad Justinæ persecutionem obstinatius referendas esse contendat. Non ignoramus tamen Ripamontium Histor. Mediol. a se beati Caroli jussu editarum decade 1, affirmare sub idem tempus prælia quædam inter orthodoxos et Arianos esse commissa, in quibus multa in priorum gratiam miracula his quæ in psalmo xxxvi describuntur, plane similia contigerint. Verum hujus auctoris cum non nisi veteribus quibusdam iconibus, inscriptionibus, aut denique certorum locorum appellationibus nitatur, auctoritas non est tanti, ut scriptorum omnium soli bello in Eugenium tyrannum gesto eadem prodigia tribuentium consensui anteponatur. Nam quod sanctus Vir petitionem Arianorum quæ aliquot ante annos facta fuerat, commemoret; id certe non magis mirum videri debet, quam quod librorum de Poenitentia multo antiquiorum (In psal. xl, n. 24), immo et eventus cujusdam quem puer adhuc ipse conspexerat, mentionem neutiquam prætermiserit.

Nunc veniamus ad explicationem psalmi xliii, quod ex operibus Doctoris nostri ultimum est. Eam ille Paulino diacono suo atque amanuensi paucis antequam fato fungeretur, diebus dictavit, jam Deo quo prope diem potiturus erat, plenus; ut clypeo igneo, quem capiti ejus idem Paulinus impendentem vidit, portendebatur. In hac profecto lucubratione singularia quædam virtutum specimina consignavit (Paulin. in vita Ambrosii); nec enim tantum modestiam maximam prodit cum in explicandis Scripturis ingenio suo se diffidere profitetur: verum etiam summum studium erga fidem catholicam cujus gratia adversus hæreticos, maxime autem Arianos ad extremum usque spiritum decertavit; præterea vero eximiam charitatem in gregem suum, cujus demum instituendi laboribus immortuus est. Colligimus etiam ex eodem Paulino (Ibid.) postremam hanc scriptionem Ambrosii festis paschalibus anni 397 ascribendam esse; quandoquidem eo tempore, ut fert probabilior opinio, in vivis agitare desiit. Qua de re alibi dicetur uberius.

Ultimæ quatuor Enarrationes quarum una citatur ab Augustino, perinde ac aliæ sermonibus constant, quod et styli ratio, et citati Scripturæ per eosdem dies in Ecclesia recitatæ loci satis indicant (In Psalm. xlv, num. 15 et alibi). Sed valde quoque credibile est earum singulis singulos sermones contineri, cum psalmorem versiculi raptim percurrantur, et ultimorum expositio quam priorum multo sit brevior; ne scilicet ob moram longiusculam tædio afficerentur auditores. Harum porro character minime diversus est: nec jam in ipsis sicut in superioribus versiones Aquilæ, Theodotionis, aut Symmachi referuntur, excepta ultima cujus semel tantum et quasi obiter fit mentio. Et hinc forte non absurde colligas eandem quæ unius, etiam aliarum ætatem esse. Quapropter cum psalmi lxi explanationem manifestum sit habitam fuisse proxime post Gratiani cædem, alteram Ambrosii legationem ad Maximum, et Theodosii de hoc tyranno victoriam, sequitur eas omnes anno 390 cui plures hujusmodi Ambrosianas lucubrationes tribuunt historici, vix posse dici posteriores.


Ambrosius in præfatione atque enarratione in psalmum primum ex Basilio multa quorum nonnulla suis locis indicavimus, suo more mutuo sumpsit; Origenem quoque, ut observavit S. Hieronymus (Loco sup. citato), in quibusdam secutus est. Certe quidem qui utriusque commentationes in psalmos xxxvi, xxxvii et xxxviii inter se contulerit, haud pauca ex Origenianis in Ambrosianas comperiet esse translata. Sed hic insuper dogmata quædam cum Origenis erroribus de judicio, resurrectione (In psalm. i, num. 54, et in psalm. xxxvi, num. 54), necnon omnium etiam electorum per ignem purgatione admodum affinia deprehendimus. Verum insignium virorum honori hoc, uti nos alibi annotavimus (Admonit. in lib. et alibi), dabit; ut eorum opiniones nondum liquido proscriptas ab Ecclesia proponere non gravaretur, licet oppositam sententiam data occasione doceat atque approbet. Id autem cum in hoc ipso argumento factum ab eo cognoscamus, maxime ex his quæ in expositione psalmi cxviii, serm. 20, vers. 2 et 8, tradit, admodum simile veri est circa hæc duo capita ipsum non alia sensisse, quam quæ postea clarius ab Augustino (Lib. xx, de Civit., cap. 8, lib. xxi, cap. 26) ejus discipulo explanata postmodum communi consensu amplexi sunt omnes theologi.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

ENARRATIONES

IN XII PSALMOS DAVIDICOS.



IN PSALMUM PRIMUM ENARRATIO^a.

737 PRÆFATIO.

1. Quoniam summum virtuti incentivum proposuit Deus futuræ beatitudinis delectationem : vehemens quoque calcar erroris delectationem esse diabolus excogitavit. Utriusque sententiæ præstat indicium primus humani generis Adam, a Domino Deo in paradiso voluptatis positus ; ut æterna delectatione frueretur, ad virtutem futuræ sobolis provocandam. Neque enim erat incognitum Deo locum eum errori daturum, et cæteris propositam spem salutis esse debere, qua in præreptam humano sedem generi contenderent reformari. Et idem per speciem serpentis quæ præfiguravit delectationis illecebram, uxoria persuasione deceptus. Occasione igitur accepta, adversarius per delectationem mihi operatus est mortem. Itaque quod divina gratia tributum erat ad vitam, factum est mihi in mortem, eoque faciliorem inimicus assensum hominis habuit ; ad lapsum enim speciem prætendit naturæ. Delectarunt enim opera sua Dominum : delectarunt prima naturæ exordia, quæ videns Dominus ait : *Bona valde* (*Gen. 1, 31*).

2. Laudant Angeli Dominum, psallunt ei Potestates cælorum, ^b et ante ipsum initium mundi Cherubim et Seraphim cum suavitate canoræ vocis suæ dicunt : *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Esai. VI, 3*). Innumera **738** angelorum millia assistunt, et seniores

^a Script. fort. circ. an. 581 non ultra an. 590.

^b Angelos ante ipsum mundi initium creatos idem Ambrosius lib. I *Hexaem.* cap. 5, num. 19, jam docuerat. Et certe hæc etiam fuit multorum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum sententia. Unde cum videatur contrarium capiti primo Conc. Lat. sub. Innoc. III celebrati definitum, hanc synodi mentem fuisse credendum est, ut eos tantummodo censura configeret, vel qui spiritales substantias omnino creatas inficiarentur, vel qui ita creatas admitterent, ut in pœnam peccati ab eisdem patrati affirmarent condita postmodum corpora, in quæ tanquam in carceres detruderentur. Hinc S. Thomas part. I, quæst. 64, art. 3, sententiam eorum qui angelos cum cæteris universi naturis creatos defenderent, non certam, sed tantummodo probabiliorem vocat. Hunc etiam licebit consulas Opusc. 23, non secus ac Sixt. Senensem lib. V *Biblioth. sanctæ*, annot. 5.

^c Ita edit. vet. cum mss. Remig., Long., Vale., Thuan. et Reg.; Vat. autem . . . fert expressior sermo; Colb. vero, et Vict., *Ipsum maxime cælum fert sermo foris*. Sed quid sibi vellet illud, *sermo foris*; nisi

A et turba magna sicut voces aquarum multarum concinunt *Alleluia* (*Apoc. XIX, 1 et seq.*). ^c Ipsum axem cœli fert expressior sermo cum quadam perpetui concentus suavitate versari, ^d ut sonus ejus extremis terrarum partibus audiretur, ubi sunt quædam secreta naturæ. Nec id ab usu naturæ alienum videtur; quandoquidem vox missa gratiose plausu e nemoribus resultat, aut montibus, et suaviore sono reddant quod acceperint. In scopulis quoque ipsis et lapidibus reperit natura quod delectaret. Aliorum specula, aliorum usus delectat aut gratia. Feræ ipsæ, atque aves loci amœnioris aut modulioris vocis delectatione mulcentur. Lactentibus quoque parvulis aut severitas terrori est, aut blanditiæ voluptati. Naturalis igitur delectatio est.

B 3. Unde et David sanctus, qui adverteret unde homo, et qua esset fraude dejectus (nam si tenuisset infusam sibi a Domino æternæ illius cœlestisque delectationis gratiam, nec sæcularibus captus amisisset illecebris, numquam tam miserabilis ærumnæ subiisset injurias), itaque reparare eam studens ac reformare psallendi munere, cœlestis nobis instar conversationis instituit.

4. Etenim licet omnis Scriptura divina Dei gratiam spiret, præcipue tamen dulcis psalmodum **739** liber; quandoquidem ipse Moyses qui ^e plano gesta

forte hic idem sit, ac sermo exterorum, sive a fide alienorum, puta Platonis ejusque sectatorum, de quibus in lib. *de Abraham* cap. 8, num. 54. Denique edit. Rom. fert *quorundam sermo*. Qua autem ratione concilietur hic locus cum aliis Auctoris nostri, docuimus lib. *de Isaac et Anima* cap. 7, nota ad pag. 577 adjuncta.

^d Rom. edit., *ut si assuetudo permitteret, sonus . . . audiretur*. Vet. et cod. mss. *ut sonus . . . audiretur* : Vat. vero, *et sonum . . . audiri*.

^e *Plano . . . sermone*, πεζῶ λόγῳ, id est, pedestri seu prosa oratione : ut opponatur poeticæ seu numeris astrictæ, quæ ἐπιχῶρος λόγος dicebatur. Fuit siquidem communis antiquorum opinio plures Scripturæ partes maximeque *psalterium*, et omnia ferme *Cantica* versibus constare, ut docet sanctus Hieronymus *Præfatione in librum Job*; nec non Auctor *posterioris Apologie David* videtur innuere cap. I, num. 2, ubi *psalmum* L divinum ac sacrum carmen vocat. Verum cum huic opinioni refragentur nonnulli recentiores, *planus sermo*, sive pedestris sumi etiam potest pro humili ac demisso, ut nobili ac magnifico opponatur, qui solutus licet, poeticus tamen a probis nominatur

majorum sermone descripsit, ubi tamen per mare Rubrum populum patrum memorabili admiratione transduxit, demersum aspiciens regem Pharaonem cum suis copiis, in majora ingenium attollens suum (quia majora viribus suis fuerat assecutus), canticum Domino cecinit triumphale (*Exod. xv, 1 et seq.*). Maria quoque tympanum sumens, cæteras hortabatur dicens: *Cantemus Domino; gloriose enim honorificatus est; equum et ascensorem projecit in mare (Ibid. 20)*. Ipse etiam Moyses cum legem Domini legisset, quo ejus memoriam pectoribus affigeret audientium, per canticum locutus est dicens: *Audi, cœlum, et loquar: Expectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea, sicut imber super gramen, sicut nix super fenem (Deut. xxxii, 1 et seq.)*.

5. Delectatur igitur cantico Deus non solum laudari, sed etiam reconciliari. Inde et Moyses tunc maxime cantico usus est, quando cœlum testificabatur et terram; ut salutem suam cœlestis sono gratiæ concinentem avidius mundus audiret, et sacræ suavitatis dulcedinis in æternum Legis observantia mentibus inoleret humanis. Denique Legis tabulæ priusquam cantico firmarentur, per indignationem Moysis fractæ et comminutæ sunt. Ubi vero tali signaculo consecratæ sunt, humana locum ira non habuit, quia sanctificatio eam sacræ suavitatis exclusit. Canticum itaque Domini sicut ros mollior descendit e cœlo, et fidem hominum sicut gramen imbre quodam gratiæ spiritualis infudit. Duo igitur hæc cantica in libris Moysis tamquam duo mundi oculi, cœlique lumina, totum corpus operis ejus illustrant.

6. At vero David principaliter a Domino ad hoc munus electus est; ut quod in aliis rarum præeminere reliquo opere videtur, in hoc jure et continuum refulgeret. Unum canticum legimus in libro Judicum (*Judic. v, 2 et seq.*), reliqua, historiæ more, decursa, quibus expressa sunt gesta majorum. Unum Esaias canticum scripsit (*Esai. xii, 1 et seq.*), quo legentium corda mulceret; in reliquis terribili tuba corruptionis infremuit. Canticum ei ne ipsi quidem inimici objicere potuerunt, qui eum propter alia dicta usque ad necem sunt persecuti. Unum Daniel (*Dan. iii, 52 et seq.*), unum Habacuc (*Habac. iii, 2 et seq.*). Salomon ipse David filius licet innumera cantica cecinisse dicatur; unum tamen quod Ecclesia receperit, canticorum Canticum dereliquit. In aliis igitur

7. Historia instruit, Lex docet, prophetia annuntiat, correptio castigat, moralitas suadet: in libro Psalmorum profectus est omnium, et medicina quædam salutis humanæ. Quicumque legerit, habet quo propriæ vulnera passionis speciali possit curare remedio. Quicumque cernere voluerit, tamquam in communi animarum gymnasio, et quodam stadio virtutum diversa genera certaminum reperiens præparata, id sibi eligat, cui se intelligit aptiorem, quo

auctoribus. Unde Fabius lib. x, cap. 1, Platonis negat pedestrem esse orationem; et qui psalmos Davidicos carminis vocabulo insigniunt, ita explicari pos-

facilius perveniat ad coronam. **740** Si quis gesta recensere majorum studeat, atque imitari velit, intra unum psalmum (*Psal. lxxvii, 8 et seq.*) totam paternæ historiæ seriem accipit comprehensam; ut thesaurum memoriæ compendio lectionis acquirat. Faciliora quoque videntur, quæ brevius explicantur. Illud etiam quantæ altitudinis, quod brevi intervallo offensionum adversa distinxit, et reconciliationis secunda subtexit; ut simul cognosceres quid incredulitatis obsesset offensa, quid fides prompta conferret? Si quis vim legis explorat, quæ tota in vinculo charitatis est (qui enim diligit proximum, legem implevit), in psalmis legat quanto dilectionis affectu pro totius plebis opprobrio repellendo, periculis se gravibus solus objecerit; in quo non imparem charitatis gloriam triumpho virtutis agnoscat. Si quis correptionum sæva formidat, audiat dicentem: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me (Psal. vi, 2)*; et discat quemadmodum debeat irati judicis temperare censuram. Si quis patientiæ cognoscere gestit exemplum, legat in psalmis: *Si reddidi retribuentibus mihi mala (Psal. vii, 5)*; et advertat quia præceptum Evangelicum spiritu prævidit, virtute prævenit. Habes itaque illud proverbiale: *Quia mansuetus homo, cordis est medicus (Prov. xiv, 30)*. Si quis præterea adversus nequitiam spiritualis incursus vult esse munitus, quid magis quam psallendum sibi esse noverit? Psallebat David adolescentior; et Saulis nequam spiritum fugabat, qui eum antea stringebat.

8. De virtute autem prophetiæ quid loquar? Quod alii annuntiaverunt per ænigmata, huic soli palam atque aperte videtur esse promissum, ut Dominus Jesus ex ejus semine nasceretur, sicut dixit ad eum Dominus: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (Psal. cxxxii, 11)*. In psalmis itaque nobis non solum nascitur Jesus; sed etiam salutarem illam suscipit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Patris. Id quod nemo præsumpserat hominum dicere, hoc solus hic Propheta annuntiavit, postea ipse Dominus in Evangelio prædicavit (*Luc. xxiv, 44*).

9. Omnes præterea scriptores psalmorum in suis scriptis exempla posuerunt, aut aliqua dicta superiorum: psalmi nihil præter quod suum est, habent. Quid igitur psalmo gratius? Unde pulchre ipse David: *Laudate, inquit, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio (Psal. cxlvi, 1)*. Et vere; psalmus enim benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio. Ab iracundia mitigat, a sollicitudine abdicat, a mœrore allevat. Nocturna arma, diurna magisteria; scutum in timore, festum in sanctitate, imago tranquillitatis, pignus pacis at-

sunt, ut eorum dictionem non tam vinetam pedibus, quam grandem, patheticam, atque ad cantum accommodam esse significant.

que concordiae, citharæ modo ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus psalmum resultat, psalmum resonat occasus.

741^a Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere jubet: psalmum etiam bene clamant: hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis deposito canunt, hunc veterani tristes in cordis sui jucunditate respondent, hunc juvenes sine invidia cantant lascivix, hunc adolescentes sine lubricæ ætatis periculo et tentamento concinunt voluptatis, juvenulæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris, puellulæ sine prolapsione verecundiæ cum sobrietate gravitatis hymnum Deo, inflexæ vocis suavitate modulantur. ^b Hunc tenere gestit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat ediscere. Ludus quidam est iste doctrinæ majoris profectus, quam cum seriâ traditur disciplina. Quantum laboratur in Ecclesia ut fiat silentium, cum lectiones leguntur? Si unus loquatur, ^c obstrepunt universi; cum psalmus legitur, ipse sibi est effector silentii. Omnes loquuntur, et nullus obstrepat. Psalmum reges sine potestatis supercilio resultant. In hoc se ministerio David gaudebat videri. Psalmus cantatur ab imperatoribus, jubilat a populis. Certant clamare singuli quod omnibus proficit. Domi psalmus canitur, foris recensetur. Sine labore percipitur, cum voluptate servatur; psalmus dissidentes copulat, discordes sociat, offensos reconciliat. Quis enim non remittat ei, cum quo unam ad Deum vocem emisit? Magnum plane unitatis vinculum, in unum chorum totius numerum plebis coire! Disparæ citharæ nervi sunt, ^C sed una symphoniæ. In paucissimis chordis sæpe errant digiti artificis; sed in populo spiritus artifex nescit errare. Psalmus ^d nocturni operis commercium, diurnæ requiei stipendium, institutio incipientium, perfectorum confirmatio. Angelorum ministerium, militia cœlestis, hostia spiritalis. Psalmum et saxa respondent: psalmus canitur, et ipsa etiam saxosa pectora molliuntur. Videmus flere præduros, flecti immisericordes.

10. Certat in psalmo doctrina cum gratia simul. Cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem. Nam violentiora præcepta non permanent: quod autem cum suavitate perceperis, id infusum semel

^a Hic tradit Ambrosius Apostolum prohibuisse quidem ne in Ecclesia docerent mulieres, non autem ne psallere. Et revera ipsas sancti Præsulis ætate psalmos cantare in sacris conventibus solitas extra dubium est; et nos suo loco demonstrabimus.

^b Edit. et duo mss., *Hunc tenera gestit pueritia*. Melius alii, *tenere*; ibi enim subaudiendum *memoriter*, id est, *scire*, ut opponatur sequenti membro, *hunc meditari* (hoc est, *discere*) *gaudet infantia*.

^c Vet. edit. cum mss. Reg., Colb. et Vict., *Obstrepat universis*; melius Rom. cum aliis, *Obstrepunt universi*.

^d Ita edit. vet. ac mss. omnes, Rom. autem edit., *pavoris solatium, diurni laboris requies*. Et sane Basilii, quem sanctus hic noster videtur imitatus, hom. in Psal. i hæc habet: *ψαλμός ὄπλον ἐν φόβοις νυκτερινῶς, ἀνάπαυσις κόπων ἡμερινῶν*. Sed nihil vetat Ambrosium Basilii voces ac sententias non serviliter,

^A præcordiis non consuevit elabi. Quid est quod non tibi occurrat psalmos legenti? In his lego Canticum pro dilecto, et sacræ desiderio charitatis inflammor (*Psal. XLIV, 1*); in his torcularia divini mysterii recognosco (*Psal. VIII, 1 et alibi*); in his revelationum gratiam, resurrectionis recenseo testimonia, reprobationis numerata (*Psal. I, 3 et seq.*); in his discovitare peccatum, dedisco **742** erubescere poenitentiam delictorum. Tantus rex, tantus propheta suo me provocavit exemplo, ut aut commissum studeam extenuare peccatum, aut non commissum cavere.

11. Quid igitur psalmus, nisi virtutum est organum, quod sancti Spiritus plectro pangens Propheta venerabilis, cœlestis sonitus fecit in terris dulcedinem resultare? Simul cum ille in fidibus et chordis, hoc est, in reliquiis mortuis diversarum vocum modulatus discrimina, divinæ laudationis ad cœlestia dirigeret cantilenam; docuit utique prius nobis peccato esse moriendum, et tunc demum in hoc corpore diversa opera discriminanda virtutum, quibus ad Dominum ^e devotionis nostræ gratia perveniret; ut occupatis intentione cœlestium nulla irreperet terrenorum libido vitiorum, simul animus cœlestis gratiæ suavitate nitesceret. Merito igitur tanti ministrum muneris Dominus laudans ait: *Inveni David secundum cor meum*.

12. Ajunt etiam, eorum qui cithara canunt peritiores ^f intus canere, ut ferunt fabulæ de Aspendio citharista; causas quoque modulaminum, et quædam claustra rhythmorum in superiore parte esse psalterii. Docuit ergo David intus nos canere oportere, intus psallere, quemadmodum canebat et Paulus, dicens: *Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente* (I Cor. XIV, 15), et ad superiorum intuitum vitam nostram actusque formare, ne delectatio dulcedinis excitet corporis passiones, quibus non redimitur nostra anima, sed gravatur; cum ad redemptionem animæ suæ psallere se sanctus Propheta memoraverit dicens: *Psallam tibi in cithara, sanctus Israel: gaudebunt labia mea cum cantavero tibi; et anima mea, quam redemisti* (*Psal. LXX, 22*). Sed jam psalmi istius qui propositus est nobis, ingrediamur exordia.

^D sed liberius, et forte ex memoria reddidisse. Neque etiam aliter idem imitatus est illud Basilii, *ψαλμός τὸ τῶν Ἀγγέλων ἔργον, τὸ οὐράνιον πολίτευμα, τὸ πνευματικὸν θυρίαμα*, etc.

^e Mss. duo, *devotio nostræ gratiæ perveniret*.

^f Asconius Pædian. in Act. 3 Cic. in Verrem quid sit *intus canere*, exponit, docetque idem esse ac sola sinistra fides carpere, ita ut sonus tantum ad proximos perveniat; cum citharædorum vulgus dextram ad easdem fides plectro percipiendas adhibeat; Aspendium autem citharistam hæc in arte excelluisse. Porro Aspendius Stephano civitas est in Pamphilia. Videsis Era. in Prov. *Aspendius citharista*. Quod autem ait: *causas quoque modulaminum*, etc. id manifeste sumptum videtur e Basilianis illis: *Τὸ ψαλτήριον δὲ τοῦτο τῶν ἀρμονικῶν ῥυθμῶν ἀνωθεν ἔχει τὰς ἀφορμὰς, ἵνα καὶ ἡμεῖς τὰ ἀνω ζητεῖν μελετῶμεν, καὶ μὴ τῆ κδοῆ τοῦ μέλους ἐπὶ τὰ τῆς σαρκὸς πάθη καταφερόμεθα*.

ENARRATIO.

13. (Vers. 1) *Beatus*, inquit, *vir qui non abiit in consilio impiorum*. Quam aptum, quam opportunum principium! Namque ut ii qui agonis aliquam solemnitate receperint exhibendam, proponere præmium solent, jactare coronæ nobilitatem, quo certaturi studio majore convenient, nisu quoque propensiore decertent: ita Dominus noster Jesus regni cœlestis gloriam, perpetuæ quietis gratiam, vitæ æternæ beatitudinem ad virtutis humanæ incentiva proposuit. Imperator quoque cum progreditur ad bellum, ^a donativum militi, et promotiones dignitatum in numeris **743** militaribus pollicetur; ut spes commodi furetur labores, et metum abscondat periculi. Velut præco igitur magni imperatoris sanctus David hortatur milites, athletas vocat, præmium exprimit dicens: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*. A præmio cœpit, ut pondus futuri certaminis elevaret; mercedem præmisit, ut unusquisque præsentium rerum sollicitudines ac labores corde transiliens, ad emerendam beatitudinem futurorum avida festinatione contenderet. *Beatus*, inquit, *vir*. Quid plus potuit homini dari, quam quo nihil amplius potuit Deo Apostolica auctoritate deferri (1 *Tim.* vi, 15 et 16)? *Beatus* enim, et solus potens, et rex regum, et dominus dominantium Deus dictus est. Ille solus potens, ille rex regum, ille dominus dominantium, beatitudinis tamen non supergreditur potestatem. Donavit nobis appellationis ejus commune consortium, quæ digna æstimata est honore divino.

14. Consideremus nunc qua ratione, *Beatus vir*, dixerit; et non magis, beati homines: cum uterque sexus vocetur ad gratiam. Numquid a consortio beatitudinis exclusit mulieres, quia virum solum beatum nuncupavit? Absit; quia nec a consortio creaturæ exclusit Deus feminas, quia prius virum condidit. Dixit enim Deus: *Faciamus hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem nostram.... Et fecit, inquit, Deus hominem; ad imaginem Dei fecit illum; masculinum et feminam fecit eos* (*Gen.* 1, 26 et 27). In homine uterque signatur: in viro sexus exprimitur. Sed quemadmodum cum homo dicitur, uterque comprehenditur: ita cum vir nominatur, et mulier cujus vir ille sit, intelligitur. Denique, *Hæc vocabitur, inquit, mulier, quoniam de viro suo sumpta est* (*Gen.* 2, 23). Accedit illud, quoniam quorum natura eadem, eorum operationes utique non possunt esse discretæ: et quorum opus æquale, eorum utique æqualis et merces. Virum igitur Scriptura di-

A cendo, consortem copulæ non prætermisit; quia et hominem dicendo, ^b consortem non tacuit naturæ. Itaque quemadmodum illic hominem factum legimus, et cum sit una natura, tamen principalem sexum prius creatum negare non possumus: ita et hic cum legimus virum, de principali portione sexum quoque supparem recognoscimus. Paria igitur studia virtutis, quia par prærogativa est creaturæ. Quid autem sexum discutias, ubi non corporis a te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum non habet? Non ergo illic discernas honorem, mercedem divides, ubi non discernitur sexus. Non incaute tamen, si prior vocetur ad exercitium, qui fuit posterior ad lapsum. Quæ male cœpit, sequi debet, non præcedere; ut vel post experimentum sit verecundior. Male Eva naturæ ordinem prætermisit, expectare debuit præcedentem. Astute serpens a posteriore cœpit; ideo Propheta ad superiorem revertitur, eum utique qui lapsus non esset, nisi esset posteriorem secutus.

15. Denique prius nos revocavit a lapsu, quam ad palmam victoriæ provocavit. *Beatus*, inquit, *vir qui non abiit in consilio impiorum*. Vide ubi beatus appelleris, o homo: non in divitiis, non in **744** potestatibus et honoribus, non in nobilitate generis, aut decore et pulchritudine, non in corporis salubritate, in quibus nihil naturæ est bonum; denique non solum facilem commutationem habent in contraria, verum etiam ministerium ad culpam exhibent ei qui uti his nesciat. Quis enim justus propter pecuniam? Quis humilis in potestatibus? Quis misericors propter nobilitatem? Quis castus propter decorem? Illecebrosa hæc magis sunt ad peccatum, quam fructuosa ad virtutis profectum.

16. Quid sibi deinde vult quod maluit dicere: *Non abiit, et non stetit*, quasi de præterito; cum potuerit dicere: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, et in via peccatorum non stat, et in cathedra pestilentiæ non sedet? Vide dogma; non enim statim beatus qui non est impius aut peccator, propter incerta exitus. Non enim otiose scriptum est: *Ante mortem ne laudaveris aliquem* (*Eccli.* xi, 30). Ergo dum in hac vita quisquam est, non potest definita prædicatione laudari, ^c cum patere adhuc possit errori; ille autem qui vitam sine offensione concluserit, jure beati appellatione censetur, qui ulitur consortio beatorum.

17. Sed forte dicas: Qua ratione ergo alibi dixit: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* xl, 1)? Non enim dixit beatum qui intellexerit, sed eum qui intelligit; quoniam qui bonum operantur,

^a Observat J. Lipsius lib. v de *Militia Rom.*, dial. 16, amplius ccc annis in Rep. Rom. milites suis sumpibus sine publico stipendio militasse. Verum postea non stipendia solum, sed et varia præmiorum genera eorum acuendæ virtuti proposita sunt. In his fuit *Donativum*, id est, imperatoris munus quod militibus viritim, sicut et civibus congiarium dividebatur. Fuerunt etiam *promotiones*, cum quis virtutis causa ad majorem gradum assumebatur. Hinc Lucas de Scæva Cæsaris milite:

ibi sanguine multo

Promotus latiam longo gerit ordine vitem.

Apud Græcos quoque *προμῶτος* dicebatur, qui ea ratione ad militarem dignitatem fuisset cooptatus, ut idem Lipsius tradit lib. ii, dial. 8. Sed et hoc ipso lib., dial. 4, jam docuerat *numeros* inferiori ævo tum de cohortibus, tum de legionibus frequenter legi.

^b Mss. aliquot ac vet. edit. in marg., *consortem non tacuit creaturæ.*

^c Mss. duo, *quem petere adhuc possit error.*

in ipso opere et quo probentur, inveniunt, remunerationem sui in ipso opere consequentes. Siquidem beatæ fructus est conscientiæ bonum factum. Qui autem a malo temperant, non si semel aut bis declinaverint culpam, statim beati; sed si potuerint culpæ contagium per omne vitæ suæ tempus evadere.

18. Nunc illud occurrit, cur beatum dicere maluerit, non eum qui pietatis aliquo sit functus officio, sed eum qui ab impiorum consilio temperaverit. Videtur enim magis laudandus qui virtutis munus impleverit, quam qui peccatum evaserit. Siquidem nec bos, nec equus, nec lapis in peccato esse consueverunt, aut sedere in cathedra pestilentiae. Sed illa beatitudinis non habent fructum, quæ virtutis non habent sensum. Nam quomodo perveniunt ad legis præmium, quæ non habent sequendæ legis affectum? De rationalibus ergo propositam sententiam video, hoc est, de nobis. Nobis autem initium bonorum, abstinentia peccatorum est; quoniam legimus: *Declina a malo, et fac bonum (Psal. xxxvi, 27)*. Hic enim ordo est disciplinæ, ut ab inferioribus ad perfectiora contendas; ne terrearis mole majorum, qui leviorum exordio debeas provocari. Salarum enim similem esse Scriptura (*Gen. xxviii, 12*) nos docet pietatis ascensum, per quas vidit angelos Domini ascendentes et descendentes sanctus Jacob, ^a vir exercitationis; qui nobis propositus est, ut per illum cognosceremus gradum virtutis paulatim nos proferre debere; et ita posse ab imis ad summa contendere, si per processus gradiamur exiguos ad ea quæ videntur humanæ altiora naturæ. Has tibi scalas semper habeto propositas. Ne timeas, o homo, gradus hos ascendere **745** disciplinæ. Primus gradus vicinus est terræ, sequens similis est prioris. Sic per æquales gradus ad summa conscenditur. Ne fastidias, o homo, primum illum velut vilissimum gradum. Ille primus ascensus te a terris separat; aërem calcas, ubi ab humo elevaveris vestigium. In virtute positus surgendo liquisti terram; terram relinquis, si culpam declinas. Exordium ergo processions ad virtutem est abstinere a peccato.

19. Ut sciamus autem hanc disciplinam esse doctrinæ, audi Legem dicentem: *Non adulterabis, non homicidium facies (Exod. xx, 14 et 15)*; imperfectis enim ista præcepta convenientia videbantur. Denique ipse Dominus Jesus sciens imperfectum, a quo interrogabatur quibus ad vitam æternam operibus perveniret, respondit ei: *Non adulterabis, non homicidium facies, non furtum facies, etc. (Matth. xix, 18)*. Deinde dicenti quod fecisset illa omnia, adjecit perfectiora dicens: *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo (Ibid., 21)*. Tantumque

^a Vir exercitationis, id est, laboribus exercitatus, ut puta exsilio, cum ob metum fratris e paterna domo fugere coactus est: vita durissime apud Labanum per xx annos exacta, de qua ipse *Gen. xxxi. Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Adde mentis ægritudinem ob violatam Dinam, amissum Joseph, etc.*

^b Ultimæ edit. Paris., ut nec abnueret, quia illa

abesse docuit inter malorum declinationem, et imitationem bonorum, ^b ut hæc abnueret, qui illa sibi facilia judicabat. Sed quia nec illa ascenderat, ideo ad hæc se aptare non potuit. Nam si dilexisset proximum, potuisset pauperibus subsidia sui patrimonii non negare. Ideoque gradum primum Legis ascende, ut possis ad Evangelii cœleste fastigium pervenire. Unde arbitror quod quasi sub Lege positus, morem Legis in primo psalmo secutus, ex sua persona sanctus Propheta magis cavenda denuntiet, quam sequenda proponat. In quadragesimo autem psalmo (*Psal. xl, 1 et seq.*), qui ex persona inscribitur Salvatoris, adhortatio magis virtutis fiat, quam erroris depressio; de passione enim Salvatoris loquitur (*Ibid., 6 et seq.*). Et ideo Evangelii dispensator etiam, sicut possumus æstimare, cum audivimus dicentem: *Beati misericordes (Matth. v, 7)*; et in psalmo propriæ passionis, et in Evangelio misericordiam coronavit. Sed adoriamur jam psalmi explanationem, et virtutem inspiciamus Propheticam.

20. *Beatus, inquit, vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit.* Possumus dicere tres esse species peccatorum, quas hic putamus expressas, cogitationis, operationis, permansionis; beatumque eum significari, qui et non cogitaverit quod malum est. Nam quomodo potest beatus esse, qui suis cogitationibus accusantibus in die iudicii revincendus est? Etiam si hominem fefellit, testem refugit, accusatorem evasit; se tamen sui accusatorem vitare non poterit, quem maxime debet timere; quia et accusatorem habebit, et confitentem reum. Beatus ergo est qui et non cogitaverit quod malum est, et non operatus fuerit peccatum (quia interdum et sine cogitatione delinquimus; ex multiloquio enim non effugimus peccatum), et non perseveraverit in peccato. Vel sic: qui et non cogitaverit quod esset erroris, vel in ea cogitatione non steterit, vel certe non perseveraverit in iis cogitationibus, **746** quas plenas erroris adverterit. Sed hæc utrum recte convenient, qui legerit, æstimabit. Nam qui semel male cogitavit, nec stare in eo debuit, nec perseverare. ^c Sed etsi non perseveraverit, beatus esse non potuit; quia stetit in eo quod improbe cogitavit. Etsi non stetit, tamen eo ipso quod cogitavit male, utrum habeat beatitudinis fructum, clementem aliquem quærere debet interpretem. Postremo quia nemo potest dicere mundum se habere cor, esto ut veniabilis cogitatio sit, numquid veniabilis operatio peccatorum? Postremo si veniabilis statio, numquid etiam plena beatitudinis, eo quod non perseveraverit in crimine? Deinde qui non cogitavit quæ improba sunt, quomo-

sibi facilia judicabat. Aliæ cum mss. ut hæc abnueret, qui illa, etc. Commodè. Namque hanc lectionem sensus postulat, qui talis est; tantum distat inter mala devitare, et bona prosequi, ut bona prosequi recusaret, qui mala devitare nullius esse difficultatis judicabat.

^c Reg. cod., Sed etsi perseveraverit.

do in peccato stare potuit, ^a aut perseverare? Ut beatus sit, qui tria hæc jure servaverit, certe ordo diversus est. Primum est enim, ut non perseveraverit in peccato; secundum, ut non steterit in eo; tertium, ut non cogitaverit quod esset erroris. Qui enim non perseveraverit, potuit tamen stare; qui non stetit, potuit cogitare; qui autem nec cogitavit, vere beatus est.

21. Unde alteram quoque traditionem non præmittendam putavi, quo tres gradus recto ordine factos asseramus; ut qui beatus vult esse, non abeat in consilio impiorum; hoc est, in eorum cogitationibus non ambulet; deinde non stet in via peccatorum; tertio, non sedeat in cathedra pestilentiae. ^b Tu igitur qui in Ecclesia factus es Christianus, vel qui ad gratiam tendis, abstine ab impiorum consiliis, ut possis dicere: *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam (Psal. xxv, 9). Nec cogites quæ sunt impia. Quæ sunt illa, nisi quæ in Dei excogitantur injuriam? Pietas enim prima in Deum, secunda in parentes. Et quidem inimicus inserit frequenter diversa mentibus nostris: et ideo caute Propheta cogitationes magis, quam infusiones improvisas putavit ad crimen tenendas. Abstini ergo ab impiorum consiliis? Recte; non tamen statim beatus. Cave etiam ne in via peccatorum steteris.*

22. Quanto examine Scripturæ divinæ verba ponuntur? Etenim quia omnes sub peccato sumus, non a te exigit quod ultra naturam est, ut peccatum non facias; quia nec unius diei infans sine peccato; sed ut non maneat in peccato quadam statione diuturna. Non omnes impii sunt; ideo revocaris ab omnibus cogitationibus et conjurationibus impiorum; sed omnes peccatores; ideo admoneris ut desinas peccare. ^c Fuerit adolescentioris lapsus ætatis, debet eum maturitatis emendare processus. Ergo in graviora non abeas, in levioribus non stes. Habes hoc et in Esaiæ dictum a Domino: *Exi a Babylone, fugiens a Chaldaeis (Esai. xlviii, 20): hoc est: Et si intrasti in confusionem vitiorum, exi. Non oportuit intrare; sed ingressus es, carnis lege cogente, et captivante te in lege peccati, exi, egredere vel serius, exue te servitio gravi. Non potuisti non introire in peccatum* **747** *per fragilitatem: datur tibi exire peccato per sobrietatem. Exi ergo a Babylone, fugiens a Chaldaeis.* ^d Babylon confusio est, quæ virtutum ordinem non tenet; confusa enim illecebris mente, delinquimus. Chaldaei sunt qui siderum cursus vanæ studio superstitionis explorant, et impiæ serunt gentilitatis errores. Ab his fugè, ne te capiant, ne te gravi laqueo captivitatis innectant. Abraham Chaldaeus fuit, sed

^a Mss. quatuor, aut perseverare, ut beatus sit? Qui tria hæc jure servaverit, licet profecto beatus erit. Et certe ordo divisus est.

^b Edit. vet. et quædam Paris. cum mss. fere omnibus: *Ad Ecclesiam factus es Christianus, vel tu qui, etc.* Rom. et plures Paris., *Factus ergo Christianus, vel ad gratiam tendis.* Melius Thuan. cod. ut nos in textu.

^a fugit a Chaldaeis, et ante Legem; ^d tu sub Lege natus es, fuge ab impiis. Ille hæreditatem patrum respicit, ut fidei possideret; tu successionem corporis derelinque, hæreditatem devotionis acquire.

23. Si autem in peccato non steteris, nec sic beatus; adhuc habes quo carere debeas. Multæ sunt illecebræ, multi a virtute deflexus: gravia irritamenta sunt voluptatum, gravis fomes avaritiæ, cupiditas potestatum, honoris ambitio, quæ velut veneno quodam mentes hominum, et quadam animas pestilentii vitiorum tabe contaminant. Hæc est cathedra pestilentiae super quam sederunt Scribæ et Pharisæi, qui imponunt hominibus onera gravia, ipsi autem digito nolunt ea movere. Has cathedras de templo Salvator ejecit eorum qui se de honore jactarent, primatus quærentes dignitatum; eorum qui sacerdotio vel primatu honoris uterentur ad questum; eorum qui indulgentes gulae, nequaquam debitam continentiae præstarent custodiam. Hæc vera est pestilentia. Denique Heli filii erant filii pestilentiae. In hac quadam sede vitiorum prohibet Scriptura nos cervicem inflectere, viresque totius corporis reclinare. Adverte igitur proprietates.

24. *Et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit.* Viam dici vitæ hujus cursum, in dubium non venit; cum ipsa Scriptura dicat: *In via hac quæ ambulabam, absconderunt laqueum mihi (Psal. cxli, 4). Et: Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in vita (Matth. v, 25).* Etenim quoniam cursum vitæ hujus citrimus, habemus semitam per quam ambulamus quotidie, donec perveniamus ad finem. Etsi non videmur corporaliter ire, progredimur. Nam sicut in navibus dormientes ventis aguntur in portus; etsi nullas quiescentibus sensus est navigandi, tamen cursus eos urget ad finem et impellit ignaros: sic vitæ nostræ spatium defluente, ad propriam unusquisque finem, cursu latente, deducitur. Unde dicitur: *Surge qui dormis (Eplias. v, 14); tu enim dormis, et tempus tuum ambulat: et vide ne dum diu dormis, prætereat tempus. Ideo etsi dormis, cor tuum vigilet, cor tuum non ferietur; si cor otiosum non sit, non sunt otiosa tempora tua. In via es, o homo, ambula ut pervenias; ne te nox in via occupet, ne consumatur dies vitæ, antequam progressum virtutis acceleres. Viator es vitæ hujus; omnia transeunt, omnia post te fiunt. Omnia in hac via cernis, et transis. Vidisti amœnitatem arborum, herbarum viriditatem, puritatem fontium, et quodcumque hujusmodi quo delectantur oculi; juvat spectare, delectavit parumper attendere; dum attendis, **748** pertransisti. Iterum dum ambulas, incidisti scopulosum et confragosum iter, concava rupium,*

^c Sic edit. Era., Gill. et Rom. cum cod. Vat., Colb., et Vicr.; Paris. vero edit., cum aliis cod., *Si fueris adolescentioris lapsus ætatis, debet te, etc.* Non male. Tamen elegantius videtur, ut dicatur per concessionem hoc sensu: *Esto, fuerit, etc.*

^d Ultimæ edit. Paris. et mss. quatuor, *tu sub Lege jam damnatus es.* Aliæ edit. ac mss., *tu sub lege natus es.*

prærupta montium; densa silvarum. Tædiasti parum, iterum transisti. Talis hæc vita est, cujus nec prospera permanent, nec adversa diuturna sunt. Ergo quasi in via locatum neque secunda extollant, neque adversa te frangant, nec plausibilia remorentur, nec mœstâ detineant. Festina semper ad finem, festina ut pervenias. Elige tamen viam antequam curras.

25. Duæ viæ sunt: una justorum; altera peccatorum: una æquitatis, altera iniquitatis, de qua dixit Propheta: *Et vide si via iniquitatis in me est* (Psal. cxxxviii, 24). Non solum ergo vitâ nostrâ via est, sed etiam in ipsa vitâ nostra aut virtutis via est, aut iniquitatis. Cave igitur ne in te gressus suos collocet avaritia, et sis via criminis; ne improbitas, ne libido, et sis via iniquitatis itinerantibus detrita flagitiis. Licet tibi eligere quos sequaris, aut justos, aut injustos. Justorum via angustior est, injustorum latior: illa sobrietatis angustior, hæc ebrietatis latior, ut possit capere fluctuantes; hæc habet sæculi hujus illecebras, illa habet futurorum præmia. In istis fructus præsentior, in illis spes tardior; quæ enim suavia sunt, non differunt a diuturnam expectationem, sed habent præsentem perfunitionem; quod autem serium est, labore quaeritur, eo quod a beata cogitatione vix capitur; quia oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Difficile solemus credere quæ non videmus: et ideo anima æstuat, et huc atque illuc velut oculos quosdam circumfert cogitationes suas. Tunc illi occurrunt diversæ rerum species, seque offundunt. Si ad sempiterna intendat, virtutem eligit; si ad præsentia, voluptatem præponit. Grave et iniquum certamen adversus delectationes præsentium. Hic libertas est cupiditatum, illic servitus injuriarum, facere quæ non vis, et ab iis quæ desideraveris, abstinere; hic convivium, illic jejunium; hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lacrymarum; hic saltatio, illic oratio; hic cantus dulces, illic gemitus graves. Scriptum est quidem: *Cor sapientium in domo luctus, et cor stultorum in domo epularum. Melius est audire increpationem sapientis, magis quam virum audientem canticum stultorum* (Eccl. vii, 5 et 6). Sed pauci hæc audiunt, pauciores sequuntur. Allicit homines magis dulce peccati, quod ad præsens influit et impinguat audientis affectum, quam triste virtutis, quæ fidei spem velut quodam cortice amari laboris involvit. Beatus ergo atque mirabilis, qui talium viarum positus in electione, non fuerit illecebris voluptatis inflexus; ut gradum suum super vadosa et

A prava constituat. Non dicitur ei: *Væ qui dereliquisti semitas directas, abeundo in vias tenebrarum* (Eccl. viii, 16)!

26. Cognovimus igitur quæ sit via peccatorum, in qua standum non esse Propheta nos admonet; sed etiam Ecclesiastes docet, qui ait: *Noli stare in sermone malo* (Ibid. 5), hoc est, non persistere in sermonibus 749 malis, similiter et operibus improbandis. Quomodo in bonis sit standum, sanctus idem Propheta præcipit dicens: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem* (Psal. cxxi, 2). In Jerusalem standum est, de Babylone fugiendum. Et Moysi dicitur: *Tu autem sta mecum* (Deut. v, 51), qui de Ægypto fugit, et cum Domino stans perseverabat. Et in Evangelio (Matth. xx, 9), qui steterunt usque ad horam undecimam, æqualem mercedem operantibus acceperunt. Et quæ steterunt virgines usque ad adventum sponsi, ad nuptias simul introire meruerunt; quæ autem discesserunt, et postea reverterunt, Dominicæ excluduntur auctoritate sententiæ (Matth. xxv, 10). Didicimus ergo non stare in via peccatorum, stare autem in virtutis officio; quia scriptum est: *Tu autem fide stas* (Rom. xi, 20).

27. Nunc consideremus quid sit: *Et in cathedra pestilentie non sedit*. Et quidem præmissimus, quod non simplex consessus in hujusmodi quod in usu est solio, reprehendatur. Quid enim invidiæ haberet ad culpam? Sed cum oculi Domini semper super fideles terræ sint; tanquam sub conspectu imperatoris locati, et veluti in ministerio quodam positi, stare debemus. Miles in procinctu stat, non sedet; miles in armis non se reflectit, sed excitat atque erigit. Ideoque militibus Christi dicitur: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini, qui statis in domo Domini* (Psal. cxxxiii, 1). At contra iniquitas in talento plumbeo sedet, eo quod fixa in peccato, se ab eo separare non possit. Etenim inveterati in errore, et studiosè flagitiis inherentes, sedere dicuntur, qui nolunt assurgere, nec audire dicentem: *Surgite postquam sederitis* (Psal. cxxvi, 2). Denique hic ipse Propheta alibi ait: *Sederunt principes, et adversum me detrahebant* (Psal. cxviii, 25). An ignoramus quod tantam vim habeat inveterata consuetudo peccandi, ut excludat naturam, quæ cum sit medicabilis ad salutem, tamen corroboratis tempore passionibus immedicabilis invenitur? Non ergo permaneamus in vitiis; sed unusquisque etiamsi fuit, exsiliat a culpa, sicut scriptum est (Prov. v, 3) de muliere meretrice. Ne intendas in eam oculum tuum, sed exsili, ne moreris; exsili

^a Rom. edit. sola, *diuturna expectatione perfunitionem, sed habent præsentem*. Et continuo post ubi omnes edit. ac plures mss., *quod autem serium est*; ibi cod. Vict. et Colb., *quod autem serium est*. Optime; *serium* enim hic opponitur *suavibus*, quæ levicula esse consueverunt.

^b Edit. omnes et mss. aliquot, *servitutis injuria*; quatuor, *servitus injuriarum*. Rursus post pauca, ubi cunctæ edit. cum tribus mss., *Hic saltatio, illic oratio*; mss. alii, *illic ploratio*. Quæ quidem lectio, etsi minime videatur contemnenda, tamen priori Basilii,

ex quo petita est, favet his verbis: *ἐν ταῖς ὀρχαῖς, καὶ ἐπὶ προσευχῇ*.

^c Quædam edit. Paris., *hoc est, noli persistere*.

^d Edit. cum tribus mss. *Tu autem fide. vel in fide, sta*: quinque mss. cum omnibus Apostoli exemplaribus . . . *fide stas*.

^e Mss. nonnulli, *adversum me tractabant*.

^f Ita cod. Vat. unus et quinque Gallicani: Vict. autem, Colb. ac vet. edit., *tamen corroborata tempore passionibus immedicabilis*. Rom. sola, *diuturno tamen tempore passionibus depravata, immedicabilis, etc.*

antequam te anni juventutis inveniant. Sed, quod gravius est, plerique luxuriam corporis nec albenti erubere canitie, et usque ad senectutis ætatem vitam produxere maculosam. Intimis enim concepta visceribus lues culpæ, processu temporis coacervatur. Cave igitur ab impiorum consiliis, non penetrent hujusmodi consilia mentem tuam; ne dicatur de te: *Alligavit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet* (Prov. vi, 2)? Etenim qui semel in sinu mentis flagitii flammam ferventis adoleverit, cito corporis sui vestimenta comburet. ^a Et ut in stipulam ignis exsiliens, inhæret ac permanet, donec omne quod corripuit, absumat: ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat. Noli ergo stare in peccato. Postremo posuisti vestigium supra voraginem culpæ, cito aufer pedem; ne supra plantam tibi ascendat pollutio, **750** et lapsu faciliore deceptus, supra lutum resideas.

28. Cavenda ergo prima sunt vitia, ne in plura deinde graviora proserpant. Etenim sicut ii qui se in luto versant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur: ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exsiliat, gravius sibi dedecoris sui cœnum per singulos dies lutulentæ conversationis obducit. Itaque gravi odore terræ illius ac flagitiosæ voraginis contrahitur quædam animarum pestilentia, corruptoque salubrium cogitationum spiramine, lues æstuantium passionum miseranda grassatur. Hinc lethale se mentibus virus infundit, hinc subrepat ægritudo corporibus, languores animis. Est enim malus languor, erroris languor, avaritiæ languor, inexplebilis cupiditatis languor. Istæ divitiæ sunt, ut ait Ecclesiastes: *Est languor malus quem vidi sub sole, divitias custodiri in malum possidentis eas* (Eccle. v, 12). Dic mihi, o Ecclesiastes, qua causa malus hic languor sit? Respondet, quia multos avara spes devorat. Insatiabilis edacitas cupiditatis est. *Nescit satiari argento, qui concupiscit argentum* (Ibid. 9). Distendunt divitiæ, non explent: *Et si quis satiatum fuerit divitiis, non est, inquit, qui sinat eum dormire. Et quidem omnes dies ejus in tenebris, et luctu, et iracundia multa, et languore, et ira* (Ibid. 11 et 16). Quomodo enim potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui usuras computat, ^b qui apothecas numerat? Malus ergo languor qui bonam aufert mentis quietem. Est languor malus luxuria, libido, concupiscentia, delectatio, sæcularis ambitio, quæ cito corrumpit salutem sobrietatis. Omnis postremo mundi hujus corruptela pestilentia est. Ne ergo tetigeritis, ne attaminaveritis eam. Lues est, contaminat; morbus est, pollut. *Ne gustaveritis quæ sunt omnia ad corruptelam*

^a Mss. quinque, *Et ut stipulam ignis absumit, ita vel exigua*, etc. Reliqui, ac omnes edit. ut nos supra.

^b Rom. edit. sola, *qui hypothecas numerat*. Et videtur favere, quod præcedit, *qui usuras computat*. Verum aliæ edit. atque omnes mss. reclamant; nec

A ipso usu, ut Apostolus dixit (Coloss. ii, 21 et 22), qui et alibi clamat: *Radix omnium malorum est avaritia* (I Tim. vi, 10); morbos excitat, dolores inserit. Denique qui eam appetierunt, *inseruerunt se multis doloribus* (Ibid.). Ista est pestilentia, quæ plerumque neque calidos, neque frigidis, sed, quod et calidis est deterius et frigidis, tepidos facit; ut evomantur ex ore Domini Jesu, quos propter gravia peccata rejecerit. Ista est quæ non paucorum, sed omnium excitat ægritudines. *Omne caput in dolore, omne cor in mœstitia* (Esai. i, 5 et 6). A pedibus usque ad caput peccatorum ulcera. *Omne caput in dolore*, quando qui sapientes æstimantur, dolore cruciantur avaritiæ; sensus enim sapientis in capite ejus. Quod referri potest etiam ad Ecclesiæ præeminentes: *Omne cor in mœstitia*, quando sapimus quæ sunt carnalia, et corporeis voluptatibus aciem nostri cordis infodimus. Unde ait Dominus (Ezech. xi, 19) ad hujusmodi, quod dederit illis cor carneum.

29. A pedibus usque ad caput serpit lues dira morborum, quando laborant contagio, quando compatiuntur aliis, ^c si quis effectum libidinis defraudet, viduæ pudorem expugnare non potuit, **751** agrum invadere; et ægre cuncti invicem languores transferunt. Quoties ingemiscunt seniores quod diu potare non possint? Quoties dolent quod scortari desierint, cum scortandi habeant voluntatem? Quoties inter fabulas ebriorum virtutes probro sunt, peccata laudi, honestas ludibrio, continentia risui, misericordia vanitati! Isti sunt morbi qui mala sua in multos transferunt. A paucis corruptela ad omnes pervenit. Sedent in consiliis derogantes sobriis, ructantes crapulam; sedent in tabernis de ebrietate certantes. Inter hos meretrix plena vino, huic arridens, illum adurens, et omnes ardore inflammans libidinis. Verecundus si transeat, erubescit, a singulis carpi-tur; si flagitiosus, omnium ore laudatur, et tamquam morbus transit in animas singulorum; qui enim in flagitiis celebris, plurimos ad imitationem adducit erroris. Itaque dum peccatum imitantur alienum, suum faciunt malum. Non sedecas inter eos, quos sanctus Propheta fugiebat. Illum imitare, fugientem utique, non sedentem, qui ait: *Non sedi in consilio malignantium, et cum iniqua gerentibus non introibo* (Psal. xxv, 4). Qua ratione eos fugiebas, David, explica nobis. Demonstra has partes, ut et nos eas fugere possimus, ne inficiamur earum contagio: *Corrupti sunt, inquit, et abominabiles facti sunt: non est qui faciat bonitatem, non est usque ad unum* (Psal. xliii, 1). Generaliter ergo ad omnes flagitiosos potest referri: demum specialiter ad irrisores bonorum quos Aquila *χλευαστὰς* dixit, quod isti vere morbi sunt, qui irridendo bonos, plurimum animis operantur errorem, mentesque corrumpunt.

malus sensus est, si *apothecas*, id est, arcas, loculos, cellas quibus divitiæ reconduntur, dicatur avarus numerare.

^c Reg. cod., *si quis affectu libidinis*.

Quanta dixit a quibus beatus vir debeat abstinere! **A**
Et adhuc adjicit alia.

30. (Vers. 2.) *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte; hoc est, beatus ille qui hæc faciat consilio, ratione, prudentia; potest enim et parvulus non per virtutem, sed per impossibilitatem et inscientiam delinquendi ab iis quæ dicta sunt, abstinere. Potest et irrationabili pecudi convenire, cui nulla vis consilii, nullus sensus erroris est. Hoc est ergo quartum quod sequitur, in quo definitio beati viri a pecude discernitur; quia vir sapiens subditus legi est voluntate, non necessitate. Plurimum enim refert; quia in voluntate, mercedis est fructus; in necessitate, dispensationis obsequium. Ita enim docuit nos Apostolus dicens: *Si volens hoc ago, mercedem habeo: si invitus, dispensatio mihi credita est* (I Cor. ix, 17). **B**
Ordo autem conveniens, ut primo diligas legem, secundo ut mediteris. Qui diligit, ex voluntate facit mandata legis; qui timet, invitus observat. Hanc disciplinam docendi etiam Dei justitiam in Lege accepimus. Sic enim scriptum est: *Audi, Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. vi, 4). Et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua. Et erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, et in anima tua: et demonstrabis ea filiis tuis, et loqueris eis sedens in domo, et ambulans in itinere, et* **752**
in quiete, et in vigilia. ^a *Et alligabis ea in signum in manu tua, et erunt monilia ante oculos tuos: et scribes ea super limina in domiciliis tuis et in januis tuis* (Ibid., 5-9). Et infra: *Et nunc, Israel, quid abs te postulat Dominus Deus tuus, nisi ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus* (Deut. x, 12)? Sapiencia quoque dicit: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, habebitis disciplinam* (Sap. vi, 12). Clara est, et quæ numquam marcescat sapientia, et facile videtur ab iis qui diligunt illam, et invenitur ab iis qui quærent illam. Legitime ergo docemur a sancto Propheta voluntatem in Lege habere, meditationem secundum Legem. Voluntas in Lege non solum in studio, sed etiam in facto est. Prior voluntas, secunda operatio. Denique et Dominus dicenti sibi: *Si vis, potes me mundare*, respondit: *Volo, mundare* (Matth. viii, 2 et 5); ^b quo ostenderet operationibus nostris voluntatem præviã **D**
esse debere. Denique lex voluntarios quærit; quia lex Domini irreprehensibilis est, convertens animam: nemo autem convertitur, nisi qui voluntate convertitur. Voluntarius autem abscondit et sensum furatur laboris.*

31. Ideoque die et nocte in Lege meditatur; in quo non tam continua legendi postulatur intentio, quam servandæ Legis affectus. Ille enim plene meditatur, qui sibi ipse lex est, scriptum in corde suo legis intendens. Aquila tamen diem tantummodo posuit, non etiam noctem. Quod non tam a cæteris discrepans, quam alio referens posuit; quoniam qui Legem meditatur, semper in luce est, noctem non habet. Etenim cujus lucent opera, non potest utique in tenebris ambulare; quia justitia ejus sicut lumen effulget. Meditetur ergo Legem vita nostra, meditetur conversatio, meditetur actus, meditetur intellectus mysteriorum cœlestium. Lex enim exemplar est et umbra cœlestium, umbra futurorum bonorum, quæ is qui credit in Lege, in Evangelio recognoscit. Meditetur in tenebris et die, id est, et in adversis positus, et prosperis. Lex enim præcipit ut diligas Dominum tuum. Qui diligit, in omni statu suo debet servare diuturnæ charitatis affectum. Pater diligit filium, diligit etiam cum arguit, diligit etiam cum verberat baculo; qui enim parcat baculo suo, odit filium suum. Nos quoque Dominus castigat, et diligit. Itaque etiam cum digna coertione committimus, ille tamen diligit, qui etiam recipit offensum. Castigat enim Dominus omnem filium quem recipit. Et tu cum castigaris dilige; quia ideo castigaris, ut recipiaris. Nam quid grande est, si tunc diligas Dominum Deum tuum, cum tibi abundant omnia, cum frueris optatis, cum honoribus, facultatibus, liberis gaudes. Et homini, a quo acceperimus beneficium, gratiam referre consuevimus. Denique cum laudaretur Job judicio cœlesti, hoc retulit diabolus (Job, i, 10 et 11): Minime mirum si gratus esset Deo, cui tanta suppeteret affluentia prosperorum; sed tunc probandum, si illa amittat universa, et pii cultoris præstet officium. Hæc **753**
igitur prima virtus, ut non frangaris adversis, non extollaris secundis. Id te Lex docet, ^c ut in afflictione non relaxes intentionem, nec desperationem induas; victor non dicas: *Virtus mea et fortitudo mea hæc tribuit mihi* (Deut. viii, 17); sed omnia noveris divinæ misericordiæ deputanda.

32. Clamat Esaias: *Non confundetur qui in angustia est usque in tempus* (Esai. viii, 22). *Hoc primum bibe* (Esai. ix, 1). Quid est, hoc primum bibe? Sequestremus mystica, persequamur moralia, quæ docet littera. Propter errorum gravia graves contritiones et vexationes populi dicit futuras; et oportuit eas præcedere, ut sequeretur misericordia. Bibe ergo primum tribulationem; per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei; bibe, ut sensus

^a Edit. vet. et plures mss., *Et alligabis ea in sinu tuo*. Rom. et mss. aliquot. *Et alligabis ea in signum*. LXX, και ἀφάψεις αὐτὰ εἰς σημεῖον ἐπὶ τῆς χειρὸς σου; in quo omnes Scripturæ versiones consentiunt. Ubi vero Rom. edit., *et erunt immobilia ante oculos tuos*. (ex LXX scilicet, apud quos legas, και ἔσται ἀσάλευτον [quidam cod., ἀσάλευτα] πρὸ ὀφθαλμῶν σου), ibi vet. edit. ac omnes omnino mss., *et erunt monilia*, etc. Porro cum ea pars versiculi ejusce alibi

aliter conversa sit; ut puta ex textu Hebræo, et Hebræo-Samar. ab Interprete Lat. reddatur, *erunt quoque in frontalia*, vel ut Grotio placet, *erunt quoque pro conspicillis*, etc. Ex Paraphr. Chald., *et erunt quasi appendix quædam*, etc. Quidni etiam ab aliquo verti potuerit, ut in nostro contextu.

^b Mss. aliquot, *quo ostenderet cogitantibus nostris*.

^c Mss. quatuor e Gallic., *ut afflictionem non relaxes*

tribulationis ^a pectoris tui infundatur internis : bibe cum patientis affectu incoerentis dolorem. Dum enim conversus ingemuëris, tunc Dominum tibi reconciliabis offensum. *Hoc ergo primum bibe*, ut sis in dolore et angustiis. Cito lætitia infundit errorem. Pinguis factus et incrassatus populus surrexit ludere, et recessit a Domino. Prodest tibi cor habere contritum. *Hoc primum bibe*, ut sacrificium tuum accipiatur a Domino. Doceat te Apostolus quid sit : *Hoc primum bibe*, hoc est, tribulationis poculum. *Tribulatio enim patientiam operatur* (Rom. v, 3 et 4) : Non potest esse patientia, nisi ante fuerit tribulatio. *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur*, *patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit*. Bibe primum tribulationem, ut postea tibi tot virtutum pocula ministrentur. Et ut scias quia bibitur tribulatio, audisti dicentem hodie Prophetam : *Potasti nos vino compunctionis* (Psal. lxxix, 5). Et in posterioribus ait : *Et potum dabis nobis in lacrymis, in mensura* (Psal. lxxix, 6). In mensura petit potum, non supra mensuram; ne ferre non possit. Denique quam bono hoc precaretur affectu, suo probabat exemplo, qui potum suum cum fletu miscerat (Psal. cxl, 10), ut Domini in se inclinaret misericordiam.

53. Bibe ergo hoc primum, ^b ut bibas et secundum (hoc enim tempus est ut inseramus mystico) bibe primum vetus Testamentum, ut bibas novum Testamentum. Nisi primum biberis, secundum bibere non poteris. Bibe primum, ut sitim mitiges; bibe secundum, ut bibendi satietatem haurias. In veteri Testamento compunctio, in novo lætitia est. Vide quemadmodum Dominus artibus diaboli pro suis servulis obviaverit. Ille cibo fraudis decepit unum, ut in uno omnes circumveniret; Jesus autem cibo salutis omnes redemit, ut in omnibus et illum qui deceptus fuerat, reformaret. Ille calicem aureum Babylonis excogitavit, ut quicumque plus biberent, plus sitirent; et quia potus placere non poterat, auri pretio illiceret ad bibendum. Propinavit de vino suo, cui etiam metalli suffragia requisivit. At vero Dominus Jesus aquam de petra effudit, et omnes biberunt. Qui biberunt in typo, satiati **754** sunt; qui biberunt in veritate, inebriati sunt. Bona ebrietas, quæ infunderet lætitiā, non afferret confusionem; bona ebrietas, quæ vitæ manus rigaret æternæ. Hoc ergo poculum bibe, de quo dixit

Propheta : *Et poculum tuum inebrians, quam præclarum est* (Psal. xxii, 5) ! Nec te moveat quod Babylonis aureum poculum est; quia et tu bibis poculum

in victoria, nec desperationem induas in tentatione : non dicas, etc.

^a Quinque mss., *pectori tuo infundatur internis. Bibe compunctis affectum, incoerentis dolorem.*

^b Bra. et Gilla, *ut bibas et secundum. Hic enim tempus est ut inseramus mystica.* Rom. edit. . . . *Nunc jam tempus est*, etc. Mss. nobis consentiunt, nisi quod nonnulli pro *mystico*, *bibe*, legunt, *mystica*, *bibis*. Ut autem lectionis nostræ sensum facilius capias, adverte pronomem *hoc*, referendum ad id quod *equos* antepositur : *Bibe ergo hoc primum*, etc., tum

A sapientiæ, quæ sit auro argentoque pretiosior. Utrumque ergo poculum bibe veteris et novi Testamenti; quia in utroque Christum bibis. Bibe Christum, quia vitis est; bibe Christum, quia petra est quæ vomuit aquam; bibe Christum, quia fons vitæ est, bibe Christum, quia flumen est, cujus impetus lætificat civitatem Dei; bibe Christum, quia pax est; bibe Christum, quia lumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; bibe Christum, ut bibas sanguinem quo redemptus es; bibe Christum, ut bibas sermones ejus; sermo ejus Testamentum est vetus, sermo ejus Testamentum est novum. Bibitur Scriptura divina, et devoratur Scriptura divina cum in venas mentis ac vires animæ succus verbi descendit æterni. Denique non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Hoc verbum bibe, sed ordine suo bibe. Primum bibe in veteri Testamento : ^c cito fac ut bibas et in novo Testamento. Et tamquam ipse festinet, dicit : *Galilæa gentium et partes Judææ, populus qui ambulatis in tenebris, videte lucem magnam; qui habitatis in regione mortis, lux fulgebit super vos* (Esai. ix, 1 et 2). Bibe ergo cito; ut lux tibi effulgeat magna; lux non quotidiana, non diei, non solis, non lunæ; sed lux illa quæ umbram mortis excludat. ^d Nam qui in umbra mortis sunt, lucem utique solis ac diei videre non possunt. Et quasi requirenti tibi unde tantus splendor, tanta gratia sit, respondet : *Quoniam puer natus est nobis, filius datus est nobis* (Ibid., 6). *Puer*, quia ortus ex Virgine est; *Filius*, quia ex Deo natus tantæ auctor est lucis. *Puer nobis natus est. Nobis*, qui credimus; non Judæis, qui non crediderunt; *nobis*, non hæreticis; *nobis*, non Manichæis; *nobis natus est*, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; *nobis natus est*, quia carnem suscepit ex Virgine, quia homo natus est ex Maria. Caro nascitur nobis, Verbum datur. Quod nostrum est, inter nos natum est : quod supra nos est, nobis donatum est.

54. Satis excurrimus, ut putamus, sed non otiose; ut doceremus quia et in tribulationibus diligere Dominum debemus, nec recedere ab eo, quoniam et lætitiæ tribulatio sæpe succedit, et lætitiæ tribulationi. Denique qui tribulatione non frangitur, et legem sequitur, beatus est.

55. (Vers. 5.) *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Quæ ista beatitudo est, quæ ligno arboris comparatur, nisi intelligamus **755** in paradiso, illo beatorum loco, li-

post vocem *mystico*, subintellige *intellectui, tractatui, vel quid simile.*

^e Rom. edit. sola, *inde fac cito ut bibas et in novo Testamento. Unde et tamquam festinet, dicit : Regio Zabulon, et terra Nephthalim, et cæteri Parthiam inhabitantes, et trans Jordanem Galilææ gentium; populus qui ambulabat*, etc.

^d Sic edit. et Vat. cod. cui accedunt quinque Gall. in quibus tamen legas, *Nam si in umbra*, etc. In Viet. autem et Colb., *Nam si umbræ mortis sunt.*

gnum vitæ ^a in medio lignorum aliorum de terra A productum? Inter multa enim ligna quæ erant speciosa ad aspectum; et bona ad escam; etiam hoc lignum terra produxit; et in medio paradisi erat; ut cætera ligna ejus viriditate florent. Quod esse hoc lignum dicimus, nisi per quod nobis salus venit? Et recte hoc terra produxit, quia eum Virgo generavit; quæ erat terra secundum Auctoris sententiam, quæ in eum dicta est: *Terra es, et in terram ibis* (Gen. iii, 19). Pulchre quoque in medio legitur lignorum aliorum; quia erat in medio ^b apostolorum descensionum, vel quia in medio erat mentis et cordis, sicut ipse ait: *Medius vestrum stat, quem vos nescitis* (Joan. i, 26). Et alibi ait: *Ego autem in medio vestrum sum* (Luce. xxii, 27). Denique et de ipso Salomon dixit: *Lignum vitæ est omnibus percipientibus eum* (Prov. iii, 18). Qui ergo beatus est, imitator erit Domini Jesu, qui est lignum vitæ; lignum sapientiæ; plantatum in utero Virginis, voluntate Patris; a quo in perpetuum mansurum plantatur, ut fructum daret in tempore suo. Non enim potuit arescere ista plantatio, quæ habebat ubertatem in se manentem gratiæ spiritalis. Denique plenus Spiritu sancto Jesus regressus est ab Jordane. Hi sunt decursus aquarum de quibus dicitur in Evangelio: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem incipiebant accipere qui credituri erant in eum* (Joan. vii, 38).

56. Est et alia traditio, quia sunt aquæ de quibus prohibet nos bibere Hieremias dicens: *Quid tibi et viæ Aegypti, ut bibas aquam Geon* (Jerem. ii, 18)? C Est et Tigris fluvius Assyrios præterfluens. Est et Euphrates in Babyloniam tendens. Est et Phison; qui Latina interpretatione oris dicitur commutatio; circumiens terram Evilath, ubi est aurum, et aurum terræ illius bonum; et lapis carbunculus, et lapis prasinus. ^d Merito os illic commutatur, ut non teneatur promissorum fides: sed sit in ore dolus, ubi est aurum bonum; avaritia enim fidem frangit, nec tenet verborum simplicitatem. Ornamenta quoque pretiosa mentem animumque commutant; ut aliud in pectore, aliud in sermone sit. In illis ergo regionibus fluminum fuerunt Judæi captivi, abducti in Aegyptum, et ad Assyrios, et ad Babylonios, ubi super flumina Babylonis sedebant, et flebant suæ calamitatis ærumnam; et ut hic ipse Propheta testatur D (*Psal. cxxxvi, 1 et seq.*); illic suspenderunt organa sua, et omnem deposuere lætitiā, ubi graviora tolerarunt. Denique reliquæ decem Tribus ad Assyrios

ductæ sunt; duæ autem Judda et Benjamin tamquam gravioris reæ flagitii in Babyloniam transierunt. Atrocius enim sacerdotis filia adultera quam cæteræ puniuntur; quia sacerdotalis generis gratiam turpi opprobrio decoloravit.

57. Sicut illi ergo in tentationibus gravissimis fuerunt: ita multis tentationibus se Salvator noster objecit; ut nulla tentationis nostræ certamina præteriret. Plantatus ergo recte dicitur secus decursus horum fluminum; non in ipsis decursibus; **756** ut finitimum, non demersum intelligas. Fuit illi congressio prima carnis et sanguinis. Denique ait: *Pater, transfer a me calicem istum: sed non quod ego volo, sed quod tu vis* (Matth. xxvi, 39). Fuit divitiarum objecta tentatio, cum omnia regna terræ ei inimicus offerret, si prociidens Dominus adoraret eum. Habes duorum fluminum decursus Geon et Phison. Fuit illi colluctatio adversus principes mundi: fuit in ipsa passione certamen adversus tentatores, quos ^e Persas Hebræa appellat interpretatio, qui falsa testimonia deferbant. Adversus eos qui dicebant: *Descendat nunc de cruce, et credimus ei* (Marc. xv, 32); quæ diabolus suggerebat. Habes Tigrim et Euphratem flumina.

58. Quadripartitum autem nobis certamen esse etiam Apostolus comprehendit dicens: *Quia non est nobis luctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi hujus rectores tenebrarum; adversus spiritualia nequitiæ, quæ sunt in caelestibus* (Ephes. vi, 12). Hi sunt fluvii qui de paradiso exeunt. Unde puto quod is qui in paradysum gestit redire, hos debeat transire decursus aquarum. Quod non otiose expressit idem ipse sanctus Propheta, ^f demonstrans his qui tentationes omnes subirent, deberi sibi jam paradisi requiem. Itaque sic ait: *Decursus aquarum descenderunt oculi mei* (Psal. cxviii, 156). Sicut enim romphæa est in ingressu paradisi ignea; ut qui redit, per ignem revertatur, urat peccata sua, probet aurum suum: ita qui redit, per hos decursus redit. Meritoque dicunt sancti: *Transivimus per ignem et aquam* (Psal. lxxv, 42). De istis decursibus et Esaias dicit: *Si transeas per aquam, flumina non te concludent* (Esai. xliii, 2). Quæ flumina? Audi dicentem ^g David de his qui festinabant ad paradysum: *Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem* (Psal. cxxiii, 5).

59. Quamvis nonnulli de istis quatuor tentationibus etiam illud accipiunt: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*

^a Codices Vat. et quinque Gallic., *legisse nos in medio de terra esse productum*; alii vero ac edit. consentiunt, excepta Rom. quæ pro voce *productum*, habet, *productorum*.

^b Vox *apostolorum*, expuncta fuerat in edit. Rom., forte quod crediderint Ambrosium locutum more Tertulliani, a quo passim apostoli simpliciter ac sine addito *discentes* nominantur.

^c Cod. duo, *Lignum vitæ in manibus percipientibus eum*.

^d Idem cod., *Merito omnes illic commutantur*.

^e Vocem hanc eodem sensu interpretatur Hieron. in Ezech. xxvii, 10, et Esai. xxi, 2. Persarum autem idcirco hic meminit Ambrosius, ut per Tigrim qui eorum fines alluit, tentatores significari doceat.

^f Omnes edit., *Demonstrans quod qui tentationes omnes subegerit, deberi sibi jam paradisi requiem speret*. His accedunt pauci mss. in quibus tamen verbum *speret*, desideratur: alii majori numero ut in textu.

^g Ita edit. cum tribus mss. Alii vero quinque præferunt, *David, qui festinabat ad paradysum*.

(Psal. xc, 13). Ut ambulaverit in incarnatione, conculcaverit in passione, vel in traditione regni conculcet, quod Patri tradet, cum omnem evacuaverit principatum. Pulchre autem Aquila τὸ μεταπεφυτευμένον dixit, hoc est, transplantatum, eo quod primo sit plantatum in Virgine, postea transplantatum in paradysum; sicut dixit ad latronem: *Amen, amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso* (Luc. xxiii, 43).

40. Hoc lignum igitur fructum dabit in tempore suo. Ligna terrena fructum non dare, sed ferre dicuntur; sed lignum vitæ ac sapientiæ dat fructum, hoc est, largitur et donat. Rursus illud occurrit: Si lignum est sapientiæ, cur in tempore dabit, et non semper? Ne forte grave sit nobis hoc sentire de Christo; sed tu qui legisti quia dispensatorem fidelem et prudentem constituet (Luc. xii, 42) Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram, in tempore utique, non semper, turbari utique non debes. Potest sapientia semper fructum dare; sed quia sapientia **757** est, debet sapienter dare, dispensare ^a prudenter, si quando nos plenam mensuram aut mereamur, aut possimus accipere. Sicut hic extremum tempus fructum, ita et illic dabit fructum bonum in gentibus; ut resurrectionis ejus consortium capere ac servare possimus. Nunc non possumus, odioso sæculo non sustinemus. ^b Hic enim corruptela est, et cavendum fuit ne corrumpemus bonos fructus, quos lignum vitæ daret; quia nunc corrupti, illic autem incorrupti: *quando et mortui, inquit, resurgent incorrupti, et nos commutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem* (I Cor. xv, 52 et 53). Quid ergo proderat morituro accipere, quod ei mors habebat auferre? Novit ergo sapientia quibus quando dare debeat, quæ nec folium amittit ligni sui. Et ideo qui fructus sit sapientiæ, quod folium consideremus.

41. Fructus interior est; folium, quo fructus vel a sole torrenti, vel a frigore defenditur. Fructus videtur esse fides, pax, doctrina, excellentia veræ cognitionis, intentio bona, mysterious ratio. Hos fructus bona vita custodit: mala etiam si perceperit, amittit: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas* (Psal. xlix, 16)? In mysticis fructus est, in moralibus folium ^c contemplatione mysterious coelestium. Nam virtutes sine fide, folia sunt; videntur virere, sed prodesse non possunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem; sed fructum non habent, quia fidem non habent! Labuntur cito folia, ubi ventus flaverit. Et aliqui Judæi

^a Vet. edit. ac Rom. cum mss. Vict. et Colb., *prudenter. Tunc debet dare semper, quando nos plenam mensuram possumus* (Rom. edit., *meremur*, mss., *possumus*) *accipere. Sicut hic. . . dabit fructum bonis indesinentibus.* Nobiscum vero faciunt Paris. edit. atque alii sex mss.

^b Ita Rom. edit. ac mss. Vat. cum quinque Gallic. At. edit. vet. cum aliis, *Hic enim corruptibiles sumus.*

A habent castimoniam, sedulitatem in lectione multam, et diligentiam; sed sine fructu sunt, et versantur ut folia. Hæc forte sunt folia quæ Salvator in illa ficu reperit, sed fructum non invenit (Matth. xxi, 19).

42. Mystica salvant, et a morte liberant: moralia autem ornamenta decoris sunt, non subsidia redemptionis. Præstare autem mystica moralibus etiam ipse Dominus docet in Evangelio suo dicens de Maria, quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, cum Martha circa ministerium festinaret, et quereretur quod soror eam propria circa mensæ ministerium non juvaret: *Martha, Martha, Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur illi* (Luc. x, 41 et 42). Si illa quæ Christo ministrabat ad mensam, non conferebatur ei quæ verbuni cupiebat audire; quem operantem studioso cognitionis æternæ conferre poterimus? Ita tamen, ut nec illius operationi fides, nec hujus cognitioni, sicut Mariæ, desit operatio; ne vel folia sine fructu sint, vel fructus sine munimentis naturalibus sit intectus, et pateat injuriæ.

43. Possumus etiam illud intelligere, quia foliis se texerunt Adam atque Eva, corporea vestimenta quærentes, eo quod resurrectio Dominici corporis prophetaretur; quia nec caro, quæ antea vice foliorum interire consueverat, peritura **758** esset in Christo; justorumque omnium, qui secundum Evangelium ad imitationem ligni sapientiæ nati ex Virgine vitam suam actusque formarent. Nam Græcus ita dixit: ὁ τὸν καρπὸν αὐτοῦ δώσει; quod potest ad beatum referri; μακάριος καρπὸν δώσει, Græce; Latine autem sic dicitur, ut sit: *quia beatus dabit fructum*, in resurrectione scilicet sua, quando potest perpetuum dare. Potest et sic, ὁ τὸν καρπὸν αὐτοῦ ὑπὲρ ξύλον, ut referatur ad lignum, cujus facta omnia prosperabuntur. In quo evidens testificatio, quia de Salvatore dictum est. Cujus enim nisi ipsius facta possunt universa laudari, et prosperos habere exitus? Aquila autem, *dirigentur*, ait: quod et ad quemcumque hominem referendum videtur, quem dirigit Dominus favore cœlesti. A Domino enim diriguntur gressus viri, et orationem suam in conspectu Dei David propheta dirigi postulavit (Psal. cxl, 2). Sed et ipse Dominus direxit opera sua, ut nullo erroris curvarentur anfractu.

D 44. (Vers. 4.) Sequitur: *Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ;* hoc est, non sic ut beatus vir, qui ideo beatus, quia non abiit in consilio impiorum, quia in peccato non stetit, in consilio pestilentium non sedit, volentium vel credentes pie, vel viventes pervertere; qui vo-

^c *Contemplatione mysterious coelestium*: deerant hæc in edit. vet. ac mss. Vict. et Colb., sed in Rom. aliisque codicibus inveniuntur. Id autem illis vocibus significatur, virtutes morales seu activæ vitæ, si cum mysteriis cœlestibus, eorumque fide atque contemplatione conferantur, esse tamquam folium cum fructu comparatum, ut in sequentibus exponit sanctus Doctor.

Iustitiam habuit in Lege, et meditabitur in ea; aut, sicut Aquila posuit, *resonabit in Lege*; ut præcepta Legis resonet vita ejus, mores resultent sicut illorum, quorum in omnem terram exivit sonus. Forte hic sonus doctrinæ hominum exeat; illic autem ubi facie ad faciem dabitur videre, plenior quædam verbi fieri videatur expressio. Non ergo sicut beatus iste qui hæc fecerit, qui erit tamquam lignum plantatum, cujus gesta omnia prosperabuntur, ita erit et impius. Ideo repetivit vel qui scripsit, vel ^a qui postea addidit (ut quidam putant) quo confirmatio fieret repetita sententia dicendo: *Non sic impij, non sic*, qui erunt tamquam pulvis; sunt enim terreni, et sicut pulvis projicitur a facie venti, ita et isti projicientur et dissipabuntur a Spiritu sancto, qui terræ fertili atque fecundæ animæ salutaris sicut ventus auster aspirare consuevit.

45. Huic vento dicitur in Canticis: *Veni, auster (Cant. iv, 16)*, ut clementia aeris mollioris cordis nostri arva laxentur, quæ brumali gelu stricta recipiendis gremium seminibus denegabant. Bonum est nobis ut hic ventus aspiret, qui naves Tharsis ferentes vero Salomoni quæ ad templum ejus necessaria videntur, tutos deducat in portus. Sed tunc iste ventus aspirat, si boreas ille gravis ventus flare desierit. Ideo vel Ecclesia, vel anima pia dicit: *Exsurge, borea, et veni, auster (Ibid.)*; hoc est: Tu, borea, recede, et veni, auster: aspira hortum meum; ut flores non discutias, sed reserves. Anima igitur plena floribus pietatis hortum habet, vel ipsa hortus est, qui fructus ferat: anima quæ impietati patet, pulverem habet, qui est infecundus ad fructum. Fructiferam quidem illam **759** fecit Dominus; sed ipsa sibi collegit impietatis pulverem.

46. Quid te jactas, o plene impietatis? An quia honoribus es potens, et abundas divitiis? Non advertis quia pulvis es, et tu dispergeris et dissipaberis. *Vidi, inquit, impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat (Psal. xxxvi, 35 et 36)*. Quid gloriaris, quia multa te servitia ambiunt, multi amici tegunt latera tua, plurimi te equi sequuntur, quorum nobis enarras prosapiam, et tamquam majorum tuorum genus. Præfers divitias, quia conviviis pascis sodales. Utinam egenos pasceres; utinam non jocorum ministros, sed votorum adjuutores. Jactas quia prodeunti illico ceditur, et homines te tamquam feram declinant aut bestiam. Num hæc esse aliquid putas? Non audis quia ea omnia

A tamquam umbra prætereant? Quid juvant consulares prætextæ, ^b aut nitentes auro triumphales palmatæ? Nudus exhibis: nemo illic consulem recognoscet. Quid prosunt innumeræ possessiones? Publicæ sunt, non tuæ. Hodie tu tenes, cras alius. Cum tu exieris, alius intrat. Vix movisti pedem, alius gressum intulit. Quanti ante te illic fuerunt, quanti post te dominabuntur, et hoc putas esse privatum? Quem umquam a morte divitiæ redemerunt? Immo quem non ad mortem divitiæ coegerunt? Quem ab inferis suæ revocarunt opes? Quem potentia excusavit a poena? Pulvis est impietas, sicut pulvis est impiorum potentia: caliginem infert, dare salutem non potest. Simul ut vehemens flare cœperit spiritus, spargit eam atque dissolvit: aerem turbat, solum nudat; ut pulvis projicitur, deficit ut fumus, liquescit ut cera.

47. Hinc plerique non mediocrem moverunt questionem, utrum perituram naturam videatur asserere Scriptura divina; maxime quia alibi dixit: *Comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, et ut lutum platearum delebo eos (Psal. xvii, 45)*; et alibi: *Ecce confundentur et reverebuntur omnes adversarii; erunt enim tamquam non sint (Esai. xli, 11)*. Primum ergo interrogo, utrum impietatem secundum naturam putent esse, an præter naturam? Si secundum naturam ^c asserant, errare eorum opinionem certum est. Denique dicant, utrum naturæ peccatum conveniat, an non? Sed certum est peccare, deviare esse ab eo quod est secundum naturam. Quid igitur tam ineptum, quam ut dicant minus videri, impium esse, quam peccatorem; cum omnium acerbissimum sit, quidquid in Dei fieri videtur injuriam? ^d Quod si impie agere, non est præter naturam: vivere ergo impie secundum naturam est, nec peccati loco habendum, nec dignum reprehensione existimandum; nemo enim reprehenditur, qui operatur secundum naturam. Unde concluditur, quia impietas præter naturam **760** est. Quomodo igitur cum perditione consuetudinis, ἀπολλυσομένης φύσεως, hoc est, perituras naturas inducit Scriptura, cum impietas non utique naturalis sit, sed præter naturam? Quod enim non habet, non amittit: nec potest ea substantia perire, quæ non fuit. Nam et pulvis commotus, aut in aquæ substantiam transfertur, aut in aerem, aut in ignem, hoc est, in aliam videtur sæpe transire naturam. Non ergo in nihilum deficit, sed in aliud transit.

D 48. Quid obstat igitur quin et ille qui verbi virtute et ratione comminuitur ut pulvis, non in nihilum

^a Negat revera Scholiastes repetitionem hanc reperiri in hexaplo, ut videre est apud Nobilium super hoc loco.

^b Mss. nonnulli, et quædam edit. Paris., *aut nitentes auro triumphales palmæ*. Alii mss. atque edit., *palmatæ*. Melius; nec enim temere inveniatur ab imperatoribus in triumphis palmas, quæ eorum tantum qui vel in olympiacis, vel in gladiatoriiis ludis vicebant. præmia erant, manu gestari solitas: at vero *palmatæ*, id est, togæ palmis acu pictis, sive, ut aliqui volunt, latis clavis distinctæ triumphantium ornamenta erant; quemadmodum *prætextas*, quæ hoc ipso loco nominantur, hoc est, tunicas limbis pur-

pureis decoratas, magistratum ac nobilium puerorum vestes fuisse compertum est. Quod autem pro *aut nitentes auro*, plures mss. habent, *annitentes auro*, hoc ita potest explicari, ac si legeretur, *auro suffultæ ac rigentes*.

^c Cod. Vict. et Colb., *Asserunt quod ea quæ naturaliter subsistant, interire funditus nequeant errare, quorum, etc.* Verum hæc verba potius otiosi cuiuspiam glossa videntur, quam auctoris textus.

^d Mss. aliquot, *Quod si impie agere est præter naturam; vivere ergo secundum naturam nec peccati loco habendum est; nec; etc.*

dissipetur, sed commutetur in melius; ut ex terreno fiat spiritalis homo, et ut lutum platearum sic deleatur, ut tollatur quidquid asperum ac sordidum videtur, remaneat quidquid planum ac mundum est? Et quod ait de adversariis Hierusalem: *Sunt sicut qui non sunt*; utique potuit dicere: Non erunt. Sed cum dixerit: *Confundentur et reverebuntur*; utique intelligis quia erunt per substantiam, et profectum conversionis, sed non erunt quasi adversarii, quod fuerunt. Itaque per improbitatis defectum non erant, erunt fide ac devotione mutati. Denique et alibi ex peccatoris persona dicitur: *Et iram Dei sustinebo, quia peccavi, donec justificet iudicium meum* (Mich. vii, 9). Convertere enim Deus cupiens peccatorem, punit eum et urit, ut purget. Unde ait: *Et educet me in lucem* (Ibid.). Nam et ceram urit ignis, et liquescit, ut purgetur; et nos per ignem probamur; et fumus consumpto omni materiali expurgatur, ^a et neque natura transit. Itaque et anima purgata ab omni labe, in id quod est deficit, non in id quod non est; unde ait Balaam: ^b *Moriatur anima mea ut anima justorum* (Num. xxiii, 10); ut moreretur lapsus ejus, et quidam improbitatis usus; transiret autem in consuetudinem, vitamque justorum; omnia enim Deus salva vult esse. Unde et Salomon ait: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (Sap. i, 13). Fecit animam ut sit: creavit hominem in incorruptionem, quem ad imaginem sui fecit: sed homines a naturæ munere deviantes, obnoxios fecere se morti, ut quasi terreni corrumpantur. Sed Deus per tribulationes ad poenitentiam cogit, ut per poenitentiam uratur et consumatur illud accidens malum improbitatis, et pereat; et locus ille animæ, qui erat accidentis impietatis possessio, pateat ad receptionem virtutis et gratiæ. Certum est autem animæ naturam esse pretiosam, quæ ad similitudinem Dei facta receptionem omnis virtutis admittit; utpote quæ cognitionis supernæ non sit fraudata consortio.

49. Nunc illud superesse arbitramur, quod in multorum ore versatur, qua ratione Deus, cujus sine voluntate nec passer vilissimus cadit, et apud quem capilli capitis numerati sunt, dixerit per Isaiam: *Sic omnes gentes ut stillicidium de urceo, et sicut momentum stateræ æstimatæ sunt, et ut sputum æstimabuntur* (Esai. xl, 15). Ita ergo peribunt omnes gentes sicut stillicidium de urceo, et ut sputum perit, et ad nullos usus proficit. Sed tu qui nosti quia gentes non eo usque pro nihilo habuit Deus noster, ut et Abrahæ dixerit: *Benedicentur in te omnes gentes* (Gen. xii, 3); et per David locutus sit ad Filium dicens: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (Psal. ii, 8);

^a Edit. ant., *neque naturam transit*; Rom. et pauci mss., *et neque in naturam transit*. Alii quinque, *et neque natura transit*. Commodè, hic enim *transit* idem est atque *in nihilum redigitur*.

^b Ita quinque mss.; alii autem tres cum vet. edit., *Moriatur anima mea in anima justorum*. Rom. sola, *in animis justorum*. Suffragantur tamen LXX interp. apud quos: *Ἀποθάνοι ἡ ψυχὴ μου ἐν ψυχαῖς δικαίων...* *inter animas justorum*.

^c Rom. edit. sola, *quæ multæ sunt, nempe Angelo-*

et infra: *Omnes gentes servient ei* (Psal. lxxi, 11); qui legisti, *quia obtulit Deus Filium suum pro omni gente, ut salvos faceret peccatores* (Rom. viii, 32); debes hoc loco vim divinæ sententiæ considerare. Contemplatione etenim creaturarum cœlestium, ^c quæ multæ sunt (sicut cœlum quod multipliciter majus quam terra est, ut a plerisque punctum comparatione cœli terra sit æstimata), Angelorum, Archangelorum, Principatum, Potestatum, Thronorum, Dominationum, millium; et decem millium, et innumerabilium millium; contemplatione ergo horum gentes ut stillicidium de urceo æstimatæ sunt, cujus est omnis plenitudo. Ex illa igitur plenitudine cœlesti tamquam gutta cadens æstimatæ sunt gentes. Quomodo enim poterant maximæ videri, cum ipsa terra in qua sunt gentes, minima mundi portio sit, et omnium quæ operatus est Deus, tamquam stateræ exigua inclinatio gentes sint? Simul cognosce per hanc stateram omnia Deum cum justitia condidisse, et in ipsis gentibus inesse quiddam naturaliter, in quo justitiæ videretur vel exiguum esse momentum, et sputum ipsum tamquam ex universitate totius corporis interiorem existere portionem.

50. Magis ergo hic misericordia prædicatur: quoniam qui venit quærere quod perierat, nec stillicidium illud quasi vile contempsit, et allevavit momentum stateræ; ^d et sputo illi substantiam boni corporis donans, dignatus est omnes gentes in unum corpus Ecclesiæ congregari. Inter gentes autem et Israel annumerari potest nequaquam expers divinæ ejus justitiæ; quia ipse Moyses dixit de Israel: *Ecce populus sapiens, et disciplinæ tenax, gens magna* (Deut. iv, 6). Et ut scias quia supra meritum nostrum Dei bonitas redundavit, Apostolus hunc propheticum locum interpretatus ait: *Concluserunt Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur* (Rom. xi, 32 et seq.); et subjunxit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit: aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Hunc autem locum præmittens Propheta ait: *Sic omnes gentes ut stillicidium de urceo æstimatæ sunt* (Esai. xl, 15), et reliqua, ut cognoscas intellectum istum cum interpretatione Apostolica convenire.

51. (Vers. 5.) Sed quid evidentius eo quod perituras naturas non videatur inducere, cum ipse subjecerit sanctus Propheta: *Quoniam non resurgunt impii in iudicio*. Non enim dixit: *Non resurgunt*; sed ait: *Resurgunt quidem, sed non in iudicio*. Qui au-

rum, Archangelorum, Principatum, Potestatum, Thronorum, Dominationum, millium, et decem millium; et innumerabilium millium, gentes ut stillicidium de urceo æstimatæ sunt. Nam sicut cœlum adeo majus est quam terra, ut a plerisque comparatione cœli terra ut punctum sit æstimata; ita et ejus plenitudo. Ex illa igitur, etc.

^d Mss. aliquot, *et spm cum illi substantiam boni corporis donare dignatus est, id est, omnes gentes in unum corpus Ecclesiæ congregari*; unus, congregavit.

tem resurgit, est utique, et manet; sed quia non credidit in Christum, jam judicatus est; et ideo non venit in iudicium, quem peracti jam **762** manet poena iudicii. Et de resurrectione quidem plurima divinarum Scripturarum sunt testimonia, quæ non prætermisimus in libris ^a consolationis et resurrectionis. De eo autem quod ait: *Non resurgunt impii in iudicio*; secundum Evangelium absoluta sententia est, quia non omnes iudicabuntur. Apostolus autem ait: *Omnes enim oportet nos stare ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (II Cor. v, 10). Hæc putant plerique esse contraria; nec advertunt quia Salvator de perfidis dixit atque impiis, qui non crediderunt in Dominum Jesum. Sic enim ait: *Qui credit in me, non iudicabitur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc autem est iudicium, quia venit lux in hunc mundum, et dilexerunt magis homines tenebras quam lucem; erant enim mala ipsorum opera* (Joan. iii, 18, 19). Liquet igitur de quibus dictum sit, hoc est, de iis qui non crediderunt in Dominum Jesum. Apostolus quoque etsi dixit omnes, de iis utique dixit qui crediderunt, sed actuum suorum rationem in die iudicii reddaturi sunt. Denique ipse alibi ait (Rom. ii, 15), quia testimonium conscientiae nostræ in die iudicii revelabitur, cum invicem cogitationes nostræ aut accusabunt se, ut scriptum est, aut defendent, et patebunt cordis occulta. Quid autem hoc evidentius quod ait alibi: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I Cor. xv, 15)? Immutabuntur enim iusti in incorruptionem, manente corporis veritate. Daniel quoque dicit: *Judicium sedit, et libri aperti sunt* (Dan. vii, 10). Ostendit ergo iudicium futurum, maxime cum alibi idem dicat: *Multi qui sedent in tumulto terræ, exsurgent, isti in vitam æternam, et isti in opprobrium et confusionem æternam; et intelligentes splendebunt sicut splendor cæli, et de iustis multi sicut stellæ lucebunt* (Dan. xii, 2 et 5).

52. Quod istud est iudicium sedentium iudicium, et qui libri aperti, nisi conscientiae nostræ, velut libri peccatorum nostrorum seriem continentes? Quamquam hoc ipsum vile sit aestimare quasi humani simile iudicii. Aliud est Christi iudicium, ubi conscientia ipsa se prodit, quæ latere non potest occultorum arbitrum: ubi cogitationes lucent apud eum, qui

^a Intellige libros *De fratris obitu*, et *De fide Resurrectionis*.

^b Videtur hic non multum recedere sanctus Ambrosius ab opinione Chiliastarum. Nolim autem eam intelligas, qua Damascenus lib. de Hæresibus tradit Origenistas docuisse *Christi regnum tandem aliquando desituro, et simul angelos desituros*; neque etiam Gobari tritheitæ blasphemiam qua asseruit *cum iustis resurrectura quoque omnia animalia, etc.* Sed eam qua dicebantur *iusti primum omnium revicturi, et cum Christo in summa pace ac voluptate regnaturi per mille annos; post quod spatium fieret resurrectio generalis atque universale iudicium*. Quod quidem etsi Ambrosio tribueremus, non esset cur mirari quisquam deberet. Certum enim est in ea opinione non tantum Origenem cuius sententia subinde in scripta sua trans-

A adhuc cogitantibus dicebat: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (Matth. ix, 4)? Cum Judæis diceret, dicebat omnibus; ne quis putaret quod occulta possent esse quæ eum fallerent, ne quis putaret quod parietibus clausis testem occulti erroris effugeret. Ideoque et Evangelista testatur dicens: *Jesus autem sciebat cogitationes eorum* (Luc. vi, 8). Quomodo ergo ait: *Libri aperti sunt*? Non utique atramento scripti, sed vestigiis delictorum, et flagitiorum inquinamento. Aperietur liber conscientiae tuæ, aperietur liber cordis tui, culpa nostra recitabitur. Est ibi liber, ubi est tabula; immo sunt libri inscripti, ubi sunt inscriptæ tabulæ, quas inscribit Spiritu sancto Apostolica doctrina, sicut legimus, dicente Paulo: *Epistola nostra vos estis. . . inscripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II Cor. iii, 2 et 3). Sunt ergo tabulæ cordis inscriptæ **763** Spiritu sancto, istæ recitabuntur. Si bene egeris, manebit Scriptura. Vide ne tollas Spiritus sancti gratiam; vide ne deleas, et scribas atramento flagitia tua, ne veniat dies iudicii, et dicat Iudex: *Recitentur libri, recitentur tabulæ gestorum ejus; et dicat tibi: Ego scripsi tabulas tuas, cur delesti apices meos? Ego scripsi dona mea, quomodo delesti munera mea, et scripsisti opprobria tua? Non legisti quia scribo? Non tibi dixi per es Prophetæ mei: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (Psal. xlv, 2); iudicium autem Verbi est.*

53. *Multi ergo dormientium in tumulto terræ surgent, qui bene egerunt, in resurrectionem vitæ: qui male egerunt, in resurrectionem iudicii* (Joan. v, 28 et 29). Quod Daniel ait: *in vitam æternam*; hoc Salvator: *in resurrectionem vitæ*, dixit. Item quod ait Daniel: *in opprobrium et confusionem*; Salvator dixit: *in resurrectionem iudicii*. Unde non expedit nobis ad iudicium venire, et non expedit non venire; ne aut prædamnati videamur, aut in hac labe vitiorum subeamus tanti pondus iudicii. Propheta rogat ne intret Dominus in iudicium cum servo suo (Psal. cxlii, 2); quanto magis nos iudicium Domini timere debemus? Pone quia misericors Dominus ignoscet: quanta proidentur quæ latere credebam? Qui pudor, quæ confusio erit mihi, cum is qui alios profitebar docere, ipse in eo deprehendar, in quo alios arguebam?

54. Et ideo quoniam et Salvator ^b duo genera resurrectionis posuit, et Joannes in Apocalypsi dixit:

D tulit Sanctus noster; sed etiam complures alios fuisse magni nominis Patres tum Græcos tum Latinos. Horum reverentia eandem sententiam damnare non ausi sunt Hieron. in Jeremiæ xix, 11, et August. lib. xx, cap. 7, qui hoc ipso loco satis declarat nihil in hoc dogmate sibi magis displicere, quam quod istæ spirituales voluptates non admitterentur; sed ab Ambrosio atque aliis quibusdam ipsas admitti potuisse hinc intelligi datur, quod ipse Augustinus ibidem fateatur se illas dum prius cum millenariis sentiret, admisisse. Quod vero non obscure videtur hic et infra num. 56 atque alibi doceri omnes peccatores qui in Christum crediderint, post expurgata per ignem crimina salvandos esse, non modo Origenis aliorumque multorum ejusdem ætatis Patrum ea sententia fuit, verum et ipsiusmet Hieronymi lib. 1

Beatus qui habet partem in prima resurrectione (Apoc. xx, 6); isti enim sine iudicio veniunt ad gratiam: qui autem non veniunt ad primam resurrectionem, sed ad secundam reservantur, isti urentur, donec impleant tempora inter primam et secundam resurrectionem: aut si non impleverint, diutius in supplicio permanebunt. Ideo ergo rogemus ut in prima resurrectione partem habere mereamur. Sunt qui resurrexerunt in passione Christi; et isti plane beati, qui acceperunt Christi gratiam, et audierunt vocem eius, de qua scriptum est: *Venit hora quando audient mortui vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (Joan. v, 25). Et: *Ingressi sunt in sanctam civitatem* (Matth. xxvii, 53). Puto quod magis illam significet supernam, quam istam Hierusalem, quam reliquit, quam incusavit, quod in istam pedibus, in illam autem supernam meritis intraverint.

55. Sed et illud caveamus, ut hic positi surgamus de tumulo terræ. Sunt qui viventes sepulcro sunt circumdati et repleti mortuis, quorum guttur sepulcrum est, non loquentium verba vitæ, sed mortis. Si hic resurrexerimus a mortuis, et illic resurgemus: si hic non fuerimus ossa arida; **764** sed acceperimus rorem Verbi, humorem Spiritus sancti, et illic vivemus; sic hic nos excitaverit Jesus voce sua magna, ut excitavit Lazarum, et per discipulos suos solverit a vinculis mortis, et induxerit in Bethaniam, ubi erat Lazarus, hoc est, in domum obeditionis, et adhibuerit hic convivio suo; et illic cum eodem recumbemus, et illic cum eo semper epulabimur, et illic nobis redolebit unguentum, quod solus proditor

56. (Vers. 5.) Ergo *impii non resurgunt in iudicio*. hoc est, in portionem eorum qui iudicium subituri sunt; *nec peccatores resurgunt in consilio justorum*. Vides quia surgunt impii, et non surgunt in iudicio justorum, quia peccatores etsi non resurgunt in consilio justorum; resurgunt tamen in iudicio. Unde videntur qui bene crediderunt, et fidem suam etiam operibus exsecuti sunt, ipsi non iudicari, sed surgere in consilio justorum: peccatores autem qui non possunt inter justos surgere, surgent in iudicio. Habes duos ordines. Tertius superest impiorum, qui

adversus Pelag. cap. 9 et alibi pluribus locis. Unde colligas errorem hunc illis temporibus necdum ab Ecclesia liquido fuisse reprobatum. Sed cum Ambrosius præfat. in psal. xxxvii, num. 2, absolute dicat: *Nam si hinc peccata gravia portaveris, illic, nempe in futura vita, requiem non habebis*; et alibi non dissimilia tradat: eum hoc loci non tam ex propria,

quoniam non crediderunt, jam iudicati sunt; et ideo non surgunt in iudicio, sed ad pœnam: *dilexerunt enim magis tenebras quam lucem* (Joan. iii, 19); et ideo iudicium eorum pœna est, et forte pœna tenebrarum. Et poterat quidem intelligi quod ii qui mala opera habent, credentes tamen in Christum, volentes quidem recte vivere; sed victi illecebris peccatorum, dilexerunt plus tenebras quam lucem: id est, utrumque dilexerunt, sed magis tenebras. Sed quia de illis præmisit qui non crediderunt, sic accipiendum puto quod dilexerunt tenebras, et non lucem; lux enim Christus est. Qui ergo non crediderunt luci, absurdum est ut lucem vel dilexissent credantur, quam nescierunt. *Nescierunt enim, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, sicut scriptum est (Psal. lxxxii, 5).

57. (Vers. 6.) Sequitur: *Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit*. Adverte sensum: *Non resurgunt impii in iudicio: quoniam novit Dominus viam justorum*. Vias eorum utique novit, quorum dirigit gressus; sunt enim gressus hominum, qui a Domino diriguntur. Diriguntur a Domino et viæ viri. Has novit Dominus vias, quæ sunt rectæ, quæ ad illam vitam tendunt dicentis: *Ego sum via, veritas, et vita* (Joan. xiv, 6). Hæc bona est via: tortuosa autem est via sæculi. Non dignatur illam viam nosse. Illos enim agnoscit, qui sunt ipsius, qui operantur opera ejus: qui autem operantur iniquitatem, his dicit Dominus: *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis, non novi vos* (Luc. xiii, 27). Non per ignorantiam, sed per id quod indigni sint scientia Dei, nesciuntur.

765 58. Pulchre autem ait: *Et iter impiorum peribit*. Separavit Latinus, ut iter diceret, et tamquam discrevit iter a via; Græcus autem in utroque viam dixit. Non otiose tamen Latinus, quia et Dominus: *Ego sum via*, dixit; non dixit: *Ego sum iter*. Perire autem iter impiorum dixit, non impios. Servat eorum substantiam, qui si convertantur, **766** solum iter impietatis amittent, quod nec ab initio fuit, nec erit. Quod accidens igitur est perit: quod substantivum, manet. Pereunt autem ita impii, quomodo dicitur: *Anima quæ peccat, ipsa morietur* (Ezec. xviii, 4): ut^a peccati aculeo, non omni substantiæ suæ dissolutione moriantur.

quam ex memoratorum Patrum mente locutum possumus iudicare. Porro de hac omni Chiliastrarum doctrina qui plenius aliquid desiderabit, adeat Sixtum Senensem Bibliothecæ sanctæ lib. v, annot. 255, et lib. vi, annot. 347, nec non P. D. Huetium Origen. lib. ii, quæst. 9.

^a Mss. nonnulli, *ut peccati vinculo*.

IN PSALMUM XXXV ENARRATIO^a.

765 PRÆFATIO.

1. Dicturus Propheta^b in psalmo sequenti quæ

^a Scrip. post an. 393.

^b Rom. edit. sola, *in psalmo trigesimo quinto*. Minus bene; quandoquidem non hunc, sed trigesimum

esset forma justus, ante formam expressit injustus. Neque enim possumus cognoscere quæ sit forma justus

sexum Ambrosius indicatum voluit: quod utriusque psalmi argumentum consideranti planum erit.

tiae, nisi cognoscamus quae sit iniquitatis effigies; A sunt enim sibi adversae atque contrariae. Namque in altera simplex habitudo naturae, in altera fallax versutia nequitiae: alia virtutum imagines praefert, a alia vitiorum commercia praetendit. Convenire autem hunc ordinem et ipsa ratio docet; et si de contrariis sumenda sunt testimonia, ipsi doctores philosophiae confessi sunt, dum sequuntur. Quis autem dubitet longe anteriorem Davidem Platonis fuisse temporibus, quem non solum b magister ejus; sed nec avi quidem avorum ejus videre potuerunt: cum ille in principio regni fuerit Judaeorum (quod per innumera annorum curricula propagatum est), iste post tempora captivitatis, quibus regnum gentis ejus jam fuerat dissolutum. Ergo ipse qui tenet in omnes saecularis sapientiae principatum, cum diceret non posse formam justitiae comprehendere, nisi ante discutiendam injustitiae seriem putavissent, exemplum attulit quod ii qui velint aurum quaerere, prius se luto obliniant. Aurum itaque justitia, iniquitas lutum est. Quod a nostris quoque prius dictum esse non dubium est, cum scriptum sit: *Ut lutum platearum delebo eos* (Psal. xvii, 45). Et vere lutum; quia eos inquinat qui sibi appropinquaverint. Fugiamus ergo injustitiam, ne luteis sordibus inquinemur, atque in ejus voraginem non pes noster exterior, sed, quod est gravius, mens nostra mergatur. Et philosophia quidem aurum se quaerere dicit; sed lutum versat, quae divinitatem quaerit in statuis; sed vasa figuli virga confringet. Nos aurum quaerimus, quo corpora nostra mundemus, mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes; ut et vita Jesu Christi in corpore nostro manifestetur. Bonum aurum, sanguis est Christi, dives ad pretium, proflus ad lavandum omne peccatum. Ordinem diximus, titulum consideremus.

2. (Vers 1.) c *In finem*, inquit, *servo Domini psalmus David*. In toto psalterii corpore solus hic titulus est, quod psalmum servo Domini se scripsisse testetur. Quis iste est servus Domini, videamus: quid psalmi series significet: cui dictus hic psalmus sit? Audiamus ad quem loquatur: *Domine*, inquit, *in caelo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes. Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa* (Psal. xxxv, 6 et 7). Cui hoc, nisi Filio Dei dicitur? Haec enim non humanae, sed divinae sunt potestatis. D Sed quid sibi vult quod servo Domini dici psalmum hunc 766 titulus declaravit (Psal. lxxxix, 1), cum orationem Moysi hominis Dei maluerit, quam servi Domini in posteriore titulo nuncupare? quod ergo consilium Prophetae fuerit non intelligo, vel potius ipsius domini Salvatoris, qui locutus est in Propheta. Vere judicia ejus sicut abyssus multa, ut servo honorificentiam reservaret, sibi conditionem servitutis ascriberet. Videor mihi intelligere, videor hausisse aliquid de gratia spiritali. Adversus injus-

titiam, ut diximus, psalmus hic scriptus est: et ideo plus gravatur injustitia perfidorum, qui Christum Jesum Dominum recipere noluerunt, cum ille propter ipsos susceperit servitutem. Quid enim tam iniquum, quam ingratos fuisse tantis beneficiis; ut quibus ille salutem daret, hi sanguinem ejus effunderent? Denique alibi cum de sua passione loqueretur, ad acervandam Judaicae impietatis invidiam sic ait: *Ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me...* (Psal. lxxviii, 18). *Pauper et dolens ego sum* (Ibid., 30).

3. Veni, Paule, interpretare nobis, qua ratione Dominus caeli atque terrarum se pauperem dixerit, et quae sit ista paupertas. Tu certe illum divitem dixisti: quomodo idem dives et pauper est? Audiamus testimonium Pauli. *Scitis*, inquit, *gratiam Domini nostri Jesu Christi; quia propter vos pauper factus est, cum dives esset; ut vos ejus inopia ditaremini* (II Cor. viii, 9). Veni et tu, Esaia, interpretare nobis quomodo se dolentem dixerit Christus, qui dolores vulnerum sanare consuevit. Medicus venit, ut curaret aegros: quid ipse habuit quod doleret? Audiamus etiam Esaiæ testimonium. *Pro nobis*, inquit, *dolet: et nos aestimavimus eum esse in doloribus* (Esai. liii, 4). Expressit medici affectum, qui etiamsi ipse nullum vulnus habuit quod doleret, tamen compassus est vulneratis. Hoc igitur in psalmo Dominus exprobrat Judaeis: *Ego propter vos pauper, ego pro vobis dolens, et vos mihi manus impias intulisti dicentes: Tollamus justum, quia inutilis est nobis* (Sap. ii, 12). *Injiciamus lignum in panem ejus* (Jerem. xi, 19). Bene panem dixit pro carne ejus. Ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium. Non mirum ergo si esuriunt, qui sibi vitae aeternae alimoniam denegarunt. Pulchre etiam duo ista junxerunt: *Injiciamus lignum in panem ejus*. Nesciebant quid loquerentur Judaei, et mysterium loquebantur. Paradisum nobis Crux reddidit Christi. Hoc est lignum quod Adae Dominus demonstravit, dicens de ligno vitae, quod esset in medio paradisi, edendum: de ligno autem scientiae boni et mali, non edendum. Erravit Adam, mandata non tenuit, interdictum gustavit. 767 Per lignum coepimus esurire; quia suum caro accepit alimentum. Ideo Dominus in Christo carnem junxit et lignum, ut fames antiqua cessaret, vitae gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit: beata caro Domini, quae victum omnibus ministravit!

4. De paupertate igitur et dolore Domini idonea, ut arbitror, sanctorum protulimus testimonia, quorum alter vidit et dixit, alter est electus ut diceret. Ipsorum igitur qui probati sunt, de servitute Domini testimonia iterum proferamus; immo sua quae de se ipse locutus in utroque est. Audiamus ergo quid dicat: *Sic dicit Dominus, qui finxit me ex utero servum sibi ad congregandum Jacob et Israel ad eum* (Esai.

anni 635. Quod vero ad regni Judaeorum durationem, eam fuisse annorum 484 iidem tradunt.

c Rom. edit. praetermiserat vocem *Psalmus*.

a Mss. aliquot, *vitiorum commenta praetendit*.

b *Magister ejus*, id est, Socrates, ad quem a regno David effluxere, ex quorundam chronologia,

XLIX, 5). Advertimus ergo quod propter congregatio-
nem populi, formam suscepit servitutis. Audis, Ju-
dæe, et de gratia ^a contumeliam refers; et hoc ad
perfidiam derivas, propter quod magis credere de-
buisti. Ad te vocandum venit, et conviciaris. Ex
utero servum se dixit. Audi, Ariane, ex quo utero:
paululum supra recurre; *Ex utero*, inquit, *matris meæ,*
vocavit Dominus nomen meum (Psal. XLIX, 1). Quod
nomen ejus sit, audiamus, quo eum Pater vocavit.
Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et voca-
bitur nomen ejus Emmanuel: quod interpretatur, No-
biscum Deus (Esai. VII, 14; Matth. I, 23). ^b Quod
enim aliud, nisi Filius Dei nomen est Christi? Ac-
cipe aliud. Dixerat quidem et Gabriel ad Joseph de
Maria: *Pariet filium, et vocabit nomen ejus Jesum*
(Ibid., 21). Accipe Dei vocem: *Et tu, Bethleem Ju-*
dæe, non es minima inter principes Juda; ex te enim
exiit Princeps, qui regat populum meum (Mich. V, 2).
Adverte mysterium: ex utero Virginis idem et ser-
vus exiit et dominus; servus ad operandum, domi-
nus ad imperandum; ut regnum Deo in hominum
mentibus radicaret. Utrinque unus, non alter ex Pa-
tre, et alter ex Virgine; sed idem qui ante sæcula
ex Patre, ipse postea carnem suscepit ex Virgine.
Ideo ergo et servus vocatur, et dominus: propter
nos servus; sed unitate divinæ substantiæ Deus ex
Deo, Princeps ex Principe, æqualis ex æquali; ne-
que enim degenerem genuit (Matth. III, 17), in quo
se ipse complacere memoravit.

5. Magnum, inquit, tibi est vocari puerum meum,
ut statuas Tribus Jacob. Servat ubique suæ vocabula
dignitatis. Magnus Deus, et magnus puer: nec in
carne magnitudinis suæ nomen amittit, cujus ma-
gnitudinis nullus est finis. Meritoque securus, cum in
forma Dei esset, ut Apostolus dicit, *non rapinam ar-*
bitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exi-
nanavit, formam servi accipiens, in similitudinem ho-
minum factus, et specie inventus ut homo: humiliavit
semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem
autem crucis (Philip. II, 6 et seq.). Hic est ergo æqua-
lis quasi Dei Filius, hic servi formam in carne susce-
pit, hic mortem gustavit, cujus magnitudo non ha-
bet finem; quia finis Legis est Christus ad justitiam
omni credenti: ut in ipsum omnes credamus, hunc
intimo adoremus affectu. Bona servitus, quæ omnes
liberos fecit: **768** bona servitus, quæ nomen su-
per omne nomen acquisivit: bona humilitas, quæ
fecit, ut in nomine ejus omnes genu figant, cœles-
tium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua
confiteatur quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei
Patris. In hunc ergo finem dirigitur hic psalmus, ut
et nos servi simus ad justitiam, non superbi ad ar-

rogantiam. ^c Servitus enim stipendium libertatis est:
stipendium autem mortis arrogantia est. Sed jam
ipsam psalmi seriem adoriamur.

ENARRATIO.

6. (Vers. 2.) *Dixit injustus, ut delinquat sibi.* Quid
dixerit, non expressit, et ideo sic intelligendum ar-
bitror, quia quidquid dicit injustus, peccatum est.
Omnis enim injustitia, peccatum; quoniam ubi orga-
num vitiosum, quomodo potest cantus non esse vi-
tiosus? Degeneris materiæ decolor partus est. Quid-
quid ergo loquitur injustus, iniquitas est, quæ in
suum refertur auctorem, sicut viperæ partus, qui
primo suam scindit parentem, ut frequens sermo est
(De Tobia, cap. 12, num. 41, et inf. Psal. XXXVII,
num. 8). Sibi ergo delinquit. Nihil hac sententia su-
blimius dictum arbitror. In illis qui sibi sapientiam
sæculi vindicarunt, nihil tale legi, nihil tale cognovi.
Nec mirum, quandoquidem illi humano ingenio lo-
cuti sunt, hoc infudit Spiritus Dei, Spiritus veritatis:
quia injustus sibi delinquat, sibi generet vulnera, se
ipse confodiat. Nam sicut spinæ nascuntur in manu
ebriosi, ut Scriptura asserit (Prov. XXVI, 9): ita et
injusti sermone nascuntur, quæ compungant loquen-
tem. Loquitur injustus, et interior ejus conscientia
vulneratur; quia in omni sermone quem loquitur,
non est fraudis immunis. Cujus enim gravior est
pœna, quam propria, cum pro omni sermone det
pœnas? Serpens aliis infundit venenum, injustus
sibi; in eum enim refunditur quidquid effuderit. In-
justus igitur et aliis inutilis, et sibi noxius: justus
autem vita fructuosa aliis, et sibi dulcis. Dicit enim
Salomon: *Fili, si sapiens eris, tibi sapiens eris, et*
proximis; si autem malus evaseris, solus hauries mala
(Prov. IX, 12).

7. Advertimus ergo quia justitia aliis est potius
nata, quam sibi: commune commodum, non suum
expectat; et alienum bonum pro suo ducit emolu-
mento. Beata et præclara justitia, cujus bonum om-
nibus proficit: ex uno plerumque ad plures proficis-
citur, atque ad omnes pervenit. Justus David, qui
parcebat inimico, et malebat innocentiam suam,
quam vitam tueri; ne malo publico vindicaretur, at-
que appetendi principis in malis quoque causis aliis
exemplum ederet, cum ipse vindictam de insidiatore
sumpsisset. Justus Abel, qui de ovibus suis quas ei
Dominus dederat, primitias Domino putaverit offe-
rendas; et ideo plus placuit Deo, quia moram non
fecit, devotionem probavit. Sed hoc impius ferre non
potuit, justitiæ prævaricator, radix iniquitatis; et
ideo fratrem occidit, quia hostia ejus Deo magis
quam oblatio sua fuerat comprobata. Sed **769** ille

allusionem fieri ad militiam, in qua post certum sti-
pendiorum, id est, annorum numerum missio daba-
tur militibus. Sic ergo interpretamur: Servitatem
sequitur libertas, et mors arrogantiam; quemadmo-
dum post emerita stipendia missio conceditur: vel
brevius, servitus libertati militat, morti arrogantia.
Et hunc sensum satis indicant antecedentia illa:
Bona servitus, etc.

^a Cod. duo, *contumeliam seris.*

^b Rom. edit. sic verba illa contraxerat, *Quod no-*
men quid aliud est nisi Filius Dei?

^c Omnes edit., *Servitutis enim stipendium libertas*
est; omnes mss., Servitus enim stipendium libertatis
est. Iterum edit. Rom. sola, *stipendium autem arro-*
gantiae mors est; aliæ ac mss. ut in textu. Sed ut lo-
cus hic alioquin obscurus intelligatur, advertendum

occisus Deo loquebatur in voce sanguinis sui, hic vivus a facie Domini repellebatur; et cum adhuc a Domino pœnæ cessarent, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser tremens et timens; et cum adhuc percussor deesset, ipsa sese injusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret: non ut vitæ suavitate fruere, sed ne mors auferret ærumnam: ut percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem ut percussor inhiberetur; sed sine ulla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor.

8. Quæ pœna major quam timere quod vitare non possis, nec quod timueris, evadere? Unde præclare David exprimens conventionem gravissimam conscientia peccatricis ait: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et delictum meum contra me est semper* (Psal. l, 4). Offunditur enim nobis ultrix nostri imago peccati; nec quietum reum suum esse permittit, inferens miseram servitutem: atque in sua vincula trahit, ut enodare se non queat; quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, et libertatem innocentia reservare. Itaque dum oramus, peccatum offunditur: ubi somno sensus se corporis relaxaverit, peccatum recurrit. Semper nobis error noster tamquam malus exactor occurrit, vel tamquam improbus fenerator conveniens debitorem. Unde Dominus ait: *Qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. viii, 34). Sed justus novit quemadmodum peccatorum suorum vincula dissolvat, nec expectat accusatorem, sed prævenit ut confitendo suum allevet omne delictum; ne habeat quod adversarius criminetur. Ideoque Scriptura tibi dicit: *Justus in principio sermonis accusator est sui* (Prov. xviii, 17). Vocem enim eripit adversario, et quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ, peccatorum suorum confessione constringit. Dixit Judas Iscariotes ut delinqueret sibi. Quid dixit: *Quem osculatus fuero, ipse est: tenete eum* (Matt. xxvi, 48). Hoc dixit, et se ipse proprio ore egit in mortem. Quantos putamus in ipso fuisse tortores, ut sibi ipse tam gravis pœnæ exactor incumberet, et semetipso laqueo strangularet?

9. *Dixit injustus ut delinquat sibi.* Locutus est justus: *Ecce ego peccator male feci, et grex iste quid fecit* (II Reg. xxiv, 17)? Et remissum est omne peccatum. Dixit ergo justus, et sibi profuit. Dixit Cain: *Numquid ego custos sum fratris mei* (Gen. iv, 9)? et sibi ipse mentitus est. Dixit Ananias omne se venditi sui ruris pretium protulisse, et mentitus est sibi, qui potuit minus offerre sine fraude. Ideoque præclare ait: *Et mentita est iniquitas sibi* (Psal. xxvi, 12). Sibi enim ante mentitur, cum in suum mentitur exitium; sibi delinquit, qui sibi innocentia eripit suavitatem. Quis enim puritate et simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior, quam is quem animus bene sibi consci, et mens innocentis epulatur? At vero iniquitas velut quodam plumbeo talento, ut

A Scriptura testificatur (Zach. v, 7), conscientiam gravat. Meritoque David ait: *Sicut onus grave gravatae sunt super me* (Psal. xxxvii, 5). Et Salomon: *Sicut uva acerba dentibus, et fumus oculis, ita iniquitas omnibus utentibus ea* (Prov. x, 26). Gravis pœna quæ cibum impedit, aspectum obducit; et, quod est amplius, oculis mentis internæ tenebrosam offundit caliginem, ut quod verum est, videre non possit injustus. Ideoque delinquit sibi, qui sibi quæ pretiosa sunt, eripit.

10. *Dixit ergo injustus ut delinquat sibi.* Justus autem loquitur, ut aliis et sibi prosit; ille loquitur ad perniciem; hic loquitur ad salutem. De justis vero et fidelibus dictum est: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. x, 10). Illius lingua vulnerat, lingua autem prudentum sanat. Unde cum expostularet David cum rege Saul, quod oblitus beneficii, salutis ingratus eum persequeretur ad mortem, a quo toties jam videret se esse servatum; et vitam ejus appetere, qui vitam suam pro regis salute periculis obtulisset, ait sibi fructum non perire justitiæ, qui insidiatorem suum in manus suas a Domino sibi traditum non peremisset (I Reg. xxiv, 14). Ab injustis iniquitas prodit, venenum a serpentibus effusum est, venenum et iniquitatis arma perierunt.

11. Ideo scriptum est: *Dixit injustus ut delinquat sibi.* Quid dixit? *Ponam thronum meum super nubes, et ero similis Altissimo* (Esai. xiv, 14). Effectum non habent verba, sed peccatum habent. Inanis quidem pompa jactantiæ; sed superbiæ spiritus criminosis non timet convicio majestatem violare divinam. Etenim si ullus Dei timor ejus inesset affectui, non in conspectu Dei plena doli gerenda sibi ausu temerario credidisset, quasi Deus non possit occulta cognoscere, qui scrutator est interiorum. Spectat omnia Deus; nihil est quod eum prætereat, nemo qui fallat; cui omnia præsentia quæ futura sunt, et manifesta quæ latent. Etenim si sol iste mundanus clausis plerumque domiciliorum habitaculis suum lumen interserit; quanto magis Deus summus, æternus, etiam secreta penetralia mentis humanæ, atque omne Angelorum consilium scientia sua scrutatur, et prævenit? Quid ergo aliud agit injustus, nisi ut iniquitatem sibi quærat et odium?

D 12. Sic enim scriptum est: *Non est timor Dei ante oculos ejus: quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniret iniquitatem suam et odium.* Quid enim inveniret? Omnis enim qui quærit, invenit: ergo si malum quæritur, agitur ut inveniat. Sed quemadmodum laudabilis est ille, qui bonum quod quæsit, invenit, ita invenibilis qui laboravit ut malum quod quæsierat, inveniret; bonis enim rebus, non flagitiis atque criminibus laborem nostrum nos oportet impendere. Quid igitur nisi summæ stultitiæ atque dementiæ est, odium quærere, iniquitatem majoribus artibus invenire, quam bonus nemo quæsit?

^a Nonnulli mss., *confessione confringit.*

^b Rom. edit., *Ecce ego pastor male feci.*

^c Mss. duo, *ergo et malum quæritur, ut inveniat; unus, ergo sic malum, etc.*

13. Quomodo igitur improbi iniquitatem suam et odium quærant, consideremus. Nempe Herodias erat tetrarchæ Philippi legitimo nexa conjugio, regiæ abundans opibus potestatis: ^a quæ Herodem Romam adusque tendentem quasi germanum mariti, hospitii et affinitatis jure suscepit; cum quo depacta suam copulam, non multo post relicto viro, consortii sui jura mutavit. **771** Nonne ea quæsit iniquitatem et odium, quæ conjugium deseruit, ut inveniret adulterium? Et quia sanctus Baptista nuptias illicitas constanter increpuit dicens Herodi: *Non licet tibi eam uxorem habere* (*Marc. vi, 18*), quæ maritum contra Legem reliquit, et fratri mariti quasi ex Lege convenit; commota est adultera, ut eum vellet occidere. Sed cognito quod Herodem ad necem justum non facile posset inflectere, excogitavit qua via istud **B** efficeret. ^b Natalis erat Herodis, quem luxu nimio, ut plerisque regibus mos est, celebrare consueverat. Adornavit filiam, ut in convivio regis pignus regale saltaret. Et cum placuisset Herodi, quod displicere debuit patruo, obtulit ei, ut quod vellet præmium pro saltationis opprobrio postularet. Matrem illa consuluit, cujus impulsu caput Baptistæ poposcit. Victus Herodes, quia sacramento se constrinxerat daturum quidquid neptis propria petisset, jussit occidi Joannem, et caput ejus afferri. Quod allatum puellæ dedit, et illa matri suæ pertulit. Verum est ergo quod iniquitas et odium requirantur: quandoquidem ea mulier, quod facili petitione impetrare non poterat, pravis artibus excogitata fraudis elicuit.

14. Quid de Juda proditore loquar [qui quæsit **C** avaritiam, et invenit sacrilegium, dicens: *Quid mihi dabitis, et ego eum vobis tradam* (*Matt. xxvi, 15*)? Nec expletus pauperum spoliis, ad plenitudinem criminum gravissimorum crimina serendo pervenit, pia miscens charitatis sacramenta flagitiis, cum diceret: *Quem osculatus fuero, ipse est: tenete eum* (*Ibid., 48*); ut vere de eo dictum dubitari non queat: *Verba oris ejus iniquitas et dolus*. Oscula labiis ferebat, offundebat venena pectoribus; meditabatur acerba supplicia, gratiæ pignus afferebat.

15. Bene de eo propheta addi fecit: *Noluit intelligere ut bene ageret*; non enim per naturam deliquit, sed per voluntatem. Denique Apostolus erat, audiebat quotidie divina mandata, discebat cœleste mysterium; potuit intelligere ut bene ageret, si **D** voluisset. Videbat sanari paralyticos, cæcis refundi

^a Sic mss. Viet. et Coib. a quibus Reg. atque edit hoc tantum discrepant, quod infra legit ille, *cum quo peccata sua copulans*: hæc autem, *cum quo despecta suam copulam*. Alii denique locum præferunt in hæc verba, *quæ Herode Romam adusque tendente quasi germano mariti, hospitii et affinitatis jure suscepto, cum quo de pacata, sua copula tractans non multo post, etc.*

^b Natalem diem quotannis summa hilaritate celebrare olim apud multos populos in more fuit; sed illum præcipue proceres ac reges per epulas et convivium splendida agitabant. Illiusce vetustatem consuetudinis declaravit Moyses, Gen. cap. iv, vers. 20, ubi natalitium epulum a Pharaone exhibitum memoravit. Quod tamen convivium, non secus ac Herodianum Hugo Grot. ad utrumque locum mavult

lumen, mortuos resuscitari; num debuit intelligere quod Deus esset, qui talia posset operari? Sed intelligere noluit, quia avarus homo et pecuniæ intentus a cognitione divinitatis vigorem suæ mentis avertit. Unusquisque enim qui se flagitiis ingurgitaverit, non vult intelligere quæ cœlestium mandatorum sunt, ne revocetur a vitiis. Vide illum fugientem intelligere, qui ait: *Tenebræ operiunt me, et circumdant parietes: quis scit an videat Dominus* (*Eccles. xxiii, 26*)? Non vult enim quærere et invenire, quod Deus omnia videat atque cognoscat; ne metu retrahatur a crimine. Vide regem Achab petentem a Nabuthe vineam ejus; cognosce respondentem illum: *Absit ut cedam hæreditatem patrum meorum* (*III Reg. xxi, 3*). Non debuit intelligere quod justa referebat? *Sed noluit intelligere ut bene ageret*, et aliena non **772** quæreret. Non debuit intelligere quod vero Elias Deo serviebat, cum videret in verbo Eliæ clausum cœlum tribus annis et tribus mensibus; et ad preces ejus pluvias esse demissas, ut arida omnia rigarentur? Sed noluit intelligere, ne perfidiam condemnaret, sequeretur fidem.

16. (Vers. 5.) Quinetiam *Iniquitatem meditatus est in cubili suo*, ubi verum quærere debuisset. In cubilibus enim compungere nos debent nostra peccata, non in ipsis delinquendo committi, dicente Propheta: *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal. iv, 5*).

17. *Astitit, inquit, omni viæ non bonæ: malitiam autem odio non habuit*. Non enim immerito injusta meditatur, qui in via erroris assistit, et malitiam diligit, quam odisse deberet. Plus dixit, *astitit*; quasi jamdudum in via nequitiae, diuturna statione, permaneat. Ille enim beatus (*Psal. i, 1*), qui in via peccatorum non stetit, non is qui in ea stare non desinat. Et ideo prima præcepta sunt sancti prophetae David, impietatem fugere, in peccato non stare, in Lege meditari; ut intelligas quæ bona sunt, et justa atque injusta secernas. In omnibus igitur radix est spectanda gignendi, ne eam inutilis ab exordio succus inficiat, gravioraque multo sunt, animorum vitia, quam virgultorum. Cavendum ergo præ cæteris, ne humano ingenio malitiæ usus inolescat, atque omnis ætas secutura degeneret; arbor enim mala fructus malos facit. Nam si plerumque quod nolumus hoc agimus, et vitare non possumus; et quod odio habemus, hoc facimus, vin-

die auspiciati regni, quam initæ vitæ celebratum. In conviviiis autem solitos adhiberi saltantium choros res est communior, quam ut debeat adnotari; sed illud non ita obvium quod Ambrosius memorat adornatam fuisse Herodiadis filiam, *ut pignus regale saltaret*. Nam etsi, teste Luciano *De Saltatione*, non fuerit *ἐναγώνιος ἢ ὄρχηστος*, tamen hic videtur significari præmium proponi solitum puellis saltantibus in conviviiis, licet forte non semper determinatum; ut quæ illud esset promerita, majus vel minus acciperet, quo majus vel minus placuisset. Est autem idem *saltare pignus regale*, ac saltare saltationem pignoris regalis, quemadmodum apud Horatium *saltare cyclopā*, non aliud est quam saltare saltationem Cyclopi:

ti quadam aut delectatione flagitii, aut obreptione A peccati: quomodo possumus vitare quod amamus? Astringimur et inviti quomodo possumus voluntarii non teneri? Vix se exsolvit Paulus erroribus quotidiana decertatione luctando, ut vinculis captivitatis exutus, per Christi gratiam servaretur; et tu putas quod assistendo delictis possis ad cœlestium re-promissionum merita pervenire? Luctando corona quaeritur, non reluctando; studio, non refragio comparatur. Certantibus quoque divinæ misericordiæ suffragia postulanda sunt, ut corona justitiæ pro laborum meritis deferatur.

18. (Vers. 6, 7.) Denique quid sequatur consideremus. *Domine, inquit, in cœlo misericordia tua; et veritas tua usque ad nubes. Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua sicut abyssus multa.* Nonne hunc B locum secutus est Paulus ut diceret: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. VII, 24 et 25).* Ubi enim mens humana turbatur, et certaminum dura atque aspera nos fatigant, Domini auxilium postulandum est. Ideoque conversus ad Dominum, ipsum invocatur et implorat, ut laborantibus adjutor assistat. Misericordia ergo petenda de cœlo est, et veritas Dei ex prophetarum oraculis colligenda, qui quasi nubes mysteria^a divinæ cognitionis obtexunt. Posuit enim tenebras **773** Deus latibulum suum; ut primo pluviam mysticæ fertilitatis accipias, et tunc infusus rore cœlesti fulgorem reseratæ lucis agnoscas, ut possis dicere: *Ex plenitudine ejus accepimus (Joan. I, 16).* Quis enim potest secreta Dei C facile comprehendere, cujus *justitia sicut montes Dei, vel (sicut Aquila posuit) ut montes validi*; eo quod validæ virtutis plena præcepta sint. Unde et Apostolus videns esse sublimia quæ audivit, dicit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit (Rom. XI, 23 et 24)?* Altitudinem itaque divitiarum sapientiæ retulit; ad altitudinem montium. Audi quorum montium. Ipse enim Dei Filius mons magnus est (*Esai. XL, 9*); et ideo ascende in hunc montem qui evangelizas Sion, ut stes radicans et plantatus in Christo. Est mons quasi sapientia Dei, est mons quasi justitia, est mons quasi scientia Dei, est mons quasi sanctificatio, est mons D quasi redemptio, est mons quasi resurrectio. Demonstravit nobis hos montes Scriptura, quæ dixit: *In ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est sapientia nobis a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio (I Cor. I, 30).* Vel quia angelis angelus factus est Dei Filius, prophetis propheta; cujus judicia sicut abyssus multa. Audi bona: *Abyssus abyssum invocatur in voce cataractarum tuarum (Psal. XLI, 8)*; id est, scriptura veteris Testamenti, novi advocat seriem Testamenti ad consummationem sanc-

tificationis et plenitudinem gratiæ, sonitu quodam atque profluvio redundantis spiritualis.

19. (Vers. 8, 9.) *Homines et jumenta salvos facies, Domine; sicut multiplicasti misericordiam tuam, Deus. Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quid est, homines et jumenta? Rationabiles utique, et irrationabiles. Rationabilibus judicia, irrationabilibus misericordia. Alii reguntur, alii nutriuntur. Ideoque addidit: *Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt*; id est, non generatio viperarum, sed filii hominum, qui ad imaginem et similitudinem Dei vivunt; non in pascuis, sed in conviviis collocantur: alii enim in loco pascuorum, alii in privilegio sacramentorum. Imperfectis succus lactis, perfectis mensa refecionis, de qua dixit: *Parasti in conspectu meo mensam (Psal. XXII, 5)*; in qua panis vivus, id est, Verbum Dei; in qua oleum sanctificationis, quo impinguatur caput justus, et sensus firmatur interior, ut aboleatur oleum peccatoris; in qua etiam poculum inebrians, quam præclarum, vel, quam validum (*Ibid.*)! *κράτιστον* enim dixit Græcus vel potens, vel forte, vel validum; validum enim, quo abluuntur flagitia vel delentur. Bona ergo ebrietas poculi salutaris. Sed est alia ebrietas de redundantia Scripturarum. Est et alia ebrietas per infusionem Spiritus sancti. Denique illi qui diversis linguis in apostolorum Actibus loquebantur (*Act. II, 15*), musto pleni audientibus videbantur. Domus ergo Ecclesia est; ubertas domus, redundantia gratiarum; torrens voluptatis, Spiritus sanctus.

774 20. Nec te nomen aut mos torrentis offendat, quod aliquando aridior aut exilior sit, ut ejus soleant fluentia cessare. Cessavit et hic noster, cessavit aliquando torrens profluvii spiritualis in populo Judæorum. Quid dicam, torrens cessavit; cum mare cessaverit, sicut lectio hodierna nos docuit, dicente Domino: *Ecce ego increpatione mea desolabo mare, et ponam flumina deserta, et arefient pisces eorum (Esai. L, 2)*, utique Judæorum suæ ariditate perfidie, ut enatare non possint? Cessavit ergo torrens propter Synagogæ sacrilegia; quia erat illa plebs fide arida, sterilis operibus, captiva peccatis. Quid enim flueret non bibentibus, sed contaminantibus D sacros meatus, cum ipsum^b fontem necarint? Bonus torrens, qui illis cessavit, ut nobis abundaret, et sitim humanæ cupiditatis averteret, sicut torrens in austro. Unde et Scriptura dicit: *Surge, aquilo, et veni, auster (Cant. IV, 16)*, qui arbusculas paradisi perflare consuevit.

21. Diximus sensum, etiam elucutionem consideremus, cur *torrentem voluptatis*, dixerit *potabis eos*, et non *torrente*, quasi de torrente; nisi quia aviditatem bibentium voluit exprimere, quasi torrentem ipsum vellent ebibere, si possent? Hic est forsitan

^a Mss. aliquot, *divinæ cogitationis obtexunt.*

^b Ita edit. et mss. aliquot. Alii autem plures, *fontem negarint.* Et infra ubi edit. vet. in margine,

Rom. in corpore ac pauci mss., *et sitim humanæ cupiditatis*; alii majori numero, *et sitim humanæ captivitatis.*

torrens voluptatis quem in Genesi legimus (Gen. ii, 10), fontem qui abluit paradisum; et dividitur in quatuor flumina, quæ circumcunt totam terram. Ex hoc enim fonte virtutes profluunt spirituales; prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Bonus fons gratiæ et splendoris ejusdem atque naturæ, cuius et illud flumen de quo in posterioribus dicitur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (Psal. xlv, 5).

22. (Vers. 10, 11.) Aptissime itaque substituit: *Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te; et justitiam tuam iis qui recto sunt corde.* Et enim post commemorationem cœlestium beneficiorum, jure gratiæ referuntur auctori Domino nostro Jesu Christo, qui fons vitæ irriguus æternæ descendit in terras, ut ariditatem nostri pectoris irrigaret. Idem est splendor gloriæ Dei Patris, et imago substantiæ ejus; et ideo in lumine ejus vero, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videbimus, inquit, Patrem; quia Deus lux est. Recte etiam dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen*; secundum illud: *Qui me videt, videt et Patrem meum* (Joan. xiv, 9). Apud te ergo, Fons vitæ, præsentem videbimus Patrem. Sicut enim tu apud Patrem eras in principio Deus Verbum: ita apud te semper est Pater, qui in te est. Est enim apud ipsum, in quo est. ^a Prophetatur autem adventus Domini Salvatoris, qui venturus in terram diceret: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30); id est, unum sumus lumen, sicut unum nomen. Per luminis et nominis unitatem ambo unum sumus; immo Trinitas unum ^c in unitate substantiæ, sed distinctione uniuscujusque personæ. Trinitas distinctionem significat personarum, unitas potestatem. Potest et ad Patrem dici: *Quoniam apud te est fons vitæ*, id est, in te ex quo vita processit, erat Verbum, et semper erat, quia apud te erat. Omnia per ipsum et in ipso facta sunt; et ipse est **775** vita universorum, et ipse te nobis manifestavit, ut corda hominum ad cognitionem tuæ majestatis illuminentur.

23. *Prætende ergo misericordiam tuam scientibus te.* Prærogativa prætenditur, ut mereantur misericordiam quibus cognitionis tuæ meritum suffragatur. Denique in posterioribus etiam vilioribus personis studium scientiæ agnoscimus suffragatum, dicente Domino: *Memor ero Rahab et Babylonis scientibus me* (Psal. lxxxvi, 4); id est, meretricis illius Rahab, et confusionis illius memor ero apud scientes me, vel inter ipsos; quia meretrix illa me agnovit, ^b quem populus non agnovit. Inter illos ergo qui me sciverunt, commemorabitur Rahab, ut dignum fidei præmium adipiscatur. Unde et in Evangelio dictum advertimus: *Meretrices et publicani præcedent vos in regno cœlorum* (Matth. xxi, 31). Sed quia invalidi sumus ad exsequendum, licet devoti ad credendum:

^a Ms. Thuan., *Propheta autem adventum Domini Salvatoris in spiritu prævidens, cui nisi ei qui venturus erat in terra, diceret apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Unde et Salvator in Evangelio*

^a tu, prætende misericordiam tuam in te credentibus, quo devotioni et fidei facta quoque nostra convenient; nec studium mentis nostræ destituat corporis hujus infirmitas, sed in ipsis tentationibus et infirmitatibus gloriemur, in quibus gloriabatur Apostolus dicens: *Libentissime itaque magis gloriabor in infirmitatibus meis, ut prætendat in me virtus Christi* (I Cor. xii, 9).

24. (Vers. 12, 13.) Pulcherrime itaque addidit: *Non veniat mihi pes superbiæ; et manus peccatorum non moveant me. Ibi ceciderunt operantes iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Superius quidam accipiunt torrentem voluptatis tuæ in tentationibus fortitudinem; sicut est martyrum, in quibus placuit Deo exhibere sibi suavis, et grati certaminis voluptatem. Etenim si hyemes pro tentationibus accipiuntur: unde et orandum Dominus admonet, ne fiat fuga nostra hyeme aut sabbato, hoc est vel in tentatione, vel otio (Matth. xxiv, 20); hyemem autem crescit torrens, et adimpletur; atque intumescit: torrens utique pro graviore tentatione potest accipi, quæ est in persecutionibus. Et ideo bene torrens voluptatis dicitur, quia ubi superabundavit peccatum persecutionis, superabundavit et gratia confessionis.

25. Vide virtutem Prophetiæ distinctionis. Primo injustum exposuit, qui vel in corde suo, vel in sermone dicit, ut sibi delinquat, vel in se delinquat; habet enim Græcus codex, ἐν ἑαυτῷ, id est, in se ipso, sed non omnes. Et forte ideo, quia *insipiens in corde suo dixit quia non est Deus* (Psal. xiii, 1). Ne forte et injustus intra se dicat, et intra se delinquat, licet Deum palam negare dementis sit; injustitiam autem plerique pro laude profitentur. Rapere enim, nocere etiam iis qui non læserint, et circumvenire plerique sibi existimant gloriosi. Ergo primo injusti vitam exposuit, postea sacramentum divinæ cognitionis adjunxit; ut timentes Deum, iniquitatem et injustitiam declinemus. Precem addidit, ut ab injustorum consortio justos suos liberare dignetur; ut in iis quoque qui mundo sunt corde, justitia divinâ prætendat, quasi speculatrix pia; ne nobis peccatorum velut hostium incursus obrepit, et capiat dormientes. Ideo vigilandum est, semper castra **776** Domini munienda sunt; quia nocte advenit inimicus et adversarius, quando somno sensus tenetur, cibo corpus distenditur. Orandum ut justitia Dei prætendat in nobis, quæ in infirmitate positos faciat fortiores, ut possit unusquisque nostrum dicere: *Cum infirmior, tunc potens sum* (II Cor. xii, 10).

26. Deinde etiam specialiter pro se orat; ut nos doceat, quemadmodum orare debeamus ad Dominum: *Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ*, id est non in superbiam incidam. Denique et alibi meminit sui dicens: *Si non ambulavi in magnis* (Psal. dicit: Ego, etc.

^b Mss. Reg., Remig., Long., Valc. et Thuan., *quem populus non cognovit, ut electus. Inter illos, etc.*

cxxx, 1). Hic oravit, ibi implevit: non implesset, nisi orasset. Cavenda superbia, quæ etiam in prosperis supplantat. Denique gravius Adam in paradiso cecidit, quam si cecidisset in terra. De altissimis cadere; præcipitium est: in planis lapsus vocatur. Ideo pes errat superbi, quia caput non tenet; oculi enim sapientis in capite ejus. Non mirum ergo si errat vestigiū, ubi oculus non habetur: Præcedat oculus, ut pes sequatur. ^a Quomodo enim in tenebris viator incederet? Cito pes offendit in nocte, si quasi quidam mandi oculus viam luna non moliret. Et tu in nocte es sæculi, monstret tibi Ecclesia viam; ex alto te justitiæ sol illuminet, ut lapsū timere non possis.

27. Et quia pedem dixerat superbiæ, addidit: *Et manus peccatorum non moveant me.* Etenim sicut sancti membra sunt Christi, ita impii membra sunt diaboli. *Manus peccatorum non moveant me*, id est, actus eorum qui peccant, non me de justitiæ statione dimoveant. Plerumque enim dum videmus peccatores prosperis abundare successibus, nutamus affectu, et quasi quadam peccatorum manu de radice virtutis avellimur: Cavendum ergo ne quos in domo Dei manus divina plantavit, manus adversa supplantet. Pulchre tamen hoc dicit, qui a persecutoribus verberatur. Qui autem moventur de radice sua, qua jam Christo inhæserant, cadunt.

28. Unde addidit: *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Quid est, *ibi*? Utrum ubi est superbia, ubi est manus peccatorum? An ubi stabant, ubi erant ante plantati; ibi ceciderunt? An in vicino, an in continenti, quasi in ipso tempore, in ipso loco? Et videtur ambiguum. Sed alibi docemur qui sit *ibi*, ubi dicitur: *Ibi dolores sicut parturientis* (Psal. XLVII, 8). ^b Bonus dolor ei cui partus est fidei, quo

^a Cod. Reg., *Quomodo ergo in tenebris viator incedens*; Remig., Long., Valc. et Thuan., *Quomodo ergo si in tenebris viator incedat.* Non male; tamen edit. atque alii mss. melius.

^b Cod. Thuan., *Bonus dolor; et bona via partus*; cui accedunt alii quatuor, in quibus tamen vox *bona* desideratur.

^c Thuan. cod., *Quamquam breviter aut in exitu; et*

Christus in Ecclesia formatur; et nascitur. Et alibi dicit: *Memor ero Rahab; et Babylonis scientibus me.* Etenim alienigenæ; et Tyrus et populus Æthiopum, hi fuerunt ibi (Psal. LXXXVI, 4); id est, ubi scientes me, ubi fundamenta in motus sanctis, ibi et alienigenæ; quia et ipsi in me putaverunt esse credendum. Ibi ergo ceciderunt, ubi magis stare debuerunt; quia et in paradiso cecidit Adam; et Christus in ruinam venit; et in resurrectionem, ut ruina sit perfidorum: justorum autem et fidelium resurrectio.

29. Denique *expulsi sunt*; quia iniusti viri in loco sancto stare non poterant. Unde et Apostolus dixit: *Et tu qui stas, vide ne cadas* (I Cor. x, 12): Et utique ei dixit qui non corpore, sed fide stabat. Possumus **777** et in futurum intelligere; *ibi*, ut est: *erit fletus; et stridor dentium* (Matth. xiii, 14); et: *Nudus ibi pergam* (Job. i, 21). ^c Quam brevis in exitu et quanta conclusio! Non sim; inquit; superbus; ut peccem; non peccem; ne movear; ne cadam; non cadam; ne expellar, sicut Adam de paradiso expulsus est; quia ^d in ipso primum pes superbiæ stare non potuit. Nescit stare superbia; et si ceciderit, non novit resurgere. Et ideo pulchre iste et in superioribus locutus est de superbis: *Hi in curribus; et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur* (Psal. xix, 8); hoc enim stabile, illud infidum. Et subiecit: *Ipsi obligati sunt et ceciderunt; nos vero surreximus; et erecti sumus* (Ibid. 9). Et in libro Michææ prophætæ scriptum est: ^e *Noli superbe gaudere mihi; inimica mea; quia cecidi; sed resurgam* (Mich. vii, 8). Cecidimus enim in hoc mundo; sed in Christo resurreximus: cui est honor, gloria; virtus, perpetuitas et a sæculis, et nunc et semper; et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

tamquam in conclusione. Alii quatuor; . . . tanquam conclusio.

^d Ita mss. et edit. Era., Gill. et Rom. excepta voce, *primum*; quam hæc non agnoscunt. Paris. autem nonnullæ legunt, *in ipso primum princeps superbiæ stare non potuit.*

^e Vel. edit., *Noli super me gaudere, etc.*; Rom., *Noli super gaudere mihi, etc.*; LXX interpret., *Μη ἐπιχαίρει μοι, etc.*; mss. tamen ut in textu.

IN PSALMUM XXXVI ENARRATIO.

777 PRÆFATIO.

1. Omnis Scriptura divina, vel naturalis, vel mystica, vel moralis est. Naturalis in ^a Genesi; in qua exprimitur quomodo facta sunt cælum, maria, terræ, et quemadmodum mundus iste sit constitutus. Mystica in Levitico, in quo comprehenditur sacerdotale mysterium. Moralis in Deuteronomio, ^b in quo secundum Legis præceptum vita humana formatur. Unde et Salomonis tres libri ex plurimis videntur

^a Ms. Reg., *In Genesi de factura creaturarum, in qua, etc.* Quatuor alii: *In Genesi de formatione creaturæ, in qua, etc.* Sed quod neque in aliis neque in

D electi: Ecclesiastes de naturalibus, Cantica Cantico-rum de mysticis; Proverbia de moralibus.

2. Sed quia omnium psalmodum corpus unum est, idcirco nihil in his divisum est atque distinctum; sed prout se obtulit ratio, nulla intermissa doctrinæ istiusmodi disciplina est. Namque et naturalem evidentissime comprehendit, dicendo de Angelis atque Virtutibus, et sole, et luna, et stellis, et lumine cœli cœlorum, et aqua quæ super cœlos est: *Quia ipse* edit. reperitur, glossæ redoleat.

^b Cod. Vict. et Colb., *in quo secundum Legem præceptum vitæ humanæ formatur.*

dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in sæculum sæculi, præceptum posuit, et non præteribit (Psal. xxxii, 9, et cXLVIII, 6). Et de mysticis locutus est, cum de occultis, et sacræ unctionis unguento, et de consummatione scripserit Tabernaculi (Psal. LXXXVIII, 21, et XLV, 5). Quorum multiplex gratia; quoniam multifariam et multis modis locutus est Dominus in Prophetis. Nam et venturum præfatus est Dei Filium Principem sacerdotum, et passurum esse pro nobis, et sanguine suo mundaturum nostra peccata tituli *Pro torcularibus* (Psal. viii et aliis) declararunt; et resurrecturum psalmus resurrectionis (Psal. LXY,) expressit, et alius postea titulus indicavit, in quo terra ejus est restituta (Psal. xcvi),^a commutationem quoque universorum futuram fidei sacramentis. Et de moralibus plura contexit, diversaque virtutum genera demonstravit, et dedit præcepta vivendi, quibus ulcera nostrorum sanavit errorum, moresque renovavit humanos, atque intimos mutavit affectus; sicut docet psalmus trigesimus tertius, quem etiam Petrus sanctus in epistola sua tamquam medicamentum nostris pectoribus affixit (I Pet. iii, 11); atque iste qui nobis hodierna lectione propositus est. Nam isti præ cæteris ethici reperiuntur: sed iste diffusior, qui trigesimus sextus **778** inscribitur. Nam, etsi ille prædulcis^b et lucidus est, iste tamen dulcior; quoniam ille me docuit cohibere linguam a malo, iste desinere ab ira, indignationem relinquere. Ille præcepit sine dolo loqui, iste instituit esse mansuetum, qui præmia mansuetudinis demonstravit. Quæ majora fomenta sunt cordis humani, quam mansuetudo atque simplicitas: quibus et dolor omnis acceptæ levatur injuriæ, et labes criminis omnis excluditur?

3. Ad hæc igitur manum medicamenta mittamus, ut vulnera nostra curemus; ne si velimus dicere quod alios curare possimus, dicatur nobis: *Medice, cura te ipsum* (Luc. iv, 25). Ergo quod etiam non medicis, sed vulgo quoque solet esse commune; ut medicinam pauci profiteantur, plurimi tamen remedia ejus aliqua scire se dicant: vel quod medicorum pueri faciunt nos quoque alieno medicamento remedium indigentibus proferamus. Dives magistrum adhibeat, pauper ministrum. Qui perfecti altitudinem capit,umat ex ipso: qui planiora desiderat, in valle pascatur, ut parvulus. Qui fluvium metuit, de rivulo^c bibit: et qui profundum pavet, ad littus enatet. Pulchre autem sanctus David in superiore psalmo (Psal. xxxv) injusti vitam describit, hic justus; ibi injustus exponitur, hic justus instituitur;

^a Mss. proxime laudati, commutationem quoque universorum futura fidei sacramenta.

^b Ibidem mss., et lucidus est, iste tamen multo magis, quoniam, etc.

^c Mss. quinque, bibit, et qui profundum putavit ad littora natal.

^d Rom. edit. sola., Noli subæmulari inter malignantes. Primum discamus quid sit subæmulari? Hanc quidem lectionem videntur ea quæ sequuntur, postulare; sed nos ex fide verba mss. et vet. edit. repræsentamus. Cui vero placuerit varias hujus versiculi

A ille sibi delinquit, hic tollit etiam aliena peccata. Et ideo quod primum medicamentum sit justitiæ consideremus.

ENARRATIO.

4. (Vers. 1)^d Noli, inquit, malignari inter malignantes: neque æmulatus fueris facientes iniquitatem. Primum discamus quid sit æmulari; licet minor vis sermonis hujus sit in Latino, quam in Græco. Nam et in bono æmulationem legimus, et in malo. Denique Apostolus dicit: *Bonum est æmulari in bono semper*. (Galat. iv, 18). Et supra ipse dixit: *Æmulantur vos non bene; sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini* (Ibid., 17). Et iterum ipse ait: *Æmulamini meliora charismata* (I Cor. xii, 31). Et ad Romanos habes. *Dico ergo numquid sic offenderunt, ut caderent? Absit; sed illorum **779** delictum salus est gentibus, ut illos æmulentur* (Rom. xi, 11). Et infra: *Vobis enim dico gentibus: quamdiu ego sum gentium Apostolus, ministerium meum illustrabo, si quo modo æmuler carnem meam, et salvos faciam aliquos ex ipsis* (Ibid., 13); hoc est, afficiam carnem meam. Denique παραζηλώσω Græcus habet. Nam et hic: μή παραζήλου ἐν πονηρευομένοις habet; μήδε ζήλου τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν; hoc est, noli malignos in æmulationem excitare; quoniam illi non de bono, sed de malo certant.

5. Quid est, in æmulationem excitare? Exemplo si possumus aperiamus. Intemperantes mulieres quædam sunt, quæ aliorum conjugum corda sollicitant: quos cum consuetudini suæ probroque subderint, non contentæ erroris sui habere secretum, student coram jugalibus eorum suum jactare flagitium; ut eas in zelum sui excitent et inflamment, triumphum quemdam de dolore probarum mentium et commotione captantes. Quæ æmulatione feminea thori proprii contumeliam non ferentes, solvunt complaciti vincla conjugii,^e aut quotidiana rixa decertant; fitque ex æmulatione discordia, ex dissensione dissidium, quo domus tota turbetur. Exemplo igitur protervæ mulieris cognosce qui legis, partes esse nequissimæ detestabilisque versutiæ, improba æmulatione alterius animam commovere: aliudque esse zelum, aliud parazelum. Hæc est enim pravæ æmulatio, quæ honorum subintrat affectum: qua etiam Judæus erravit^f qui a vero et bono Evangelicæ disciplinæ itinere, devia Legis æmulatione deflexit, sicut de se Apostolus ait (Philip. iii, 6), quod secundum æmulationem Legis persequeretur Ecclesiam Christi.

6. Ergo quamvis Deus noster ingratis Judæorum offenderetur frequenter affectibus et querelis; tamen assumptum semel et electum sibi populum minime lectiones cognoscere, adeat Nobilium, apud quem etiam cum aliorum Patrum, tum ipsiusmet Ambrosii expositiones reperiet.

^e Sic edit. vet. ac Rom. Mss. autem Vict. et Colb. cum vet. edit. in margine, aut quotidiana vita decertant. Alii plures, aut quotidianæ vitæ decernunt.

^f Edit. ant. et Rom. cum mss. Vat. Colb. et Vict., qui a vero bono Evangelicæ disciplinæ, devia Legis æmulatione deflexit. Paris. quædam cum Reg., . . . disciplinæ devius, Legis, etc. Omnium, uti putamus, optime quatuor alii quos secuti sumus.

relinquebat; sed Synagoga tantum meretrix procax A irritare eum cœpit in æmulationis amaritudinem, prævaricationis se miscendo sacrilegiis. Denique dixit ad sacerdotem Aaron: *Fac nobis deos quos adoremus (Exod. xxxii, 1)*; et vituli caput adorare cœperunt. Unde per canticum magnum Moysi Dominus in ore ipsius resultavit dicens: *Ipsi excitaverunt me in æmulationem in non Deo, irritaverunt me in simulacris suis; ego autem excitabo eos in æmulationem in non gente, in natione insipiente irritabo eos (Deut. xxxii, 21)*. En quomodo Dominus condemnavit Synagogæ meretricios mores, quo ipsorum in eos versutiam retorqueret; et suo afficerentur ingenio, qui Dominum Deum suum a quo assumpti fuerant, gravibus sacrilegiis refutarunt, deos sibi quos colerent eligentes: assumens e contrario sibi Ecclesiam de profanis, quam B prælatam sibi sine Lege, sine gratia Judæorum populus ingemisceret; atque eo amplius in æmulationem illorum excitaretur affectus, quo viliorum facta esset electio. Nam ante quo afficeretur ille populus non habebat; cum solum se a Domino consideraret electum. Ubi vero ^a advertit adscitam ex nationibus convenam plebem quæ **780** sibi legem Domini, prophetarum oracula, Testamentum novum Domini vindicaret, tunc demum excruciaci nimio cœpit affectu, posteaquam se repudiatum esse cognovit. Denique si videat gentilium cæremonias, non movetur: si audiat profectum Ecclesiæ, cruciatur miseraque torquetur invidia. Completur ergo in Judæa: *Et ego in æmulationem eos excitabo in non gente.*

7. Accedit ad cruciatus gravioris ærumnam, quod C ex gentibus peccatores sibi videntur esse prælati, qui ne gentis quidem, alicujusve nationis nomen attollant. Nam omnis congregatio cujusque regionis nomen sibi vindicare consuevit, ut Ægyptii, Æthiopes, Syri, Judæi, Arabes, provinciæ suæ terrarumque suarum vocabulum præferunt: nos de diversis populis congregati, vocabulum nobis unius gentis non possumus usurpare; et ideo quia nomen non habebamus in terris, de cœlo accepimus, ut Christi populus diceremur. Sed hoc gentilis stultitiam putat, Judæus opprobrium. Verum est ergo quod scriptum est, quia ultus est Deus propriam contumeliam, Ecclesiam sibi ex non gente quærendo; et eam ex gente insipiente, vetusto illi atque regali populo præferendo. Quæ sit gens insipiens quæ prælata sit, audi D dicentem: *Quoniam stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes (I Cor. i, 27)*. Et iterum: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens (I Cor. iii, 18)*. Reddidit ergo, non intulit Dominus æmulationis communionem; ut esset non in forma imitationis, sed in poena iniquitatis.

^a Cod. nonnulli, *advertit ad scientiam Dei convenientem plebem.*

^b Edit. Rom., *invenitur, incentori æmulationis, etc.* Aliæ, *invenitur incentoria æmulationis.* Mss. omnes, . . . *quod incentoria, etc.* Et certe particula, *quod*, videtur omnino necessaria constructioni. Vocem autem, *incentoria*, fuisse tunc temporis pro causa quæ ad aliquid incenderet, usurpatam existimamus.

8. Denique Latinus interpres volens distinctionem facere inter æmulationem virtutis, et æmulationem offensionis, ait: *Numquid æmulamur Domino (I Cor. x, 20)*? Hoc est, numquid Domino offensionem æmulationis inferimus, ut de iis edamus, quæ immolata simulacris sunt; sicut Judæi, cum sacrificando simulacris exasperaverunt? Quod si inter homines excitandæ æmulationis offendit intentio, et frequenter persona exasperati superior invenitur, ^b quod incentoria æmulationis fraudi esse consuevit; cujus stultitiæ est majestatem irritare divinam, et offendiculo æmulationis incessere, ubi nulla ultionis est difficultas?

9. Non debemus igitur malignis æmulandi adversum nos aculeos ministrare, qui etiam non lacessiti, invidiæ stimulis excitantur, ut noceant; sicut Cain fratrem occidit, quia magis illius sacrificium acceptum esset, quam quod ipse putaverat offerendum. In quo non æmulatus Abel: sed invidus Cain prælationis gratiam scelesto parricidio persecutus est. Non enim ille fratris voluit obumbrare sacrificium, sed servare sacrificii disciplinam; ut primitias nulla desidia moraretur, nec aliqua in usus proprios derivata usurpatione violaret. Saul quoque triumphatorem Palæstinorum David prophetam, et propriæ conservatorem salutis, juvenularum sibi sermone prælatum tentavit insidiis, teli jaculo paravit occidere; ac pene sanguinem generi fuderat innocentis, **781** nisi vulnus ille ^c sinuati corporis inflexione elusisset. Quæ ibi malitia, si juvenulæ dixerunt: *Saul in millibus, David in decem millibus (I Reg. xviii, 7)*? Quam atrox autem invidia regis Saul, qui sermonis errorem in innocentis exitium derivavit!

10. *Neque æmulatus, inquit, fueris facientes iniquitatem.* Non repetivit quod dixerat, sed mutavit: aliud est enim subæmulari, aliud æmulari: subæmulatio astutiam habet, æmulatio simplicitatem. Sed tamen etiam ipsa cauta debet esse simplicitas et provida, ut noverit quid cavendum sit. Neque enim otiose dictum est: *Estote astuti sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (Matth. x, 16)*. Spiritalis ergo debet esse astutia, quæ servet salutem, dolum nesciat. Spiritalis debet esse simplicitas. Videtur autem etiam alio loco distinctionem subæmulationis Scriptura fecisse, cum dicit: *Et auferetur zelus Ephrem, et inimici Judæ peribunt. Non erit æmulus Ephrem Judæ, et Judas non vexabit Ephrem (Esai. xi, 15)*. Alibi autem habes: *Sic et vos, quoniam æmulatores estis spiritualium ad ædificationem Ecclesiæ, quærite ut abundetis (I Cor. xiv, 12)*. Æmulatores pro bonis, et bonæ rei imitatoribus posuit, æmulum pro obliquo et invidio.

^c Edit. quædam Paris., *nisi vulnus illi æmulati corporis.* Reg. ac Thuan., . . . *simulati corporis, etc.* Forte quod crediderint sanctum Doctorem alludere ad lineam illam effigiem quam pro Davide Michol supposuisse memoratur. Sed præstare Gill. et aliorum mss. lectionem palam faciunt verba, tum quæ præcedunt, tum quæ sequuntur.

11. (Vers. 2). Primum est ergo, ne malignos ad æmulationis malignitatem lacessas; secundum, ut non æmuleris iniquitatem facientes. Plerumque enim videntes pii fraude aliquos et astutia quæsisse divitias, et pervenisse ad honores, æmulatione deformi, vias eorum sequi gestiunt; ut ad divitias et honores simili arte perveniant, vel in contrahendo conjugio circumscribant adolescentulas. Quid enim prodest, cum ipsæ divitiæ et omnis gloria sæcularis tamquam fenum cito arescat, et tamquam olera herbarum in ipsa specie sui floris intercidant? Omnis caro fenum, et omnis gloria hominis ut flos feni. Noli ergo magnopere affectare quod perpetuum esse non possit, noli esse æmulus et obliquus; noli esse contentiosus et decertator in zelo. Unde et Aquila dixit: *Noli concertare in malignantibus*. Symmachus: *Noli contendere*. Noli etiam esse imitator iniquitatis et fraudis; sed esto apostolicæ doctrinæ, propheticæ gratiæ; sanctorumque virtutis imitator; ut fructum feras, et messem bonitatis recondas, sicut Joseph, qui multitudine frumenti famem diuturnæ sterilitatis exclusit: ut Habacuc, qui prandium messoribus deferendo, elevatus ab angelo aërii tramitis iter carpsit, et redditus terris, inter sævos leonum strepitus pio prophetæ dulce convivium ministravit.

12. (Vers. 5.) Recte ergo dicit Propheta: *Spera in Domino, et fac bonitatem; et inhabitata terram, et pascaris in divitiis ejus*. Quæ est terra quam suadet inhabitandam, nisi anima tua, quam bene debes excolere, frequenter spiritalibus inarare vomeribus, ne longo inhorrescat situ? Bonus enim agricola quotidiana operatione et pervigili sollicitudine exercet agrum suum, et propria rura custodit; ne devastet ea aper de sylva, et fructus maturos raptor eripiat. Ara ergo terram tuam, ut cum **782** venerit, qui seminat verbum, animam tuam inveniat præparatam; ne supra inculta cordis tui decidat semen, et veniant aves cœli, et diripiant quod fuerit seminatum. Quæ sit ergo terra, audi dicentem: *Ecce exiit qui seminat, seminare agrum suum: et dum seminat, aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud supra terram bonam....* (Luc. viii, 5 et seq.). *Quod autem supra terram bonam, ii sunt qui in corde bono audientes verbum retinent, et fructum afferunt per patientiam* (Ibid., 15). Mundum sit ergo cor tuum, munda sit anima tua, ut fructum bonitatis possis afferre, hoc est, gratiæ spiritalis. Bonitas enim fructus est Spiritus sancti; sicut scriptum est: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, modestia, continentia* (Galat. v, 22). Hi sunt fructus, quorum divitiis pascimur, et ubertate satiamur. In hac terra vitem illam fructiferam justus Noe plantavit, et de fructu ejus bibit, atque intimo corde solutus est; quando eum laudabili pietatis amictu induit virtutum suarum geminata posteritas. Alio quoque

^a Omnes edit. cum mss. nonnullis, *Sed cordis tui? Petitiones.... communes sunt*. Aliorum quinque mss. lectionem eo prætulimus, quia sensui et contextui accommodatior visa est; nec non ad Origenis, quem

A loco nobis istas Propheta sanctus divitias demonstravit, quibus erat dives in Christo, et omnibus quæ ad vitam æternam conducerent, abundabat. Et re vera quis ditior, quam qui dives in Domino est; ut possit dicere: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, quasi in omnibus divitiis* (Psal. cxviii, 14)? Quid enim poterat deesse viro, qui cœlestibus ditabatur oraculis? Et ideo suadet hoc psalmo, ut thesaurum illum nobis quæramus æternum, et delectationem ejus acquisitione capiamus.

13. (Vers. 4.) Ideoque ait: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*. Quare non dixit tuas; ^a sed cordis tui petitiones? Etenim petitiones exterioris hominis interiorisque communes non sunt, nec omnes probantur a Christo; quia lex carnis legi mentis frequenter repugnat. Quæ autem interioris sunt hominis, qui renovatus est Spiritu, illas petitiones Dominus petitori donat effectu. Unde et alibi ait: *Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, et omnes petitiones tuas confirmet* (Psal. xix, 5). *Secundum cor* ait, non secundum appetentiam carnis; et illas petitiones, inquit, quæ prodeunt ex intimo corde, confirmet, non quæ ex carnis hujus illecebra et voluptatibus diriguntur.

14. (Vers. 5, 6.) *Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem*. Hoc solo versiculo qualis esse debeas, declaravit. Quis enim revelat viam suam, nisi qui Deo occultorum suorum arbitro internam sui pectoris confitetur? Bene ait, *revela*, hoc est, aperi conscientiam tuam, ne eam sæculi istius gravet umbra vel carnis. Prorumpentia enim semina si fuerint obumbrata, tenuantur; soli objecta pinguescunt. Quid de seminibus loquor? Ipsas arbusculas, quominus sese in altum subjiciant, umbra silvestris internecat, et prohibet brachia ramosa diffundere. Pulchre autem dixit: *Revela ad Dominum viam tuam*, quia naturam hominum prona peccato velut quoddam menti nostræ velamen obducit; **783** ne nostra Domino peccata fateamur, qui potest vulnera nostra sanare: ut erubescat quis ore proprio postulare medicinam, ne coram hominibus sua prodantur opprobria. Præmit igitur se intra hominem conscientia, cum latere non possit; et tamdiu differt, quoad vulnus efferveat, ut jam non fidei salubritate, sed immedicabili atrocitate ulceris detegatur. *Revela*, inquit, *ad Dominum viam tuam*; hoc est, aperi viam tuam, noli abscondere, sicut abscondebatur Cain, qui latere cupiebat; omnis enim qui male agit, odit lucem. Revelabat David viam suam, qui ait: *Dico ego opera mea Regi* (Psal. xlv, 2). Aperi sensum tuum; ut nihil sit quod timeas reprehendi. Revelavit et Paulus, qui præsumpsit dicere: *Nihil mihi conscius sum* (1 Cor. iv, 4). Is actus, ea vita sit, ut via tua coram Patre tuo luceat, qui in cœlis est.

in psalmos Ambrosius plurimum imitatur, interpretationem magis accedit. Ipsum consule, Hom. 1 in hunc Psalmum.

15. Sed quia obnoxia fragilitati omnis humana conditio est, et non nostræ est potestatis iter nostrum ex voluntate dirigere; ideo tibi dicit: Spera in Domino, et ipse faciet; hoc est, ut aperiatur viam tuam, nec talem te esse permittat, ut fugias lucem, dum times prodi, et diligas tenebras, ut possis tua occultare flagitia, dicens: *Tenebræ operiunt me, quis scit si videt Altissimus (Eccli. xxiii, 6)?* Quomodo enim potest qui adulterium molitur, non noctem suis accommodari quærere tentamenti? qui falsum cogitat testem suæ fraudi adhibere, qui corruptelam iudicis captat, ut opprimat innocentem, iniquitatis non explorare secretum? ^a Latro in solitudine subsidet, noctis tenebras opperitur, ut sceleri cedat effectus. Iniquitas ergo tenebræ sunt: Deus lux est. Et si tu velis tuam occultare justitiam, Deus eam educet in lucem; nec patitur latere iudicium quo ea quæ bona sunt elegisti, quæ improba refutasti. Nec solum facit tuum lucere iudicium; sed lucere sicut meridiem. Quando se sol iste in splendorem totus effundit, meridies est. Meridies erat quando Joseph cum fratribus epulabatur, non ultus injuriam, sed oblitus.

16. (Vers. 7.) *Subditus esto Domino, et obsecra eum.* Non solum ut subjectus sis Deo, moneris; sed etiam ut obsecres Dominum, quo possis tuæ studium subjectionis implere, ^b sicut et supra ait: *Revela Domino viam tuam, et spera in eum.* Non solum revelare viam tuam te convenit; sed etiam sperare in Dominum. Bona autem subjectio, non abjecta, non vilis, sed gloriosa atque sublimis; ille enim Deo est subditus, qui facit Domini voluntatem. Denique quis ignorat quod sapientia mentis præstantior, quam carnis sapientia sit? Sapientia autem mentis subjecta est Dei legi; sapientia carnis non est subdita. Et addidit Apostolus: *Nec enim potest (Rom. viii, 7).* Esto ergo subditus, hoc est, proximus Christo, ut Legem impleas. Denique Christus faciendo voluntatem Patris, Legem implevit. Et ideo finis est Legis, et plenitudo est charitatis; quia diligens Patrem, affectum omnem ejus adhibuit voluntati. Unde pro gloria Apostolus dixit: *Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc et ipse subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia; ut 784 sit Deus omnia in omnibus (1 Cor. xv, 18).* Et ipse de se ait: *Nonne Deo subdita est anima mea; ab ipso enim salutare meum (Psal. lxi, 2)?* Denique pro pietate erat, non pro infirmitate, ^D Joseph et Mariæ parentibus subditus. Gloria autem Christi maxima, ut se universorum hominum pectoribus infundat, et omnes revocet ab impietate perfidiæ, et gentilitatis affectu, ut sibi faciat esse subjectos. Cum autem sibi subjecerit omnia, cum intraverit plenitudo gentium, et salvus factus fuerit omnis

A Israel, et toto orbe unum fuerit corpus in Christo; tunc erit et ipse subjectus, munus suum Deo Patri offerens, et quasi Princeps omnium sacerdotum, et coelestibus ^c corpus altaribus, ut sit sacrificium fides omnium. Pietatis ergo est ista subiectio, quod erit subjectus in corpore Dominus Jesus, cujus nos sumus corpus et membra. Esto ergo homo subjectus Christo, hoc est, subditus sapientiæ Dei; subditus verbo, subditus justitiæ, subditus virtuti; quia hæc omnia Christus est. Omnis homo Deo se subjiciat; non enim unum, sed omnes docet ut subjiciant cor suum, subjiciant animam suam, subjiciant carnem suam, quo sit Deus omnia in omnibus. Subjectus ergo est qui plenus est gratiæ, et suscipit jugum Christi, et mandata Domini strenue et incunctanter exsequitur; sine subiectione autem, qui se frustra extollit, sensu propriæ carnis inflatus, insolens devotionis et piæ declinans observantiam servitutis, quam ipso jure naturæ Auctori debemus æterno. Postremo qui sine peccato est, subjectus est Christo, quoniam redemptus a Domino est; qui autem in peccato est, non potest dici liber, sed servus, quem gravia tenent vincula peccati.

17. (Vers. 7.) Sequitur: *Ne æmulatus fueris eum, qui prospere dirigitur in via sua, faciens iniquitatem.* Evidenter hic quid superius senserit, intimavit: non excitandos malignos æmulatione ad malignitatem, neque imitandos facientes iniquitatem. Non enim iniquitas, sed prosperæ res quæ proveniunt iniqua gerentibus nos sæpe sollicitant, ut eos putemus imitandos, quo ad eorum possimus pervenire successus dicentes: *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas; et fui flagellatus tota die (Psal. lxxii, 12 et seq.).* Si igitur flagellatus est David, cavere debemus ne et nos flagellemur; et dicatur nobis quia divitiæ, honores, potentiæ, generationi huic videantur esse disposita, quasi vaga et incerta pecuniæ opera, iniquitatisque compendia, non quasi præmia ulla virtutis; ideoque velut somnium veniant, et cum somnio te resurgente deficient. Ipsos athletas cum vicerint, certum est coronari, non antequam vincant. Nobis lucta cum sæculo est. Vince ante sæculum, ut coronam petas. Nemo ante coronatur, nisi certamen impleverit. Qui stadium currunt, numquid ante bravium accipiunt, quam stadium percurreverint? Quanti priores in exitu cadunt, et cursus sui celeritate fraudantur? Numquid tu Deo, quam Paulus acceptior? Ille vas electionis, ille gentium Doctor **785** numquam sibi in hoc sæculo coronam ausus est postulare. Denique audi dicentem: *Certamen bonum certavi,*

^a Edit. Rom. in corp. et vet. in marg. cum cod. scriptis aliquot, *Latro solitudines obsidet*; eadem vet. edit. in corp. et mss. Colb. ac Vict. ut nos in textu. Rursus edit. vet. in corpore ac Rom. cum mss. Thuan. ac Vat., *noctis tenebris operitur*. Vet. in marg. ac mss. Reg., Colb. et Vict., *noctis tenebras opperitur*.

^b Mss. Vat. et quinque Gallic. ita præferunt; alii autem et edit. omnes, *Sicut et supra non solum revelare, etc.*

^c Omnes edit. ac mss. aliquot, *compos altaribus*; alii plures, *corpus altaribus*. Commode; nihil enim aliud hic declaratur, nisi Christum et sacerdotis et hostiæ vicem functurum.

cursum consummavi, fidem servavi. Quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die (II Tim. iv, 7 et 8). Paulus ille raptus in tertium cœlum, qui audivit arcana quæ non licet homini loqui: utrum in corpore esset raptus, an sine corpore, nescit, sicut ipse testatus est (II Cor. xii, 2). Paulus ergo dicit, in illa die coronam sibi esse reddendam; tu hic tibi ut reddatur insistis? Imple ergo certaminis tui tempus. Non semel athleta luctatur, nec semel præliatur miles, ut stipendia sua possit implere; et tibi non cum una passione luctamen est.

18. (Vers. 8). Superiores si evaseris passiones, ira succedit; et ideo tibi dicit Scriptura: *Desine ab ira, et relinque indignationem.* Sunt multa vitia quæ obrepunt insipientibus. Ira gravis passio est: plerumque accendit invitum; et volentem mitius vindicare, in furorem rapit, ut perimat quem putaverit coercendum. Commotus, gladio sæpe transverberat innocentem. Amicos et fratres per indignationem plurimi peremerunt. Ideo Sapiens dicit: *Ira perdit etiam sapientes (Prov. xv, 1).* Salomonis dictum est, quia non solum quoscumque de medio homines, sed etiam ipsos perdat ira sapientes. Et David sapientem monet dicens: *Desine ab ira; ne cum accenderis eam, illa non desinat priusquam te ejus flamma consumat. Relinque, inquit, indignationem;* hoc est, natura te rapit, movet affectus, culpa te alicujus excitat vel offensa, ut indigneris; sed non usque quaque, ut modum nescias: relinque eam, finem impone, ne te in peccatum trahat. Hoc est, quod supra dixit: *Irascimini, et nolite peccare (Psal. iv, 5).* Non enim hortatur ut irascaris, sed ad tempus cedit affectui; dat tamen medicamentum, ne diutius vis ulceris serpat. *Irascimini,* quod ait, tuæ est passionis. Medicus enim non statim adhibet medicamenta languori; si dolor fervet, fomenta adhibet, ut mitescat dolor; si febris exæstuat, remedii tempus exspectat, ipsum potum sitientibus negare consuevit. Non dicit: Noli febrere, cum vapor fervet ægroti; sed dicit: Exspecta, desinat febris, digeratur commotio. Sic et Propheta non potuit dicere homini, cujus caro ut variis morborum, ita commotionum passionibus excitatur: Non irascere; sed dicit: *Desine ab ira, et indignationem relinque, ne pecces; ira enim gravis est magistra peccati.* Alius quoque medicus dicit: *Sol non occidat super iracundiam vestram (Ephes. iv, 26);* ne dum diu differens, veniat ille qui calefactum corporis somno excitare consuevit, et stimulet te, inserat tibi cogitationes, et in secreta se tui pectoris immergat dicens: *Vindica injuriam tuam, virum te esse cognosce: femineæ infirmitatis est, non capere vindictam. Ergo contemnere te debuit servus, frater decipere, ami-*

^a Sic mss. Vat. et Gallie. fere omnes; aliqui tamen, atque edit., ut alius irrogare ei non auderet injuriam.

^b Mss. partim cum edit., novi principii nova est æquitas; partim ut nos in textu, nisi quod solus Thuan. habet conjunctionem et. Iterum mss. Vict.,

A cus illudere; et tu adhuc tuam non ulcisceris contumeliam? Proscribas necesse est, gladio oportet insurgas, et dolorem tuum adversarii morte solvas. Vir fuit ille qui suum occidit inimicum, merito prædicatur; quia ita se vindicavit, ^a ut alius ignorans audiret, eique irrogare non auderet injuriam. His stimulis plus accenditur, plus movetur; ut compleatur quod scriptum est: *Ira perdit etiam sapientes.*

19. (Vers. 9.) Ergo tu ne audias eum; ne æmuleris ut nequiter facias. Quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur. Exterminantur qui radices non habent, sicut olera vel fenum. Olera infirmus manducet: tu autem vitem insere in agro tuo, vineam institue. Et si venerit Achab, qui tibi dicat: *Da mihi vineam tuam, ut olera mihi seram (III Reg. xxi, 2);* noli ei acquiescere, ne ex consensu tuo caduca serat, abscindat æterna. Ideo Nabuthe inter sanctos habetur, quia majorum suorum hæreditatem, ne regi quidem putavit esse cedendam; et lapidari maluit, ut vineam suam non daret in direptionem. Hæreditas majorum, fides vera est. Exstiterunt Ariani regali subnixi potentia, qui templum Domini putarent sibi esse tradendum, supplicia acerba minitantes; sed absit, ut apud mentem Domino servientem præponderaret magis poenæ formido, quam forma pietatis. Non prævaluit perfidia, quia fides restitit. Est etiam quædam vinea in pectoribus fidelium, de qua dicit Esaias: *Vinea facta est dilecto in cornu uberi (Esai. v, 1).* Hanc vineam Dominus plantavit in cordibus nostris; et ideo legimus dicentem Deum: *Ego te plantavi vitem fructiferam, totam veram (Jerem. ii, 21).* Nemo ergo de agro animæ nostræ hanc auferat vitem; quia benedicta est ea vitis. Ideoque dictum est de sanctis: *A fructu frumenti, vini, et olei, multiplicati sunt (Psal. iv, 8).* Bonum est ergo habere intra te torcularia vino redundantia; ut fluat tibi vinum in vas tuum de vinea Sorech, poculum illud inebrians quam præclarum! Sorech enim vinea ^b novi principii est, et novæ æquitatis. Unde et dicitur nobis: *Cantate Domino vestro canticum novum, principium ejus, magnificate nomen ejus ab extremo terræ (Esai. xlii, 10).* Hæc ergo vinea uvas faciat, non iniquitatem. Ideo relicta est vinea Judæorum; quia iniquitatem fecit, ut scriptum est (Esai. v, 7), et non iudicium. Nos ergo fructum feramus in Christo, ut perpetui esse mereamur.

20. *Sustinentes enim Dominum possidebunt terram:* illam utique viventium terram. Est quædam terra cœlestis, quæ fructum cœlestibus ferat, de qua ait: *Credo videre bona Domini in terra viventium (Psal. xxvi, 13).* Hæc terra multo hominum sudore ventri ministrat alimenta; illa terra bona Domini sine ullo labore fructificat, in qua justorum diuturna possessio,

Colb. cum iisdem edit. canticum novum, magnificate nomen, etc. Vat. autem ac plures Gallie. canticum novum, principium ejus, magnificate nomen, etc., in quo consentiunt cum LXX, ubi legas: ὑμνήσατε τῷ κυρίῳ ὑμνον καινόν, ἢ ἀρχὴ αὐτοῦ, δοξάσατε, etc.

et piæ mentis hæreditas est. Et bene ait: *Sustinentes autem Dominum hæreditate possidebunt terram.* Hæc est enim terra quæ non præterit; nam cælum et terra præteribunt, verba autem Domini non præteribunt. Et ideo nec illa intelligibilis terra poterit præterire paradisi, in qua sunt qui Domini verba conservant. In hac terra collocatus est Adam, ut fructum æternæ caperet vitæ; sed quia verba Domini^a servare non voluit, ideo in possessione quam acceperat, **787** manere non meruit. Qui autem verba Domini custodit, confidenter dicit: *Expectans expectavi Dominum, et respexit me* (Psal. xxxix, 2). Adam autem quoniam non expectavit Dominum (quomodo enim expectavit qui refugit et offerre se timuit), ideo nec Dominus eum videre dignatus est; oculi enim Domini super justos. Hunc autem eousque videre nolebat, ut quæreret dicens: *Adam, ubi es* (Gen. iii, 9)? Qui quæritur, pro absente habetur. Fides est quæ nos repræsentat Deo, perfidia quæ facit impios exulare. Nullus itaque absens est Deo, nisi qui se absentem fecerit. Et ideo dicit: *Fiat tibi secundum fidem tuam* (Matth. ix, 29); qui enim ignorat, ignorabitur. Ergo Adam quasi peccator locum suum servare non potuit. De paradiso ejectus, ^b in castellum est relegatus, ut ageret pœnitentiam. Accepit dilationem, ne continuo penitus interiret; ut salva fieret Eva per generationem filiorum, fidem sancti Abel, prophetarum gratiam, Ecclesiæ posteritatem.

21. (Vers. 10.) Sed quia per hæc redimi noluerit, et in peccato perseverandum ducit, de eo dicit Propheta: *Et adhuc pusillum, et non erit peccator; et quæres locum ejus, et non invenies.* Quomodo enim esse poterit in futurum, cum peccati locus diuturnus esse non possit? Hæc est enim terra quæ aperuit os suum, ut sanguinem susciperet innocentis. Et ideo in hac terra locus est peccatorum. Præterit terra, quomodo peccatoris locus poterit inveniri? Ego arbitror quod ideo firmamentum inter aquam et aquam (Gen. i, 6) Deus esse præceperit, ut a virtutibus peccata discerneret; et superior aqua quæ laudat Dominum, quieta maneret erroris, inferior peccato esset obnoxia. Denique illa Deum videt, hæc non videt: quæ super cælos est, videt; quæ in abysso, non videt. Unde etiam dictum est: *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt: turbatae sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum* (Psal. lxxvi, 17). Merito turbantur abyssi super quas tenebræ sunt deformes, et ideo pacem habere non possunt. Unde rogavit legio dæmoniorum ut in abyssum mitteretur, et secum magno tumultu præcipitavit in fluctus (Matth.

^a Vet. edit. in marg. et mss. septem Gallicani, *servare non potuit.* Verum si lectionem hanc probaveris, accipe *non potuit*, lato modo; uti solemus dicere aliquem id non potuisse, quod re vera non fecerit, sive alioquin habuerit, sive non habuerit, ejusdem rei faciendæ, ut cum Philosophis loquamur, possibilitatem.

^b Ita edit. et sex mss. qui tamen legunt, *relegatus*, quæ vox fere semper invenitur in mss. pro *relegatus*. At Vict., Colb. et vet. edit. in margine præferunt, *in carcere est relegatus*.

A viii, 31); ut porcorum gregem quem repererat, strangularet. Peccatores itaque abyssum petunt, ubi caligo tenebrarum.

22. (Vers. 11.) *Mansueti autem possidebunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.* Merito terram possident in quibus Deus ipse requiescit; sicut divino per Esaiam resultavit oraculo dicens: *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea* (Esai. lxvi, 2)? Qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, non sævitia exasperat, non rabies crudelitatis inflamat? Et ideo quia non vina, non epulas, non divitias, sed pacem Domini dilexerunt in corpore constituti; pro illa delectatione corporalium voluptatum, qua se pularunt esse fraudandos, ut gratiam adipiscerentur æternam, *delectabuntur in multitudine pacis*, quam Dominus noster Jesus in diebus suis generi donavit humano; sicut prophetia quæ non mentita est, **788** comprehendit asserens: *Orietur in diebus ejus justitia, et multitudo pacis, donec extollatur luna* (Psal. lxxi, 7). Quæ igitur est pax qua cunctæ Ecclesiæ multiplicatus est populus; nisi illa de qua Dominus dixit: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis* (Joan. xiv, 27)? Dedit pacem, qui animorum bella sedavit.

23. (Vers. 12, 13.) Sequitur: *Observabit peccator justum, et fremet super eum dentibus suis. Dominus autem irridebit eum; quoniam prospicit quod veniat dies ejus.* Indignantis quidem et effervescentis in iracundiam consuetudo est, dentibus fremere: ^d sed habet etiam cor maligni dentes suos, qui non resonare, sed lacerare consueverunt. Insidiæ, commenta, nequitia, dentes sunt peccatoris. Insidiatur ergo peccator justo, quia invidet; justus enim vita redarguit peccatorem, ^e quem tacita majore auctoritate condemnat, quam si clara voce loqueretur. Sed justus timere non debet fremitum peccatoris, quia improbitas non potest esse perpetua. Insidiæ temporales sunt; munimenta autem virtutis æterna. Mors peccatoris omnem ejus potentiam fraudemque dissolvit.

24. (Vers. 14.) Plus adjicit: *Ecce, inquit, gladium evaginaverunt peccatores, extenderunt arcum suum, ut dejiciant pauperem et inopem.* Quis est gladius peccatoris, nisi contrarius gladio Spiritus sancti? Docuit hunc Scriptura me gladium; docuit Apostolus dicens, quia habemus *loricam justitiæ, et scutum fidei, et galeam salutis, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei* (Ephes. vi, 14 et seq.). Ergo verbum Dei gladius Spiritus sancti est. E contrario utique gladius spiritus nequissimi, verbum est malum. Hoc

^e Rom. edit., *Insidiabitur peccator justo*, etc. Vet. autem et mss. omnes, *Observabit*, etc. Favent etiam LXX, quorum verba sunt illa: Παράτηρήσεται ὁ ἀμαρτωλὸς τὸν δίκαιον.

^d Edit. vet. cum cod. Vict. et Colb., *Sed habent etiam maligni dentes suos, quibus*, etc. Rom. cum aliis, ut nos supra.

^e Vat. et quatuor Gallic., *Quem tacito magis ore condemnat*.

gladio Petrus apostolus Ananiam et Saphiram sermonis sui quasi quodam ense percussit; hoc gladio Paulus Elimæ adversanti disputationibus suis, oculorum lumen eripuit, et noctem cæcitatæ infudit. Considera nunc mihi jurgantes peccatores, atque acerba jactantes insolentiæ, et criminationum opprobria proferentes; nonne, si eos audias, dices: *Gladium evaginaverunt peccatores*; quando sermo turpis tamquam de vagina petulanti ex ore profertur, quem cohiberi par fuit et recondi? Similiter ut gladius verbum Dei dicitur, et idem sermo est peccatoris: ita et arcus quem extendunt peccatores, mens eorum est; et sagitta quam jaciunt, sermo est venenatus. Sicut enim sagitta est Christus, qui est Verbum Dei, cui dicitur: *Posui te sicut sagittam electam (Esai. XLIX, 2)*, quæ profertur ex pharetra Dei: ita sagittæ sunt B perfidorum, quæ arcu quodam iniquitatis emissæ incautum vulnerant innocentem, nisi ignita eorum jacula scuto fidei repellantur. Et ideo sollicitus esse debes miles in prælio; quia pugna tibi non solum adversus carnem et sanguinem est, sed adversus ipsas quoque nequitas spirituales quæ non videntur. Abundent tibi arma fortia Deo, ut facile possis quæ volueris tela depromere: ne pauperem te et inermem hostis possit opprimere. Esto Deo fortis, Deo dives, ut dicatur de te: *Redemptio animæ viri, divitiæ ejus Prov. XIII, 8*. Abundato thesauro sapientiæ, esto dives in verbo et operibus bonis, ut possis esse munitus. **789** Fuge divitias peccatoris, ne inveniat ubi vulnerare te possit. Esto misericors, ut invulnerabilis maneat, vel curare te possis, si fueris vulneratus. Est et pauper quem volunt adversarii vulnerare, ex illo numero de quo Salvator dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum (Matth. V, 3)*.

25. (Vers. 15.) Et ideo *framea peccatorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur*. Ut quemadmodum revertitur pax in Dei servulos ab eis qui non receperint benedictium pacem: ita etiam malitia peccatorum, qua justo nocere conantur, in eorum perniciem revertatur; quo suis telis et vulneri-

^a Pugnam designat adversus tyrannum Eugenium atque Arbogastem a Theodosio Magno commissam, qua nihil in omni antiquitate magis decantatum. De ipsa scripsit non solum Augustinus, lib. v, de Civ. Dei, cap. 26, et Orosius, hist. lib. vii, cap. 35, sed etiam gentilis poeta Claudianus in panegyrico de tertio Honorii consulatu: cujus poetæ hi duo versus: D

O nimum dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti!

a duobus memoratis patribus referuntur. Post hos autem eandem Theodosii victoriam certatim celebrare ecclesiastici scriptores.

^b Peccatoris, hoc est, diaboli; eum enim tum alibi hac voce designat Ambrosius, tum ad sequentem hujusce psalmi versiculum, ubi scribit: *nisi forte quia peccator dixit, etc.* Quibus locis credibile est virum sanctum respexisse ad illud I Joann. iii, 8, *quoniam ab initio diabolus peccat*.

^c Edit. Rom., *Et Malachias*. Certe quidem verba hic laudata non apud Ezechielem, sed Malachiam reperire est; attamen edit, vet. ac omnes mss. legunt,

A bus trucidentur. Sæpe enim jacula in ipsos qui ea jecerint, refunduntur. ^a Quod etiam proximo accidit bello, cum infideles et sacrilegi lacessentaliquem in Domino confidentem, et regnum ejus ereptum ire contenderent, Ecclesiis Domini persecutionum sæva minitantes; ut subito ventus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac tela omnium, atque missilia in ^b peccatoris exercitum retorqueret. Adhuc hostis deerat, et jam illi ventorum prælia ferre non poterant, suisque spiculis sternebantur. Et quod pejus est, non erant corporum graviora vulnera illa, quam mentium; deficiebant enim corde, cum Deum adversum se pugnare cognoscerent. Exierant itaque provocantes, et de pharetra cordis sui adversus populum Christianum venenata perfidiæ jacula proferebant; sed in caput eorum sua revertebatur impietas. Denique ipsi inter se sua perfidia sunt soluti, paratasque fidelibus insidias dissipavit Dominus; ut non solum piis nocere non possent, sed propriis auxiliis nudarentur, atque ad hostem arma sua transirent. Quanto melius non protulissent gladium de vagina, hoc est, impia nequaquam verba prompsissent? Nam si pro otioso sermone redditurus est unusquisque rationem, quanto magis verba sacrilegii gravibus suppliciis expiabit?

26. *Ignem nos examinasti*, dicit David (Ps. xvi, 3). Ergo omnes igne examinabimur. ^c Et Ezechiel dicit: *Ecce venit Dominus omnipotens; et quis sustinebit diem introitus ejus; aut quis sustinebit cum apparuerit nobis? Quoniam ipse introibit sicut ignis conflatorii^d et sicut alveus lavantium; et sedebit conflans et purgans sicut aurum et argentum; et purgabit filios Levi, et effundet eos sicut aurum, et sicut argentum, et erunt Domino offerentes sacrificium in æquitate (Malach. iii, 2 et 3)*. Igne ergo purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel. Sed hi etsi per ignem examinabuntur, dicent tamen: *Transivimus per ignem et aquam (Ps. lxxv, 12)*. Alii **790** in igne remanebunt: illis rorabit ignis, ut Hebræis pueris, qui incendio fornacis ardentis objecti sunt; ministros autem impietatis ultor ignis exuret. Væ mihi si opus meum ar-

Et Ezechiel. Quare dicendum est eum librum quem (ut Hieronymus, *Proœm. in Malachiam*; Sixtus Sen., *Bibl. sanctæ* lib. v, annot. 262; Huetius, *Demonst. Evang. prop. 4*; *De libro Malachiæ*, num. 2 et 3, auctores sunt) Origenes ab Angelo, alii autem ab Esdra scriptum voluere, Ezechieli ascriptum fuisse ab Ambrosio. Nec forte defuit exemplar aliquod cujus auctoritate niteretur; cum parum verisimile sit ab eo testimonium hoc neque admodum breve, neque etiam ita commune ex memoria descriptum, ut in Auctore nominando errori esset locus. Sed hic minime videtur omittendum Doctorem nostrum in eo quod omnes omnino etiam sanctissimos viros igne purgatum iri asseverat, Adimantii vestigiis insistere; ut recte observavit Huetius, *Origen. lib. ii, quæst. 11, num. 2 et 8*. Ipsum consule, sicut et præfixam Ambrosianis hisce enarrationibus admonitionem.

^d Eadem edit. Rom., *et sicut herba lavantium*, ubi ea quidem sibi faventes habet LXX, in quibus, *καὶ ὡς ποιά πλυνόντων*. Sed contra vet. edit. ac mss. omnium consensum nihil movemus.

serit, et laboris huius patiar detrimentum! Et si salvos faciet Dominus servos suos, salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem; et si non exurimur, tamen uremur. Quomodo tamen alii remaneant in igne, alii pertranseant, alio loco nos docet Scriptura divina. Nempe in mare Rubrum demersus populus est Ægyptiorum (*Exod. xiv, 22 et seq.*), transivit autem populus Hebræorum; Moyses pertransivit, præcipitatus est Pharaon: quoniam graviora eum peccata meruerunt. Eo modo præcipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardentis, qui superba in Deum jactare convicia. Sequamur ergo hic positi columnam ignis, quæ nos in hoc corpore positos illuminet, et viam monstret; ut in futurum nobis nebula refrigeret noctis: quo sæva incendia relevare possimus.

27. Vide autem Scriptura quid dicat: Arcum peccatorum Dominus confringat. Arcum autem suum posuit in nube, a quo diluvia cessarent, tranquillitas refunderetur. Unde credendum, quia adversarius et malignus arcum extendit suum, ut quietis animis moveat tempestates, excitet flatus. Oremus ergo ut arcum malignitatis dissolvat Dominus Deus noster; adsit pauperi suo et inopi, qui propter Dei timorem duxit non affectandas esse divitias, non occupanda minorum prædia, non viduas relictis majorum hæreditatibus exuendas.

28. (Vers. 16.) *Melius est parum justo, super divitias peccatorum multas.* Non ergo divitiæ accusantur, sed divitiæ peccatorum; nisi forte quia peccator dixit: *Omnia hæc mihi tradita sunt, et cui volo, do illa* (*Luc. iv, 6*). Deinde quoniam divitiæ magis facem cupiditatis inflammant; et unusquisque dum majora desiderat, non declinat diverticula peccatorum. Unde et Salvator dixit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (*Luc. xvi, 9*). Iniquitatis enim census est, qui in diaboli potestate est, ut cui ille voluerit, conferatur. Potest et illud intelligi: *Melius est parum justo, super divitias peccatorum multas*; b quia est qui est dives in verbis, ut sunt philosophi istius mundi de sacrilegiis disputantes, de motu siderum, de stella Jovis ac Saturni, de generationibus hominum, de simulacrorum cultu, de geometria, de dialectica. Philosophi ergo in sermone divites sunt, fidei inopes, veritatis exsortes. Et sunt plerique simplices Domini sacerdotes, in sermone pauperes, abstinentia et virtute sublimes. **791** Illi multis loquuntur perfidiam, isti paucis fidem asserunt; illi suos amittunt quotidie sacerdotes, hic pauper populos acquirit Ecclesiæ, numeroque credentium. Qui ergo hos audierit, et viderit operum qualitatem, dicit: *Melius est*

^a Mss. aliquot, *quando diluvia cesserant, ut tranquillitas refunderetur.*

^b Edit. omnes, ac pauci mss., *quia est quidem* (mss. quidam) *dives in verbis.* Mss. quinque, *quia est qui est, etc.* Et sequenti versu. Rom. edit., *subtilia disputantes*; sed præterquam quod cuncti mss. atque edit. vet. legunt, *de sacrilegiis disputantes*, videtur non aliud his verbis significari, quam illis quibus Origenes gentiles inducit, *diversas contra se invicem impietates dialecticæ artis versutiis astruentes.*

A *modicum justo, super divitias peccatorum multas.* Hinc Salomon derivavit illud, quod quasi suum ipse posuit: *Ex multiloquio non effugies peccatum* (*Prov. x, 19*). Dialectica ergo divitiis verborum fluit, pietas timorem Dei servat. Ideo hic parcus in verbis, dives in spiritu, magis vult timere, quam vana veri verba jactare; timor enim disciplina sapientiæ est: loquacitas innocentiae virtutisque naufragium, atque incentivum prolapsionis et culpæ.

29. (Vers. 17.) *Quoniam brachia, inquit, peccatorum conterentur.* Ut actus eorum justo impedimentum afferre non possint; ne derelinquatur virga peccatorum super sortem justorum. Et Paulus ait: *Conterat Deus satanam sub pedibus vestris* (*Rom. xvi, 20*). Si enim brachium ejus contritum fuerit, totus ipse conteretur; ut conculcentur ejus commenta, sicut vena serpentis.

30. *Confirmat autem justos Dominus, brachio adversarii dissoluto.* Et ideo justus dicit: *Et confirmasti super me manum tuam* (*Ps. xxxvii, 5*). Et Job ait: *Manus Domini tetigit me* (*Job. xix, 21*). Misit ergo Dominus manum suam in servum suum; et manum peccatoris quam in eum accepta miserat potestate, brachiumque contrivit. Ita diabolus suo sermone deceptus est, qui dixit: *Mitte manum tuam in eum, et videamus si in faciem te non benedicat* (*Job. ii, 5*). Non enim ausus est dicere, maledicat; sed hoc intelligendum reliquit. Misit Deus manum suam, et confirmatus est Job. Cæpit benedicere, qui maledicere credebatur; sanat enim justos, cum tangit manus divina, non vulnerat. Misit manum suam, et leprosi macula omnis abscessit; tetigit cæcorum oculos, et cæcitate depulsa lumen refulsit oculorum. Pete ergo semper ut confirmeris, quoniam et tu qui stas, vide ne cadas. Nos stare debemus, ut confirmemur a Domino. Lubricum est sæculum, cito labimur. Ideo rogemus ut nos Dominus stabilire et confirmare dignetur.

31. (Vers. 18, 19.) Noli putare quia viam tuam nesciat Dominus. Si justus es, novit. Crede dicenti Prophetæ: *Novit Dominus c vias immaculatum; et hæreditas eorum immaculata erit. Non confundentur in tempore malo.* Qui novit Dominum scitur a Domino. Novit justos, nescit injustos; ideo injustis dicit: *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem: nescio vos* (*Matth. vii, 23*); hoc est, quia estis indigni cognitione divina. Nescio vos; quia me ipsi nescire voluistis. Opera vestra me nesciunt, facta vestra me nesciunt; etsi dicatis, quia me scitis, redarguunt vos peccata vestra. Omne peccatum a malo est: qui

^c Sic versio Arab. et LXX interp. cum Psalteriis aliquot Gallic. Textus autem Hebr., Paraphr. Chald. et versio Syr. cum Vulg. Lat. legunt, *dies immaculatum.* Quapropter quod Ambrosius infra testatur se se in Græco exemplari hanc ultimam lectionem observasse, eum ad Symmachi versionem respexisse crediderimus. Quod vero edit. Rom. pro, *immaculata erit, correxerat, in æternum erit, in hoc quidem omnes codices sacros patrocinantes habet, sed e contrario omnes Ambr. edit. ac mss. reclamantes,*

autem non peccat, in me manet, hoc scripsit Joannes (I Joān. III, 6). Quid de Domino dicam, quia dedignatur impium scire? Paulus dedignatur, qui dixit: *Si quis in vobis propheta est, aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis: qui autem ignorat, ignorabitur* (I Cor. XIV, 37 et 38). **792** Et alibi scriptum est: *Cognovit Dominus qui sunt ejus* (II Tim. II, 19). Simus ergo Domini, ut cognoscat nos Dominus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.

52. Græcus habet: *Novit Dominus dies immaculatorum*. Sunt enim dies Eliæ, sunt dies Nabuchodonosor; ideo Evangelium habet: *In diebus Eliæ, quando clausum est cælum* (Luc. IV, 25). Nox erat perfidis, sed Eliæ lumen erat; clausum erat perfidis cælum, sed Eliæ patebat; fames erat perfidis, sed Eliæ ubertas; neque enim esurire poterat, cui cibum^a cœlestia ministrabant; nec esuriebat, qui alios ipse pascebat. Ergo sibi dies est justus in tenebris; quia et lux in tenebris lucet. Et Joseph in Ægypto erat, et lucebat ei meridies; sicut infra dixit: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas* (Ps. XLIX, 16)? Justitia lumen est, quia supra habes: *Et educet sicut lumen justitiam tuam* (Ps. XXXVI, 6). Habes ergo quod in te luceat, si justitiam sequaris. Splendet tibi dies, lucet tibi nox; quia fidei et nox sicut dies illuminabitur. Dies igitur justus novit Dominus, quia ipse *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. I, 9), hoc est, illum qui ad imaginem et similitudinem Dei vivit; illum qui se hominem esse cognoscit, ut refugiat equorum libidinem adhinnientem, ferarum rabiem, lepusculorum formidinem, vulpium fraudem, rapinam luporum; illum hominem qui sic agit, quasi in hunc mundum supervenerit; qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus sit. Venisti ergo, noli remanere, noli adhærere terrenis. Ut scias autem quia dies boni sunt, audi dicentem: *Abraham... diem meum vidit, et gavisus est* (Joan. VIII, 56). Bonum habet diem, qui Dei Filium bonum Deum novit, et Dominum confitetur. Et rursus ipse nos admonet cavere debere, *quia dies mali sunt* (Ephes. V, 16). Qui mali sunt dies? In quibus utique malum cognoscitur, quod est a malo. Aut forte dies sæculi mali sunt; quia sæculum in maligno positum est. Sed legimus etiam post sæculum diem malum: *In die mala liberabit eum Dominus* (Ps. XL, 2), hoc est, in die iudicii, mala quidem propter multorum supplicia. Necessesse est enim ut torqueantur injusti, compatiantur justus; quia et Angeli gaudent, cum peccator^b a morte servatur unus. Compatiuntur igitur cum punitur; etsi alibi legerimus: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum* (Ps. LVII, 11), quod suo loco reservo; etsi frequenter audieris cur lætetur;

^a Cœlestia, id est, angelus et corvi, ut habes II Reg. XVII, 6, et XIX, 5.

^b Ms. Reg., a morte servatur. Justus compatitur injusto igitur cum punitur. Ubi vox igitur videtur transposita, et inante compatitur retrahenda. Alii quatuor: A morte servatur, cui compatiuntur. Igitur cum punitur

sed occupationes occupationibus non inseramus.

53. *Novit Dominus dies immaculatorum*, quia immaculatae innocentiae gratia ejus et plenitudo miseretur, non miseretur errantibus. Isti non habent diem, quia lucem fugiunt, de quibus pulchre dictum est: *Dies eorum sicut umbra prætereunt* (Ps. CXLIII, 4). Cognitio ergo Dei, dignationis est, non visionis. Oculi ejus lux sunt: quos aspicit, illuminat; et ideo oculi ejus, dies justorum sunt.

54. *Unde et hæreditas eorum in æternum erit*; quia æterna bona, non temporalis hæreditatis compendia **793** quæsierunt. Et non habebunt de quo erubescant, *in tempore malo*, id est, iudicii cœlestis: *et in diebus famis saturabuntur*; quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei (Matth. IV, 4). Sed quis homo? *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim* (sive in corpore nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit) *raptum ejusmodi usque ad tertium cælum* (II Cor. XII, 2). Ille ergo homo qui in Christo est, qui se in carne esse non novit, qui non in carne ambulat, sed in spiritu; ille qui rapitur non solum ad cælum, sed etiam ad tertium cælum, rapitur ad paradysum, et audit arcana verba quæ non licet homini loqui; qui non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus gloriatur: ipse non in solo pane, sed in omni verbo Dei vivit. Verbum enim Dei vita est, quia *Verbum caro factum est*. Unde præclare dixit Evangelista: *Quod factum est in ipso, vita est* (Joan. I, 14).

55. ^c Alexandrini quidem et Ægyptii legunt: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est* (Ibid., 3); et interposita distinctione subjiciunt: *In ipso vita est* (Ibid., 5). Salva sit fidelibus illa distinctio: ego non vereor legere: *Quod factum est in ipso, vita est*; et nihil habet quod teneat Arianus, quia non illius venena considero, sed lectionis sacræ consuetudinem recognosco. Non enim dixit: *Factum est Verbum ante omne principium*. Non dixit: *Factum est Verbum*; sed si quod dixerit audire desideras: *Verbum*, inquit, *erat apud Deum*. Erat apud Deum, quod cum ipso operabatur, cum ipso dominabatur. Non dixit: *Factum est Verbum*; sed dixit: *Deus erat Verbum*: Deus autem non factura, sed factor est et creator. Aperi aures, et audi: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*. Discis esse Filium, in quo divinitatis est plenitudo? Aperi aures adhuc paululum, et audi dicentem: *Quod factum est in ipso, vita est*. In ipso, inquit, factum est: non Dei Verbum factum est. Aut si hoc movet te ad calumniam, quia dixit: *in ipso factum est*; numquid et Deo Patri calumniaris, quia Dei Filius dixit: *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem; ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta* (Joan. III, 21)? Aut quia David dixit: *Confitebor tibi, tur peccator compatitur justus, etsi alibi, etc.* Cæteri et cunctæ edit. ut in textu.

^c Græci omnes, nedum Alexandrini, et Ægyptii hunc locum legunt in hunc modum: Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. Aliam vero interpunctionem exhibent Latina exemplaria, et Latini Patres vulgo sequuntur.

Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem (Psal. cxvii, 21); hoc est, conversus es mihi in salutem, operatus es mihi ad salutem? Possem aliis uti, sed nolo mihi credas; ne putes^a argumenta esse ingenii, non testimonia veritatis.

56. Ipse tonitruum filius, ipse qui in Christi pectore recumbebat, ipse cui secreta sua Dominus non tacebat, cui Petrus innuit ut Dominum interrogaret, et ille interrogavit, et Dominus revelavit; ipse exponat quid senserit de eo quod ait: *Quod factum est in ipso, vita est. Audi ergo interpretantem, quia tuas, Ariane, calumnias jam cavebat: Quod erat ab initio; et quod audivimus, et vidimus oculis nostris; quod perspeximus, et manus nostræ scrutatæ sunt de Verbo vitæ, et vita apparuit (I Joan. 1, 1).* Caro ergo est quæ in Christo apparuit, vel Christus in carne; ipse nostra B in omnibus vita est. Ipsius divinitas, vita est; ipsius æternitas, vita est; ipsius caro, vita est; ipsius passio, vita est. Unde et Hieremias ait: *In umbra ejus vivemus (Thren. iv, 20).* Umbra alarum, 794 umbra crucis, umbra est passionis. Ipsius mors, vita est: ipsius vulnus, vita est: ipsius sanguis, vita est: ipsius sepultura, vita est: ipsius resurrectio, vita est universorum. Vis scire quoniam mors ipsius vita est? *In morte, inquit, ipsius baptizati sumus . . . ut cum ipso in novitate vitæ ambulemus (Rom. vi, 5 et 4).* Et ipse ait: *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram moriatur, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (Joan. xii, 4 et 5).* Ipse granum pro nobis corpore solutus et mortuus est; ut fructum multum afferret in nobis. C Mors itaque ejus fructus est vitæ. *Quod factum est ergo in ipso, vita est. Caro facta est in ipso, vita est; infantia facta est in ipso, vita est; iudicium factum est in ipso, vita est; mors facta est in ipso, vita est; remissio peccatorum facta est in ipso, vita est; vulnus factum est in ipso, vita est; illusio facta est in ipso, vita est; divisio facta est in ipso, vita est; sepultura facta est in ipso, vita est; resurrectio facta est in ipso, vita est. Vide quanta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ facta conversio est, ut quæ perierat, redderetur. Ad postremum venditio facta est in ipso, vita est: redemptio facta est in ipso, vita est. Ad mortem venditus est a Juda, emptus a Judæis ad mortem, ut pretioso ejus sanguine nos redimeremur ad vitam. Hæc est vita quæ facta est, hæc est vita quæ apparuit, hæc est vita quam audivimus, hæc est vita quæ erat apud Patrem; quia ipse qui erat in principio, ipse postea est natus ex Virgine, ut esset vita morituris.*

57. Ipsum hunc propositum nobis locum interrogemus? *Quid est, hominem in Christo? Hoc est, factum in Christo, in quo facta sunt omnia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates,*

^a Ita edit. omnes; mss. vero fere ad unum, *argumenti esse ingenia*. Non male, si voces, *argumenti ingenia* sumas pro argumentationis tricis et cavillis, sive sophismatis. Vide Glossarium Cangii ad nomen, *ingenium*.

^b Edit. omnes ac mss. Vict. et Colb., *sublimem*

*A omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant (Coloss. i, 16 et 17), hoc est, in virtute ejus. Homo ergo in Christo, qui factus est ad imaginem ejus et similitudinem: homo in Christo, qui totus in Christo sit. Sicut enim Deus per unitatem et plenitudinem divinitatis Pater Deus totus in Filio est, et Filius in Patre: ita per intentionem et pietatis affectum (ut exempli vice, non comparisonis utamur) homo totus in Christo est; qui enim adhæret Domino, unus spiritus est. Homo ergo in Christo, non ille terrenus, non ille peccati; sed homo Christi. Quid ergo movet: *Quod factum est in ipso, vita est; si et homo præcipue interior, in ipso factus est, in ipso crucifixus, in ipso renovatus, in ipso sepultus, et cum ipso consepultus, in ipso resuscitatus? Quid movet, ut dixi, quia scriptum est: Quod factum est in ipso, vita est; cum homo dixerit: In Deo faciemus virtutem (Psal. lxxix, 14)? Si quæris quæ vita sit, si moveat quod factum sit in ipso, accipe. Nempe vita, Ecclesia est. In ipso facta est, in ejus costa, in ipso resuscitata Eva. Eva autem vita, hoc est, quod factum est; quia Eva quæ perierat, salva facta est per Ecclesiam, hoc est, per filiorum suorum generationem, sicut scriptum est (I Tim. ii, 15); quia delictum superioris prævariatricis sobria emendavit hæreditas. Unde et ipse Paulus raptus est ad vitam, qui ante erat persecutor ad mortem.**

795 38. Prolixius evagati sumus, ut de eo homine qui non in solo pane, sed in omni verbo Dei viveret, diceremus. Revertamur ad psalmum: Et ideo immaculati non confundentur in die iudicii, et in diebus famis saturabuntur.

39. (Vers. 20.) *Deficientes sicut fumus deficient.* Græcus ἐξέλιπον habet, hoc est, defecerunt. Vides subito aliquem ad potestatem venisse, et honoris insignia: ^b sublimem iudicas. Vides illi alium esse successum; nonne dicis de eo: Ubi honoratus et exaltatus est iste? Defecit. Ideo plus dixit Græcus; quia ubi honorari et exaltari quis creditur, ibi defectu proprio prævenitur; ut meatus fluminum præterisse citius quam venisse comprehendas; et dum ventura opperiris fluentia, te adhuc exspectante, fluxerunt. Contra, humiles atque mansueti dum subiciuntur a divitibus et opprimuntur, exaltati sunt a sua humilitate, et subito refulserunt. Ideoque Paulus in infirmitatibus sibi placuit, non in virtutibus.

40. Sed consideremus, ne quis putet eum in revelationibus gloriatum; et repetamus ea, ut se ipse defendat humilitatis magistrum. *Scio, inquit, hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque ad tertium cælum (II Cor. xii, 2).* Ante annos quatuordecim revelatum sibi dicit, et *iudicas. Vides illi esse successum. Alii mss. eo dissentiunt, quod pro, vides . . . iudicas, legunt, Vide . . . iudica; e quibus etiam quatuor habent, alium esse successum. Et sane vocem, alium, necessario sensus postulat.*

tamen revelationem tamdiu apud se tenuit et repres-
sit: nec dixisset, nisi utile nobis judicasset ut dice-
ret; ne nos revelationibus extolleremur. Si enim in
tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari
oportet. Juvenis ipse non gloriatus est, senex gloria-
retur? Deinde raptum se usque ad tertium cœlum
negare non potuit; et tamen utrum in corpore, an
extra corpus raptus esset, se ignorare testatus est.
Non ergo de scientia; sed de ignorantia gloriatur, et
Dei circa se gratiam prædicat. Quod scientiæ est,
negat; quod charitatis est, confitetur: scientia enim
inflât, charitas vero ædificat. Et iterum, raptum ejus-
modi hominem dixit: quemadmodum raptus esset,
utrum in corpore, an extra corpus, incertum sibi esse
memoravit. Vide stateram sapientiæ. Constituit unum
in Christo, et se alterum, qui ait: *Nescio*. Quod alien-
num est, attollit: quod suum, humiliat. *Et audivit*,
inquit, *verba ineffabilia* (I Cor. xii, 4). Non dixit: Audi-
vi, sed quod alter audierit, non negavit. Verecunde
itaque testem se maluit significare quam vatem, et
refugit videri cœlestium arbiter secretorum. Testimo-
nium enim dicere, veritatis est: ^a meritum elationis
non refugere, gloriantis. Ideoque ait: *Pro hujusmodi
gloriabor: pro me autem non gloriabor* (Ibid., 5).

41. Quid est autem quod ait audisse hominem, et
hominem illum in Christo, quæ non licet homini lo-
qui? Quomodo hoc convenit, ut non licuerit homini
loqui, quæ licuerit homini audire? Si ipsi homini qui
audivit, non licet loqui, quomodo ei creditum est
audire, quod non permissum est loqui? quæ ista di-
stantia est? Si alteri homini qui esset exterior, quo-
modo potuit homo cognoscere quod homini non lice-
bat audire? Unde videtur non gratia loquendi illi
homini defuisse **796** qui esset in Christo, cui non
defuit; sed eis qui audirent, locum, tempus, meri-
tum defuisse. Ille enim in cœlo audivit; et ideo non
competere judicatum est, ut id loqueretur in terris,
quod audisset in cœlo; cum in ipsa terra sit ista
discretio, ut quod in altera regione canitur, in altera
non canatur, secundum quod scriptum est: *Quomo-
do cantabimus canticum Domini in terra aliena* (Psal.
cxxxvi, 4)? Denique Hebræi non canebant in terra
captivitatis, quod in sua patria canere consueverant.
Hæc terra captivitatis est; alia terra libertatis est;
ista peccati, illa quietis æternæ; vâllestis ista, illa
cœlestis. Ergo in cœlo illa nunc prædicabat Paulus, **D**
quæ terris ante prædicare non poterat; inter perfec-
tos enim secreta sapientiæ sunt loquenda.

42. Attamen quid commemoratio istius revelationis
operatur, nisi ut doceat quod in revelationibus
minime gloriandum sit, sed in infirmitatibus; quia
infirmitas, et remedium revelationis, et virtutis exer-
citiu est? Contra autem revelatio, elationis lubri-
cum est; namque ne revelationis sublimitate extol-
leretur ipse Paulus, qui raptus in tertium cœlum est,
stimulum carnis accepit. Subvenit ergo infirmitas, ne

^a Cod. quinque, *meritum electionis*. Sed vocem,
electionis, pro *elationis*, ab aliquo positam arbitramur,
qui non consideravit hic *elationem* dici, non super-

A gratia in periculum verteretur. Utilior ergo infirmi-
tas, quam gratia. Eadem quoque infirmitas officina
virtutis est; sicut ipsi Apostolo testificatus est Domi-
nus, quia *virtus in infirmitatibus consummatur* (II Cor.
xii, 9). Denique iste post revelationem rogavit reme-
dium sanitatis, et non impetravit; in infirmitate au-
tem remedium non quæsivit, sed cursum consumma-
vit, et coronam invenit.

43. (Vers. 21.) *Mutuatur, inquit, peccator, et non
solvit: justus autem miseretur, et tribuit*. Hoc quoque
convenit personæ Pauli, quia *justus miseretur et tri-
buit*. Vide illum Domini eloquia dividentem, vide
argentum Domini fenerantem. Unam mnam accepit,
duas reddidit: duas accepit, quatuor reddidit: quin-
que accepit, decem reddidit. Non ligavit in sudario
B quod acceperat, sed nummulariis erogavit; et quod
erogaverat, cum usuris recepit. Ita et accipientem
a peccato maximo liberavit, ne apud eum pecunia
Domini deperiret; et ipse ut decem civitatibus præ-
ficeretur, emeruit. Quæ sint decem civitates, in
epistolis recognosce quas scripsit; etsi apostoli præ-
scripto numero non teneantur, quibus dictum est:
*Ite per orbem universum, et prædicate Evangelium
universæ creaturæ* (Marc. xvi, 15). Hic ergo ab Hie-
rusalem per Orientem et Illyricum et Italiam Domini
pecuniam dispensavit. Et ne quis putaret quod suam
feneraret, Domini esse pecuniam testabatur dicens:
*His autem qui matrimonio juncti sunt, denuntio non
ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere* (I Cor.
vii, 10). Et alibi: *Quid experimentum queritis ejus
C* *qui in me loquitur Christus* (II Cor. xiii, 5). Denique
ipse rex ita dixit, in quo figura est Domini: *Oportuit
te pecuniam meam committere nummulariis. Meam,
inquit, non tuam. Justus ergo miseretur et tribuit*.
Quomodo tribuat, audi dicentem: *Per omnes Eccle-
sias doceo. Peccator autem mutuatur, et non solvit*
(I Cor. vii, 17). Vide divitem mutuantem, et non red-
dentem: pauperem accipientem, **797** et continuo
remunerantem, ne diutius in ære alieno sit. Hæc mo-
ralia.

44. Vide nunc pauperem mysticum, id est, simpli-
cem et timentem Dei nomen, audientem verbum de
castitate, et solventem; audientem de misericordia,
et solventem; audientem de placiditate, et non ira-
scientem: divitem vero illum arrogantem et super-
bum, audientem quidem, sed post se rejicientem
sermones Dei; audientem de condemnatione luxuriæ,
et magis luxuriantem. Denique Ecclesia solvit quod
accepit, Synagoga non solvit. Cognosce Ecclesiam
solvere: *Tui, inquit, erant, et mihi eos dedisti, et
verbum tuum servaverunt* (Joan. xvii, 6). Et alibi:
Ipsæ enim Pater diligit vos, quia vos me diligitis
(Joan. xvi, 27). Reddidit ergo Ecclesia quam accepit
a Domino pecuniam charitatis, sed Synagoga non
reddidit. Ideoque de Judæis dicitur: *Si non venis-
sem, et locutus non fuisset his, peccatum non habe-
biam, sed ipsum Apostoli raptum, quo usque ad ter-
tium cœlum elatus sive elevatus dicitur.*

rent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo (Joan. xv, 24); quia audierunt utique, et non crediderunt. Probatum est ergo quia mutuati sunt peccatores, et non solverunt. Peccator igitur eget semper : justus autem abundat et tribuit, cujus dives est conscientia. Ideoque Judæi in suis divitiis eguerunt : *Divites eguerunt et esurierunt* (Psal. xxxiii, 11); Christiani autem in divitiis simplicitatis suæ non defecerunt.

45. (Vers. 22.) Bonus ergo justus; et ideo addit Scriptura : *Quoniam benedicentes eum, possidebunt terram; maledicentes autem eum, disperibunt.* Quomodo justus possidet terram, aut quam terram, cum Scriptura dicat : *Numquid soli habitabis super terram* (Esai. v, 8)? Et alibi : *Væ habitantibus super terram* (Apoc. viii, 13), quod increpationis est verbum atque maledicti. Cujus ergo terræ benedicta possessio est? Non istius quæ tenebris absconditur et amaritudinibus impletur : sed illius quæ fluit mel et lac, id est, habet gratiam suavitatis, et fulgorem lucis æternæ. Accipe mellis boni suavitatem; immo supra mel : *Fugiet dolor et gemitus et tristitia* (Esai. xxxv, 10); quia suavitas gratiæ amaritudinem humanæ fragilitatis excludet. Et alibi : *Et delebit omnem lacrymam de oculis eorum; et mors non erit amplius, neque luctus* (Apoc. xxi, 4). Accipe etiam lactis nitorem. *Et non indigebunt lucerna, et lumine solis; ipse enim Dominus illuminabit super illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. Amen* (Apoc. xxiv, 5).

46. Est etiam mysticus justus, qui miseretur et tribuit, qui omnia verba quæ accepit a Patre dedit nobis, et peccatorum nostrorum nobis æra dimisit, et sanguinem suum pro nostris debitis solvit; ut non in fenore essemus alieno, sed in suo ære bonus creditor nos haberet. Est et peccator ille qui congregavit quæ non peperit, et mutuatus est quod non tenebat, nec vult restituere quod accepit. Audi quia mutuatus est diabolus : *Tibi, inquit, dabo potestatem hanc^a universam, et gloriam illorum (quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa) si procidens adoraveris me* (Luc. iv, 6). Nequissime, accepisti ad tentationem, non ad mortem; hoc est, accepisti ut probarentur Dei servuli, **798** non ut exstinguerentur; accepisti ut Deus adoraretur, non ut negaretur; accepisti sæcularia, cur eripis quæ æterna sunt? accepisti quæ mundi sunt, cur vis auferre quæ Christi sunt? Da illa cui vis, non invidemus. Cur nobis a te quæ nos volumus, invidentur? Tu adorari vis, qui omnibus nequior, ipsa quoque indignus es servitute.

47. (Vers. 23.) ^b *A Domino gressus viri corrigentur.*

^a Ita edit. omnes, et mss. quatuor, quibus tum divinus textus, tum Ambrosius ipse lib. i *De Cain et Abel*, cap. 5, num. 17, et alibi, suffragantur, locum hunc eisdem verbis exhibentes. Alii tamen quatuor mss. post vocem, *potestatem hanc*, inserunt, *universa hæc regna*; non alia sane de causa, nisi ut sit quo referatur τὸ illorum. Atqui ellipsis est ubi subintelligitur τὸ negotiorum, Græce χρημάτων, quæ videlicet indice dæmon ostendebat.

^b Rom. edit., *A Domino gressus viri dirigentur et*

^A Græcus διαβήματα dixit, hoc est, transitus. Et ideo dicitur tibi : *Si transeus per aquam, flumina te non concludent* (Esai. xliii, 2). Transi ergo, noli cessare; sicut bonus viator cum venerit ad aliquod ^c viæ signum, non stat, sed pertransit; et tu in via es, quamdiu in hoc cursu es ^c constitutus. Paulus si stetisset, cursum suum non consummasset. Vide ne ideo dicat : *Et tu qui stas, vide ne cadas* (I Cor. x, 12). Non enim qui transivit, potest timere ne cadat. *Vidi, inquit, impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani; et transivi, et ecce non erat* (Infra vers. 35). Videns ergo impium superexaltatum, qui non stetit, non offendit : si stetisset, et miratus illum fuisset, et secutus esset, offenderat, et ceciderat sicut impius. Ideo Moyses videns rubum relucere et non ardere, ait : *Transiens vidēbo hoc visum magnum* (Exod. iii, 3). Qui transit de hoc sæculo, magnum visum videt : qui solvit vincula istius nexus quo ligamur huic corpori, magnum visum videt. Moyses in Exodo, ut legitur, multa videt miracula : non tanta alius videt qui non est in Exodo. Idem Moyses transivit : transivit et populus patrum, quia de terra captivitatis exibat. Dirigebantur itaque a Domino gressus eorum, quibus per noctem ignis columna lucebat, per diem nubis; ut nec diei ardor afficeret comēantes, nec impedimentum viantibus tenebræ noctis afferrent.

48. Et tu merere factis, votisque deposce ut gressus tui a Domino dirigantur, ne moveantur pedes tui; quia scriptum est : *Mei autem pene molī sunt pedes; paulo minus effusi sunt gressus mei* (Psal. lxxii, 2). Cavendum est quoque ne rectam semitam derelinquas, et diverticula te viarum tortuosarum decipiant; ideo dicitur : *Parate viam Domino : rectas facite semitas ejus* (Esai. xl, 3). Paremus ergo viam Domino Deo nostro in mentibus nostris; rectas faciamus animorum semitas, ne labamur; non effundantur gressus nostri sicut uxoris Lot, quæ post se respexit, et gressus tenere non potuit, sed effusi sunt, cum in salem esset repente conversa; non effundantur sicut Ægyptiorum, quorum gressum maris fluctus effudit. Ipsi Hebræis qui cum Moyse erant, quia peccaverunt in deserto, ceciderunt vestigia pedum, ^d ne in terram resurrectionis intrarent.

49. Nonne etiam de his pulchre dicitur quia effusi sunt processus eorum, quorum spes lapsæ, in vanum effusus labor, vota sunt destituta. Considera enim aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitæ attentioris affectum, piæ propositum servitutis, sedulæ **799** observationis officium; subitoque eum esse mutatum,

viam ejus cupiet. Gressus viri dirigentur. Gressus Græcus διαβήματα, etc. Aliæ ac mss. omnes, ut nos in textu.

^c Id est, columnam ad indicandas vias in bivis aut trivis erectam, vel ἐρμαῖον λόφον, de quo Prov. xxvi, 8.

^d Vet. edit. in margine, ac Rom. in corpore, *ne in terram repromissionis*; sed cuncti mss. constanter legunt, *ne in terram resurrectionis*, translato scilicet rei figuratæ nomine in ejus figuram.

discessisse de monasterio, valedixisse jejuniis, continentiae renuntiassse, ^a indulgere deliciis, studere luxuriae. ^b Dudum de monasteriis exierunt, et nunc luxuriae sunt magistri, disseminatores incontinentiae, incentores petulantiae, obtrectatores pudoris. Nonne de his pulchre dixeris: Effusi sunt gressus eorum, quos bene direxisse poenituit? Egerunt itaque novi generis poenitentiam pro virtutibus, et non agunt pro delictis: *Sed hi ex nobis exierunt*, dicit Joannes, *sed non erant ex nobis; si enim ex nobis fuissent, nobiscum perseverassent* (I Joan. II, 19). Hi ergo viam suam condemnauerunt, quibus convenit dici: *O qui dereliquistis semitas rectas, abeundo in vias tenebrarum; et qui laetamini in malis, et gaudetis in eversione mala, quorum semitae pravae, et flexuosi cursus eorum*, sicut lubricus et flexuosus auctor ipsorum; *cur odisse cepistis viam rectam, et justum consilium deseruistis* (Prov. II, 13 et seq.)? Non vos direxit Dominus: quem autem dirigit Dominus, viam ejus cupiet, sicut scriptum est, et ipsius semitis delectabitur.

50. Utrumque tamen intelligi potest, ita est medium, quod et ipse qui a Domino dirigitur, viam Domini cupiet; quia duce ipso, omnis levatur labor, omnia impedimenta removentur, incentiva subministrantur; et ipse Dominus non aspernatur, sed libenter accipit viam viri quem ad virtutem ipse direxerit. Pulchre autem viri gressus dirigi dicuntur a Domino; quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, sine offensione servare vestigium. Qui enim plantat et rigat, nihil sunt; sed qui dat incrementum Deus: ipsi soli gloria virtutum jure defertur.

51. (Vers. 24.) Denique etiam justus cadit interdum; sed si justus est, *cum acciderit, non conturbabitur*. Quod conditionis est, cadit; quod justitiae, resurgit: quoniam justum Deus non derelinquit, sed *confirmat manum ejus*. Qua ratione non pedem, sed manum dixit? Nisi forte ea, quoniam qui cadit, non magis pede labitur, sed infirmus lubrico saepe decipitur, vel offendit in petra; hic autem justus casum intellige, id est, fortioris. Denique de populo qui luctatur, si genu fixerit, vel pede lapsus fuerit, pro victo habetur; athleta qui luctandi peritiam habet, et ad coronam luctatur, etiam volens genu figit, ut vincat; et si lapsus fuerit, non excluditur; et si ab eo qui superior sit, prematur, manibus tamen se sustinens, jure decertat; nec aufertur bravium, nisi fuerit fusus in ventrem, aut distentus vinculo lacerto-

^a Mss. aliquot, *indulgere delictis,.... incentores pestilentiae*.

^b His admodum affinia in epist. ad Verc. Eccl. leguntur de Sarmatione ac Barbatiano monachis apostatis. Hi siquidem cum disciplinae severioris impatientes asceterium Mediolanense deseruissent, ac postea petiti reditus a sancto Antistite repulsam passi fuissent, ita hanc ob ignominiam exarsere, ut continentiam, jejunia, et alia id genus monastici instituti ornamenta bacchari atque insanire nusquam desinerent. Qua propter utrumque hoc loco designari prudenter admodum observavit Hermannus Vitae sancti Ambrosii, lib. VII, cap. 4, et ex nostris qui Historiam Benedictini Ordinis vernaculo sermone nuper

A rum. Inde oriuntur crebra certamina; quia multa et incognita plerisque sunt genera ruinarum. ^c Nam casus eorum proprie appellantur ruina, Graece enim *πτώματα* nuncupantur. Ergo quum stringitur et urgetur, saepe se volvit, et fit supra qui inferior habebatur, superioremque dum surgit, elidit: quod videtur Scriptura significare, cum dicit: *Universum stratum versasti in infirmitate ejus* (Psal. XL, 4). Itaque de eo dicitur: *Cum ceciderit bonus athleta, non turbabitur*; plerique enim volunt teneri, quo maturius vincant, qui de arte praesumunt. ^d Sed etiamsi assignatus, ut ipso verbo utar, et primo et secundo fuerit, non excluditur; licet ei interdum reparare luctamen, et vincere saepe contingit, et cedere eum qui secunda contentione superavit. Ita ergo etiam justus etsi offendiculum incurrerit et ceciderit, non relinquat tamen studium devotionis et fidei, sobrietatem teneat, poenitentiam gerat, saepe se reparat. Ideo interrogat Petrus: *Si peccaverit in me frater meus, quoties remittam ei; usque septies* (Matth. XVIII, 21 et 22)? Et respondit Dominus: *Non solum septies, sed etiam septuagies septies*. Ut scias autem quia athletae sumus et impellimur, et alii ruunt, et plerique eliduntur, audi dicentem: *Suffulsit Dominus omnes qui ruunt, et corrigit omnes elisos* (Psal. CXLIV, 14). Unde et ipse de se dicit David, vel ille qui locutus est in Propheta: *Impulsus subversus sum ut caderem; et Dominus suscepit me* (Psal. CXVII, 15); Jesus enim non cecidit, sed impulsus est. Etenim cum ipse convertat elisos, quomodo ipse potuit elidi? Justum autem, cum ceciderit, posse resurgere testatur Scriptura, quae dicit: *Numquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat; aut qui aversus fuerit, non revertetur? Vae iis qui avertuntur aversione impudenti, dicit Dominus* (Jerem. VIII, 4 et 5).

52. Utinam quidem ineluctabilis et insuperabilis sit Christi athleta, et in omni aetate; in omni virtutum genere gloriosus, sicut ille ait: *Sed in omnibus superamus propter eum qui nos dilexit* (Rom. VIII, 37). Quid est in omnibus? Sunt athletae qui vocentur pueri, ephebi, viri; hoc est, *παῖδες, ἐφήβοι, ἄνθρωποι*. Etiam Scriptura has in luctatoribus novit aetates, dicente David: *Ne avertas faciem tuam a puero tuo* (Psal. LXVIII, 18); *et juvenis sui, et senui* (Infra vers. 25). Unde et Joannes ait: *Scribo vobis, pueri; quia cognovistis patrem: scribo vobis, juvenes; quia viticistis malum: scribo vobis, patres; quia cognovistis eum qui est ab initio* (I Joan. II, 12 et seq.) Maturior

in lucem emisit. Illum adisis, lib. I, cap. 3, § 5

^c Edit. vet. et mss. aliquot, *Nam casus eos proprie appellant Latini*; sed edit. e regione in margine habent *ruinam*, quam dictionem suppressa voce *Latini* Rom. in textum transtulit. Mss. vero quatuor nobiscum faciunt.

^d Ita edit. cum parte mss. Alia pars, *Sed etiamsi assignatur... et secundo fugerit*. Ultra lectio sit praeposenda, ambiguum est. Obscuritas autem inde suboritur, quod verum sensum agonistici illius verbi, *assignatus* sive *assignatur*, cognitum non habeamus. Suspiciamus tamen ex serie orationis eos dici potuisse *assignatos*; qui jam in terram dejecti tamquam mox vincendi spectatorum oculis ac nutibus signabantur:

itaque ad patres scribens, maturos designat fidei devotionisque processu. Virtutum ergo istæ, non infirmitatis ætates sunt; neque enim sine virtute puer est, qui cognovit Patrem Deum virtutum. Ex illo puero isti sunt pueri, qui prius quam sciret vocare patrem, aut matrem, accepit virtutem Damasci, et spolia Samaritæ. Ipse est puer qui natus est nobis; filius qui datus est nobis, cujus principatus super humeros ejus. Ipse nos docuit pueritiam esse virtutem dicens: *Sinite pueros, et nolite eos prohibere ad me venire* (Luc. xviii, 16). Et alibi: *Amen, amen, dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cælorum* (Matth. xviii, 5). Ipsa quoque corporis fortitudine pueri plerumque viros vincunt. Et utique si ætatem pueritiæ consideremus, non potest puer aut usum omnem scire, aut vim subire luctandi. Novimus tamen quod frequenter pueri quos non poterant portare, **801** vicerunt. Adeo vigor animi infirmitatem excludit ætatis.

53. Quales autem pueri, tales et ephēbi, hoc est, spirituales. Novit Scriptura adolescentem Paulum jam proximum conversioni (Act. vii, 57); novit et Euthycum adolescentem, qui cum sermonibus Pauli intentus hæreret, somno victus de tritecto cecidit et resurrexit (Act. xx, 9); novit et Joannem adolescentem in Christi pectore recubentem (Joan. xiii, 25), qui tam fortis fuit, ut persecutionem non timeret, malum vinceret. Illic est puer qui patrem genitalem reliquit (Matth. iv, 20), secutus Patrem eum quem cognovit æternum; adolescens amictus sindone, Dominum sequebatur tempore passionis, qui sua omnia dereliquerat (Marc. xiv, 51); maturior, Deum Verbum in principio ipso semper fuisse atque esse cognovit (Joan. i, 1 et 2), et manere in se probavit.

54. Viros quoque Scriptura nos docuit spirituales, Agabo propheta dicente: *Virum hunc cujus est zona hæc, sic alligabunt Judæi in Hierusalem* (Act. xxi, 11). Et Festus ait: *Vir quidam est relictus a Felice in custodia* (Act. xxv, 14). Ante passionem suam Paulus adolescens dicitur, in passione sua vir significatur, qui cursu consummato, esset jam proximus ad coronam.

55. Cognovimus ætates pro fide et devotione certantes, cognoscamus etiam genera certaminum singulorum. Hæc quoque Scripturæ nos doceat tenor. In hoc itaque sæculari agone alii sunt, qui simplici quodam et legitimo genere luctantur, et ligaturis tantum corporis certant, verberare non norunt, qui palestritæ vocantur; alii qui cædem et pulveris jactum^b membrorum nexibus miscent, omni sibi verberandi jure permissio: ^c quos pammacharios vocant, eo quod omnis litis et pugnae adversum se habeant potestatem; alii qui cestibus adversum se decernunt, et dilaceratis capitibus, cruciantur: hi *πύρραι* feruntur.

A 56. Hæc omnia certamina subiit Paulus apostolus, sicut ipse demonstrat. Itaque dicit: *Quoniam non est nobis pale adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, et (ut compendio utar) adversus nequitiæ spirituales* (Ephes. vi, 12). In Latinis plerisque colluctatio reperitur, in Græcis omnibus *πάλη* scribitur; *πάλη* enim Græcorum, lucta est Latinorum. Et vere pale; quia caro et sanguis, et nequitiæ spirituales patientia et continentia corporis, et animi moderatione superantur. Ira, furor, cædes, arma sunt diaboli. Alibi quoque plagis supra modum cæsum se esse significat dicens: *In plagis supra modum, in mortibus frequenter* (II Cor. xi, 23). Hierosolymis autem pugnis se esse percussum; ubi cum intervenientibus militibus, aliquando cessassent Judæi percutere Paulum, ipse pontifex Ananias circumstantibus jussit percutere os ejus, cui respondit Apostolus: *Percutere te incipiet Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum Legem, et extra Legem jubes me percuti* (Act. xxiii, 3)? Scivit profecto referre, qui graviore pugno pontificem percussit; ipse enim corporaliter cæsus est: illi retulit quod in animam percuteretur a Christo. In prima quoque epistola ad Corinthios scribens ait: *Ego igitur sic curro, non ut in incertum: sic enitor, non ut aera cædens* (I Cor. ix, 16). Quod Latine dixit, *enitor*, **802** Græce ait, *πυκτεύω*. Et vere quasi bonus pycta, non aerem, sed aerias potestates et Judæorum capita verberabat; quia caput omnium Jesum Dominum non habebant. In omni itaque certamine Apostolus est probatus, qui etiam coronam cursus consummati accepit. Unde et ipse ait: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philipp. iv, 13).

C 57. Habet et Christus, qui in pueritia sua ævi maturos vicerint; ut Daniel puer spiritu valido seniores illos redarguit Judæorum, et de victoriae jure dejecit in mortem. Habet et alios, qui priusquam nascerentur, in matris ventre luctati sunt. Denique Jacob fratrem supplantavit Esau, et malum vicit; atque ita de utero matris exivit, ut victoriae insigne monstraret, et pedem senioris degeneris victor inverteret. Hieremias in vulva matris sanctificatus est et probatus. Joannes Baptista Principem agonis humani, præmiatoremque luctantium, necdum natus venisse cognovit, atque in utero matris exiliens piæ bravium confessionis emeruit. Recte jam tunc designatus est ad coronam, qui ante omnes ad Christi agonem fidei testis et præco virtutis suum nomen obtulerat. Bonus præco, qui ad certamen alios excitabat. Et vere bonus præco; qui tam magna voce clamavit, ut ad ejus sonum secreta coelestia resultarent. Quid multa? Terram movit, cælum implevit. Ideoque vocis nomen accepit; quia Verbum Dei vox sacrata præcessit, quemadmodum ipse nos docuit dicens: *Ego vox clamantis in deserto* (Joan. i, 25).

D ^c Omnes edit., quos *παμμάχους* vocant... capitibus cruentantur: omnes mss. saltem Gallic. ut in textu.

^a Ita Rom. edit. cum sex mss. Vet. autem cum Vict. et Colb. *devotione certantium: cognoscamus etiam certamina singulorum.*

^b Reg. cod., *membrorum nisibus miscent.*

Dixit hoc Esaias propheta : de se dictum iste firmavit (*Esai. xl, 5*). Audivimus quid dixit præco : *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (Joan. i, 23)*. Hæc est vox singularis et sola, tam sonora, ut ab omnibus audiretur; tam dulcis, ut universorum corda mulceret. Istos ergo athletas suos Dominus confirmavit ut vincerent; numquam enim suos deserit, et relinquit.

58. (Vers. 25.) Et ideo addidit Propheta : *Juvenis fui, et senui* : sic Latini; aliqui autem juxta Græcos habent : *Juvenis fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*. Simpliciter qui vult intelligere, patet sensus, quod vitæ suæ tempore David non viderit justam derelictum. Sed hoc et brevis temporis est, et incredibile; si quidem multos videmus in sæculo justos ab hominibus derelinqui, quando eos aliqui potentium persequuntur; et nullus ad eos audet accedere, cum in timore aut in injuria viderit constitutos. Unde Job dicit : *Fratres mei discesserunt, agnoverunt extraneos magis quam me : amici mei immisericordes facti sunt; et qui me noverant, obliti sunt nomen meum (Job. xix, 13)*. David quoque non solum destitutum; sed etiam impugnatum se ab amicis et proximis clamat : *Amici, inquit, mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt (Psal. xxxvii, 12)*. Ergo si in hoc sæculo reperiuntur justus derelictus, quomodo sibi contraria dixit David; nisi intelligas quod justus etsi in sæculo derelinquitur, a Domino tamen non derelinquitur? Neque enim Job cum esset in stercore (*Job. ii, 5*), a Domino derelictus est, quem in angelorum concilio Dominus ipse sua voce laudabat, quem tentari passus est, ut coronaret; tentationem autem in corpus dedit, in animam denegavit. **803** Nec derelictus David cui regnum dedit, ut populo imperaret electo : quem parricidalibus præliis appetitum, regni sui depulsum finibus, victoriæ jure restituit. Ipsi quoque Jacob, Elias et Elisæus, et Joannes Baptista, et cæteri qui in caprinis pellibus circumeuntés errabant in solitudinibus, et montibus, et speluncis, et foveis terræ, licet ludibria multa et acerba supplicia tolerasse videantur; tamen non derelicti sunt. Siquidem cum fratrem fugeret Jacob, et per deserta in comitatus erraret, obdormivit, et surgens vidit ibi multitudinem cœlestis militiæ, et ait : *Hic locus vocatur a castra Angelorum (Gen. xxxii, 2)*. Non satis fuit castrum vocare; sed castra, quæ tantæ multitudinî convenirent. Vides ergo quia solum se putabat, et castra eum cœlestis exercitus sequebantur; sicut (*I Cor. x, 4*) et patres nostros Moysis tempore, ne in deserto sitirent, petra (ut scriptum est) sequebatur. Nam cum in Exodo legerimus (*Exod. xvii, 6*) quod sitiente populo, percussit Moyses virga petram, et aqua fluxit, et bibit populus Dei; iterum in Levitico legerimus, vel in

A Numeris quod rursus Moyses tetigerit petram virga (*Num. xx, 11*), et scaturiverit aqua patribus ad bibendum; præclare Apostolus hoc interpretatus est dicens : *Bibebant autem de consequenti eos petra; petra autem erat Christus (I Cor. x, 4)*. Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos prævaricantes, tamen non deserebat Dominus, sed sequebatur. Quid de Elia et Elisæo dicam, quibus per deserta gradientibus equi de cœlo, et igneus currus occurrit? Quomodo derelictus Eliás, qui est invitatus a Christo (*Matth. xvii, 5*)? quomodo derelictus in terris, qui raptus ad cœlum? quomodo egenus et nudus et inanis, qui geminati spiritus hæreditatem discipulo dereliquit; ut una melotide hæres donatus fluvios sisteret, Jordanem revocaret in fontem, regum exercitus pasceret in deserto, et potum sitientibus ministraret? Ad ejus arbitrium de cœlo profluebant pocula, in terris mortui resurgebant. Quomodo derelictus est Elisæus, qui cum Syrorum vallatus esset exercitu, ut captivus raperetur ad regem, dicente Giezi servo : *Domine, quid faciemus, ait : Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis. Et dixit : Domine, aperi oculos ejus, ut videat. Et aperti sunt oculi ejus, et vidit montem et omnia in circuitu equis innumeris et cœlestibus repleta legionibus (IV Reg. vi, 16 et 17)*. Paulus quoque qui dixit, periculis in mari, periculis in deserto se esse jactatum (*II Cor. xi, 26*), tamen ipse testificatus est dicens : *Si Deus pro nobis, quis contra nos (Rom. viii, 31)*? Ergo si ille derelictus, et destitutus ab hominibus, apud Deum abundat et profluit. Nam et Elias destitutus erat, ita ut diceret : *Domine, accipe animam meam (III Reg. xix, 4)*; et tamen vigeat apud Deum, ut ipsis esset regibus virtute terribilis.

59. Quomodo juvenis hoc David potuit comprehendere? Juvenis enim magis temporalia, quam æterna considerat; quia ætas ea propendet ad vitia. Sed sunt quidam in juventute senes, et alii juvenes in senectute. Sunt, inquam, viri quorum animi senilium gravitate censentur, in quibus **804** ætas senectutis sit vita immaculata, in quibus vigeat incana prudentia : qualis erat Hieremias, qui cum se juvenem contuitu memoraret ætatis, et per juventutem excusaret, quod prædicandi impar officio videretur, ait illi Dominus : *Noli dicere : Quia juvenis ego sum; quoniam ad omnes ad quoscumque miserote, abibis (Jerem. i, 7)*. Ita juvenem non putavit, quem aptum propheticæ gratiæ judicabat. Talis ergo juvenis fuit David, qui renovatus esset, et reflorisset, ut ipse dixit (*Psal. cii, 5*), velut aquilæ juvenis sua. Sic ergo intelligi oportet : *Juvenis fui*; sed sanctificatus, sed propheta in gentibus positus, qui jam possem regni cœlestis sacramenta cognoscere, et vera præmia considerare justitiæ : sed non

^a Hunc locum memoriter citavit Ambrosius; quandoquidem Jacob fugienti fratrem ea tribuit, quæ ab eo in patriam redeunte dicta memorantur. At ibi etiam reperitur aliqua varietas; cum pro, *castra Ange-*

lorum, LXX interp. habeant, *παρεμβολή Θεοῦ αὐτῆ* : qua in lectione ipsis sacri omnium idiomatum codices consentiunt.

vidi justum derelictum. ^a Postea quoque alibi et usu A roboratus et munere, acquisivi incrementa sapientiae. Eadem circa justum visa est mihi gratia permanere.

60. Explānavimus, ut potuimus, quomodo dixerit: *Juvenis fui*; sed quomodo addiderit: *Etenim senui*, consideremus. Bona juvenus, sed melior senectus; qui enim usque in finem perseveraverit, hic salvus erit. Unde non perfunctorie de patriarcha Abraham dictum est (*Gen. xxv, 8*), quod nutritus esset in senectute bona. Et Joannes senex cœpit scribere Evangelium, vel Epistolas, qui cum refugeret apostolum se scribere, seniore scripsit (*Epist. ii et iii*); nec minor est aestimatus, cui ^b cygnea quædam suppeteret gratia senectutis. Ipse Vas electionis dominicæ scribens ad Philemonem B ait: *Cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vincit Christi Jesu, obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo (Philem., 9 et 10)*. Volens itaque illi plurimum deferre, seniori Paulo eum, non juveni comparavit; et ibi se senem esse gloriatus est, ubi jam in vinculis tenebatur. Et videte distantiam; adolescens significatus est in alterius passione, senex in sua (*Act. vii, 57*). Ibi ut adolescens, quia Judæorum vestimenta servabat; hic senex, ubi sui corporis exuvias exuebat. Denique et Petrus ibi senex dicitur, ubi certamen est passionis: *Cum junior, inquit, esses, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum C (Joan. xxi, 18)*. Ante certamen junior dicitur, in certamine senex, qui omne certamen impleverit. Hoc ergo dicit David ille juventutē bellator, in senectute pacificus: *Juvenis, inquit, fui; sed nolo me adhuc juvenem putes: Etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

61. Quod est semen justī? *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus; non dicit: Et seminibus, tamquam in multis; sed sicut in uno: Et semini tuo, quod est Christus (Galat. iii, 16)*. Audi justī semen. *Filioli mei, quos ego parturio, donec formetur Christus in vobis (Galat. iv, 19)*. Et nunc si quis ex gentibus veniens sermonem audiat nostrum, et Dominus juvare dignetur, ut formetur Christus in animo ejus, quo D partus fidei ferat; semen ei Christus erit. Illic in utroque. Abraham itaque et generationis pater erat secundum **805** carnem, et is qui verbum Domini in pectoribus justorum primus infuderit. Et ideo hoc semen Abrahæ panes istos quibus præbeatur corporalis alimonia, non requirit; quia habet panem justitiæ, qui descendit de cœlo (*Joan. viii, 59*). Sicut enim negantur filii Abrahæ qui opera Abrahæ non

^a Edit. Rom., *Postea quoque senui; id est, et usu roboratus, etc.* Optimus sensus. Sed ei tamen ant. edit. ac mss. omnes reclamant, quorum consensum secuti sumus.

^b *Cyanea... gratia senectutis, id est, suavior senectus; ex communi scilicet errore veterum, a qui-*

fecerint: ita semen Abrahæ sunt, et inter filios recipiuntur, qui opus ejus effecerint. Verum Abrahæ semen Elias, cui angelus alimenta præbebat, et in virtute escæ illius quadraginta dierum curriculis ambulabat. Non requirebat istam corporis hujus alimoniam verum semen Abrahæ, cui panes deferebantur de cœlo. Denique corvi ei quotidianum convivium ministrabant. Ita indigus erat omnium, ut nihil haberet suum, et mittebatur ut victum aliis largiretur. Verum semen Daniel, cui inter leones posito aerea fercula per Habacuc prophetam referta niessorum epulis vehebantur. Est ergo panis Angelorum, quem manducavit homo; sic enim scriptum est: *Panem angelorum manducavit homo (Psal. lxxvii, 25)*. Hic est panis, de quo dixit David: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit: in loco viridi ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me (Psal. xxii, 2)*. Bonus David docuit me panem angelorum, et ipse me docuit aquam refectionis. Hæc refectio spiritalis est, hæc refectio requies est mentis internæ. Bona aqua, quæ peccatum lavat, mundat internæ. Quæ sit aqua hæc, audiamus. *Si quis, inquit, sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem incipiebant accipere, qui credituri erant in eum (Joan. vii, 37 et seq.)*. Ergo nec hoc panem, nec aqua refectio indiget justus, cui Spiritus sanctus est, requies et refectio.

62. (Vers. 26.) Quomodo autem poterit indigere qui *tota die miseretur et fenerat*? Quid est quod fenerat justus? Non æs, non ferrum, non plumbum: sed argentum igni examinatum. Hoc defert ad mensam Domini, et dividit requirentibus: cui unam, cui duas, cui quinque mnas quotidie dividit, et numquam deficit. Sed fenerationem audivimus in Lege reprehensam, dicente Moyse: *Non fenerabis (Deut. xxiii, 19)*. Duplex est feneratio: una pecuniæ, altera gratiæ. Divide utramque; quia scriptum est: *Si recte offeras, non recte divides, peccasti: quiesce (Gen. iv, 7)*. Et tu recte divide, ne pecces. Ipse Moyses doceat te dividere, qui admonuit recte dividendum; ^c ut sequaris, quod Abel egit, qui recte divisit: fugias quod Cain parricida fecit, qui recte dividere nesciebat. Dividit ergo Spiritus sanctus divisiones, qui operatur omnia dividens singulis prout vult: ille prout vult, tu prout potes, prout ingenio vales. Divide quando Lex de pecunia dicat, quando de gratia. Dixit enim tibi: *Fenerabis gentibus, cujus Dominus usuras exigit: tu autem non mutuaberis (Deut. xv, 6)*. Est et pecunia feneratoris, est et gratia, cujus Dominus usuras exigit; pecunia feneratoris, æs habet, gratia fidem confert. Fenerato ergo **806** fidem gentibus, ut tibi abundet gratia: tu autem noli mutuari quasi indigus, bus cygni sub mortem imminentem suaviter canere asserebantur. Sed hoc merum esse commentum jam diffidetur nemo.

^c Codices aliquot manu exarati: *ut sequaris quod Abel qui recte divisit: fugias quod Cain erat, parricida erat, qui recte, etc.*

sed quasi dives et locuples fenerato. Feneravit Petrus, feneravit Paulus, feneravit Joannes Evangelista, vel ^a uterque, et non indiguit; hoc est, fenerarunt pecuniam Christi, non fenerarunt pecunias ad usuram. Fenera ergo, et noli desistere fenerare. Audis quid dicat Scriptura: *Tota die miseretur et fenerat.* Justus per diem fenerat, avarus in nocte; gratia enim lucis est, avaritia autem usura tenebrarum est. Et ideo semen fenerantis fidem in benedictione erit, habens utique præmium benedictionis.

63. (Vers. 27, 28, 29.) *Declina a malo, et fac bonum; ^b et inhabita in sæcula sæculorum. Quoniam Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos: in æternum conservabuntur. Injusti autem punientur, et semen impiorum peribit. Justi hæreditate possidebunt terram; et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* His versiculis demonstrat Propheta quod pertineamus ad Dominum, et ipse arbiter cogitationum, operationumque nostrarum sit, spectans merita singulorum, qui nihil sine judicio agit; sed malos et bonos actus judicio discernit. Declinandum ergo est a malo et faciendum est bonum. Ne bona malaque confundas, prius est ut crimine careas; postea ut innocentiae fructum deferas, quo possis esse perpetuus. Noli putare quod Deum tua peccata prætereant; sic enim plerique labuntur. Ipse universa cernit et damnat, et impiorum semen exterminat; semen utique non corporalis generationis, sed mentis internæ et impietatis successionem (*Job. 1, 1*). Nam utique Job de semine Esau genitus Scripturæ testificatione signatur. Quomodo ergo semen Esau periit in Job, cum tantus iste vir fuerit, ut venturum in terras Dominum prævideret, qui cetum istius sæculi diabolum subjugaret? Ergo hoc quæritur, ne malitia transfundatur in posteris. Hoc per baptismatis sacramentum Christus operatur, ut exuat unusquisque quod natus est, induat quod renatus: fiat ^c non familiæ hæres, sed gratiæ; ut perpetuum domicilium habitationis æternæ sibi possit acquirere. Qui autem habitare meruerit in sæculum sæculi, et ipse honorificabit Deum in sæcula sæculorum.

64. (Vers. 30 et seqq.) Ubi moralibus justum instituit disciplinis, ut qualis deberet esse, te doceret, quæve esset perfectæ formæ justitiæ; ad sapientiam et ^d theoremata mentem vult ejus assurgere; et excitat ejus intentionem, ut spectet intento corde cœ-

lestia, et divina intra se volvat oracula, atque ad ea quæ complaceant Deo, suum informet affectum: sit meditatus in Lege, nec ulla eum Domini mandata prætereant; ^e motus divini Sacramenti cognoscat. Denique abhinc vidi in præceptis sanctum Prophetam assurgere: *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. Lex Dei ejus in corde ipsius: nec damnabit, 807* inquit, *eum Dominus: cum judicabitur illi. Exspecta Dominum, et custodi viam ejus; et exaltabit te, ut hæreditate possideas terram: cum perierint peccatores videbis. Vidi impium superexaltatum et elevatum ultra cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; et quæsi eum, et non est inventus locus ejus.* Superiora moralia, hæc intelligibilia. Quod est justi os quod meditabitur sapientiam, ^f nisi interioris hominis? Duo sunt enim homines in singulis: unus interior, alter exterior; interior cogitat quæ mentis sunt, quæ mentis sunt loquitur; exterior quæ sunt corporis. Tamen adveniens Dominus utrumque conjunxit; et duos in uno homine condidit; ne diversis sese impugnent motibus, sed invicem sibi voluntatum suarum unitate socientur. Ideo *os justi meditabitur sapientiam.* Jam enim et ipse exterior homo justi in interioris hominis transfusus est disciplinam: et in ejus conformatus naturam, ipsius exercet officia, ut caro meditetur quod mentis internæ est. Sed ne hoc incredibile tibi videatur, audi Apostolum dicentem (*Philip. 3, 21*) quia Dominus ^g Jesus transfiguravit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fieret corpori gloriæ suæ. Quis audeat dicere carnem sine peccato, carnem assumptam ex Virgine, carnem Spiritu Dei in Mariam superveniente generatam, quæ in nullo discrepavit a sapientiæ disciplinis, interioris hominis exsortem fuisse virtutum, nec in usus ejus transire potuisse; cum supra hominem fuerit quod tactu ejus sanabantur ægroti, cæcis refundebatur aspectus, mortui resurgebant? Competenter ergo scriptum est: *os justi meditabitur sapientiam;* eo quod totus homo sit spiritualis, non utique terrenus: qualis enim terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Absit ergo terrenus, remansit cœlestis. Ideoque in tempora Redemptoris referens Propheta, *meditabitur, dixit: licet unus e pluribus, meditatur, scripserit.* Nec abhorret a sensu; quia prophetarum spiritui futura pro præsentibus sunt. Alii putant os pro mente di-

^a Uterque, nimirum Evangelista et Baptista.

^b Rom. edit. hunc versum, ac 29 ita mutaverat, ut in hoc poneret: *Et inhabita in sæculum sæculi; in illo autem: Et honorificabunt Deum in sæcula sæculorum.* Haud dubie ad id respexerat, quod infra legimus: *Quid autem habitare meruerit in sæculum sæculi, etc.* Sed hoc contra mss. et vet. edit. consensum parum valere existimamus.

^c Edit. ac mss. Vict. et Colb., *fiat non famulæ hæres, sed gratiæ.* Codex Vat. cum quinque Gallic., *fiat non familiæ, etc.* Melius; hic enim generis sive successionis hæredibus hæredes gratiæ opponuntur.

^d Theoremata, id est, contemplationis argumenta, sive, ut vocant, objecta.

^e Vet. edit. ac mss. Vict. et Colb., *Modos divini*

sacramenti cognosce. Rom. *Motus divini sacramenti cognosce.* Mss. sex ut in textu, nisi quod Reg. habet *sacramenta.* Haud scimus an omnium optime, ut sensus ille efficiatur: Motionis atque operationis divinæ mysteria cognoscat.

^f Edit. vet. ac Rom. cum mss. Colb. ac Vict., *nisi interior homo.* Mss. duo Vat. et quinque Gallic., *nisi interioris hominis.* Bene. Hic enim subintelligendum *os*, quod superiori versu expressum est; licet omittatur in Vict. et Colb. Porro e superioribus versibus tres ab aliis avulsos Rom. edit. alibi transcripserat, quos priorum edit. ac mss. formæ restitimus.

^g Mss. aliquot, *transfiguravit corpus humanitatis nostræ.*

ctum. Pulchre autem istud exposuit nobis ^a Salomon dicens: *Narratio justi semper sapientia: stultus autem sicut luna mutatur (Eccli. xxvii, 12)*; id est quod sæpe varietur, nec in sua perseveret sententia, et tamquam in tenebris lumen videatur offundere, nec tenere.

65. Sit ergo tibi semper in corde et ore meditatio sapientiæ, et lingua tua loquatur iudicium, lex Dei tui in corde tuo sit. Ideo tibi dicit Scriptura: *Loqueris in illis sedens in domo, ambulans in via, dormitans, resurgens (Deut. vi, 7)*. Loquamur ergo Dominum Jesum; quia ipse est Sapientia, ipse est Verbum et Verbum Dei. Nam et hoc scriptum est: *Aperi os tuum verbo Dei. Ipsum spirat, qui sermones ejus resonat, et verba meditat. Ipsum* **808** *semper loquamur. Cum de sapientia loquimur, ipse est: cum de virtute loquimur, ipse est: cum de justitia loquimur, ipse est: cum de pace loquimur, ipse est: cum de veritate, et vita, et redemptione loquimur, ipse est. Aperi os tuum Dei verbo, scriptum est: tu aperi, ille loquetur. Ideo dixit David: Audiam quid loquatur in me Dominus (Ps. lxxxiv, 9). Et ipse Dei Filius dicit: Aperi os tuum, et adimplebo illud (Ps. lxxx, 11). Sed non omnes ut Salomon possunt percipere sapientiæ perfectionem; non omnes ut Daniel. Omnibus tamen pro possibilitate infunditur spiritus sapientiæ; sed omnibus qui fideles sunt. Si credas, habes spiritum sapientiæ; ideo Sapiens dicit: Credidi propter quod locutus sum (Ps. cxv, 10). Cum credideris, accipies loquendi gratiam. Et qui credit, redimitur; et qui orat, redimitur: si pie intendat orationibus, et in oratione assiduus sit, diem præveniat, noctem frequentet, ^b soli matutinus occurrat, ut ante ipse illuminetur a Christo, quam terra solis exortu; et qui psallit redimitur; et qui compungitur, redimitur.*

66. Ideo semper meditare, semper loquere quæ Dei sunt, *sedens in domo*. Domum possumus accipere Ecclesiam, possumus accipere domum interiorem in nobis, ut intra nos loquamur. Sedent iudices in Hierusalem; sederunt sedes in iudicio; sedit etiam iudicum concilium, et libri aperti sunt. Prophetia dicit: *Et tu cum consilio omnia fac (Eccli. xxxii, 24)*. Cum consilio de factis tuis iudica, cum consilio vinum bibe, cum consilio loquere; ut effugias peccatum, ne incidas per multiloquium. *Sedens loquere tecum, quasi qui iudices: in* **D** *via loquere, ne umquam vaces. In via loqueris, si in*

^a Mirabere forsitan Ecclesiasticum hic et sequenti psalmo in vers. 12 Salomoni adjudicari; cum non solum Augustinus de hoc sicut et de libro Sapientiæ scripserit lib. xvii de Civit. Dei, cap. 20, *Non autem esse ipsius, Salomonis scilicet, non dubitant doctiores*; sed et Ambrosius ipse, lib. i de Interpell. Job, cap. 5, num. 6, eundem Ecclesiasticum testatur scriptum fuisse a Sirach. Verum cum illi Salomonis titulum imposuit, id fecit eo permotus quod propter eloquii verba sunt Augustini loco citato, *nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicatur, obtinuit consuetudo*; vel quod eundem ex sententiis Salomonis compilaverit Jesus filius Sirach. Quod autem spectat ad ejus auctoritatem, quamvis non semper tanta fue-

A Christo loquaris, quia via Christus est. In via loquere tibi, loquere Christo. Audi quomodo illi loquaris. *Volo, inquit, viros in omni loco orare, levantes puras manus sine ira et disceptatione (I Tim. ii, 8)*. Loquere, o homo, *dormitans*, ne tibi somnus mortis obrepat. Audi quomodo dormitans loquaris: *Si dederò somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (Ps. cxxxii, 4 et 5)*. Vincenaturam diligentia, exclude corporis somnum. Naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam. Homo erat David: indulgebat aliquid somno per noctem; sed excludebat somnum, lavans per singulas noctes lectum suum et lacrymis irrigans stratum suum. Ideo memor erat in stratu suo semper Domini sui, et in ipso meditabatur; ut diluculum præveniret, et in tenebris ei illucesseret Christus dicens: *Surge qui dormis (Ephes. v, 14)*. Non in omnibus hæc gratia est, sed potest esse et in pluribus diligentia. Ne igitur expectes ut excitet te Christus; sed potius Christum excita. Excitat eum qui de ipso dormitans cogitat. Si tu illum excitaveris, et ipse **809** te excitabit a somno, resuscitabit a morte dicens tibi: *Exsurge a mortuis (Ibid.)*. Cum surges ergo vel resurges, ipsum loquere, ut impleas quod juberis. Audi quomodo te Christus excitet. Anima tua dicit: *Vox fratris mei pulsat ad januam (Cant. v, 2)*; et Christus ait: *Aperi mihi, soror mea, sponsa*. Audi quomodo tu exsuscites Christum. Anima dicit: *Adjuravi vos, filia Hierusalem, si suscitaveritis et resuscitaveritis charitatem (Cant. iii, 5)*. **C** Charitas Christus est. Audi etiam quomodo dormiens loquaris: *Ego dormio et cor meum vigilat (Cant. v, 2)*. Hæc communiter: attolle nunc paulo altius mentem tuam.

67. Loquere *sedens in domo*, in hac terrestri domo hujus habitationis, quæ dissolvitur, in qua peregrinamur a Domino. In corpore enim isto positi, dum supervestire magis quam nos exspoliare volumus, exsulamus a Christo, et graviter ingemiscimus. In hac sedens ergo confitere peccata tua; quia sedisti, et non stelisti, et non dixisti: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Hierusalem (Psal. cxxi, 2)*. Loquere magis, et noli occultare delicta; loquere sedens: ut audias dicentem: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris (Psal. cxxvi, 2)*. Loquere *in via ambulans*, id est, carpens vitæ istius cursum. Hic loquere, ne illic obmutescas, sicut ille obmutuit

rit in orientali Ecclesia, maximam tamen semper fuisse in occidentali constat, tum ex loco Augustini jam laudato, tum ex eo quod ipsum Ambrosius, lib. de Bono Mortis, cap. 8, num. 35; de Elia et Jejunio cap. 18, num. 67, et in Psal. cxviii, serm. 20, vers. 153, atque alibi numquam non pro authentico habet. Uberius de hoc eodem libro disputatum reperies apud Huetium, in Demonst. Evang. prop. 4 de Ecclesiastico, num. 1, 6 et seq. Videsis etiam B. Thomam; i p. q. 89, a. 8, ad 2. Item 2-2, q. 174, a. 4, ad 4, et Patrem Nicolai ad utrumque locum.

^b Ita edit. et pauci mss. Alii majori numero, *solis matutinis occurrat*. Haud male, si mente suppleris, *radiis, horis, vel quid simile*.

qui angelo Christi ante non credidit; postea tamen cum credidisset, vocem recepit. Loquere dormiens et quiescens, consepultus in Christo; ut cum ipso in novitate vitæ resurgas. Loquere etiam sepultus in tumulo; sicut loquebantur animæ sanctorum, petentes de mortis auctore vindictam. *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non iudicas et vindicas sanguinem nostrum (Apoc. vi, 10)?* Loquere postremo cum surgis; sicut docuit ille qui dixit: *Ego dormivi, et quievi, et resurrexi; quoniam Dominus suscipiet me (Psal. iii, 6).* Et illic ergo: *Os iusti meditabitur sapientiam,* donec ad sublimiora tabernaculi secreta cœlestis, ac sacræ plena jucunditatis atque lætitiæ ipse perveniat; quemadmodum Scriptura nos docuit, dicente David: *Hæc recordatus sum, et effudi super me animam meam; quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. In voce exsultationis et confessionis sonus epulantis (Psal. xli, 5).* Ergo et sedentes in hac corporea domo, et egressi hinc, atque ambulantes in via, cum rapiemur, si meremur, obviam Christo, et dormientes loquimur.

68: Accipe tertiam ἀναγωγήν, qua se anima elevat iusti. Est enim quidam spiritalis somnus intelligendus, de quo Salomon ait: *Si enim sedeas, sine timore sedebis; si dormias, suaviter requiesces, et non timebis pavorem qui superveniet tibi, neque impetus impiorum supervenientes tibi (Prov. iii, 24 et seq.).* Cum suavitate requiesces, et pavorem, et supervenientes impiorum impetus non timebis; si lingua tua loquatur iudicium Dei, et semper illud ante oculos habebas; ut peccato locum nullum relinquant, et noveris quod delicti pretium supplicii retributione solvetur. Ipse enim hoc in nonagesimo interpretatus est psalmo dicens: *Non timebis a timore nocturno, et a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, ab occursu et dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis; et retributionem peccatorum videbis (Ps. xc, 5 et seq.).* Iustus enim cum **810** loquitur iudicium Dei, vel cum loquitur ipse quæ iusta sunt, et veri plena iudicii, non cum iracundia loquitur, non ex animi mœrentis afflictione, non ex dolore, non ex aliqua passione; sed loquitur ex veritate, loquitur ex æquitate, ut non propendat affectu, sed quæ loquitur, vero pendat examine: iudicat enim quæ dicenda sint, vel non promenda. Cui simile est illud: *Labia sapientium alligata sunt sensu (Prov. xv, 7);* eo quod omnia quæ loquuntur, vero sensui convenire videantur, et sensus sui prudentia intelligant, quæ loqui debeant vel tacere: ut quæ silenda sunt, cohibeant clastro quodam nexuque labiorum; in iis autem quæ oporteat dici, labiorum vincula resolvantur. Merito ergo præmisit: *Os iusti meditabitur sapientiam;* meditatio enim diuturna plenum poterit habere iudicium, quòd loquetur iustus in tempore; cum ea quæ perfecta sunt, facie ad faciem, viderit. Nunc enim de iis quæ non comprehendimus, loqui

vera non possumus. Denique nec Paulus præsumpsit dicere, qui raptus in paradysum audivit secreta cœlestia: sed volens non in iis errare quæ diceret, ait: *Quam inscrutabilia sunt iudicia Dei, et investigabiles viæ eius (Rom. xi, 35)!* Nunc autem absolutus corpore, forsitan investigabilium viarum genera, et iudicia eius quæ sicut abyssus multa sunt, comprehendit.

69. (Vers. 31.) Adhuc iustitiæ forma describitur et augetur, dicente Scriptura: *Lex Dei ejus in corde ipsius; et non supplantabuntur gressus ejus.* In corde iusti lex Dei est. Quæ lex? Non scripta, sed naturalis; justo enim non est lex posita, sed injusto. In corde ejus lex est, non perfunctorie, sicut in labiis Judæorum; corde enim creditur ad iustitiam. Qui credit, et loquitur; qui autem loquitur, non continuo credit. Denique non credidit populus, de quo dictum est: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me (Esai. xxix, 13).* Si igitur gentes cum ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, cognoscentes quæ sequi debeant vel cavere; quanto magis fidelis et iustus, qui ad imaginem et similitudinem Dei vivit, decora novit et honesta discernere, et uti legitimo quodam naturalis sapientiæ gubernaculo, ne ejus supplantentur vestigia; sicut Esau, quem propter gulæ aviditatem frater supplantavit ut caderet, atque in mortem vestigia ejus effudit.

70. (Vers. 32, 33.) Quo magis iustus est quisque, eo magis illi insidiatur inimicus; et ideo ait Scriptura: *Considerat peccator iustum, et quærit perdere eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.* Videntis ergo peccator quia iustus in ore suo loquitur, et in corde meditatur sapientiam, quia in lingua sua iudicium loquitur, quia in corde suo legem Domini custodit; mortem peccati ei conatur inferre, sed Dominus tuetur eum. Et ideo non timeamus insidias peccatoris, quoniam Deus pro nobis est. Si ergo Deus pro nobis, qui contra nos? Propterea non derelinquet iustum suum Deus, nec damnabit eum, cum habuerit de ipso iudicium. Verus enim iudex est; et ideo iustitia non potest periclitari. Unde et Aquila dixit: *Nec damnabit eum in iudicando eo.* Symmachus: *Nec damnabit, cum iudicatur iustus.*

71. Sed quia Septuaginta viri sic posuerunt: **811** *Cum iudicabitur illi;* putamus quod ad aliud respexerit, quia scriptum est: *Quoniam ipse Dominus veniet in iudicium (Esai. iii, 14).* Sed in quod iudicium? Audi dicentem: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris (Ps. l, 6).* Ideo ergo præbet se Dominus audiendum, ut de se iudicetur, quo magis vincat. Quomodo se præbeat, audi: *Populus meus, quid feci tibi; aut in quo contristavi te; aut quid molestus tibi fui; responde mihi? Quia ex Ægypto eduvi te, et de domo servitutis liberavi te (Mich. vi, 3 et 4).* Et alibi: *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero: tu autem memor esto, et iudicemur (Esai. xlvi, 25 et 26).*

72. Grave hoc iudicium, cum Dominus de se postulat contra hominem iudicari. Quid enim respondeas ei, qui universa tibi contulit, omnibus te præfecit; subiecit tibi Ægyptios, ad quos hospes adveneras, insectantes postea mari mersit. Ille tuos delevit hostes, atque subvertit, ille te creavit et condidit, ille suo sanguine te redemit; et tu tradis te, ut servias ejus inimico! Ille tibi omnia peccata dimisit, et tu graviora committis! Vocat te, in iudicium venies, quid responsurus es ei, qui nisi iterum tibi donet, peristi? Ideoque videns sanctus David hac quadam^a moralitate Dei amplius se gravari, iudicium refugit, misericordiam poscit dicens: *Et ne intres in iudicium cum servo tuo; quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Ps. CXLII, 2)*. Confitetur se in tenebris sicut mortuum sæculi collocatum. Cautè sicut mortuum sæculi dixit, non mortuum; non enim mortui sæculi sunt, qui moriuntur in Christo; illi autem sunt mortui sæculi, qui omnem vitam suam quam vixerunt in sæculo, in interitu et morte constituunt. Et ideo quasi desperatus ad remedium confugit dicens: *Cito exaudi me, Domine; quia defecit spiritus meus (Ibid., 7)*. Talis enim iudicii proposita sibi oblatione defecit, in quo examinanda veritas foret potius, quam misericordia conferenda.

73. Tamen tam pius est Dominus, ut etsi nemo iustificetur in conspectu ejus vivens (quis enim quamvis iustus non obnoxius est peccato; aut cuius talis est vita, ut digna iudicetur Dei similitudine?) utique ad imaginem et similitudinem Dei factus debet, sicut Deus qui sine peccato est, ita et is qui ad imaginem ejus est, sine peccato esse. Qua ergo dignus est poena qui gratiam tantam Dominicæ operationis, et similitudinem divini decoris amisit? Sed quia misericors est, etiamsi ipse se iudicio subiciat; iustum tamen non iudicat, sed iniustum. Iusto parcit, quasi conditionis fragilitate peccanti: iniustum punit, quasi qui detestetur ingratum. Deinde etiamsi^b multa habeas opera iustitiæ, noli esse impatiens atque arrogans, quo præmia tibi iustitiæ in hoc sæculo existimes flagitanda, aut indigne tibi adversa accidisse aliqua conqueraris. Quamdiu enim vivis, certamen tibi debetur, non præmium.

74. (Vers. 54.) Exspecta ergo vel auxiliatorem, vel remuneratorem Dominum: *Et custodi vias ejus;* hoc est exspectare et ejus quem exspectandum putas, mandata conservare. Etsi conteraris, etsi affligaris, etsi ægritudine deficias, tamen exspecta **812** Dominum, et non te confundet spes.

75. Veniet Dominus, *et exaltabit te, ut hæreditate possideas terram*. Liquet superiorem esse terram, non istam in valle terrenam; sed illam quæ est repromissionis æternæ in qua quicumque constituatur, exaltatur a Domino.

76. Videbis autem cum perierint peccatores; tunc

^a Moralitate, id est, usu consuetudinis ac moris humani, quo se nobis Deus accommodat.

^b Cod. quinque Gallic., multam habeas in opera

A enim justorum remuneratio erit, cum iudicium fuerit de meritis impiorum. Sed non uno genere pereunt peccatores. Ante tibi pereunt, si eorum potentiam et divitias non mireris: si non te moveat cum eos honoribus, liberis, amicis abundare cognoveris. Hæc enim sæculi sunt, et sæculum sæculari subjacet malignitati: et princeps mundi iis qui sibi serviunt, favet; secundum illud: *Omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me (Matth. iv, 9)*. Quid quæris ut ea tibi dentur, cum ipse impius qui dat, in eis diutius esse non possit? Transit etiam ipse, quomodo possunt non transire quæ contulit? Tu modo constantem animum gere, justitiam tene, nemo te moveat, et videbis nihil esse impium.

77. (Vers. 35.) Denique audi dicentem: *Vidi impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat*. Vidi eum in sæculo hoc, vidi oculis corporis; vidi etiam jactantem se, et superexaltantem sermonibus suis, æstimantem se aliquid esse, qui nihil est. Quomodo se superexaltat? *Ponam, inquit, thronum meum super nubes: et ero similis Altissimo (Esai. xiv, 14)*. Exaltat se, ut videas eum sicut cedros Libani superexaltatas: et ipsæ altæ sunt, et in monte sunt altissimo. Merito ergo superexaltatæ sunt, et superexaltatus videtur impius, qui se in illo monte constituit, de quo scriptum est: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Tollere, et jactare in mare (Matth. xvii, 19)*. Huic. Cui? Dæmonio, inquit, a quo iste invasus fuerat et oppressus, quem miramini esse sanatum. Ideo charitatem magis habet in Christo, quam potestatem in diabolo. Vides cedrum in monte altissimo superexaltatam; sed vento frangitur, sed igni exurit, sed vetustate dissolvitur: ita est dives in sæculo. Fulget quidem splendore quodam gratiæ sæcularis ut Libanus, nixus est mundi potentia, opibus et divitiis exultat. Videtur tibi aliquid esse, antequam dicas: *Transiens videbo (Exod. iii, 5)*. Sicut enim Moyses animo et mente transivit materialia, et Deum vidit: ita et tu si transeas hinc, ad Dei gratiam vestigium tuæ mentis attollens, videbis eum nihil esse qui in hac terra sibi potentissimus videbatur. Ideo animæ tuæ dicit, menti tuæ dicit Deus Verbum: *Ades huc a Libano, sponsa, ades huc a Libano: transibis et pertransibis (Cant. iv, 8)*. Si transeas sæcularia, pertransibis ad paradisum. Audi transeuntem. *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum (Luc. xxiii, 42)*. Audi iterum pertranseuntem: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (Ibid., 43)*.

78. Quid est: *Ecce non erat*. In principio utique Verbum erat. Et qui Verbum videt, qui particeps Verbi est, utique et ipse est; quia Verbum Dei semper est, et sermo qui de ipso est, non est: Est et non; sed: Est; et manet in eo qui sequitur Deum. Qui autem nescit Verbum, non est, quia non adhæret ei qui dixit: *Ego sum qui sum (Exod. iii, 14)*.

justitiam, noli esse impatiens atque arrogans qui præmia, etc.

813 Qui autem adhæret ei, unus spiritus est. Ubi autem spiritus, ibi et vita. Ideo tibi dicit Scriptura de Deo: *Qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt* (Rom. iv, 17); hoc est, vocat gentes quæ non erant, tamquam populum suum qui erat; erant enim patres nostri, qui erant electi Dei. Et alibi dicitur: *Cognovit Dominus qui sunt ipsius* (II Tim. ii, 19); non cognoscit eos qui non sunt. Et Esther ait: *Non des virgam regni tui iis qui non sunt* (Esther. xiv, 11). Recte ergo justus dicit: *Et transivi, et ecce non erat*; hoc est, vidi eum superexaltatum in sæculo, antequam considerarem quia nihil est sæculum. Ubi autem transivi mente supra mundum, vidi quia jam non erat, qui ante erat superexaltatus in hoc mundo.

79. Et tu, si justus es, transi a præsentibus ad ea quæ futura sunt, et transibunt tibi præsentia. *Cælum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt* (Matth. xxiv, 35). Justo ergo omnia transeunt. Transit impius, similis vanitati est, et dies ejus sicut umbra prætereunt. Nec solum prætereunt justo præsentia; sed etiam cum ad ea quæ sunt futura, intenderit, jam ista prætereunt. Vide quomodo justo præsentia præteriere. Utique temporibus David prophetæ Synagoga erat, Ecclesia ex gentibus non erat: et idem futuris quasi præsentibus dicit: *Benedicite gentes Deum nostrum* (Psal. lxxv, 8). Deinde supra ait: *Ascendit Deus in jubilatione* (Psal. xlvi, 6). Transivit perfidiæ ventura tempora, non ætate, sed mente; et resurrectionem Domini multo post sæculo futuram, pia fidei devotione celebravit dicens: *Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite* (Ibid., 7). Quasi interesset ipsis Christi et Ecclesiæ nuptialis copulæ sacramentis, ita tripudiat et gaudet. Causam quoque celebritatis expressit dicens: *Regnavit Dominus super omnem terram* (Ibid., 8). Ergo si nos prætereamus, et illa præteriisse quæ futura sunt, nobis videntur; ut si in navigando terram prætereas, illam quoque videas præterire, et quasi a te discedere. Sæpe nautæ, maxime in tempestate, fugiunt terram; et tamen cum eam fugiunt navigantes, ipsa potius fugere videtur a navigantibus. Et tu si fugias mundum hunc, et ipse te effugiet; si prætereas terram hanc, et ipsa te præteribit. Et tu in mari hoc navigas, et in hoc sæculo fluctuas; fuge terram, saxa habet, lapides habet; sicut scriptum est: *Lapides de via projicite* (Esai. lxxii, 10). Si festines per aerium hoc profundum ad portum divinæ voluntatis, videbis tibi hæc omnia præteriisse. Quid enim interest utrum præterierint, an tibi ea iudices præteriisse?

80. Est et alius impius qui videtur exaltatus et elevatus super cedros Libani; et si transeas, non erit, nec locum ejus invenies. Vide mihi scribam Judaicum reddentem seriem veterum Scripturarum, sed non sequentem; audis quia labiis reddit, miraris

^a Psalterium Græc., *ψάλασσε ἀκακίαν*. Hebr., *custodi integrum*, id est, integritatem. Syr. . . . *simplicitatem*. Arab. . . . *mansuetudinem*. Multa Lat., . . . *veri-*

ut doctum. Interrogas quid sentiat: respondet secundum litteram, percurrit historiam. Superexaltatus videtur tibi et elevatus, si **814** litteram cogites. Transi ad intelligentiam spiritalem, quia Lex spiritalis est; vides illum nihil esse, tum dicis: *Vidi impium superexaltatum. . . . et transivi, et ecce non erat; et quæsi eum, et non est inventus locus ejus*. Quæsi eum ubi esse debuerat, ubi vita est: non illum inveni. Non erat ibi, ubi vita erat; quia mortuus erat, et ideo nec locus ejus inventus est. Quis enim mortui locus, qui non erat, nec fuit umquam? Non enim fuit, qui in littera erat; littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quæsi ergo eum, ut invenirem: ille se non præbuit, ut inveniretur; hoc est, ego eum volui convertere: ille se mihi præbere noluit, ut converteretur. Feci quæ erant quærentis: ille refugit ea, quæ esse debuerant revertentis. Denique anima quæ converti vult, Verbum requirit; et cum invenerit, dicit: *Tenui eum, et non dimittam eum* (Cant. iii, 4), hoc est, Dei Filium; Dei Verbum. Injustum autem qui sanari noluit, quæsi eum, et non inveni; et ideo non illum imiteris.

81. (Vers. 57.) *Custodi innocentiam, et vide æquitatem*. Qui custodit innocentiam, æquitatem videt; quoniam qui mundus est, Deum videt, cujus virga recta est, et recta justitia; ut aversetur eos qui declinaverint ad studia pravitatis. Bona innocentia, quæ Deum videt. ^a Denique alii posuerunt: *Custodi perfectionem*; perfectus est enim qui malitiam nescit, nec dolum novit. Ideo inquit: *Custodi perfectionem; quia sunt reliquiæ homini pacifico*. Reliquiæ dicuntur hominis de corpore mortui, de ejus exuviis. Ideo reliquiæ, quia post mortem hominis videntur superesse; supersunt enim quæ servantur ad resurrectionem. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem et hoc mortale induere immortalitatem. Ergo magis reliquiæ sunt hominis spes resurrectionis, et fides conversionis, et gratia dilectionis; quoniam impii non resurgunt in iudicium; vita autem Justorum nota est Deo, et iudicio Domini comprobatur. Huic loco pulchre illud convenit *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (Rom. xi, 5).

82. (Vers. 38.) *Injusti autem disperibunt simul; reliquiæ impiorum interibunt*. Justorum reliquiæ virtutes sunt: impiorum reliquiæ improbitas atque perfidiæ peccatum. Ea delebuntur, ut non sint.

83. (Vers. 39.) *Salus autem justorum a Domino; non a sæculo, non ab elemento*. Cælum et terra præteribunt. Non committo salutem meam cælo; quia et ipsum præterit, quia de pluribus cælis dictum est: *Ipsi peribunt, tu autem permanes* (Psal. ci, 27). Deo soli committo, qui permanet, qui potest peccata donare; ut protector meus sit in tempore tribulationis, et adjuvet me, et liberet me, et eripiat me a peccatoribus iudicii sui tempore, et salvum me faciat, quo-

tatem. Nullum, quod viderimus. . . . *perfectionem*; licet ea lectio quam minimum ab Hebræo dissentiat.

niam speravi in eum. In ipsum solum speravi; non A tuitas a sæculis, et nunc et semper, et in omnia sæ-
vult enim nos et sibi et alii servire. Qui ipsi soli ser- cula sæculorum.
vit, liberatur; quoniam ipsi est laus, gloria, perpe-

IN PSALMUM XXXVII ENARRATIO.

815 PRÆFATIO.

1. De Pœnitentia duos jam dudum scripsi libel-
los, et iterum scribendum arbitror. Primum, quia
utile est vel quotidie veniam delictorum precari;
deinde quoniam in illis duobus libellis adhortatio
pœnitentiæ vel profectus est, si geratur; nunc autem
quemadmodum agi pœnitentia debeat, exprimendum
est; nihil enim prodest agere, nisi ita agatur ut oportet. In quo sanctus David sequendum nobis proposuit
magisterium, qui ideo mihi videtur gustasse pecca-
tum ut doceret quemadmodum peccatum posset abo-
leri. Unde enim medicina, nisi de vulnere sumpsit
exordium? Dum prima ætas generis humani docet
alios quod sibi profuit, et quemadmodum vulnus suum
sanaverit, aliis ostendit; usus artem fecit, et ægri-
tudo magisterium. Ipsa est enim prima et valida secta
medicinæ, quam experientia, non conjectura forma-
vit. Ideoque ab experientia ἐμπειρικοί primo medici
sunt vocati, et ex ea secta cæteræ derivatæ
sunt, ^a atque ab ea usum quemdam suæ sump-
sere virtutis. Quid autem est ad cohortationem pœ-
nitentiæ validius, quam quod sanctus propheta Da-
vid peccatorum nostrorum nos docuit pœnitere?
Quis enim dedignetur humiliare se Deo, cum rex se
humiliaverit? Aut quis dubitet affligere animam
suam, cum propheta tantus afflixerit, solvens pre-
tium lacrymarum pro redemptione peccati? Et quam-
vis toto scriptorum suorum corpore gerendæ pœni-
tentiæ præcepta diffuderit (quis enim ejus psalmus
non medicamentum est conscientia peccatricis; cum
alibi quemadmodum impulsus sit (*Psal.* cxvii, 15),
alibi quemadmodum conturbatus (*Psal.* xxix, 8),
ostenderit: ut non solum quemadmodum sint sanan-
da, sed etiam quemadmodum cavenda vulnera, de-
monstraret, et suo nos doceret exemplo? Quis au-
tem stare se credat, ^b ubi lapsus est etiam fortior)
tamen in trigesimo septimo psalmo majorem vim
doloris interni, et lamentabilis deplorationis ex-
pressit.

2. (Vers. 1.) Denique in exordio ipse nos titulus
admonet hujusmodi præcepta formari; sic enim le-
gimus: *In commemorationem, inquit, diei sabbati
psalmus David.* Plena enim est pœnitentiæ definitio,
commemoratio delictorum; ut unusquisque peccata
sua velut quodam quotidiani sermonis castiget fla-
gello, et commissa sibi flagitia condemnet. Sic enim
docemur, dicente Domino: *Dic iniquitates tuas, ut
justificeris* (*Esai.* xliii, 26). Et Apostolus ait: *Ore*

^a Complures mss., atque ab ea succum quemdam,
etc.

confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10). Sed forte mo-
veat, quia non dixit peccatorum commemorationem;
sed *diei sabbati*, aut (sicut alius habet) *sabbatorum*
(*Exod.* xx, 8 et seq.). Quid est autem sabbatum, nisi
requies futurorum, levamen præsentium, quo Lex
jubet hominum opera feriari, onera deponi? Quæ
sunt graviora onera, nisi nostra peccata? Hæc depo-
nantur in sabbatorum diebus, hoc est, in hoc vitæ
istius tempore. Septem enim diebus hebdomas omnis
concluditur, sex diebus mundus ille formatus est,
septimo die requievit Dominus ab opere suo, qui in
nostra mansuetudine requiescit, **816** sicut ipse
dixit: *Super quem requiescam, nisi supra humilem et
mansuetum* (*Esai.* lxvi, 2)? Absolve te ergo omni
sabbato, et alleva pondus errorum; ut securus ad il-
lius futuri sabbati requiem pervenire merearis. Nam si
hinc peccata gravia portaveris, illic requiem non ha-
bebis. Exonera igitur tuam mentem, rejice omnia
quibus conscientia gravatur et premitur, ne fiat fuga
tua hyeme vel sabbato: vita hæc in labore est, illa
in requie. Leviolem te sæculi hujus reperiat consum-
matio, ne oneratus peccatis fugere non possis. Ante
fuge, ut prævenias. Fugit sæculum, qui sæculi ille-
cebris non tenetur, qui se omni cura ejus absolvit.
Fuge etiam futuram iram, hoc est, iudicii diem. Fu-
git eam qui egerit pœnitentiam; sic enim definivit
Baptista Johannes dicens: *Generatio viperarum, quis
vobis demonstravit fugere ab ira ventura? Facite ergo
fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* iii, 7 et 8).

3. Audistis hodie legi quia Joannes baptizabat in
Ænon, juxta Salim. (*Joan.* iii, 23). Ænon dicitur
oculus suppliciorum: Salim ipse ascendens; hoc ha-
bet interpretatio. Qui ergo baptizari eligit, supplicia
prævidet; et ideo confugit ad baptismatis sacramen-
tum, ut peccatum omne deponat, ne obnoxius inci-
piat esse suppliciis. Et forte supplicia prævidet qui
baptizatur baptismo pœnitentiæ; at vero ille gratiam
D spectat, qui baptizatur in Christo. Baptismus ergo
Joannis, oculus suppliciorum est: baptismus Chri-
sti, oculus gratiarum. Tametsi in Ænon baptizabat
Joannes, juxta ascendentem baptizabat; hoc enim et
ista habet interpretatio, ut Salim dicatur ipse ascen-
dens. Proximus ergo erat Christo, qui ejus nuntiabat
adventum. Etenim Filius hominis qui descendit de
cælo, ipse est et qui ascendit in cælum, ut impletet
omnia. Sed quia qualis cœlestis, tales et cœlestes;
et ille ascendit in cælum, qui terrena deponens con-
sepelitur in Christo; ut cum Christo resurgat a mor-
te peccati ad novitatem vitæ, hæreditatisque consor-

^b Mss. aliquot, ubi lapsum videt fortiorum.

tium; ut fiat, sicut scriptum est: Dei hæres, Christi cohæres (Rom. viii, 17).

4. Vera ergo medicina est gerere poenitentiam: quæ tunc legitime prædicata est, quando medicus venit e cœlo, qui non exasperaret vulnera, sed sanaret. Bonus medicus, qui docuit quemadmodum in hac terra corporis nostri remedia quæreremus; cum flos nobis herbæ salutaris oriretur, qui *de peccato damnavit peccatum in carne*. Antidotum ergo facta est caro, quæ erat venenum ante peccati: quia erat illecebra peccatorum. Audi quemadmodum antidotum caro Dei fit: *Verbum factum est caro* (Joan. i, 14); misit manum in cavernam aspidum, venenum evacuavit, peccatum abstulit; id est, *de peccato damnavit peccatum in carne*.

5. Et ut hoc possit plenius considerari, ipsum Apostoli capitulum recenseamus. Namque ita scriptum est: *Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne; ut justificatio Legis impleretur in nobis, ut* **817** *non secundum carnem ambulemus, sed secundum spiritum* (Rom. viii, 3 et 4). Venit ergo Dei Filius in similitudine carnis peccati: non utique in similitudine carnis venit, qui veram carnem suscepit; sed in similitudine carnis peccati, id est, carnis peccatricis. Facta enim erat fraude et veneno infusa serpentis caro nostra, caro peccati. Postquam est obnoxia facta peccato, facta erat caro mortis; quia erat morti debita. Hujus carnis jam reæ, jam præjudicatæ similitudinem Christus in sua carne suscepit; quia etsi naturalem substantiam carnis hujus suscepit, non tamen contagia ulla suscepit; nec in iniquitatibus conceptus, et natus est in delictis, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis; neque ex voluntate viri; sed de Spiritu sancto natus ex Virgine est. Quid ergo est: *De peccato damnavit peccatum in carne?* Utrum de similitudine carnis peccati; an quia peccata nostra Christus non usu, sed qualitate suscepit: non crimine, sed suæ misericordiæ sacramento; et peccatum pro nobis factus est, qui peccatum ipse non fecit? An vero quia etiam de ista carne peccati, hoc est, nostra hac obnoxia et præjudicata damnavit peccatum in carne, docendo quemadmodum in carne positi non secundum carnem ambulemus, sed secundum spiritum? Peccatum quippe est secundum carnem ambulare; quia luxu, et voluptatibus, et lasciviis, et carnis cupiditatibus vivit, qui secundum carnis sapientiam conversatur; sapientia enim carnis inimica est Deo: unde qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Ideoque peccatum damnat de peccato qui se a carnis vitiis abluendo, secundum spiritum vivit, totus Deo deditus, et cœlestibus intentus oraculis: propter quod Christus advenit, ut non suam, id est carnis, sed Dei faceret voluntatem. Si quis ergo illum sequatur, ut faciat quæ placent Deo, et carnis suæ comprimat appetentiam, imitator est Christi.

6. Quid senserimus, expressimus. Qui legis, elige quid sequaris. Nullus error, ubi simplex pietatis affectus, atque omnis fidelis est sensus. Damnavit peccatum Christus, suscipiendo similitudinem carnis peccati, ut delicta nostræ carnis aboleret. Damnavit peccatum, ut peccata nostra in sua carne crucifigeret; factus pro nobis ipse peccatum, ut nos in ipso essemus justitia Dei, qui eramus captivitas mortis, et præda serpentis. Ergo pietatis est susceptio peccatorum ista, non criminis. Per hoc peccatum nos Deus æternus absolvit, qui Filio suo proprio non pepercit, et peccatum eum fecit esse pro nobis. Deinde damnavit peccatum Christus in carne de ipsa carne peccati, quæ judicabili quodam vigore et auctoritate censoria, odit vitia quæ amare consueverat, et horret impudicitiam, quam voluptatem putabat. Segregat se a lasciviis, abdicat a cupiditatibus; renuntiat criminibus atque flagitiis, propulsat avaritiam, quæ virilitatem quamdam carnis effeminat. En tibi illum Christi imitorem, et ipsum de peccato peccatum in carne damnantem. *Sic curro, inquit, non ut in incertum, sic luctor, non ut aera cœdens: sed castigo corpus meum, et servituti redigo; ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (II Cor. ix, 26 et 27).

818 7. Non superflue, ut arbitror, evagati sumus; quia et hoc ad medicinam hominis pertinebat. Qui medicinæ prospiciens Deus sicut terram istam salubres herbarum atque arborum succos ferre præcepit, quibus carnis vulnera curarentur; ita etiam præceptis salutaribus replevit divinarum seriem Scripturarum, quibus infirmitas animæ sanaretur. Itaque quam grave est, ut muta animalia medicari sibi noverint, et vulneribus suis herbas salubres requirant, deligere non refutent; et hominum industria non requirat, quibus etiam medicus est missus, qui medicinæ salutaris in veteribus Scripturis semina demonstraret, et nova ipse deferret? Quam multa itaque salubria sunt, quæ noxia perfunctorie judicantur? De ipsa terra sumamus exempla.

8. Serpens alit venenum, morsus noxios habet, vulnerat carnem; sed in ipso quoque ejus veneno antidotum reperies, si requiras. Denique caro ejus exurit, cujus pulvere theriaca conficitur, qua veneni vis consuevit hebetari, ut nocere non possit. Non terra ergo in vitio, quæ serpentem generat; sed ille qui nescit cavere serpentem. Ipse serpens potest tibi prodesse, si intelligas; immo si medici præcepta non spernas. Imitandum disce quem putas esse fugiendum. *Estote, inquit, astuti sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (Matth. x, 16). Serva caput tuum sicut serpens; et si laceratus toto corpore fueris, revivisces. Caput tuum Christus est, quia caput ipse est viri: si servaveris fidem, etsi mortuus fueris sicut serpens, et tu resurges. Imitare serpentem, qui exteriorem suum exiit, ut renovetur interior: imitare serpentem, qui venenum suum evomit. Bea-

^a Quinque mss. non usu et qualitate suscepit, nec crimine; sed suæ misericordiæ sacramento, etc.

tus et tu si cogitationes tuas malas evomas, et malitiæ tuæ venena deponas. Celebris sermo est, et scriptorum auctoritate robustus, serpentem aquis appropinquantem sibilo sibi feminæ anguis sponsare concubitus; illam propria consulentem saluti, ea spendere lege petitos coitus sui usus, si serpens venenum evomat; captumque obedire jussis, arma deponere, ac proprii more conventus caput ori ejus inserere; atque, ubi calescere cœperit consuetudo, seu naturæ quadam violentia, seu libidinis ardore feminam stringere ora, morsusque libidinis osculis premere, atque ita caput serpentis abscindi.

9. Nonne in natura serpentis mysterium fidei recognoscas? Serpens ille paradisi prior feminam ad culpæ adulterium provocavit; sed ubi venenum ejus effusum est in hunc mundum, soboles illius feminæ circumventionem parentis, et fraude multa serpentis; armis eum suis exuit, et caput illius amputavit. Quod si venena prævaluerint, et peccatum in quo est aculeus mortis irrepserit; utere medicorum exemplo, ut tibi serpens vel sero moriatur. Conteras ejus venenum, corpusque comminuas, et admixtum salutaribus succis noveris temperandum; ut non solum vim suam et virus amittat, sed etiam fiat remedium de veneno. Moritur autem tibi serpens ille intelligibilis, si tu moriaris peccato, et tibi tua peccata moriantur. Sic conteritur ejus venenum, si te tua facta compungant: sic omne virus ejus aboletur, si bonis operibus tegas, et fideli confessione **819** temperes crimen admissum. Audi quemadmodum virtus draconis ipsius conteratur. Conterat, inquit, Deus Satanam sub pedibus vestris (Rom. xvi, 20). Contere primo cor tuum, in quo erat draconis cubile; ut non inveniat ubi possit habitare: contere draconis carnes: carnes ejus peccata nostra sunt. Ideo tibi dicit Deus: *Epulantur in eo gentes* (Job. xl, 25). Et infra ait: *Præcurrit mori: Carnes autem corporis ejus sunt adhærentes ei* (Job. xli, 13 et 14). Sicut enim sancti, corpus et membra sunt Christi; ita peccatores qui peccatum non deserunt, sed peccato inhærent, corpus draconis et membra sunt. Ideo nos Christi corpus epulamur; illi autem corpus epulantur draconis: nos epulamur, qui Christo adhærere contendimus, remissionem quotidianam et veniam peccatorum; illi autem qui peccatis quotidie peccata connectunt, continuationem flagitiorum epulantur et eriminum.

10. Contere igitur has carnes, et super eas contritionem tui cordis asperge: deinde mitte super omnia ea Jordanis aquam. Jordanis enim descensio et ascensio est, quoniam qui in fontem sacrum descenderit, et adscendit; ut quæ superiora sunt quærat. Descendit enim in mortem Christi, qui baptizatur in Christo, et in resurrectionem ejus ascendit. Si autem jam baptizatus errasti, mitte aquam lacrymarum, non mendacem, sed veram; ut de profundo clames ad Dominum Deum tuum, et

^a Sic omnes mss. ac vet. edit. Rom. vero, *præcurrit mors ei*. Nimirum ex LXX, apud quod legas

A dicatur de te: *Vox audita est in Rama, fletus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt* (Jerem. xxxi, 15). Rachel Ecclesia est, in qua benedicatur plebs Dei: ipsa pro te fleat, ipsa tua peccata deploret, et fleat plurimum; ut consolationem facile non admittat, quemadmodum qui plurimum dolent. Ideo consolari se noluit; quoniam qui eras, esse desisti. Sed hac perseverantia doloris et fletus emereatur ut dicat: *Filius meus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est* (Luc. xv, 32). Aut forte consolari se noluit Rachel in filiis Judæorum; quia non sunt, quos utique ideo genuerat, ut essent. Et ideo non admisit consolationem, occisis parvulis ab Herode; quia nec in adventum Jesu crediderunt, mensuram sceleris adimplentes, ut et parvulos interficerent, ut inter eos et filius Virginis necaretur. Ergo Ecclesia Domini in Judæis consolari noluit, quia non sunt: in Christianis autem qui ex nationibus congregati sunt, epulatur et gaudet; quoniam cœperunt esse, qui non erant.

11. Misisti ergo aquam Jordanis, aquam gratiæ; hoc primum bibe: misisti aquam lacrymarum, aquam pœnitentiæ; hoc secundum est poculum, ut primum repares. Bibe aquam de tuis vasis, bibe aquam de tuis fletibus, ut dicas: *Et potum meum fletu temperabam* (Psal. ci, 10). Fletus ergo tuus, potus est tuus; et lacrymæ tuæ, cibus est tuus. *Fuerunt, inquit, mihi lacrymæ meæ panes* (Psal. xli, 4). Si lacrymæ panes, habes ex peccato iniquitatis cibum conversionis, secundum illud quod legis in Evangelio: *Quoniam cui plus dimittitur, plus diligit* (Luc. vii, 47). Unde sæpe videmus aliquos qui ante negligentes fuerant Christiani, peccato aliquo commisso, fieri diligentiores, et ex illo per pœnitentiam evadere **820** solere perfectos. Sicut igitur ex peccato conversio, ita remedium de veneno. Audi hoc remedium: *Justus in principio sermonis accusator est sui* (Prov. xviii, 17). Venenum, peccatum est; remedium, accusatio sui criminis: venenum, iniquitas est; confessio, remedium prolapsionis. Et ideo vere remedium de veneno est, si dicas iniquitates tuas, ut justificeris.

12. Sed jam psalmum adoriamur, ut ipse nos doceat quemadmodum agenda pœnitentia sit. Itaque sic incipit:

ENARRATIO.

13. (Vers. 2.) *Domine, ne in ira tua arguas me; neque in furore tuo corripas me*. Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad opprobria perferenda injuriasque subeundas; nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat. Cum enim ipse accusare se debeat, quemadmodum alium non sustinet arguentem? Quod si ab homine argui timere non debet, quanto magis a Domino Deo suo, cui omnes etiam in iis quæ sunt occulta, peccamus; cum præsertim con-
ἐμπροσθεν αὐτοῦ τρέχει ἀπόλεια, aut, ut Aquila, *ἐλπί-
μια*.

demnatio præsentium, absolutio futurorum sit. Qui autem non condemnantur in sæculo, cum hominibus non flagellabuntur. Væ mihi! si de me dicatur: *habet mercedem suam* (Matth. vi, 2). Si bonum factum hac condemnatur sententia, quanto magis crimen gravatur? Nam si misericordia facili jactata sermone, fructu fraudatur æterno, quanto magis iniquitatis pœna acerbi fenoris accessione differtur? Ergo qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam; ut hic puniatur a Domino, ^a non ad supplicia æterna servetur: nec expectare tempus, sed occurrere divinæ indignationi.

14. Vide facta David ejus precibus convenire. Offenderat Dominum; quia numerari jusserat populum. Confessione prævenit Dei nuntium, peccasse se valde, et nimis stulte fecisse commemorans: non quasi admoneret oblitum, sed quasi urgeret morantem; ne diutius commotionem differret offensæ. *Peccavi, inquit, valde, quoniam verbum hoc feci* (I Par. xxi, 8); et nunc, Domine, dele iniquitatem servi tui. Quomodo autem deleantur peccata, audi dicentem: *Solutum est peccatum ejus; quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua* (Esai. xl, 2). Non ergo penitus sibi peccatum remitti postulat; sed moderata solutione deleri; hoc est, ut in futurum ejus memoria deleatur. Denique quasi interpellantis voce conventus Dominus, ne vindicta commissi protelaretur erroris, misit ad eum ^b Nathan prophetam; et ille venit ad regem, et dixit ei: *Quid fieri velis, elige: triennium famem super terram: aut tribus mensibus fugere te a facie inimicorum tuorum, et illos persequentes: aut triduo fieri mortem in terra. Et nunc scito, et vide quid respondeam illi qui misit me* (I Par. xxi, 11 et 12). Vide docentem Deum qua moderatione ejus indignatio leniatur, si non penitus verbera recusemus; sed qualitatem levandi, non evitandi supplicii postulemus. Tria proposuit, ut quod moderatius putaret, eligeret. Vide etiam quemadmodum ad pœnitentiam provocat; ut nos offeramus injuriæ: eligere pœnam mandans, ut in ipsa pœna electionis quædam prærogativa servetur, **821** et reo suo blandiatur hoc verbo. Et dixit David ad Nathan: *Angustia mihi sunt in his tribus: sed magis incidam in manus Domini, quoniam magna est misericordia illius, quam in hominum manus* (I Par. xxi, 15). Numquid donari sibi pœnam poposcit erroris? Quod si fecisset, impudentiæ notaretur, qui moderationi divinæ fuisset ingratus. Nam plurimum suffragatur reo verecunda confessio; et pœnam quam defensione evitare non possumus, pudore levamus. Elegit non quod a flagello esset immune, sed quod moderatius judicavit; ut Dei lenitati magis, qui nosset ignoscere, quam hominum se committeret potestati, qui mensuram ultionis frequenter excederent. Miseretur ita-

^a Plures mss., non ad supplicia futura servetur.

^b Rom. edit. hic et infra reposuit e sacris cod. Gad. Verum cum aliæ edit. atque mss. in voce, *Nathan*, consentiant, apparet memoria lapsam fuisse

A que, qui nescit errare; non miseretur, qui erroris est particeps.

15. Nec sefellit sanctum David fides sua, sed in ipsa quoque offensione gratiam divinæ miserationis emeruit. Nam qui proposuerat mortem triduo exercere in terra, ne unum quidem diem passus est præterire; sed ad horam prandii libenter indulgit, et (ut verbo Scripturæ utar) *habuit pœnitentiam super malitiam* (II Reg. xxiv, 16). Vide quomodo te Scriptura hortatur, ut et tu pœnitentiam non refugas, sed sequaris Deum, quem sequi debes. Bene addidit, *super malitiam*; quia videtur omnis dura esse vindicta. Ideo et dies judicii, dies dicitur mala, de qua beatus est qui per Deum liberatur; ut scriptum est: *In die mala liberabit eum Dominus* (Psal. xl, 2). Et dixit, inquit, angelo Dominus ut ibi parceret. Vide autem quia quando vult Dominus ignoscere, dat gratiam et fiduciam deprecandi. Et vidit David ferientem angelum, et dixit: *Ecce ego sum; ego peccavi, et ego pastor male feci, et isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me et in domum patris mei* (I Par. xxi, 17). Si mandaverat Dominus angelo ut parceret, quomodo feriebat adhuc angelus; nisi quia Dominus etsi vult ignoscere, vult rogari, ^c et ut rogetur, operatur? Nec vidisset homo angelum ferientem, nisi Dominus ejus oculis angelum revelasset. Unde et Elisæus dicit: *Domine, aperi nunc oculos pueri hujus, ut videat. Et aperti sunt oculi pueri ejus, et vidit montem equis repletum et curribus in circuitu prophætæ* (IV Reg. vi, 17). Nec te moveat quod persona vilior servuli, quam prophætæ vel regis; quia vilior et equorum et curruum species, quam sanctitas angelorum.

16. Et fortasse aliquibus perfunctorie legentibus durum videatur quod David ille humilis corde atque mansuetus, qui parcebat inimicis, mortem magis populi elegit, quam suam fugam, aut famem super terram. Famem populi vitavit; quia gravior morte et omnibus suppliciis habetur, quam sequitur etiam pestilentia, quæ cœlum contaminat, mortem acervat. Suam fugam non poposcit, propter illud; quia propheta pro populo deprecari poterat, sicut factum est: *populus pro propheta intervenire non poterat*. Scriptum est enim: *Si populus erraverit, sacerdos orabit pro eo; si sacerdos erraverit, quis rogabit pro eo?* Et tamen ubi vidit occidi populum, ipse se angelo **822** ferienti obtulit; ut ipse potius pro populo feriretur. Plus est quod nec ipsa perterritus specie mortuorum gladio se obtulit, quam si sermonem propositæ conditionis optasset. In electione itaque rationem secutus est, in dolore pietatem.

17. Vide autem Domini gratiam, quod et ipse a proposita conditione deflexit. Numquid aliquod miserationis est crimen; quia plus minatur, et minus

Ambrosium. quem auctoritate propria emendare religioni est.

^c Edit. omnes in corpore, et ut rogetur, hortatur. Vet. autem in margine, cumque illis cuncti mss., et ut rogetur, operatur.

exigit? Qui in remuneratione præmiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptum remordet. Cum irascitur in reum, differt: cum miseretur, properat, ut absolvat; terret, ut corrigat; admonet, ut emendet; prævenit, ut ignoscat. Unde et alibi ait Propheta de Domino: *Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto... verumtamen fœx ejus non est exinanita* (Psal. LXXIV, 9). Ad terrendum plenus est calix, ad feriendum non est exinanitus. Plenus erat calix, cum mors per triduum mandaretur: sed occurrit misericordia Dei, tenuit manum Angeli, priusquam calicem istum exinaniret. Ut scias autem quia calix pœna vel gladius est, audi dicentem: *Accipe calicem vini meri hujus de manu mea, et portionabis omnes gentes, ad quas ego mittam te: et voment, et insanient a facie gladii* (Jerem. XXV, 15 et 16). Et ad Hierusalem dicitur: *Bibisti calicem iræ de manu Domini; a calicem enim ruinæ bibisti, et exinanisti, nec erat qui te consolaretur* (Esai. LI, 17). Hierusalem mensuram bibit, quæ supra mensuram peccavit: Ecclesia Christianorum calicem iræ exinanire non novit, sed exinanitum unguentum: propter quam se Christus exinanivit, ut ubique fragraret. De manu Domini hoc munus accepit: poculum autem mortis ignorat. Duos calices lego, unum mortis, alterum vitæ. Mortis calicem suo Christus exinanivit in sanguine; et novum calicem ministravit, ut dicamus: *Calicem salutaris accipiam* (Psal. CXV, 13). Novi calix est Testamenti, qui in remissionem effunditur peccatorum. Effunditur hic calix, ^b et fœx ejus non invenitur, quia mundat omne delictum.

18. Diximus quemadmodum in ulciscendo inflat Dominus commotionem suam: dicamus quemadmodum in remunerando præveniat nostram precationem, et doceamus exemplo. Audi illum ex duobus latronem dicentem Domino: *Memento mei, Domine; cum veneris in regnum tuum* (Luc. XXIII, 42). Respondit Dominus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Ille adhuc rogabat, ut meminisset sui, cum venisset in regnum suum; et Dominus cum nondum venisset, ei jam regnum cœlestis tribuebat. Quam velox misericordia! Tardius votum precantis, quam remunerantis est præmium.

19. Ideo ergo David moderationem tenuit, non remissionem oravit dicens: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me*. Furor græce θυμός dicitur, et iræ impetus. Hoc ergo Latinus voluit exprimere: *Neque in ira, neque in ipso impetu iræ arguas me, aut corripas*. Correptio autem, eruditio est. Ipsa græce dicitur παιδευσις, de qua dicitur: *Beatus homo quem tu erudieris*, **823** Do-

^a Duo mss. ac vet. edit. in margine, *calicem enim iræ bibisti*. Hebr., *calicem enim veneni mortiferi*, vel ut Grot. vertit, *poculum horribile*. Chald., *poculum maledictionis, bibisti*. Et post non multa Rom. edit. sola, *Hierusalem supra mensuram bibit, quia, etc.* Minus bene; siquidem videtur Ambrosius ad id respexisse, quod locus Esaiæ sic habeatur apud LXX τὸ ποτήριον γὰρ τῆς πώσεως, τὸ κόνδου τοῦ θυμοῦ ἐξέπιες, etc. Nam κόνδου genus mensuræ est, quam Sy-

A mine (Psal. xciii, 15)! Non enim Deus passioni patet, ut irascatur, cum sit impassibilis; sed quia vindicat, videtur irasci. Nobis hoc videtur; quia ipsi cum commotione vindicare consuevimus. Plerumque tamen et homines inveniuntur cum vindicant, non moveri; sed summa patientia celebrare vindictam, exercere tormenta. Cur ergo mireris in Deo, si hoc interdum in homine recognoscas? Vindictam autem iram esse supra diximus. Denique usus habet, ut dicamus de quoquam punito, quia iram incidit legem: non quia legum iram, sed quia legum severitatem incidit. Sic et alibi de decem plagis Ægyptiorum ait: *Misit in eos iram per angelos malos* (Psal. LXXVII, 49), id est, vindictam; lex enim nescit irasci, sed scit legum minister. Nescit ergo irasci qui auctor est legum, cui terrendi est voluntas, non puniendi. Imitamini ergo, imperatores, exemplum divinum; ut sitis in statuendis legibus severiores, in exigendis suppliciis misericordes. Severitas legum insolentem restringat audaciam, misericordia principum reos subtrahat pœnæ. Recognoscit igitur Propheta culpam suam, videt vulnera, curari postulat. Qui sanari vult, argui non reformidat: sed non vult argui in furore, sed in verbo Dei. Verbum Dei, sanitas est. Sic enim legimus: *Misit Verbum suum, et sanavit eos* (Psal. CVI, 20). Non vult erudiri in ira; sed in doctrina; ut si medicum roges, ne secet vulnus tuum, sed medicamentum apponat; urget medicamento, sed non secat. Denique est dolor, sed non supra mensuram doloris: mordet, sed non cruentat.

C 20. (Vers. 3.) Et addidit: *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*. Eadem videtur dicere, quæ sanctus Job; sed diversa sunt. Nam et ille ait: *Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt, quarum furor bibit sanguinem meum: cum incipio loqui, compungunt me* (Job. VI, 4). Ille de vulnere sui corporis queritur; hic deplorat animæ suæ vulnera. Et forte ^c hic agit pœnitentiam de peccato: ille causam agit infirmitatis humanæ; et quasi nostræ imbecillitatis assertor, ad remedium operis auxilium Creatoris exposcit. Hic igitur precatur, ille patrocinator. Ideoque vehementior hujus est dolor; quia animæ vulnera graviora quam carnis sunt. Ille dicit sagittas Domini in suo esse corpore, iste deplorat infixas; illius sanguis bibitur, hujus effunditur; ille compungitur, hic vulneratur; illum manus Dei tetigit, super hunc gravi pondere confirmata est; hic animam suam deflet illusionibus esse completam, ille suum corpus ulceribus. Manum autem Dei, virtutem intelligimus puniendi. Hæc manus regem Ægyptiorum propter Abrahæ injuriam ob tentatam Saræ pudicitiam flagellavit.

nagoga totam exhausisse hic declaratur.

^b Rom. edit., et *fœx ejus non invenitur*. Aliæ cum mss.... *non invenitur*. Melius, cum hic aperte significetur calicem novi Testamenti fœculentum non esse, sed purum; ut pote qui nullam criminis maculam non eluat.

^c Vide priores duos libros de Interpellatione sanctorum Job et David.

Hæc manus Ægyptiorum currus, equos et populos Rubri maris demersit profundo. Hæc manus mentem gravavit regis Saul, ut gratiam sui conservatoris odisset; et pro prævaricatione coelestis imperii desertus a sociis, interemptis quoque filiis destitutus, victus ab hostibus (quo spectaculo nihil est deformius regi) gladium in se suum ipse converteret, ne captivus senex viveret filiis et regno superstes. Hanc manum David in seipso expertus et liberis, alterius incestum, alterius parricidium deploravit, et **824** (quod pio patri gravius est salutis suæ exitiis) simul opprobria sobolis, et pietatis deflevit excidia: quorum alter ad incestam accensus de germanitatis affectu, alter ad parricidium armatus est studio castitatis. Vide quemadmodum illos in gravissimis criminibus confinia luserit virtutum. Utinam aut ille sororem non amasset, aut hic non vindicasset! Ad postremum et ipse patriæ sinibus pulsus a filio, fugiebat hostem, quem optabat hæredem: metuebat vincere, ne pietatis dispendio vinceretur.

24. Sed forte aliquis dicat: Quomodo in parricidio, vel in incestu manus fuerit Dei, cum opus illud inimici sit? Cognoscamus igitur quoniam et ubi diabolus vulnerat, sagittæ Domini vulnerare dicantur. Nempe sic legimus, quod cum in concilio angelorum sanctum Job servulum suum Dominus conversus ad diabolum prædicaret (*Job*, 1, 8 *et seq.*): ut ureretur invidus, et humani generis adversarius (laus enim inferioris substantiæ viri, ^a condemnatio ejus est, qui de statu superiore dejectus est) responderit diabolus, quia non gratis Job Dominum veneraretur, qui nutu Dei omnibus abundaret. *Sed mitte, inquit, manum tuam, et tange omnia quæ habet: videamus si non in faciem te benedicat* (*Job*, 1, 11). Et Deus potestatem dedit diabolo, ut mitteret manum suam in omnia quæ haberet Job. Quibus gestis, cum sanctus Job immobilis in sua fortitudine permaneret; quia non est motus Job aut interitu filiorum, aut dispendio facultatum: iterum Dominus ad diabolum dixit, illudens ei, quod dissipasset omnia quæ habuerat Job, filios ejus interemisset; ipsum tamen nequaquam movere de virtutis statione potuisset. Et ille respondit: *Quæcumque habet homo, pro anima sua dabit. Sed mitte, inquit, manum tuam, et tange carnem et ossa ejus* (*Job* II, 4 *et* 5). Et accepit iterum potestatem, ut mitteret manum suam in corpus ejus; tamen ut animam ipsius custodiret. Et perfudit ulceribus sanctum Job (*Job* XIX, 21), ubi est egressus a Domino. Advertimus ergo quod manus Domini dicatur, ubi est hominis, diabolo infestante, tentatio. Siquidem et Job manum Domini dixit esse quæ se tetigerit (*Job* XVI, 12), et sagittas Domini esse memoravit sagittas piratarum. *Et tradidit, inquit, me in manus injusti* (*Ibid.*, 14). Ipse itaque ^b absolvit, quia cum diabolus vulnerat, Domini sunt sagittæ, qui vulne-

randi permisit diabolo potestatem. Denique si mandes, ut tuus servulus verberetur, nonne etiamsi ab adstante alio cædatur, a te dicitur verberatus? Est et illa ratio; quia Dominus ideo dat tentatori potestatem, ut hominum in tentationibus probetur affectus. Ideo fit persecutio, ut fides luceat, virtus excellet, mens interna omnibus manifestetur.

22. Ergo tentatio quasi sagitta penetrat interiora hominis, et quasi gladius Dei, qui scrutatur interna. Gladius autem verbum est Dei validum, et acutius omni gladio acutissimo: de quo gladio audi dicentem Mariæ Simeonem: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius; ut revelentur multorum cordium cogitationes* (*Luc.* II, 35). Verbo enim Dei omnia revelantur, in cujus conspectu nuda et aperta sunt omnia. ^c Anima ipsa videtur, medullæ **825** interiores, cogitationesque manifestæ sunt: nec ulla postremo est creatura, ut Scriptura dicit (*Heb.* IV, 12 *et* 13), quæ se a cognitione ejus abscondat. Ergo vendamus omnia, ut verbum emamus, ipsumque in nostris visceribus recondamus.

25. Ipse postremo diabolus testificatur, quia omnia dat homo quæ habet pro anima sua, nec dignum illud pretium totius patrimonii pro redemptione unius animæ confitetur. Quid parcimus patrimonio, quod et ipse diabolus vile judicat pro salute. Parum dixi pro salute, parum esse et pro errore testatur. Denique, hæc omnia, inquit, tibi dabo, si procidens adoraveris me (*Matth.* IV, 9). Nec solum divitias mundi, sed etiam honores et regna monstravit. Si tanto constat, ut diabolus adoretur; quantum Christianus debet offerre, ut cum Christo resuscitetur? Sed diabolum dimittamus quasi hircum emissionis in desertum; neque enim fidelis assertor est veritatis; etsi aliquando transfiguret se in angelum lucis.

24. Abundant nobis divinarum testimonia scripturarum, quibus instruimur nihil esse in homine pretiosius fide, nullum tantum esse patrimonium, quod salutis nostræ atque animæ pretio conferatur. Fide Abraham patriam suam reliquit (*Gen.* XII, 4 *et seq.*), et terram, et proximos etiam quos videbat; et eum quem non videbat, tanquam adspiciens sequebatur. Moyses quoque animæ suæ pretium majus omnibus Ægypti divitiis æstimavit (*Hebr.* XI, 26). Quid de viris sublimibus loquar? Rahab meretrix (*Josue* II, 4 *et seq.*) alienigena illa de sæculo, tamen animam suam non solum contemptu omnium quæ habebat, sed etiam vitæ periculis putavit esse redimendam: quæ exploratores Jesu Nave civibus suis quærentibus denegavit; et hostes patriæ, legatos tamen fidei, maluit occultare quam prodere. Non eam minæ civium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non suorum discrimina terruerunt. Disce vir, disce Christiane, quomodo verum Jesum sequi debeas;

^a Rom. edit. detraxerat has voces, *substantiæ viri*. Non satis consulte; nec enim hic signatur aliud, nisi laudem Job viri, cujus erat substantia ac natura inferior, quam substantia ac natura dæmonis, ejusdem

dæmonis esse condemnationem.

^b Absolvit, id est, concludit ac evincit.

^c Mss. aliquot., *Anima ipsa dividitur*.

quando femina contempsit omnia sua, et Jesum in A figura propter similitudinem nominis est secuta. Unde præclare Salomon dixit: *Divitiæ viri, redemptio animæ ejus (Prov. xiii, 8)*. Redime ergo animam tuam. Vilis est pecunia, sed fit pretiosa per fidem; vilis est cum conditur, pretiosa cum dispergitur; sic enim scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi (Psal. cxl, 9)*.

25. Si igitur talis fueris, ^a ut possis contemnere non solum omnia tua; sed etiam ipsam carnem tuam pro justitia, qua nulla potest locupletior esse possessio (possessio enim pretiosa, homo mundus) etsi flamina te superiora concluderint, transis. Nam etsi dederit tentandi tui Dominus potestatem, mandat tamen diabolo ut animam tuam ipse custodiat; secundum quod scriptum est: *Ut destruas inimicum et defensorem (Psal. viii, 3)*; tentat enim ut adversarius, defendit ut servus. Scriptum est enim: *Et volet tibi unicornuus servire (Job. xxxix, 9)*. Servit enim, qui non ex voluntate sua quod optat, exsequitur; sed ex necessitate mandatis imperialibus invitus obtemperat. Vide altitudinem Christi, quemadmodum retorsit in diabolum malitiæ suæ pretium. Ille nos cogit, quod odio habemus, hoc facere: *Non enim quod volo, hoc ago, ut Apostolus dixit, 826 sed quod odi, illud facio (Rom. vii, 15)*. Retorsit in illum Dominus, ut et ipse plerumque non faciat quod vult; sed quod odit, hoc faciat. Denique animam quam vult expugnare, custodit. Nos corruptelam carnis condemnamus, et sequimur; ut illa vidua quæ promissam marito fidem irritam facit, et postea nubere vult, C quod ante fugiebat (*I Tim. v, 20*). Ille inimicus est sanctis, et defensor adhibetur, quo amplius puniatur; ut nocere non audeat, qui nocere desiderat. Et quanto tolerabilius est amare virtutes, etsi implere non possis, quam odisse virtutes, quibus nocere non possis.

26. (Vers. 4.) *Non est, inquit, sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ*. Exposuit nobis hunc locum Esaias: *Peccavimus, et tu iratus es nobis (Esai. lxiiv, 5)*. Quis est tamen iræ Domini vultus? Ne forte ille, quia *Oculi Domini super facientes mala (Psal. xxxiii, 17)*. Si enim oculi Domini super justos, quomodo a vultu iræ Dei infirmatur Propheta? Unde et illud considera, quod ipse David in posterioribus dixit: *Quoniam ex omnibus tribulationibus eripuisti me; et super inimicos meos respexit oculus meus (Psal. lxxviii, 9)*. Sicut enim bona justorum respicit; ita et peccatorum occulta deprehendit. Nisi forte ad Christum hoc referas, qui ab omnibus, a quibus conterebatur, ereptus est; quando se exiit a populo Judæorum, qui eum frequentibus sacrilegiis et quotidianis impietatibus conterebant; et inimicos suos vocavit ad gratiam, quos oculus Dei vidit et amavit. Ergo quia pius est Deus, nequaquam est desperandum. Etsi irasci-

^a Mss. nonnulli, *ut possis contemnere omnia tua, sed etiam ipsam carnem tuam pro justitia contemne; quia nulla, etc.* His accedit Rom. edit. nisi quod habet, *non tantum omnia tua*. Sed recta est aliorum

tur, ignoscit; etsi percussit, sanat; etsi tradit in interitum carnem, spiritum salvat. Noli ergo timere carnis infirmitatem; quia sanctus cum infirmatur, potentior est.

27. Quid autem est quod ait: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum?* Quæ sunt ista ossa; utrum animæ, an corporis? Sed non tanta esset doloris cura corporis, ubi et anima laborat; cum sancti sit velle carnem propter animam flagellari; sicut se flagellabat et Paulus, ne ejus reproberetur assertio. Sunt quædam interioris ossa hominis, sicut et membra sunt cætera, oculi mentis, et nares; sicut Job dixit: *Spiritus divinus qui est in naribus meis (Job. xxvii, 3)*. Sunt ergo et ossa, quibus charitatis quædam compago formatur. Unde et Adam dixit de consorte charitatis, et cohærede gratiæ vitæ: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea (Gen. ii, 23)*. Quod Apostolus interpretatus ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia (Ephes. v, 32)*. Christi autem et Ecclesiæ sacramentum non carnale, sed spiritale esse quis dubitet; cum bonus quisque in ipso conjugio non carnis, sed virtutis decore teneatur; et mores diligit in uxore, non usus? Denique audi, quia non secundum carnem loquitur, sed secundum virtutem interiorem: *Non est absconditum os meum, quod fecisti in abscondito (Psal. cxxxviii, 15)*. Virtus itaque non caro est, quæ Dei Patris novit abscondita.

28. Ergo non est pax animæ virtutibus, quando ante oculos nobis nostra peccata concurrunt, et offundunt se mentibus nostris. Et hoc bene interpretatus est gentium Doctor electus, in epistola secunda ad Corinthios dicens: *Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit 827 caro nostra; sed in omnibus sumus afflicti: foris pugnae, intus timores (II Cor. vii, 5)*. Illum Macedonum peccata vexabant; quanto magis propria unumquemque nostrum peccata perturbant, ut requies nobis esse non possit? ^b Gravior adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis astringimur, sine venditore vendimur. Unde et Scriptura dicit: *Peccatis vestris venditi estis (Esai. l, 1)*. Hæc igitur peccata sunt, quæ contra nos semper sunt; ut dixit Propheta: *Vendiderunt nos, et dominantur nobis (Esai. lxxviii, 12)*. Servus qui venditur, superiore servitio exit; ut ad Dominum alterum migret: nos nec superiorum jugum deponimus, et ad nova peccata curvamus.

29. (Vers. 5.) Unde et ingemuit Sanctus dicens: *Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum: sicut onus grave gravata sunt super me; hoc est, iniquitates meæ supertransierunt caput meum; et supererminent mihi, ut sensus meos deprimant; oculi*

mss. ac vet. edit. lectio, quam in textu repræsentamus.

^b Quidam mss. *Gravis adversaria nobis, etc.* Et infra idem mss. legunt, *sine venditore servimus.*

enim sapientis in capite ejus. Et ideo Nabal malus erat durus; ^a quia sensus ejus malitia et iniquitas obstruebant. Unde et Abigææ verbum ferre non potuit; sed obduruit cor ejus, et quasi infirmus occubuit. Aut vide ne hoc sit caput, de quo ait Apostolus (*Coloss. II, 19*), quia non tenet illud, mente carnis inflatus. Hoc autem caput Christus est; quia omnis viri caput Christus. Hoc est caput quod per compaginationes et colligationes totius plebis crescit in incrementum Dei; quia in omnibus nobis per singula membra sua Christus assurgit. Ergo quando nos ingravant nostra peccata, et talento quodam iniquitatis plumbeo ad terrena deprimimur, dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum; ut possimus oculos nostræ mentis attollere, et audire dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth. XI, 28*). Denique Ægyptum avaritia onerabat, pecunia vexabat ^b mercatus Æthiopes, sicut scriptum est: *Laboravit Ægyptus, mercatus Æthiopum, et Sabaim viri excelsi ad te transibunt* (*Esai. XLV, 14*). Laboravit Ægyptus, antequam cognosceret veritatem: sed jam non laborat postquam transivit ad Christum. Sequuntur volentes Sabæi viri, qui ante fugiebant; quia tenent eos vincula charitatis, quæ adamante fortiora sunt. Pulchre et illud Esaiæ huic loco aptatur: *Omne caput in dolore, et omne cor in mæstitia: ^c a pedibus usque ad caput non est vulnus, neque cicatrix, neque plaga cum fervore* (*Esai. I, 5 et 6*). Fervet enim iniquitas, cum dominatur, super caput nostrum sese extollens, et locum occupans; ne eum Christus magister teneat ^C pœnitentiæ. Non mediocrem vim habent istæ iniquitates, si consideres hominem illum iniquitatis, qui venturus est secundum opera satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus **828** et omni educatione iniquitatis: quem cavendum nobis Apostolus demonstravit (*II Thes. II, 9 et 10*), quia operationem erroris accipiet; ut probentur fideles, judicentur infidi.

30. (Vers. 6.) Merito ergo sub iniquitatibus positus, et (quod pejus est) suis, corruptas esse et computruisse dicit cicatrices suas a facie insipientiæ suæ; quia levantem onera iniquitatum tardius remedium sequebatur. Tamen et Job sancto qui saniem radebat suorum ulcerum perfusus ulceribus a pedibus usque ad caput, sanitas est refusa; et Lazarus pauper qui jacebat ad januam divitis, lambentibus ^D ulcera ejus canibus, de cicatricum suarum fetore sublatus, ab angelis in Abrahæ sinu est collo-

^a Quinque mss., quia sensus ejus malitia et iniquitas observabant.

^b Edit. aliquot Paris. cum mss. nonnullis, mercatus Æthiopum. At mercatus Æthiopes dici possunt pro mercatus Æthiopicæ; Æthiops enim vox adjectiva est. Rursus in Esaiæ verbis, ubi omnes edit. ac mss. nonnulli cum Vulgata edit., Labor Ægypti, mercatus, etc. Alii mss. plures cum LXX, Laboravit Ægyptus, mercatus, etc. ἐκοπίασεν Αἴγυπτος, etc.

^c Rom. edit. cum Vulg., a pedibus usque ad caput est vulnus, cicatrix, ac plaga, etc. Verum qui sic emendarunt, non adverterunt Ambrosium sequi solitum versionem LXX; apud quos habes, ἀπὸ ποδῶν

A catus. Est ergo in sancto David spes in remedium sanitatis; quia non unguentum redolent, sed fetorem suorum vulnera peccatorum; et quia affligitur his atque curvatur, et non delectatur. Specta nunc epheborum aliquem lascivum, et egregie libidinosum, qui in stupris vitam suam exigit, more illius divitis in bysso et ostro jacentem, atque epulantem quotidie splendide, cui natent pavimenta vino, tegatur humus floribus et spinis cooperta piscium, incensis diversorum thymiamatum odoribus triclinia compleantur, quemadmodum se beatum putet, et bene se olere judicet; cumque gravia atque diuturna animæ suæ vulnera gerat, et corruptum sanguinem fluat, nullum tamen fetorem suæ cicatricis accipiat. Obstructas enim cœno nares habet, nec potest dicere: *Spiritus divinus, qui est in naribus meis* (*Job. XXVII, 3*). Ideo dives ille remedium salutis invenire non potuit, pauper invenit. Denique alter apud inferos in supplicio, alter in requie.

31. Invenit ergo perpetuæ salutis remedium etiam sanctus propheta David, qui fetere sibi animæ suæ vulnera fatebatur, et a facie insipientiæ suæ computruisse sibi cicatrices proprias loquebatur. Sed est et insipientia quæ per stultitiam prædicationis credentibus salutem afferat. Refugit ergo Propheta Evangelico jam spiritu sapientiam istius mundi, quæ non cognoscitur Deus: quæ tegit sua vulnera, non revelat ad Dominum. Melior igitur insipientia, quæ oculos habet ut videat ulcera sua, quam sapientia quæ non habet. Et ideo insipientiæ suæ obtutu admonitus spiritali tantus rex, afflictum se miseris protestatur; ut remedium possit pœnitentiæ reperire, quod Judas qui agrum de iniquitatis mercede possedit, reperire non potuit.

32. (Vers. 7.) *Miseris, inquit, afflictus et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.* ^d Usque in quem finem se dicit esse curvatum? Utrum legitimum in finem pœnitentiæ? Aut amplius, ut mystice intelligamus, usque ad Christum, qui finis Legis est; qui se passus est verberari, passus est corpus suum mortuum ^e lapidari? Sed nullum fetorem pœnitentiæ, odorem vero omnem gratiæ **829** vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere ejus, sicut hominum cæterorum; sed fons vitæ scaturivit æternæ; ut Scriptura nos edocet dicens: *Et saliet aqua cum delectatione de fontibus Salvatoris* (*Esai. XII, 3*). Exsilivit ergo de vulnere aqua, ut nos biberemus salutem. Bibent omnes

ἕως κεφαλῆς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ ὀλοκρηρία, οὔτε τραῦμα, οὔτε μῶλωψ, οὔτε πληγὴ φλεγμαινουσα. Sic etiam hunc locum Basilius legebat, ut docet Nobilius.

^d Edit. vet. Usque in quem finem? Pœnitentiæ? Ut amplius et mystice intelligas usque ad Christum. Rom. Usque in quem finem? In finem scilicet pœnitentiæ, vel ut amplius et mystice intelligas usque in finem, hoc est, usque ad Christum. Mss. Reg. atque alii quatuor ut supra in textu.

^e Rom. edit. sola, vulnerari. Sed hic lapidari videtur prorsus idem significare, ac lapideo sepulchro includi.

peccatores terræ, ut peccata deponant. Vide singula. **A** Miseriis afflictus est Christus, ut beatos faceret homines, qui erant in miseriis constituti. Nemo miserum eum qui sit justus, appellet; quia ipse dixit: *Vos nemo faciet miseros* (*Esai.*, xxxiii, 1). Curvatus est ille, ut nos erigeremur: contristatus est ille, ut nos lætificaret; secundum quod scriptum est: *Si enim ego constristo vos, et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me* (*II Cor.* ii, 2). Qui contristatur ergo ex Domino Jesu Christo, ipse lætificat Christum; et ipse lætificatur a Christo. Ideo ergo et nos non perfunctorie satisfaciendum a nobis esse cognoscimus. Curvemur usque in finem, id est non solum Christo fidem, sed etiam passionum nostrarum perseverantiam deferentes, et gaudeamus in passionibus nostris; sicut et Christus gaudebat in passionibus suis. Quas ille suscipiebat pro servulis suis, nos subeamus pro Domino. Hic ergo finis. *Ut adimpleam, inquit, qui desunt tribulationum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quæ est Ecclesia, cujus sum factus minister* (*Coloss.* i, 24). Videmus quid nobis suscipiendum sit, qui ministerium sacerdotale suscepimus; ut non solum pro nobis, sed etiam pro Ecclesia Domini sustinere fortiter passiones corporis debeamus. David autem addidit et animæ passiones.

33. (Vers. 8, 9, 10, 11.) Denique ipse ait: *Quoniam anima mea completa est illusionibus: et non est sanitas in carne mea. Incurvatus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei. Et ante te omne desiderium meum, et gemitus meus non est absconditus a te. Cor meum conturbatum est, et deseruit me fortitudo mea, et lumen oculorum meorum non est mecum.* Advertimus igitur laborem animæ majorem esse, quam carnis. Denique quibus anima illusionibus compleatur, intellige; eo quod in tentationibus diabolus ei videatur illudere et insultare quasi graviter laboranti. Symmachus tamen ait *lumbos*, in quibus seminaria sunt generationis humanæ. Unde præcinctos lumbos habere te præcipit Sapiencia Dei (*Luc.* xii, 35); ne tua castimonia resolvatur. Denique ut scias quia in lumbis sunt libidinis commotiones, quæ plerumque excitantur a diabolo; quando contendit dissipare membra Christi, et facere membra meretricis: *Ecce, inquit, fortitudo ejus in lumbis, et virtus ejus in utero* (*Job.* xl, 11). In lumbis viri semina sunt, in utero autem feminæ. Illudit ergo diabolus in his, ut faciat adulterium, incestum, fornicationem. Et ideo qui fornicatur, in corpus suum peccat, non extra corpus. Primum, quia infirmatur caro, quæ libidinibus diffluit, et non servat moderamina castitatis; deinde quoniam seminaria quæ debent soboli proficere procreandæ, inquinamentum corporis, non fructum posteritatis operantur. Inde itaque dicuntur illusiones fortasse, quod in his corporis æstus sine coitus celebritate frequenter illudat. Unde bene **830** Septuaginta viri animæ illusiones dixerunt; eo quod^a diabolus affectus alicujus illudens,

^a Quædam edit. Paris. cum. mss. Vat. et quinque Gallic. *diabolus afflictis aliquibus illudens... vires*

in vanum studeat vires ejus effundere, virtutemque vacuare, resolvere fortitudinem. Ideoque alibi ait: *Et renes mei resoluti sunt* (*Psal.* lxxii, 21). In quo nos etiam beatus confirmat Apostolus, quod non illusiones animæ, non carnis infirmitatem metuere debeamus; quia et animæ et corporis nostri Christus est virtus, qui curat ægrotos, quasi medicus: confirmat invalidos, quasi omnium fortitudo. Denique *etsi foris homo noster corrumpitur; sed renovatur interior de die in diem* (*II Cor.* iv, 16).

34. His itaque animæ illusionibus fatigatus incurvaverat et humiliaverat se nimis sanctus David, non quo iniquitatibus superponentibus se supra caput ejus, ut diximus, locum daret, aut inimico cederet, qui in posterioribus docet ei non esse cedendum dicens: *Quanta maligne operatus est inimicus in sanctis tuis; et gloriati sunt qui oderant te, in medio festi tui? Posuerunt signa sua signa; et non cognovi sicut in via supra summum. Quasi in silva lignorum securibus consciderunt januas ejus* (*Psal.* lxxiii, 3 et seq.). Inimicis meis, inquit, signa iniquitatis suæ supra summum ponentibus (quid est summum, nisi caput tuum, ubi sensus sunt, ubi Christus est Sapiencia) ego non cognovi, id est, non acquievi, non his consensi, et meæ sententiæ cogitationis adjunxi. Unde et alibi habes: *Non cognovi verbum nequam; et: Declinantes a me malignos non cognoscebam* (*Ps.* c, 3 et 4). Denique cum omnia noverit Christus, peccatum non cognovit; cognoscit enim quæ sua sunt, id est, quæ virtutum sunt, non quæ flagitiorum. Ideoque Scriptura tibi dicit: *Cognovit Dominus qui sunt ipsius* (*II Tim.* ii, 19). Iniquis autem dicit: *Discedite a me, quia non novi vos* (*Luc.* xiii, 27). Et per Hieremiam locutus est dicens: *Sicut agnus ductus sum ad immolandum, et nescivi* (*Jerem.* xi, 19). Quomodo nesciebat quod futurum ante prædixerat? Sed nescivi, inquit, cogitationes eorum, malitiam eorum. Nolo scire quæ sanguinis sunt. Denique *non congregabo conventicula eorum de sanguinibus* (*Ps.* xv, 4); et: *Deleo iniquitates eorum, et memor non sum* (*Esai.*, xlvi, 25). Nolo scire quæ remissurus adveni. Non cognovi ligna quæ ardeant, nec quæ in acervo lignorum sunt posita, vel stipulam, vel fenum, ut citius ea nutrimentis suis flamma consumat. Illa volo scire quæ maneant, ut fructum suæ mercedis accipiant: illa volo scire quæ supra fundamentum ædificata sunt, ut meliorentur; non quæ in via, ubi ea diripiant transeuntes: illa volo scire quæ vitis sunt, illa certa ligna quæ ferant fructum, non ea quæ in fasces collecta ad incendium præparantur; id est non sum illis arbiter et socius quæ caduca sunt. Non ergo societas alicujus rei, sed societas criminosa in culpa est.

35. Qua ratione autem non cognovit in infructuosis et fragilibus gloriantes? Quia malis operibus et iniquitatis suæ securibus evertunt animæ fidelis ingressus, et crudelibus factis scindunt piæ mentis eorum, etc. Melius aliæ cum mss. Vict. et Colb. ut in textu.

vestibula; ne per ea possit Christus intrare. Debet autem unusquisque portas suas et januas custodire; ut cum venerit Christus et pulsaverit, dicant ministræ potestates quæ præeunt et præcurrunt: ^a *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini* **831** *portæ æternales* (Ps. xxxviii, 7). Vere principes, qui se bene rexerint, ut in animas eorum Christo ingressus sit. Simile quoque illud est Salomonis: *Si spiritus habentis potestatem ascenderit adversum te, locum tuum non relinquant; b* *quia cura mitigabit delicta magna* (Eccl. x, 4). Diligentia enim et fides superiorem locum tenent, inferiorem perfidia. Ideo ascendat ad te bona diligentia, quæ insidias excludit inimici et aufert peccatum, ne malitia potestatem habentis nocere possit. Hanc videt Ecclesiastes ^c in Canticis malitiam sub sole, hoc est, in hoc mundo, unde et subsolanum locum hunc Scriptura memoravit. Sub sole ergo vidit, non supra solem, ubi pax angelorum est, vel sanctitas celestium potestatum. Aut forte sub sole iniquitatis dixit; malitiæ enim diabolus præsidet, virtutibus Christus. Itaque ut vinceret spiritum potestatem habentem, quam ad tempus accepit, incurvabat se in oratione David, cervicem sicut circum flexit, et humiliabat in precibus; oratio enim se humiliantis nubes penetrat, et elementorum alta transcendit, ut Christo appropinquet.

36. Et rugiebat a gemitu cordis sui. Rugit, qui gemitum solum, non verba exprimit. Hæc est ergo illa præclara oratio, quando *interpellat pro nobis Spiritus gemitibus inenarrabilibus* (Rom. viii, 26), ut Vas electionis asseruit. Hic est gemitus quem non despicit Deus, qui non despicit servum juniorem orbatum patre, nec viduam, ^d si effundat loquelam.

37. Gemitum ergo ante omnia signum Spiritus sancti Apostolus ponit, ut legimus. Denique custodiamus animæ nostræ januas; ne multiloqui securibus scindatur nostræ confessionis ingressus. Nihil insolens et superbum nostro ex ore procedat; ne securim levemus aut malleum, quæ non intrant in Ecclesiam Domini. Claude januam, cum oras, ne se ingerat spiritus nequam; ut et ibi peccatum extorqueat, ubi luerum volumus pietatis acquirere. Qui sic orat, non est a Domino gemitus ejus absconditus. Denique sic sancti Petri gemitus et cognitus et exauditus est, quando flevit amarissime. Ubi non lacrymæ amaræ, sed amarus qui eas fundebat affectus. In ipso perfido Achab gemitus invenisset gratiam; nisi manens invidia cumlasset offensam. Non enim perfunctorius gemitus prædicatur; sed qui ha-

^a Nonnulli mss., *Tollite portas principis vestri*; verum præterquam quod illi minus coherent cum istis subsequentibus, *vere principes*, etc., in hoc etiam ab omnibus recedunt versionibus, quas videsis in Bibliis polyglottis, atque apud Nobilium in eundem versum.

^b Mss. aliquot, *quia cura mitigat delictum. Magna enim diligentia*, etc. Melius alii atque edit. cum legere sit in sacro textu; *ὅτι τὰ κατὰ πάσας ἀμαρτίας μεγάλας*.

^c Hic eodem modo liber Ecclesiasticus per vocem,

bet conversionem; scriptum est enim: Si conversus ingemueris, salvus eris.

38. Constituamus etiam ante Dominum omne desiderium nostrum: Quid est desiderium? Bonæ enim rei legi desiderium: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (Luc. xxii, 15); et: *Cervus desiderat ad fontes aquarum* (Psalm. xli, 2). Puto autem quod is qui poenitentiam gerit, qui se affligit, non bona sua debeat, sed commissâ sibi enumerare peccata. Denique versiculis illis, ut arbitror, hoc docemur, quibus ait: *Deus, vitam meam nuntiabo tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo* (Ps. lv, 9). Non enim quasi innocentem vitam annuntiat, ubi lacrymæ funduntur, quæ **832** solent legationem suscipere pro delictis. Nisi forte sic intelligamus, quod etsi innocens quisque sit, securus esse non possit, cui sint adversus gravissimos hostes quotidiana certamina; et ideo hæc licet læta sit conscientia, tamen pugna lacrymabilis. Juxta hos ergo versiculos concupiscentiam possumus accipere magis, quam desiderium; *ἐπιθυμία* enim Græcus posuit: concupiscentia autem et desiderium *ἐπιθυμία* dicitur. Sed concupiscentia et de bono et de malo dicitur. *Concupivit, et defecit anima mea in atria Domini* (Ps. lxxxiii, 15), pro bono; in Lege autem aliter: *Nam concupiscentiam nesciebam; nisi Lex diceret: Non concupisces* (Rom. vii, 7), utique pro malo. Denique subjecta nos doceant, quia occasione accepta, peccatum per mandatum operatur omnem concupiscentiam in hominis affectu. Possumus tamen sic accipere, *Ante te omne desiderium pono*; hoc est tibi manifesto, quæ impetrare desidero; ut ad seriem petitionum, non ad jactantiam referendum videatur esse virtutum. Jactantia enim insolens etiam in integro, deprecatio autem in peccatore laudabilis.

39. Addidit etiam Propheta, quia cum cor suum conturbatum sit deseruerit se fortitudo sua. Magnum periculum si cor exagitetur, quo credimus ad justitiam. Sed tamen ut in magnis periculis ægritudinum si dolor sentitur, et sensus ejus exprimitur, remedium salutis ostenditur (dolere enim tolerabilius est, quam non dolere; aliud enim vivificationis adhuc manentis insigne, si doleas, aliud supremæ mortis indicium, si nullus sensus doloris sit) ita et cor salutis signa demonstrat, quando causas suæ perturbationis agnoscit. Denique turbatum est cor David adversus Nabal hominem pestilentem, et gratiam reperit, dum occurrit Abigæa, quæ mitigaret commotionem indignationis, et sanctificationem benedictio-

in Canticis designatur, quo Scriptura universim per vocem in hymnis significatur lib. *De Fuga sæculi*, cap. 4, num 20, quem consule.

^d Ita edit. vet. ac Rom. cum mss. aliquot. Edit. vero nonnullæ Paris. cum aliis scriptis cod., *si effundat loquelam gemitu* (quidam mss. *si effundant loquelam gemitus*). Ergo ante omnia signum quod inimicus ponit, non capiamus: quale signum Antichristus ponet. Sed ista non tam bene ex antecedentibus consequuntur.

nis acciperet. At vero Nabal duro et rigido corde A verbum uxoris ferre non potuit, et obstupefactus obrigit; et in mortem incidit.

40. Quæ autem Prophetam deseruit fortitudo? Utrum carnis an mentis? Si carnis non utique desperanda sanitas. Nam *virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. xii, 9). De quo non mediocriter disputavit^a arbiter et præliator qui luctæ mentis et corporis sciens, temperabat utriusque certamen; ut restringeret carnem; si cerneret fortiorem, ne in legem peccati captivam duceret mentem. Revocabat itaque carnem, virtutem autem menti jungebat: sic ad coronam meruit pervenire. Ergo hoc dicit Propheta: Si carnis fortitudo deseruit, mentis fortitudo prævaluit. Quod si fortitudinem mentis accipimus deseruisse, non mirum si in gravissimis tentationibus B corde turbato putat se homo mentis suæ fortitudine deseri. Ipse te doceat dicens: *Fortitudo mea et laus mea Dominus* (Ps. cxvii, 14). Dominum ergo quærebat; et ideo ne deseri mereretur, sæpius putabat esse quærendum: et sicubi fluctuabat, putabat se esse desertum. Sic Apostoli **833** excitant dormientem; ne obdormiret sibi, non quia eum obdormisse credebant. Sic Elisæus (ut superiorum utamur exemplis) *Ubi est, inquit, Deus Eliæ?* (IV Reg. ii, 14.) Non quod putaret absentem; sed quia præsentiam ejus in beneficiis requirebat. Sic Hieremias eum sequebatur ut medicum, dicens: *Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac et salvabor. Non laboravi post te* (Jerem. xvii, 14). Sic Ecclesia requirebat eum in Canticis Canticorum, et rogabat filias Hieru- C salem, ut suscitarent dilectionem (Cant. iii, 5). Quærebat ut inveniret, quem sua dilectione retinebat, nec unquam sentiebat absentem. Sic ergo et David non querebatur a Christo se esse desertum; sed judicabat illo præsentem, se non posse turbari.

41. Denique ut scias de Christo magis intelligendum, addidit: *Et lumen oculorum meorum non est mecum.* Quod est verum lumen omnium, nisi Christus Jesus de quo Joannes dicit: *Erat verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i, 9); quia ipse est qui illuminat et corporis oculos, et mentis obtutum? Rogemus ergo ut semper nobis suum lumen infundat, et semper nobiscum sit, sicut erat cum David; et ideo audebat dicere: *Quoniam apud te est fons vitæ; et in lumine tuo D videbimus lumen* (Psal. xxxv, 10). Ille certe quasi propheta magnum viderat lumen: nobis lucerna ejus luceat, ne possimus errare. Et lucerna Verbum est, sicut verum lumen est Verbum, quod totum illuminat mundum. Denique *lucerna pedibus meis Verbum tuum, Domine* (Psal. cxviii, 15). Et lucernam illam etiam Propheta quærebat, ^b non laternam.

Lucernam autem illam Johannes invenit, et demonstravit: cum laterna persecutor advenit et demonstravit; laterna enim clausum habet, non liberum lumen. Judæus quasi lucerna sub modio, vel faces sub velamine potest videre, sed non videt: nos autem revelata facie gloriam Domini speculamur æternam; ut ad ejus imaginem a gloria in gloriam per Spiritum sanctum reformemur. Venit ergo persecutorum turba cum laternis; et ideo inclusam in eis lucem videre eorum oculi nequiverunt. Venit cum facibus, quæ plus habent in fumo caliginis, quam splendoris in lumine. Denique facibus mortuorum cadavera ardere consueverunt. Sibi ergo Judæi jam ferebant incendia, qui persequebantur salutis auctorem. Venere cum armis, significantes armis se perituros esse Romanis usque ad excidium totius civitatis et templi, qui pacem Domini recusarunt.

42. (Vers. 12, 13, 14, 15.) *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt. Et proximi mei a longe steterunt. Et vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitatem: et dolum tota die meditabantur: Ego autem velut surdus non audiebam, et sicut mutus, qui non aperit os suum. Et factus sum sicut homo non audiens; et non habens in ore suo increpationes.* Videro qui sint qui argute ista discutiant. Mihi **834** in primo præcipue isto versiculo Domini videtur tenenda sententia; quia in tentationibus inimici fiunt hominis etiam domestici ejus. Hoc ergo sanctus David pure atque sincere et dolenter fateatur. Verus enim dolor est, et interioris cordis confessio; quando enumerantur omnia quibus secreta mentis viscera amarissimo compunguntur affectu, et domestico felle exacerbantur. Deplorat igitur Propheta ab amicis se et proximis impugnatum, a quibus utique non impugnari debuit, sed jvari. Quod utique cum sancti Job querimonia concurrat (*Job. xvi, 2 et seq.*); quia et ipse arguebat tres illos reges consolatores malorum, qui majora ei inferebant certamina, cum ad consolandum eum amicitiae gratia convenissent: quod utique cavendum est nobis. Consolatio enim mitis esse debet, non aspera, quæ magis dolorem leniat, fervorem mitiget, quam commotionem excitet. Certe ipsius corporis medicina nos doceat, quæ ferventibus vulneribus molliora medicamenta consuevit adhibere, quibus dolorem allevet. Ideoque foveatur primo vulnera, post secantur; ne offendat ipsa durities, et incisio vulnus exasperet. Quanto igitur magis cavere nos convenit; ut cum venerimus ad consolandum, non facile, non perfunctorie loquamur? Septem diebus tacuit Job, tacuerunt amici, nec locuti essent, nisi Job dolore prorupisset in vocem; quærendum est enim unde

^a Edit. omnes cum tribus mss., *Arbiter et breviator*. Melius alii quinque cod., *Arbiter et præliator*; significatur enim Paulus et *Arbiter*, sive agonothetes dici spiritualis certaminis, quod multis epistolarum suarum locis ejus leges aliis præscripsit, præmiumque proposuerit; et idem *præliator*, sive athleta est, ut de se ipse testatur. I Cor. ix, 26, et II, Tim. iv, 7.

^b Ita edit. ac plures mss. nisi quod hi post verba, *non laternam*, addunt, *sed lucernam*. In Viet. autem et Colb. sic legitur, *non lucernam. Et lucernam lucerna Joannes*, etc. Iterum ubi edit ac mss. aliquot, *Lumen Judæorum quasi lucerna sub modio, vel fax sub velamine, potest videri*, etc. Alii cod. majori numero, ut nos in textu.

incipias, ne in ipso sermone offendat consolatio tua. Etiam taciturnitas ipsa medicina est, et velox in sermonibus magis vulnerat. Quid miraris si alterum vulnerat, cum frequenter ipse se vulneret; quia ex multiloquio peccatum non effugit? Etenim si medicus medendi tempus exspectat, ut digestis ægritudinibus, medicinæ subsidia deferantur; ne acerba adhuc et immatura, ut asserunt, ægritudo curationis remediis reluctetur, et beneficium sentire non possit; quanto magis explorare nos convenit, ut opportune a nobis medicinalis sermo procedat, qui non accendere luctum, sed lenire videatur? Vis urget doloris: premitur cor mulieris afflictæ, quæ immaturo obitu maritum amisit, aut filios: quid properas cum te illa non audiat, nisi defervescat dolor? Sæpe lites de consolationibus vidimus excitatas. Venisti ut doleas, non ut litiges. Ordo sermonis ipse quærendus est; ne peccatum apud Deum incurras, dum desideras hominem consolari; ^a ne dicenti tibi: Audi hæc, et alia multa quæ nihil prosint; respondeat: *Audite consolatores malorum (Ibid.)*; ne in luctu alterius certamen garrulæ disputationis inducas; ne non accedas, cum oporteat; ne accedas, et durior sit tuus sermo. Denique quid dicatur de talibus, doceat te sanctus Job: *Simul mihi venerunt ^b tentationes gravissimæ, circumdederunt me insidiantes: fratres mei discesserunt a me, cognoverunt extraneos magis quam me. Amici mei immisericordes facti sunt (Job. xix, 12 et seq.)*. Hic ergo **835** naturalis est sensus etiam sancti prophetæ David; ut queratur se ab amicis impugnatum, a proximis destitutum.

43. Sed ne mysticus quidem abhorreat pietatis affectus, ut pro angelis dixerit, qui prætendunt timentibus Dominum; ut eripiant eos de tentationibus, quas ferre non possent. Quomodo ergo longe stant, qui ad adjumentum sunt attributi? Sed non illi se separant, sed qui urgetur tentationibus putat eos longe abesse, quos propius sibi adesse desiderat; et arbitratur dissimulare, cum illi juvandi tempus nutu sui imperatoris expectent, qui athletam suum quo gloriosius vinceret, diutius certare præcepit. Et videtur hoc magis sequentibus convenire; quia angelis protectionis excubias relaxantibus, insidiabantur inimici, quærentes in anima ejus invenire quod noceret. Tunc enim potestas illis gravioris tentationis permittitur, cum culpa animæ gravior reperitur. Unde habes illud in libro Regnorum regis Achab ad Eliam dictum; quando eum Propheta vehementer increpavit, et mortem ei denuntiavit: *Invenisti, inquit, me. Et respondit Elias: Inveni; quia fecisti malignum in conspectu Domini (III Reg. xxi, 20)*. Vides ergo quia regibus non temere vel a prophetis Dei, vel

^a Locum hunc Rom. edit. ita decurtaverat: *Et ne dicatur tibi: audivi talia multa, consolatores malorum. Nos eum ex vet. edit. restituimus a quibus etiam non differunt cod. Vict. et Colb. nisi quod habent: Ne dicenti tibi,.... et respondeat. Mss. vero Vat. et quinque Gallic., Ne dicatur tibi, audi hæc,.... et respondeat tibi, etc. Ad hos quoque Paris. quædam edit. accedunt, excepto quod præmittunt. Et, ante,*

a sacerdotibus facienda injuria sit; si nulla sint graviora peccata, in quibus debeant argui: ubi autem peccata graviora sunt, ibi non videtur a sacerdote parcendum; ut justis increpationibus corrigantur.

44. Tamen David in hoc loco dicit quod nihil invenisse videantur; et ideo inimici ejus vanitatem locuti sunt, quoniam nihil quod pro veritate loquerentur, invenerint. Aut certe, quia etsi peccavi, tamen peccata mea poenitendi dolore purgabam. In quo illi cum dolo mecum loquebantur: ut me objur-gatione confunderent, et a conversione revocarent. Et vide ne hoc magis senserit, quæsisse illos mala ejus: sed cum vellent accusare, præventos; quoniam vulnera sua ipse patefecerat, sui accusator existens; et ideo vim accusationis eorum esse annullatam: locutos autem fuisse vana, quæ confesso culpam nocere jam non possent.

45. Exclusi igitur a criminationis invidia, dolum adhibebant; ut insurgerent, inquit, et mihi insultarent, quo me stimulant ad aliquam commotionem: quorum ego dolum videns, *velut surdus non audiebam*. Considera vim sermonis. Non dixit, quia simulabam non me audire quæ dicerent: sed *non audiebam*, dixit; et quod intentione mentis vocem loquentis excluderet: nec aperiret os suum, sicut mutus. Beatus qui potest tantam habere virtutem, ut lacessitus non irascatur, commotus se nolit ulcisci. Inimici hoc agunt, ut provocent ad iracundiam: maledicunt, ut maledicamus: criminantur, ut crimen retorqueamus: conviciantur, ut excitent nos ad vicissitudinem contumeliæ. Unde præclare Petrus de Domino Jesu in epistola sua posuit: *Quia cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur (I Pet. ii, 23)*. Ad ejus ergo similitudinem atque imaginem justus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, et non aperit os suum; ut illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus, sic non **836** aperuit os suum; et cum possit habere quod referat, magis vult silere quam dicere. Ipse enim Dominus Jesus vere cum accusaretur, tacebat; et cum percuteretur, non repercutiebat. Denique percussus respondit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si bene, quid me cædis (Joan. xviii, 23)?* Vide quemadmodum quasi vere infirmus, et quasi is qui se vindicare non posset, puerili quodam loquebatur affectu: ita ergo et tu si habeas quo redarguas arguentem, melius tacebis; ne redarguendi vicissitudine commotionem tuam prodas. Melius est enim dissimulare injuriam, quam cum redarguis, vindicare. Bonus mutus, qui loqui male nescit, cujus ex

ne dicatur; ac post, respondeat, expungunt tibi. Quam lectionem qui non improbabit, sumat, dicatur tibi, pro, dicatur abs te. Quod latinis auribus non est insolens.

^b Rom. edit., sola *tentationes ejus, viis meis circumdederunt me insidiantes*. In quo LXX interp. secuta est apud quos *Ὁμοθυμαδὸν δὲ ἦλθον τὰ πειρατήρια αὐτοῦ ἐπ' ἐμοί, ταῖς ὁδοῖς μου ἐκύκλωσαν ἐγκάθετοι*.

ore crimen exire non novit. Hic est mutus vere beatus, qui cum tacet, intra se loquitur. Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat me dicere sermonem. Talia loquebatur intra se Zacharias, cum obmutuisset: et vere quia loqui ei non profuerat, ne loqueretur, obmutuit; et ut loqueretur, exauditus a Christo est. Denique scripsit quod Christus exaudiret; et vocem recepit, quam Christus indulxit; et gratiam adjunxit, quam ante non habuit; ut prophetaret eum, cujus mandatis ante non credidit. Quid de Domino omnium virtutum loquor, cum mulier Susanna nec sexus infirmitate turbata, cum se ad periculum mortis cognovit addictam, vocem emiserit? Accusabatur, et tacebat: ducebatur ad mortem, et silentio se tegebat, ne nudaret pudorem. Intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audivit tacentem: quæ si voluisset loqui, forsitan non esset audita.

46. Et tu ergo qui proposuisti satisfacere pro delictis Domino Deo tuo, illi soli interiore corde te purga, illum contuere, qui potest peccata diluere. Adjuvat te, qui putaverit arguendum. Denique cum malediceretur David, et ejus dux Abessa injuriam regis vellet ulcisci, dixit ad eum David: *Dimitte illum, ut maledicat; quoniam dixit illi Dominus, ut videat humilitatem meam, et retribuatur mihi Dominus bona pro maledicto hoc* (II Reg. xvi, 12). Vides igitur quod a conviciantibus adjuveris, ut Dominus audiat te, et peccatum tuum remittat? Nam cum ipse accusator tui esse debeas, et coacervare flagitia, teque ipsum offerre supplicio; quomodo negare objecta desideras? Pœnitentia patientiam quærit, patientia mitigat delicta magna. Quomodo irascaris aliis, tuæ ipse reus conscientie? Quomodo commoveris, cum debeas esse miserabilis? Qui arguitur, et (quod est amplius) a semetipso, curare debet sua vulnera, non alterum vulnerare. Nemo alium vulnerando se sanat. Medice, cura te ipsum. Si medicus, quanto magis reus prius curare se debet! Confiteris peccatum tuum, et medicum te profiteris alienum: etsi veritatis est quod retorques, temporis non est; peccatori enim dixit Deus: *Quare tu enarras injustitias meas* (Psal. xlix, 16)? Usurpasti tibi ut de Lege arguas, qui contra Legem (Exod. xxiii, 1) ipse fecisti. Quid lacrymarum tempus amittis? Quid concertando vanos sermones aut audis aut loqueris; cum tibi scriptum sit: Non accipias auditum vanum; cum legeris in Evangelio (Matth. xii, 36) pro omni sermone otioso judicium esse subeundum? Etsi alius loquitur, tace; etsi alius conviciatur, aurem tuam obstrue.

837 47. (Vers. 16, 17.) David tacendo vicit adversarios suos: et quia sicut mutus factus est, vocem recepit; quia conversus ad Dominum loquebatur dicens: *Quoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine, Deus meus. Quia dixi, ne aliquando exsultent in me inimici mei.* Vide singula: tacebat David, loquebantur inimici, provocabant ut aliquid et ipse loqueretur. Dicebant: Audiamus

A vocem tuam. Intra se ille tacitus loquebatur: Quid opus est, ut ista audiant, quibus prodesse non possunt? *In te, Domine, speravi; tibi soli loquor: tu audi, qui exaudire potes. A te semper poposci, ne aliquando exsultent in me inimici mei; quia etsi peccavi, tu peccatum dimittis: etsi ego cecidi, tu resuscitas, ne habeant unde exsultare possint qui peccatis lætantur alienis. Plus enim acquisivimus, qui plus peccavimus; quia beatiores facit tua gratia, quam nostra innocentia. Habemus hunc sensum et in libro Michææ prophetæ: *Noli gaudere super me, inimica mea; quia cecidi, sed resurgam* (Mich. vii, 8). Non est gravis infirmitatis ruina, si non sit etiam voluntatis studium ab ea non resurgendi. Habe voluntatem surgendi, præsens est qui faciat ut resurgas.*

B 48. Dixit ergo David in corde suo, petens ut exaudiretur a Domino, et ut non exsultarent in eum ejus inimici: petens etiam ut in conversionis suæ proposito permaneret; ne, dum propositi sui gressus quasi quidam pedes suæ animæ commoventur, in eum adversarii superba et magniloquentiæ plena loquerentur; ut faciunt qui insultare desiderant. Tametsi moveatur ut homo, paratum ad flagella se dicit; ut vel supplicio solvat errorem. Etsi cessent flagella Domini, se tamen dolore proprio memorat flagellari; ut non inveniat culpa quod damnet, quam bona confessio prævenerit. Hoc est ergo quod ait: *Et dum commoventur pedes mei, in me magna locuti sunt; eo quod tam prompti sunt ad insultationis ludibria, ut in commotione pedum meorum paratam habuerint magniloquentiam; vel certe sic: Dum commoventur pedes mei, putantes quod caderem, superba jam et magniloqua sunt locuti.*

C 49. Sed tamen quia ipse in posterioribus pene motos pedes suos dixit (Psal. lxxii, 2), ne quid oriatur hinc scrupuli, considera hic doceri nos affectum pœnitentiæ, ibi opinionem ejus erroris excludi, quod divitiæ et successus prosperior flagitiosorum nos movere non debeant. Consuetudo autem locutionis in Scripturis divinis hujusmodi reperitur. Sic enim et alibi: *Dum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati* (Psal. cxxv, 1). Quamquam sanctus non in ostensione verborum, sed in virtute spiritus probari se velit. Sensus ergo nobis spectandus est semper, quem etiam ipsum frequens translatio ex Hebræo in Græcum, ex Græco in Latinum attenuare consuevit.

D 50. (Vers. 18.) Ad omnia itaque superiora pulchrum remedium, quod in flagella paratus est, et offert se Domino, ut quæ placuerint Deo, flagella sustineat (I Par. xxi, 13). Elegisse quidem lego sanctum David flagelli genus, quod æquanimiter sustineret: sed elegit, quia de tribus conditionibus eligendæ unius necessitas mandabatur. Ubi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei servulus, seu corporalem ægritudinem subeat, seu fugam a facie inimici, sive obitum filiorum, quos non timet præmittere; **838** quia recipere potest imperterri-

tus. Nam et sciens quod si hic fuerit punitus supplicio temporali, levare in futurum perpetuæ possit pœnam ærumnæ: rogat ergo ut recipiatur petitio sua, et castigetur ipse, ut recipiatur; castigat enim Dominus omnem filium quem recipit.

51. (Vers. 19.) Si servulum tuum videas peccata propria confitentem ultro offerre se pœnæ, inflecteris, ignoscis: et de Domini miseratione diffidis? Judex ipse cui non licet in plurimis causis a gladio temperare, quia legibus servit; potest tamen lucrum donare pœnarum: et tu adhuc trepidas, quid a legum Domino et misericordiæ Auctore deprecas, cui lex voluntas est, et donandi jus? Si tamen tu petas tibi tua peccata donari, nec consideres honores tuos, aut erubescas amicos tuos; ne dignitatem tuam deflexisse videaris. Amicus Dei, propheta Dei, rex ab ipso electus Deo, et unctus in regnum, flagellis se spontaneus offerebat, nec erubescibat: et tu erubescis? Non multum ista verecundia tibi opitulabitur, cum ad iudicium Dei veneris; sed pudoris te istius pœnitebit, cum in conspectu non solum hominum, sed etiam Angelorum et omnium Potestatum cœlestium constitutus, cœperis peccata propria non negare. Quomodo excusabis, cum tanta commiseris? Prætendes conditionis infirmitatem, quia nemo sine peccato? Respondebitur tibi: Debui ergo agere pœnitentiam, dederam remedium, cur refutasti? Subtexes pudorem, quod honores tuos erubueris? Dicet: Si tu erubuisti me coram amicis tuis, et ego te erubescam coram Patre meo, qui est in cœlis. Disce verum esse quod scriptum est, quia est verecundia adducens peccatum (Eccli. IV, 25). David in conspectu suo dolorem suum ponebat, ne unquam oblivisceretur; David iniquitatem suam ipse pronuntiabat; David de peccato suo, non de opibus cogitabat; David non erubescibat sua recensere peccata, ne de iis erubesceret in meo iudicio constitutus: et tu erubescibas? Non esset hodie in requie servulus meus Job, si erubuisset tres illos reges amicos suos; nec ipse David, si erubuisset delicta propria confiteri. Ergo quia non erubuit mihi sua aperire peccata; nec ego erubescam ei mea secreta reserare. Et quia uterque eorum non erubuit factorum suorum pretium in mea ponere potestate, meo se iudicio voluntatique committere; nec ego de talibus servulis erubescam, ut appellem amicos, qui meam studuerint facere voluntatem. Ideoque quoniam illi ante in mœrore, nunc in consolatione: tu quia in deliciis, nunc in suppliciis. Chaos inter vos magnum est; ut neque illorum ad te gratia, nec tua ad illos possit pœna transire. Audis ergo quid dicat David? Audi, dum tibi corrigere et emendare permittitur: si hic emendaveris, illic requiesces. Non te dulcia mundi et ^a sæculi

A hujus amœna delectent; grave enim fel movere consuerunt. Non ille jucunda quærebat positus in regno, qui potius eligebat mortem sanctorum, quam vitam flagitiosorum.

52. (Vers. 20, 21.) *Inimici, inquit, mei vivunt, et confirmati sunt super me: [et multiplicati sunt, qui oderunt me inique. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam subsequutus sum justitiam.* Sed quanto illustrior ille, qui quotidie moriebatur, ut populos **839** suos vivificaret: et corpus suum mortis vulneribus offerebat; sicut ipse ait: *In mortibus frequenter* (II Cor. XI, 23)! Mors enim honesta redemptio vitæ est etiam decoloris, aut innoxie firmamentum: exitus autem mortis in manû vitæ. Et ideo malebat Apostolus quotidie mori; ut vitæ suæ meritum comprobaret. Scriptum est enim: *Non laudes hominem in vita sua.* Qui enim vivunt, morientur: qui moriuntur, resurgent. Propior ergo saluti est, qui moritur ut resurgat, quam ille qui vivit ut moriatur. Quis est autem qui quotidie moritur (Eccl. XI, 30), nisi qui mortem Domini Jesu in sua carne circumfert, ut omnia ei peccata moriantur? Confirmati autem et multiplicati sunt inimici David in hoc sæculo; sed non idoneum firmamentum, nisi ejus qui confirmatur in Christo. Denique illi confirmantur in sæculo, qui oderunt justum inique: non ergo justum odium, sed injustum; cum odissent inique.

53. Sed vide distantiam. In posterioribus ait: *Qui oderunt me gratis* (Psal. LXXVIII, 5); hic habet: *Qui oderunt me inique.* Sed ibi ex persona Christi, hic ex persona sua; ubi ex persona Christi loquitur, gratis odio habetur: ubi ex sua, inique. Homo enim potest uni alicui vulneri non patere, ut puta injustitiæ, intemperantiæ, impudicitæ; aliis autem vulneribus patet. In Christo autem nulla causa esse potuit, qua peccati alicujus potuerit vulnus accipere, immunis a culpa, et integer a delicto, atque immaculatus a vitio. Sunt autem qui putant utrumque psalmum ex persona Christi esse decursum, qui pro nostris peccatis satisfacere Patri. Hic ergo dicebat se appetitum contra justitiam, illic contra gratiam.

54. Et bene addit, ut probaret se injuste appetitum: *Quoniam subsequutus sum justitiam.* Quanta vis verbi in unius syllabæ adjectione, ut subsequutum se diceret justitiam, non secutum! Propior est enim qui subsequitur, quam ille qui sequitur, ^b et suppar quam impar, et successio hæredis magis, quam accessio nuncupatur.

55. (Vers. 22.) Et tamen quamvis subsequatur justitiam, non suæ virtutis putat esse, sed gratiæ cœlestis, si non deseratur a Christo; eoque orat impensius dicens: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus; ne discesseris a me;* hoc est, homines me de-

^a Quidam mss. sæculi hujus, sed amara delectent.

^b Rom. edit. sola, et suppar quam par, et successio hæredis magis quam cessio nuncupatur. Sed manifestus error est. Quis enim non videat quempiam ab alio minus remotum significari, si dicatur illi

suppar esse, quam si eidem impar diceretur? Atqui apertissime hunc sensum series postulat orationis; quo etiam pacto de vocibus, successio, et, accessio philosophandum.

reliquerunt, amici mei impugnaverunt dilectum sibi proximum: non appropinquaverunt. Fugiebant me quasi mortuum, et abominati sunt; quia peccata mea tibi aperire desideravi, et confiteri; quia flagellis tuis me obtuli vulnerandum; quia elegi cicatrices vulnerum super epulas regum, et jactantiam potestatum: tu solus me non derelinquas, tu hæreas servulo tuo, qui de terra suscitasti inopem, et de stercore erigisti pauperem. Tuo comitatu fretus, frequentior me ambientibus populis æstimabo. Computruerunt quidem cicatrices meæ; sed adhuc tuorum verberum desidero cicatrices, quæ sanatis vulneribus obducuntur, ut postea nullum ulcus appareat. Bonæ triumphalium vulnerum cicatrices, quibus victores hujus terreni prælii gloriantur. Quanto illustriora **840** vulnera, quæ pro fide et nominis tui gloria videntur excepta! Ista est cicatrix quæ cælum aperit, regnum acquirit, immortalitatem invenit. Hæc ergo, fratres, est cicatrix beata, quoniam beati qui laverunt stolas suas in sanguine suo. Sic coepit stola esse gloriæ, caro mortis (Rom. vii, 24): in qua et Paulus ante periclitabatur electus Dei, nisi petisset se liberari de corpore mortis hujus, ut legimus.

56. Et ideo qui sumus in hoc corpore mortis, oremus ne bonus ille dilectus Dei medicus nos derelinquat, quem patriarcha David ne a se discederet, precabatur. Ipsi nos committamus, a parati ad curandum quò velit curari medicamento. Nemo dicit medico corporis sui quemadmodum sit curandus. Novit medicus quæ singulis vulneribus medicamenta convenient, ejus ulceris putredo ferro sit amputanda, ne in totius corporis serpat exitium. Si dixerit medicus medicinæ genus quo curari æger debeat, et illè fastidiat, discedit medicus et agrum derelinquit. Vide eum qui curari velit, omni genere medico acquiescentem; attende ordinem. Aperit primo vulnera sua medico, et dicit: Cura me, sed rogo ne in ira tua, quia non sustinent duram medicinam infirmitates meæ. Medicina Christi, correptio est; corripit enim Dominus quem vult convertere. Ideo et Paulus ad medicum dicit: *Argue, obsecra, increpa* (II Tim. iv, 2). Non ergo recusat curari, qui petit argui; sed levare vult poenam, ne in iracundia arguatur, et impetu iræ corripiatur.

57. Et vide processum. Primo petit argui; postea, quod majus est, corripiri. Deinde non solum confitetur peccata sua; sed etiam enumerat et accusat; non vult enim latere sua delicta. Nam ut febres cum in alto sunt, non queunt mitigari; cum foras erumpunt, spem afferunt desinendi: ita peccatorum

^a Edit. omnes ac pauci mss. omittunt, *ad curandum*; quod reperitur in quinque Gallic. Haud male; idem enim est, *parati ad curandum*, ac si legeres, *parati ut curemur*. Rationem hujusmodi locutionis discite apud Fr. Sanctium, *Minervæ* lib. iii, cap. 8.

^b Ita omnes mss, atque edit. excepta Rom. quæ sic habet, *dicens: Ego in flagella paratus sum*; et alibi: *Fiat manus tua in me*; hoc est, *redde mihi*, etc.

^c Rom. edit. sola, *quem Græci nonnulli codices ha-*

A morbus dum tegitur, inardescit; si confessionibus proditur, evaporat. Et ideo justus accusator est sui in principio sermonis, priusquam contagio ulceris serpat intrinsecus; gravat enim conscientiam memoria delictorum, nisi medicina poscatur. Et si differt medicus, æger offerre se debet, ut citius secetur; sicut offerebat se David in flagella Domini ^b dicens: Redde mihi duplicia peccata, dummodo hic vindices; noli me deserere, noli avertere faciem tuam a me; noli dedignari atque horrescere fetorem vulnerum meorum. Et Job servulus tuus percussus erat ulcere a pedibus usque ad caput, et remedium suæ sanitatis invenit; licet illud vulnus virtutis fuerit, istud erroris. Fetebant vulnera, quæ medici curare non possent. Locutus es, Domine, mysteria sacramentorum tuorum, manifestasti venena serpentis; et solius sermonis tui medicamento servi tui curata sunt vulnera, quia tu eum non deseruisti; et non derelinquas me, Domine, ne discesseris a me. Homines me dereliquerunt; quia sordent illis vulnera mea, quæ pietati tuæ putavi esse reseranda. Illi dicunt: Exi a nobis, quia peccator es tu; discede, ne nos polluas. Tu autem, Domine, curas, et non pollueris; adjuvas, et non contaminaris; quia *Deus salutis meæ es*; **841** Domine, et manus tua non perdere, sed sanare consuevit.

58. Complevimus psalmum etiam cum ejus interpretatione versiculi ^c quem Græci nonnulli codices, sed non omnes habent latini. Nam ante responsorium proximum versiculus est, *Et projecerunt me, sicut mortuum abominatum*; hoc est, illi qui reddebant mihi mala pro bonis. Sed tu *ne derelinquas me, Domine, ne discesseris a me*; hoc enim sequitur; id est: Tu ne derelinquas, qui mortuum fetentem curare consuesti. Denique habemus hoc in Evangelio. Nam cum venisset ad monumentum Lazari, et dixisset: *Tollite lapidem*; ait Martha: *Jam fetet, quatríduanus est enim*; respondit ei: *Non dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei* (Joan. xi, 39 et 40)? Et clamavit Lazarus, et sanus exivit. Credamus **842** ergo et nos; ut de vulneribus nostris acquiramus medicinam salutis, et futuram gloriam.

59. In orationibus igitur et obsecrationibus, cum dolore et lacrymis exigenda poenitentia est, ut illam gloriam Dei videre mereamur. Neque te moveat quod luctus, dolor, commaceratio corporis, gravissimæ passiones sunt; etsi gravissimæ videntur, tamen indignæ sunt hujusmodi passiones ad superventuram gloriam, sicut testis tibi est apostolus Paulus (Rom. viii, 18). Non pigeat ergo nos hic leviora deferre; ut ibi plena laudis et gloriæ possimus adipisci,

bent; sed omnes Latini. Versum autem illum nusquam alibi reperias, nisi in versione arabica; ubi legitur in hæc verba: Respuerunt me dilectum, quasi mortuum abominandum; et clavibus confixerunt corpus meum. Quod autem ait Ambrosius hunc ipsum versiculum abs se etiam expositum esse, illum non dubitamus respicere ad superiora ista: Homines me dereliquerunt; quia sordent illis vulnera mea, etc.

pro temporalibus laboribus perpetua præmia reportantes per Dominum Jesum : cui est laus, honor, gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum, Amen.

IN PSALMUM XXXVIII ENARRATIO.

Titulus : *In finem pro Idithum Canticum ipsi David.*

841 1. (Vers. 1.) In superiore psalmo expressa forma pœnitentiæ est : in hoc sequenti patientiæ forma signatur. Quem psalmum David scripsit, et Idithum viro disciplinis leviticis et sacerdotalibus erudito canendum dedit, qui ante arcam Domini psalmorum seriem pangendi solertissimus præcinebat. Ergo quia non Idithum scripsit hunc psalmum, sed propheta David, et Idithum viro canendi perito psallendum **B** dedit; ideo sic inscriptus est titulus. Denique etiam in sæcularibus scriptis alii erant qui scribebant, alii qui in scena, vel cantica, vel comœdias, vel tragœdias, canere consueverant. Et illi quidem ^a coronam Olympicam postulabant : unde et ἐπὶ νίκης hymnum eorum scripta in sine testantur; David autem qui non hæc sarta coronarum marcentium requirebat, sed illam incorruptibilem et incontaminatam remunerationum coelestium hæreditatem pio desiderabat affectu, hymnum non victoriæ ἐπὶ νίκης; sed ei scripsit, qui victoriam in se credentibus impertiebat, qui finis est omnium quæ pia mente deposcimus. ^b Sive enim sapientiam quæras, sive virtuti studeas, sive veritati, sive viæ atque justitiæ, sive resurrectioni, in omnibus tibi sequendus est Christus, qui est **C** virtus Dei atque sapientia, veritas, via, justitia, resurrectio. Ad quem igitur contendas, nisi ad perfectionem omnium, summamque virtutum? Et ideo tibi dicit : *Veni, sequere me* (Matth. xix, 21); hoc est, ut ad consummationem virtutum pervenire merearis. Ergo qui sequitur Christum, ipsum pro possibilitate sua debet imitari; ut præcepta ejus secum ipse meditetur, et divinorum exempla factorum.

2. Et ideo David secum ipse meditabatur, quod Christum in se locutum esse retinebat, ut cum aliqui ei essent molesti, et eum ad contentionem lacessere conarentur, patientiam indueret, certandi studia declinaret, ex quibus inanis strepitus et jurgia frequenter oriuntur. Ideoque **842** cum sancto David plerique ejus virtutibus invidentes, qui eum **D** de proposito mansuetudinis, et humilitatis affectu crederent diducendum, frequenter ingruerent; ipsæ quoque præcipue nequitiae spiritales in coelestibus, adversus quas grave luctamen est justis, ad commovendum eum ministros suæ improbitatis impellerent : ne inter obstrepentium crebra certamina, et disceptationum tumultus sermo aliquis sibi offensionis excideret, tacere sanctus Propheta proposuit. O validum scutum circumspectæ munitionis silentium!

^a Corona illa donabantur ii qui in ludis ab Hercule in honorem Jovis prope Olympiam urbem institutis, ac singulis quinquenniis celebrari solis vicissent. Erat autem illa ex ramis olivæ. Porro ἐπὶ νίκης, carmina sunt quibus victoria cujuscumque celebratur, qua-

O fidissimum stabilitatis fundamentum, in quo si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non possit! Multi enim etiam stabili corde firmati, incauti tamen, sermonis fluctuantis errore sæpe ceciderunt. Videns igitur hujusmodi insidiis et vano concertantium strepitu se Propheta tentari, intra se ipse tacitus conferebat, legem sibi taciturnitatis imponens; et cum taceret, insultantibus sibi, et ut loqueretur aliquid provocantibus; qualia solent insolentium esse certamina atque sermones : Responde nobis, si de æqualitate præsumis : vides et tu esse te victum, et nihil habere quod referas; cum se prope ad vocem conviciis videret impelli, se ipse revocabat, ut loqueretur in corde.

3. (Vers. 2.) *Dixi, Custodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam; dum consistit peccator adversum me; hoc est, proposui, confirmavi, imperavi mihi, locutus sum cordi meo: Custodiam vias meas.* Si alii dixissem, sermo meus stare deberet; quanto magis stabile debet esse, quod mihi ipse constitui! Si quis alienum fallat, indecorum est : si quis proximum, grave; quanto igitur gravius, si quis se ipsum eo quod sibi promiserit, putet esse fraudandum; ut ipse sibi infidelis suo iudicio et despicibilis æstimetur. Cui igitur idoneus videri potest, qui sibi vilis est? Teneamus igitur animæ constantiam nostræ; ne **843** in offensionem labia loquendi festina prorumpant. Et Job plagam suam silentio vicit, et tolerantiam suam taciturnitate superavit. Non bene creditur carni : vicissemus, si Eva tacuisset. Ergo primum illud processit ex voce peccatum, et serpens ille nequissimus atque versutus per vocem nos ante tentavit. Atque utinam aut Adam surdus fuisset, aut Eva obmutuisset : ille, ne vocem suæ uxoris audiret; ista, ne loqueretur marito, et lubricæ vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet. Cain quoque etsi parricidio naturam violavit humanam, et obliteravit impius jura pietatis; tamen per vocem sacrilegium scelerei suo addidit, ut negaret Deo necati fratris interitum. Quid de singulis dicam? Populus ipse electus a Domino, cui tacitus Moyses aperuit mare, ingratus coelestibus beneficiis obmurmurabat, quo divinam contraxit offensionem. Deinde ipsum ducem invii illius atque inusitati itineris Moysen respuit, et a fratre ejus Aaron deos sibi fieri quos coleret, postulavit.

4. Unde etiam ipse considerans tanta vocis pericula fere Pindarus, lyricorum princeps, nobis reliquit.

^b Mss. Viet. et Colb., *Sive enim sapientiam quæras, sive virtutem; ipse est Dei virtus atque sapientia, ipse veritatis via, justitia, resurrectio.*

cula : *Dixi* : inquit, *Custodiam vias meas*. Quæ sint A igitur istæ viæ hominis, quæ magnopere præca- vendæ, ne quid gravioris offensionis incurrant, ad- monet nos tantus Propheta diligentius considerare. Admonet etiam Salomon ejus filius paternæ mentis interpres perspicacius examinare, qui scripsit : *Tria mihi sunt impossibilia intelligere, et quartum quod non agnosco. Vestigium aquilæ volantis, et viam serpentis in petra, et semitas navis in pelago navigantis, et vias viri in juventute. Talis via mulieris adulteræ, quæ postquam egit, abluta nihil egisse se dicit iniquum* (*Prov. xxx, 18 et seq*). Tria ergo impossibilia sibi esse dixit ad intelligendum, et quartum quod ille habens inter ho- mines sapientiæ signaculum, non agnosceret, viarum videlicet viri in juventute processum. Quarum igitur vel inexplicabilis, vel difficilis agnitio, potest facilis B carum esse custodia ? Unde non immerito ipse Da- vid delictorum juventutis suæ non defensionem ob- tulit, sed oblivionem rogavit. *Delicta, inquit, juven- tutis meæ, et ignorantia meæ ne memineris* (*Psal. xxiv, 7*). Non immerito igitur Salomon dixit se non agnoscere quod pater ejus, in quo major Dei gratia fuit, se ignorasse testatus est. Et fortasse delicta ju- ventutis ad fervorem retulit carnis, ignorantiam au- tem ad verborum prolapsionem, quæ non ex senten- tia nostra, sed impetu quodam et cursu loquendi plerumque funduntur; quod periculosum esse Pro- pheta cognoscens ait : *Credidi propter quod locutus sum* (*Psal. cxv, 1*). Supra fundamentum ergo virtutis vox tuta est; sine fundamento, lubrica. Ideo quasi quodam tubæ sono Scripturæ divinæ electus inter- C pres increpuit : *Corde creditur ad justitiam; ore au- tem confessio fit ad salutem* (*Rom. x, 10*). Fides Cre- dentium principalis est, confessio executionis.

5. Quomodo igitur proposuerit sanctus propheta David, aut propter quid custodire vias suas, audia- mus : *Ut non, inquit, delinquam in lingua mea*. Si hoc cavet Propheta, tu non caves ? Si hoc metuit, in quo Dei gratia loquebatur, tu non metuis, qui erro- ris verba non refugis, et theatralibus sermonibus delectaris ? Tu non reformidas, cui scriptum est in Evangelio (*Matth. xii, 36*), quia **844** pro omni otioso verbo rationem es redditurus ? Si pro otioso verbo periculum est, quanto magis pro criminoso ! Non omne quod otiosum, est criminosum : sed omne quod non fructuosum, periculosum atque eradica- D bile; omnis enim arbor non faciens fructum, exci- detur, et in ignem mittetur. Cum movetur animus, exagitur stimulantibus adversariis, obstrepentibus, illudentibus, criminantibus, excidit verbum commo- tionis; ideo silentium et tutum est, et decorum, quod servat cum gravitate cautelam. Quid enim la- bia nostra, nisi quædam nostra vincula sunt ? De- nique vinculis labiorum suorum unusquisque con- stringitur. Ideo sapiens in tempore tacet, et secum ipse considerat quo tempore loqui debeat. De quo præclare ipse Salomon : *Labia Sapientis alligata sunt intellectu* (*Prov. xv, 7*). Quando ergo vides illuden- tibus protervis; sapientem tacere, dic : Ligavit iste

intellectu labia sua; hoc est prudenter tacet, ne la- biorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo custodiam, sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus oris sui, servat thesaurum cordis sui et ar- gentum eloquii sui, ut examinatum et purgatum, quando oportet, proferat; ne quisquam prius fur in cor ejus aut perturbator irrumpat, et ad eos capti- vum trahat, quibus flagitia sua vendat.

6. Meditabatur Judas Christum vendere, sed re- vocabat eum tanta Domini gratia, et quædam pa- ternæ delinimenta pietatis, quibus furor ejus molli- batur : nec erupisset in scelus, nisi se in cor ejus, quia Christum fallere se putabat, adversarius de- mersisset. Non ergo dubites quando aliqui tibi mo- lesti sunt volenti servare justitiam, mini-tros esse illius nequissimi peccatoris, qui omnium auctor est flagitiorum. Videbat David propheticis oculis, agno- scebat ejus figuram; ideo tacebat, ne illius faceret voluntatem, qui interturbare gestit affectum. Pre- mebat vocem, claudebat portas suas silentio, præ- tendebat in eo patientia, et taciturnitatis vigilabat custodia; ne inimicus obreperet, ne de claustris oris vagus aliquis sermo et incantus exiret. Ideo fortior est patiens, qui se ipsum continet, quam qui urbes capit. Justus ipse sibi claustrum est, ipse sibi per- vigil custos.

7. Cum sibi ergo ipse prætenderet, loquebatur in suo corde : *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me*. Adest semper inimicus, quia semper insidiatur. Etsi illum non vides, adest : etsi illum non sentis, incursat. Si non vides, videnti crede : *Consistit, inquit, peccator adversum me*. Qui vi- det peccatum suum, videt etiam peccatorem sibi in iis quæ gesserit, illudentem. Qui autem peccatorem præ- viderit, potest vitare peccatum. Videbat David con- sistere adversum se peccatorem; quando Semei ma- ledicebat et lapidabat regem suum, et clamabat : *Exi, vir sanguinum* (*II Reg. xvi, 7*). Neque enim tam præruptus foret, ut nec tanti regis reverentiæ move- retur, nec armatum ejus timeret exercitum, cum unus de exercitu ejus conviciantem potuisset occi- dere; sed amentem diabolus fecerat, qui eum im- pellebat ad mortem. Ideo David adversus auctorem magis præliabatur, quam ministrum persequabatur. Quid enim magnum, de homine invalido **845** vindi- cari, quem ad furorem alter urgebat, in cujus nece peccator habuisset voluntatis effectum ? Non gladio diabolus, sed verbo Dei vincitur : ideo taceat lingua hominis, Dei Verbum loquatur. Denique et Christus tacebat ante Pilati judicium constitutus, ut nobis da- ret formam tacendi; quia lingua corporis facilis est ad errorem, proclivis ad lapsum. Sunt autem et quæ tacentes loquantur; sicut Moyses qui stabat attoni- tus, et tacebat, cui dixit tacenti Deus : *Quid clamas ad me* (*Exod. xiv, 5*) ? Ut Susanna, quæ tacuit in periculis suis, et Dominus exaudivit eam. Ergo etiamsi in te verbum Dei sit; et tacebis in Dei verbo, et tacitus clamabis, ut audiaris a Christo.

8. Meditare ergo quæ Christi sunt, quæ secum me-

ditabatur propheta David, in quo ea quæ secum in hoc psalmo meditata esse se dicit, ante in eo locutus est Christus. Sic enim scriptum est : *Ego autem cum in aliquo mihi molesti essent, inducbam me cilicio; et humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur (Psal. xxxiv, 13)*. Quid est, in aliquo? Quia tunc maxime aut sermo non opportunus elabatur, aut affectus movetur; quando vel in dolore aliquo et tristitia sumus, vel indignatione animus ægrescit, vel aliquibus sollicitudinibus impeditur, aut disceptationibus occupatur. Qui igitur molesti? Primum de ipso auctore peccati et angelis suis intellige; deinde de iis^a qui malunt sequaces ejus esse, quam Christi. Impellitur uxor, ut sancti Job (*Job ii, 10 et alibi*): amicus, quod in illo ipso libro manifestatur; filius, ut Abessalon; servus, libertus, domesticus; quia inimici hominis etiam domestici ejus, ut exagitent eum singuli. Quod igitur remedium adversus hujusmodi animorum ægrotudines, nisi patientia, nisi silentium? Et, quod est gravius, ille te magis læcessit, qui beneficiis tuis usus sit: et inter ipsos amplius ille exasperat, qui plus tibi debeat; quo magis ingrati hominis acerbitate, aut vilis alicujus personæ indignitate movearis.

9. Ergo justus, etsi amicus ei est insolens, dolet pro amico; quia idcirco amicus suus labitur, quia a tentatore impellitur. Si pro amico dolet, multo magis pro uxore, pro filio: si eos quoque sibi insolentes experiatur; et si frater exagitat, ut Esau sanctum Jacob, dolet et quærit sibi fratrem reconciliare, vel fugere a facie ejus, ut Rebecca suadebat, ne iracundia fratris occasionem nocendi aliquam reperiret; et si proximus aut domesticus, dolet; et si minister, aut libertus, aut servus, fert patienter, et in his omnibus tacet: ne ei respondeat, a quo eum cernit impelli. Conviciatur ergo ex domesticis aliquis? dolet et tacet; conviciatur libertus? tacet; conviciatur servus? tacet. Sic vincitur qui laqueum ejus animæ per escam vocis extendit. Tace ergo et tu cum tibi indignus conviciatur; tace cum tibi servus, et maxime tuus, contumeliam facit; et dic in corde tuo: *Ego taceo: Tu autem ne taceas, Domine (Psal. xxxiv, 22)*; et addè: *Ne discedas a me*, ut David propheta dicebat; hoc est, ne solum me impugnantibus derelinquas. Non est enim solus, cui Deus præsens est. Accipe testimonium. *Ecce, inquit, venit hora, ut dispergamini unusquisque in sua, et* **846** *me solum relinquantis; sed non sum solus, quoniam Pater mecum est (Joan. xvi, 32)*.

10. Justus ergo adversus insolentes sibi tacet, justus orat. Audi justum orantem: *Pro eo ut me diligere, detrahebant mihi: ego autem orabam (Psal. cviii, 4)*. Justus maledicentibus sibi benedicit; ut faciebant apostoli, sicut Paulus asserit dicens: *Maledicimur, et benedicimus (I Cor. iv, 13)*. Justus diligit inimicos suos. Vide quemadmodum paulatim per gradus singulos ascendere docetur ad incrementa virtutum,

A dicente Domino: *Diligite inimicos vestros (Matth. v, 44)*. Justus orat pro calumniantibus; quia et hoc præcepit Dominus adjungens: *Benefacite iis qui oderunt vos, orate pro calumniantibus et persequentibus vos (Ibid.)*. Ipse est per omnia justus, qui hæc custodit et servat. Primum, quia tacet, et non respondet inimicis; deinde quia orat, hoc est, non est otiosus affectu. Et qui orat, bona orat, non ea quæ cuique possint suo inimico nocere. Plus est ergo orare, quam tacere. Justus maledicentibus sibi benedicit. Plus est et hoc quam orare pro se; securus enim sui benedicti ei, quem non timet, aut etiam ei quem ante metuebat. Justus diligit inimicum. Plus est diligere, quam benedicere; quia major est mentis dilectio, quam sermonis gratia. Justus benefacit ei cujus odiis appetitus est. Justus orat pro calumniantibus. Bona charitas, et pietas bona: utrumque Dei, et utrumque est Deus; quia *charitas est Deus*, ut dixit Joannes in epistola (*I Joan. iv, 16*). Ideo utrumque conjunctum est: *Diligite inimicos vestros... et orate pro calumniantibus et persequentibus vos*. Plenitudo Legis est charitas: sed etiam hæc Evangelii plenitudo pro calumniantibus et persequentibus nos jubet orare, ut peccatis eorum veniam postulemus; sicut divino judicio Job sanctus electus est, cujus oratio regum illorum calumniantium justo aboleret offensam (*Job xlii, 8*).

11. Ergo etsi infirmus es, ora; etsi fortis es, ora. Infirmus pro te oras, fortis pro inimico tuo oras. Bonum scutum infirmitatis, oratio. Tu oras, et Dominus te protegit. Bonum scutum etiam triumphantis, ut inimicum tuum quem possis ferire, defendas; ne ab aliquo trucidetur, et (quod est majus) a Christo, qui dixit: *Mihi vindictam, et ego retribuam (Rom. xii, 19)*. Hæc est oratio, quæ in sinum convertitur deprecantis, fructum referens eorum quæ voluit impetrare; ut dona in ejus animam ac mentem recurrant, quæ proposcit a Domino; sicut in posterioribus hic idem propheta te docuit dicens: *Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas. Tamquam adipe et pinguedine repleatur anima mea (Psal. lxii, 5 et 6)*. Ipse est sinus animæ, secretum orationis ejus penetralia voluntatis, et quædam recurrentium votorum intima receptacula. Unde et justi in Abrahamæ sinu requiescere leguntur (*Luc. xvi, 22*), quod in ejus gratia, in ejus requie, in ejus placiditate requiescant, qui conformem ei induerint fidem, et eandem in bonis operibus fecerint voluntatem.

12. Sed forte miretur aliquis, cum Dominus dixerit per os David, quod humiliabat in jejunio animam suam (*Psal. xxxiv, 13*); quomodo ipse David ait in posterioribus: *Si non humiliter sentiebam; sed exaltavi animam meam (Psal. cxxx, 2)*. Verum is consideret aliud esse **847** quod ad sapientiam mentis refertur, aliud quod ad humilitatem cordis: sapientia mentis sublimis est; sapientia autem carnis non debet inflari. Humiliabat ergo David in jejunio animam

^a Cod. Reg. et alii quatuor cum ant. edit. in marg., qui malunt se vasa ejus esse.

suam, ut castigandum nostræ carnis tumorem doce-
ret. Exaltabat animam Propheta, per sublimem Dei
gratiam; *quoniam et qui se exultat, humiliabitur : et
qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. xiv, 11). Nec solum
superbus retunditur, et humilis attollitur digna re-
muneratione meritorum, sicut primum est intelligen-
dum : sed quia verbum Dei ex omni parte acutum est,
velut gladius qui ex duabus acutus est partibus, ego
arbitror posse intelligi, quia et qui se exultat, novit
se humiliare : et qui se humiliare novit, etiam exalta-
re se novit. Denique Paulus ostendit, dicens : *Ego
autem didici in quibus sum sufficiens esse. Scio et hu-
miliari, scio et abundare* (Philip. iv, 11). Ergo et Da-
vid non humiliter sentiendo ^a de Christo exaltabat
animam suam, quam humiliant et dejiciunt Ariani ; et
exaltando animam suam, sensus vigorem, fideique
gratiam, virtutis humilitatis pio repræsentabat affectu.

13. (Vers. 3.) Ideo ergo dicebat : *Obmutui, et hu-
miliatus sum, et silui a bonis* ; quia noverat quando se
humiliare deberet, et noverat quando silere de-
beret. ^b Obmutuit, ne ipsa litigiosa cum objur-
gantibus contentione perstreperet : humiliatus est,
ut tumorem dejiceret superbiorum, vel ut ipsos
quomodo humiliare se deberent, suo doceret exem-
plo : siluit a bonis ; quia bona conscientia non eget
defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio,
ipsa sui iudex. Ideoque justus dicit : *Quis contradicat,
aut quis resistat mihi* (Esai. l, 8) ? Et Paulus dicit :
*Mihi enim pro minimo est, ut a vobis dijudicer, aut ab
humano die* (I Cor. iv, 5). Adversum calumniantes et
peccatores justus suo iudicio contentus est : merito-
rum autem suorum iudicium Christo reservat. Ideoque
addidit : *Qui dijudicat me, Dominus est* (Ibid., 4). Pul-
cherrime eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur ;
ut eum nec occulta prætereant, nec infirmæ conditio-
nis lapsus offendat : qui fragilitati norit ignoscere. Ad
omnia igitur utile silentium. Si peccatum agnoscis,
tace, ne negando exaggeres ; si non agnoscis, tace
securus de innocentia. Non possunt aliena verba, cri-
men affigere, quod propria non recepit conscientia.

14. Sequitur : *Et dolor meus renovatus est*. Adhuc
in inferiore virtutis gradu positus hæc verba depro-
mit, quod dolor sibi peccatorum veterum objectione
renovatus sit, quæ deleta jam obduxisse videbatur
oblivio, vel bonorum operum texerat compensatio.
Denique in posterioribus quasi fortior dicit : *Vide-
runt me, et moverunt capita sua* (Psal. cviii, 25) ; eo
quod minarentur, et nocere non possent. Et addidit :
Maledicent illi, et tu benedices (Ibid. 28). Et quod
quasi validior loquitur, negligens injuriæ, vel pudor-

ris, cui benedictio Domini pro omnibus **848** abun-
daret. Ergo in isto psalmo trigesimo octavo quasi in
quadam meditatione, nondum tamen in omni locatus
perfectione virtutis, dicit sibi dolorem esse renovatum.
Validissimus enim cicatricis offensionem sentire non
novit, nec plagam potest timere, qui fortior est. In
ipso pugilum certamine solet plerumque qui fortior
est exspectare, ut inferioris ictu aliquo lacesatur,
quo acrior offensus insurgat ; ita exercitatione nimia
atque patientia roboratus, ut tamquam insensibilis ad
dolorem, plagam sentire non possit, percussus ridet,
laccessitus initiatur. At vero inferior si forte ictum
ferientis supra obductam cicatricem veteris vul-
neris exceperit, renovatum sentit dolorem. Sic est
cui obijciuntur peccata superiora, quæ competenter
doluit atque deslevit ; ut satisfactione congrua vul-
neri peccatorum suorum obduceret cicatricem. Si
perfectus est, tacet conviciantibus, nullo sibi dolore
renovato ; quia etsi peccavit, securus est quia sine
pœnitentia sunt Dei dona ; et ideo quæ semel dona-
vit, resolvere ac renovare non soleat, cum ipse
dixerit : *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates,
et memor non ero* (Esai. xliii, 25) Si au-
tem imperfectus et immemor cœlestium præcepto-
rum, dolor ei tamquam rescissa cicatrice repa-
ratur.

15. (Vers. 4.) *Concaluit cor meum intra me, et in me-
ditatione mea exardescet ignis*. Graviora vulnera, sic-
ut novimus, caustico medicamento vel admoto igne
curantur. Ergo vir sapiens ipse medicus est sibi :
tamen etsi medicus est, vulnus suum curat. Ideoque
si non plene consummatus est ad inoffensæ habitudi-
nem sanitatis, vaporatur ejus cor, habet febrem,
ignescit ad objecta convicia. Et si tacet, vel intra se
teritur. Lapis si ad lapidem teratur, ignem excutit ;
ita etiam bona conscientia pudore succenditur, si
renovetur ei suorum recordatio delictorum. *Et in ipsa
meditatione ignis exardescit*. Non malus ignis, qui
adurat, sed non exurat. Talis ignis Dei quem Moyses
in rubo vidit ; quando rubus urebatur, sed non exu-
rebatur. Est ergo ignis, qui peccatum minuit, et suo
culpam ardore depascit. Est et ignis qui cœlestium
scripturarum meditationibus excitatur ; velut ille de
quo dicit Hieremiás : *Et erat ignis flammigerans in os-
sibus meis* (Jerem. xx, 9). Aut ille de quo Cleophas,
et qui simul iter agebat, quando post resurrectionem
eis se Christus adjunxit, sermone mutuo conferebant
dicentes : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,
cum aperiret nobis Scripturas* (Luc. xxiv, 32) ? Ideo et
Dominus venit, ut ignem hunc in terram mitteret ;

Vict. et Colb. eadem verba prorsus resciderant sic
præferentes, *de Christo, exaltabat animam suam, sen-
susque vigore, fideique gratia, virtutem humilitatis, etc.*

^b Mss. Vict. et Colb., *Obmutuit et ipse, litigiosa
cum objurgantes contentione perstreperet. Thuan....,
ne litigiosa cum objurgantibus contentione perstreperet.*
Denique edit. vet. ac Rom. cum Vat. et aliis Gall. ut
nos in textu. Rursus post pauca, ubi edit. vet. ac
Rom. cum mss. Vat. et quinque Gallic. *vel ut ipsos
quomodo humiliare se deberent.* Cod. Vict. et Colb.,
vel ut ipsos humiliare se debere.

^a Ita mss. Vat. duo, et quinque Gallic. Verborum
quidem sensus paulo obscurior est, verum ei non mi-
nimum accedet luminis, si modo ad superius illud
respicias, *Cum Dominus dixerit per os David, etc.* In-
tellige igitur Prophetam in persona Christi exaltasse
animam suam, et omnia jam plana erunt. Hoc autem
cum minus assequerentur Romani editores, verba
transposuerunt in hunc modum, *de Christo (quem hu-
miliant et dejiciunt Ariani) exaltabat animam suam ;
hoc est, sensus vigorem, fidei gratiam, virtutem humi-
litate pio repræsentabat affectu.* Aut, vero edit. e' mss.

quo illuminaret animas universorum, studium accenderet, crimen exureret.

16. (Vers. 5.) *Locutus sum in lingua mea : notum fac mihi, Domine, finem meum : et numerum dierum meorum qui est ; ut sciam quid desit mihi.* Bonus ignis, qui fecit ut Propheta loqueretur. Et vide ne ipse sit ignis qui visus est, quando in die Pentecostes in unum locum discipulis congregatis, decidit cum **849** vi magna super eos Spiritus sanctus, et linguis variis loquebantur. Sic enim scriptum est : *Quia visæ sunt linguæ eorum dispersæ tamquam ignis (Act. II, 3).* Hic est ergo qui dixit ad Hieremiam : *Ecce do tibi in os verba mea in ignem (Jerem. V, 14).* Hanc ergo et David linguam ignis accepit, ut divinæ cognitionis succensus ardore loqueretur : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Non de morte sua quærit (neque enim hic finis resurrecturo) sed de eo fine quærit, de quo Apostolus dixit (I Cor. xv, 24 et seq.) : *Quia ille finis, quando Dominus Jesus tradet regnum Deo Patri, et evacuabit omnes Principatus et Potestates : et quando mors novissima omnium destruetur : ut mala deficient, et bona æterna succedant. Et ideo dictum est : Fugit dolor, tristitia, et gemitus (Esai. xxxv, 10).* Hunc finem in hominibus operabatur et Paulus dicens : *Et quis est qui lætificat me, nisi qui contristatur ex me (II Cor., II, 2)?* Objurgando enim dolorem, tristitiam, gemitus excitabat, ut agerent poenitentiam; quo irrevocabilem veniam et salutem, cujus Deum non poeniteret, mererentur. Ille igitur verus est finis, qui non unius erit finis, sed omnium. Quomodo ergo finem meum dixit? Sed considera quis loquatur. Utique homo, vel unus ex hominibus usus communitate substantiæ, vel quia ad formam universorum describitur, et ad perfectionem consummati hominis eruditur.

17. Unde et addidit notum sibi fieri numerum dierum qui est, ut sciat quid desit sibi. Ad perfectionem utique quid desit, non ad istius corporis vitam de quo propheta David cupiebat absolvi dicens : *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est, et habitavi cum habitantibus Cedar (Psal. cxix, 5).* Denique dierum numerum cognoscere volebat, non etiam noctium. ^a Hic enim dies et noctes sunt: ibi vero dies soli, ibi lumen perpetuum atque diurnum. Et ideo addidit : *Qui est, inquit, non qui transeat. Cælum enim et terra præteribunt, fides autem permanet, et dies Christi; quia heri et hodie ipse est, et in sæcula. Quem autem numerum quærat, accipe. In domo, inquit, Patris mei mansiones multæ sunt (Joan. xiv, 2).* Dat ergo unicuique locum Dominus Jesus, hoc est, aptam pro uniuscujusque meritis mansionem. Unus-

^a Edit. Rom. . . hic enim dies et noctes sunt. Ibi ergo dies solis. Mss. Vict. et Colb., *Hic enim diceret noctes sunt. Ibi ergo dies, ibi sol.* Vet. edit. et alii codices, ut nos in textu.

^b Edit. vet. ac mss. Vict. et Colb., *atque in ipsam summitatem cælorum.* Alii quatuor, *in ipsum axem et in summitatem cæli.* Vat. et Reg., *atque in ipsam apsidem summitatem, etc.* Lege, *Apsidem, sive Apsida, ut edit. Rom. habet.* Est autem *apsida, latior pars ædis, ut habetur in Gloss. mss. apud Cangium. At-*

quisque enim in suo ordine. Præcessit ergo, ut pararet in se credentibus locum. Unde et dixit : *Si abiero, et paravero vobis locum, iterum venio ad vos, et accersam vos ad meipsum; ut ubi ego sum, et vos sitis : et quo vado scitis, et viam scitis (Ibid., 3 et 4).* Est ergo via per quam resurgens Christus ascendit. Et ille quidem ascendit super omnes cælos ad Dei sedem : homines autem a primo cælo ad secundum, et deinceps a secundo ad tertium, et ab illo per distinctiones fere ad septimum cælum, ^b atque in ipsam apsidem et summitatem cælorum qui merentur, ascendant. Si ergo numerus viarum est, et numerus mansionum; utique numerus dierum est, per quos ad cæli altitudinem pervenitur.

18. (Vers. 6.) *Ecce veteres posuisti dies meos : Alius habet : Palæstas posuisti dies meos.* Si secundum Septuaginta viros, veteres accipimus dies; hoc est, secundum **850** veterem hominem intelligimus exactos. Sed vetus homo noster affixus est cruci. Ergo et vetus dies præteriit, novus venit. Alius enim dies hominis, alius dies Christi, quem Abraham vidit, et gavisus est; de quo et David ait : *Hic est dies quem fecit Dominus, exsultemus et lætemur in eo (Psal. cxvii, 24).* Sanctus ergo in die Domini exsultat in die novo, in quo Deus Dominus illuxit nobis, et dedit novam lucem in innoxiam vitam et integram reformatis. Ideo vir justus securus novæ lucis et gratiæ Dei dicit (Apoc. xxi, 1, et xxii, 5) : *Erit mihi cælum novum, et terra nova, et novum lumen. Non enim lucerna, et lumen solis illic lucebit, aut lunæ; sed Dominus illuminabit super populum suum. Illa ergo desideravi, illa exoptavi; et ideo diem hominis non requisivi.*

19. Quod si palæstas accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis et laboris; quoniam palæstæ luctatores in agone dicuntur, qui luctantur ad coronam. Ergo quia et nobis lueta non solum adversus carnem et sanguinem est; sed et adversus spiritalia nequitæ in cælestibus; dies nostri, hoc est, vitæ istius, ^c in labore sunt et dolore. Unde et in posterioribus ait : *Anni nostri sicut aranea meditabuntur : dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni : et plurimum eorum labor et dolor (Psal. lxxxix, 9 et 10).* Unde et apostolus Paulus abundantius cæteris apostolis laboravit; ut legitime certando ad coronam quam cuperet, perveniret.

^D 20. Sed tamen quia et architectorum mensuræ palæstæ dici feruntur, quibus ad structuræ numerum vel modum spatii colligendum, ædificia metiuntur, locumque eum in quo ædificia sunt locanda; et quia

tamen scriptum malleus, *altior*; cum sit summa forniciis curvatura. Hieron. lib. II in Epist. ad Ephesios, *In summo cæli fornice, et ut ipso verbo utar, apside.* Invenitur etiam illa vox apud ecclesiasticos scriptores usurpata, ut Ecclesiæ partem ab aliis separatam, et quæ propriam haberet cameram, significet. Vide Mabillonium nostrum, tom. I *Analect.*, atque alios.

^c Reg. cod., *in labore sunt et dolore, hoc est, in labore vitæ istius. Unde, etc.*

per Esaiam locutus est Deus: *Quis mensus est manu A aquam, et cœlum palmo, et universam terram clausa manu? Quis statuit montes statera (Esai. xl, 12)?* Videamus ne forte hic sensus hoc sermone sit colligendus, eo quod cognitos dies omnium habeat Deus: cui nihil immensum sit, qui omnia mensura quadam suæ scientiæ comprehendat, nihilque ei sit inæstimabile, nihil inexamatum atque innumerabile, qui ait: *Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt (Luc. xii, 7).* Hoc ergo dicit Propheta: *Ecce novisti dies meos; non te prætereunt quotidiani actus mei; peccata mea ante oculos tuos posuisti: et ideo substantia mea tamquam nihilum ante te.* Quid enim est homo, nisi quia memor ejus es? Homo vanitati similis factus est. Homo in peccato: et si aliquid habeat probitatis atque virtutis, recte cæteris terrenis animantibus antefertur, et in conspectu animalium quibus est præpositus, antecellit; in conspectu autem Dei tamquam nihil est ejus substantia. Unde et alibi ait: *Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens (Psal. cxlii, 2).* Quod Symmachus manifestius expressit dicens: *Et vita mea tamquam nihilum ante te.*

21. Sunt autem qui breves putant dies dictos, quia Symmachus *σπιθαμὰς* posuit: *σπιθαμή* autem palmus est; et quia palmo mensus dicitur (*Esai. xl, 12*) Deus **851** cœlum (palma autem vel palmus portio manus est metientis, et aliquid comprehendens), ideo tamquam breves dies æstimant nuncupatos; cum cognitio Dei per mensuram, ut supra diximus, possit intelligi: cœlestis autem ista cognitio, ut ad mensuram facta sint omnia. Non ergo breves, sed magni dies Prophetæ possunt intelligi, quos Deus mensus est palmo, quo mensus est cœlum. Neque enim breves suæ vitæ dies diceret, qui postea ait: *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est (Psal. cxix, 5);* nisi forte quia propter peccata hominum breviores vitæ istius dies fecit Deus, quæ ante et nongentis et septingentis annis extendebatur ut nunc intra centum annorum curricula claudatur. Sic ergo intelligendum est: *Ecce peccato obnoxios dies meos nosti; dies enim vitæ hujus, quæ peccato est obnoxia, breves sunt: dies autem vitæ æternæ sine fine.*

22. Aut certe sic (nostrum est enim argumentis

^a Cod. Vat. ac Gallie. aliquot, *Ideo laboriosam pœnitentiam suavis gratia sequitur.* Alii cum edit. consentiunt.

^b *Diapsalma*, est quædam in psalmo divisio, vel mutatio; ut sicubi (ait Hilarius Prologo in *Exp. psalm.*) *diapsalma intercesserit, aut aliquid aliud dici, aut etiam ab altero dici, aut in altero artis musicæ modulo cantari intelligendum sit.* Hieronymus, epist. 138, ad Marc., ab hac opinione discrepat, contendens *diapsalma* nihil aliud sonare, quam Hebræorum *sela*, id est, semper, quod tantum distinctionis causa ponebatur. Verum longe aliter de eadem voce disserit Eusebius Cæsar. in *Expositione Græc. P. P. in psalmos* a Baltaz. Corderio concinnata, et Antuerpiæ typis Moreti an. 1643 edita. Illiç siquidem narrat quinque cantores ordinis levitici, quos David elegerat, et quorum ipse medius stabat, singula musica instrumenta

quærere veritatem, tuum est eligere quid sequaris): Ne peccatum, inquit, cresceret, abbreviasti dies vitæ humanæ qua vivimus, in his terris; et tamen cum maturior in hoc brevi cursu istius vitæ finis sit peccatorum, mortis celeritate *substantia mea tamquam nihilum ante te*; quia etsi ad imaginem et similitudinem Dei facti sumus, gravat tamen nos in hoc corpore constitutos quædam terrena contagio: quæ non gravaret, si nos exuere magis veterem hominem, cum induimus gratiam, quam supervestire malle-mus; minorem etiam laborem nobis exspoliatus homo vetus, quam supervestitus afferret. Nam quod exspoliamur, abjicimus: quod supervestimur, induimus. Et ideo ingemiscimus et laboramus, donec mortale hoc veteris hominis indumentum, et erroris effectum obnoxium, novitate suæ vitæ spiritualis absorbeat; ut si supra venenum plurima mella fundantur, ægre ac nimis sero veneni virus aboletur. Aqua etiam multa diu cum veneni felle luctatur, si non illud exspuat, sed absorbeat. ^a Ideo laboriosa pœnitentia, suavis gratia; quia peccatum exspoliatur, ubi gratia est: absorbetur, ubi pœnitentia; ibi remittitur, hic absconditur. Et ideo scriptum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. xxxi, 1).*

23. (Vers. 7.) Et requievit paulisper ingemiscens humanæ conditionis ærumnam; quia dixerat: *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Et post ^b diapsalma, resumpto spiritu, ait: *Quamquam in imagine Dei ambulat homo; tamen vane conturbatur: thesaurizat, et ignorat cui congregat ea.* Vide quomodo ante asperitatem suæ sententiæ temperavit: postea rationem suæ vocis absolvit. Temperavit **852** dicendo: *Quia in imagine Dei ambulat homo.* Beatus homo, qui ad similitudinem Dei per fidem ambulat: beatus qui in te fidem habes: beatior si avaritiam non haberes. Aliud bonum mentis est æternum, aliud vanum carnis cupiditatis incendium. Fides enim Deo militat; avaritia tentatori: ista congerit quod sibi prosit, illa quod proficiat alienis. Quid igitur tam vanum, quam nescire cui laboret hæredi? Quis enim scit si sibi filius, aut nepos proprius supervivat? Sæpe aut in tabulis testamenti scriptus hæres funesto ambitu testatorem præcedit ad tumulum, aut hæreditatem superstes absorbet, aut luxuriosus dissipat, aut stultissimus non tuetur, aut proscriptus amittit. Si quem ergo

pulsantes contra Sanctuarium psallere solitos Spiritu sancto inspirante. At si quando ejus afflatus cessaret, eos quoque tantisper a cantu destitisse, ac tum scripsisse, *diapsalma*. Gregorius Nyss., trac. 2 in ps., cap. 10, silentium illud non cessationi divini instinctus, sed novæ cuiusdam illustrationi a Spiritu sancto in mentem Davidis immissæ attribuit. Hunc adeas licet; sicut et Cassiod. Prol. in psalmos cap. 11, et alios.

^c Ita edit. et mss. Vict. et Colb. At Reg. et alii quatuor *si aut filios, aut nepotes proprios supervivat.* Rursus eodem hoc loco, edit. vet. et cod. Vict. et Colb., *conditis tabulis, testamenti scriptis hæres funereo ambitu,* etc. Edit. Rom. cum mss. quinque ut nos in textu, nisi quod aliqui pro, *ambitu,* legunt, *obitu;* alii *abitu;* id est, discessu, vel excessu.

videris studiosè divitias congregantem, dic et tu: *Vane conturbatur: thesaurizat, et ignorat cui congregat ea.* Neque enim secum potest auferre, quæ possidet; et cum morietur, relinquet alienis divitias suas. Succedit frequenter inimicus et ingratus, et decessori successor insultat. Quos ille dilexit, iste persequitur: quos ille nutrit, hic vendit.

24. Græcus tamen non habet: *In imagine Dei*; sed tantummodo: *In imagine.* In quâ ergo imagine ambulat homo? In ea utique ambulat ad cuius similitudinem factus est; id est, ad imaginem Dei. Imago autem Dei Christus; qui est splendor gloriæ, et imago substantiæ ejus. ^a Christus ergo imago Dei venit ad terras; ut jam non in umbra ambularem, sed in imagine. In Christo enim imagine ambulat, qui sequitur Evangelium. Ideo discipulo suo dicit: *Vade retro post me* (Marc. viii, 33), ut me sequaris. Ideo erravit populus Judæorum; quia in umbra ambulavit. Ideo non errat populus Christianus; quia in imagine **B** ambulat, habens solem sibi justitiæ refulgentem. Bona imago, non ceris picturæ fucata radiantis, sed plenitudine divinitatis expressa. In qua imagine et Pater simul videtur et Filius; quia per utrumque eorum unitas operationis effulget. Etsi jam resurrexit Christus, tamen in Evangelio (Joan. xi, 44) nobis adhuc ejus imago monstratur. Lego quod Lazarum suscitaverit; et Patris opus et Filii credo. Filius vocavit, Pater audivit, et Lazarus ambulavit. Lego quia eum ^b dæmones fatebantur; fatebantur et Patrem, quia Dei Filium precabantur; fatebantur et ipsum, quia per ipsum ejiciebantur. Scriptum est enim: *Quod si in Spiritu Dei ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt* (Matth. xii, 27)?

25. Primum igitur umbra præcessit, secuta est ima- **C** go, erit veritas. Umbra in Lege, imago vero in Evangelio, veritas in cœlestibus. Umbra Evangelii et Ecclesiæ congregationis in Lege, imago **853** futuræ veritatis in Evangelio, veritas in judicio Dei. Ergo quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum: umbra in diluvio, umbra in Rubro mari; quando baptizati sunt patres nostri in nube, et in mari: umbra in petra, quæ aquam fluxit, et populum sequebatur. Nonne illud in umbra erat sacrosancti hujus mysterii sacramentum? Nonne in umbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur, ut biberent, et non sitirent: redimerentur, et non perirent? Sed jam discessit umbra noctis et caliginis Judæorum, dies appropinquavit Ecclesiæ. Videmus **D** nunc per imaginem bona, et tenemus imaginis bona. Vidimus Principem sacerdotum ad nos venientem; vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequimur, ut possumus, sacerdotes; ut offe-

ramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris quando Christi corpus offertur: immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud Patrem advocatus assistit: sed nunc eum non videmus; tunc videbimus, cum imago transierit, veritas venerit. Tunc jam non per speculum, sed facie ad faciem ea quæ sunt perfecta, videbuntur.

26. Ascende ergo, homo, in cœlum, et videbis illa quarum umbra hic erat vel imago. Videbis non ex parte, non in ænigmate, sed in consummatione: non in velamine, sed in luce. Videbis verum lumen, æternum atque perpetuum Sacerdotem; cujus hic imagines videbas, Petrum, Paulum, Joannem, Jacobum, Matthæum, Thomam. Videbis perfectum hominem jam non in imagine, sed in veritate; qualis enim cœlestis, tales et cœlestes. Utique et ipsi jam in gloria vel decore, jam in resurrectionis gratia; non in corpore mortis, et corruptionis deformitate.

27. Vide ne eo deferas imaginem terrestris, ubi lux cœlestium est. Hic si quis tyranni imagines habeat, qui jam victus interiit, jure damnatur. Quomodo tu hostis et adversarii imaginem in civitatem veri imperatoris inducis; nisi ut ipse te damnes? Et si volueris imaginem terrestris inferre, contradicet tibi princeps istius mundi, et dicet: *Mea est imago hæc; et quæ offers, mea sunt.* Quid facies deprehensus, cum tibi dixerit: *Mea est avaritia, mea est ambitio, meæ divitiæ, quarum imaginem in te recognosco?* Ipse est enim adversarius et defensor. Quod si fueris qualis Jacob, dices Labæ qui se transfiguratur in angelum lucis: *Recognosce si quid tuorum in me invenis* (Gen. xxxi, 32). Tunc ille requiret, et non inveniens confutatus abscedet; quia abscondisti atque oblitterasti omnia simulacra vitiorum. Beatus qui potest dicere: *Veniet hujus mundi princeps, et in me suum inveniet nihil* (Joan. xiv, 5). Quæ sua sunt enim quærit ille, non illa quæ Christi. Si ergo quæ sunt Christi sequeris, noli quas non habebas affectare divitias, augere quas habebas; et divitem te sibi sentiat pauper. Induc in domum tuam inopem, frange panem esurienti, et nudum operi; ut tibi thesaurus condatur in cœlo, qui tecum transeat. Pauper Christus **854** est factus, cum dives esset, ut nos sua inopia divites faceret. Noli ergo propter divitias vane conturbari, excitari de somno, cogitare quemadmodum pecuniam tuam serves, opes tuas augeas, de nocte procedere, excubare ad judicis domum; ut aliena diripias, litem moveas pauperi, vearis exactorem tributi: vana est ista conturbatio.

28. (Vers. 8.) Et ideo Justus dixit: *Et nunc quæ*

^a Mss. quinque, *Christus ergo imago, sancti ad imaginem. Hæc imago venit in terras.* Alii atque edit. ut nos supra. Iterum hoc ipso loco iidem quinque mss. *Utinam non in umbra.* Alii cum edit. *ut jam non in umbra.* Denique ubi Rom. edit. cum mss. nonnullis *In imagine autem,* edit. vet. cum aliis habent *In Christo enim, etc.*

^b Ita edit. ant. ac mss. Vict. et Colb. a quibus non dissentit edit. Rom. nisi quod erasit verbum, *fatebantur,* ante, *et Patrem.* Reg. autem et alii aliquot *dæmones fatebantur: et Patrem, quia Dei Filium precabantur, fatebantur; et in ipso vel per ipsum* (Thua.: *et per ipsum*) *ejiciebantur.*

est expectatio mea? nonne Dominus? Et substantia mea ante te est. Spes et patientia nostra Christus est: ipse factus est redemptio nostra, ipse est nostra expectatio; ut dicamus singuli: *Expectans expectavi Dominum, et respexit me* (Psal. xxxix, 2). Respice ergo nos in iudicio tuo. Respiciat super nos misericordia tua; ut qui de merito diffidimus nostro, per tuam misericordiam liberemur, in cuius potestate est animæ nostræ vitæque substantia. Et ideo non timeamus corporis mortem; sed eum qui potest animam nostram vel servare, vel perdere: cuius substantia virtus est, quam Deus ad similitudinem sui pectoribus infudit humanis.

29. (Vers. 9.) Quisquis igitur habet istam substantiam animæ suæ, dicit: *Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me*. Non unius criminis lapsum fatetur, qui ab omnibus se iniquitatibus solvi precatur. Scit enim quod nisi Dominus ignoscat, nemo salvus esse possit, quicumque natus est sub peccato, quem ipsa noxiæ conditionis hæreditas astrinxit ad culpam.

30. *Opprobrium, inquit, insipienti dedisti me*. Quis est insipiens, nisi qui peccatum facit, et eligit mala pro bonis? Ergo qui auctor est peccatorum, ipse insipiens magis, quam ejus minister. Cum peccamus igitur, in opprobrium tradimur adversario; ut ille nos quasi inimicus in die iudicii accuset et prodatur. Suscipiamus ergo opprobrium crucis Christi, quod suscepit Moyses, et Ægypti thesauris regalibus prætulit; et ideo non est insipienti in opprobrium traditus. Alii habent codices: *Opprobrium insipienti ne tradas me*. Sed magis David eam consuetudinem habet, ut sua magis opprobria et peccata fateatur, nec de peccatis suis erubescat et opprobriis, qui scit in confessione esse veniam, et in peccati sui condemnatione justitiam.

31. (Vers. 10.) Denique ex his quæ sequuntur, manifestatur hic sensus; quia subiecit: *Obmutui, et non aperui os meum; quoniam tu fecisti me; hoc est, dedisti me in opprobrium insipienti, ideo obmutui, et non aperui os meum, ne peccata majora contraherem*. Agnovi voluntatem tuam, ut ad tempus erubescerem, et postea salvus fierem veniam postulando. Prodest ergo interdum et opprobrium. Siquidem etiam ipse prodest carnis interitus; ut testificatur Apostolus dicens: *Tradidi eum in interitum carnis; ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. (I Cor. v, 5). Opprobrium quoque prodesse David ipse testatus est dicens ad Abessam: *Sine, maledicat mihi Jemineus; quoniam dixit illi Dominus; ut videat humilitatem meam, et retribuatur mihi Dominus bona pro maledicto hoc*. (II Reg. xvi, 11 et 12). Et revera vidit opprobrium ejus Dominus, quod flens ibat et excalceatus, operto capite; et amovit ejus opprobrium. Liqueat igitur quia cum datus in opprobrium David fugerit, et humiliatus sit, et **855** nudis pedibus Domino satisfecerit, et lapides jacentem non percusserit, et in maledicentem non permiserit vindi-

carum, et post hæc regno suo integro restitutus sit; quia et opprobrium a Domino sit, et prosit magis sustinere opprobrium, quam refellere. Denique victoria post secuta est. Ergo opprobrium prodest. Sed quid est quod addidit: *Quoniam tu fecisti me?* Nonne ideo obmutuisse se dicit, et non aperuisse os suum; quia agnovit Domini voluntatem; propterea patienter se pertulisse, ut satisfaceret Domino per opprobrium pro peccato?

32. (Vers. 11.) Unde et adjunxit: *Amove a me plagas tuas* (Psal. xxxvii, 18). Quomodo hoc sibi congruit? In superiore psalmo flagellis se obtulit, hic flagella a se postulat amoveri; nisi quia solvit jam de manu Domini duplicia peccata sua, erubescendo, opprobria sustinendo? Compunctiones cordis sui sunt et cogitationum, sunt et increpationum flagella. Videamus tamen ne ideo dixerit ante Deum esse substantiam animæ suæ; quia non impugnaret adversarius eam, nisi potestatem accepisset a Domino; quod enim fecit Dominus, et tuetur. Denique angelus in circuitu est hominis, qui præterdit, ne quis noceat ei. Non discedit angelus, nisi jussus a Domino, ut suus athleta decertet. Ergo quasi substantia Domini præsumit veniam sibi iniquitatum suarum a Conditore suo posse concedi; et ideo rogat, quia novit Auctorem suum misericordem. Deinde quia datus sit in opprobrium, non resistit; sed patitur adversum se assistere peccatorem, et silet substantiæ suæ conscientia, quæ bona est, et potest corporis ferocitatem refrenare, ut virtus succedat, culpa ponatur. Postremo quia factus a Domino est, citius sibi posse donari peccatum confidenter existimat, qui fortitudinem manus Domini potuerit sustinere.

33. Et hoc utique bonæ substantiæ est, etsi a fortitudine manus Domini defecisse se dicit. Fortis manus sicut male percussit, sic cito sanat: quæ fortis ad vulnus, fortis et ad remedium est. Unde et ipse ait: *Percutiam, et sanabo* (Deut. xxxii, 39); ut non meminerit vulneris, qui sanatus evasit. Denique hæc manus Domini sancto Job omnia abstulit, et omnia repræsentavit; immo omnia cumulo auxit, ut amissa geminaret. Nec te moveat quod defecisse se dixit. Est qui deficit, et fortior surgit; suffulcit enim Dominus omnes qui ruunt, et corrigit omnes elisos. Cum virtute enim surgit quicumque corrigitur. Defecit Paulus a fortitudine manus hujus. Cecidit persecutor, et surrexit Evangelii prædicator. Hoc est quod ait: *A fortitudine manus tuæ ego defeci*.

34. (Vers. 12.) Et addidit: *In increpationibus super iniquitatem erudisti hominem: et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus*. Græcus ὑπὲρ ἀνομίας dixit, hoc est, pro iniquitate; et integrum versum, ἐν ἐλεγμοῖς ὑπὲρ ἀνομίας ἐπαίδευσας ἄνθρωπον posuit, quod est: *In increpationibus pro iniquitate erudisti hominem*. Ideo Sapiens dixit: *Quis mihi dabit cogitationum mearum flagella... (Eccli. xxiii, 2) et labiorum meorum signaculum (Eccli. xxii, 35)?* **856** Ut cor suum ipse

^a Ita mss. ac. edit. omnes, excepta Rom. in qua legas: *Quis mihi imponet cogitationum mearum flagella; et quis dabit mihi labiorum, etc.* Ubi locum voluit accommodare ad sacri textus verba, quæ consule.

suis cogitationibus flagellaret, et signaret labia sua; quo et vetera peccata minueret, nec alia loquendo renovaret; quo propriis increpationibus eruditus, exercitia virtutis indueret. Tabescit autem anima, quando peccatum minuitur: vel cum anima tabescit, culpa deponitur: incrassatur, cum peccata cumulantur. Unde ait Dominus de peccatoribus: *Non permanebit in his Spiritus meus in æternum; quoniam carnes sunt* (Gen. vi, 3). Et alibi Scriptura dicit: *Incrassatum est cor populi hujus* (Act. xxviii, 27). Ideo et Hieremias primum baculum vidit nucinum: deinde ollam ferventem, ut tabesceret anima^a prophetæ incipientis; quo culpa discederet, ut accederet gratia. Sed cur prius baculum, postea ollam? Quoniam qui baculo non corrigitur, in ollam mittitur, ut ardeat et tabescat. Et ideo ad prophetam Ezechielem dicitur: *Accipe tibi sartagine...* et accipies iniquitates domus Israel... et consummabis, et tabescent, inquit, in suis iniquitatibus (Ezech. iv, 3 et seq.). Et alibi in eodem libro dicit Dominus: *Sed ego magnum faciam titionem, et multiplicabo ligna, et succendam ignem; ut liquefiat caro, et imminuatur jus* (Ezech. xxiv, 9 et 10). Quibus testimoniis significatur quod animæ perfidorum admoto igne tabescant; ut deponant crassitudinis quemdam carnalis humorem. Mittuntur ergo in sartagine et animæ peccatorum; ut defluat quædam peccati caro, quæ obduxerat animæ ac mentis vigorem; et velut jure quodam, ita quibusdam infuderat animam illecebris cupiditatum. Expectant igitur nos quædam sartagine; ideo hic conteramus cor nostrum, ut subtile fiat, et deponat omnem duritiem et pinguedinem quamdam carnalis arvinæ: quod patientur qui luxuriati sunt in hac vita; et magis ludibria dedecorum, quam opera ulla virtutum exercenda sibi more Judaico crediderunt. Incrassatus est enim Jacob, et pinguis factus est, et surrexit ludere: quem a fidei veritate lusus ille in perfidiæ traduxit errorem. Merito ergo Paulus castigabat corpus suum, ne nutriret corpus peccati; luxuriando enim facimus membra peccati, sobrietate autem membra justitiæ. Non natura ergo, sed culpa delinquit.

35. Nec iterum vana et inania sequamur, ne telam aranæ texere judicemur: eo quod peccata nulla perpetuitatis possunt habere substantiam. Unde cum videris aliquos studere facultatibus ampliandis, cumulandis potestatibus, affectando decori, dices illud Esaiæ: *Telam aranæ texunt isti in omnibus diei unius*, (Esai. lix, 5), quæ diuturna esse non potest; sed cito scinditur, atque opus ejus omne dissolvitur. Non enim supra solidum aliquod firmamentum loca-

tur; sed in vacuo suspenditur. Nihil laxum, nihil molle verum Christi militem decet; ecce enim qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Arguti sibi et industrii omnes avari videntur. Quid argutius, quid sollicitius aranea, quæ operi suo diebus ac noctibus semper intendit, nec ullo sumptu, ullaque impensa conficit vestimentum? Sed vanum **857** est omne quod fecerit. Sic homo omnis est, qui opus suum supra Christi non constituit fundamentum. Vane noctibus et diebus et ipse turbatur; cum eum plerumque aranæ modo^c etiam in ipso suæ improbitatis molimine, operis sui ruina convolvat.

56. (Vers. 13.) Et ideo sapiens qui cognoscit hujus sæculi vanitatem, non diuturnam vitæ hujus precatur usuram; sed ad illa æterna festinat, et labore hujus corporis et dolore gestit absolvi; sicut Propheta desiderasse cognoscitur dicens: *Exaudi, Domine, orationem meam et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas a me, quoniam advena ego sum apud te in terra, et peregrinus; sicut omnes patres mei*. Alius est incola, alius advena, alius accola. Incola, qui de loco est, et genitalem locum incolit: advena qui aliunde venit: accola, qui ad tempus colit, et mutatur annorum vicibus. Hoc est ergo quod dicit David: *Apud te alienus sum, dum in terra sum: non sum nunc paradisi tui incola*. Unde exposuit hoc ipse subjiciens: *Et peregrinus; sicut omnes patres mei*. Quod aperuit et apostolus Paulus, asserens quoniam *cum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino* (II Cor. v, 7); quia etsi fides in nobis est, per fidem tamen ambulamus, non per speciem, id est, non facie ad faciem, quasi præsentem; ambulamus enim in ænigmate adhuc, non in veritate. Denique addidit: *Audemus ergo et confidemus magis peregrinari corpore, et adesse ad Dominum* (Ibid., 8). *Audemus*^d præsumptionis in Deo fidei, non temeritatis est verbum; et consentimus, id est, volentes acquiescimus et optantes, non plenioris scientiæ auctoritatem velut principaliter^e nostro iudicio dependentes: volumus verum esse quod cupimus; ut appropinquemus ad Dominum, a quo nos videtur futurorum et præsentium distantia separare. Audemus ergo adesse; et ideo inquit: *Connitimur* (Ibid., 9). Cognoscis verbum volentis adhuc pervenire, non ejus qui pervenerit. Affectus igitur in hoc sermone, non effectus ostenditur. Denique ipsum testem sui sermonis interroga; immo audi dicentem, vel potius audi dubitantem, cum dicit: *Ideo connitimur, sive absentes, sive præsentem placere illi* (Ibid.): absentes adhuc per fidem, præsentem per speciem. Unde et

^a Rom. edit., *prophetæ insipientis*. Melius aliæ, ac mss. aliquot, *prophetæ incipientis*; cum isthæc de Jeremia in ipso primo ejus libri capite referantur. Non male tamen alii mss., *prophetæ inspicientis*. Quod vero baculus ille dicitur, *nuceus* vel *nucinus*, id nusquam alibi reperimus.

^b Sic mss. Vat. et quinque Gallic. Alii vero cum edit. hæc præmittunt: *isti in omnibus diei unius*.

^c Codices quinque mss., *etiam in quæstu suæ improbitatis, molimine operis sui ruina convolvat*.

^d Omnes edit. et nonnulli mss., *præsumptionis et fidei, non, etc.* Melius alii, *præsumptionis in Deo fidei*; hoc est, præsumptionis ac fiduciæ ejus quam fides in Deo nobis ingenerat.

^e Mss. aliquot, *nostro iudicio dependentes*. Sic etiam edit. exceptis Paris. nonnullis, quæ legunt... *dependentes*. At plures potioresque mss. præferunt... *dependentes*; hoc est, quasi inclinata lance adjudicantes.

hoc potest intelligi, quod et hic positi, et illic placere nostro iudici, redemptori quoque nostrarum desideramus animarum. Necesse est enim nos ei assistere per speciem; ut unusquisque operum suorum merita dignæ adipiscatur sortis examine: vel justus in requie, vel impius in ærumna. Fundit igitur lacrymas; quoniam cum advena in terram venerit, demoretur et separetur a patria longo detentus exsilio. Considera nunc mihi illum Adam de paradiso ejectum, in castellum relegatum, spectantem unde dejectus sit, flentem ubertim; quia reminiscitur quid amiserit, quove deciderit. Et ideo gratias agamus Deo, qui nos perpetuo exsilio liberavit, aperiens januam qua revertamur ad patriam. Unde Apostolus **858** præsumpsit dicere: *Ergo jam non estis ulvenæ atque peregrini; sed estis cives sanctorum, et domestici Dei (Ephes. II, 19).*

37. (Vers. 14.) Hoc volens recipere David antequam Christus veniret in terram, dixit: *Remitte mihi ut refrigerer, priusquam eam, et amplius non ero; hoc est, hic mihi remitte, ubi peccavi. Nisi hic remiseris mihi, ibi remissionis requiem invenire non poterō; quod enim in terra ligatum manserit, ligatum manebit in cœlo, quod solutum in terra fuerit, solutum erit in cœlo. Propheta enim et prædicator Ecclesiæ congregandæ, evangelico spiritu indulgentias Domini prævidebat; et præcipienda apostolis ei Dominus revelabat; immo hæc erat a vetus sententia, ut qui se ligasset in terris, vinctus migraret a corpore. Ideo Dominus, quod ante erat iudicii sui, dedit apostolis ^b peccata remittendi æquitate solvenda; ne cito solvenda, diu ligata manerent. Denique audi dicentem: *Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlo (Matth. XVI, 19).* Tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum, ut et solvas et liges. Hoc Novatianus non audivit, sed Ecclesia Dei audivit; ideo ille in lapsu, nos in remissione: ille in impœnitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, apostolis dicitur. Non potestatem usurpamus, sed servimus imperio; ne postea cum venerit Dominus, et ligatos invenerit*

^a Videtur alludere ad illud Eccles. XI, 3: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

^b Omnes edit., *peccata remittendi æquitate; ne cito solvenda, etc. Mss. quinque Gall., peccata remittendi æquitate solvendam; ne diu ligatum maneret.*

A quos oportuit solvi, commoveatur adversus dispensatorem, qui ligatos servaverit servos, quos Dominus jusserat solvi dicens, quoniam *qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multum: qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit minus (Luc. XII, 47).*

38. Merito ergo David remitti sibi postulat quod sciebat non esse iis, qui secundum Aaron erant, sacerdotibus attributum: sed Evangelio servabatur. Cui ergo non remittitur, in exsilio est, in peregrinationis injuria perseverat. Hic ergo petenda est venia. Hic enim dictum est: *Beati qui nunc fletis; quia ridebitis (Luc. VI, 21):* hic locus est veniæ postulandæ. Deploremus igitur in terris, ut mereamur indulgentiam. Nisi remissum peccatum hic fuerit, non habebimus requiem: si requies non fuerit, non erit vita æterna: si vita æterna non fuerit, non erimus. Ideo petit remitti sibi, antequam eat, ut sit. Si enim remissum non fuerit, non ero, inquit, cum iis qui sunt, cum iis qui in paradysum merentur ascendere. Qui autem non est, consumetur cum descendentibus in lacum, qui in catenis et carcere fuerit derelictus.

39. Non ergo definitive dicit: *Non ero; quia alibi dicit: Psallam tibi in cithara, Deus sanctus Israel. Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi; et anima mea quam redemisti (Psal. LXX, 22 et 23).* De redemptione ergo præsumit. Et alibi audi dicentem: *Placbo Domino in regione vivorum (Psal. CXIV, 9).* Erit ergo qui placere præsumit. Potest et sic intelligi; quia dixit: *Advena ego sum apud te in terra; et peregrinus, sicut omnes patres **859** mei;* et ideo remitte mihi, ut peregrinus esse desinam: remitte mihi exsiliū, quo relegatus sum. Si remiseris antequam discedam hinc, non ero amplius exsul atque peregrinus. Cum enim tu remiseris, non ero peregrinus; sed civis ero sanctorum tuorum. Ero cum patribus meis, qui et **860** ipsi fuerunt ante peregrini, nunc vero jam cives sunt. Ero domesticus Dei, ut pœnam non timeam, gratiam merear: per Dominum nostrum Jesum Christum, cum quo tibi est laus, honor, gloria, perpetuitas, cum Spiritu sancto a sæculis, et nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

tendi æquitate solvendam; ne diu ligatum maneret. Omnium optime Vat., Colb. ac Vict. ut in corpore; ubi advertes dictionem, solvenda, ad accusativum, peccata, esse referendam.

IN PSALMUM XXXIX ENARRATIO.

859 1. In superioribus psalmis pœnitentiam prædicavit: deinde ^a de patientia sua, et perturbatione hominis est locutus: in trigesimo autem et nono psalmo, novum annuntiat Testamentum; qui enim malorum pœnitentiam agit, expectat. Sed non est

perfecti expectare, sed expectasse; nemo enim nisi qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.

D 2. (Vers. 2, 3.) Ideo addidit: *Expectans expectavi Dominum.* Ubi ergo hoc dicitur, nisi in Evangelio? in quo jam nobis qui expectabatur, advenit: in

^a Ita edit. et mss. Colb. ac Vict.; Reg. autem mendose, *deinde patientiæ suæ perturbatione hominis est locutus.* At paulo melius Vat. et alii quatuor Gallic., *deinde de patientia suæ perturbationis nihilominus est locutus.*

quo jam nobis non Legis caligat umbra, sed veritas fulget; quia Christus illuxit, qui exaudivit deprecationes suorum, et eduxit nos de lacu miseriæ, et de luto facis; ubi jam demersi tenebamur nostrorum voragine peccatorum, et totus homo noster inhærebat, nec poterat sese animus noster eruere, obrutus multiplicis labe flagitii. Gratias igitur Domino Jesu, unigenito Dei Filio redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit e caelo; ut nos de lacu ac limo istius mundi, et cœnulentam quadam palude terrarum, de corpore quoque mortis hujus eriperet, atque in carne sua statueret animi nostri interiora vestigia; ut confirmati in Dei verbo, et per crucem Dominici corporis a passionibus absoluti, ambulemus jam non in opprobrio dedecoris, sed in remissione peccati. Confirmatus igitur et radicans in Christo, supra petram sibi memorat pedum suorum statuta vestigia. Unde dicit Apostolus: *Bibebant autem de consequenti petra: petra autem erat Christus* (1 Cor. x, 4). Petra, eo quod sitientes sequatur, confirmet labentes; ne sitientibus aqua desit, labentibus firmamentum.

3. (Vers. 4.) Expectanti ergo mihi, Domine Jesu, aliquando venisti, direxisti gressus meos in Evangelio, immisisti in os meum canticum novum, quod est novum Testamentum. Gaudentes jam canimus hymnum Deo nostro, quia novarum virtutum præcepta cognovimus; ut nostra omnia relinquamus, Christum sequentes, et nostros diligamus inimicos. Novos etiam hausimus mores; ut pro persequentibus nos, precem Domino deferamus. Maledicentes ecce benedicimus. ^b Nescimus opera nostra jactare, aut celare peccata. Angelorum etiam more nuptias refutamus.

4. (Vers. 5.) Quid multa? De illo ærumnoso peccatore beatus homo factus est, jam non respiciens in istius mundi varias vanitates. *Vanitas enim vanitatum, et omnia vanitas* (Eccles. i, 2), totus hic mundus est; sicut dixit sapiens Salomon. Quid enim nisi vanum est ea sequi, quæ perseverare non possunt; et omnia tamquam umbra prætereunt? Insaniæ ⁸⁶⁰ autem falsæ, aut certamina ista bellorum, in quibus pro temporali possessione sanguis tantus effunditur; aut contentionum theatralium dissensiones; aut Circensium plena furoris studia declarantur; aut hæreticorum doctrina feralis; aut pseudoprophetarum in modum oraculorum cœlestium simulati gestus, verba composita. Sic enim dicit propheta: *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus: et non respexit in vanitates, et insanias falsas.*

5. Sunt ergo et veræ insanis, et forsitan prophetarum, qui in excessu mentis positi prophetabant, repleti Dei Spiritu, ut quibusdam insanire viderentur; cum propriæ salutis immemores, nudi plerum-

^a Vox *passionibus* in plerisque mss. desideratur: quæ tamen sensui non videtur supervacanea.

^b Mss. aliquot, *Nesciamus opera nostra lædere* (forte legendum, *laudare*) aut *desperare peccata.*

^c Vet. edit. ac mss. Colb. et Viet., *cum sisteret undas maris.* Rom. cum iisdem vet. in marg., *cum scinderet undas maris.* Alii mss. ut in textu; Reg.

que et excalceati, sicut Esaias sanctus, per populos currebant, vociferantes non quæ ipsi vellent, sed quæ a Domino juberentur. Ex his igitur intelligitur affulsisse remedium salutis; quoniam qui expectabatur, adest.

6. Expectavit eum Adam de paradiso ejectus; ut longo liberaretur exilio. Expectavit eum in Noe justo, qui ad semen futurorum est reservatus; ut ex illo justitiæ semina in hominibus pullularent. Ipsum putabat publicæ salutis auctorem, qui diluvio superstes esse meruisset. Ipsum sapientiæ principem, qui excoluisset vitem, et ex ejus fructu inebriatus foret. Quid est enim vitis nisi sapientia? sicut aperuit nobis David cœlestis interpretis oraculi dicens: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ* (Psal. cxxvii, 3). Eo quod in ipso esset sapientiæ plenitudo, quæ expectabatur in Christo, qui novo repletus sapientiæ sacramento, quod oculus non vidit, nec auris audivit, inusitatum nobis deferre mysterium properavit; ut nudus jaceret, et exuberantis sapientiæ pocula inaudita proflueret: ut oblitum superiorum, in novos mores, et novam sobrietatem vitæ resurgeremus æternæ; quo per stultitiam prædicationis Deus agnosceretur, quem per sapientiam non cognovit hic mundus. Denique in figura illa dormientis et nudati patris, qui stultitiam risit, maledictus est: qui venerati sunt, benedictionis gratiam sunt adepti. Ideoque qui mortem unigeniti Filii Dei, patris et creatoris omnium, ad offendiculum, aut opprobrium nostræ fidei obijciendam esse crediderint, peccatorum suorum nexibus ad perpetuam maledictionis ærumnam tenentur astricti: qui vero eam pro totius humani generis absolute suscipiunt, virtutis æternæ præsidio fulciuntur. Crux enim Christi Judæis offendiculum, Græcis stultitia, ut Apostolus dixit (1 Cor. i, 23 et seq.): nobis autem qui credimus in Dominum Jesum, virtus Dei atque sapientia est.

⁸⁶¹ 7. Expectatus est in Moyse, cum siccasset et pertransisset undas maris, et impossibile viribus humanis, pedestris viæ aperiret in fluctibus iter: sequeretur petra, et vomeret aquas; ut sitientium patrum in medio deserti viscera interna satiaret.

8. Expectatus est, et in Aaron principe sacerdotum, qui inter vivos ac mortuos medius stetit: et ^d serpentem statuit luem mortis; ne a cadaveribus defunctorum ad viventium transiret interitum. Quid enim tam proprium Christi, quam advocatum apud Deum Patrem astare populorum, mortem suam offerre pro cunctis, repellere necem, vitam reformare perituris?

9. Expectatus est et in Jesu Nave, et certe venit, qui et potestatem suam et nomen accepit; ut et populum in terram repromissionis induceret, et vere

excepto ubi legitur, *cum scidisset et pertransisset, etc.*

^d Omnes edit. cum mss. Viet. et Colb., *et per serpentem statuit luem mortis.* Mss. alii quatuor, *et serpentem statuit, lues mortis, etc.* Omnium optime codex Reg. ut in textu. Sensus autem est Aaron stare fecisse luem, quæ serpebat, etc., uti docetur n. 16, sub finem.

Jesu nomine vocaretur. Siccavit fluentā, convertit A
amnem in suum fontem, solem statuit, donec consum-
maret in virtute victoriam. Sed adhuc figura erat ille,
non veritas. Denique verus ei dux militiæ cœlestis
effulsit, et adoravit eum Jesus Nave; quamvis adhuc
nondum in corpore verus asliterat, sed adhuc vene-
rat in figura.

10. Quando igitur verus advenit? Audi dicentem:
*Annuntiavi et locutus sum; multiplicati sunt super nu-
merum. Sacrificium et oblationem noluisti, corpus
autem perfecisti mihi.* ^a *Tunc dixi, ecce venio. In ca-
pite Libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem
tuam: Deus meus, volui.* Quid evidentius quam quod
cum Evangelii sui munere nobis Jesus verus adve-
nit? Ipse locutus est, et innumeri credentium populi
congregati sunt, qui vix singuli ante credebant. Ipse B
venit in carne, et cessavit sacrificium Judæorum.
Cessavit oblatio pro peccato, quia peccatorum re-
missor advenerat. Non erat remedium necessarium
Legis, ubi Legis Auctor astabat.

11. *In capite Libri scriptum est de me.* Scriptum
perfecto de Christo est in principio veteris Testa-
menti quod venturus esset, ut in redemptione homi-
num, Dei Patris faceret voluntatem; quando scrip-
tum est, quia Evam in specie Ecclesiæ ad hominis
adjumenta formavit. Quid enim nobis in hac corpo-
ris infirmitate, et sæculi istius perturbatione præsi-
dio potest esse; nisi sola Ecclesiæ gratia, qua redi-
mimur: et fides nostra, qua vivimus? *In capite Libri
scriptum est: Os de ossibus meis, et caro de carne mea.
Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et C
adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una* (Gen.
ii, 23, 24). Quis iste sit qui locutus est, aut de quo
istud sit sacramentum, audi dicentem: *Sacramen-
tum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in
Ecclesia* (Ephes. v, 32). Unde et admonet (*Ibid.*, 25)
ut sic diligat homo uxorem suam, quemadmodum
Ecclesiam Christus; quoniam membra sumus corpo-
ris ejus, de carne ipsius, et de ossibus ejus. Quæ
igitur major salus, quam esse cum Christo, et ei
unitate quadam corporis adhærere, in quo nec ma-
cula sit ulla, ^b nec tortitudo peccati?

862 12. Scriptum est in capite Libri, quod Abel
justi placuit hostia Deo, displicuit oblatio parricide
(Gen. iv, 4 et 5). Nonne aperte significavit Domi-
nus Jesus offerendum se esse pro nobis; ut in sua
passione novi sacrificii gratiam consecraret, ritum
populi parricidalis aboleret? Quid autem expressius,
quam quod a sancto Patriarcha oblatus est filius, et
aries immolatus est? Nonne aperte ostendit hominis
carnem, quæ omnibus terrenis est communis ani-
mantibus, non divinitatem unigeniti Filii Dei obno-
xiam futuram sacræ vulneri passionis?

13. Scriptum est in capite Libri, venturum homi-
nem qui Potestatibus cœlestibus imperaret (Gen.
xxviii, 12). Impletum est, quando Dominus Jesus
venit in terras, et angeli ministrabant ei; sicut ipse
dignatus est dicere: *Ex hoc videbitis cœlos apertos, et
angelos Dei ascendentes et descendentes ad Filium ho-
minis* (Joan. i, 51).

14. Scriptum est in capite Libri: *Agnus sine ma-
cula, mundus, maturus, masculus, anniculus erit vobis;
et occidet eum omnis synagoga* (Exod. xii, 5). Quis
iste sit agnus, audistis dicentem: *Ecce agnus Dei,
ecce qui tollit peccatum mundi* (Joan. i, 29). Hic
est qui occisus est ab omni populo Judæorum: quem
adhuc hostili odio persequuntur. Et illum quidem
oportebat pro omnibus mori; ut in ejus cruce fieret
remissio peccatorum, et sanguis ipsius mundi iniqui-
tamenta lavaret: sed vae illis qui auctorem salutis
propriæ negaverunt! *Fecistis, inquit, consilium; sed
non per me* (Esai. xxx, 1). Quomodo poterat pro-
bare parricidium, qui consilium non probabat? Et
tamen quanta pietas! Abhorrebat quidem a consilio;
sed si converterentur, remedium non negabat.

15. Scriptum est etiam, non solum in capite; sed
in omni Legis complexione, venturum hominem ad
conservandum hominum genus, qui omnia vellet quæ
Deus vellet. Unde intelligis quoniam divinitatis ejus-
dem est, qui ejusdem est voluntatis. Unde etiam ad
sacrificium passionis voluntarius accessit, meritoque
prædixit: *Voluntarie sacrificabo tibi* (Psal. lxxiii, 8).

16. Sed forte dicas: Quomodo in Evangelio di-
xit: *Pater, si possibile est, transfer a me calicem hunc,
sed non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (Matth. xxvi, 39).
Et videtur quidem esse distantia voluntatis: verum
intelligimus aliud esse quod secundum unitatem
divinitatis exprimitur, ubi dicit: *Ego et Pater unum
sumus* (Joan. x, 30): aliud quod secundum homi-
nis est locutus affectum, quem innuit cautum esse
debere, nec præsumere quod facile implere non pos-
sit; ne dum præmium quærit, incidat sacrilegium.
Unde ait: *Cum persequentur vos in hac civitate; fu-
gite in aliam* (Matth. x, 23). Merito ergo et hic sub-
iturus corporis passionem, cœpit contristari, et
mœstus esse: et assumptis Petro et duobus filiis Ze-
bedæi: *Tristis est anima mea* (Matth. xxvi, 38),
ante præmisit; et subjecit postea: *Vigilate et orate,
ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, caro
autem infirma* (*Ibid.*, 41). Vides ubique eum se-
cundum hominem loqui, secundum hominem orare,
secundum **863** hominem tristem esse, secundum
hominem dixisse: *Pater meus, si possibile est* (Matth.
x, 23). Quod utique non impossibile Deo; sed ho-
minis est dubitare, Dei confirmare. Ideo promptio-
res assumpsit, quasi electos ultimi judicii sui testes,

^a Ab hoc loco usque ad num. seq. Rom. edit. non
pauca in versiculorum distributione partim immuta-
rat, partim inseruerat, quæ ex ejusdem ac nostræ
edit. collatione nullo negotio deprehendes.

^b Edit. vet. ac mss. Colb. et Viet., nec fortitudo
peccati; edit. in margine, forte, deformitas: aut for-

mido. Rom. sola, nec sorditudo peccati. Latin., nec
turpitudine peccati. At mss. quinque distincte lectio-
nem nostram præferunt. Dicitur autem peccati torti-
tudo, eo quod ab æterna regula deflectat ac deor-
queatur.

qui verborum ejus agnoscerent sacramentum. Denique alii dormiebant, isti soli fida mente vigilabant. Unde et per Hieremiam nondum suscepto corpore, ipse ait: ^a *Ego sicut agnus ductus sum, et nescivi (Jerem. xi, 19)*. Quid est quod nesciat Sapientia Dei, quæ in arcano Patris semper est? Et ideo enarravit omnia Filius Dei, quia Dei Patris ipse sapientia est. Quomodo præcivit se sicut agnum esse ducendum, et quo duceretur nescisse se dicit? Aut quomodo in superioribus per os ipsius David ait: *Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti (Psal. xxi, 2)*? Quomodo derelinquitur a Patre Filius, qui ait: *Et non sum solus; quia Pater mecum est (Joan. xvi, 32)*? Et alibi: *Traditus sum, et non egrediebar (Psal. lxxxvii, 9)*? Et alibi: *Exsurrexi, et adhuc tecum sum (Psal. cxxxviii, 8)*? nisi ut advertas quod hominum sensum exprimit, qui putant se a Domino suo, quando sunt in periculis, derelictos. Denique audi quod sequitur: *Longe, inquit, a salute mea, verba delictorum meorum (Psal. xxi, 2)*; hoc est, alia verba sunt delictorum, alia sacramenta salutis æternæ. Non præjudicant verba virtuti: suis viribus substantia divina fulcitur. Homo videtur, homo auditur, Deus in operibus agnoscitur. Et tamen de hoc homine dictum est: *Et homo est et quis cognoscat eum (Jerem. xvii, 9)*? Quid est, quis? Non quo nemo, sed quo rarus, quo sapiens; sicut illud: *Quis ascendet in montem Domini? Quis sapiens et intelliget ea (Ose. xiv, 10)*? Denique alibi: *Vir insipiens non cognoscit ea, et stultus non intelligit hæc (Psal. xci, 7)*. Et tu ergo cum legis Evangelium, ^b quasi sapiens et non stultus cognosce quæ legis: illuminet te Sapientiæ fulgor æternæ. Verba quidem sunt; sed et ipsa mundant, et ipsa illuminant, et ipsa confirmant, et ipsa vivificant. Unde ait Petrus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et non relinquemus te (Joan. vi, 69)*.

17. Denique ut adverteremus, quod secundum hominem locutus esset, paulo post dixit: *Ecce appropinquat hora, ut Filius hominis tradatur in manus peccatorum (Matth. xxvi, 45)*. Et Judæ osculanti ait: *Juda, osculo filium hominis tradis; hoc est, venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur: osculo quod sacræ pacis insigne est: osculo quo amicitia fida firmatur: osculo, quo fides sancta signatur? Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes? Et tradis filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de cælo? Sic enim scriptum est: *Filius hominis qui est in cælo, ipse est qui descendit e cælo (Joan. iii, 13)*. Filium hominis tradis, qui te ex peccatore apostolum fecit: Filium hominis tradis, qui venit, ut in sanguine suo omnium peccata*

^a Rom. edit., *Ego sicut agnus innocens ductus sum, ut sacrificarer; scilicet quo Græcum locum redderet, ubi legimus: Εγὼ ὡς ἀρνίον ἀκακὸν ἀγόμενον τοῦ θύεσθαι.*

^b Quinque mss., *quasi sapiens et justus cognosce.*

^c Sic edit. et mss. Vict. et Colb. nisi quod hi legunt, . . . *tanti sceleris reus, etc.* Rom. edit., *cujus*

A dilueret? Ego osculum non nego: ipse videris, qui violaveris osculi sanctitatem. An non legisti quod utiliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici (*Prov. xxvii, 6*)? Nec immerito graviore telo tantæ dignationis percussus est Judas, quam si eum fulmine perculisset. Denique patientiam Domini ferre non potuit, **864** ^c qui majestatem prodidit; adeo ut sibi ipsi tanti sceleris reatus non posset abluere. Itaque abiit, pecuniam refudit; hoc est, condemnavit avaritiam suam tantæ impietatis auctorem, pretium perfidiæ synagogæ reddidit. Non excusatur proditor, qui pœnitentiæ locum invenire non potuit; sed acervatur sacrilegium Judæorum, qui etiam proditoris vocibus arguuntur. Ille suum crimen agnovit dicens, quod tradiderit sanguinem **B** justum: isti et pretium sceleris receperunt, et acrioribus studiis justitiæ principem persecuti sunt. Ideo ad istorum omnium perpetuam condemnationem latro crucifixus absolvitur; quia ille Christum in suppliciis agnovit suis, quem isti in beneficiis non agnoverunt: et peccatum suum confessus est Christo, qui sciret ignoscere; quia in cruce sua regnum Domini mente conspexit, quod in convivio Christi Judas videre non potuit. Ideo precationem latronis vox secuta est cœlestis hujusmodi: *Amen, amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (Luc. xxiii, 43)*. Tripudiabas, draco, quod apostolum subtraxeras Christo: plus amisisti quam sustulisti, qui latronem vides in paradysum esse translatum. Nemo est qui possit excludi, quando receptus est latro, minister tuus; et **C** eo pervenit, unde ipse dejectus es.

18. Subtextuimus ista propter illum versiculum, quia dixit: *Ut faciam voluntatem tuam: Deus meus, volui; hoc est, divinitatis mihi tecum, Pater, una voluntas est. Et quia una voluntas, una substantia est; quia et inseparabilis majestas, et potentia Trinitatis. Sed alia vox carnis, et tamen ad voluntatem Dei et ipsa consensit dicens: *Non quod ego volo, sed quod tu vis (Marc. xiv, 57)*. Et alibi: *Si non potest hoc transire, nisi illud bibam, fiat voluntas tua (Matth. xxv, 42)*. Communis affectus est mortem timere, quam suscepit Christus; ut crucifigeret, sicut crucifixus, et carnem; mihi enim est luctatus, ut mihi vinceret. Etsi caro Christi fortis, nec peccato obnoxia; tamen peccata suscepit: infirmitates suscepit, etsi nihil habuit quod doleret. Denique audi dicentem, *quia pro nobis dolet (Esai. liii, 4)* . . . *donec ejiciat in veritate iudicium (Esai. xlii, 4)*. Non enim alteram carnem, sed hanc suscepit; ut Apostolus docet dicens: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem (I Cor. xv, 53)*. Etsi de Virgine natus est et Spiritu sancto, tamen hominis est filius; quia homo Virgo.*

majestatem prodidit, ut sibi tanti sceleris reatus posset abluere: sed abiit, etc. Totum vero locum cod. quinque Gallic. ita exhibent: *Quo in majorem reatum prodidit: adeo ut sibi ipsi (quatuor, ut sibi ipsi a Deo) tanti sceleris reatus non posset abluere. Itaque abiit, pecuniam refudit; hoc est, contemptus avaritiam suam tantæ impietatis auctori pretium, etc.*

Et ideo quod natum est ex carne, caro est: et qui natus est de homine, homo dicitur, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.

19. Propterea incorruptibilis suscepit hanc carnem, ut faceret incorruptibilem: et immortalis, ut faceret immortalem. Si quis ergo eum sequitur, induet immortalitatem. Si quis voluntatem ejus facit, non morietur in æternum; sed dicit ei Christus: *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. xxiii, 43). Quid est, *hodie*? Hoc est, de nocte transisti, mecum eris in lumine. Noli tenebras formidare, quem æterna lux suscepit. Pulchre etiam subjunxit: *Mecum eris in paradiso* (Ibid.); hoc est, noli dubitare de carne, et me in carne vidisti: noli timere, ne et tu cadas de

865 paradiso, sicut cecidit Adam; sed audi quia mecum eris, quo præsentem, cadere non possis. Cecidit caro in paradiso, antequam susciperetur a Christo. Ibi eris susceptus, ubi et ille qui suscepit; quia non mentitus est dicens: *Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum* (Joan. xvii, 24). Non recedet pastor a gregibus suis, licet jam lupum in paradiso timere non possis, cui dictum est: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem* (Luc. x, 18). Ideo ante consummationem adversarius dejicitur in incendium, catenis quoque perpetuis alligatur; ut tu jam nullas insidias pertimescas.

20. Et Adam ut caderet, a serpente deceptus est, et flexus est ab uxore. Ideo jam nullæ in paradiso nuptiæ, sed omnes erunt sine celebritatibus nuptiarum, sicut angeli in cælo. Non dixerat Adæ: *Mecum eris*; quia sciebat illum esse casurum, ut redimeretur a Christo. Felix ruina, quæ reparatur in melius. Ideo jam pius pastor, bonus negotiator gregem suum, et mercem propriam non reliquit. Erit quidem et adhuc in paradiso cum angelis pugna serpenti, donec dejiciatur: sed qui cum Christo est, timere non poterit. Adam cum Christo non fuit, quando deceptus est. Nam si cum Christo fuisset, et in ejus præceptione permansisset, ^a perire utique non potuisset. Non mansit in Christo, quia non in ejus sermone permansit. Denique audi, qui maneat in Christo. *Si manseritis, inquit, in me et verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis; et fiet vobis* (Joan. xv, 7). Et infra: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione* (Ibid., 10). Vis scire, quia cum Christo Adam non erat? Dixit ei Dominus: *Adam, ubi es* (Gen. iii, 9)? Qui utique quasi absentem requirit, non diceret: *Ubi es*; si eum in se manere cognosceret. Sed quis eum absentem fecerit, audiamus. *Absconderunt se, inquit, ambo a facie Domini* (Ibid., 8). Omnes videt Christus: sed qui se abscondit, absconditur; quoniam qui ignorat, ignoratur. Cognoscit enim eos Dominus qui sunt

^a Edit. ant. cum mss. Vict. et Colb., *deceptus non esset*.

^b Nonnulli mss., *accedentem expulit cæcitate*.

^c Mss. aliquot, *de quo videtur esse tractatum*; id est, qui versus jam videtur esse expositus: et certe multa jam in eum dicta sunt in superioribus. Melius tamen alii, atque edit., ... *esse tractatus*; hoc est,

A ipsius. Ille omnes suos vult esse, quos condidit et creavit. Utinam, tu homo, non fugias, et te ipse a Christo non abscondas! Ille etiam fugientes requirit, et absconditos non vult perire, sed clamat dicens: *Adam, ubi es?* Hoc est, homo, ubi es? Ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti.

21. Denique in paradiso, ubi semper matutinus erat dies, vesper est factus; quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. Ideoque habes (Ibid., 8), quia audierunt vocem Domini Dei deambulantis ad vesperam in paradiso. Simul cognosce mysterium. Mane errasti: ad vesperam liberaberis. Quomodo enim vespera, ubi Christus est? Nam licet sedes ejus supra cælum cælorum, tamen in sanctis suis Christus est. Quomodo ergo vespera ubi Deus est, cum Deus lux sit? Denique Saulo in itinere lux refulsit, quando ei Christus occurrit. Unde etiam lumine Dei refulgente, cæcatus est persecutor. Cur ergo cæcatus; nisi quia non agnoverat Christum? Nam si cognovisset lucis arbitrum, non amisisset lumen oculorum. Denique et ubi **866** agnovit, recepit. Indicium est quod non agnoverit Christum, qui audita voce: *Saule, Saule, quid me persequeris* (Act. ix, 4)? respondit: *Quis es, Domine* (Ibid., 5)? Non quæsisset quis esset, si cognovisset. Unde et Dominus quasi ignoranti dicit: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Durum tibi est adversus stimulum calcitrare* (Ibid., 5). Et ille dixit: *Domine, quid me oportet facere* (Ibid., 6)? Vide congruentia utrimque magisteria. Medicus minatur, ut corrigat; terret, ut curet: æger primo medici personam requirit, si sit idoneus a quo sanari se posse præsumat; ubi medicinæ audivit auctorem, remedium poposcit, salutem invenit. Denique ab ^b accedente non solum expulit cæcitate: sed etiam lucem quam non habuerat, accepit; ut Christum videret, quem antea non viderat.

22. (Vers. 10, 11.) Sed videamus sequentia; repetito tamen versiculo, ^c de quo videtur esse tractatus: *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. Bene nuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu cognovisti. Justitiam tuam non abscondi in corde meo.* De superiore itaque versiculo intelligimus: *Ecce venio non solum ut voluntatem tuam faciam; sed etiam legem tuam in medio cordis mei.* Alii habent: *In medio ventris mei.* Est enim venter et mentis, ^d qui semina concipit sensuum; de quo Esaias dixit: *In utero accipimus, et parturivimus spiritum salutis* (Esai. xxvi, 18). Hoc utero parturivit et Paulus, qui ait: *Filioli mei, quos ego partiurio, donec formetur Christus in vobis* (Gal. iv, 19). Christus ergo non in ventre corporeo, sed in animæ quodam ventre formatur. Hoc ventre Apo-

qui videtur esse hujus tractatus argumentum. Namque ab ipso expositionis istius exordio hunc psalmum versari in explicando Christi Domini adventu affirmaverat Ambrosius.

^d Vat. cod., *qui semine concipit spiritum*. Rom. edit., *qui semine verbi concipit spiritum*. Cæteri mss. ac edit. ut in contextu.

stolus genuit; sicut scriptum est: *Ego vos per Evangelium genui* (I Cor. iv, 15). Ideo alii bene habent: *In medio cordis*; alii: *In medio ventris*; ut interioris hominis ventrem intelligas, qui in medio esse cordis accipitur: in quo naturalis legis præscripta servamus; quæ non solum custoditur, sed etiam fit in cordibus nostris. Unde et scriptum est, quia *non solum auditores legis justis sunt apud Deum; a sed etiam factores legis justificabuntur* (Rom. ii, 13). Sunt enim qui naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; sicut gentes quæ legem non audiunt^b et sibi lex sunt, qui cognita sibi legis præcepta conservant. Ergo quasi gentilis populi congregator, personam nostram suscepit hoc loco Christus; ut diceret facere se legem in medio cordis sui. Siquidem populus nationum legem quam non audivit, implevit; ut agnosceret Christum quem populus Judæorum qui legem acceperat, non recepit, nec cognoscendum putavit; quia scriptum est: *Agnovit vos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit* (Esai. i, 3). Hic ergo credentium venter est, in quo Spiritus sanctus operatus est, et eum semine spiritali implere consuevit; sicut testificatur in Evangelio Dominus Jesus, qui ait: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (Joan. vii, 38). Ex illo flumine ista sunt flumina; de quo legitur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (Psal. xlv, 5). De quibus ergo fluunt hujusmodi flumina spiritalia, **867** de his bene dicitur (Psal. xcii, 3 et 4): *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam. Elevabunt flumina fluctus suos a voce aquarum spiritalium, quæ supra cælos Deum laudant.*

23. Qui elevaverit vocem suam, hic potest dicere: *Bene nuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Quid est quod addidit, *magna*; nisi quia fuit ante non magna? Quæ est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata; quando ab oriente et occidente, septentrione et meridie populi gentium sunt vocati? Alibi tamen legitur magnam Ecclesiam: *Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna: in populo gravi laudabo te* (Psal. xxxiv, 18). Ibi ergo Ecclesia magna, ubi populus gravis; hoc est, non inquietus et mobilis, qui sedit manducare et bibere, et surrexit ludere. Gravis populus est qui fidem Deo suo servat,

^a Rom., *sed factores legis.*

^b Codex Reg., *et sibi, quia ex uno sunt cognita sibi legis præcepta, conferunt.* Cui concinunt alii quatuor, præter quam in voce, *cognita*, pro qua habent, in-

A et qui non aliqua levitate mutetur: neque nutet et fluctuet, sed charitate sit fundatus in Christo; ut possit dicere: *Confido enim, quia neque mors, neque gladius, neque tribulatio separare me possit a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* (Rom. viii, 35 et seq.).

24. Qui autem prædicat in Ecclesia magna, non abscondit justitiam Dei in corde suo; sed exaltat viribus vocem suam, annuntians Christum. Non timet eum coram populo prædicare, non erubescit crucem ejus; sed gloriatur in illa Domini passione. Non sequitur litteram Legis; sed eruit profunda mysteria, quibus revelet Domini Jesu gloriam: quem Lex significavit esse venturum ad Ecclesiam, **868** quæ magna est congreganda. Justitia igitur fides est. **B** Denique *credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu cognovisti* (Gen. xv, 6). Sic et alibi: *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam* (Psal. cxxxviii, 2).

25. Ad Patrem dicit: *Justitiam meam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, et salutare tuum dixi.* Totus ex persona Christi psalmus iste est; ideo *justitiam meam* dicit: licet non arroganter et homo possit dicere justitiam suam, qui Deo credit, et fidem suam sibi reputari ad justitiam confitetur. Veritatem et misericordiam diligit, qui fidem prædicat veram, et peccata dimittit. Ideo enim Christus advenit, ut fidem statueret, remissionem tribueret peccatorum.

26. (Vers. 15.) Et quia ex persona Salvatoris totum hunc esse diximus psalmum; ne forte dicant apollinaristæ: *Ecce corpus, dixit, præparasti mihi* (Psalm. vers. 7), non etiam animam; audiant in inferioribus psalmi hujus dicentem: *Confundantur et reveantur simul, qui quæerunt animam meam, ut auferant eam.*

27. Hæc sunt quæ in hoc psalmo difficiliora arbitrati sumus: reliqua plana et facilia, ^d nec indiga esse interpretationis existimavimus; cum si in Tractatum incidant, in alio psalmo in quo videntur esse repetita, rectius prosequemur, favente domino Jesu: cui est laus, honor, gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

cognita.

^c Rom. edit., *Ecce corpus.... perfecisti mihi.*

^d Mss. Vict. et Colb. atque edit. vet., *nec digna interpretationis.*

IN PSALMUM XL ENARRATIO.

867 1. (Vers. 1.) Bono ordine, qui in superiore psalmo dixit: *Ecce venio* (Psal. xxxix, 9); in hoc jam venit, et patitur: et ideo quadragesimus psalmus inseribitur, quia quadraginta diebus jejunavit Dominus Jesus, ut eo numero consummaret hominis qui perierat, perfectionem. Sicut enim per appetentiam

D interdicti fructus amiserat gratiam, ita per jejunium reparari ejus virtutem oportuit; ut qui perierat in Adam, repararetur in Christo. Ideo ergo, *in finem*; quia ipse finis est spei nostræ, ad ipsum studia nostra dirigimus, ad ipsum vota nostra conferimus; quia ipse est plenitudo, ipse est consummatio universo-

rum, ipse omnium summa virtutum. Ideo, *ipsi David*; quasi ei qui solus ex omnibus in sua carne nostra peccata suscepit, qui solus Dei Agnus peccatum totius mundi abstulit, qui solus chirographum decreti, sanguinis sui effusione delevit, et tulit de medio, atque suffixit cruci: quasi sapientia sciens quomodo vetus peccatum mundi solveret: quasi redemptio, quomodo hominem renovaret a culpa: quasi sanctificatio, quomodo eum sanctificaret ad gratiam. Hic ergo titulus, hoc principium.

2. (Vers. 2.) *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Aperi aures tuas, qui incipis sacramenta Dominicæ cognoscere passionis. Ideo tibi dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat (Luc. viii, 8).* Ideo surdo illi et muto aures et labia tetigit Dominus in *Evaangelio (Marc. vii, 16)*; ut sciret quid audiret in **B** mysterio, quid etiam loqueretur, et quando loqueretur. Neque enim otiose scriptum est: *Dominus mihi dedit linguam eruditionis; ut scirem quando oporteat sermonem dicere (Esai. l, 4).* **868** Scire ergo debes quid audias, scire quid loqui debeas, scire etiam quando loqui debeas.

3. Audi ergo dicentem: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Beatus quidem qui compatitur pauperi, qui haurit ejus necessitates, scit quid mali inopia afferat indigenti: sed quid sibi vult istud exordium in Domini passione? Verum est quidem quod propter pauperes passus est; sed tamen ipse corripuit Judam dicentem de illo unguento, quod effuderat Maria super pedes Christi: *Potuit hoc vendi dari trecentis denariis, et dari pauperibus (Marc. xiv, 5).* Idem et cæteri apostoli senserant, sed alio affectu: ille per avaritiam, isti per misericordiam; Judas enim furto prospiciebat, discipuli pauperum alimoniam consulebant. Quibus in commune respondit: *Sinite illam, ut in die sepulturæ meæ servet illud. Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper (Joan. xii, 7 et 8).*

4. Ergo alius intelligendus est hic beatus, qui intelligit super pauperem. Hic de fide dicit, alibi de misericordia. Prior ergo fides, secunda misericordia. Cum fide, pretiosa misericordia: sine fide, nuda; sine fide, instabilis. Fides enim virtutum omnium stabile fundamentum est. Beatus ergo qui intelligit super Christi inopiam et paupertatem, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset: dives in **D** regno, pauper in carne; quia suscepit hanc pauperum carnem. Pauperes enim facti sumus nimis, qui virtutum exuvias pretiosas fraude serpentis amisimus,

^a Innuere videtur fœdum illud sacrificium, quo apud Romanos pontifex maximus, uti ex Prudentio *Perist. hymno 10* discere est, consecrabatur. Ejus autem erant hujusmodi ceremoniæ: Cum terra in altam scrobem egesta esset, eo futurus pontifex demittebatur vittis atque infulis exornatus: mox tabulato innumeris foraminibus terebrato scrobs tegebatur: deinde taurus ibi jugulabatur, cujus sanguis ubertim per tabularum meatus defluebat:

Defossus intus quem sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subjectans caput,

exclusi de paradiso, ejecti de patria, in exsilium relegati, ipso quoque nudati corporis integumento, quod antea virtutum **869** septa muniebant, postea delicta nudarunt. Si ergo egenus et pauper in carne, utique egenus et pauper in carnis istius passione. Non ergo in divitiis suis, sed in nostra passus est paupertate. Ideoque non plenitudo divinitatis, quæ in illo corporaliter habitat, ut Scriptura testatur (*Coloss. ii, 9*), sed caro passa est. Hoc intellige, hoc persequere, id tene, ne dicatur tibi: Noluisti intelligere super mendicum et pauperem. Nam si hic dubitas, certe in illo psalmo qui adversus proditionem Judæ ex persona dicitur Salvatoris, de illo versiculo dubitare non poteris, in quo ait: *Et persecutus est hominem inopem et mendicum (Psal. cviii, 17).* Intellige ergo in paupertatem Christi, ut dives sis; intellige in infirmitatem ejus, ut accipias sanitatem; intellige in crucem ejus, ut non erubescas; intellige in vulnus ejus, ut vulnera tua cures; intellige in mortem ejus, ut acquiras vitam æternam; intellige in sepulturam ejus, ut invenias resurrectionem.

5. Sed forte dicas: Quomodo dives in paupertate Christus? Etsi mihi ingenium deficiat, tamen non deficiunt divinarum subsidia lectionum; cum dixerit Apostolus: *Quoniam Dominus Jesus pauper factus est, cum dives esset; ut vos ejus inopia ditaremini (II Cor. viii, 9).* Quæ ergo ista paupertas, quæ divites facit? Consideremus eam, intendamus in ipsum venerabile Sacramentum. Quid purius potest eo esse atque simplicius? Non taurino quisquam perfunditur sanguine^a, ut sacra dicuntur habere gentilium: non hircorum atque arietum cruore peccator lavatur (neque enim quisquam ita purificatur; caro enim lavatur, non culpa diluitur), sed exiet, inquit (*Esai. xii, 3*), aqua cum delectatione de fontibus Salvatoris: et paratur in conspectu tuo mensa cœlestis, et poculum inebrians quam præclarum est (*Psal. xxii, 5*)! Hæ sunt divitiæ simplicitatis, in quibus est Christi pretiosa paupertas. Est et in moribus paupertas bona; unde et Dominus dixit: *Beati pauperes spiritu (Matth. v, 3).* Et in Psalmis invenimus quia Dominus humiles spiritu salvabit (*Psal. xxxiii, 19*). Est et in^b collatione tenui paupertas abundans, si abundet fides. Unde Apostolus ait: *Et profunda paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum (II Cor. viii, 2).*

D 6. Ut autem et ex aliis vocibus ejus intelligamus, quia ipse se pauperem dixit, habemus alibi scriptum: *Pauper et dolens ego sum (Ps. lxxviii, 30)*; hoc est, quia pro nobis dolet, ut legimus (*Esai. lxi, 4*), ne-

Et veste et omne pulrefactus corpore.
Quin os supinat, obvias offert genas,
Supponit aures; labra, nares objicit;
Nec jam palato pareit, et linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.

Postremo eductus inde bellus pontifex eminus adorabatur a populo. Quæ omnia fuse ac eleganter describit loco citato Prudentius.

^b *Collatio*: hic idem est, ac pecuniæ collectæ erogatio.

que enim in se habuit quod doleret. Sicut ergo pro nobis dolet, ut Esaias interpretatus est, qui eum vidit in spiritu: pro nobis utique tristis erat; juxta quod animam suam tristem appellavit usque ad mortem, tamen non propter mortem: et carnem dixit infirmam, quæ mortis subjacuit infirmitati; ut aculeum mortis infringeret, quo nos in die iudicii liberaret, quam non perfunctorie malam dixit.

7. (Vers. 2.) Sic enim sublexit: *In die mala liberabit eum Dominus*; quoniam amara videtur, quæ plures **870** adjudicat pœnæ. Via enim virtutis angusta est, lata delicti; ideo rariores in virtute ambulant, plures in flagitio versantur. Quo fit ut inferior eorum sit numerus, qui præmia remunerationis accipient, quam qui ob pretium gravium peccatorum sortem adversam iudicii reportabunt. Quasi dolens igitur dixit malam iudicii diem. Nam si angeli in unius peccatoris absoluteione lætantur; quanto magis homines in tantorum condemnatione hominum macerabuntur! Et bene dolet pro ea ove, quam humeris suis ipse reportavit, et ad ovile suum revocavit errantem. Affectu nostro loquitur Dei Filius; quia nobis dies iudicii acerba est, quam timemus. Omnibus mala videtur, quia plena terroris est: qua Deus non solum forensia hominis, sed etiam occulta dijudicat: qua cogitur unusquisque aperire quod fecit, aut quod sensit. Ideoque multi damnantur, pauci coronantur. Sed etiam ipsi qui coronantur, dolebunt; justi enim coronabuntur: justus autem quasi suam putat fratris ærumnam. Et quis ego sum qui de illa iudicem, qua homo angelorum conciliis inseretur? Ipsius Domini audiamus sententiam: *Veniet, inquit, hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis; et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii* (Joan. v, 28 et 29). Judicabuntur ergo qui mala egerunt: et ideo mala dies et aspera ab ipso iudice nuncupatur; ut scias quia ipse nobis compatitur in Evangelio, qui compassus est in prophetis.

8. Sed etiam sic possumus accipere: *In die mala*, hoc est, in tempore malo; mundus enim in malo positus est. Et ideo mali dies istius mundi, et abundat diei malitia sua. Non mediocre est, ut hic liberemur ab insidiis peccatoris. Qui fuerit hic liber a crimine, ibi erit liber a pœna, et severitatem iudicii subire non poterit.

9. (Vers. 3.) Et ideo votis opus est et precibus quotidianis, et ^aadvocatione Principis sacerdotum, de quo dicit Joannes Evangelista: *Advocatum habemus apud Patrem Dominum Jesum, et ipse est deprecatio pro peccatis nostris* (I Joan. ii, 2). Hic ergo advocatus noster, et deprecatio pro peccatis totius sæculi orat pro eo qui intelligit et credit in Christum, et dicit: *Dominus conservet eum, et vivificet eum, et*

A *beatum faciat eum. Conservet a periculis, vivificet* tamquam in mortis tenebris constitutum, beatum facere bonorum operum accessione dignetur.

10. ^b*Et emundet, inquit, in terra vitam ejus* (Ibid.). Bene addidit, *in terra*; quia nisi hic mundatus fuerit, ibi mundus esse non poterit. Vel certe hoc modo: *Emundet in terra*. Quomodo enim quis mundus in luto; cum terra eum obliniat? Ergo Domini manus est necessaria, quæ fecit de terra corpus; ut ipsa mundare dignetur.

871 11. (Vers. 5.) *Et non tradat eum in manus inimici ejus*. Quis est inimicus; nisi leo ille qui circumcivit rugiens, quærens quem devoret? Alii habent Græci: *Et non tradat eum in animas inimicorum ejus*. Animas pro manibus posuit; eo quod inimicorum animæ bonis insidientur, et cogitationibus suis justum conentur evertere. Dicuntur et animæ pro hominibus. *Omnes animæ septuaginta, quæ descenderunt in Ægyptum* (Gen. XLVI, 27). Ideo et David maluit Dei se committere potestati, quam insidiis inimicorum, qui parcere sua voluntate nescirent.

12. (Vers. 4.) Sequitur: *Dominus opem ferat illi supra lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*. Quis est lectus doloris, nisi caro infirmitatis? Et bene lectus doloris, quia corpus est mortis, de quo se liberari deprecatur Apostolus (Rom. vii, 24); ut tamquam de tumulo quodam possit adsurgere, in quo ægra jacet anima, et quasi quodam decumbit in lectulo. Symmachus, *lectum miseriæ*, dixit: *Aquila, grabatum miseriæ*: expressius Septuaginta viri, *lectum doloris*, putaverunt esse dicendum. His ergo versiculis utendum est apud eos, qui diutius infirmitate corporis detinentur; ut habeant medicinam Dei, quo sani esse mereantur. Lectus ergo animæ caro infirma est, cujus ægritudine anima nostra compatitur, quæ si habeat adiutorem Dominum, dicit ei: *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (Luc. v, 24). Quo confortatus Dei verbo qui æger erat, surgit et tollit lectum suum in quo jacebat, et redit in statum pristinum sanitatis. Hoc est in domum suam regredi, ut habitet in domicilio robustissimæ valetudinis. Qui habitat, regit: qui regit, virtutis habet sibi gratiam suffragantem. Sed etiam stratum omnem versat Dominus in infirmitate languentis, cui adesse dignatur. Quod versatur, **D** statum mutat, aut ex sanitate in ægritudinem, aut ex ægritudine ad sanitatem. Hic ergo qui ægrotat, versat se ad remedium sanitatis.

13. Sic ergo Dominus Jesus, etsi vulneratus est propter peccata nostra, tamen non in illa infirmitate permansit; sed se ipse versavit in melius ad universorum salutem. Itaque passione infirmitas est soluta, mors resurrectione. Sicut ergo se ipse versavit ad populorum redemptionem, nec sensit aculeum mor-

^a Rom. edit. sola, *Pontificis magni . . . et ipse est deprecatio pro peccatis*. Haud dubie quia allusum putarunt ad illud Hebr. iv, 14: *ἔχοντες ὄν ἀρχιερέα μέγαν*; et ad istud I Joan. ii, 2: *καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν*. Veruntamen nihil est,

cur propterea versionem Ambrosii existimemus immutandam.

^b Habentur ea verba in Psalt. mss. Germ. et Carn. nec non Rom. edito an. 1583; in omnibus autem aliis desiderantur.

lis, aut vulneris infirmitatem : sic eum qui in se credit, etsi graviter ægotantem, ut a morte liberet, versat ad vitam. Omnem ergo stratum, hoc est, universorum hominum infirmitatem in sua infirmitate versavit. Suscepit enim infirmitates omnium in sua carne, erexit se in crucem, et versavit omnium infirmitates in sui corporis infirmitate. Unde dicit Esaias : *Livore ejus nos sanati sumus* (Esai. LIII, 5). Habent hoc luciatores, ut se subjiciant iis quibus congregantur atque luctantur, ut opprimi posse videantur; et subito ^a cum superati aestimantur elidunt, et quadam arte se versant, ut effundant superiorem. Cadit qui portabatur, et is qui portabat, superior invenitur, ut sternat urgentem. Spirituali itaque palæstra Dominus Jesus onera nostra suscipiens in illa se passionis suæ congressione subiecit; et in infirmitatis specie, ut eum adversarius hominem parem cæteris judicaret, quem facile posset opprimere, divinitatis arma deposuit, humanitatis **872** tegmen assumpsit. Securus victoriæ propius tentator accessit : in costa eum telo militis voluit vulnerare, reputans et hunc sicut Adam per costam posse prosterni. Sed vulneratus latere Dominus Jesus vitam produxit e vulnere, evacuavit omne peccatum, dejecit adversarium, cui mortem latronis eripuit; et in illa morte, in illa sui corporis sepultura cum aestimaretur oppressus, elusus sua se virtute versavit : cecidit adversarius, Dominus resurrexit.

14. (Vers. 5.) Sequitur : *Ego dixi : Domine, misere mei : sana animam meam, quia peccavi tibi.* Potest et ex persona regis David hoc dici, qui videns in spiritu tantam victoriam et gratiam Christi, petit ut in illa remissione peccatorum omnium et sui misereatur; quoniam ipse, etsi legibus quasi rex, non teneretur humanis, Deo tamen obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit. Confitetur ergo peccatum suum; ut accipiat remissionem, et generalis indulgentiæ munus inveniat. Potest et ex persona Salvatoris hoc exprimi, qui nobis misericordiam Dei postulat, et peccasse se dixit, quia pro nobis peccatum factus est. Simul nos docet, cum in aliquo sumus adversus inimicos Dei certamine constituti, ut Dei imploremus auxilium : ipsi peccata nostra fateamur, et tunc maxime cum urgemur et terimur, cum dolore et amaritudine nos prosternamus, ne tacuisse videamur; quo medicina citius nostris vulneribus defertur, ut sanati adversario resistamus. Quomodo enim potest congregari vulneratus? Unde discimus, quia peccatorum nostrorum aculeis vulneramur? Vulnus medicum quærit, medicus confessionem exigit.

15. (Vers. 6.) Hinc quoque magis ac magis ape-

^a Ita cod. Vat. et quatuor Gallic. Alii vero, ac edit., *cum aestimantur elidi*; Rom. *elisi, quadam arte*, etc.

^b Rom. edit. sola, *de novis paradisi sedibus reformavit*. Magis commode, *de nobis*; cum hic sensus elici ex istis verbis posse videatur : Christus in paradisi sedibus regnum suum de nobis reformavit, quod nimirum perduellium angelorum casu fuerat quodammodo deformatum.

rire Salvator sacramentum suæ incipit passionis, quod cum Evangelio concordare non dubium est. Nam maledicebant ei Judæi, mortem ejus expetebant, insidiabantur, urgebant, crescentem quotidie gloriam ejus operis non ferebant. Hoc ergo prophetia annuntiat, quod in Evangelio completum est : *Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus?* Amentes, qui vitæ auctorem mori posse credebant : sed vota eorum Ecclesia destruebat, credens quod etiam mortuus secundum corporis conditionem, suum nomen auget; et ideo psallebat ei dicens : *Memor ero nominis tui in omni generatione et generationem* (Psal. XLIV, 18). Repetebat : *Unguentum exinanitum est nomen tuum* (Cant. 1, 2). Morientur illi, qui te mori posse præsumunt : non moriar ego, quæ te novi vitæ arbitrum, salutis auctorem. Novimus enim quod tempore passionis et resurrectionis orabant discipuli congregati; quando eis Maria Magdalena resurrexisse Dominum nuntiavit, et quando eis, clausa janua, Dominus se in corpore resurrectionis ostendit, quando Thomas vulnera ejus vidit, et credidit. Insultabant ergo Judæi quasi mortuo : sed Dominus viventem se apostolis revelabat. Cum ergo dicerent Judæi : *Ecce mundus totus post eum abiit* (Joan. XII, 19); cum dicerent quia mirabilibus operibus suis seducit populum; quid aliud dicebant, nisi : *Quando morietur, et peribit nomen ejus?* Et ideo in ejus passione clamabant : *Tolle, tolle a terra talem hunc : crucifigatur, crucifigatur* (Joan. XIX, 15). Factum est quod **873** petebant, sublatus a terra est, resurrexit, ad coelum ascendit, et regnum suum ^b de nobis paradisi sedibus reformavit.

16. (Vers. 7.) De Juda quoque proditore evidens prophetia subtextitur in his versiculis, qui sequuntur : *Et egrediebatur ut videret, vana locutus : cor ejus congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, et loquebatur.* Sic distinctum Græcis in codicibus invenimus. Ingrediebatur ergo Judas quærens prodere Salvatorem, ut videret quid ageret, quidve loqueretur; ut eum caperet in sermone, et Judæis annuntiaret; sed nihil inveniebat, qui nihil intelligebat. Bene ait Scriptura (Joan. XIII) ^d quia intus cum Jesu non erat, qui de doctrina ejus recesserat, et institutiones ejus reliquerat. Volebat intrare, sed penetrare non poterat; quia eum sua excluderat perfidia. Omnis enim impudicus, aut avarus, aut immundus (quod est idolorum servitus) non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Non solum ergo ingredi moliebatur, et non ingrediebatur; sed etiam volebat videre, et non videbat. Denique loquebatur Jesus in parabolis, sed

^c Eadem edit. Rom., *Et ingrediebatur ut videret*; in quo non solum cum omnibus omnium idiomatum Psalteriis convenit, sed etiam cum ipsomet Ambrosio infra : *Ingrediebatur ergo Judas*, etc., sed ab omnibus ejusdem Patris mss. atque edit. recedit. Quod vero post, *et loquebatur*, addit, *in id ipsum* : in hoc neque cum mss. et aliis edit. neque cum ipsa orationis serie satis congruit.

^d Mss. Vict. et Colb.; *quia intus eum Jesus noverat*.

non audiebat Judas. Denique divina non videbat mysteria; non enim omnes audiunt verbum Dei, qui sibi videntur audire. Nam si omnes audirent, non diceret Jesus: *Qui habet aures audiendi, audiat* (Luc. viii, 8). Et ideo quia non audiebat, neque videre poterat, loquebatur vana pro veris, et putabat quod Jesum falleret dicens: *Potuit hoc venundari, et dari pauperibus* (Matth. xxvi, 9); cum furtis suis, non pauperibus provideret, ^a appellans rabbi. Nam quomodo doctorem appellabat a cujus magisterio deviat; cujusque cor (in quod se immerserat diabolus) congregabat sibi et augebat iniquitates? Sibi enim erat iniquus, sibi injustus, sibi delinquebat, qui intra se dolum meditabatur, qui latere non poterat. Non enim circumveniebatur Jesus, qui prodebat voluntens, et testificabatur: *Unus ex vobis me tradet* (Joan. xiii, 21). Denique confessus est Judas, dicens: *Numquid ego sum, rabbi?* Et Dominus ait: *Tu dixisti* (Matth. xxvi, 25). Nec sic intellexit Judas quod cognosceretur. Nam si intellexisset, non prodidisset.

17. Sed nihilominus, *et egrediebatur foras, et loquebatur*. Aptus versiculus adversum eos qui secretum alicujus produnt. Pulchre ait: *Egrediebatur foras; foris enim lupi, foris praedones: intus Moyses in nube cum Jesu, foris Judaei: intus Zacharias sacerdos in templo, foris multitudo: intus Spiritus sanctus in cordibus nostris clamat ad Patrem, foris adversarius noster sicut leo pervigilat ad rapinam: foris infideles, intus fideles. Et ideo eos qui foris sunt, judicabit Deus: eos autem qui intus sunt, Christus absolvit. Egrediebatur igitur Judas, et loquebatur. Egrediebatur de fide: egrediebatur de concilio et numero apostolorum; egrediebatur de convivio Christi ad latrocinium diaboli: egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis, qui vana ad perfidos loquebatur: egrediebatur foras, qui vitae internae mysteria relinquebat; egrediebatur, qui Scripturae interiora non noverat. Si **874** enim scisset, intellexisset dicentem: *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Intellexisset etiam illud: *Tu vero homo unanims, dux meus et notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulavimus cum consensu* (Psal. lrv, 14 et 15). Non intellexit ergo hunc psalmum, non centesimum atque octavum, non alios, non alia testimonia Scripturarum. De quo bene Evangelista dicit Joannes, et caeteris infidelibus: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscum mansissent* (I Joan. ii, 19).*

18. (Vers. 8.) Non manebat ergo cum apostolis proditor, qui foras exibat, et cum perfidis susurrabat. Quo verbo usa est Scriptura divina, demonstrans sine auctoritate esse perfidiam, quae timet quod loquitur, deprehendi. Fidei autem dicitur: *Exalta viribus vocem tuam* (Esai. lviii, 1). En quo deciderat apostolus Judas, qui missus erat fidem gentibus pleno auctoritatis praeconio praedicare; ut in aurem insusurraret insidiatoribus magistri sui, quod time-

ret audiri. Nonne iudicio suo se ipse damnavit? Sed erubescere audiri, quod facere non timebat: erubescere; quia adversus vitae suae, sanctificationis, et honoris auctorem cogitabat mala: nec gratiam beneficiis rependebat, sed mala pro bonis bono referebat magistro; quod etiam saeculi homines damnare consueverunt: erubescere ingratus deprehendi, erubescere avarus videri; cum pro pecunia auctoris sui salutem proderet: erubescere videri perfidus. Similiter et Judaei qui adversus fidei magistrum falsos testes perfidi subornabant, ut dicerent eo quod praedicasset templum Dei quod Salomon condidit, destruendum; cum ille de templo sui corporis significasset: *Solvite hoc templum, et in triduo suscitabo illud* (Joan. ii, 19); vere foris erant, qui a cognitione Verbi caelestis erant exclusi.

19. (Vers. 9.) *Verbum, inquit, iniquum proposuerunt adversum me; id est, illicitum, et contra jus et fas sermonem proposuerunt, mihi facientes de humano sanguine pactiones, quem sceleratissime vendidit Judas: Judaei quoque emendum non minore scelere crediderunt, vanissimi homines; quasi qui dormit, inquit, non adjiciat ut resurgat* (Ibid.). Quid sit adjectio, consideremus.

20. Naturale est omnibus terrenis animantibus, et volatilibus caeli, et piscibus maris nasci et mori: homini vero quem pretiosiore caeteris terrae animantibus Deus fecerat, hanc praecipue contulit gratiam, ut mortuus reviviscat. Haec ergo adjectio dicitur ad renovationem vitae superioris. Denique et Ezechiae regi cum praescripsisset Dominus, quod vitae suae tempus impleset: et per Esaiam mandasset, ut ordinaret domum suam; quia moriturus esset: atque ille orasset ad Dominum, et flevisset fletu magno; misertus Dominus mandavit ei: *Ecce adjectio ad tempus tuum annos quindecim* (Esai. xxxviii, 5). Et alibi sanctus David ait: *Dies super dies regis adjicies annos ejus* (Psal. lx, 7). Inventum ergo homini quod addatur: Deo autem addi nihil potest; quia scriptum est: *Non est adjicere, neque minuere, **875** in quo perfecta et plena sunt omnia* (Eccli. xxviii, 5). Etsi Christus resurrexit, utique in eo quod assumpserat, resurrexit, in quo plenitudini divinitatis ejus nihil vel decedere potuit, vel accedere. Deus enim incorporeus et immortalis est, cujus summa natura, et plenitudo virtutum sine ulla carnis accessione signatur. Caro autem dispensationis in Christo est, quam miserationis titulo, et pietatis jure suscepit; ut captivam redimeret, ablueret contaminatam, mortuam resuscitaret. Et pulchre ait: *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Non dixit, non adjicitur; sed, non adjiciet ut resurgat; eo quod ipse se Dei Filius resuscitavit; sicut supra diximus dixisse eum Judaeis: *Solvite hoc templum, et in triduo excitabo illud* (Joan. ii, 19). Adjectionem accepit caro, quasi sumpta de homine, suscepta de Virgine: sed quasi Deus adjectionem ipsam operatus est, qui virtute propria re-

^a Edit. omnes ac mss. aliquot, *appellans rabbi atque doctorem, a cujus, etc.* Elegantius cod. Vat. cum plerisque Gallic. ut in textu.

surrexit; ut esset suæ resurrectionis operator. ^a Ut autem intelligas quod et Pater Filium, et Filius ipse se resuscitaverit, agnosce operationem illam divinæ fuisse virtutis; quia Patri et Filio una virtus, communis operatio; quandoquidem una atque eadem substantia Trinitatis est.

21. (Vers. 10.) Sed quid ego cæteros arguo (dicit Dominus Jesus)? quid mirum si populus me non cognovit, et cruci adjudicavit; cum apostolus meus mercedem proditiōis exegerit, cum conviva meus mortem meam vendiderit? *Etenim homo pacis meæ, in quem speravi, qui edebat panes meos, ampliavit super me supplantationem.* Aliqui Judam excusandum putant; quia refudit pecuniam quam ^b pro mercede proditiōis acceperat: sed ecce quia ultra Judæorum condemnatur infidelitatem; cui enim plus datum est, plus exigitur ab eo. Quid, inquit, de aliis querar? *Homo pacis meæ, cui pacem meam dederam, pacem meam relinquere volueram, persecutoribus deductis me tradidit, et fefellit me, in quem speravi.* Numquid ignoravit proditorem sui futurum, de quo ante prædixit: *Unus ex vobis me tradet (Joan. XIII, 21)*? (Hoc autem dicebat de Juda, sicut scriptum est in Evangelio.) Non utique; sed quo amplius condemnaret eum, de fide ejus sperasse se dixit. Aquila, *confisus eram*, dixit: Symmachus posuit, *confidebam*. Plus enim gravamus eum in quo plurimum spei vel fiduciæ habuisse nos dicimus; si postea spem nostram opinionemque destituit.

22. Simul ostendit quanta vis divinæ sanctificationis sit, quæ excludat malitiam, et depravatum emendet ingenium; si forma propositi melioris accedat. Quantos scimus esse conversos? Mutatus est Zachæus ille publicanus, et ad quæstum avaro intentus affectu, qui postea quadrupla redhibitione solvit errorem, condemnavit in se avaritiam, temporis superioris abjuravit lucra, compensavit in pauperes, si deesset exactor. Latro ipse nequitiam suam proposito meliore mutavit, agnovit in cruce Christum, confessus est **876** Dei Filium, regem voce propria nuncupavit. Quo tempore justii plerique nutabant, ipsi certe latebant apostoli: carnifex ipse centurio non negavit. Quid de tempore Evangelii loquor? Rahab meretrix erat, quæ perfidiæ atque intemperantiæ se alebat stipendiis; tamen ubi exploratores vidit quos miserat Jesus Nave, fidem induit; et periculo imminente, justitiam reservavit; nec susceptos prodidit, sed fideli humanitate protexit. Ideo ergo sperasse se dicit; quasi jure præsumpserit, ut apostolus superiora deponeret, ^c meliora sequeretur:

^a Sic mss. Vat. et quatuor Gall. Edit. autem, *Cum igitur legas quod, etc.*, quibus suffragatur Reg. cod. nisi quod vocem, *igitur*, non agnoscit. At Colb. et Vict. ita legunt, *in quo ipsum legas quod, etc.*

^b Plures mss., *pro mercede emptionis acceperat.*

^c Rom. edit. *antiora sequeretur.*

^d Mss. aliquot, *recordentur contubernium habuisse.* Cæterum in confesso est olim non tantum apud Græcos ac Latinos, sed et apud Barbaros magna religione ac reverentia cultam esse mensæ atque convivio-

rum societatem. Etenim gentes fere omnes cum privata scœdera, tum publica per salis ac panis communionem jungebant: Jovem hospitalem mensæ præsidem et vindicem existimabant: jurabant per mensam hospitalem; et si quis hospites atque *ἑμοτραπέζους* violasset, non modo ipse habebatur execrabilis, sed et ædes ubi hoc sceleris patratum esset, tamquam funestæ, interdum habitatoribus desertæ remanebant. Vide Strukium Ant. Conviv. lib. 1, cap. 3.

et qui sanctificandi alios munus acceperat, ipse in se sanctitatis gratiam custodiret, et sinceritatis inhereret officiis. Bene, ait, *speravi*; quia homini dedit eligendi arbitrium, quid sequatur. *Posui*, inquit, *ante te bonum et malum (Deut. xxx, 15)*. Si malum elegeris, non natura delinquit, sed eligentis affectus. Si unusquisque hominum condemnatur qui malum elegerit; quid de Juda dicimus, qui prodidit eum cui copulabatur suavitate convivii?

23. *Qui edebat, inquit, panes meos, ampliavit super me supplantationem.* Quid est quod addidit, *panes meos*? Potuit dicere: *Qui edebat panes mecum*; nisi illam intelligas, quæ specialis est Christi, hoc est, verbi cœlestis alimoniam; *non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei (Matth. iv, 4)*. Denique alibi dicit: *Qui semper mecum dulces capiebas cibos (Ps. LIV, 15)*. Quibus versiculis bene utimur adversus eos qui necandos esse crediderint, cum quibus videntur epulati. Gentiles hoc custodire memorantur, hostes plerumque, latrones etiam; ut parcant iis cum quibus ^d recordentur se iniisse convivium: seræ quoque ipsæ pabulorum societate mitescunt. Unde propter hujusmodi affectum gratiæ convivialis, si verba consideremus, non otiose dulces cibos dixit. Quomodo enim dulces, qui cito corrumpuntur? Sed vide ne dulces cibos dixerit verba vitæ. Hos enim cibos nulla amaritudo corrumpit, nulla mortis corruptela contaminat. Unde et *semper* dixit. Non enim semper edere quis poterat. Semper autem verbo Dei possumus inhærere, et noctibus et diebus, si in lege Dei die et nocte meditemur.

24. Quid est etiam, *ampliavit*? Græcus *ἐμεγάλωνεν* dixit, hoc est, magnificavit. Utrumque nobis exposuit Dominus quod movere nos posset, dicens in Evangelio: *Qui manducat mecum panem, levavit super me calcaneum (Joan. XIII, 18)*. Unde assumptus hic sermo sit, consideremus. *Fuimus, inquit, increduli errantes, servientes desideriis et voluptatibus (Tit. III, 3)*. Fateamur errorem, ut diluamur. Et ego vidi aliquem puer athletam, cum elisisset adversarium, frontem ei percussisse calcaneo: quod signum fuit, eo quod insultaverit victo. Hoc est quod ait: *Magnificavit super me supplantationem*; quo verbo insultantis jactantiam declaravit. Levavit ergo et Judas super Christum calcaneum suum, cum proderet eum; sed non levavit impune. Adhuc Adam calcaneum levat, quod a serpente est vulneratum. **877** Et utique ei pedes laverat Christus. Audierat dicentem: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus (Joan. XIII, 10)*. Sed quod lavit gratia, in-

quinaverat perfidia. Judas ergo calcaneum levavit ad vulnus. Vere non tenuit caput, qui calcaneum super Christum levavit. Adam super se levavit, hic super Christum; et ideo eum serpens gravius quam cæteros vulneravit. Levavit calcaneum suum, qui fraudulentum osculum porrigebat, quo supplantaret auctorem; ideoque scriptum est in Propheta: *Amplificavit super me supplantationem*. Esau quoque ait de fratre suo: *Bis me jam supplantavit* (Gen. xxvii, 36). Qui supplantat, dolum facit, quo adversarium elidit, aut vulnerat. Ideo et Judas supplantasse dicitur; quia osculo suo vulnus infixit, quo invadendi Salvatoris signum persecutoribus demonstravit. Supplantavit ergo quasi serpens; quia serpens suo ore venenum infundit, et vulnerat dente calcaneum: et hic enim non divinitatem Christi, sed corporis extremum calcaneum vulneravit. Levavit etiam Judas calcaneum quasi luctator insolens et superbus, in quo caput percuteret Salvatoris: sed caput Christi ferire non potuit; quia caput Christi Deus. Suum sane caput informis laquei nodo ligavit, ut remedium sibi salutis auferret.

25. Vide si pie potes illud aptare, quod in Genesi dixit sanctus patriarcha Jacob, cum de filiis prophetaret: *Dan judicabit populum suum tamquam unam tribum in Israel; et: Fiat Dan sicut serpens sedens in via, et in semita, mordens calcaneum equi: et cadet eques retrorsum, salutem exspectans a Domino* (Gen. xlix, 16 et 17). Legimus quidem (Judic. xiii, 25) quod Samson de tribu Dan iudex fuerit in Israel: sed alius hic significatur futurus, qui ex ea tribu progressus populum supplectis sacrilegæ impietatis affliget. Antichristus ille, qui sedebit in templo tamquam sit Deus, vere iudicium quod habet interpretatio; Dan enim iudicium significatur. Et pulchre dixit, quia populum suum judicabit, qui perpetuæ poenæ fiet obnoxius; qui enim non credit, jam iudicatus est: qui autem credit, non iudicabitur; quia credit in Dei Filium animæ suæ redemptorem. Et ideo tamquam iudicii liber dicit: *Qui dijudicat me, Dominus est* (I Cor. iv, 4). Iudicaturus est ergo populum impietatis, non plebem; illi enim iudicantur qui cadunt ruina perfidiæ, non qui resurgunt fidei libertate.

26. Sedebit igitur in via, et insidiabitur in semita, sicut serpens; ut vulneret transeuntes, et mordeat equi nostri calcaneum; animam enim fidelium non poterit vulnerare. In qua autem via sedebit, et in qua semita; nisi ex quibus Christus Dominus, ut legimus, nationum populum vocavit ad cœnam suam dicens: *Exi in vias, et circa sepes, et compelle ut intrent; ut impleatur domus mea* (Luc. xiv, 23). Et quia similiter Judas amplificasse super Christum legitur supplantationem, videtur hoc loco ipse signari, quod mordere haberet calcaneum equi, quo Christus Dominus vehebatur. Unde dictum est: *Equitatus tuus salus* (Habac. iii, 8); quod caro ejus, mundi totius erat susceptura peccatum; ut salus pro exitio, et vita æterna pro morte succederet. Vulneratus est ergo equus non mendax solus ad salutem: vulneratus est

A equus, qui mundi totius peccata suscepit, et onera nostra portavit, et non **878** fuit fatigatus: vulneratus est equus, qui ad furorem concubitus adhinire nescivit. Et ideo fortassis Joanni Evangelistæ cœlum apertum, et albus equus est demonstratus, super quem sedebat habens in capite diademata, et in femore suo nomen scriptum: *Rex regum, et Dominus dominantium* (Apoc. xix, 16). Albus erat, quia erat immaculatus, qui nulla peccati inquinamenta cognoverat. Nam si libido tenebrosa est, recte sanctimonia relucet et splendet. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cum ipso vulnere de tumulto resurrexit, cucurrit ad cœlum supra omnes angelos et archangelos, velocior omni equitatu militiæ cœlestis inventus, supra equos etiam illos igneos quibus Elias raptus est. Et merito velocior, qui super omnes cœlos, et supra cœlum cœlorum ad sedem Dei omnipotentis ascendit, et sedet; ut Scriptura nos docuit dicens: *Videbitis abhinc Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis* (Marc. xiv, 62).

27. Hic itaque equus in figura et ante est demonstratus tempore Machabæorum, quem sedebat dux ille militiæ cœlestis aureis armis refulgens, qui Heliodorum depeculatorem illum depositi vidualis, cæterorumque quæ sacræ fuerant commendata custodiæ, et stravit, et percussit, et postea exoratus Oniæ precibus sacerdotis vitali usui reformavit. Unde vere in eo arma aurea refulserunt; quia solus equum hunc sedit, et vicit, in quo nullus culpæ immunis evasit. Non Enoch, qui raptus est, ne malitia mutaret cor ejus; non Abraham, non Isaac, non Jacob, non Moyses. Omnes enim sub peccato, omnes sub morte. Denique regnavit mors ab Adam usque ad Moysen. Solus iste est qui peccatum non fecit: solus est Christus qui peccatum abstulit mundi, qui dixit morti: *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (I Cor. xv, 55)?

28. Quomodo ergo amplificavit super hunc supplantationem suam Judas, et cecidit eques retrorsum? Quod in Juda est, dolum fecit: quod in Christo, volens passus est. Sæpe videmus fortiolem velle percuti; ut acrior laccessitus insurgat, vehementius excitetur. Momordit ergo serpens calcaneum equi, virus suæ fraudis evomit: volens eques se ipse dejecit, volens cecidit; ut nos levaret. Quid est tamen, quod ait Scriptura: *Et cadet eques retrorsum* (Gen. xlix, 17)? Cur retrorsum, nisi ut regeret retro se sequentes? Retrorsum erat Petrus, cui dixit: *Vade retro post me* (Marc. viii, 33). Retro erant apostoli, et cæteri discipuli. Ideo retrorsum cecidit; quia super quos cadit, salvat. *Omnis enim qui super hunc lapidem, inquit, ceciderit, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, emundabit eum* (Luc. xx, 18). Alii habent, *ventilabit eum*; alii, *comminuet*. Qui enim ventilat frugem, mundat a paleis: qui comminuit aliquid, in pulverem redigit; ut molliora pulveris, vel poculo salubri, vel reliquo medicinæ usui sine ulla perturbatione proficiat. Unde colligimus cavendum, ne quis semel per baptismum susceptus a Christo, ex ejus decidat corpore, hoc

est, excutiat ab Ecclesia; ipsa est enim mortis ruina perpetuæ. Illum autem qui venit crediturus in Christum; ut eum mors ejus inveniat, crux ejus assumat, clavus infigat, sanguis infundat, sepultura quoque ejus involvat, gratia resurrectionis attollat, **879** de somno suscitetur, a morte vivificetur: illum, inquam, a sæculo liberat, a peccato mundat, sanat a vulnere, a duritia impietatis inflectit, ad mansuetudinem pietatis emollit, ut circumciso corde, incircumscriptum illum et incomprehensibilem hauriat spiritum, bibat poculum salutis æternæ. Cecidit ergo eques retrorsum.

29. Accipe et aliud, cur retrorsum et non ante ceciderit. Post ipsum omnes, nemo ante ipsum. Cecidit ergo non sibi, sed omnibus; ut duritiam cordis nostri super nos cadendo molliret. Cecidit super Adam, quem quærebat, ut inveniret. Retro eum quæsit; ut supra humeros suos bonus pastor imponeret, secumque paradiso in illius redemptione latronis inveheret.

50. Sed forte dicas: Et persecutores ceciderunt retrorsum. Sic enim scriptum est (*Joan. xviii, 6*),^a quia principes sacerdotum, quos adduxerat proditor Judas, et cæteri qui ad comprehendendum adveniant Dominum Jesum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Hoc est quod et ego dico, quia super peccatores voluit cadere, non super justos; justus enim medico non indiget, sed peccatores. Si apostolorum umbra sanabat; quanto magis caro Christi quos tangit, a morte defendit! Denique leprosum tetigit, et sine dilatione mundavit. Ut scias **C** autem qui legis, quia et persecutores suos voluit liberare, testem Christi interroga. Nam cum inveheretur Petrus in Judæos, quod principem vitæ interfecissent, remedium demonstravit; ut agerent poenitentiam, remitti sibi peccatum quod admiserant, mererentur. Quid autem dubitas, quod ideo cecidit, ut resuscitaret; cum ipse dixerit: *Percutian: et sanabo* (*Deut. xxxii, 19*)? Verborum tamen videto distantiam. In Genesi habetur: *Cadet eques retrorsum, salutem exspectans a Domino* (*Gen. xlix, 17*); hoc est, ut oculos non avertat, actio mentem propriam non reflectat, resurrectionis suæ prærogativam vindicet, et divina se resuscitet potestate. Hic autem habetur: *Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* (*Joan. xviii, 6*). Qui terrenus est, in terram cadit: qui cælestis, cælo inhæret. Et si corpore cadit, virtute non cadit: ^b nec iis quæ sua sunt, sed quæ sursum semper intendit; semper enim ad Patrem respicit, ut ejus circa nos impleat voluntatem. Utinam et isti non abiissent retrorsum, sed Christum excepissent! sicut excepit Joseph, et sepelivit eum in monumento novo. Qui fidelis est, in terram non cadit: qui infi-

^a Rom. edit., quia principis sacerdotum ministri, quos, etc.

^b Cod. Vict. et Colb. eumque illis antiquæ edit., non cadit, nec iis quæ sua sunt, sed operi intendit. Quatuor alii. mss., non cadit, sed quæ sursum sunt, semper intendit. Reg. solus, non cadit, sed quæ sua sunt, semper intendit. Quæ lectio nequaquam videtur

delis, cadit et descendit in inferiora terrarum; sicut scriptum est: *Descendant in infernum viventes* (*Psal. liv, 16*). Ergo persecutor super terram, et in infernum cadit: Christus super resurrecturos, Christus super petram, Christus super Ecclesiam. Audi quomodo super Ecclesiam cadat. Retro erat Petrus, et sequebatur eum cum a Judæis ad Caiphæ domum Synagogæ principis duceretur. Ipse est Petrus cui dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth. xvi, 18*). Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi nulla mors; sed vita æterna. Et ideo addidit: *Et portæ inferi non prævalent ei: et tibi dabo claves* **880** *regni cælorum* (*Ibid.*). Beatus Petrus, cui non inferorum porta prævaluit, non cæli porta se clausit; sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit cœlestia. In terris itaque positus cœlum aperuit, inferos clausit.

31. Potest et illud convenire huic loco, quod Samaritanus descendente de Hierico hominem vulneratum illum a latronibus non præterivit; sed suscepit eum, et vulnera ejus curavit, infundens oleum et vinum: et imposuit supra jumentum suum, et duxit ad stabulum. Quid dubitas de equo bono, cum bonum et jumentum legeris? Cum legeris in Hierusalem illam, et equites multos et plurimos cum quadrigis et curribus introire? Nec te moveat quod legisti: *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt* (*Psal. xix, 8 et 9*). Sed Elias non cecidit, qui curru introivit; ubi enim Dei nomen est, ibi nullus obligatur, sed absolvuntur universi. ^c In nomine autem Dei nostri et pauper est tutus, et dives; et nobilis, et ignobilis; et infirmus, et potens. Fidei non præjudicant opes; si tamen uti opibus noverimus.

52. (Vers. 11.) Et ideo nomen Dei in se habens dicit: *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam illis*. Quod utique non quasi de resurrectione dubitans dicit, qui in potestate habebat dicere: *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud* (*Joan. ii, 19*); sed formam dat homini, ut misericordiam a Deo, et resurrectionem de Deo speret. Deinde non resuscitari se petit: sed resuscitari sibi postulat Matthiam in locum Judæ; ut apostolicus numerus impleatur. Etenim quia necesse habebat perire filius perditionis, ut Scriptura impleretur; oportebat in locum ipsius subrogari filium salutis. Tertium accipe. Resuscitari se, hoc est, corpus suum, postulat: corpus autem Christi, Ecclesia est. Et quia Judas figura erat infidelis populi Judæorum, qui pecunia vel emit, vel vendidit Christum (quod faciunt qui plures ducunt pecuniam, quam religionem)^d pro interitu plebis in fide significat Ecclesiæ

contemnenda. Etenim si homo cœlestis quæ sua sunt semper intendit, utique semper intendit cœlestia. Commode tamen edit. Rom. et cod. Vat. quos eo sequimur, quod melius sonent auribus christianis.

^c Rom. edit., *In nomine Domini Dei nostri invocabimus.*

^d Ita mss. quinque Gall. ubi forte loco, plebis in

sibi gratiam resurrecturam. Unde et ipsa dicit in **A** Canticis : *Si suscitaveritis et resuscitaveritis charitatem (Cant. II, 7)*; cum quæreret de juveniculis Christum, quia Christus charitas est.

33. Quod autem ait : *Retribuam illis*; hoc intelligimus, quia florentis Ecclesiæ processibus cruciabuntur : et tunc cognoscent quæ pœna perfidiæ sit; cum adverterint qui fidei sit splendor, et gratiæ. Vel quia bonus Dominus est, qui poterat dicere : *Retribuabant mihi mala pro bonis (Psal. XXXIV, 12)*. Et medium verbum est retributionis, vel in bono, vel in malo : retributurum in bono esse se dicit : quia etsi cæcitas in Israel ex parte continget, tamen cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel Christi miseratione salvabitur.

54. (Vers. 12.) Et subiecit : *In hoc cognovi quoniam voluisti me; quoniam non gaudebit inimicus meus super me*. Superius de passione sua locutus est quasi homo : hinc jam aperit majestatem suam, quod solus **881** sine peccato, ^a solus cui peccator inequitare non potuit, solus quem Pater ut unicum Filium dilexerit. Qua ratione ergo inimicus non est lætatus super eum? Quia etsi mortem suscepit pro nobis, resurrexit tamen; et ipse insultavit inimico, cujus victoriam destruxit, et aculeum mortis infregit. Et nos, licet in sæculo mœsti simus, atque in mœrore nostro et contritione cordis animique nostri lætetur inimicus; tamen resurgentes ejus gaudium destruiamus. Unde et Michæas dixit : *Noli super me gaudere, inimica mea, quia cecidi; sed resurgam (Mich. VII, 8)*. Resurrectio est ergo quia inimici omnia vincula sol- **C** vuntur, triumphus omnis aboletur.

35. (Vers. 13, 14.) Sequitur : *Propter innocentiam autem meam suscepisti me : et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et in sæculum : fiat, fiat*. Innocens nulli nocet, in neminem peccat. Ideo sine peccato, sine dolo Christus Scripturæ divinæ auctoritate signatur. Hoc igitur et hic declaratur, ubi dicit : *Propter innocentiam autem meam suscepisti me*. Quæ autem susceptio significatur? Nam et alibi legimus : *Suscipisti me ex utero matris meæ (Psal. CXXXVIII, 15)*. Ergo quia ^b ab omni concretione generationis humanæ mundus est natus, qui de Spiritu est natus et Virgine; ideo eum Pater suscepit, quia ortum illius nulla corporeæ generationis concretio usitata fuscavit. Suscepit eum **D** resurgentem; quia nulla cum offensio prolapsionis aspersionis. Immaculatus ad Patrem rediit, a quo immaculatus exivit; quando descendit in terras. Unde dicit ei Pater : *Filius meus es tu, ego hodie genui te (Psal. II, 7)*; hoc est, generationis meæ in te privilegium recognosco, quem nulla macula potuit in- **D**

fide, legendum, plebis infidæ; licet prior lectio sensum præbeat minime rejiciendum. Alii vero mss. et edit. vet. in marg., pro interitu plebis infidelis significat Ecclesiam sibi gratam (eædem edit. ac Rom. in corpore, Ecclesiæ sibi gratiam) resurrecturam.

^a Mss. Vict. et Colb. atque edit. vet. in margine, *solus qui peccato inquinari non potuit*. Eædem edit. in corpore, ac etiam Rom., *solus cui peccator insultare, etc.*

A nare peccati. Inter peccatores versatus es, peccata omnium suscepisti, peccatum pro omnibus factus es, maledictum pro omnibus factus es; sed nullus usus potuit ad te transire peccati. Ita inter peccatores versatus es, quasi inter angelos versareris. Fecisti terram esse quod cœlum est; ut et ibi peccatum tolleres. Hodie te genui, in quo complacui. Probasti te Filium, qui implesti in omnibus Patris voluntatem. Hodie te genui, in quo lucem immaculatæ proli agnosco. Hæri mihi et hodie ipse es, et in sæculum. Nox in te nulla est, quia totus es dies. Bene confirmatus in conspectu Patris dicitur in æternum; quia apud Patrem semper est : et vere in conspectu ejus, cujus splendor est gloriæ, et imago substantiæ. Sed quemadmodum complacet in Filio Pater; ita et **B** Filius benedicit Patrem. Pater enim honorificat Filium, et Filius honorificat Patrem.

56. *Benedictus, inquit, Dominus Deus Israel; hoc est, populi Deum videntis, qui et Dominum suum et Deum credit : A sæculo et in sæculum : fiat, fiat. 882* In Hebræo habetur : *Amen, amen*; ut asseruerunt, qui librum legerunt in Hebraicis litteris scriptum. Græcus hoc loco γένοιτο, γένοιτο dixit; quod est : *Fiat, fiat*. Quod verbum diversas significationes habet, ut sit interdum imperantis, interdum precantis, interdum confirmantis aliquid : imperantis est, cum superior inferiori statuit quid faciendum sit, vel sequendum : precantis est, sicut illud : *Fiat voluntas tua (Matth. VI, 10)*; non enim Deo quis imperat, sed precem fundit : confirmantis est, cum benedicit propheta, vel sacerdos, vel sanctus aliquis; et populus respondet : *Fiat, fiat*. Hic ergo magis confirmatio mihi videtur benedictionis, quam oratio, vel deprecatio : maxime quia repetitio ipsius facta sermonis est. Et videtur Hebræus quidem sermo mutatus; sed idem sensus expressus. Sicut enim cum sacerdos benedicit, populus respondet, amen, confirmans benedictionem sibi, quam plebi sacerdos a Domino deprecatur; ita in psalmo responsum est : *Fiat, fiat*; quasi : *Amen, amen*. Amen autem confirmationis verbum evidenter ostenditur in Evangelio, ubi Dominus confirmans sermonem suum dicit : *Amen dico vobis (Matth. XIX, 25)*. Major autem vis est, ubi repetitus est sermo; quod in libro Evangelii secundum Joannem frequentius invenimus; quia ipse **D** maxime de cœlestibus et profundis mysteriis est locutus; sicut scriptum est : *Amen, amen dico tibi; nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. III, 5)*. Et alibi : *Amen, amen dico vobis; si quid petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis (Joan. XVI, 23)*. Abundant duo exempla; reliqua vero si quis quæsierit, inveniet.

tare, etc. Sed aptius ad allegoriam supra institutam reliqui mss.... *inequitare non potuit*. Hic autem obiter observa, quod jam supra adnotavimus, diabolum ab Ambrosio passim peccatoris nuncupatione signari.

^b Mss. aliquot, *ab omni corruptione generationis, etc.*

57. Indicium quoque est libri finiti : *Fiat, fiat.* Nam in ^a quinque libros divisum videtur esse psalterium. Primus liber hoc psalmo finitur, hoc est, quadragesimo. Et pulchre usque ad passionem Salvatoris quadragesimus psalmus est comprehensus, qui finem libro daret, quoniam passio Domini finis est quadragesimæ : ut secundus liber a mysteriis renovationis inciperet, qui liber, utpote quadragesimæ, perfectiora sacramenta complectitur. Nam et baptismatis prænuntiat sacramenta, cum dicit : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum (Psal. xli, 2) : et requiem sanctorum qui ad tabernaculum cœlestis pervenerint : et Spiritus sancti descensionem, quando effusa est gratia spiritalis in quadam voce cœlestium cataractarum : quia virtute magna Spiritus ferebatur, ut legimus in Actibus apostolorum (Act. ii, 2) : et ingressum renovati hominis ad altare : et Salvatoris ascensum : et sanctificationem propositi virginis. Qui liber finitur in psalmo septuagesimo primo, quo regnum Christi pacificum toto orbe diffusum prophetico sermone annuntiatur, remissioque peccatorum ; 883 ubi cum benedictionem Domini præmisisset, subtexit : *Et replebitur majestate ejus omnis terra : Fiat, fiat (Psal. lxxi, 19).* Tertius quoque liber finitur octuagesimo octavo psalmo ; et ibi habet : *Benedictus Dominus in æternum : Fiat, fiat (Psal. lxxxviii, 53).* Quartus liber finitur psalmo centesimo quinto, ubi habet : *Benedictus dominus Deus Israel a sæculo et usque in sæculum ; et dicet omnis populus : Fiat, fiat (Psal. cv, 48).* Quintus liber usque ad finem est ; ubi pro hoc verbo Propheta dicit : *Omnis spiritus laudet Dominum (Psal. cl, 6).**

58. Sed iterum forsitan te moveat, quomodo quinque libros asseram, cum unum Psalterium sit. Sed etiam Evangelium unum est, et quatuor libros esse negare non possumus. Unum autem Evangelium esse, et alibi (*Lib. i in Lucam, in proœmio*), ni fallor, intimavimus ; et si iterum exigitur, facile possumus edocere, cum Salvator dixerit : *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium (Matth. xxvi, 13).* Et Apostolus : *Miror quod sic tam cito transferimini in aliud Evangelium, quod non est aliud ; nisi aliqui sunt qui vos pervertunt (Galat. i,*

^a Celebris est illa psalmodiarum in quinque partes divisio, cum ejus meminerint e Græcis Eusebius Cæsar. *Argum. in psalm. enumer.* ; Gregorius Nyss., *Tract. i in Psal. cap. 5 et seq.* ; Hieronymus epist. 154 ; Hilarius Pictav. *Prol. in psal.* Quibus potest addi Cassiodorus in *Prol. super psal. cap. 11*, atque alii. Quod autem eam rejicit Hieronymus et post eum nuperus commentator, vir alioquin eruditus, ducti Hebræorum, ac maxime apostolorum auctoritate semper psalmodiarum librum, non autem libros nominantium : eam quidem rationem non male infra, num. 37, diluit noster Ambrosius. At vero quod laudatus auctor eandem divisionem Christo negat esse antiquiorem, præterquam quod Hieronymum atque Hilarium inter se committit, qui facile conciliari possunt, modo Hieronymianum testimonium non omnes omnino Hebræos includere consentiamus ; certe manifestum est eum non vidisse Eusebii testimonium. Is enim memoratam divisionem Hebræis diserte attribuit, atque in accuratissi-

^A 6 et 7). Et alibi : *Notum enim facio vobis, fratres, Evangelium (I Cor. xv, 1).* Nec usquam habes aliter de corpore isto quatuor librorum, nisi Evangelium significatum, Denique quia unum corpus est etiam psalmodiarum, ^b Scriptura dicit : *In decachordo psalterio, cum cantico in cythara (Psal. xci, 4).* Sed iterum quia quinque libri sunt, dicit alibi : *In vasis psalmodiarum (Psal. lxx, 22).*

59. Fulchre autem quinque libri et unum Psalterium ; quoniam quinque sensibus homo exterior vivificatur : et rursus quinque spiritalibus sensibus ille absconditus cordis homo noster consummatur interior, qui solus ante Deum locuples Petri apostoli testimonio reperitur (*I Pet. iii, 4*). *Qui habet, inquit, aures audiendi, audiât (Luc. viii, 8).* Habes unum sensum. Et sicut sunt qui oculos habent, et non vident ; ita sunt qui oculis non videntibus, plus videre creduntur. Unde et prophetæ dicebantur videntes, etiam qui oculis non viderent. Bonus etiam ille odor, de quo Apostolus dicit : *Bonus odor Christi sumus Deo (II Cor. ii, 15).* Unde et Job dicit : *Et Spiritus divinus, qui est in naribus meis (Job xxvii, 3).* Idem ergo odor Christi, et Spiritus sancti est Deo ; quia unus odor est Trinitatis. Est et interior cibis, de quo dixit Dominus : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlo est (Joan. iv, 34).* Est et interior tactus, quo Christum tetigit mulier illa in Evangelio, quæ per duodecim annos sanguinem profluebat, nec a medicis acceperat sanitatem ; sed accepit a Christo. Fidei tactus est, quo tangitur Christus. Denique eam homines non videbant ; 884 sed videbat Jesus, et se vidisse testatus est dicens : *Tetigit me aliquis ; nam et ego cognovi virtutem de me exisse (Luc. viii, 46).* Cognitio Christi, collatio sanitatis est. Ergo quoniam decem sensus homini inesse manifestum est ; ideo David, qui et foris et intus canebat ; foris corpore, intus corde, dicit in psalmo : *In decachordo psalterio psallam tibi (Psal. cxliii, 9).*

40. Psalterium ergo est homo consummatus in Christo : in quo sicut arte concinentium fila chordarum ; ita convenientium resonant opera canora virtutum, ut possit dicere : *Psallam tibi, Deus, in ci-*

mis exemplaribus inveniri asserit his verbis : *Τῆς βιβλίου τῶν ψαλμῶν ἥδε ἂν εἴη ἡ διαίρησις ὡς τὰ ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων, αὐτὸ τε τὸ Ἑβραϊκὸν περιέχει εἰς πέντε γὰρ μέρη τὴν πᾶσαν τῶν ψαλμῶν βιβλίον παῖδες Ἑβραίων διαίρουσι.* Vide quæ sequuntur in *Expositione Græc. Patrum in psalmos*, jam ante a nobis citata. Quin etiam haud absurdum fuerit existimare peritos illos hebraicæ linguæ, quos Ambrosius, ut ipse numero superiori significat, de clausula hujusce psalmi percunctatus est, ab eo quoque de psalmodiarum apud Hebræos divisione fuisse interrogatos.

^b Vet. edit. cum tribus mss., *Scriptura dicit. Sed iterum quia quinque libri sunt, dicit alibi : in vasis psalmodiarum. Rom., Scriptura dicit : Scriptum est enim in libro psalmodiarum. Et iterum, quia plures psalmi sunt, tamquam libri, dicit etiam alibi : Necessè est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et psalmis de me.* Nos locum auctoritate quinque mss. restituimus.

thara sanctus Israel : gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi ; et anima mea, quam redemisti (Psal. LXX, 24 et 25). Paulus ait de se : Foris pugne, intus timores (II Cor. vii, 5). Hic et intus et foris gaudet : sed ille adhuc in certamine, iste in remissione ; quia redemptionem animæ suæ se meruisse cognoverat. Qui psallit, in lætitia est : qui luctatur, in sollicitudine. Verum et Paulus sciebat psallere : sed adhuc se processibus reservabat, cum foret plenius comprobatus, ut psalleret ; et ideo dixit : Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente (I Cor. xiv, 15).

41. Et quia geminum psallendi officium demonstravit, geminam quoque vocem esse Scriptura edocuit, Propheta dicente : *Voce mea ad Dominum clamavi, et vox mea ad Deum, et intendit mihi (Psal. LXXVI, 2). Quid est mea ? Potuit enim dicere : Clamavi ad Dominum. Sed quæ nostra est vox ; nisi ista quæ melior est, quæ nescit errare ? Nam ex multiloquio peccatum incurrimus, et vitare non possumus.*

^a Ita mss. omnes. Edit. vero, *recipiunt cum effectu propria* (quædam Paris., *proprio*) *postulata.*

IN PSALMUM XLIII ENARRATIO.

885 1. (Vers. 1.) Psalmi titulus est : *In finem filiis Core intellectus.* Ubi passionis Dominicæ, et baptismatis, et ingressionis ad altare sacrosanctum decursa mysteria sunt, docet sanctus propheta David quemadmodum athletam suum, cuius nomen teneatur in agone sanctorum, Christus exerceat. Sicut enim sine labore nostro, non ex operibus, sed ex fide per gratiam suam nobis peccata donavit, et ad coronæ petitionem indulgentissimus nos et benignus admisit, nec superiora nobis fecit obesse flagitia, quibus tanto certamine iudicaremur indigni (quæritur enim etiam in iis qui^a lustrale certamen hoc subeunt, etiam disciplina vivendi), ita rursus ne tanta peccatorum donatione resoluti, in superiora flagitia vel desidiam revertamur, psalmus iste nos admonet multa nobis, et gravia certamina esse proposita ; ut nemo nisi qui legitime certaverit, coronetur. Luctandum est igitur adversus carnis hujus illecebras, et fervorem sanguinis : luctandum est adversus nequitias spirituales. Nemo gravior domestico adversario : nemo nocentior hoste eo, cui^b cœlestis substantiæ potentia suffragatur. Cum dico nemo, divini memento sermonis, quo dixit Dominus : *Quia major ex natis mulieris Joanne Baptista nemo (Matth. xi, 11).*

^a Solebant veteres diebus lustricis, id est, quibus urbs aliqua sacris piabatur, ludos ac certamina celebrare. Hoc intelligitur ex Seneca in Troad. ubi sic habes : *nec stato lustris die puer citatas nobilis turmas ages.* Quod autem de vivendi disciplina adjungitur, id eodem pertinet, quo illud Pauli I Cor. ix, 25 : *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere ; utrobique enim significatur olim severam athletarum fuisse vivendi rationem. Ea de re existat hæc præceptio Epicteti, Enchir. λε. : Ἀσὶ σε εὐτακτεῖν, ἀναγκαστορεῖν, ἀπέχεσθαι περμύτων,*

A Illa vox Prophetæ est quæ ad Deum pervenit, quæ tacente Moyse, clamavit ad Dominum : qua etiam in orationibus suis Anna clamabat, cum oris sui labia non moveret ; et impetravit filium, quem ante diu non impetraverat, cum corporis voce clamasset. De hac voce dixit Dominus : *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum, qui est in abscondito : et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi (Matth. vi, 6). Quid est reddet ? Hoc est, quod deprecatus es, quod orasti. Sicut enim peccatores de manu Domini recipiunt peccata sua duplicia ; ita e contrario justis^a recipiunt cum affectu propria postulata. Audi quomodo recipiant. Ascendit oratio tua ad Deum, et descendit ad te. Unde et in psalmo legimus : *Et oratio mea in sinum meum convertetur (Psal. xxxiv, 13) ; ut fructum scilicet referat postulanti. Benedictus Dominus Deus Israel, qui tanta nobis aperuit mysteria : a sæculo, et in sæculum ; id est, ex infinito in infinitum : Fiat, fiat.**

C Nam qui natus est ex Virgine, ipse super omnes est. Et ideo neminem vereamur, qui Christum habemus ; quoniam si Christus pro nobis, quis contra nos ? Certemus ergo usque ad finem ; ut evacuatis omnibus, quæ adversus Jesum et Domini voluntatem in nostro ante corpore militabant, veræ exercitiis virtutis intenti, soli Deo nostro et Domino serviamus. Hic enim finis, ut scriptum est : *Primitiæ Christus deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri ; cum evacuaverit omnem Principatum et Potestatem et Virtutem ut mors novissima destruat (I Cor. xv, 23 et seq.), et incipiamus Deo esse subjecti, regnum in nobis cœlestes servantes, ubi erat ante colluvio peccatorum.*

D 2. Merito ergo : *In finem filiis Core intellectus,* psalmus inscribitur ; ut in eo cognoscendo non vulgaris auditus, sed intellectus spiritualis operetur. Denique Aquila *psalmum disciplinæ* posuit. Et ideo tibi dicit Scriptura : *Da in disciplinam cor tuum ; aures autem tuas præpara sermonibus intellectus (Prov. xxiii, 12). Et alibi : Dilige sapientiam et disciplinam (Prov. i, 3). Sapientia est quæ sensus scaturit : disciplina in habitudinem quamdam naturæ coalita forma virtutum, et mentis^c confirmata sententia scientiæ disciplinis.*

γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην ἐν ὧρα τεταγμένη, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον, etc. Non dissimilia reperies apud Arrianum lib. iii, quibus addas licet quæ Horatius lib. de Arte poetica in hanc rem scribit.

^b Substantia spiritualium nequitiarum cœlestis hic dicitur per oppositionem cum humana, quæ terrena est ; ista siquidem fuerat in cœlo creata, unde cecidit.

^c Quinque Gall, cod., *confirmata sententia. Scientia est disciplinis intelligere etiam obscurum sermonem ;*

Intelligere quoque obscurum sermonem atque dictio-
num prudentiam et ænigmata Proverbiorum Scrip-
tura nos docuit (*Ibid.*), cujus auctoritate colligimus
has prudentiæ principales **886** esse virtutes; eo
quod sapientia semper quasi mater fecunda partu-
riat, disciplina quasi severior magistra dstringat,
intellectus quasi diligens quæsitior inveniat, et ve-
ram justitiam, iudiciumque rimetur.

5. Doceamus hæc sacræ testimoniis lectionis. Sa-
pientia dicit: *Ego quasi fons a paradiso, dixi: Rigabo
meum hortum . . . et adhuc doctrinam quasi prophe-
tiam effundam (Eccli. xxiv, 41, 42 et 46).* ^a Nam ge-
nerationes suas menti hominis, bonos videlicet sen-
sus, quasi pia mater infundit. Accipe etiam testimo-
nia disciplinæ: *Fili, ne neglexeris disciplinam Dei,
nec defeceris ab eo correptus (Prov. iii, 11 et 12);* **B**
quoniam enim diligit Deus, corripit. Severa quidem in
corripiendo, sed dulcis in corrigendo est disciplina;
ne flitemus et vagemur errantes, sed recipiamur a
Christo. Disciplina enim non examinata vagatur, ut
scriptum est. Sed pro conservatione hic posuit dis-
ciplinam. Tamen sicut sapientia, ita et disciplina, et
perfecta et imperfecta eodem nomine nuncupatur:
sed ubi sine adiectione, vel disciplina vel sapientia
nuncupantur, definitionem perfectionis accipiunt.
Inexaminata ergo fluitat disciplina, sed examinata
non fluitat. De intellectu quoque eadem Scriptura
definit, quia *intellectus bonus est omnibus qui eum fa-
ciunt (Psal. cx, 10)*: intellectus autem cum in se et
sapientiæ gratiam habeat, et ordinem disciplinæ;
utique docemur quod et sapientia et disciplina bonæ **C**
sint eis, qui earum instituta suis ministeriis exe-
quuntur. Diximus de titulo, psalmum adoriamur.

4. (Vers. 2.) *Deus auribus nostris audivimus*; sic
Symmachus: Theodotion, *in auribus nostris dixit*;
sicut et Septuaginta viri. Quid est quod ait, *auribus
nostris*? Quod si non satis esset, *audivimus*, certe si
hoc placuerat: *Auribus audivimus*, plenum erat. Cum
ergo additum est, *nostris*, quid sibi hoc vult; nisi
ut intelligas illa esse nostra, quæ mentis sunt; et ea
esse meliora, quam quæ istius corporis? Et ideo
quasi de alio dicit hic ipse Propheta: *Non timebo
quid faciat mihi caro (Psal. lv, 5)*. Et alibi: *Voce mea
ad Dominum clamavi, et vox mea ad Deum, et respexit
me (Psal. lxxvi, 2)*. Illa vox mea, quæ auditur a
Christo, non quæ resultat in publico. Non vult igitur **D**
suum esse, quod corruptibile atque terrenum
est, qui ad imaginem Dei et similitudinem meminit
se creatum. Denique Scriptura nos edocet, prius
ad imaginem Dei hominem esse formatum (*Gen. 1,
27*), postea de luto factum (*Gen. 2, 7*). Quasi supe-
rior ergo (superior enim qui antiquior) et guberna-
tor et rector hujus corporis animæ vigor dicit: *Au-
ribus nostris audivimus*. Quis iste est, nisi cui dicitur:
etc. Reliqui mss. et cunctæ edit. ut in textu; nisi
quod Rom. ex LXX interp. reposuit, *dictiones pru-
dentia*, ubi cæteræ atque mss. *dictionum pruden-
tiam*. Adverte autem *dictiones*, interdum (et forte
hoc ipso loco) idem sonare, ac oracula; ut docet

A *Qui habet aures audiendi, audiat (Luc. viii, 8)*? Sunt
enim **887** qui aures habent, et audire mysteria non
possunt, de quibus dicit Jesus in revelatione Joan-
nis: *Foras canes et veneficos et impudicos (Apoc. xxii,
15)*; quibus flagitiorum cupiditas, et ærugo pecuniæ
aurem obstruit audiendi. Consideremus igitur quæ au-
disse se dicant, vel a quibus audivisse commemorent.

5. *Et patres, inquit, nostri annuntiaverunt nobis.*
Qui sunt isti patres nostri? Titulus habet quia psal-
mus filiis Core scriptus sit; ut ab ipsis canatur, qui
psallendi munus receperant, et in hujusmodi offi-
cium fuerant deputati. Core autem et Dathan et
Abiron cum aliis qui adversum Moysen et Aaron in-
surrexerant studio contumaci, terræ hiatu in de-
serto vorati sunt et necati. Quibus mortuis, qui alii
patres eorum filiis mirabilia opera Domini annun-
tiare potuerunt? In malevolam enim animam non
ingreditur sapientia. Si sui ergo patres non annun-
tiaverunt filiis, alieni multo minus, qui declinarunt
sobolem perfidorum. Qui sunt itaque isti patres?
Vide ne illi, de quibus dictum est: *Interroga pa-
trem tuum, ipse tibi dicet (Deut. xxxii, 7)*. Interroga
quando legis Paulum: vel si non legis, et movet te
aliquid, in ipso require. Ipse est enim bonus pater,
qui potest docere et formare in nobis Dominum Je-
sum; sicut ipse testatus est dicens: *Filioli mei, quos
ego parturio; donec formetur Christus in vobis (Galat.
iv, 19)*. Ostendit tibi hos patres Evangelista Joannes,
qui ait: *Dico vobis, patres, qui cognovistis eum qui est
ab initio (I Joan. ii, 13)*. Isti sunt patres, quorum **C**
senectus vita immaculata est. Ideo in conventu se-
niorum appone digitum ori tuo; ut audias quod tibi
prosit, et vitæ æternæ sacramenta cognoscas: ne
interstrepas insolens tiro doctoribus; et qui adhuc
discere debeas, ^b dicere præsumas. Quid igitur isti
patres annuntiaverint Core filiis audiamus.

6. *Opus, inquit, quod operatus es in diebus anti-
quis.* Qui sint isti dies in quibus Deus magna et
mirabilia operatus sit, requiramus. Et docet nos
Scriptura esse aliquos præclaros dies in quibus re-
fulserint facta divina; cum lectum sit, quia *sol in
tenebras convertetur, et luna in sanguinem, priusquam
veniat dies Domini magnus et illustris. Et erit, qui-
cumque invocaverit nomen Domini, salvus erit (Joel
ii, 31 et 32)*. In ipso enim die Christus hominibus
resurrexit, et ideo specialiter de ipso dictum est:
*Hic est dies quem fecit Dominus: exsulemus et læte-
mur in eo (Psal. cxvii, 24)*. Cum igitur omnes dies
Deus fecerit, huic tamen diei præ cæteris divini
operis prærogativa delata est, quo peccatum omne
sublatum est. Dies autem alii peccatorum sunt. Hic
ergo est dies quem illuminavit sol ille justitiæ. Nam
et ipsa ortus suos et occasus habere consuevit. Unde
et scriptum est: *Orietur in diebus ejus justitia (Psal.*

illud e Pacuvii fragmentis:

Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet.

^a Rom. edit. sola, *Nam cogitationes suas menti
hominis, etc.*

^b Rom. edit. *docere præsumas.*

LXXI, 7). Sunt ergo dies Christi quibus orta justitia est: sunt dies Christi quibus orta est pacis abundantia; sunt dies Christi quibus orta sapientia est. Audi quomodo exoriatur sapientia: *Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (I Cor. III, 18). Et ideo dicit Sapientia, quæ stulta istius mundi elegit: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua* (Prov. VIII, 22). Sicut enim in diebus Oziæ regis, et in diebus Nabuchodonosor exorta perfidia est, dominata captivitas; sic in diebus Domini Jesu exorta est fides, quæ splendorem suæ claritatis et luminis toto orbe diffundit. Qui enim meliores **888** dies, quam quibus refulsit nobis visio Dei; sicut dixit Jacob? Sic enim scriptum est: *Vidi Deum facie ad faciem; et salva facta est anima mea. Et continuo exortus est ei sol* (Gen. XXXII, 30 et 31). Quis iste sol, nisi qui dies fecit fulgere justitiæ, quibus in terra natus est Christus ex Virgine? In specie vidit Jacob, et Deum vidisse se dixit: in veritate viderunt Judæi, et non crediderunt. Ideo illis breviati sunt dies, nobis illuminati; quoniam illis deficiebat dies, nobis appropinquabat. Unde Judaicam sanctus David refugiens cæcitatem ait: *Ne deducas me in dimidium dierum meorum* (Psal. CI, 25). Sic enim dies Domini magnus et illustris est, utique non prolixitate temporis, sed justitiæ vel gratiæ claritate. Ergo sunt dimidii dies, quibus breviantur dies impietatis caliginæ, et squalore perfidiæ, quibus *occidit sol super prophetas* (Mich. III, 6), sicut scriptum est. Namque ut justis oritur sol justitiæ; sic occidit infidelibus.

7. Sed occurrit illud quia dicit Dominus: *Propter electos breviabuntur dies* (Matth. XXIV, 22). Et videtur contrarium, nisi diligenter advertas, et superiora repetas; dicit enim Dominus: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (Ibid., 23 et 24). Et ideo ne decipiantur electi, admonet Dominus quid sequendum sit; ut non falsorum prophetarum sermone capiamur, neque nos eorum aliqua prodigiosa facta decipiant: sed tunc credamus Christum esse venturum, cum dies pleni justitiæ cœperint refulgere. Christus enim pleno majestatis suæ lumine revelabitur; et sicut fulgur exit ab oriente, et toto lumen suum usque in Occidentem orbe diffundit: sic et Filius hominis cum suis angelis veniens illuminabit hunc mundum; ut credat omnis homo, et salva fiat omnis caro. Non ergo credamus Antichristo, de quo dicent falsi prophetae: *Hic est Christus; dies enim perfidiæ, erunt Antichristi dies. Non credamus iis qui dicent: Christus in deserto, Christus in penetralibus; jam enim omnia plena sunt Christi, ubi appropinquare cœperit Christus. Sed cum viderimus facta quæ Christus in Evangelio suo ante prædixit, tunc credamus*

A ejus adventum; ne dum verum quærimus lumen, infidelitatis tenebras incidamus.

8. Cavenda ergo signa perfidiæ, quibus breviantur dies atque minuuntur. Sol enim obscurabitur, stellæ cadent, hoc est, justii Dei; sunt enim qui fulgeant sicut stellæ in cœlo. Cum hæc videris, crede adhuc tardare Christum; ubi enim Christus, ibi fides clarior: ubi Antichristus, ibi dies dimidii; de quibus utique non quereretur David propheta, si ad temporis brevitatem videretur esse referendum; cum ipse alibi dixerit: *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est* (Psal. CXIX, 5)! Quomodo enim aut illum dilatum incolatum cœlestem, aut hunc terrenum comperendinatum doleret, qui ante poposcerat, ne in dimidium dierum suorum deduceretur; cum dierum brevitatis celerandi cursus istius compendium videretur afferre? Unde colligitur et illud quod ait: *Honora patrem et matrem, ut longævus sis super terram* (Exod. XX, 12); quomodo intelligere debeamus. Multi enim qui honorant, cito sæpe rapiuntur, ut immatura ætate **889** moriantur: multi etiam qui minus deferunt parentibus suis, longævæ fruuntur stipendiis senectutis; et nisi longævitatē illam vitæ accipiamus æternæ, invenitur Scriptura destitui subsidio veritatis. Unde Græcus expressius dixit: *Ut sis multorum dierum*; hoc est, *πολλήμερος*. Quicumque enim cultus pius sedulo servat officio, a tenebris noctis alienus, in dierum luce versatur. Et ideo qui legit Deuteronomium: *Leget, inquit, illud omnibus diebus vitæ suæ* (Deut. XVII, 19); non utique noctibus, sed diebus; quia dies fulget legenti mysteria veritatis, et divinæ pietatis oracula. Consideremus sequentia.

9. (Vers. 3.) *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos: afflixisti populos, et expulisti eos*. Scimus quidem quod multas gentes eradicaverit Dominus et everterit; ut possessionem sibi Judæorum populus inveniret, quarum gentium terras Abrahamæ semini daturum se Dominus declaravit: sed cum psalmus iste Evangelium Domini, et tempora adventus ejus annuntiet, non mihi videtur quæ superius a Judæis gesta sunt, recensere; sed quæ futura, signare: quemadmodum crediturus esset populus nationum. Confirmat igitur fidem Ecclesiæ, antequam nuntiet, et victorias pietatis ejus enumerat: quæ non in brachio, neque in gladio suo feras expulit gentes, et non certamine bellico turmas fugavit hostiles; sed mansuetudine ac fide terras inimicorum sine ullo cruore possedit; fides enim sola pugnavit. Et ideo triumphos meruit, quos non revocaret perfidia, sed auget; quia persecutionibus suis non vincitur Ecclesia Domini, sed probatur. Quæ sunt igitur istæ gentes quas vicerit Ecclesia, cognoscamus. Vetera dico vocabula, sed mysteria nova. Chanaanæi sunt, Chethæi, et Amorrhæi, Pherezæi, ^a vel Cerethæi, quorum infra vocabula digeremus. Hæc autem populorum sunt nomina; sed et passionum infirmitates, et

^a Rom. edit. ex Vat. cod., et cæteri. Aliæ cum omnibus mss. et Cerethæi. Eorum crebra fit mentio

humanorum incentiva et opprobria peccatorum. Quod primum est igitur, homo in Christo ipse se domuit, et ipse se vicit; ut sibi viveret. Sibi enim vivit, qui Deo vivit; ut vitam Christi vivat æternam. Non ergo pugnavit militaribus armis, et ferreis telis populus Ecclesiæ; sicut pugnavit populus Judæorum. Ille in figura pugnavit, nos pugnamus in spiritu: ille adversum alienigenas pugnavit, nos ipsi bellum habemus in nobis; et ideo prius nobis vincendæ sunt proprii corporis passiones.

10. Audi pugnantem apostolum Paulum adversus gentem Chananæorum: *Video, inquit, legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati* (Rom. vii, 23). Nunc se erigit caro nostra, nunc dejicit. Erigit menti, dejicit potestati: et ubi se urgeri viderit, constantiam deserit, et ad subjectionem parata ducitur in legem peccati; ut fidem deserat, perfidiæ succumbat; ^a et Chettæ infirmitatis in ditioe destituta **890** vero, cedat mendacio, serviat crimini, acquiescat errori; et tamquam Amorrhæus loquatur amara pro dulcibus. Fides enim dulcis, amara perfidia est. Unde præclare Petrus quid fides esset, expressit dicens: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et nos credimus* (Joan. vi, 69 et 70); quomodo igitur jubes ut discedamus a te? Captus enim cœlestium suavitate verborum, discedere volebat a Christo. Qui autem negat Christum, ipse se separat ^b vel separatur a Christo. Sed neque versuta Amorrhæorum disputatio, quæ per philosophiam nonnullos a veritate transducit: neque Jebusæorum turpis ab-
 C
 jectio, quæ se subjicit atque substernit cursum currentibus sæcularem, qui non potest esse perpetuus; sed in portis deficit mortis, de quibus exaltatum David propheta se gaudet (Psal. ix, 15): neque Cinnæus, qui per suam pecuniam possidetur; sicut insatiabili avarus affectu: neque Cenezæus, qui putat in divitiis possessionem esse perpetuam, et vanam spem constituit in caducis, atque inani opinione se jactat: neque Raphaim, qui profitetur aliis se ferre medicinam, cum vulnera sua curare non possit; et ideo si quis ad hujusmodi medicum confugerit, necesse est prius patrimonium suum omne consumat, quam profectum sanitatis accipiat; sicut illa mulier in Evangelio (Luc. viii, 43 et 44) quæ per duodecim annos fluentem sanguinem corporalium voluptatum
 D
 statuere non potuit, nisi posteaquam confugit ad Christum. Intellexit enim quod nemo perfectus medicus; nisi qui descendisset e cœlo, de quo cognoverat dictum: *Misit verbum suum, et sanavit eos*

(Psal. cvi, 20); et advertit de ipso dictum: *Ecce dedi verba mea in os tuum, et constitui te hodie super gentes et regna, eradicare, et destruere, et perdere, et ædificare, et plantare* (Jerem. i, 9 et 10). Nam licet frequenter Deus locutus sit in prophetis; in quo tamen expressius, quam in suo locutus est Filio, qui virtutem omnem exprimens Patris ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* (Joan. vii, 16)? Non ergo Hieremias, qui tempore captivitatis suscepit exilium; sed Dominus Jesus suis verbis eradicavit ex intimis pectoribus vitia gentilium, perfidiam nationum, et versutarum cogitationum prava commenta destruxit, atque omnia vestigia iniquitatis abolevit. Deinde infudit postea fidem, et continentiam disciplinam; ne tamquam in vase corrupto confusione vitiorum coalescerent sacramenta virtutum.

11. Unde pulchre tibi Apostolus dicit: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen* (Rom. v, 1). Quid est Moyses, nisi Lex; quoniam ipse interpret est Legis: finis autem Legis Christus Jesus? Regnavit ergo peccatum in hoc mundo, et in peccato mors sæva, atque intolerabilis quædam pœna peccati. Docuit quidem nos Moyses levare ad Dominum manus, pii cultus instituens disciplinam. Docuit quemadmodum ^c Amalech versutiloquus vinceretur; ut mores nostros et opera **891** levaremus ad Christum, sic destrui posse perfidiam: sin vero dejiceremus animam, inclinaremur affectum, et a continentiam studio averteremus ingenium, ut persuasio nos vana superaret; nullum remedium futurum, nisi Jesus depressa jam brachia Moysi, tamquam infirmitatem Legis attolleret, et sua misericordia sustineret. Sed infirmum adhuc fuisset Legis auxilium; nisi ipse Jesus venisset in terras, qui in se nostras susciperet infirmitates, quem solum nostra peccata grayare non possent, nec inclinare manus ejus: qui se inclinavit usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua expandens manus suas, totum orbem qui erat periturus, erexit: levavit jacentes, atque ad se omnium gentium fidem traxit, dicens homini: *Hodie tecum eris in paradiso* (Luc. xxiii, 43). Hoc est ergo disperdere atque plantare; ut vitiosa eradicentur, meliora plantentur in pectoribus singulorum. De quo præclare Moyses in Exodi cantico ait: *Inducens plantato eos in montem hæreditatis tuæ, in præparatum habitaculum*
 D
tuum (Exod. xv, 17); petens ut induceret Dominus populum suum in illa præcelsæ virtutis sapientiæque plantaria, ibique plantaretur in opera sua, et institueretur præceptorum cœlestium disciplinis, atque in eo præpararet sibi suæ sanctificationis habitacu-

in lib. Reg. quos eosdem esse ac Philisthæos tradit Lyran. lib. differentiarum.

^a Omnes edit. ac nonnulli mss., *Chettæ* (vel *Ethæ*) infirmitatis indicio. Reg. cum aliquot aliis, ... in ditioe. Quod videtur ad institutam allegoriam accommodatius.

^b Vel separatur, aberat ex omnibus edit. ac duobus mss. Sed in aliis quinque reperitur. Quod autem post vocem, *disputatio*, in cunct. edit. additur, *ejusmodi*; cum hæc nulli in mss. legatur, verisimile est adjectam fuisse, ut sensus utcumque compleretur.

Veruntamen etsi eam retinendam putes, nec sic locus videbitur adhuc sanatus. Arbitramur itaque illinc excidisse verba ista, *apostolos, aut fideles separat a Christo, vel his affinia, quæ deinceps in membris singulis subintelligenda.*

^c Omnes edit. in corpore, *Amalech versutia vinceretur*. Mss. aliquot, ac vet. edit. in marg.; *Amalech versuti locus vinceretur, lege, versutiloquus, etc.* Nam quod Vict. et Colb. habent, *versutiloquiis*, mendum est scribarum ignorantie imputandum.

lum : quod utique non hæreditario jure, nec nostrorum contemplatione meritorum ; sed pro sua gratia Dominus conferre dignatur. Quomodo enim, ubi remanere non potuimus, eo redire possemus ; nisi privilegio fulti redemptionis æternæ ?

12. (Vers. 4.) Et ideo pulchre dixit Propheta : *Quoniam non in gladio suo possederunt terram, et brachium suum non liberavit eos : sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui ; quoniam complacuit tibi in illis.* Quæ igitur terra est, quæ non brachio capiatur, non gladio possideatur ; nisi terra repromissionis, de qua hic ipse dixit Propheta : *Credo videre bona Domini in terra viventium (Psal. xxvi, 13) ?* Non immerito igitur ejus tam præclara possessio est, in qua non sæculi adversa dominantur, sed Domini bona æterna fructificant. Ideoque non gladio acquiritur, sed mansuetudine possidetur, sicut Dominus Jesus testificatus est dicens : *Beati mites ; ipsi enim possidebunt terram (Matth. v, 4).* Nemo ergo impacificus, nemo arrogans aut superbus ; sed mansuetus et humilis corde : qui nihil sibi arroget ; sed totum ad gratiam referat : non in sua fortitudine gloriatur, sed dextera Dei credat se esse protectum dicens : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me (Psal. cxvii, 16).* Gladio quoque Dei memoret se esse servatum, illuminatum quoque Dei vultu omnipotentis in quibus omnibus Christus est a protector, dextera, defensor, et gladius. Unde et Simeon dixit ad Mariam : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (Luc. ii, 35).* Gladius enim Dei verbum est, quod acutius omni gladio usque ad divisiones animæ cogitationesque pertransit ; ut nulla cognitionem ejus occulta prætereant. Vultus quoque paterni splendor est Christus ; et ideo dicit : *Qui me videt, videt et Patrem (Joan. xiv, 9) ;* quasi splendor gloriæ ejus, et imago substantiæ. Ad ipsum ergo omnia jure referenda sunt. Ipsi Moyses, ipsi Aaron, ipsi **892** etiam Patres sacrabant universa quæ gesserant ; ut de hostibus triumpharent. Neque enim in sua confidentia dixit Jesus Nave : *Stet sol contra Gabaon (Josue x, 12) ;* sed quia præsumebat in Christo, quem ducem militiæ cœlestis agnovit, et suppliciter adoravit : et ideo gentes feras eradicare promeruit, et populum Patrum in terram repromissionis inducere ; quia nihil suis operibus deputabat, credens indigna esse opera hominum tanta gloriæ remuneratione cœlestis : quam Dominus ex sua magis misericordia, quam pro nostrorum contemplatione factorum statuit in se credentibus conferendam. Unde et Abraham impigre Deo credidit ; ut apud eum justificationis gratiam reperiret, quam mercedem sui operis collocaret ; uberiora enim dona sunt largientis, quam merces operantis. Propterea et illi qui æqualitatem mercedis inviderat, respondit Dominus : *Si ego bonus ; oculus tuus quare nequam (Matth. xx, 15) ?* Patres ergo nostri, ut pote proximi et hæredes patriarcharum, plantati in terra repromissionis, non

A suis hoc meritis vindicabant. Ideo nec Moyses eos induxit, ne Legis hoc existimetur esse, sed gratiæ ; Lex enim merita examinat, gratia fidem spectat. Unde præclare Apostolus fidem patrum secutus ait : *Sed neque qui plantat, est quicquam, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus (I Cor. iii, 7).* Non enim Jesus Nave qui induxit, neque qui plantavit eos ; sed Deus qui incrementum populo dedit, habet gloriæ principatum.

13. Nec te moveat quia superius dixit : *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos (Psal. xliii, 3).* Hinc enim colligis quia non omnis qui plantat, aut qui rigat, incrementum dat : sed qui incrementum potest dare, potest ipse plantare ; sicut gentes plantasse dicitur Dominus. Ipse enim plantavit, qui plantationi donavit effectum ; in iis tamen qui per fidem Christi Domino placere meruerunt, cui soli a Patre dicitur Deo : *Filius meus tu es : in te complacui (Marc. i, 11).* Qui ergo participes Christi sunt, ab eo placendi gratiam consequuntur. Et pulchre ait : *Complacuit tibi in illis ;* ut distantia videatur jure servata. Recte enim Deus in Filio complacet ; quia æqualis est Patri, nec in ullo decolor invenitur, quia complacet divinæ jure naturæ, et unitate substantiæ. Et recte complacet in Filio Pater ; quia Pater honorificatur in Filio, sicut in Patre Filius. In nobis autem Deo complacuit ; quia nobis ipse donavit, ut ei placere possimus. Pie autem et hoc homini specialiter donatum, non arrogantius usurpatum Scriptura nos docuit. Decet enim ut in iis complaceat Deo, quos ad similitudinem suam fecit, et quos per imaginem suam voluit prærogativam gratiæ habere cœlestis. In imagine ergo sua Deus complacet : in iis autem qui secundum imaginem ipsius sunt, complacet Deo. In his autem suum munus, et suum donum ; quod tunc revelabitur, cum perfectum illud advenerit ; quia *cum apparuerit quid simus, similes ei erimus* ut scriptum est (I Joan. iii, 2).

14. (Vers. 5.) Ergo qui non in brachio suo, hoc est, in sua operatione præsumit, sed in Dei gratia ; credens quod non facta sua unumquemque justificant, sed fides prompta, dicit Domino : *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* **893** Non perfunctorius sermo est, ut dicas : *Tu es ipse Rex meus.* Non quicumque hoc dicit, sed in quo Dei regnum est : in quo autem regnat Deus, utique in eo peccata non regnant ; non enim Deo regnum est commune cum crimine. Quis autem dicit Deum suum, nisi qui ipsi exhibet plenum reverentiæ et pietatis affectum ? Justo enim dicitur : *Ego sum Deus tuus.* Denique et Thomas ubi tetigit manu propria latus Christi, et evidentiâ indicia indubitatæ resurrectionis invenit, respondit : *Dominus meus, et Deus meus (Joan. xx, 28).* Dominus, quia redemit servulos suos : Deus, quia non solum resurrexit, sed etiam ipse se suscitavit. Mandavit autem salutes Jacob ; quia in singulis oraculis salus est : in singulis quoque salus est man-

* Viet. Colb. ac vet. edit. in marg., protector, ut dextera : defensor, ut gladius.

sionibus : salus in ministeriis angelorum, qui ad A protectionem hominum deputantur. Ex mandato ergo Dei salus homini, non ex sua operatione confertur. Deus enim maluit ut salus homini fide potius, quam operibus quæreretur; ne quis gloriaretur in suis factis, et peccatum incurreret. Qui autem gloriatur in Domino, fructum pietatis acquirit, et jactantiæ crimen evadit.

15. (Vers. 6.) Hic igitur est qui potest dicere : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Quid est ventilare cornu? Dedit Dominus cornua pluribus animantibus, ut possint se a ferarum incursione defendere. Ideoque et bos leoni frequenter resistit, ursum proterit; cervus quoque, quamvis sit pavidus, tamen et ipse cornibus se tuetur: aries quoque arietat lupum. Ergo ea quæ cornua habent animalia, B ventilare dicuntur. Sed homo cornua non habet. Quomodo ergo ventilat? Unde? Vide Scriptura quid dicat: *In te, inquit, inimicos nostros ventilabimus cornu.* Cornu nostrum es tu, Domine Jesu; et ideo sicut non in brachio nostro præsumimus, ita nec in cornibus nostris ventilandi habemus præsidium, sed in Christo. Habet enim fides cornua sua, quæ mutuatur a Christo. Siquidem non otiose in benedictionibus Moysi legimus: *Qui visus est in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem ejus, glorificatus inter fratres suos primogenitus: tauri decus species ipsius, cornua unicorni cornua ipsius: in ipsis gentes ventilabit simul usque ad extremum terræ. Hæc decem millia Ephraem, et hæc millia Manasse (Deut. xxxiii, 16 et 17).* Quis est in rubo visus Moysi, nisi C primogenitus Dei Filius, qui ait: *Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob (Exod. iii, 6).* Ideo se demonstravit humanis aspectibus; quia venturus erat ut ab omnibus videretur. Ideo rubus urebatur, et non exurebatur; quia terram istam quæ nobis spinas germinabat et sentes, disponebat urere per continentiae disciplinam, a quam consumere per mortis ærumnam. Unde dicit Propheta: *Ure renes meos, et cor meum (Psal. xxv, 2).* Revelavit ergo futurum quoddam corporei splendoris indicium, quo per resurrectionem caro ista fulgeret. Quid enim significabat ignis innoxius, nisi lumina resurgentium? Unde præsumpsit Apostolus dicere, quia *sicut stella a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum (I Cor. xv, 41 et 42).* Hic ergo, inquit, veniat super caput **894** tribus Joseph; ut exaltet caput populi sui: veniat etiam super verticem; ut verticem capilli perambulet, amputaturus superflua delictorum, sanctificaturus ornamenta virtutum.

16. Illic est glorificatus inter fratres suos; sicut ipse dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis (Psal. xxi, 25).* Quæ major est gloria, b quam pectoribus

nationum cognitionem divinitatis infundere? Quem in visione vidit Joseph, quod manipulum ejus adorarent fratrum manipuli, adoraret eum sol et luna cum stellis. Manipulus ille in figura carnis accipitur; omnis enim caro fenum. Fenum hoc nostrum suscepit; ut suum triticum germinaret, et fructum resurrectionis afferret. Quæris testimonium? Audi de se dicentem: *Nisi granum tritici cadens in terram moriatur, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum afferet (Joan. xii, 24).* Denique ut scias quia de Dei Filio dicit Moyses, ait: *Glorificatus inter fratres suos primogenitus (Deut. xxxiii, 17).* Utique non Joseph erat primogenitus inter filios Jacob, sed Ruben; nam Joseph post plurimos erat. Sed primogenitus dicitur, qui venturus erat, ut nationum populos congregaret.

17. Unde pulchre ait Scriptura: *Tauri decus ejus (Ibid.).* Sicut enim taurus ducit armentum; ita Christus plebem gentium duxit ad Ecclesiam, induxit ad pascua; ut posset dicere: *In loco pascuæ ibi me collocavit: super aquam refectiois constituit me (Psal. xxii, 2 et 3).* c Hujus tauri decorem pro captu nostræ fragilitatis armenta secuta sunt præcedentem; ut vitam adipiscerentur æternam. Mugivit hic taurus, et mors refugit. Leo rugit, et quis non timet? Vere maxima taurus victima; ut ab adversariis assumamus testimonia (*Virg. lib. ii Georg.*). Quæ major enim victima, quam quæ mundi totius peccatum suo cruore mundavit? Audi quia ipsum taurum dicit etiam sanctus propheta Jacob; cum revelaret Domini passionem, quem Judæi postea persecuti sunt. *In furore, inquit, suo subnervaverunt taurum (Gen. xlix, 6).* Et ut aperiret quia de Judæis dicebat, addidit: *Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel (Ibid., 7).* Hic est homo qui luctatus est cum Jacob, et femur ejus tetigit, quo tactu Patriarchæ nervus obstupuit: significans ex ejus successione secundum carnem se esse venturum, qui subnervandus esset a populo Judæorum in sui corporis passione. Quod non intelligentes mysterium, statuerunt ne nervum manducarent filii Israel. Et ideo sacri sanguinis se redemptione fraudarunt, salutiferæ quoque passionis se beneficiis abdicarunt, ne vitam mereantur æternam; quia scriptum est: *Nisi manducaveritis carnem filii Hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis in vobis ipsis vitam. Qui autem manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habebit vitam æternam (Joan. vi, 54 et 55).* Accipe aliud. Quid est nervus, nisi quo corpus omne constringitur? Corpus Christi Ecclesia est, quæ vinculo stringitur charitatis. Quid aliud in Christo Judæi, nisi charitatis vinculum omne solverunt? Merito Petrus sacerdos eligitur; qui spiritu charitatis divinæ triplici se ligavit.

a Edit. Rom., non consumere. Sed in aliarum ac mss. lectione nihil mutandum. Est enim hic ellipsis adverbii magis, vel potius: quæ figura minime insolens apud Ambrosium.

b Cod. Vict. et Colb. ac edit. omnes, quam peccatoribus nationum. Alii mss. ut in textu.

c Edit. vet. ac Rom. cum mss. Vict. et Colb., hujus tauri decore perpetuo capta nostræ fragilitatis armenta, etc. Paris. quædam, hujus tauri decore pro captu, etc. His cod. Reg. et alii quatuor proxime accedentes nobiscum faciunt.

17. Accipe adhuc quia ipsum significavit Moyses. **895** Adjecit : *Cornua unicornui, cornua ipsius : in ipsis gentes ventilabit (Deut. xxxiii, 17)*. Sed noli timere quia ventilat ; dixit enim : *Percutiam et sanabo (Deut. xxxii, 59)*. Bona cornua, quibus inclusit orbem terrarum : bona cornua, quibus leonem illum nostrum adversarium ventilavit : bona cornua, quibus fecit ut cornua adversarii timere nequeamus ; quia et satanas habet cornua sua, sicut testificatus est Daniel dicens : *Videbam et cornu illud, quod faciebat pugnam cum sanctis : et inualescebat eis, donec venit Antiquus dierum (Dan. vii, 21 et 22)*. Ille est Antiquus dierum. Quis autem unicornuus, nisi unigenitus Dei Filius, et unicum Dei Verbum, quod erat in principio apud Patrem ? Quod Verbum suis cornibus gentium populos mortificavit, et vivificavit ; ut fierent in decem millia Ephraem usque ad terminos terræ, et usque in millia Manassen : eo quod crediturus esset in eum populus nationum, qui totum replet orbem terrarum, crediturus esset postea etiam populus Judæorum, ex oblivione conversus ad gratiam. Oblitus est enim salutem suam, qui tam sero converteretur ad Christum. Ideo Saul in millibus, David in decem millibus ; quia durus in paucis, mansuetus in pluribus.

18. Neque tamen abnuo, si quis quasi ad Joseph dictum putat : *Primogenitus tauri decus ejus (Deut. xxxiii, 17)* ; et sic distinguendum putat, quia dedit et sanctis suis cornua : *Exaltavit enim cornu populi sui (Psal. cxlvi, 14)*. Et Anna mater prophetæ Samuel dicit : *Exsultavit cor meum in Domino : et exaltatum est cornu meum in Deo meo (I Reg. ii, 1)*. Habuit utique et Joseph in Domino cornua spiritalia. Accipiatur itaque Joseph, dummodo in ipso figura sit Christi, cui dicitur : *Joseph filius meus amplificatus, filius meus junior, ad me revertere (Gen. xlix, 22)*. Neque enim Joseph ad Jacob revertitur ; sed Christus a mortuis resuscitatus ad Patrem Deum revertitur ; ut scriptum est : *A summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (Psal. xviii, 7)*. Esto tamen, ut de Joseph accipiatur *Revertere ad me* ; quia populus revertitur in terram Chananæorum, in quibus ante habitaverant patriarchæ. Unde dicit Isaac ad Jacob : *Non accipies uxorem a filiabus Chananæorum (Gen. xxviii, 1)* ; et mittit eum in Mesopotamiam, ut ibi sibi conjugem reperiret. Numquid ei insidiati sunt domini sagittarum ? Numquid ipse propter benedictionem uteri materni in toto orbe benedictus est, et non Dominus Jesus, quem Virgo generavit ? Et ideo non solum supra homines, sed etiam supra angelos et archangelos, et supra omnem sublimitatem caelestium benedictus est potestatum ; sicut Scriptura testatur dicens : *Benedictus qui venit in nomine Domini : Deus Dominus, et illuxit nobis*

^a Quidam mss., a filiabus Chananæorum.

^b Ut ostendatur benedictio tribui Joseph a Moyse impertita, de Christo potissimum intelligi debere, hic afferuntur quædam ex verbis iis quibus Jacob moriens Joseph filio bene precatus est : quæ tamen

A (*Psal. cxvii, 26 et 27*) : Dominus enim Deus ipse est Rex regum, et Dominus dominantium in his quæ habentur in caelis. Propter hæc cornua Domini Jesu, et David in voce tubæ corneæ canens (*Psal. xcvi, 6*), auditus a Christo est : et Moyses docuit (*Num. x, 10*) sacrificiorum ritus tubæ sonitu esse celebrandos ; sicut et scriptum est : *Canite in initio mensis tuba (Psal. lxxx, 4)*. Cui hoc, nisi nobis scriptum est ? Menses enim ab initio lunæ veteres observare consueverant. Luna autem Ecclesia est, quæ spiritalibus et Evangelicis prædicationibus **896** in abundantia pacis, ut Propheta dixit (*Psal. lxxi, 7*), extollitur. In Christo ergo cornu ventilabimus inimicos nostros.

19. *Et in nomine ejus spernemus insurgentes in nos.* Quid est nomen nisi quo proprie unusquisque significatur, quod ei non sit commune cum cæteris ? **B** Homo enim commune vocabulum est ; nisi addas qui vocetur, non potest declarari. Nomen ergo proprietatis uniuscujusque est, quo possit intelligi. Unde arbitror quod et Moyses volens proprium Dei, et aliquid de eo speciale cognoscere, quod non esset commune cum caelestibus potestatibus, interrogavit : *Quod est nomen tuum (Exod. iii, 13)* ? Denique cognoscens mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium ; hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens : *Ego sum qui sum (Ibid., 14)* ; quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse. Quia ergo negant Christum coæternum Patri, videant quia Deum negant, cujus est semper esse, nec aliquando non fuisse. Hac ergo cognitione proprietatis divinæ **C** Moyses insurgentes in se volebat spernere : vel, ut Aquila, aut Symmachus dixerunt, calcare resistentes sibi tamquam serpentes et scorpiones : quos etiam Dominus dicit in Evangelio (*Luc. x, 19*) esse spiritalibus vestigiis proterendos ; ut viam nostram impedire non possint, quæ ducit ad secreta paradisi. Habemus ergo in nobis studium divinæ cognitionis : habemus Dei Verbum, quod est nomen Patris. Hæc vere proprietatis Dei, quia Pater Christi est : et ideo in nomine Patris venit, qui venit ut Patris faceret voluntatem. Et ideo ait : *In nomine Patris veni, et non me suscepistis : si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis (Joan. v, 4)* ; significans Judæos in Antichristum credituros, qui in Christum credere noluerunt. Ergo qui in Christum credit, non in arcu suo, nec in gladio suo sperat ; sed in nomine ejus **D** spem victoriæ locat.

20. (*Vers. 7.*) Et ideo ait : *Non enim in arcu meo sperabo : et gladius meus non salvabit me.* Sed si in arcu sperandum est, in Dei certe arcu sperandum est quem posuit in nube ; ut a diluvio genus humanum timere desineret. Isto arcu nos protegit, quo arcu et jaculatur sagittas, quibus percutiat inimicos et adversarios nostros.

constat proprie Christo convenire. Fit igitur allusio ad illud Gen. xlix, 23 : *Εἰς ὃν διαβουλεύομενοι ἐλοιδοροῦν, καὶ ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων.* Et infra quoque 25 : *Εἶνεκεν εὐλογίας πατρῶν καὶ μητρῶν,* etc. Vide cap. 11 lib. de *Benedict. Patriarcharum.*

21. (Vers. 8, 9.) Unde et ait: *Liberasti enim nos ex affligentibus nos: et eos qui oderunt nos, confundisti. In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in sæcula.* Audi quomodo nos liberet; quia sagittis quas jaculatur e cœlo, terræ nostræ interiora penetrantur; ut motus omnis terrenus intereat et quiescat, sicut in posterioribus ait: *De cœlo jaculatus es judicium: terra tremuit, et quievit (Psal. lxxv, 9).* Sic igitur liberamur, dum confunduntur inimicæ et adversariæ potestates; vel sapientia carnis istius retusa cœlestibus imperatis, in suis criminibus erubescit, et flagitiorum suorum pudore confunditur: adulter in libidinis suæ flammis, et vesani amoris incendio: avarus in immodicæ cupiditatis ardore, qui aliena rapiendo, quo plura invaserit, eo majora desiderat: ebriosus in temulentia, facinorosus in scelere, qui et hic confunduntur **897** gravissime: sed multo amplius confundentur; cum viderint sanctos Domini resurgentes et Evangelicum illud impleri, quod ait Dominus: *Multi dormientium in terræ monumentis resurgent: isti in vitam æternam, et hi in opprobrium et perpetuam confusionem (Joan. v, 28 et 29).*

22. Cum cœperint ergo illi resuscitari in confusionem perpetuam, sanctus Domini dicit: *In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in sæcula.* Opulentus in divitiis laudatur, luxuriosus in conviviis, scortator in nocte, potens in hac vita quæ habet noctes: sanctus autem non in hac vita, sed in Deo laudabitur; qui Domino per omnia placere gessit, qui potest dicere: *Fortitudo et laudatio mea Dominus (Psal. cxvii, 14).* Laudabitur tota die; quia honeste egit, et opera sua non abscondit et crimina, sed regi patefecit æterno, in die ambulans, non in tenebris et occultis. Unde et Apostolus: *Sicut in die honeste ambulemus (Rom. xiii, 13);* hoc est, non in ganeis atque gurgustis, non in cubilibus et impudicitis, in quibus flagitiosus se putat parietibus esse tectum, ut possit Dei scientiam præterire; cum invelata apud Deum universorum flagitia sint, et occulta divinæ cognitioni peccata hominum esse non possint. Ergo sanctus laudabitur in futurum; quia non quæsivit præsentium laudem, sed gratiam futurorum.

23. Vide tamen distantiam. Hic dum est, in Domino gloriatur: illic in Domino laudabitur, et pro brevi tempore mercedem æternitatis accipiet. Aquila tamen posuit: *In Domino gloriabimur tota die.* Symmachus ait: *Deo hymnum dicemus per omnem diem.* Concordat omnium sensus, ut non desinamus circa Dei laudes, sive ^a hymnum dicendo, sive divinam per omnia momenta gloriam concinendo. Qui enim hymnum dicit, puro corde et spiritaliter dicit, et omne genus passionis excludit humanæ; ut nullo

moerore, nullius doloris acerbitate impediatur ejus officium, exasperetur ejus affectus: sed hymnum Deo dicendo, immobilis atque irrevocabilis perseveret; sicut ipse David qui ait: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo (Psal. xxxiii, 2);* sicut Job, qui amissis filiis, interemptis omnibus suis, direptis facultatibus, ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit... sit nomen Domini benedictum (Job. i, 21).*

24. (Vers. 10.) *Nunc autem repulisti et confundisti nos. Et non progredieris Deus in virtutibus nostris.* Cum ipse sanctus David alio loco dixerit: *Quia non repellet Dominus plebem suam (Psal. xciii, 14);* quomodo hoc loco ait: *Repulisti nos;* præsertim cum hæc de plebe dicat, cui non mediocria insignia propriæ virtutis enumeret? Neque enim mediocre est dicere quod tempestates et variæ tentationes super se venerint, et obliti non sint Dominum Deum suum, et inique non egerint in Testamentum ejus (*Infra vers. 19*), et cætera quæ sequuntur: Unde etiam, Apostolus sanctus interpretatur (*Rom. x*), et dicit quod eo usque non repulerit plebem suam Dominus, ut posuerit loquentem eum: *Tota die expandi manus meas ad plebem non credentem, et contradicentem (Esai. lxxv, 2).* Cujus sermonis auctoritate subnixus ait: *Dico igitur: 898 Numquid repulit Deus hereditatem suam? Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin (Rom. xi, 1).* Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. Sed potest hoc loco dici quoniam ideo non repulit plebem, quia reliquæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Et videtur in paucis non repulisse quidem populum; tametsi non totum populum, sed ex eo plurimos repulisse. Unde addidit ponendo responsum Dei, ^b quod non solum in paucis servaverit plebem, sed etiam septem millia virorum sibi reliquerit, qui non curvaverunt genua ante Baal (*Ibid., 4*). Verum fuerit hoc dictum ab Apostolo secundum Evangelium; quoniam Dominus transierat ad gentes: responsi autem divini tempus referatur ad zelum adhuc fidei ferventem; quando etiam prophetarum gratia redundabat populo Judæorum. Unde si Eliæ tempore negavit Dominus a se plebem repulsam; multo magis tempore David, vel filiorum Core, quo adhuc fides electi populi prænitebat.

25. Tamen ut et ipsum sanctum David interrogemus, quomodo Dominus plebem suam non repulerit, colligamus. Nam cum sit Deus appropinquans, non elongans, sicut habet scriptura veteris Testamenti (*Jerem. xxiii, 23*); ^c utique qui appropiat, non repellit. Est enim misericordiæ divinæ, ut nulli causa sit mortis, et omnes putet esse redimendos. Sed vide ne ille repellatur, qui se elongat a Domino, sicut dicit David: *Quoniam ecce qui se elongant a te*

^a Hymnus ex Greg. Nyss. tract. 2 in Psal., cap. 3 est ἡ ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσιν ἡμῖν ἀγαθοῖς ἀνατιθεμένη τῷ Θεῷ εὐφημία. Sed nos de hoc alibi plura.

^b Mss. quinque Gall., quod non solum in paucis servaverit, qui non curvaverunt genua ante Baal: ve-

rum fuerit hoc, etc. Statuat prudens lector, num forte hæc lectio alii præferenda sit.

^c Codex. Reg., utique qui appropiat, ut nulli causa sit mortis, etc. Alii autem quatuor, utique, qui appropiat, sic appropiat, ut nulli, etc.

peribunt : perdidisti omnes qui fornicantur abs te (Psal. LXXII, 27). Quid est, abs te fornicantur? Quia turpitudinis suæ ludibriis te relinquunt, et a te recedunt, et a præceptis tuis devii sunt. Denique alibi habes scriptum : *Adulteros autem judicat Deus disperdens eos a se* (Hebr. XIII, 4). Repulisti ergo, hoc est, alienando abs te perdidisti eos. Ergo qui se a Domino separat, ipse a Domino separatur : et qui non cognoscit Dominum, a Domino non cognoscitur : et qui ignorat, ignoratur; sicut ipse Dominus dixit : *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis, nescio vos* (Matth. VII, 25). Non enim scire dignatur iniquitatis ministros et iniquitatis auctores. Peccator ergo non repellitur; quia ipse se repellit. Hoc igitur genere dicit : *Nunc autem repulisti et confudisti nos.*

26. Quomodo tamen repellat Deus, qui sequitur B versiculus exponit. *Quia non progredieris*; inquit, *Deus in virtutibus nostris.* Deus quando non adjuvat, repellere videtur. Unusquisque enim qui adjumenta non sentit divinitatis sibi opitulatione conferri, repulsum se putat atque desertum. Quid est autem quod ait : *Non progredieris, Deus?* Et quid sibi vult quod Deus interdum aut progredi dicitur, aut egredi, aut exurgere, aut descendere? Non enim corporaliter Deus movetur, aut de aliquo loco exit, aut ad alterum transit, qui supra omnia est : aut vere exurgit, quasi in aliquo jaceat cubili, vel in aliqua sede corporaliter sedeat; sed hæc dicuntur, ut tu intelligas quando et ad quem egredi dicatur, et ad quem exurgere. Legimus enim in hoc ipso psalmo : *Exsurge, quare obdormis, Domine* (Infra, vers. 25)? Et C considerandum ne quando **899** nostris improbabilibus actibus obdormire videatur; ut in Evangelio legimus, cum adhuc imperfecti essent apostoli, quod his Jesus Christus dormiebat (Matth. VIII, 24). Verum ubi metu naufragii et timore perculsi sunt, Christum excitaverunt dormientem (Ibid., 25). Perfidis ergo dormit Dominus Jesus, fidelibus vigilat.

27. Denique et qui fidelis est, intrat ad Deum : et a negligente Deus videtur exire, atque discedere. Certe imperfectos et adhuc infirmos attrahit ad se Dominus; sicut legisti dicentes juveneculas : *Attrahere nos, post odorem unguentorum tuorum curremus* (Cant. I, 3). At vero Moyses qui jam fortior erat, et electus a Domino, et ascendere legitur, et intrare ad Dominum Deum suum, sicut scriptum est : *Quia D ascendit Moyses in montem, et circumdedit lux montem, et descendit in vestas Domini in montem Sina, et cooperuit eum nubes sex diebus : et vocavit Dominus Moysen die septimo, de media nube. Aspectus autem majestatis Domini tamquam ignis ardens super verticem montis coram filiis Israel. Et intravit Moyses in mediam nubem* (Exod. XXIV, 15 et seq.). Sicut ergo hic Moyses intrabat in nubem, ubi primum ad montem vocatus a Domino est; ita in posterioribus perfectior, cum ipse intraret in tabernaculum suum, descende-

bat ad eum columna nubis, et stabat in ostio tabernaculi; et stans totus populus adoraverunt unusquisque ad ostium tabernaculi sui : in nube autem Dominus; posuit enim tenebras latibulum suum (Exod. XXXIII, 9 et 10). Ut scias autem quia de Domino dicit : *Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen* (Exod. XXXIII, 1). Quod autem extra castra tabernaculum Moysi positum esse commemoratur, ut occurreret Deo, non videtur esse contrarium; qui enim Deum querit, quasi ad Deum intrat, et tota mente ad cognitionem ejus ingreditur.

28. Justus ergo intrat ad Dominum; sicut Moyses intrabat in nubem : in nube autem Deus. Denique : *Ecce Dominus venit in nube levi* (Esai. XIX, 1). Et in Evangelio habes scriptum : *Cum autem oras, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito : et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi* (Matth. VI, 6). Ergo intus quasi in cubiculo tuo Deus est. Audi etiam alibi, quia intus est Deus. *Ecce, inquit, Dominus procedet de loco suo, et descendet et ascendet super excelsa terræ, et movebuntur montes sub eo, et valles liquescent* (Mich. I, 5 et 4). Scriptura hoc dicit : et jam tunc significabat quod desereret populum Judæorum, et transiret ad gentes. Denique et in psalmo hoc invenimus expressum, cum dicit David : *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit tamquam gigas ad currendam viam* (Psal. XVIII, 6).

29. His igitur generibus reperimus egressum Dei, aut ejus ingressum; sicut et Dominus dicit Jesus quia ad virum timentem veniat. *Ecce, inquit, sto ad januam, et pulso : et si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum* (Apoc. III, 20). Hæc igitur diximus propterea quod ait Propheta : *Repulisti nos, et non progredieris, Deus, in virtutibus nostris.*

30. Simpliciter autem et illud accipiamus; quia Deus progressus est in virtutibus Judæorum, **900** quando Jesus Nave ducem militiæ cœlestis adoravit : et ideo sine ferro vicit, et sine ulla obsidione destruxit urbem Hiericho, quæ habebat validissimos muros. Quando enim progressus est in virtutibus servorum suorum Deus, victoria consecuta est. Nam progressus est angelus ad Ezechiæ preces, et stravit innumeras copias Assyriorum. Sed interdum et quos vult in certamine coronari Dominus, veluti derelinquit ad tempus; ut fide vincant, nec rebus secundis et prosperis devotio remittatur. Denique sæpe qui prosperorum cursu, et secundorum usurpatione ceciderunt, corriguntur adversis. Ideo frequenter invenimus Judæos post victoriam lapsos, post servitium correctos; quia precibus et deprecationibus Deum ad se redire fecerunt.

31. Unde et illud quod secundum hominem dictum est, et hominis affectum, huic sententiæ non repugnat; quia dixit Dominus : *Deus, Deus meus, respice me; quare me dereliquisti* (Psal. XXI, 2)? Non quod derelictus sit Dominus, qui ait alibi : *Quoniam solus*

^a Edit. Rom., et circumdedit nubes montem.

non sum, quia Pater mecum est (Joan. xvi, 32); sed quia secundum carnem hominis et affectum, qui in certamine gravi est constitutus, derelictus videtur a Domino. Denique non otiose ait Scriptura (Luc. iv, 15), quia post tentationem primam discessit ab eo diabolus usque ad tempus, hoc est, usque ad certamen; ubi enim magnum certamen sacræ passionis advenit, iterum adversarius ad tentamenta successit: homo autem quando velut in ambiguo constitutus est, putat se a Deo suo esse desertum. Sed quemadmodum hoc secundum carnis affectum accipimus; quia sibi homo visus est derelictus, ^a cujus processum operatus est Christus in corpore suo: ita etiam divinitate sciebat se numquam derelinqui a Patre; quia ipse dixit: *Ego in Patre, et Pater in me* (Joan. xiv, 10), et solum se non esse signavit.

32. (Vers. 11.) Substituit etiam versiculum istum: *Avertisti nos retrorsum præ inimicis nostris.* Non est bene, qui retrorsum avertitur, quia *nemo mittens manum in aratrum, respiciens retro, habilis est regno Dei* (Luc. ix, 62). Denique uxor Lot, quia retro respexit, ad verticem montis, hoc est, ad superiora pervenire non potuit; sed in salem conversa est, quæ species cito solvitur, nec potest usum habere diuturnum. Sic sunt qui temporalia sequuntur, et non sequuntur æterna: et hic infatuantur a stultitia sua, et futurorum gratiam habere non possunt. Sunt tamen qui retro positi obliviscuntur superiorum, et ad priora se extendunt, ut ad bravium valeant pervenire. Et Petro dicitur: *Vade retro me, Satana* (Marc. viii, 33); ut in melius provocetur. ^b Et in numeris prior est, qui post Christum est. Ideo ergo *præ inimicis*, quia illi nos affligunt, et illi insectantur. Retrorsum nos esse voluisti, ut extendamus nos ad superiora, ut semper ante nos attendamus, persequentes inimicos nostros, et eorum locum transire cupientes.

35. Denique sic Theodotion habet, quomodo Septuaginta viri; hoc est, quomodo iste versus expositus est. Aquila habet: *Avertisti nos retro ab affligente.* Symmachus: *Ordinasti nos novissimos ab omni adversario.* Contraria nobis quæ sunt, nisi **901** voluptuaria istius sæculi, et plena deliciarum atque lasciviæ, et quæ sunt incentiva luxuriæ? Uxor Lot decepta est; quia post se habebat luxuriam Sodomitanorum, et regionis ejus illecebras. Unde decepta est? Quia post se respexit. Et tu ergo ne ad inimicos tuos respicias, posuit te Deus novissimum in sæculo. Vel: Qui humilitate se ultimum facit, non convertitur retro; sed semper ante respicit. Ut scias autem qui sint inimici tui, audi dicentem: *Audi, Israel.... Quid est quod in terra es inimicorum.... pollutus es cum mortuis* (Baruc. iii, 9, 10 et 11)? Quis tamen tam inimicus et hostis tuus, quam princeps istius mundi, et ejus socii, qui persecuti sunt usque ad crucem Dominum Jesum, ejus potentiam nescientes?

^a Hoc loco id significat Ambrosius Christum gradus omnes ac notas humanorum affectuum, innoxiorum videlicet, in humanitate sua suscepisse, et præ se tulisse.

A Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent. Ergo tu etsi novissimus es, noli inimicos tuos sequi; sed sequere Dominum Jesum, et crucem ejus cum letitia, et insiste vestigiis ejus. Qui enim Christum sequitur, post se non respicit; id est, ad luxurias atque illecebras peccatorum; et ideo potest dicere cum sanctis: *Non recessit retro cor nostrum* (Infra, vers. 19). Unde intelligitur quod et is qui ante inimicos suos est, corde sit novissimus atque postremus, si ad illos respiciat, et carnalibus potius quam spiritualibus affectu mentis intendat. Potest etiam qui novissimus est, corde prior esse; si ea quæ in cælo sunt, consideret, et non quæ in terris. Audi quia novissimus in sæculo, inter primos sit apud Christum. *Puto quia Deus nos apostolos novissimos ostendit, sicut morti destinatos; ut spectaculum simus huic mundo, et angelis et hominibus* (1 Cor. iv, 9). Novissimum se dixit, et idem tamen quod primus esset ostendit, cum dicit: *Nostra autem conversatio in cælis est* (Philip. iii, 20).

34. (Vers. 12.) Sequitur: *Et qui oderant nos, diripiebant sibi. Dedisti nos tamquam oves escarum; et in nationes disperxisti nos.* Miraris forsitan quod cum in posterioribus, ut diximus, summam habeant fidei constantiam qui loquuntur, hic dicant quod ab iis qui oderant eos, diripiuntur: sed non te ista perterreant. Multi enim hic diripiuntur; et tamen merita eorum a Christo non queunt separari. Rapiuntur apostoli, cædebantur virgis, in carcerem trudebantur, separabantur a se, et tamen cum Christo manebant: immo hoc ipso quod rapiuntur a perfidis, eorum merita crescebant, et gratia in cælestibusangebatur. Non enim statim qui ab hominibus diripitur, etiam vincitur. Vide apostolum Paulum gratulatum in periculis suis: vide gloriantem, quod per fenestram in sporta demissus sit. Vide quemadmodum sanctus Hieremias, sanctus Ezechiel, sanctus Daniel in captivitatem deducti, et ab Assyriis direpti, nullam tamen captivitatem propriæ fidei pertulerunt; nec in Testamentum Domini deliquere, qui servaverunt in captivitate etiam legis præcepta divinæ, nec de interdictis cibis putaverunt contra institutionem majorum aliquid usurpandum.

35. Unde bene Theodotion dixit: *Et qui oderant nos, exsultabant super nos; insultatio enim inimicorum non affert præjudicium bonis mentibus, sed nec direptio inimicorum.* Ideoque sanctus dicit, qui certus est quod direptio sibi obesse **902** non possit: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia?* et cætera: *Sed in his omnibus superamus et supervincimus per eum qui dilexit nos: scientes quod neque mors, neque vita, neque angelus, neque Potestates, neque presentia, neque futura.... separare nos possint a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (Rom. viii, 35 et seq.). Ergo qui talis

^b Edit. Rom., *Et in numero prior est.* Alia, atque mss., *Et in numeris*, etc. Quid si conjunctum legeretur, *innumeris*?

est, non separatur a Christo. Unde etiamsi corporaliter diripiatur, spiritualiter tamen liber est: et non solum direptioni obnoxius non est, sed etiam rapinam sibi laudabilem quærit; sicut illi de quibus scriptum est: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt illud* (Matth. xi, 12). Victor est itaque qui in terrenis positus a captivus perfidiæ esse non novit; nec solum ei non diripitur quod præclarum est, sed magis ipse diripit quod æternum est.

36. Sunt etiam qui fiant oves escarum. Bonus Dominus noster Jesus Christus quia factus est ovis epulationis nostræ. Quæris quomodo factus sit? Audi dicentem: *Pascha nostrum immolatus est Christus* (I Cor. v, 7). Et considera quemadmodum parentes nostri in figura diripientes agnum manducabant significantes Domini Jesu passionem, cujus quotidie vescimur sacramento. Per ipsam igitur ovem facti sunt *greges escarum*, sicut Aquila dixit: vel, *greges in escas*, sicut Theodotion locutus est: vel, *pascua edentium*, sicut Symmachus dixit. Sed bona epulatio non solum non est metuenda sanctis, sed etiam concupiscenda. Aliter enim ad regnum cœlorum non potest perveniri; cum ipse Dominus dixerit: *Nisi manducaveritis meam carnem, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam æternam* (Joan. vi, 54). Probatum est igitur quod Dominus noster sit cibus, sit epulatio, vel alimentum edentium; sicut ipse ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (Ibid., 51).

37. Et ut scias quia hæc omnia propter nos facta sunt, ex quo ille descendit, ex illo sanctus ait: *Nos omnes unus panis sumus* (I Cor. x, 17). Non ergo timeamus, quia facti sumus oves escarum: Sicut enim Domini caro, et sanguis ipsius nos redemit; ita etiam Petrus pro Ecclesia multa toleravit. Multa etiam sanctus apostolus Paulus, et cæteri apostoli pertulerunt; cum cæderentur virgis, cum lapidarentur, cum in carceres truderentur. Illa enim tolerantia injuriarum, et usu periculorum Domini fundatus est populus, et Ecclesia incrementum est consecuta; cum cæteri ad martyrium festinarent, videntes per illas passiones nihil apostolorum decessisse virtutibus; sed etiam propter hanc brevem vitam immortalitatem illis esse quæsitam.

38. Quod ostendit etiam qui sequitur versiculus; quia dixerunt: *Et inter gentes dispersisti nos*. Similiter Theodotion dixit: Aquila autem et Symmachus: *In gentibus, aut inter gentes ventilasti nos*. Missi sunt enim sancti apostoli ad gentes, et dispersi sunt inter gentes, sicut et prophetæ sancti, de quibus supra diximus; ut illa dispersione fructus plu-

rimi nascerentur. Ut enim Dominus noster Jesus Christus sicut granum cecidit in terram, et mortuus est, ut multum fructum afferret: ita etiam dispersi sunt apostoli sancti, ut bonum inter gentes semen afferrent; quo ad eorum similitudinem fructus gentium pullularet. Denique Scripturâ hoc dicit dixisse Dominum: *Quia propterea vos misi, ut vos eatis, et fructum plurimum afferatis, et fructus vester maneat* (Joan. xv, 16). Factus est ergo Dominus Jesus Christus sicut semen, secundum quod dictum est ad Abraham: *Et semini tuo* (Gen. xvii, 8); quod est Christus. Semen ergo omnium Christus. Et ideo se cadere passus est et spargi, ut conforme corpori suo transfiguraret corpus humilitatis nostræ. Hoc ergo semen salutare omnibus hominibus pullulavit, et ex illo ad ejus imaginem figurati, quasi semina apostoli sancti missi sunt per diversa atque dispersi, ut in agrum Ecclesiæ gentes congregatæ diversis fructibus refulgerent toto orbe terrarum. Istæ ergo dispersiones dicuntur, sicut etiam in posterioribus idem David dicit: *Ædificans Hierusalem Dominus, et dispersiones Israël congregans* (Psal. cxlvi, 2). Dispersi sunt enim ut novos fructus facerent, et postea veluti triticum novum Ecclesiæ horreis invehentur.

39. Hæc autem dispersio non in inferioribus fit; hoc est, non in terra, sed in cœlo. Denique Legis hoc præcepta confirmant, per quam dicit Dominus: *Si fuerit dispersio tua a summo cœlo usque ad summum cœli, inde congregabo te, dicit Dominus* (Deut. xxx, 4). Quæ est dispersio a summo cœlo usque ad summum cœlum? Quis iste tantus, qui sic potuerit disseminari? Si homo, in terra natus est: ab imo, non a summo cœpit. Si ista te movent, atque perturbant, redi ad superiora istius sancti prophete, et audi quis ille sit tantus qui hujusmodi in terris segetes fecundavit, ut fructus earum ad cœlestia receptacula perveniret. Est autem ille sponsus qui quasi gigas percucurrit hanc viam totam, inviam aliis, sibi perviam: et ex illo cœpit pervia jam esse mortalibus; ita tamen, ut isti ascenderent: solus tamen ille ipse ante descenderet, ut postea sancti ejus mererentur ascendere. Audi ergo quomodo disseminatio fuerit de cœli summo ad cœli summum. *A summo, inquit, cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (Psal. xviii, 7). Cui homini hoc possit attribui? Moyses vix in verticem Sinæ montis ascendit, et hoc quia vocatus a Domino est, et hortatus est voce cœlesti. A summo cœlo quis descendere nisi Christus, qui et cum descendit in terras, manebat in cœlo? *Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui*

^a Mss. aliquot, *captivus per fidem esse non novit*. Haud male, si modo, *per fidem*, sumatur pro, *fidei ope ac præsidio*.

^b Iluc edit. Rom. inseruerat: *Multiplicabo semen tuum; quod interpretatus Apostolus dixit*; quæ nusquam alibi reperiuntur.

^c Ita edit. ac duo mss. At vero in quinque aliis legas: *ut in agrum Ecclesiæ ex gentibus congregatæ di-*

versis.... Isti ergo dispersiones, etc. Bene si ad apostolos referas; sicut et quod sexdecim post lineas, ubi edit. et aliqui mss. habent: *segetes fecundavit, ut fructus earum*; iidem quinque præferunt.... *ut fructus eorum*. Haud male, potest enim et hic syllepsis esse in voce; *segetes*, qua vel apostoli, vel populi ab ipsis conversi designentur.

est in cœlis (Joan. iii, 13). Vides ergo quia et cum descenderet et ascenderet, ipse erat et manebat in cœlo. Ipse enim dixit: *Cœlum et terram ego compleo, dicit Dominus (Jerem. xxiii, 24)*. Ipse est, qui est in cœlo. Hæc de dispersione satis dicta sint.

40. Cæterum quod ait: *ventilasti nos*; etsi verbo distat, sensu congruit. Sicut enim illi qui dispersi sunt, probati sunt: ita etiam qui ventilati sunt, ad probationem pervenire meruerunt. Sicut enim triticum si ventilatur, et a paleis separatur, mundum est, si autem ventilatum non fuerit, mundum esse non poterit; sed exstat paleis concretum atque permixtum: ita etiam homo nisi tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque veluti paleas a se non potest separare. Unde **904** etiam ad Petrum dictum est: *Simon, ecce satanas expostulavit, ut ventilet vos sicut triticum: ego autem rogavi Patrem meum, ut non deficiat fides tua (Luc. xii, 31 et 32)*. Vide quid dicit, et intellige. Ventilatur Petrus, ut Christum negare cogatur. Incidit tentationes, quædam locutus est quasi plena palarum: sed locutus est verbo, ut fundatior esset affectu. Denique flevit; et paleas suas lavit, et illis tentationibus meruit, ut pro se Christus interveniret. Quanto majus est patrocinium, quam perturbationis illius tentamentum? Et ideo plus quam passus est, acquisivit; acquisivit enim Christum sibi patrocinantem. Cogitur autem adversarius sanctos Domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat, meliores reddit; ut qui tentatur, possit et alios instituere, qui sibi ipse invalidus videbatur. Denique Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus a diabolo est. Ideoque ante significat Dominus quid sit illud; quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis. Nam huic dixit: *Tu autem conversus confirma fratres tuos (Ibid., 32)*. Conversus est ergo sanctus apostolus Petrus ad bonam frugem, et ventilatus est sicut triticum; ut esset ipse cum sanctis Domini unus panis, qui nobis esset alimentum. Dum enim Petri actus legitimus, Petri præcepta cognoscimus, fit nobis vitæ æternæ et salutis alimentum.

41. (Vers. 15.) *Vendidisti*, inquit, *populum tuum sine pretio*. Emendi et vendendi videtur æqualis quidam esse contractus: sed tamen si ementis et vendentis affectum consideres, unusquisque sibi vilio-rem vendit, et complacitum ehit. Ut enim præter id genus hominum loquamur, qui negotiationem vendendis mancipiis exercent; non facile quisquam vendit nisi eum, qui sibi displiceat, et quem usui suo inhabilem putet: et iterum, unusquisque emere desiderat eum, quem utilitati vel ministerio accommodum judicaverit. Sed et ipsi qui in vendendis mancipiis sumptum exercent suum, et sectantur lucra; utique ita viles habent eos, quos vendunt, ut eis viliores sint quam pecunia: et sæpe etiam ipsi quos negotiationi suæ magis habiles æstimaverint, malunt tenere, quam vendere.

42. Ita ergo et Deus vilio-rem vendidit, potio-rem emit. Vendidit populum Judæorum, non inclemen-

tia Dei, sed sua culpa; quibus recte dicitur: *Ecce peccatis vestris venditi estis, et propter iniquitates vestras dimisi matrem vestram (Esai. l, 1)*. Hoc itaque genere venditus populus Judæorum, emptus est populus Christianus: ille peccato venditus, hic emptus sanguine. Unde Petrus ait: *Pretio empti estis, non corruptilibus argento vel auro empti estis... sed pretioso sanguine (I Pet. i, 18 et 19)*. Quis est sanguis pretiosus, nisi Agni illius immaculati, hoc est, Domini nostri Jesu Christi? Ergo sine pretio populus Judæorum, pretiosus autem populus Christianus. Ille pretium non habet, quia peccatum habet: iste in pretio est, cui peccatum remissum est. Unde recte Ecclesiæ filiis dicitur: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum (I Cor. vii, 23)*. Si tibi dicitur, ne servus fias hominum, et perdas propriam libertatem; **905** multo magis dicitur tibi, ne servus fias peccati. Et iterum, ne servus fias serpentis inimici et adversarii: sed servias soli Domino, qui propria te redemit charitate; quia ipse est suorum redemptio servulorum.

43. Non vendit ergo Dominus nisi servum malum: non vendit utique bonum. Nam etsi Joseph venditus est, non dixit tamen Propheta: *A Domino venditus est Joseph*; sed: *In servum venditus est Joseph (Psal. civ, 17)*, quem fratres proprii vendiderunt: quem Dominus tamen in figura propriæ passionis redemit a servitute; renovavit ad gratiam. Vendiderunt itaque eum fratres, et acceperunt pecuniam: sed Dominus eum non solum libertati reddidit, sed etiam dignitate cumulavit. Figuram autem in eo fuisse Domini Jesu ostendit Scriptura, quæ dicit: *Filius meus zelo appetitus... ad me revertere (Gen. xlix, 22)*. Et alibi: *Primogenitus tauri decus ejus (Deut. xxxiii, 17)*; eo quod exaltaverit Deus Pater cornu Christi sui.

44. Qui ergo venditur, vilis et sine pretio est; quasi qui magis non sit, quam qui sit. Unde et Aquila dixit: *Tradidisti populum tuum, ut non esset*. Et Symmachus: *Tradidisti populum tuum sine substantia*. Non sunt enim, qui repudiantur a Christo: sunt autem qui eliguntur a Domino; quoniam Dominus vocavit quæ non sunt, tamquam quæ sunt: et electæ sunt gentium nationes; ut destrueretur perfidia Judæorum. In nihilum ergo traditus est ille populus; quia peccato suo venditus est; nullam enim habet culpa substantiam.

45. Unde dictum patet: *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*; hoc est, gratis nos dispersisti per nationes. Neque enim tu quidquam per commutationem accipis, ut animam tradas hominis; nihil enim tibi gratius est animæ conversione: sed si converti detrectat, ipsa se tradit in nihilum; ut peccato et flagitio mancipetur. Ideo tu sine pretio et sine commutatione degenerem populum vendidisti. Unde in posterioribus ait: *Non enim est illis commutatio (Psal. liv, 20)*. Quare non est illis commutatio? *Quia non timuerunt, inquit, Deum (Ibid.)*.

46. Duplex autem intellectus quare commutatio-

nem non habuerit populus erroris; quia non potest homo argento, vel auro, vel possessionibus redimere animam suam. Quam enim dabit commutationem animæ suæ; cum illa temporalia vel caduca sint: anima autem permaneat vel ad præmium, vel ad pœnam? Non fuit autem illa commutatio etiam in impiis, quæ est in resurrectione, de qua dicit Apostolus: *Omnes resurgemus, non omnes immutabimur* (I Cor. xv, 51). Potest quoque et sic intelligi, quia etsi pauci redempti immutari meruerunt, ut Abraham, Isaac, Jacob, Moyses: non tamen ad omnes commutatio ipsa pervenit. Est etiam illud, ut non sit multitudo in commutationibus gravium peccatorum; secundum quod scriptum est, quia *quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia in iudicium: quosdam autem et subsequuntur* (I Tim. v, 24). Quæ gravia sunt **906** atque manifesta, præcedunt, et sine ulla dubitatione merguntur: quæ autem leviora sunt, bonis operibus sæpe relevantur. Beati enim quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Ubi autem iniquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione revocatur.

47. Ergo et si quis redemptus est de populo Judæorum, non ideo redemptus quia multam habuit æstimationem sui, nec quia multitudinem habuit in commutatione sua: sed redemptus est gratis; quod te docet Apostolus dicens: *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (Rom. xi, 5). Ubi autem gratia, non utique merito operum, nec justificatione virtutum: sed liberalitate donantis, electione redimentis; quod æque Scriptura te docuit, dicente apostolo Paulo: *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia* (Ibid., 6). Quid ergo quod quærebat Israel, hoc non est consecutus? Quare non sit consecutus, agnosce, quia se justificare cupiebat, quia operum suorum jactantiam requirebat, quia fidem non detulit, nec gratiam recognovit. Et ideo electio consecuta est, quæ vocantem audivit, ^a advenientem suscepit.

48. (Vers. 14.) Merito ergo in persona populi illius dicitur: *Posuisti nos in opprobrium vicinis nostris: illusionem et derisum iis, qui sunt in circuitu nostro*. Qui sunt isti finitimi, et quemadmodum ad viciniam Israelitæ populi perinuisse videantur, non est facile discernere; si spiritalis vicinia requiratur, habens quoddam lumen cognitionis ad investigandum mysterium Christi: præsertim cum in ipso libro Salomonis qui scribitur Ecclesiastes, didicerimus quia quo magis quæritur sapientia, eo profundior judicetur. Sic enim scriptum est: *Dixi, sapientiam requiram, et ipsa longe facta est a me, longe magis quam erat: et in profundo altitudinem quis in-*

^a Rom. edit. sola, *audientem suscepit*. Huic quidem loco non nihil offusum est obscuritatis, sed quam nulla ex parte mutatio illa discutiat. Putamus autem servata mss. et ant. edit. lectione eam facilius posse depelli. Quippe ex orationis serie id intelligere haud ægre licet eos ex Israelitis qui justificati sint, atque eos qui non pervenerint ad justificationem inter se opponi; docerique alios, quod eam operum suo-

veniet ejus (Eccl. vii, 24 et 25)? Unde diffidentia oboritur mihi scrutari divinitus spirantis Scripturæ mysteria, et ejus examinare sermones: quod ille digne potuit, qui inter perfectos sapientiam loquebatur. Ego perfectos video, nec immerito perfectos dixerim; cum videam vos sensus exercitatos habere, ad discretionem boni et mali: sed et ipse tamen qui sciebat solidiores capere cibos, adjuncta quærebat; ut in eo verbum Domini curreret (II Thess. iii, 1). Nec iste quoque sine precatione hoc potuit usurpare, ut laudatio ejus jucunda fieret Deo (Psal. cxlvi, 1); non enim usurpantis, sed precantis assertio est.

49. Tamen ne penitus refugisse videamur, consideremus qui vicini tribubus fuerint Judæorum. Nam ut vetera recenseamus, Philisthiim tribui Judæ finitimi habebantur: et alio latere iidem tribui Ruben appropinquabant. Ammonitæ quoque in deserto erant: et qui erant in finibus Tyri et Sidonis, Galilææ copulabantur; hoc est, tribui Zabulon, et tribui Nephthalim, quæ erant in Galilæa; sicut Esaias dixit: *Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem* (Esai. ix, 1). Unde potest quis colligere, quæ proprietas **907** uniuscujusque singularum fuerit tribuum, ut certis quibusque finitimis jungerentur; quo paulatim etiam gentibus infunderetur cognitio cœlestium sacramentorum. Quod utique potest intelligi de illa muliere Chananæa, quæ exivit de finibus suis; ut Domino Jesu occurreret transeunti, et posthabitis simulacris suis, adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Jesus Christus, quod magna esset fides ejus. Resplendebat quidem jam gratia Evangelii, et præsentia ^b lumen augustæ: sed tamen quia sponte exivit, et misericordiam postulavit, et Dominum pia voce confessa est, et quasi fastidio habita, in clamore petitionis propriæ perseveravit; non mediocre prærogativam accepit istiusmodi mulier, quæ prima exivit de gentium nationibus, et perseveranti obsecratione tantum Domini testimonium meruit reportare.

50. In quo quidem loco velut dubitasse quosdam cognovi, quid sit quod ait: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (Matth. xv, 24); quasi nobilitatem generis electi ad salvandas animas Dominus quæsisse videatur, qui venit ut omnes redimerentur. Sed ostendere dignatus est propositum, quod eos quos primo elegerat, nequaquam refutare cupiebat; et sæpe devios et errantes tamen paterno quodam revocare quærebat affectu. Sed ubi ipsi auctorem proprium reliquerunt, sciens se Deum montium esse, non vallium, ^c et regnum cœlorum non a

rum fiducia pleni quærerent, repudiatos: auditos vero et susceptos alios, quod electionem gratiamque divinam invocarent, atque ad eas accederent, humilitatis scilicet, grati animi, fideique ministerio.

^b Reg. cod. cum quibusdam edit. Paris., *lumen auctoris*.

^c Expunxerat edit. Rom., *non vallium*, quod in

fastidientibus, ^a sed a cogentibus diripi, paulatim A conversus ad gentes est; ut et nationum plus probaretur affectus, et illorum merito pertinacia condemnaretur.

51. Quid deinde sibi vult quod ait: *Non licet accipere panem filiorum, et mittere catulis* (Matth. xv, 26)? Utique filios dixit Israelitas, hoc est, populum Judæorum: catulos autem populum nationum. Quid ergo? Divitum aut nobiliorum est accipere sacramenta cœlestia, et non eorum qui magis ad cognitionem mysterii cœlestis pio mentis fervore contendunt? Et si Israelita fuerit aliquis remissus et negligens, vel contumax, qui rejiciat post se sermones Dei: Chananæus autem qui impigre velit acquirendis mentem intendere sacramentis; ille potius qui dissimulat, quam iste qui defert studium, præferendus est? Non utique. Et ideo diligenter oportet intendi quid expresserit, qui cum dixisset: *Non licet accipere panem filiorum, et mittere catulis*, respondente Chananæa: *Quia et catuli canum edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum* (Ibid., 27); studium ejus humilitatemque laudavit, quæ non sibi profundum sapientiæ a primordio vindicavit; quamvis de finibus Tyri et Sidonis jam esset egressa: sed micas quasdam verbi salutaris quæ de mensa dominorum suorum caderent, crederet colligendas. Qui enim diligenter et subtiliter Scripturæ verba rimatur, is ad altitudinem mysteriorum pervenire consuevit. Unde et huic dicitur: *Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis* (Ibid., 28); hoc est, ut aperiatur tibi ostium verbi, et refulgeat vitæ æternæ salubre C mysterium.

908 52. Ergo qui vicinus est, exeat, et Christum videre desideret, et in oratione clamet; sicut ista Chananæa exivit de finibus suis, et Christum vidit, et jugi voce clamavit, ut ejus misericordiam reportaret. Credentibus itaque Chananæis Judæus in opprobrio sit, quia ipse non credidit: et illud sibi doleat, et derideri se ab iis qui in circuitu sunt, ingemiscat.

53. Et videtur prophetia hæc esse de nationibus credituris; maxime cum sequentia istud ostendant, quia ait: *Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis*; quia Judæorum delicto salus gentibus: et quæ illis in figura gesta sunt, ad cognitionem nostram profecisse, Apostolo auctore D (I Cor. x, 11), cognovimus. Et vere in opprobrium positi sunt gentibus; quia gentes opprobrium crucis Dominicæ omnibus divitiis sæcularibus prætulerunt. Qui autem crucem illam putavit opprobrium, et quasi opprobrium refugit, is vere in diuturno mansit opprobrio. Tamen quia non secundum carnem Israelitæ videntur, qui potuerunt dicere: *Quia inique non egimus in Testamento Domini* (Infra, vers. 19): nec

aliis atque omnibus mss. habetur. Alludit autem ad locum III Reg. xxii, 28, unde tamen verba illa sustulit lib. *De Nabuthe*, cap. ultimo, num. 72, quem consule. Quod vero pro *colentibus*, ut legitur in cunctis mss. ac vet. edit. in textu, restituit *cogentibus*; id

recessit retro cor eorum a Domino; vide ne iis se in circuitu positus illusioni et derisui fuisse commemorent, de quibus dicit Dominus: *Circumdederunt me vituli multi* (Psal. xxi, 13). Circumdederunt enim eum persecutores, quando secundum consilium voluntatis suæ subiit passionem. Unde et alibi ait: *Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum in eos* (Psal. cxvii, 11). Ideo melius est viam rectam tenere, in qua facinorosi ambulare non possunt. Cito cadunt, quia non in directione ambulant. Unde et illi quando voluerunt Jesum Dominum comprehendere, ubi respexit eos, ceciderunt. Propter hos igitur qui in circuitu ambulare consueverunt, angelum Dominus apposuit, qui a tergo insidiantes repellat inimicos. Prætendit igitur B angelus Domini in circuitu timentium eum, et eos tuetur atque custodit. *In circuitu enim impii ambulunt*; sicut scriptum est (Psal. xi, 9). Vide itaque distantiam. Impii in circuitu ambulant: angelus autem præterdit in circuitu eorum, qui non ambulant in circuitu; et ideo præterdit, ut eruat justos ab insidiis persequentium. Justi ergo spiritales Israelitæ videntur esse qui hæc loquuntur, eo quod tentationibus sæculi subjacuerint, et opprobrium fuerint vicinorum; hoc est, eorum qui Hierusalem patriam non incolebant. Illusioni etiam fuerunt spiritualibus nequitiis et potestatibus, contra quas justis lucta esse consuevit. Denique historia te doceat quod abducti Judæi in Babyloniam, etsi propter peccata sua videbantur esse subjecti, tamen multo meliores gentibus habebantur. Pejores enim erant in circuitu eorum, qui insultabant eis, cum ipsi peccatorum gravium essent mole curvati.

54. Primus ergo intellectus de captivis patribus usurpandus est, quibus insultaverunt Assyrii, illudentes eis in Babylonia: quibus etiam rex ille nequissimus dominabatur Nabuchodonosor. Secundus intellectus ad altiora referendus est, quod sævissimus rex diabolus est: ipse est Assyrius 909 Nabuchodonosor, qui bonis insidiari solet, ut eos in peccatum trahat per carnis illecebram. Attende igitur hunc regem eo loco, ubi dicit Apostolus: *Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati* (Rom. vii, 23); hoc est, in illa lege carnalis illecebræ. Adversarius leo est, qui urget obnoxios, justos fatigat. Unde pulchre posuit Aquila: *Spretionem et pompam posuisti nos iis, qui in circuitu nostro sunt*. Ita enim despicabiles aestimabantur, qui theatrum facti sunt huic mundo, et angelis et hominibus; quia etsi in Testamento non peccent Dei, nec carnis illecebris reflectantur a Domino; tamen quasi in pompa quadam circumferri videntur et despici: quandoquidem peccatores humilitati justorum insultare consueverint; ut oppro-

cum eadem edit. in margine exhibent, tum S. Doctoris astruit consuetudo. Is enim manifeste hic alludit ad illud Matth. xi, 12, *et violenti rapiunt illud*; ubi numquam non legit, *cogentes, pro violenti*.

^a Mss. aliquot, *sed a colentibus diripi*.

brium ducant crucem Domini Salvatoris, humilitatemque justorum. Denique quasi in quadam pompâ theatri constitutus Apostolus dicit: *Placeo mihi in injuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis* (II Cor. xii, 10). In istis placet sibi, qui omnia quæ mundi sunt, detrimentum putat; ut Christum lucrifaciat, solum per vitam et mortem requirens: cui vivere Christus est, et mori lucrum, ut inveniatur in Christo.

55. (Vers. 15.) Adjiciunt adhuc isti Israelitæ dicentes: *Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis.*^a Quibus gentibus posuisti, nisi credituris? Ea enim quæ acciderunt Judæis, in similitudinem figuræ facta sunt; ut fieret nobis typus et figura excidium Judæorum, atque ex illa similitudine per parabolam, solutionem præsentibus requiramus, quo exempla eorum cavere possimus. Deinde quia Judæicæ res omnes quasi parabolæ sunt; hoc est, quasi figuræ egentes solutione. Denique Dominus Judæis in parabola loquebatur, ut imperiti non intelligerent, intelligerent sapientes; ut intelligebant Apostoli, et in quo^b movebantur, interrogabant Dominum: Judæi autem nec intelligebant, nec iterum discere non intellecta cupiebant.

56. Quid sit parabola, accipe. *Abraham igitur duos filios habuit: unum de ancilla, et unum de libera* (Galat. iv, 22). Non intelligebat hoc Judæus nisi secundum litteram. Nesciebat quis de filiis duobus acciperet hæreditatem patris; quia ad carnalia propendebat. Egebat parabola solutione. Venit gentium Doctor, et fides nationum, et intellexit quod duæ illæ mulieres duo sint Testamenta: unum a monte Sina, quod in servitum generavit populum Judæorum, quod est Agar (Ibid., 24). Et ideo Sina; quod per interpretationem mensuram ejus significat: mensura autem Legis est, superabundans autem gratia est. Sina quoque merces dicitur, et convenit populo Judæorum, qui justificari se mercede operum, quam fidei gratia maluerunt. Ergo quæ sub Lege erat Hierusalem, cum filiis suis serviebat: quæ autem sursum est Hierusalem, libera est. Et ideo Sara, quæ principalis dicitur, libertatem habet; quod princeps sui sit, qui justus atque integer est. Ex duobus igitur **910** Testamentis duo populi: unus Judæorum, alius nationum, qui in Christo credidit. Ille Judæorum, qui non credidit, servit: ipse est secundum carnem natus; quia secundum carnem interpretatus est Scripturam divinam, et secundum litteram; non secundum spiritum. Qui autem de libera, natus est per repositionem; hoc est, cui repositio ex fide, ipse est Ecclesiæ filius, tenens gratiæ libertatem propter quem Ecclesia dicit: *Expelle ancillam, et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio*

A meo Isaac (Gen. xxi, 16). Et Apostolus ait: *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ* (Galat. iv, 31). Hæc est ergo solutio; quia quod ignorabat Judæus, fides gentium soluit, infusa a Paulo doctore mentibus nationum. Ideo ergo illorum gesta nobis in parabola sunt.

57. Sed et Dominus dixit: *Factus sum illis in parabolam: adversum me exercebantur qui sedebant in porta* (Psal. lxxviii, 12 et 13). In parabolam autem factus; quia dicitis, inquit: *Medice, cura te ipsum* (Luc. iv, 23). In parabolam factus est; quia sedentes in porta increpabat; in exitu enim non otiosi, sed exerciti esse debemus. Ideoque scriptum est: *Videte, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato* (Matth. xxiv, 20); hoc est, non in otio, sed in negotio. Ergo pigri sedebant Judæi; quia stare non poterant, qui veræ Hierusalem atria nesciebant; si enim scivissent illam Hierusalem, requisivissent. Isti ergo fatigati in porta sedebant. Nec solum dixit, *sedebant*; sed etiam oderant Dominum in portis redarguentem. In porta enim erat, qui subiturus erat sui corporis passionem, per quam migraret e terris; rediret ad cælum. In porta erat cum diceret: *Ambulate dum lucem habetis* (Joan. xii, 35). Quid est ergo: *Factus sum illis in parabolam* (Psal. lxxviii, 12); nisi quia finis Legis est Christus, et mors ejus solvit ænigmata prophetarum; eaque quæ ante Judæis erant incognita, cum prophetarentur; postea manifestata sunt Dominicæ passionis effectum? Factus est illis in parabolam; quia quasi vilem se præbuit, ingerens se illis, nec refugiens eorum seditiones, et perducens eos ad tempus beneplaciti sibi; ut moreretur pro omnibus hominibus, quo illius sanguine genus hominum mundaretur.

58. Similiter in parabola scriptum est: *Non alligabis os bovi trituranti* (Deut. xxv, 4). Solvit hæc parabolam Apostolus dicens: *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quis est qui arat, nisi qui in spe arat* (I Cor. ix, 9 et 10)? ut in judicio Domini metat? Et ideo quasi boni agricolæ, ubi propter spem^c inarata fuerit terra nostra continentia corporali: non carnalia, sed spiritalia seminemus: quoniam de carnalibus corruptela colligitur, de spiritalibus vita æterna acquiritur. Typus itaque et figura nobis **911** sint gesta majorum. Typus lex scripta in cordibus nostris, ut nobis in ea quædam futurorum figuræ, non veritas sit. Lex ergo quasi figura sit nobis: Evangelium quasi lumen et signaculum veritatis.

59. In parabola ergo Dominus ostendit se Judæis: ^d sed non intellexerunt parabolam; quia medicum non receperunt, qui curaret animas **911** laboran-

^a Mss. aliquot. et vet. edit., *Quibus gentibus positi, nisi credituris? Rom.; Quibus gentibus positi sunt in parabolam, etc.* Plures mss. nobiscum faciunt.

^b Hoc est, anxii atque dubii erant.

^c *Inarata*, id est, *arata*. Nam alioqui sæpe sumitur pro, *non arata*. Horat. Epod. 16:

Reddit ubi Cererem tellus inarata quot annis,
Et imputata floret usque vinea.

Terra vero nostra, idem est atque nos ipsi. Sed plana est illa metaphora.

^d Ita edit. omnes, ac mss. Vict. et Colb. Alii

sum, et omni ægritudine et inæqualitate incommo-
ditatis absolveret. Factus est etiam in parabolam;
quia carnem suscepit, quam crucifixerunt Judæi,
non intelligentes parabolam spiritalem. Eo usque
enim non intellexerunt, ut cum auctorem vitæ cru-
cifigerent, et suspensam in cruce cernerent carnem
Domini salutarem, moverent caput. Nam si intel-
lexissent, utique non insultassent, sed ingemissent.
Et tamen ipsa commotio capitis illis in similitudinem
cessit; ut non hoc significaret quod illi sentiebant,
sed quod mysteria declarabant. Illi enim secundum
vulgi usum insultantes Domino movebant caput
suum; sicut qui justis insultare desiderant, si forte
eos viderint in hoc sæculo fatigari, movent caput.

60. Quæ commotio capitis geminum intellectum
habet. Reprehensibiles enim videntur secundum
Scripturæ auctoritatem, qui movent caput; cum di-
cat et Matthæus: *Qui transibant blasphemabant Do-
minum Jesum moventes capita sua* (Matth. xxvii, 59).
Et Marcus: *Qui præteribant* (Marc. xv, 29). Trans-
euntes autem quod reprehensibiles æstimantur, docet
hic ipse Propheta, qui dicit de vinea sabaoth: *Et
vindemiant eam omnes transeuntes viam* (Psalm. lxxix,
15). Denique et qui sequitur versus, hoc signat:
*Devastavit eam aper de silva, et singularis ferus de-
pastus est eam* (Ibid., 14). Et in posterioribus ait:
*Et non dixerunt transeuntes viam: Benedictio Domini
super vos* (Psalm. cxxviii, 8); eo quod qui transit, et
non stat in atris Domini, non dat benedictionem. Ita
ergo Judæi movebant caput super Dominum Jesum,
ut præterirent, qui firmum solidumque fidei vestigium
habere non poterant. Movebant autem caput suum,
quorum caput Christus esse debuerat, quem non debuit
dimovere et deturbare perfidia Judæorum. Sed quia
non passi sunt membra se esse Christi, ideo caput
eorum non fuit Christus. Non erat etiam Lex caput
eorum, quia exspoliabantur et Lege a populo natio-
num. Non fuit his caput verbum Dei; quia amiserant
prophetas, et apostolos non habebant. Hoc de repre-
hensibili commotione capitis dictum sit. Est tamen et
laudabilis capitis commotio: reprehensibilis Judæis,
laudabilis populo nationum. Quid est enim caput,
nisi in quo sensus sunt? Oculi enim sapientis in ca-
pite ejus; quos moveri oportet oculos, id est, men-
tis tuæ sensus, ne aliquo torpore pigrescant. Move
ergo prudentiam tuam, move sapientiam, move co-
gitationes tuas cœlestium collatione sermonum, et
propheticorum disputatione verborum; ita ut non
pecces in Testamento Dei, sed fides firma sit. Sunt
enim hæretici qui movent sensus suos, ut perfidiam
tamen, non fidem excitent.

61. Sed jam expressius de ipsa capitis commo-
tione quæ in similitudinem populi est posita, di-
cendum est. Quis est caput populorum, nisi Christus?
Caput enim mulieris vir, caput viri Christus. Sed et
Lex caput intelligibilis mulieris. Denique sub Lege
tamquam sub viro est populus Judæorum; quia Lex
vero quinque, sed non intellexerunt quia curaret ani-
mas, etc.

A *νόμος* dicitur Græce; et ideo Synagoga *νομος* quasi
masculo copulata est, sed Legi corporali, non spiri-
tali; hoc est, ritui Legis Judaico, cujus vinculis illi-
gata est, legitimi nesciens sacramenta conjugii. Si
autem **912** mortua fuerit Lex, hoc est, Legis inter-
pretatio corporalis; tunc plebs, quasi mortuo con-
juge priore, legitime nubet secundo viro, qui ex
mortuis resurrexit. Est etiam caput a mulieris hujus
Evangelium. Unde quidam mystice interpretati,
mortificatio ritui Judaico, tamquam fratri defuncti
Evangelio mulierem eam nubere ex Lege voluerunt;
quia Lex annuntiaverit Evangelium. Ideo prior Lex
vir, postea secundi viri nuptiæ, hoc est, Evangelii
sacramenta sunt. Duo enim quasi conjugia, duo sunt
Testamenta. Unum conjugium velus est Testamen-
tum, quod morte viri prioris solutum est. Et ideo
mulier illa cui Lex mortua est, recte in secundum
conjugium convenit, hoc est, Testamentum novum.
Sic duobus fratribus una conjungitur, cui superiora
peccata moriuntur, meliora postea sacramenta reno-
vantur. Hoc nobis Apostolus evidenter exposuit di-
cens: *Quoniam quæ sub viro est mulier, vivente viro,
ligata est legi; hoc est, viri sui legi, ut ei debeat
castitatem: Si autem mortuus fuerit vir, soluta est a
lege viri; id est, ut cui velit, nubat, dummodo mor-
tuo viro, nubat; quia vivo viro, inquit, adultera vo-
cabitur, si juncta fuerit alteri viro: si autem mortuus
fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ita ut non sit
adultera, si fuerit cum alio viro* (Rom. vii, 2 et 3). Hoc
sacramentum etiam ad Christum et Ecclesiam perti-
nere, etiam alibi demonstravit quia magnum est
sacramentum (Ephes. v, 32). Hic quoque non præ-
termisit dicens: *Itaque, fratres mei, et vos mortifi-
cati estis Legi per corpus Christi; ut sitis alterius, qui
ex mortuis resurrexit* (Rom. vii, 4). Quomodo mor-
tificatus es Legi, nisi ut tibi Legis umbra moriatur,
cum accedis ad sacramenta cœlestia? Nec enim ali-
ter debes accedere ad Evangelium; nisi solutus in-
terpretationis corporalis impedimentis. Alioquin
adulterium est, veris falsa miscere: pudicitia autem
spiritualis, si anima tua exuta omnibus impedimentis
deviæ cognitionis, sine ruga accedat ad Dei verbum.
Ergo sicut Ecclesiæ caput Christus, ita et Synagogæ
caput Lex; hoc est, iis qui sub Lege sunt, propter
quos apostolus fecit se esse sub Lege, cum sub lege
non esset; ut ea qui sub Lege sunt, lucrifaceret. Et
iterum doctor gentium factus est, quasi esset ipse sine
Lege; ut eos qui erant sine Lege, acquireret Christo.
Pulchre autem ait quod sine Lege Dei non esset, et
in Lege Christi permaneret (I Cor., ix, 21).

62. Lex autem Synagogæ caput non a principio;
quia Christus erat caput veteris Synagogæ, quam
Moyses fundavit et condidit. Denique audi dicentem
quia verbo Domini fundata est. *Fide, inquit, Moyses
grandis factus negavit se esse Pharaonis regis nepo-
tem. Maluit enim afflictis compati, quam temporalibus
delectari: majoresque divitias æstimavit et prætulit*

a *Mulieris hujus, nimirum intelligibilis; hoc est
plebis Judaicæ, ut supra exponitur.*

thesauris *Ægypti*, improprium Christi. Aspicebat A enim mercedem repromissionum Dei (*Hebr. xi, 24 et seq.*), quæ est resurrectionis gratia. Sed ubi propter perfidiam Judæorum mortuum est infidelibus Dei Verbum, et excidit pectoribus Judæorum; legis spiritalis intellectus occubuit, et nupsit Synagoga ritui corporali, observationique perfidiæ. Sed non fuit illa sobrietas spiritalium nuptiarum, sed adulterium castitatis. Ideo Synagoga libera esse non potuit, quæ male **913** nupsit, et non crediderat resurrectionem Christi futuram. Unde bene ei nupsit Ecclesia, cui secundum sacram dispensationem secundum carnem mortuus est Christus; ut illa Judæa anima quæ ante fuerat ligata peccato, per mortem Christi absolveretur vinculo delictorum. Non nubit ergo mulier alteri viro, nisi mortuus fuerit vir B suus; hoc est, nisi a vinculo legitimi amoris fuerit absoluta. Si autem mortuus vir ejus fuerit, liberata est.

63. Sane tenebatur ex Lege, ut fratri proprii conjugis copularetur; si semen nullum maritus ei reliquisset (*Deut. xxv, 55*). Quod vinculum magis necebat interpretatio litteræ, quam gratia spiritalis. Denique habebat in voluntate frater defuncti, ut si nollet, non acciperet fratris uxorem ad semen defuncti resuscitandum. Unde calciamentum suum solvere jubebatur, ut esset a nexu copulæ ejus exutus, quam a sui gratia ostendisset alienam. Sic enim scriptum est, quia solvebat vir calciamentum suum, et dabat proximo suo ^a dicens: Hoc erit in testimonium in Israel. Et dicebat propinquus: Accipe, et C acquire tibi tu. Et solvebat calciamentum suum. Dicebant etiam astantes: *Det tibi Dominus uxorem, quæ intrat domum tuam, sicut Rachel et sicut Lia, quæ ædificaverunt utræque domum Israel, et fecerunt virtutem in Ephrata (Ruth. iv, 7, 8, 11)*. Sed hoc ex litteræ interpretatione Judæum ligabat. Carterum figura erat, quod Christus venturus esset in terras, qui semen defuncti populi resuscitaret. Merito fratris; quia dictum est: *Narrabo nomen tuum fratribus meis (Psal. xxi, 25)*; et: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem (Rom. ix, 5)*. Vel quia Evangelium defunctæ Legis reparationem operaretur in posteris; ut semen quod Lex non reliquerat, Evangelii tenor resuscitaret.

64. Non mirum ergo si caput suum prava interpretatiōne moverunt; ut ipsi a se deturbarent sapientiam, suæ salutis auctorem: aut certe movendo caput suum, causa fieret commotionis capitis non paucis; sed populis. Commotio hæc capitis facta est: quandoquidem in omnem terram exivit sonus eorum; ut fieret omnis terra Domini, et regnum Domini esset in nationibus. Unde et in posterioribus dicit: *Dominus regnavit, irascantur populi: qui sedes*

^a Rom. edit. sola, et dicebat: *Accipe, et acquire tu tibi propinquitatem meam; et hoc erit in testimonium in Israel. Et solvebat, etc.*

^b Vix adducimur ut credamus ἀλλάγμα genuinum esse; tum quod legatur in LXX, κίνησιν κεφαλῆς ἐν τοῖς λαοῖς; tum quod ea vox ἀβ αλεσά ενκιν; et ale-

super Cherubim, moveatur terra (*Psal. xcvi, 1*). Quod pulchre Aquila interpretatus est, ut ^b ἀλλάγμα diceret; hoc est, transmutationem, quæ est de loco ad locum, de Judæa ad populos nationum. Quod ex ea lectione quæ in Evangelio est, liquido poterit manifestari, quemadmodum Lex mota sit, dicente Scriptura: *Super cathedram Moysis sederunt scribæ et pharisæi. Omnia ergo quæ dicunt vobis, servate et facite: secundum opera eorum nolite facere; quæ enim dicunt, non faciunt. Alligant autem onera gravia, et imponunt super humeros hominum: ipsi autem digito suo nolunt ea movere. Omnia autem faciunt, ut videantur ab hominibus (Matth. xxiii, 2 et seq.)*.

65. Quid est, sederunt Scribæ; nisi quia littera scribitur? unde et γραμματεῖς Græce dicuntur scribæ, litteræ **914** sequentes interpretationem, non spiritus intellectum; littera autem occidit. Litteram ergo occidentem sequentes, et ipsa appellatione resonantes scribæ: pharisæi autem sunt, hoc est, qui a veritatis unitate divisi sunt; phares enim interpretatur divisio. Dividunt autem pharisæi hoc genere verba Legis, ut resonent, et in ipsa meditentur: spiritalis autem mysteria Legis et sacramenta non videant. Nam si Lex spiritalis est, utique præcepta Legis sunt spiritalia, et opera ejus spiritalia sunt. Docentes ergo quæ Moyses scripsit, onera gravia ligant corporalibus Legis (gravata sunt enim quæ contraria jugo Christi sunt) et per doctrinam suam deviam gravia onera imponunt auribus audientium, quæ ipsi ne tantum quidem volunt movere, ut a corporalibus Legis ad spiritalia Scripturæ verba commoveant. Sic enim intelligendum est, quia digito suo nolunt movere illa; hoc est, nec exiguo puncto atque momento transferunt se ad intelligentiam spiritalem. Hinc est et illud, quod scriptum est: *Quod si in digito Dei ego ejicio dæmonia (Iuc. xi, 20)*. Quid sit digitus, interpretatur ipsa Scriptura, quæ dicit in alio libro Evangelii: *Quod si in Spiritu Dei ego ejicio dæmonia (Matth. xii, 28)*. Digitus ergo Dei, Spiritus Dei est; Deus enim Spiritus est, et nihil habet in sua substantia corporale, sed totus est Spiritus. In Spiritu ergo Dei ejicit dæmonium, qui in digito Dei ejicit. Unde et sanctus David ait: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum (Psal. viii, 4)*; hoc est, Spiritus tui opera sunt cæli, sicut et scriptum est: *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Psal. xxxii, 6)*.

66. Ut ergo concludamus disputationem, scribæ et pharisæi nihil ad interiorem hominem referunt, qui ut ipse ad imaginem Dei et similitudinem factus est; ita in iis quæ cogitat et quæ meditatur, debet magis quæ spiritalia sunt, quam quæ carnalia cogitare. Totum ergo ad illum exteriorem, ad illum terranilem; ut corrupte habent mss. longissime abhorreat. Conjiceremus libentius scriptum fuisse, κεφαλῆς κίνησιν, vel potius, ἀλλοίωσιν: præcipue cum Aquilâ verbo eidem voci cognato in ipso hujus psalmi titulo usus fuerit, ubi Nobilio teste, ita legebatur, ὅτε ἀλλοίωσιν τὸ γέφυρα αὐτοῦ εἰς πρόσωπον Ἀβιμέλιχ, etc.

renum hominem referre contendunt : et ideo omnia A eorum opera talia sunt, ut videantur ab hominibus ; non ut placeant Patri, qui in abscondito videt. Timent enim sua opera revelare.

67. Hæc est ergo commotio capitis quæ facta est in populis ; vel, sicut Aquila et Symmachus dixerunt, *in gentibus* ; omnes enim gentes moverunt caput suum, ut Legem spiritaliter interpretarentur. Nemo secundum litteram Legis se putet esse salvandum ; quia littera Legis maledictum habet : spiritus benedictionem affert. Nemo ex operibus Legis justificari potest ; quia sub maledicto sunt omnes, qui sub littera sunt. Fugiant ergo omnes maledictum Legis, et confugiant ad benedictionis gratiam ; ut benedictionem habeant in cœlestibus, in Christo Jesu, qui mortuus est pro nobis, ut fides transiret B ad gentes : qui etsi vir fuit ante Synagogæ, nec ipsam deseruit, et nos redemit ; illam enim non deseruit, ut reliquiæ salvæ fierent : nos redemit eligendo populos nationum. Hæc ergo electio gentium salus Judæis ; reliquiæ enim non per opera sua, **915** sed per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Gratia est ergo Christi quæ et nos redemit, et reliquias vivificavit. Commotio autem capitis facta est in gentibus : sed ex hac commotione non mediocri mutationis gratiam Judæi pertulerunt, quorum reliquiæ salvæ factæ sunt.

(8. (Vers. 16.) Sequitur : *Tota die verecundia mea contra me est : et confusio vultus mei operuit me.* Quid est quod interdum ex persona unius, interdum ex persona plurimorum psalmus hic dicitur ? Namque C a principio a pluribus cœpit, ut est : *Deus auribus nostris audivimus*, et cætera quæ sequuntur (Supra, vers, 2 et seq.). Deinde ait : *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus.* Iterum : *In te inimicos nostros ventilabimus.* Et postea : *Non enim in arcu meo sperabo ; et : In Deo laudabimur tota die : et : Tota die verecundia mea contra me est.* Quid sibi vult ista mutatio, quæ frequenter in psalmis repetitur ; sicut et in centesimo octavo psalmo ait : *Deus laudem, meam ne tacueris ; quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est* (Psal. cviii, 2). Hoc de uno, sequitur de pluribus ? *Locuti sunt adversum me lingua dolosa.... et posuerunt odium pro dilectione mea* (Ibid., 3 et 5). Deinde de uno : *Constituere super eum peccatorem* (Ibid., 6). Quod videtur in centesimo octavo psalmo aliud ad populum Judæorum referri, D aliud ad Judam proditorem. Quando pluraliter dicta, ad populum : quando singulariter, ad Judam. Hic

quoque possumus dicere, quando pluraliter dicta, ad sanctos : quando singulariter, ad Dominum nostrum Jesum Christum referri ; quia æstimari potest et pro pluribus in Propheta locutus, et ipse pro se. Et ideo dixerit : *Verecundia mea contra me est* ; quæ dicitur *ἐντροπή* ; *ἐντροπή* autem est, quando verecundiam vult quis inculcare alicui, ut inflectat propositum suum, sicut est : *Descendat nunc de cruce, et credimus ei : confidit in Deo, liberet nunc eum* (Matth. xxvii, 42 et 43). Pulchre autem ait : *Tota die* ; quia Incarnatio Domini nostri Jesu Christi lucem attulit mundo. Dies itaque Incarnationis est, de quo idem dicit Dominus : *Ambulate dum lucem habetis* (Joan. xii, 35) ; et : *Abraham diem meum vidit* (Joan. viii, 56). Ergo hæc verecundia habet in se confusionem. Unde et Symmachus : *Tota die, inquit, confusio mea contra me est.* Quæ autem confusio Christi, nisi crux ; quod nudus pependit in ea ? Et bene, *tota die* ; quia ex quo affixus est cruci, usque in horam nonam tenebræ factæ sunt : et post horam nonam lux refulsit usque in vesperum. ^a Hic dies ex tribus primus. Potest tamen et chorus sanctorum pluraliter de se, et singulariter loqui ; chorus enim quasi singularem personam habet, sed numerus plurimorum est ; sicut illud est : *Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longe est a me* (Esai. xxix, 13).

68. Quæ autem est confusio, quæ operuit Dominum Jesum, cum confusionem peccata faciant ; ipsa sunt enim quæ operiunt peccatorem : hic autem peccatum non fecerit ? Sed quemadmodum est confusio adducens peccatum, ita est **916** confusio quæ peccatum abolet ; ut confusio crucis Domini nostri Jesu Christi, per quam peccata mundantur. Est etiam omnis confusio bona, quam pro Christi nomine subeas, et admodum gloriosa ; si verbi gratia in persecutione lex sit, ut verberetur Christianus, ut dignitatem amittat, ut careat ^b privilegio, ut in vincula ducatur. Hæc utique confusio etsi privilegium non habet, habet gloriam piæ confessionis. Est autem et Christi confusio, sicut ipse ait : *Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est* (Matth. x, 33). Bona ergo confusio. Plerisque tamen hujusmodi confusio Christi amara est ; hoc est, non credentibus : jucunda credentibus.

69. (Vers. 17.) Sive ergo velis confusionem Christi intellige in crucem ejus, quæ Judæis videbatur esse confusio, qui insultabant ei ; quasi erubesceret

consensus. Quin immo eandem sententiam ipsemet Ambrosius docere videtur epist. ad episc. Æmiliæ scribens, *intra quod triduum, inquit, et passus est, et quievit. et resurrexit.*

^b Privilegium (ut tradit Briss. de Verb. signif. lib. xiv) *ius singulare est, et in certæ personæ, vel causæ gratiam et favorem concessum.* Christiani autem usque adeo quondam imperatorum edictis privilegiis suis spoliati sunt, ut infames declarati, reip. fori ac militandi jure privati, atque adeo ad necem cujuslibet gladio nefaria proseriptione addicti fuerint. Ad Baronium ad an. Christi 303, 304 et 362.

^a Hic sequitur B. Ambrosius eorum opinionem, qui mortis Christi Domini triduum ita explicabant, ut dicerent ejus primam noctem fuisse tenebras illas quæ Domino expirante totum orbem operuerunt : primum vero diem, spatium illud lucis, quod inter easdem tenebras ac noctem sequentem intercessit. Verumtamen jure merito hanc opinionem repudiat Augustinus de Consensu Evang. lib. iii, cap. 24, num. 65 ; ubi sicut et Quæst. Evang. l. i. q. 7, docet in memoratis tribus diebus partem pro toto sumendam esse ; in quo eum interpretes vulgo secuti sunt. Vide etiam D. Thomam part. iii, quæst. 54, art. 4, et alios scholasticos quorum hac in re summus est

Christus in eo opere, in quo publicam operabatur salutem : sive etiam hanc confusionem, quæ ingeri videbatur, a voce exprobrantis et obloquentis : a facie inimici et persequentis. Erubescerat enim sic lapsum esse electum populum suum, et confundebatur in eos apud Patrem, quorum finis advenerat ; præsens enim erat Filio Pater, a quo numquam potest Filius separari. Et ideo Pater audiebat dicentem Judæis : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (Matth. XIII, 38).

70. Sunt autem qui etiam in confusione sua gloriantur ; sicut illi de quibus dicit Apostolus : *Quia gloria eorum in confusione ipsorum* (Philip. III, 19) ; quibus contraria est gloria Christi, qui crucem suscepit, nec confusionem refugit. Quam nos quoque minime timere debemus, nec formidine aut fastidio declinare ; ne peccatum supra nos adducat, quæ potest adducere gratiam vitæ. Est enim et confusione gloria, ut si in multos gentiles incidas, vel philosophos, et illi tibi objiciant crucem Christi, et verbo respondere non possis, nec salutaria quisquam audiat verba referentem, est confusio ; sed a voce exprobrantis et obloquentis : a facie inimici et persequentis. Et ideo noli respondere insipienti ad insipientiam ejus : esto sicut homo mutus et tacens, et quasi non audiens verba insultantium et obloquentium ; non quo respondere nequeas, sed quo respondere non debeas. Omni enim rei tempus : tempus tacendi, et tempus loquendi. Tacendum est, quando paratum non invenis auditorem : loquendum est, quando Dominus linguam eruditionis indulget ; ut sermo tuus operetur in affectibus audientium. Quomodo autem te audiat, qui ideo tibi obloquitur, eo quod salubrem tuum nolit audire sermonem ? Aut quomodo tibi acquiescat, qui persecutor est, et velit te sibi vindicare ? Aut, ut Aquila dixit, vel Symmachus, ut ulciscatur et puniat in te, quod Christi hæreditas ad gentes videatur esse transfusa ? Longe itaque ista confusio **917** a confusione et opprobrio peccatoris. Istius enim conscientia illuminatur, qui oblitus non est Dei sui : illorum confunditur, quorum ingenium caligat atque perturbat recordatio delictorum.

71. (Vers. 18, 19, 20.) Et ideo bene sibi conscii dicunt : *Hæc omnia venerunt super nos, et obliti non sumus te, et inique non egimus in testamento tuo. Et non recessit retro cor nostrum : et declinasti semitas nostras de via tua.* Videtur versiculus ultimus non concordare superioribus. Nam quomodo declinarunt ii, quibus divinitatis nulla obrepsit oblivio, nec alicujus iniquitatis conscientia, nec ulla desidia ? Sed si consideres quia justus vix salvus fit, intelligis profecto et ipsius nonnumquam titubare vestigia, et auctorem declinationis eorum Deum videri ; quia ipse quoque patitur justos sæpe tentari, quo

A magis probentur tentationibus eruditi. Quis est autem tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur ; nisi Dominus adjutor ei assistat ? Denique conturbatus est et ipse propheta David : quia dixit in sua abundantia : *Non movebor in æternum* (Ps. XXIX, 7). Aut quis est ille quem locus afflictationis, et terræ corruptela non moveat ; cum divina sententia neminem exceperit, qui sit ab exercitio et a fatigatione terræ hujus immunis, cui dictum est : *Maledicta terra in omnibus operibus tuis... spinas, inquit, et tribulos germinabit* (Gen. III, 7, 18). Denique ipse Paulus Dominicæ vas electionis, a maledictione veteris sententiæ absolutus Domini Jesu passione, tamen captivum se duci in legem peccati vehementissime deploravit, nec quemquam nisi Christum a quo liberaretur invenit : cum eum lex sui corporis et umbra mortis urgeret.

72. Diximus sensum : sed expressius qui locus sit afflictationis, considerare nos convenit. Utrum hic mundus, qui in maligno positus est : an vero caro nostra, in qua anima nostra humiliatur, dum in istius carnis descendit societatem : an adversa quibus exercemur in hoc corpore constituti, in quo ingemiscimus gravati ; quod nolumus spoliari, sed supervestiri ? Gravis enim labor est dum expectamus, ut absorbeatur mortale hoc a vita, quo nos exspoliare debemus ; minore enim labore exspoliatur, quam absorbetur. Et vide ne ea diversitas sit exspoliantis se, et expectantis ut absorbeatur a vita. Exspoliat gratia, absorbet poenitentia : exspoliat sublimitas mentis, absorbet diligentia. Quomodo autem dubites quod afflictationis hic locus sit, quando corpus est mortis, in quo operit nos etiam umbra mortis ? Et ideo ad lucernam illam semper debemus intendere, quæ est verbum Dei ; ut sciamus quemadmodum nostri animi semitas dirigamus et vestigia mentis interna, ut lux animorum solvat tenebras corporales.

73. Pulchre autem et Aquilæ interpretatio quemadmodum intelligere debeamus locum afflictationis, expressit dicendo : *Quoniam humiliasti nos in loco sirenarum ?* Ut non caro in vitio sit, sive natura ; sed ea quæ carnem corruptibilem **918** esse fecerunt. Denique sirenas quarum secundo (Esai. XIII, 21) et tertio (Mich., I, 9) mentionem fecit Scriptura divina, quasdam fuisse puellas gentilis tradidit historia, quæ vocis propriæ a suavitate, canendi illecebris, audiendique studio illectos navigantes ad littus admoveere navigia provocabant : eosque, cum gratiam vocis sequerentur, scopuloso in loco naufragium facere solitos vetustas posteris tradidit (Hom. Od., B). Earum autem interpretatio hæc est, voluptas vocis, et quædam adulatio. Ita ergo sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat ut decipiat. Ut ergo illic non littus in vitio erat, sed canora dul-

^a Sic edit. a quibus parum abeunt mss. si sensum spectes : in verbis autem hæc reperitur præcipua diversitas : Cod. aliquot, *suavitate, canendo, illecebris provocabant.* Vict. et Colb., *suavitate, canendo, quæ*

illecebras provocabant. Omnes simul, *audiendi studio navigantes ad littus admoveere navigium ; eosque (cum gratiam, aut ut aliqui, gratia vocis sequuntur) scopuloso in loco incidisse naufragium.*

cedo, quæ faciebat asperitatem littoris non caveri : A ita non caro in vitio ; sed ea quibus caro ista sollicitatur et fluctuat. Denique mare, si tempestas desit, quietum est : si procella sæviat, periculosum.

74. Et Septuaginta virorum videtur cum his sententia convenire ; cum dicunt quia scriptum est : *Quoniam humiliasti nos.* Cujus interpretationis testimonia de Scripturis sunt nobis arcessenda divinis. Ait enim in Deuteronomio : *Si exieris, inquit, in pugnam adversus inimicos tuos, et tradiderit tibi eos Dominus Deus tuus in manus tuas, et deprædatus fueris spolia eorum, et videris in ea deprædatione mulierem bonam specie, et cohabitaveris cum ea (Deut. xxi, 10 et 11).* Et infra : *Si nolueris eam postea, dimittes eam liberam.... quia humiliasti eam (Ibid., 14).* Vides ergo quoniam non natura sui eam, sed is qui ei integritatem pudoris eripuit, humiliasse perhibetur. Humilitas ergo operis est, per quod caro ista, peccati corpus effecta est, et locus afflictationis. Iterum alibi : *Si virgo desponsata fuerit viro, et inveniens eam homo in civitate dormierit cum ea, educentur ambo ad portam civitatis suæ, et lapidabuntur : et morietur juvenula, quia non exclamavit in civitate, nec invocavit hominem, qui subveniret : et vir, inquit, quia humiliavit mulierem proximi sui (Deut. xxii, 23 et 24).* Et hic eadem est hujus causa sermonis, ut a corruptore humiliata dicatur. Tertium quoque habes de hac re testimonium, et plura, si quæras. Tamen de eodem libro audi : *Si quis invenerit virginem, quæ non sit desponsata, et vim faciens ei dormierit cum ea, patri juvenulæ quinquaginta denarios, et erit uxor ejus, quia humiliavit eam : nec poterit dimittere eam per omne tempus, propter quod humiliavit eam (Ibid., 28, et 29).* Ipse sermo repetitus est, ut intelligas quia non conditio carnis videatur nos humiliare, sed culpa.

75. Nec tamen negare possumus quod multis humilietur et caro, loco ipso, illecebris ipsis, fragilitate quoque qua patuit errori. Quæ, licet non a mediocri adversario serpente^a decepta sit, habebat tamen sui non mediocre gratiam, antequam peccatum irreperet : in conspectu erat Dei Adam, in paradiso vigeat, cœlesti gratia refulgebat, loquebatur cum Deo. Numquid eum humiliatum ante legisti, nisi posteaquam prævaricatio eum humiliavit sua. Cujus vitii hæreditatem ad nos usque transmisit ; ut in hoc corpore constituti nolimus peregrinari de corpore, **919** et adesse Deo. Et ideo humiliamus animam nostram quæ se ad Deum gestit attollere : sed corruptibile hoc corpus gravat animam, terrenaque habitacula præponderant, ut mens devota Deo frequenter inclinetur ad sæculum, nec se subicere Deo possit, quoniam subjectionem sui sapientia carnis ignorat, quæ nostrum involvit affectum.

76. Dicentes hæc de nobis, quid de carne Domini

^a Rom. edit. sola, *decepta sit Eva.* Minus bene, subintelligenda cuim vox, *caro*, quæ superiori versu expressa est. Nam præterquam relativum, *quæ*, ex

nostri Jesu Christi dicemus? Qui ulique suscepit carnis istius veritatem, et ideo *semetipsum humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. ii, 8).* Diligenter attende, et considera singula. Vide quia volens suscepit hanc formam corporis nostri, et tuæ obsequia servitutis, in similitudinem hominum factus : non in similitudinem carnis, sed in similitudinem hominum peccatorum ; omnis enim homo sub peccato. Ideo et specie inventus ut homo ; ut scriptum est de eo : *Et homo est, et quis cognoscet eum (Jerem. xvii, 9)?* Homo secundum carnem, sed ultra hominem secundum operationem. *Ut homo, inquit, humiliavit semetipsum (Phil. ii, 8);* quia ad eos Deus venit qui humiliati fuerant, liberandos. Ipse se ergo humiliavit propter nos. Non ergo corpus illius corpus mortis ; siquidem corpus est vitæ : nec caro illius, umbra mortis ; siquidem fulgor est gloriæ : nec in eo locus afflictationis ; siquidem in illo corpore omnibus gratia consolationis. Humiliavit se, ut disceres quid sit humilitas. Denique audi dicentem : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde (Matth. xi, 29).* Ille se humiliavit, ut tu exaltareris ; qui enim se humiliat exaltabitur. Sed non omnes qui humiliantur, exaltantur ; multos enim crimen humiliat ad ruinam. Humiliatus est autem Dominus usque ad mortem ; ut de portis mortis exaltaretur.

77. Ecce vide gratiam Christi, vide beneficia ejus. Posteaquam Christus advenit, hæc caro quæ erat umbra mortis, cœpit per gratiam Domini refulgere, et habere lumen proprium ; unde et dictum est : *Lucerna corporis tui est oculus tuus (Matth. vi, 22).* Sed vide de quo oculo dicat ; non de exteriori, sed de interiori : *Si oculus, inquit, tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit (Ibid.).* Interior utique est oculus, qui totum hominis corpus illuminat. Interior est etiam oculus, qui aufert toti corpori cæcitatem ; quia scriptum est : *Si autem nequam fuerit oculus tuus, totum corpus tuum tenebrosum erit (Ibid., 23).* Vides in uno homine unde tenebræ nascantur, unde lumen oriatur. Ipse ergo tibi es caligo, vel lumen. Caligo iniquitatis est, tenebræ peccatorum : lumen innocentiae. Ipse tibi ergo es vel injuriæ auctor, vel gratiæ : operatio divina nihil errat. Lumen in te ipso est ; quia innocens infantia tua est. Pura mens hominis ante adolescentiæ lubricum, et juventutis errorem. Tu tibi ergo tenebras fecisti esse quod lumen est. Denique idem oculus, hoc est, sensus hominis, tenebrosus est in peccatore, splendidus in innocente.

78. Nec illud prætereamus quod Symmachus ait : *Afflixisti nos in loco deserto.* Ideo affligimur **920** quia interdum destituimur protectione cœlesti, et regio ista sub maledicto est, vel in lubrico sæculari. Necdum quoque benedixerat terram suam Dominus noster Jesus Christus ; et ideo laborabant, nec ad lumen pietatis ejus oculorum spiritualium intendeba-

quinque mss. restitutum id evincit, sensus Rom. lectioni minus concinit.

tur obtutus. Deinde quia voluptas et delectatio mundi frequenter irrepit (*Hom., Odys., M*). Unde non vinculis hominis illius ligare nos atque vincere debemus, nec cera aures claudere: sed avertere aurem quotiescumque aliena a fide, et contraria vel adversa utilitati nostræ aliquis existimat obloquenda; ne in eo sermone operiat nos umbra mortis: et si quid tale profertur, nos tamen Dei verbum debemus inserere, quod mentis nostræ oculos fulgore disputationis illuminet.

79. (Vers. 21, 22.) Sequitur: *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deos alienos. Nonne Deus requiret ista?* ^a *Aquila, investigabit ista, dixit. Symmachus, inveniet ista? Ipse enim novit occulta cordis. Quia propter te morte afficimur tota die: æstimati sumus ut oves occisionis.* Quid est quod ait: *Requiret Deus?* Quasi si non requirat, ignoret: et sic requiret Deus oblivionem tuam quæ irrepsit, ut auferat ejus omne vestigium. Unde et *Aquila dixit: Investigabit ista.* Nam utique qui novit cordis occulta, quomodo quærit, cui etiam ea quæ sunt interiora, manifesta sunt? Siquidem apud Deum conscientia uniuscujusque se prodit, et cogitatio hominis apud eum se aut condemnat, aut purgat. Denique *Aquila visiones cordis* dixit, eo quod videat cor nostrum, et omnis nostri cogitatio cordis in promptu sit apud Deum, atque ei cogitationum nostrarum imago resplendeat. Bene illud ait *Aquila: In te morte afficimur; quoniam in Christo mori, arduum et gloriosum: et in ipso moritur, qui pro ejus nomine sacra passione est coronatus.* Sed quid miraris quod requirentem Deum occulta cordis versiculus iste declaret; cum alibi Deum scrutatorem legeris cordis? Quid etiam miraris si verbis nostris majestas divinæ substantiæ explicari non possit (*Jerem. xvii, 20*), ^b cum ait *Apostolus: Nolite ante tempus quid judicare, donec veniat Dominus qui illuminabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo (I Cor. iv, 5)?* Tenebras cordis sæpe loco criminis legimus; immo prope ubique. Vide ergo ne ista sint occulta tenebrarum, quæ sunt cordis occulta; ideoque tenebrarum nomen acceperint, quod ea ab aliis non deprehendantur, sed lateant. Et ideo Dominus in die judicii illuminaturus asseritur occulta tenebrarum; quia cor uniuscujusque manifestabitur, quod ante occultum erat: soli quidem Christo cognitum, qui sciens judicii sui gratiam ait: *Nihil est occultum, quod non manifestabitur (Matth. x, 26).*

80. Sunt autem multa quæ propter verecundiam premimus, et ut impleamus cœleste mandatum, tacito apud nos tenemus affectu; ne videamur in iis quæ nostra sunt, gloriari; et eorum fructum vulgando incipiamus amittere. Sunt autem **921** occulta sa-

^a Edit. Rom. sex illis verbis. *Aquila, etc.*, rejecit in inferiora, et tribus versibus, *Si obliti sumus, etc.*, continua serie dispositis, subjungit, *Quid est quod ait: nonne Deus requiret ista? Quasi, etc.* nobis ab edit. ant. et mss. recedere religioni fuit. In his tamen ab edit. et cod. Vict. et Colb. nonnihil

pietitiæ, quæ raptus in paradiso apostolus Paulus audivit: et quia non licebat ea homini loqui, apud se tegebat: non quia usum eorum aut gratiam aliis invideret; sed quod non licebat homini loqui, forte etiam homini audire non proderat: quæ tunc illuminabit Dominus, cum illuminandorum secretorum tempus advenerit. Vide ne etiam in Evangelio distantiam aliquam reperias, ubi dixit: *Nihil occultum quod non manifestabitur, neque opertum quod non revelabitur (Ibid.).* Illud tamen adstipulatur ad superiorem interpretationem, ut utrumque de bonis esse credamus; quia scriptum est: *Cognoscit Dominus qui sunt ipsius (II Tim. ii, 19).* Suos ergo cognoscit, et eos cognoscit qui cognoscunt Deum: ignorat autem eos qui ignorant Deum; qui enim ignorat, ignorabitur. Dominus ergo quæ bona sunt, recognoscit: ea quæ sunt plena cognitionis divinæ, ea quæ sunt occulta sapientiæ, novit Dominus: aversatur autem ea, quæ sunt plena iniquitatis atque peccati.

81. Denique si istorum personam consideres, quos nulla divini cultus oblivio separavit, ut alieno Deo expanderent suas manus, atque aperire suas animas noluerint, intelliges quod in occultis suis non flagitia aliqua erant, sed ea quæ essent innocentiae, continebant; quandoquidem morte afficiebantur pro Dei cultu, totaque die versabantur in morte: sicut et versabatur Paulus, qui ait: *Quotidie morior per vestram gloriam (I Cor. xv, 31).* Et vere quotidie Paulus moriebatur secundum carnem, in jejuniis, in naufragiis, in diversis periculis, in miseriis constitutus: sed non totus moriebatur. Moriebatur homo ejus exterior, sed renovabatur interior: et ideo non deficiebat, cum tot periculis urgeretur; quia etsi exterior homo ejus corrumpebatur, interior renovabatur de die in diem; quia diem sibi uniuscujusque fides et gratia operationis illuminat. Uade nec Paulus apostolus noctem sciebat; quia qui renavatur, semper in luce est. An tibi non videtur in luce, qui Christi in se continet charitatem? ^c Et ideo immolationis securus dura non refugit: nec eum persecutio ulla, aut fames, aut gladius potest a Christo Domino separare, quem vincula divinæ charitatis astringunt.

82. (Vers. 25.) Interim tamen in bonis etiam operibus mens humana turbatur, et tentationibus quatitur. Tamen et hoc justorum est, ut cum se tentari viderint, adjumentum deposcant; sicut apostoli in Evangelio (*Matth. viii, 25*), cum Christus dormiret in navi, tempestatem fluctuum formidantes excitaverunt Dominum Jesum, ut ab his formidinem propulsaret. Nonne tibi videntur sancti apostoli istos dixisse versiculos: *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas usque in finem.* Certe etsi littera distare videatur, concordat sententia. Neque vero vel in corpore constitutus ita dormiebat Domi-

dissentiant quinque alii, ita partem ultimam præferentes: *Quid et quod ait: requiret Deus? Oblivionem tuam quæ irrepsit, ut auferat ejus omne vestigium.*

^b Vict. et Colb., cum illud quoque turbare nos non possit, quod ait *Apostolus, etc.*

^c Rom. edit., *Et ideo renovationis securus.*

nus noster Jesus Christus, ut ignoraret tempestatem maris, et exorta procella ventorum cognitionem ejus per altitudinem soporis excederet. Dormiebat corpore, sed virtute vigilabat. Et dispositio illa fuit, ut ascenderet in navem Dei Filius, Dei Verbum: ascenderent etiam simul discipuli sui: quos remissos **922** et negligentes esse non passus, quasi de Domini præsentia et favore securos, somno corporis sese composuit. Ergo illa specie somni, dormire sese mundo huic, apostolis Verbum Dei demonstrabat. Vigilabat tamen ejus potestas et providentia, quæ excitavit tempestatem in mari; ut navis propemodum insurgentibus fluctibus operiretur: qua discipuli tempestate turbati, utrum salubris consilii se provisione fulcirent, an vero a remedium excederent, cognosceretur. Sed illis quibus Jesus non dormiebat, vigilabat fides: et ideo surgentes excitaverunt Dominum Jesum, dicentes: *Domine, salva nos, perimus* (Matth. viii, 25).

83. Vide si etiam illud discrepat ab Evangelio, quod de Jona legimus (Jonæ, i, 5), qui dormiebat in ventre navis, et stertebat: in quo sacræ passionis figura præcessit. Sicut enim Jonas dormiebat in navi, et stertebat securus, quasi non metuens deprehendi; ita Dominus noster Jesus Christus, qui figuram illam sacramento suæ mortis implevit, tempore Evangelii in navi dormivit: et sicut ille tribus diebus et tribus noctibus fuit in ventre ceti; ita filius hominis tribus diebus et tribus noctibus fuit in corde terræ, in sui corporis passione. Qui ubi se excitavit a morte, et somnum sui corporis relaxavit, ut pro salute resurgeret universorum, Discipulos visitavit. Hic est ergo verus Jonas, qui obtulit animam suam redemptionem pro nobis. Propterea ergo sublatus et missus est in mare, ut exciperetur et devoraretur a ceti, quo intra alvum ceti positus ejus interiora vacuaret. De quo ceti hoc dictum sit, audi Job dicentem: *Qui habet, inquit, magnum cetum captivum reddere* (Job iii). Quis iste est? Utique cognoscis, cum legeris quod Dominus noster Jesus Christus captivam duxerit captivitatem; devicto enim adversario et inimico, nos qui captivi eramus, cœpimus libertatem possidere per Christum (Ephes. iv, 8).

84. Denique ipsa oratio sancti Jonæ docet Dominicæ passionis esse mysteria, cum dixit: *Clamavi, inquit, ad Dominum meum in tribulatione mea, et audivit me de ventre inferni* (Jonæ ii, 5). Vides quia inferni ventrem dixit, non ceti? Dominus autem non in cetum, sed in infernum descendit; ut et illi qui in infernis erant, a perpetuis vinculis solverentur. Denique plerique etiam resurrexerunt. Quæ autem flumina circumdederunt Jonam, aut de qua abysso dixit Jonas: *Abysus circumdedit me novissima, mersit caput meum in fissuras montium; descendi in terram, cujus seræ sunt continentes æternales* (Ibid., 6 et 7)? Utique hoc ad personam Jonæ non quadrat, et convenit. Filius autem Dei descendit in fissuras mon-

Atium, quando descendit in tumulum; ipsum enim Joseph, sicut Evangelium docet (Matth. xxvii, 60), posuit in monumento suo novo, quod excidit in petra, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti. Denique et in alio libro: *Posuit, inquit, eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus erat* (Joan. xix, 41).

85. Quis autem est, qui cum voce laudis et confessionis Domino sacrificavit; nisi Princeps omnium sacerdotum, qui et vota pro omnibus vovit et reddidit? Solus enim effectus sui habuit potestatem. Sicut enim Jonas missus est in mare, et quievit mare a commotione sua; ita Dominus **923** noster Jesus Christus venit in hunc mundum, ut mundum lucrifaceret, et sanguine suo omnia pacificaret, sive terrena, sive coelestia. Adventu igitur suo redemit universos homines; et provocavit ad Deum cultum operibus suis, cum mortuos resuscitaret, sanaret infirmos, timorem Dei humanis infundens affectibus. Ipse est qui sacrificavit Domino sacrificium salutare pro nobis, et dignas conversionis nostræ hostias Deo obtulit; ipse est qui dormivit, et evigilavit.

86. Cavendum est ergo ne obdormiat peccatoribus; obdormire enim videtur iis, quibus non resurrexerit, et quos in finem repellit. Quis autem est qui repellitur; nisi qui peregrinatur a Domino, quia non peregrinatur a corpore? Quomodo enim possunt Deo placere qui in carne sunt? Et ideo non in carne simus, sed spiritu: adhæreamus Domino Jesu, qui se in octogesimo et octavo psalmo repulsum dicit pro nobis. *Tu vero repulisti pro nihilo, Domine, distulisti Christum tuum, evertisti testamentum servi tui* (Psal. lxxxviii, 39 et 40). Itaque repulsus in nobis factus est in opprobrium vicinis suis; ille enim suscepit opprobrium crucis, ut nos gloriam suæ resurrectionis indueret. Repulsus videtur, quasi mortuus; et perfusus confusione, quasi crucifixus: sed benedictus est in æternum, qui maledictionem sustulit, benedictionis gratiam comparavit.

87. (Vers. 24.) Sequitur: *Quare faciem tuam avertis?* Avertere a nobis Deum faciem suam putamus, quando sumus in aliquibus afflictionibus constituti; ut tenebræ nostro offundantur affectui, quibus impediti fulgorem veritatis oculis nostris haurire nequeamus. Etenim si in nostrum Deus attendat ingenium, et nostram mentem visitare dignetur, certi simus quod nulla res nobis caliginem possit obducere. Etenim si vultus hominis cæteris membrorum partibus plus refulget, et quemcumque intuemur, vel incognitum agnoscimus, vel cognitum recognoscimus, quem aspectus noster latere non patitur; quanto magis Dei vultus quem spectat, illuminat! De quo ut cætera ejus sunt; ita et hoc præclarum sancti Apostoli, qui vere interpretes est Christi, ut aptiore eum sensu et sermone nostris infunderet mentibus; unde ait: *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminatio-*

^a Remedium excederent, hoc est, præterirent omitterentque. Rom. edit., remedium exciperent.

nem scientiæ claritatis Domini in facie Christi Jesu (II Cor. iv, 6). Ubi igitur in nobis reluceat Christus, audivimus. Est enim fulgor æternus animorum, quem ideo Pater misit in terras, ut ejus illuminati vultu, æterna et cœlestia spectare possimus, qui ante terrena caligine tenebamur. Quid de Christo loquar; cum etiam Petrus apostolus dixerit ad illum claudum ex utero matris suæ: *Respice in nos* (Act. iii, 4); qui respexit in Petrum, et fidei illuminatus est gratia? Neque enim accepisset remedium sanitatis, nisi fideliter credidisset. Unde cum tanta gloria esset in apostolis, audiens transire Dominum Jesum Zacchæus ascendit in arborem; quia exiguus et pusillus in turba eum videre non poterat. Vidit Christum, et lumen invenit. Vidit eum, et qui ante aliena rapiebat, sua contulit. Merito ergo dicunt isti: *Quare faciem tuam avertis?*

924 88. Aut fortasse propterea dicitur; quia desiderantibus Christi moram faciebat adventus. Ipse enim est vultus Patris, qui est imago et gloria Dei. Certe si non ad Incarnationis ejus hoc accipiamus sacramentum, recte etiam illud usurpant sancti dicentes: *Quare faciem tuam avertis?* hoc est: *Etsi avertis, Domine, faciem tuam a nobis, tamen signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine. Teneamus illud in cordibus nostris, et in intimo splendet affectu; neque enim quisquam potest subsistere, si tu avertas faciem tuam. Omnia enim a te expectant, ut tu des illis cibum in tempore. Dante te his, colligent: aperiente te manum tuam, universa implebuntur bonitate: avertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur. Emittes spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terræ* (Psal. ciii, 27 et seq.). Agnoscis quæ sit esca, quam Deus hominibus subministrat? Ipse est cibus quem secundum voluntatem Patris unigenitus Filius ejus Dominus noster epulatur; sicut ipse ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est* (Joan. iv, 34). Hic cibus nobis est salutaris, et omnia Dei sunt salutaria.

89. Audis quædam Dei membra, cognosce virtutes. Manus quippe ejus, plenitudo bonitatis est: facies ejus, illuminatio mentis est. Et ideo semper ab eo speremus, in ipsum vota nostra et omnia studia dirigamus: nec desperemus, etsi corporaliter eum videre non possumus; neque enim desperavit Moyses, cui dictum est: *Non potes videre faciem meam; non enim videbit faciem meam homo, et vivet*. Et addidit: *Ecce locus apud me, stabis in petra: et cum transierit gloria mea, ponam te in cavernam petræ, et operiam te manu mea, donec transeam; et tollam manum meam, et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris* (Exod. xxxiii, 20 et seq.). Non ergo videtur ab homine facies Dei. Est tamen locus in quo fide se monstrat homini Deus. Est hic locus apud Deum: et ideo si steterimus in petra, id est, in carnis istius conscientia, et fidei firmitate; etsi pleni-

^a Id est, in cognitione ac fide carnis Christi, quam petra illa præfigurabat.

tudinem ejus videre non possumus, tamen quantum possumus, quasi reliquias ejus luminis hauriemus. Neque enim Moyses totam divinitatis ejus plenitudinem vidit, quæ habitat in Christo corporaliter: sed vidit posteriora Christi, vidit splendorem ejus ut homo, vidit ejus gloriam passionis, per quam regnum nobis cœleste reseravit.

90. Aquila autem: *Quare faciem tuam abscondis*, posuit; sed etiam cæteri, quod videtur convenire cum Moysi dictis, qui ait: *Demonstra te mihi* (Exod. xxxiii, 13); quasi diceret: *Noli vultum tuum mihi abscondere, sed magis demonstra videre cupienti*.

91. Et addidit: *Oblivisceris*, inquit, *inopiam nostram, et tribulationem nostram*. De qua inopia dicit sanctus Propheta quod in oblivionem venerit Dei? Aut quæ est ista inopia, quam excidisse Deo nostro et Domino conqueratur? Non otiosa ista est inopia; nisi forte ea quæ protectorem Deum et remuneratorem habere consueverit. Si enim est inopia cui patet regnum cœlorum, recte isti inopiam suam divinis excidisse sensibus arbitrantur, qui animam suam humiliatam in pulvere deplorabant, et ventrem suum in terra **925** hærere dicebant. Qui autem in terra hærerent, videntur divina protectione privari. Quæ sit ergo ista inopia, audi: *Beati enim pauperes spiritu, ipsorum enim est regnum cœlorum* (Matth. v, 3). Si ergo beata paupertas est, cui patet cœlum, terrenas istas divitias negligamus, corporalem redundantiam declinemus.^b Sequamur vestigia apostolorum, ante quorum pedes unusquisque quod habebat pecuniæ ex suorum agrorum pretio conferebat, ut pauperibus dispensaretur. Istam igitur inopiam evangelicam hi sancti viri multo ante exercere cœperant; et ideo dicebant: *Oblivisceris inopiam nostram*. Tale est hoc, quale illud apostolicum: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (Matth. xix, 27). Bona ergo paupertas, quæ a pietate procedit, et virtutum exercitatione suscipitur.

92. Nec solum inopiam, sed etiam tribulationem suam in oblivionem Deo venisse deplorant. Bonæ sunt et tribulationes quæ sunt propriæ justorum, qui non pro meritis suis, sed pro pietate eas sustinent: in quibus justus non atteritur, sed dilatatur, sicut sanctus Propheta declarat dicens: *In tribulatione dilatasti mihi* (Psal. xv, 2). Et ipse Dominus Jesus ait: *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudinem* (Psal. cxvii, 5). Dilatavit sancto apostolo Paulo, quando ei oculorum lumen eripuit; ita enim confessus est Christum, quem negabat antea. Ideo vas electionis esse promeruit. Denique ut scias quia dilatavit Paulo Dominus Jesus, audi ipsum Apostolum dicentem: *Os nostrum* **926** *patet ad vos* *o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (II Cor. vi, 11). Aperi ergo os, confitere Christum; quia plenitudo est: ubi plenitudo, ibi etiam latitudo. Et quasi bonus magister qui discipulos habere optaret æquales, nos quoque hortatus est ut

^b Mss. nonnulli, *sequamur gesta apostolorum*.

dilatoremur, dicens: *Dilatamini et vos* (II Cor. vi, 13).

93. Cum autem ^a Deus alicubi in tribulatione dilatatur; tunc fiet latitudo cordis, sicut arena maris innumerabilis. Quæ sit ista latitudo audi dicentem sanctum Salomonem: ^b *Optavi, et datus est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ* (Sap. vii, 7). Ut enim acciperet sapientiam a Deo, non divitias, non nobilitatem, non potestatem; sed sapientiam postulavit, et in illa omnia quæ etiam non postulavit, invenit. Unde Scriptura dicit quia talis erat latitudo cordis ejus, sicut arena maris innumerabilis (III Reg. iv, 29). Unde hanc percipias latitudinem, ait de seipso cognoscens: *In latitudine cordis tui de-*

^a Edit. Rom. sola, *Deus alicui in tribulatione dilatatur.*

^b Illic Scripturæ locus quem exhibent omnes edit.

A scribe eam (Prov. vii, 3). Et ideo qui habet sapientiam, non in occulto teneat eam, non ad momentum; sed canat eam in exitu: ubique quod sentit, cum auctoritate prædicet.

94. Symmachus autem pro tribulatione afflictationem posuit. Sive tamen afflictatio sit, sive tribulatio, opus est ut nos maneamus in Domino, nec ab eodem recedamus; quoniam præsele Domino et assistente nobis, omne certamen fortiter possumus sustinere. Si autem Dominum negligamus, et longe nos faciamus a Domino, facimus nobis adversarium fortiorem.

nusquam in nostris mss. invenitur; sed post vocem *Salomonem*, continuo subnectitur, ut *acciperet sapientiam*, etc.

IN PSALMUM XLV ENARRATIO.

925 PRÆFATIO.

1. (Vers. 1.) Titulus psalmi hujus ita inscribitur: *In finem, pro filiis Core pro occultis, psalmus ipsi David. Quid est, pro occultis? Occultorum habuisse se cognitionem per revelationem Domini Jesu, in quinquagesimo quoque psalmo sanctus Propheta commemorat dicens: Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (Psal. l, 8). Quæ autem illa sint occulta, in Evangelio sancto docemur, dicente Dei Filio, quod mysteria sapientiæ abscondita sint sapientibus, et parvulis revelata (Matth. xi, 25). Hæc sunt illa, ni fallor, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: quæ præparavit Dominus diligentibus eum. Ergo in occulto cordis nostri occulta sapientiæ recondamus, non temere aliquibus divulgemus; nisi sacramentorum consortibus, quos Dominus vocavit ad gratiam suam, qui se in abscondito vult rogari; quoniam solus est, qui abscondita et occulta cognoscat.

2. Denique ipse Dominus Jesus ad percipiendam Legem solum Moysen, non absque Jesu tamen, in montem voluit ascendere. In Evangelio quoque Petro, Joanni, et Jacobo solis ex omni numero discipulorum resurrectionis suæ gloriam revelavit (Matth. xvii, 1). Ita occultum suum voluit esse mysterium: et admonebat frequenter, ne cui facile quæ viderant, annuntiarent; ne offendiculum quisquam subiret infirmior, qui vim sacramentorum fluctuanti ingenio haurire non posset. Denique ipse Petrus nesciebat quid diceret, quæ **926** tria tabernacula Domino, et servulis crederet esse facienda. Deinde fulgorem gloriæ Domini transfigurantis se sustinere non potuit: sed in terram cecidit, ceciderunt et filii tonitrui Jacobus et Joannes et nubes operuit eos; nec potuerunt surgere nisi postea quam Jesus venit, et tetigit eos, et jussit ut surgerent, et formidinem sequerentur. Introierunt ergo in nubem, ut abdita, et

occulta cognoscerent; atque ibi audierunt vocem Dei dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite* (Ibid., 5). Quid est, *Hic est filius meus dilectus?* Hoc est, noli errare, Simon, ut servulis Filium Dei conferendum putes: *Hic est Filius meus*; non Moyses filius, non Elias filius; quamvis alter aperuerit mare, alter clausit cælum. In verbo enim Domini uterque naturam vicit elementi: sed illi ministerium præbuerunt, hic est qui solidavit aquas, cælum siccitate clausit, et quando voluit, in imbres resolvit. Ubi testimonium resurrectionis adsciscitur, astipulantur ministeria servulorum: ubi gloria Domini resurgentis ostenditur, servulis splendor absconditur. Namque ipsos stellarum globos sol exortus obducit, et omnia earum lumina mundano sub sole valescunt. Quomodo ergo sub æterno sole justitiæ, atque illo fulgore divino videri poterant stellæ carnales? Ubi ergo sunt illa lumina, quæ vestris ante oculis quodam miraculo refulgebant? Tenebræ sunt universa, comparatione lucis æternæ. Alii ministeriis suis Deo placere **927** festinent: hic solus est verum lumen et æternum, in quo Pater complacet, vel in quo beneplacitum est mihi; ut meum sit, quidquid hic fecit: et quidquid ego feci, Filii opus esse jure credatur. Ipsum audite dicentem: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Non dixit: Ego et Moyses unum sumus. Non dixit sibi et Eliæ ullum divinæ gloriæ esse consortium. Quid tria tabernacula præparatis? Non in terris habet iste tabernaculum, sed in cælo. Audierunt apostoli, et ceciderunt pavore turbati. Venit Dominus, et levavit eos, et jussit ne cui dicerent quod vidissent.

3. Huic ergo tua occulta servato, qui David ^a sua occulta mandabat dicens: *Ab occultis meis munda me, Domine* (Psal. xviii, 13). Munda enim debent esse receptacula, in quibus sunt pietatis occulta mysteria. Et ideo tibi dicitur: *Bibe aquam de vasis tuis,*

^a Mss. aliquot, *sua occulta mundabat*. Melius alii, ac edit.... *mandabat*; id est oratione commendabat.

et de puteorum tuorum fontibus.... et in plateis superfluant aquæ tuæ, ut irriguo fonte munderis (Prov. v, 15 et 16). Ideo tibi dicitur : *Vino torcularia tua redundent* (Prov. III, 10). Ideo dicitur : *In tribulatione invocasti me, et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis : probavi te in aqua contradictionis* (Psal. LXXX, 8). Est enim quædam in tribulationibus interna^a pectorum sæva tempestas, quando sunt foris pugnae, intus timores. Est aqua contradictionis, quando velut quodam amarissimi salis æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec ulla in profundo mentium definitionis stabilitate placidantur. Tunc tempestas in abscondito, tunc aqua contradictionis, quæ solo potest Christi sermone sedari, quo peccata nobis nostra dimittit, secundum quod ipse dignatus est dicere : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* (Joan. xv, 3). Loquere, Domine Jesu : verbum tuum medicina est, verbum tuum lumen est, verbum tuum nostræ colluvionis ablutio est, verbum tuum fons est. Tu loqueris, et culpa lavatur.

4. Et quia de abscondito tempestatis, et de aqua contradictionis ductus est sermo, omnia nobis factum est Dei verbum. Caro factum est, ut carnem servaret; aqua factum est, ut aquam contradictionis sua gratia temperaret, et amaritudinem impietatis auferret. Ideoque scriptum est : *Aqua alta verbum in corde viri* (Prov. xx, 5). Alibi *verbum*, alibi *iterum consilium*; ibi enim bonum consilium, ubi bonum est Dei verbum. Et ideo tibi Lex dicit : *Attende tibi, ne fiat tibi verbum malum in corde tuo* (Deut. xv, 9); et dicat Jesus : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (Matth. ix, 4)? Misit enim Deus Verbum suum, ut sanaret hominem, non ut perderet. Hoc Verbum medicina est, non pœna. Hoc Verbum in corde tuo, et in ore sit tuo : hoc Verbum sit in occultis, ubi diabolus insidiatur : intret Verbum, exeat diabolus. Nam si irreperit diabolus, Christus recedit; quomodo recessit a Juda postquam se diabolus in cor ejus immersit. Et tu ergo dic : *Ab occultis meis munda me, Domine*; ne diabolus insidietur in occultis, sicut leo in cubili suo. Quod si Christi occultæ pie fideliterque servaveris, insidiandi diabolo locus esse non poterit. Ideoque in psalmo nono David de occultis scribens Domini sacramentis; quod est conversio peccatorum, vocatio gentium, Dei regnum, præparatio cordis, **928** iudicium pauperum, refectio inopum; ante de occultis pectoris tui atque secretis exterminandum adversarium dicit : ne sedeat in occultis ut interficere cupiens innocentem. Ideoque tibi dicitur : *Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito* (Matth. vi, 6). Illo tua descendat oratio, ubi eam audiat qui scrutatur abscondita : ibi tuam patientiam deprehendat, vel tegendæ injuriæ, vel jactantiæ declinandæ; occultat enim sapiens injuriam suam. Ibi est latibulum sapientiæ; *posuit enim tenebras latibulum suum* (Psal. xvii, 12). Quærent me mali, et non invenient (Prov. i, 28).

^a Ita quinque mss. Alii vero et omnes edit., *peccatorum sæva tempestas.... quodam maritimi salis æstu fluctuant, etc.*

A 5. Ideo Abraham puteum fodit, ut aquam qui quæreret, inveniret : ideo puteum fodit Isaac : ideo Dominus Jesus sedebat ad puteum; erat autem ibi fons Jacob. Sedebat ad puteum, ut quæreret. ^b Fons ibi est, ubi Christus est. Fons est, ut aquæ supereffluant requirentibus; quo et universa carnis vel flagitia diluantur, vel restinguantur incendia. Hæc ergo est altitudo sapientiæ et scientiæ Dei; ut mali eam non invenient, boni quærant, atque in ejus acquirendæ studio et meditatione versentur. Vis scire quam verum sit? Audi sapientiæ ipsius verba : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis* (Luc. xi, 9). Pulsa ergo januam; quia Christus est janua : pulsa ostium Verbi; ut aperiat tibi ad eloquendum mysterium Christi, et absconditos in Christo sapientiæ possis invenire thesauros. In ipso nobis sapientiæ, in ipso vita nostra abscondita est; sicut Paulus asseruit (Coloss. iii, 3), qui usque ad tertium raptus est cœlum, ut audiret ea quæ homini non licet loqui. Quanta occultorum est disciplina! Licet scire homini, et non licet loqui. Scire vita est, loqui mors est.

6. Cognoscentes ergo quia finis occultorum qui Græce σκοπὸς dicitur, hic est, atque ea summa, ut et indigni non apprehendant sapientiæ disciplinam : et qui desiderium habent, vitæ tamen et fidei meritis suffragantibus, cognitionem divinorum capere sacramentorum laborant, et quotidianis exercitationibus desudant, ut intentionis suæ fructum mereantur adipisci; nonnumquam psalmum et quadragesimum quintum diligentius legamus, ut absconditam in mysterio sapientiam fideli possimus mente comprehendere. Soli enim isti de occultis titulum prætulērunt. Sed jam psalmum adoriamur.

ENARRATIO.

7. *Deus noster refugium et virtus. Quid est, noster?* Hoc est, eorum qui in te credimus. Sic et alibi : *Domine, refugium factus es nobis* (Psal. LXXXIX, 1). Nobis, inquit, credentibus, non incredulis : nobis quærentibus, non refugientibus veritatem. Ille enim hoc potest dicere, qui in solius Dei præsidio suæ constituit spem salutis. Nobis ergo refugium factus es, et nostrum refugium et virtus, qui sumus ex populis nationum. Judæi te negaverunt, Judæi non te receperunt; et ideo es conversus ad gentes, vocasti nos, et refugium factus es nostrum, et virtus es nobis. Vis scire quia de nobis **929** qui sumus ex gentibus, dictum sit? *Cruce Domini Judæis offendiculum, Græcis stultitia : nobis autem virtus Dei atque sapientia est* (I Cor. i, 18). Et infra : *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est sapientia nobis a Deo* (Ibid., 30). Utique Paulus non de Judæis, nec de gentibus dixit : sed de iis qui conversi ad Dominum Jesum prædicarent suæ salutis auctorem. Confugisti ergo ad Christum? Non

^b Quinque mss., *fons ibi erat. Tibi Christus fons est, ut aquæ, etc.* Edit. autem cum aliis mss. ut in textu.

deseras fundamentum, confirmatorem tuum non derelinquas; ut te qui susceperit, ipse tueatur, et mercem suam pius animarum nostrarum negotiator agnoscat.

8. (Vers. 2.) *Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Bene nimis ad utrumque respondit, et ut in tribulationibus quæ nos nimis invenerunt, et adjutor nimis possit intelligi. Quanto enim majores tribulationes fuerint, tanto majora nobis et vehementiora adjumenta sunt necessaria. Et ideo plerumque fit, ut in gravioribus et asperioribus certaminibus coronemur: quia lacrymis et gemitibus et orationibus frequentioribus æternæ opem nobis divinitatis adsciscimus.

9. (Vers. 3.) Quo fit ut non timeamus, cum terra nostra turbatur, et transferuntur montes; quia si tu pro nobis, quis contra nos? Timere non possumus fragilitates istius carnis, quæ timore ac metu frangitur, inflammatur cupiditatibus, luxuria mollior, deliciis enervatur, vaporatur febribus, dolore vexatur; exanimatur angustiis. Vel cum transferuntur illi montes in cor maris, de quibus dixit Salvator: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, non solum de siculnea facietis; sed etiam si monti huic dixeritis: Tollere, et jactare in mare; nihil impossibile erit vobis (Matth. xxi, 21).* Misit se^a hic mons in cor Judæ, et mentem ejus gravi tempestate turbavit, diversarum exagitans fluctibus passionum. Sicut enim terrarum fertilitati secunda bonis operibus et devotionis ac fidei fructibus anima comparatur, ut odor Jacob, sicut odor agri pleni; ita etiam procellosi maris inquietudine figuratur anima ejus, qui quietus esse non novit, et amarum cogitationibus excitat graves fluctus. Denique nec osculo suo Dominus Jesus Judæ proditoris amaritudinem temperavit. Suscepit osculum proditor, infudit venenum, mortem irrogavit: cujus aculeum quidem Christus obtudit, sed solus proditor non evasit. Et ut evidenter montem hujusmodi nobis manifestaret, alibi quoque cum dæmonium ab homine jussisset exire, apostolis interrogantibus qua causa illud ipsi ejicere nequivissent, ait: *Non ejicitur hoc genus, nisi in oratione et jejunio (Matth. xvii, 20).* Et addidit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transi hinc illo (Ib., 19),* manu significans quis ille mons esset, quem posset perfecta transferre fides. Perfecta enim fides grano sinapis comparata est, dicente Apostolo: *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (I Cor. xiii, 2).*

10. (Vers. 4.) Sunt etiam qui ita distinguunt: *Et transferentur montes; ut sequatur: In cordibus maris sonuerunt, 930 et turbatæ sunt aquæ ejus: conturbati*

^a Per montem in hoc Evangelii loco perduellem angelum significari jam. in psal. xxxvi, col. 812, num. 77, Vir sanctus docuerat his verbis: *Dicetis huic monti: Tollere, et jactare in mare. Huic. Cui? Dæmonio, inquit, etc.* In qua quidem expositione gravitatem Ambrosii ac modestiam nonnulli desiderant. Verum isti, ne quid gravius dicamus, æquo morosiores sunt. Equis enim eat inficias, per montis altitudinem superbum illum spiritum haudquaquam

Asunt montes in fortitudine ejus. Non bonæ aquæ quæ sonant, atque turbantur, et potum præbere non possunt. Meliores sunt quæ pertranseunt; sicut scriptum est: *Inter medios montes pertransibunt aquæ, et potabunt omnes bestie agri: suscipient onagri in sitim suam (Psal. ciii, 10 et 11).* Denique ubi legio dæmoniorum petiit et accepit potestatem ut introiret in porcos, magno impetu se præcipitavit in mare (Luc. viii, 32): et aquæ illæ gregis sui præcipitatione turbatæ sunt. Alibi quoque idem David propheta sic posuit: *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt (Psal. lxxvi, 17);* hoc est, bonæ virtutes, quæ Verbi coelestis cognitione sunt placidæ, non sonitu et fragore terribiles. De malis autem virtutibus quid dicit? *Et conturbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum (Ibid., 17 et 18).* Abyssi Deum non vident, et ideo turbationibus semper obnoxie sunt. Et exposuit quid essent abyssi. *Multitudo, inquit, sonitus aquarum.* Nam et bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, ut adversus Eliam atque Enoch,^b atque Joannem qui propter testimonium Domini Jesu terris sunt redditii, præliaretur: ut legimus in Joannis Apocalypsi: cui datum est os loquendi magna, ut adversus Deum plena furoris convicia et sacrilegii personaret (Apoc. xiii, 5 et seq.).

11. Sonuerunt ergo aquæ, id est, immundi spiritus, cum turbarentur videntes opera Dei, in Domini salutaris adventu appropinquare sibi judicium pertimescentes. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ in Domini passione. Unde et dictum est: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania (Psal. ii, 1)?* Et alibi Scriptura dicit: *Periit memoria eorum cum strepitu (Psal. ix, 8).* Diabolus sonum quærit, Christus silentium. Denique *sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum (Esai. liii, 7).* Et alibi: *Non clamabit, neque contendet, nec quisquam audiet in platea vocem ejus (Esai. xlii, 2 et 3)... donec ejiciat in victoria judicium (Matth. xii, 19 et 20).* Quæ est ista nisi de serpente victoria? In hac fortitudine Filii Dei conturbati sunt montes; cum diabolus et ministri ejus viderent mortuos resurgentes. Isti sunt montes qui turbantur: illi montes qui transferuntur in paradysum, quibus dicitur: *Hodie mecum eris in paradiso (Luc. xxiii, 43).* Et alius cui dicitur: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere (Joan. xxi, 25).* Et Enoch qui raptus est; ne malitia sæculi mutaretur.

12. Post Domini passionem quid aliud sequi debuit, nisi quia de corpore Domini flumen exivit: quando de latere ejus aqua fluxit et sanguis, quo lætificavit animas universorum; quia illo flumine lavit

insulse adumbrari? Nam quod ad litteralem sensum attinet, numquam animi fuit sancto Præsuli negare fidei vim inesse *θαρρατοσυργικόν*: sed mysticum prosequi maluit, quod eum duceret auditoribus suis utiliore.

^b Quædam edit. Paris., atque Joanni: emendamus e cod. Reg., atque Joannem. Sed in aliis omnibus et mss. et edit. soli Eliás et Enoch memorantur.

peccatum totius mundi? Est et fluvius qui de Eden A exiit, et circumlit universam terram, Verbum Dei quo paradisi intelligibilis irrigatur, et omnis anima vocatur ad gratiam Christi, dicente ipso Dei Verbo: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Cui ego dederam aquam, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae* (Joan. vii, 38 et 39). Ex illo enim unico Dei Verbo quatuor fluviorum prudentiae et fortitudinis, temperantiae quoque et justitiae fluentia manarunt. *Alii enim per Spiritum datur 931 sermo sapientiae, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum...* *Hæc enim operatur omnia unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I Cor. xiii, 9 et seq.). Hi sunt impetus fluminis, cum se in gratiam ministeriorum operationis atque virtutis spontanea divisione transfundit.

13. His igitur fluminis superni meatibus civitas illa in qua Deus inhabitat, irrigatur; et sanctificatur Altissimi tabernaculum, omnis anima quæ inhabitatur a Christo; vel corpus illud quod Virgo generavit, de quo Gabriel angelus dixit: *Et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei vivi* (Luc. i, 35). Bonum tabernaculum, quod nulla potuerunt obumbrare peccata. Admirabile templum Dei, et aula celestis, quod solutum corrumpi non potuit, sed intra triduum resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus videbatur. Nec mirum, quando Deus in medio civitatis ejus erat, nec commotus est, sive quia nullius peccati prolapsione commotus est Dei Filius, nec alicujus erroris offensione litubavit, aut corporalis illecebræ nutavit impulsu; sive quia non relinquit animam ejus Dei gratia, sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluvione delicti immaculata duraverit. Unde et ad Patrem Dei Filius dixit: *Nec derelinques animam meam in inferno* (Psal. xv, 10). Ergo quia suberat ei nec in carne peccare; divine ait: *Ego in Patre et Pater in me est* (Joan. xiv, 10). Et alibi: *Traditus sum, et non egrediebar* (Psal. lxxxvii, 9). Ab eo utique non egrediebatur, cui dixit postea: *Exsurrexi, et adhuc tecum sum* (Psal. cxxxviii, 18). Ubi autem aliquis gravius peccat, commovetur in eo Deus, ut ab eo transeat. Unde et Adæ peccanti deambulare visus est, et Stephano stare; quia ille in prævaricatione lapsus est, hic in martyrio coronatus. Et in Zachariæ libro ita scriptum est:

^a *Ambulavit in commotione indignationis iræ suæ Do-*

^a Ita plerique mss. atque omnes edit. excepto quod Rom. habet, *ambulabit*. Mss. autem Remig., *Ambulavit in minitacione irritationis suæ*. Long. et Vale., *Ambulavit in commotione minitacionis suæ*. In quo non multum discrepant à LXX, apud quos legas: *καὶ πορεύσεται ἐν ὄργῳ ἀπειθείης αὐτοῦ*: ubi Vulg., *Et vadet in turbine austri*.

^b *Responsoria* proprie dicuntur, cantus qui singulis lectionibus subjicitur; vocanturque eo nomine, vel quia auditorum assensum significant, vel quia lectionibus respondent, tristitia tristibus, læta lætis; vel demum quia choro respondente cantantur; quemadmodum ex Stephano Aduensium episc. nec non ex Ruperto docet eruditionis eminentissimæ Cardinalis Bona lib. de div. Psalm. cap. 16, § 15, num. 2. Verum hic non sumi eo sensu responsoria manifes-

minus (Zach. ix, 14). Simile et in Evangelio dictum est Judæis: *Eccæ derelinquetur vobis domus vestra deserta* (Matth. xxiii, 38). Dereliquit enim Dominus Judæos, et statim secuta est ruina Synagogam. Quod si eam Christus non deseruisset, numquam eam supremum secutum esset excidium. Aperuimus ergo quod dictum est: *Deus in medio ejus non commovebitur*.

14. Sequitur: *Adjuvabit eam Deus diluculo*. Quo significatur quia resurrectio matutina adjumentorum nobis coelestium subsidia confert, quæ noctem repulit, diem refudit, dicente Scriptura: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illucescet tibi Christus* (Ephes. v, 14). Vide autem mysterium. Vespere passus est Christus: ideo et secundum Legem ad vespeream agnus occiditur (Exod. xii, 6). Mane surrexit; sic enim scriptum est: *Una autem sabbati venit Maria Magdalene prima luce ad monumentum, cum adhuc 932 esset obscurum, et vidit lapidem amotum ab ostio* (Joan. x, 1). Ad vespeream mundi occiditur, deficiente jam luce; quia in tenebris erat hic totus mundus, et majoribus fuisset tenebrarum squaloribus involutus; nisi Christus nobis e caelo lux æterna venisset, innocentiae tempora generis refususur humano. Passus est ergo Dominus Jesus, et sanguine suo nostra peccata donavit, lux refulsit conscientiae purioris, et dies resplenduit gratiae spiritualis. Unde et Apostolus ait: *Næ præcessit, dies appropinquavit* (Rom. xiii, 12). Evigilavimus igitur, jam non dormiamus. Vestem lucis induimus, non in amictus tenebrae conversationis atque exuvias revertamur. Comessionibus atque deliciis, quæ nocturni sunt temporis, vale diximus: sobrietatem elegimus, cujus gratia Jacob primatus quos non habebat, invenit.

15. In aliis quoque codicibus invenitur: *Adjuvabit eam Deus vultu suo*. Quid hoc quoque significet, ipse Propheteta nos doceat. Namque ipse in posterioribus dixit: *Ostende faciem tuam, et salvus erimus* (Psal. lxxix, 4). Aspectus ergo Dei, salus nostra est, atque in ejus vultu nostrum est adjumentum. In quo quanta vis sit, divina Scriptura declarat, quæ non otiose attexuit, quod *respexit Deus super munera Abel, super munera autem Cain non respexit* (Gen. iv, 4 et 5); et ideo contristatus est Cain, quod sacrificium suum Deo displicuisse cognovit, placuisse germani.

^D Unde et illud quod hodie in psalmi ^b responsorio de-

tum est, cum dicatur non lectionis, sed *psalmi responsorium*. Itaque haud illibenter existimarem post psalmos singulos decantari olim consuevisse singula responsoria: praesertim cum Gennadius de Script. Eccles. tradat Musæum episc. Massil. scripsisse responsoria psalmodum; et Rabanus, lib. i de Instit. Cleric. cap. 51, auctor sit responsoria in usu longe ante antiphonas in Italia fuisse. At vero eadem posse etiam pro ipsis psalmi versiculis usurpari Ambrosius ostendit in Psalm. xxxvii, col. 841, num. 58: *Nam ante responsorium proximum, inquit, versiculus est: Et projecerunt me, etc.*, ubi clarum est per vocem *responsorium*, intelligendum versiculum illum: *Sed tu ne derelinquas me, etc.*, ut patebit consideranti. Neque vero mirum videri debet, si psalmodum versiculi alternis choris persoluti re-

cantatum est, plurimum nostræ conducit assertioni: *Expectans expectavi Dominum, et respexit me* (Psal. xxxix, 2). Quem Dominus respicit, salvat. Denique in Domini passione cum titubaret Petrus sermone, non mente (licet ipse Petri sermo titubantis fidelior sit, quam doctrina multorum), respexit eum Christus, et Petrus flevit; quo proprium lavit errorem. Ita quem visus est voce denegare, lacrymis fitebatur.

16. *Conturbatae sunt gentes, inclinata sunt regna: dedit vocem suam Altissimus, et mota est terra.* Adventu Domini Salvatoris adversariæ potestates cum sua legione turbatae sunt; jussæ ab humanis exire corporibus, et precatæ ut mitterentur in porcos. Turbatis nequissimis potestatibus, necesse fuit turbari cultores simulacrorum, inclinari quoque regna peccati. Erat enim grave regnum, quod sibi in grave B servitium subjugaverat omnium animos peccatorum; qui enim facit peccatum, servus est peccati. Regnum autem peccati, mortis est regnum, quod diu toto orbe prævaluit. Unde et Apostolus ait: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri* (Rom. v, 14). Venit veritas, figura cessavit: venit vita, regnum mortis evanuit: venit remissio 933 peccatorum, et peccati vincula resoluta sunt. Ante etiam leviora delicta mortis nexibus stringebantur: post adventum autem Domini salutaris etiam graviora flagitia sunt remissa. Inclinata sunt ergo regna spiritalium nequitiarum quæ sunt in celestibus; quia cultus simulacrorum, et illecebra peccati cœpit imminui Evangelicæ prædicatione C doctrinæ. Inclinata est perfidia posteaquam cœpit fides in nationum regnare pectoribus. Inclinantur regna peccati; cum legitur: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (Rom. vi, 12). Inclinavit omnia regna perfidiæ voce sua Dominus dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis: et ego reficiam vos* (Matth. xi, 28).

17. Hanc vocem dedit Altissimus, et omnes eum secuti sunt populi nationum, dura peccati regna fugientes, et perpetuæ mortis atrocitatem, atque intolerabilem flagitiorum omnium servitutem; cum polliceretur fessis requiem, captivis remissionem, servientibus libertatem: et decusso jugo ferreo Babylonii regis, jugum suum suave cervicibus fidelium subrogaret; ne vacua colla gentilium rursus D inimicus catenis suæ iniquitatis astringeret. Christus enim quos alligat, liberat: et quos astringit, absolvit. Denique qui servus vocatus a Domino est, libertus est Domini; et qui liber vocatus est, servus Christi est. Ideoque in suis vinculis Paulus gloriatur dicens: *Paulus vinculus Jesu* (Ephes. iii, 1). Quod sub aliis contumelia, sub Christo gloria est. Dedit vocem suam in passione Dominus, et univer-

sponsoriam vocitentur; cum jam laudatus cardinalis psalmos quoque ob eandem rationem antiphonas posse nominari autumat. Ipsum ad isis lib. citato, cap. 16, § 10, num. 1. Non secus ac doctissimum

sa elementa tremuerunt, omnis terra commota est (Psal. xxiii, 1); ut ritus gentilium solveretur, fieretque terra Domini, et plenitudo ejus, ut scriptum est; cessarent auguria perfidorum, et sacrificium impietatis cognitio fidei et studium devotionis abolerent. Dat vocem suam Dominus quotidie, et resultat in cordibus singulorum; ut terrenum omne decedat ejus; qui bene credit affectu, atque omnes interiorum sensus animorum ab errore, a corruptione luxuriæ et dissolutione, ad cognitionem celestium sacramentorum, et studium castitatis; a nequitia ad virtutem pia confessione moveatur.

18. (Vers. 8.) Motos ergo eos dicit qui in terra sunt, vel quia terra erant omnes homines, in quibus erat terrena corruptio; quia oculos mentium ad sublime gratiæ celestis elevare atque attollere nesciebant; nec poterant dicere: *Deus virtutum nobiscum*; cum quibus non erat nisi prolapsionis inventor, et auctor erroris. Sed posteaquam vox Domini in Evangelio resultavit, audet Propheta dicere: *Deus virtutum nobiscum*. Bene dicit: *Deus virtutum nobiscum*; qui credidit quod Virgo in utero accepit et peperit. Audemus et nos dicere; *Deus virtutum nobiscum*; posteaquam Emmanuel, hoc est, Deus cœpit esse nobiscum. Ubi ergo Emmanuel, ibi *Deus virtutum nobiscum*.

19. *Susceptor noster Deus Jacob* (Ibid.). Imitemur ergo patriarcham Jacob, odorem ejus, virtutem ejus, laborem 934 ejus. Sicut enim Abraham opera facere debemus, ut filii ejus appellari jure mereamur; ita etiam exercitia atque certamina sancti Jacob subire debemus, ut Deus Jacob Deus noster esse credatur. Nam si opera Jacob, vel quia illum æquare non possumus, studia operis ejus ac fidei non agnoscat in nobis; quomodo quasi Deus Jacob nos juvare dignabitur?

20. (Vers. 9.) Dum hæc diceret, ecce per Spiritum sanctum præsens imago ei infusa est futurorum; et videns ex gravi perturbatione bellorum pacem toto orbe diffusam in adventu Domini salutaris, clamat ad universos dicens: *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Venite, ad congregationem spectat: Videte, ad intentionem; et cognoscendæ studium veritatis. Videte, inquit, opera Domini plena miraculis, in quibus magnarum sunt signa virtutum.* ^a Denique τέρρα Græce, admiranda dicuntur Latine. Non ergo quasi prodigialis horroris accipias opera Domini, sed quasi plena admirationis. Præclare posuit *super terram*; id est, in terram.

21. (Vers. 10.) *Auferens bella usque ad fines terræ, arcum conteret et confringet arma: et scuta comburet igni.* Et vere antequam Romanum diffunderetur imperium, non solum singularum urbium

Cangium in voce Responsorium.

^a Mss. nonnulli, *Denique prodigia Græce, admiranda dicuntur Latine.* Alii et edit. ut in textu, excepto quod Rom. habet. . . . *prodigia dicuntur Latine.*

reges adversum se præliabantur; sed etiam ipsi Romani bellis frequenter civilibus atterebantur. Pugnavit Marius adversus Cinna. In utraque parte Romanus fusus est sanguis. Sylla insurrexit, et Mario victori rursus civilia bella commovit. ^a Lepidus Sertoriusque rebelles se Romano imperio præbuerunt. Cæsar Pompeium est persecutus, et Galliarum furorem excitavit adversus arma Romana. Devicto seniore Pompeio, juniorem in Hispaniarum partibus debellavit. Quid ^b Triumviros loquar ex hostibus amicos, ex amicis rursus in hostiles tumultus esse progressos: maria quoque Actiaco bello infecta sanguine Romanorum? Unde factum est, ut tædio bellorum civilium, Julio Augusto Romanum deferretur imperium; et ita prælia intestina sedata sunt. Hoc autem eo profecit, ut recte per totum orbem apostoli mitterentur, dicente Domino Jesu: *Euntes docete omnes gentes* (Matth. xxviii, 19). Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, ut Thomæ India, Matthæo Persia. Sed tamen quo plura obirent spatia terrarum, in exortu Ecclesiæ potestatem Romani imperii toto orbe diffudit, et dissidentium mentes, terrarumque divortia donata pace composuit. Didicerunt omnes homines sub uno terrarum imperio viventes, unius Dei omnipotentis imperium fidei eloquio confiteri.

22. Abstulit ergo bella usque ad fines terræ; quod factum esse non dubium est. Sed vide ne bella infirmitatis abstulerit, quæ sunt in corde titubantium. Qui enim terrena transierit, jam non dicit: *Foris pugnae, intus timores* (II Cor. vii, 5); sed dicit: *Nostra autem conversatio in cælis est* (Philip. iii, 20). Transi ergo mundum, **935** ut incipias esse supra mundum; ^c *περάσαι* enim transire est, vel ut dicam expressius, transfretare. Abstulit ergo Dominus bella, quæ movebat nobis nequitia spiritalis: et devicto diabolo, pacem suam nobis reliquit. Arcum confregit, de quo ignita adversarii jacula spargebantur: et scuta perfidiæ combussit igni; ut scutum fidei inviolabile permaneret.

23. (Vers. 11.) *Vacate, inquit, et videte, quia ego sum Dominus.* Vox Domini post bella sedata: **D**

^a Fuit is M. Æm. Lepidus Marianarum partium assertor, qui adversus Catulum Syllanæ factionis ducem quicum prius consulatum gesserat, bellum gessit. De eodem autem Lepido mox iterum dicemus.

^b Antonius, Lepidus, atque Augustus prius discordes, ut Julii Cæsaris a Bruto aliisque conjuratis interfecti necem persequerentur, assumpta triumvirali potestate arma sua primo conjunxerunt: sed brevi soluta est illa societas. Namque haud multo post Lepido in ordinem redacto, Antonius denique apud Actium maritimam Epiri urbem navali pugna profligatus ab Augusto violentas manus in suam ipsius vitam convertit. Has Octaviani Cæsaris victorias, et pacem inde secutam Tacitus compendio exprimit illis verbis: *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine principis, sub imperium accepit.*

^c Sic mss. aliquot, atque edit. omnes. Verumtamen quorsum hoc loci vox *περάσαι*; nisi velis eam

A *Vacate*, ut nulla animarum sit occupatio; ne offusio sæcularium perturbationum internæ oculum mentis obducat. *Vacate*, inquit, ab erroribus, *vacate* a perturbationibus, *vacate* a peccatis; quia *omnis qui peccat, non vidit Deum, nec cognovit eum* (I Joan. iii, 6); sicut in Epistola sua dixit Joannes Evangelista. *Vacate* ergo studio cognoscendæ divinitatis: nolite terrenis operibus occupari. Ideo rex Ægyptiorum augeri jubebat numerum laterum, et cætera onera Judæorum; ne cognoscerent Deum, et cultui sacro vacarent, offensus Moysi et Aaron voce sanctorum, qui dicebant: *Dimitte populum Dei, ut eamus et serviamus Domino Deo nostro* (Exod. v, 6 et seq.).

24. *Exaltabor inter gentes, et exaltabor in terra.* Erat sublimis Dominus in excelsis, id est, in Angelis et Archangelis, in patriarchis et prophetis, qui de illo sublimia sentiebant, nec eum terrenis imaginibus ^d et simulacris scrupis conferebant: sed non erat sublimis in populis nationum, qui **936** Deum suum in antris et spelæorum habitaculis requirere videbantur. Denique reprehenditur Magdalena, quæ Christum quasi mortuum flebat, et quasi sepultum quærebat in tumulo. Unde dicit ad eam Christus: *Maria, quid ploras? quem quæris* (Joan. xx, 15)? numquid eum qui posset auferri? Audivit vocem, et recognovit eum, et volebat contingere; et ait Dominus: *Noli me tangere* (Ibid., 17), quem putas mortuum. *Ad Patrem vado.* Miraris quod in tumulo non invenisti, quem cœlestia præstolantur? Aut forte reprehenditur, quia Christum nisi fides perfecta non tangit; sicut hæmorrhœissa plena eum tetigit fide. Unde Dominus ait: *Tetigit me aliquis: sentio de me virtutem exisse* (Luc. vii, 46). Quo dicto, agnovit in se illa quod exeunte fuerat virtute curata; et statim confessa est sui conscia quod Dominum ipsa tetigisset. Unde Dominus ait: *Fides tua te salvam fecit: vade in pace* (Ibid., 48). Exaltatus autem in terra Dominus est, secundum quod ipse ait: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum* (Joan. xii, 32). Vel quod facta est voluntas ejus sicut in cœlo et in terra.

25. (Vers. 12.) Et repetit dicens: *Deus virtu-*

respicere ad *περάτων*. Nam versiculus, qui hic exponitur, ita habetur apud LXX, *Ἀνταναιρῶν πολέμουσ μέχρι τῶν περάτων τῆς γῆς*. Nihilominus videtur Doctor noster potius scripturus fuisse *περῶν* aut *περάσθαι* quam *περάσαι*. Quocirca non magno momento inflecterentur in lectionem aliorum mss. ubi legimus, *phase enim transire est*. Etenim hoc sancto viro satis usitatum, ut tectis quodammodo verbis Scripturæ locos ad eruenda ex eisdem morum præcepta subinnuat. Posset igitur inde duci hic sensus: transendo a terrenis ad cœlestia imitare Israelitarum phase, etc. Sed interim lectioni receptæ non præjudicamus.

^d Mss. nonnulli, *et simulacris sculptis*. Melius alii ac edit. . . ., *scrupis*, id est, saxeis; scrupus enim saxum est, unde scrupulus. Quod autem adjungitur de antris ac spelæis, tangitur ethnicorum superstitio, qua deorum oracula potissimum in subterraneis locis interrogabant; ut putâ in antro Delphici Apollinis, Sibyllæ; Trophonii et similibus.

tum nobiscum, susceptor noster ^a Deus Jacob. Repetitio confirmatio est. Vel quia non solum quando natus ex Virgine est, factus est nobiscum Deus; sed etiam post resurrectionem ipse dixit: *Ecce ego*

^A *vobiscum sum. . . usque ad consummationem mundi (Matt. xxviii, 20)*. Cui est honor et gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

^a Rom. edit. post voces, *Deus Jacob*, subjungit, *Deus virtutum nobiscum*. Repetit quod supra dixerat. *Repetitio autem confirmatio est.*

IN PSALMUM XLVII ENARRATIO.

935 1. (Vers. 1.) Hujus titulus hic est: ^a *Psalmus cantici filiis Core, secunda sabbati (Psal. xli et seq.)*. Boni filii Core, et psalmis jam superioribus approbati, eo ^b quod congruis sensibus et cogitationibus ad virtutum studia convenientibus in semetipsis pangerent spiritale psalterium, et cognitioni divinitatis, ^c pervigiles specula mentis intenti, cœlestium mysteriorum digni forent haurire secreta. Et ideo cum psalmodiarum ante arcam Domini quotidie canendorum munus et officium recepissent, videntur electi, ut psalmum cantici in secunda sabbati specialiter reciperent concinendum. Etenim quibus recte videbatur esse commissum, ut ascensionem Domini ab inferis resurgentis voce sua psallerent; his utique deferendum fuit, ut ipsum resurrectionis diem munere suo ministerioque celebrarent. Quid est enim secunda sabbati; nisi Dominica dies quæ sabbatum sequebatur? Dies autem sabbati erat dierum ordine posterior, sanctificatione Legis anterior. Sed ubi finis **936** Legis advenit, qui est Christus Jesus (*finis enim (Rom. x, 4) Legis Christus ad justitiam omni credenti*) et resurrectione sua octavam sanctificavit: cœpit eadem prima esse, quæ octava est, et octava quæ prima: habens ex numeri ordine prærogativam, et ex resurrectione Domini sanctitatem. Unde et in Evangelio legimus *δεύτεροπρωτον* sabbatum (*Luc. vi, 1*), quod Latine dicitur secundo-primum. Ubi enim Dominica dies cœpit præcellere, qua Dominus resurrexit; sabbatum quod primum erat, secundum haberi cœpit a primo. Prima enim requies cessavit, secunda successit. Unde et ad Hebræos scribens Apostolus ait: *Postera ergo die restat requies populo Dei. Festinemus igitur intrare in illam requiem (Heb. iv, 8, 9 et 11)*.

2. Requies ergo vera jam non in operis cessatione, sed in resurrectionis est-tempore. Ideoque qui sabbati secundum Legem solemnitatem custo-

diebant, unam sabbati nuncupabant, quasi unum esset sabbatum et non aliud. Nos qui observantiam **937** induimus spiritalem, et ad similitudinem et requiem Dei cupimus nostram formare militiam, atque in illa civitate cœlesti nostrum exhibere ministerium: ubi non est exemplar, non umbra, sed veritas; primam dicimus sabbati, sicut scriptum est: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati (Matt. xxviii, 1)*. Nihil autem pulchrius, nihil expressius. Ante resurrectionem sabbatum dixit, post resurrectionem primam sabbati nuncupavit. Joannes quoque Evangelista dicit: *Prima sabbati venit mane Maria Magdalena; cum adhuc tenebræ essent (Joan. xx, 1)*. Tenebræ pro tempore, mane pro gratia. Sed isti expressius secundum Evangelium, ^d quasi recusso velamine. David autem sub Lege positus, ^e et moderationem tenuit: debitæ cantionis, et mysterium non repressit, ut secunda sabbati diem Dominicam declararet; quo apud Judæos ordinem numeri putaret esse servatum, et spiritale sacramentum agnosceret revelatum. Audiamus igitur quid dicat, qui in secunda sabbati Deo psallit.

3. (Vers. 2.) *Magnus, inquit, Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in loco sancto ejus*. Non ergo ubique Deus magnus et laudabilis est? Ille quidem ubique magnus et potens est; sed angusta mens non capit magnitudinem divinæ ejus potestatis et gratiæ. Quanto autem magis appropinquat Deo nostra cognitio, tanto præcellentior ejus nobis videtur esse majestas. Denique Thomas qui ante dicebat: *Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam (Joan. xx, 25)*; ubi misit digitum suum, et evidentia resurrectionis cognovit indicia, admirans intra se Dei gratiam: *Dominus, inquit, meus et Deus meus (Ibid., 28)*. Tunc ergo plenissime divinitatem ejus dominationemque confessus est, ubi eum resurrexisse non du-

^a *Psalmus et Canticum* in Dei laudibus versabantur, ille quidem voce, hoc autem organo musico, celebrandis. Verum si quando vox organo præcineret, *Psalmus cantici*; sin autem organum voci, *Canticum psalmi* dicebatur. Vide super hoc Cassiod. *Prol. in Psal. cap. 5 et seq.* Item Flam. Nobil. in hunc locum; nec non Card. Bona *De Divina Psal. cap. 16, § 12, n. 1*, atque alios.

^b *Iidem mss., quod et in gravibus sentibus.*

^c Ita plerique mss. quorum tamen aliqui conjunctim legunt, *speculamentis*. His accedunt Colb. et Viet. nisi quod hic habet, *pervigilis*, ille, *pervigilia*

bus. Reg. et cum eo quædam Paris. edit., *pervigiles speculo mentis*. Vet. edit. ac Rom., *pervigili specula*, etc. Specula autem locus editus est atque ad speculanda longinqua idoneus. Unde præf. in psal. i, num. 2, habes: *Aliorum (scopulorum) specula, aliorum usus*, etc. Per metaphoram vero pro sublimi vel intenta mentis contemplatione accipiuntur.

^d Rom. edit., *quasi reciso velamine*.

^e Rom. edit., *et modulationem tenuit*. Aliæ ac mss., *et moderationem*, etc. Sed quidam pro *cantionis*, antiquariorum lapsu præferunt, *cautionis*.

bitavit ab inferis. Denique in Sion hymnus Deum A decet, et votum ei solvitur in Hierusalem. Quid igitur mirum si in civitate coelesti, et in illo superno et æthereo loco potentia ejus vehementius prædicatur?

4. (Vers. 3.) Addidit : ^a *Dilatans exultationem universæ terræ.* Et vere magnus dicitur, qui istius terræ in qua ante intolerabilium peccatorum germina pullulabant, ubi erat mærorum tristitiæ et gemitus, exultationem toto orbe diffudit. Itaque hominum conscientia quæ ante flagitiorum suorum gurgitibus demersa lugebat, nunc per indulgentiam Christi, et remissionem omnium peccatorum metu absoluta lætatur. Convenit igitur etsi ita intelligamus, ut diximus; sed quia in vetustis exemplaribus aliquibus reperimus : [ἐπιζῶ ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς; quod Latine significat bonâ radice exultatione universæ, B terræ : sensum quidem eundem advertimus; quia divina in nobis Dei Patris dona laudantur, qui dedit nobis exultationem bonâ radice fundatam, Deum videlicet Jesum, veram et fecundissimam **938** vitam, de qua sacramenta fluxere coelestia; in quibus est perpetua et diuturna lætitia, quod his abluatur omne peccatum, et conscientia interna mundetur: elocutionemque convehire cognoscimus; quia benedicata exultatione lætamur, qui exultamus in Christo. Sæculi enim lætitia temporalis est, perpetua autem lætitia ejus qui gaudet in Domino.

5. (Vers. 4.) *Mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni. Deus in gradibus ejus dignoscetur, cum suscipiet eam.* Cur sit exultatio universæ terræ, evidenter expressit; quoniam Dominus Jesus Ecclesiam C sibi ex peccatoribus congregavit. Itaque qui erant ante latera aquilonis, id est, socii et in hærentes diabolo, cui dicitur : *Exsurge, aquilo, ut veniat auster* (Cant. iv, 16); facti sunt Christo fideles. Ipsi sunt enim de quibus dicitur : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion* (Psal. cxxiv, 1). Facti sunt itaque mons Sion per gratiam Christi, et baptismatis sacramentum. Aquilonis intelligibilis gravis est flatus, qui prius tempestates asperrimas et procellas humanis movebat affectibus : coepit suos amittere, qui vexabat alienos. Gentem omnem everterat Judæorum, nationes omnes suo revinctas tenebat imperio, ipsius erant latera; hoc est, aspirabant eum eo. Sicut enim principis latera dicimus stipatores ejus et comites, et sicut mulier latus est viri, eo quod morigera ei D societate jungatur; ita latera erant diaboli, qui faciebant ipsius voluntatem. II ergo nunc sunt mons

Sion, qui Deum specularunt æternum, et ipsi noctibus et diebus intendunt. Vide mihi Paulum cum persequeretur Ecclesiam Domini, latus aquilonis fuisse : vide nunc cum legitur in Ecclesia, montem esse speculatorium, per quem Christi gloriam cognoscimus, et videmus. Et quia Græcus montes dixit, hoc est, ὄρη; vide quomodo servuli Christi montes sint. *Montes in circuitu ejus* (Ibid., 2); in quibus est Ecclesia Domini, quæ est civitas Regis magni. Simul quia Dominus secundum cœli tractum ^b in Venerario passus est; qui erat locus in latere aquilonis. Ibi autem et mons Sion; ibi Hierusalem quæ in terris.

6. Vide ne id quoque videatur expressum, quia congregatio plebis Dei, quæ erat aquiloni conjuncta per culpam, Ecclesia Christi est facta per gratiam; ut jam non Synagoga, sed Christi Ecclesia nuncupetur. Et quia reliquæ Judæorum per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, in ipsis Deus cognoscitur, in Petro, Paulo, Joanne, Jacobo, qui graves et excelsi viri velut fundamenta et culmina sunt Ecclesiæ. Quasi fundamenta gravia, quos nulla gravis aquilonis flabra concusserint; sed immobiles fidei servaverunt fundamentum; ne Ecclesia tota nutaret : præcelsi quasi culmina, qui verticem ejus turribus suæ virtutis erexerint. Etenim sicut in operibus suis conditor, et in ædificationibus suis ædicator agnoscitur; ut etiamsi nomen non audias, tamen ex operum **939** qualitate artificem deprehendas (et quid mirum de humanis, cum ipsius Creatoris æterni, qui non videtur a nobis, invisibilia tamen ejus per ea quæ facta sunt, intelligamus), ita in excelsis et magnis domibus (quæ domus nos sumus, si libertatis et gloriæ fundamentum usque ad finem firmum tenuerimus) Deus habitator agnoscitur, ut Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Ipse enim verus Deus, qui tales viros præceptorum suorum institutione fundavit. Ergo sicut in illis se Deum demonstravit æternum; ita, inquit, cum Regis magni suscipiet civitatem, gradibus ejus receptionem suæ cognitionis infundet : ut fiant docibiles Dei, qui mandatum ejus et audierint, et putaverint exsequendum; ne ab illius domus ædificatæ in petra firmitate degenerent.

7. (Vers. 5, 6.) ^c Hoc, inquit, videntes reges terræ congregati sunt, et transierunt in unum. Ipsi videntes tunc admirati sunt. Boni reges qui sui corporis possunt se præbere rectores, ab ipsa patriarchæ Abraham origine et institutione manantes, qui docuit peccatum posse superari. Ideo verus rex, qui flagitiis esse ne-

^a Rom. edit. sola præmissis duobus integris psalmi versibus, hoc hemistichion annectit; ac tum subjicit. *Recte supra dixit : Magnus Dominus. Nam vere, etc.*

^b Mss. Vict. et Colb., *Venerario passus est. Mendose.* Alii omnes saltem Gallic., *venerat, passus est ubi erat, etc.* non multo sanius. Itaque ab edit. non discedimus. Notant autem ad marg. vet. edit. ex Hieronymo, per annos ferme ducentos in loco resurrectionis, Jovis simulacrum; in rupe sanctæ crucis, statuam Veneris marmoream stetisse : sperantibus persecutionis auctoribus fore, ut hac arte Christianis sanctissimorum mysteriorum fidem eximerent. Unde

ibidem concluditur Venerarium ab Ambrosio dici locum, qui fuisset Veneris sacrilegis religionibus pollutus spurcatusque. Verum cum nefarius ille cultus non nisi multis annis post Domini resurrectionem adhibitus fuerit, veremur ut satis commode dicere potuerit sanctus Doctor, Christum in Venerario passum esse : maxime ob antecedentia illa, *secundum cœli tractum*; sed ea de re eruditiores pronuntiant.

^c Edit. Rom., *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, transierunt in unum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Reges terræ congregati sunt. Boni reges, etc.*

scilicet obnoxius, in quo culpæ et erroris illecebræ regnare non potuit. Unde et dictum est ad hujusmodi virum a filiis Chet: *Rex a Deo tu es nobis* (Gen. xxiii, 6). Tales ergo reges terræ, qui carni imperitarent, congregati sunt; ut in uno essent corde, et in uno spiritu, sicut legimus: Quia multitudo credentium habebat unam animam, et cor unum, et non erat in his aliqua separatio (Act. iv, 52). Ii sunt qui transierunt in unum non tam locum, quam in eundem affectum atque propositum. Probato enim dicitur: *Transi, recumbe* (Luc. xvii, 7). Neque enim mediocris virtutis est, ab improbis ad honesta, a terrenis ad æterna transire, et carnalis vitæ consuetudinem commutare, omnemque ejus abolere usum, novos mores assumere, totumque statum conversationis veteris detorquere. Meritoque dicitur ei: *Si transeas per aquam, tecum sum* (Esai. xliii, 2). Cum transeunte est Deus, non cum desistente.

8. Ii ergo qui intra semetipsos erant ante discordes, ubi in unum, mente et studio convenerunt, recepta pace quæ fecit utraque unum, et inimicitias in carne sua medii parietis destructione dissolvit: admirati sunt, vel eum qui in gradibus suis dignoscitur, vel homines ita esse conversos; ut qui ante diabolo serviebant, hunc Domino Jesu justis pietatē servitii mancipati sint. Et quia reges sui corporis in semetipsis vim non mediocris laboris experti (neque enim facile atque mediocre est animum vincere, reseccare cupiditates, edomare carnis lasciviam, a verruncare luxuriam, quæ repugnabat et Paulo, ut captivum sibi peccati lege constringeret) sicut gratiam in iis qui virtute processerant, mirabantur: ita etiam ne quis relaberetur in vitia, de superiore virtutum dejectus fastigio, commovebantur. Proclivis enim et mutabilis in utrumque est humana conditio; ut quocumque intenderit, eo **940** propendeat et vergat vel ad studia virtutum, vel ad illecebram delictorum.

9. Et ideo non mediocri quatiebantur affectu; ita ut ex formidine tremor apprehenderet eos, considerantes illud quod scriptum est: *Quia in locis impiorum ingemiscunt iusti* (Prov. xxviii, 28). Denique vide mihi Petrum amarissime flentem, quod ei error obrepserit; et virtutem suæ mentis prolapsione corporeæ fragilitatis inflexerit: meritoque a Christo supra esse reprehensum, quod ausus sit usurpare constantiam, nec obnoxiam considerare naturam. Et hic quidem per gratiam emendavit errorem; sed Judas mansit in crimine, perseveravit in gemitu. Justis erat cum apostolorum numero neceretur: sed quia supplantatus a diabolo est, in locis nunc deplorat et ingemit impiorum; quod de gratia sit relapsus ad poenam. Ergo cadentibus hujusmodi viris, qualis fuit

A proditor Judas; vel Saul a Domino Deo suo accitius ad regnum, etiam fortes viri trepidabant.

10. (Vers. 7.) Colferentes denique quanto certamine perveniretur ad finem, quantæ contritiones justorum, quantæ sollicitudines, qualis adversarius, quanta diuturno labore contentio, quantæ amaritudines præpositi terroris, quæ vincula continentia, quæ conscientia verbera, non mediocriter conturbantur; ne quis tantis vel laboribus vitæ austerioris cederet; vel doloribus. Sunt enim ibi dolores acerbissimi et graves; id est, in Ecclesia, in illa civitate Regis magni sunt dolores, sicut parturientis, donec formetur Christus in nobis. Neque enim sine dolore Paulus erat, cum videret in Galatis insipientibus doctrinae suæ tardiorē profectum. Ideoque dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. iv, 19). Testificatur et Dominus in Evangelio graves esse parturientis dolores; cum dicit: *Mulier cum parturit, tristitiam habet; quia venit dies ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit tristitia propter gaudium; quia natus est homo in hoc mundo* (Joan. xvi, 21). Magnus ergo labor, ut aliquis sibi Christum acquirat; ne sine gubernatore quasi navis in sæculi istius sælo fluctuet. Denique apostoli tristes erant, cum se Christus ad Patrem rediturum esse memoraret, quod absente rectore destitui se putarent. Gaudium Christus est. Ipse est et puer quem parturit, qui in utero suæ mentis accepit spiritum salutis. Qui pepererit, et enutrierit, exultat: qui parturit, quatitur atque compungitur.

C 11. Bonum est ut et parias, et enutrias eum. *Ne coquas agnum in lacte matris suæ* (Exod. xxiii, 19), ne dicatur tibi: *Væ in utero habentibus et nutrientibus* (Matth. xxiv, 19). Sic enim Christus natus est ex Maria, ut agnoscas eum, sicut bos agnovit possessorem suum: et scias quia ipse te creavit, et majores tuos ipse possedit. Non eum quasi parvulum nutrias, sed quasi verum atque perfectum Deum ex vero et perfecto Deo noveris adorandum. Sic eum Magus adoravit, ut non in lacte matris agnum coqueret; sed quasi Deum veneraretur æternum. Denique ut eum inveniret, **941** cælum aspiciebat. Non ergo quærebat in terris, quem de cælo fulgens stella monstrabat. Ideo eum Maria non parturivit, sed peperit, quia et Dominum et salutare sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur dicens: *Magnificat anima mea Dominum: et lætatus est spiritus meus in Deo salutari meo* (Luc. i, 46 et 47). Ibi ergo dolores sicut parturientis. Dolor est ut parturias, dolor est ut enutrias; quem in principio debes habere perfectum.

D 12. (Vers. 8.) Ideoque plerique graviter contæcitæ reprehensionis genus est. Altamen verba proxime sequentia videntur ostendere apertam illam reprehensionem quæ Petri lapsum antecesserat, significari. Quapropter aliorum mss. lectionem antetulimus. Edit., *propositi terroris*. Mss. vero alii, *præpositi terroris*; alii, *præpositi erroris*. Non male; si referas ad errorem Judæ, vel similitum. Sed prior vox præferenda, ob ea quæ de doloribus subjiciuntur.

^a Omnes edit. in contextu, *evacuare luxuriam*. Omnes mss. ac vet. edit. in margine, *averruncare*; hoc est, runca seu sarculo excindere: improprie vero, avertere ac depellere, ut averrunci apud antiquos dicebantur malorum depulsores.

^b Cunctæ edit. ac duo mss.; *suppressè reprehensum*. Ubi potest allusio fieri ad illud Luc. xxii, 61: *Et conversus Dominus respexit Petrum*; hoc enim quoddam

runtur, sicut versiculus significat, qui secutus est : *A venire non possint. Ad Salomonem autem, utpote sapientem et pacificum virum naves de Tharsis cum auro et argento, et dentibus eburneis sine ulla offensione veniebant, et eo ipse mittebat. Habebat enim cum rege Hiram sacræ negotiationis spiritale commercium, et mutuæ gratiæ concertantis affectum. Has ergo naves ii qui regali in se auctoritate potiuntur ad coercendam ferociam corporalem, videntes ex corruptibilibus in corruptas, ex maculosis summa gratiæ luce fulgentes, ex dissolutis atque detritis esse renovatas, vivere ex mortuis, ex sepultis resurgere, celebri sermone commemorant.*

In spiritu vehementi conteres naves Tharsis. Nam dum ad fidei perfectionem Dei famuli pervenire desiderant, commacerant corpus suum, castigando severius, et redigendo in ministerium servitutis; ne reprobentur qui fuerant jam probati. Hoc autem faciunt in spiritu sancto valido atque vehementi. Est enim spiritus consilii atque virtutis, ut nimia abstinentia dissolvant corpus suum, quo omnes ejus evacuent voluptates; ut dicatur illis : *Convalescite, manus remissæ, et genua dissoluta (Esai. xxxv, 3).* Cum enim solutus quis fuerit ab ista compage terrena, tunc fortior ad vitam resurgit æternam. Mentior, nisi astipulatur Scriptura, quæ dicit : *Dissolvi et cum Christo esse, multo melius (Philip. i, 23).* Qui dissolvitur, incipit esse cum Christo. Et alibi : *Tem-*

pus meæ resolutionis instat (II Tim. iv, 6). Qui ergo meditatus fuerit se ipsum dissolvere per abstinentiam, diem passionis suæ timere non poterit.

13. Et bene ait spiritum vehementem, naves dicitur. Naves autem de corporibus dixit, quæ vago diversarum passionum fluctu moventur : et cito merguntur, nisi habeant gubernatorem. Unde et alibi ait : *Qui descendunt in mare in navibus (Psal. cvi, 23).* Bene autem navigant, qui in navibus Christi crucem sicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum; ut corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque securi : nec permittunt naves suas vago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis, et ad consummationem gratiæ cursus sui directione contendunt; ut fida statione

potiantur, quo dissolutæ cursus suos possint in resurrectione reparare, ubi naufragium timere non possint.

14. Et nos igitur circumspectemus hanc gratiam, speculatores ejus simus, exploremus eam; ut fiant corpora nostra naves Tharsis. Tunc enim caro ad servitatem redigitur, cum ad Dei intendimus gratiam; ut id quod amarum ad tempus sit, sicut est jejunium, non quod dulce et voluntarium, sequamur. Tharsis ergo est speculatorium gratiæ, intelligibilis civitas, ut Sion superior. Ad eam festinabat Jonas. De ea dixit Scriptura, quia sociatus est Josaphat ^a Ozia regi, et sic placuit ut facerent, et irent ad eum naves in Tharsis. Sed quia impio se conjunxit, ideo missus est ad eum propheta, qui diceret ei : *Destruxit Dominus opus tuum, et contritæ sunt naves tuæ, et non potuerunt ire in Tharsis (II Paral. xx, 35, 36 et 37).* Quo significatur quod prævaricantium mandatum Dei corpora ad consummationem **942** gratiæ per-

^a Rom. edit. sola, *Ochosia regi, et sic placuit ut facerent naves, et irent in Tharsis.*

^b Cum docetur hoc loco peccatum mundi nullo alio modo, quam Christi sanguine potuisse aboleri, illud intelligendum est ex parte ipsius mundi; quod scilicet nulla existeret pura creatura, quæ vel pro communi peccato vel pro suo satisfacere saltem plene perfecteque posset, ut communiter affirmant Theologi. Verum ex parte Dei S. Thomas part. iii, quæst. 46, art. 2, Augustini auctoritate ostendit

tametsi modus liberationis humanæ fuerit convenientissimus, absolute tamen alium Deo non defuisse, quo mundum redimeret. Quod sane Ambrosium negaturum fuisse non putamus. Neque enim tam angusti limites potentiæ ac sapientiæ divinæ statuendi sunt, quam hac nostra ætate quidam etiam e catholicis audacius quam consultius faciunt. Et certe Psal. seq., vers. 8, sanctus Doctor soli simplici homini peccatorum redimendorum abjudicat facultatem.

15. (Vers. 9.) *Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum.* Audivimus extra civitatem, vidimus in civitate, cui Deus est lumen æternum, fulget dies sine sole mundano, luna non quæritur : fundamentum ejus non temporale, sed æternum est.

16. (Vers. 10.) *Suscepimus, inquit, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Si ad Filium Dei dicitur, templum ita intelligimus, secundum quod ipse de corpore suo dixit : *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud (Joan. ii, 19).* Vere templum Dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. Vere templum Dei caro illa in qua nullum peccati potuit esse contagium; sed pro delicto mundi totius fuit ipsa sacrificium. Vere templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, et corporaliter plenitudo divinitatis habitabat; quoniam ipse Christus est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Quod quid est, nisi quod ait : *Medius vestrum stat, quem vos nescitis (Joan. i, 26);* hoc est, in medio vestri est, et non videtur? Si autem ad Patrem refertur, quid est : *In medio templi tui;* nisi quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi?

17. In illo ergo templo *suscepimus, inquit, misericordiam tuam;* hoc est, Verbum quod caro factum est, et habitavit in nobis. Sicut enim redemptio Christus, ita et misericordia. Quæ autem major misericordia, quam quod pro nostris flagitiis se præbuit immolandum; ut sanguine suo mundum lavaret, cujus peccatum ^b nullo alio modo potuisset aboleri? Etenim si de sanctis viris Apostolus dixit : *Templum Dei vos estis, et Spiritus sanctus inhabitat in vobis (I. Cor. iii, 16);* quanto magis carnem Domini Jesu templum Dei dixerim, qui semper plenus Spiritu sancto legitur, et ipse testificatur dicens :

tametsi modus liberationis humanæ fuerit convenientissimus, absolute tamen alium Deo non defuisse, quo mundum redimeret. Quod sane Ambrosium negaturum fuisse non putamus. Neque enim tam angusti limites potentiæ ac sapientiæ divinæ statuendi sunt, quam hac nostra ætate quidam etiam e catholicis audacius quam consultius faciunt. Et certe Psal. seq., vers. 8, sanctus Doctor soli simplici homini peccatorum redimendorum abjudicat facultatem.

Sentio de me virtutem exiisse (Luc. viii, 46); quæ virtus omnium vulnera acerba sanabat. Potest et illud intelligi quod dixit suscepisse se cum populo misericordiam Dei in medio templi ejus; quoniam ipse Ecclesiam suam fundavit, et propagavit in æternum; quoniam ipse vere cum Filio suo unigenito hanc gratiam plebi suæ contulit, quem ædificatorem etiam demonstravit dicens: Hic ædificabit mihi civitatem (Esai. xlv, 15); quæ diffusa toto orbe terrarum, 943 fecit ut tota terra plena laudis ejus esset et nominis. Sicut enim scriptum est: Laudis ejus plena est terra (Habac. iii, 3); ita scriptum est: Datum est ei nomen super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu curvet cœlestium, et terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quod Dominus Jesus in gloria est Dei Patris (Philip. ii, 9 et seq.).

18. (Vers. 11.) Unde proprie dixit Propheta: *Secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.* Non mirum est si plenus est justitiæ Dei, qui est dextera Dei. Idem autem est virtus Dei, et justitia Dei; ut et secundum id quod justitiæ Dei plenus est, eam justitiæ plenitudinem in eo esse quam Pater habet, noveris: et secundum id quod virtus et justitia Dei Patris et sapientia legitur, nihil in eo divinæ majestatis intelligas esse diversum; sed omnia accepisse a Patre Filium, et omnis gloriæ paternæ Filium splendorem esse cognoscas, et ejus characterem substantiæ: qui ita expressit Patrem, ut in eo totus sit Pater, sicut in Patre totus est Filius.

19. (Vers. 12.) Et quia vidit in spiritu Propheta *C laudes Christi terris in omnibus prædicandas, velut epilogo quodam faciens suscepti sermonis excessum ad lætitiã nos et cultum nominis ejus hortatur dicens: Lætetur mons Sion; id est, qui confidunt in Domino, sicut ipse postea interpretatus est dicens: Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, etc. (Psal. cxxiv, 1). Ipse Dominus Jesus, qui est mons et altitudo Ecclesiæ suæ, quæ Christum suum toto speculatur affectu, lætetur fide ejus et devotione quæ complacuit Deo; quoniam repudiata est infidelis. Potest igitur et hoc pie intelligi, quoniam etiam^a superior omnibus ipse est mons, in quem is ascendere jubetur qui fidem prædicat, dicentē Scriptura: *In montem excelsum ascende qui evangelizas Sion (Esai. xl, 9).**

20. Exsultent, inquit, ^b animæ confitentes tibi. Ipsæ sunt filiæ Judææ illius in qua notus est Deus. Nam ista Judæa quæ in carne est vel littera, non agnovit Dominum. Nam si agnovisset, etiam recepisset. Sed non agnovit, quem non recepit, et judicia ejus refugit: quibus eos non ex patre Abraham, sed ex diaboli semine manare memorabat; quoniam omne peccatum semen inimici est. Confessionis autem filiæ peccatum non faciunt, sed obumbrant. Et

A ideo beati quorum lecta sunt peccata. Meritoque exsultabunt filiæ confessionis propter judicia Domini, cum cognoverint judicia ejus et vias ejus, quæ in hoc sæculo inscrutabilia et investigabilia sunt hominibus: et cum facie ad faciem spectare cœperint veritatem, tunc illa quæ nunc videntur inscrutabilia, comprehendent, et eorum cognitione gaudebunt.

21. (Vers. 13.) *Circumdate, inquit, Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus.* Qui intelligunt Sion, circumdant eam, et complectuntur suis sensibus; ut teneant, et non dimittant eam, ne sibi speculatoria disciplina virtutis possit auferri. Ideoque illa in Canticis dicit: *Tenui eum, et non dimittam eum (Cant. iii, 4);* quæ Dei sapientiam requirebat, et complectebatur justitiam Dei brachiis charitatis, et quibusdam fidei et devotionis lacertis; ipse est enim piæ 944 mentis amplexus. Comprehdamus ergo et nos quantum possumus interna mysteria veritatis, et scribamus ea atque affigamus ea sensibus nostris, virtutemque cœlestis oraculi: quam ut assequeretur Moyses ille peritus in omni sapientia Ægyptiorum, in montem ascendit, atque in nubem intravit; ut operata et occulta cognosceret, adhærente sibi socio Jesu; quia nemo sine vero Jesu potest incerta sapientiæ et occulta comprehendere. Et ideo in specie Jesu Nave, veri Salvatoris significabatur ei aspiratura præsentia, per quem fierent omnes docibiles Dei, qui Legem aperiret, Evangelium revelaret.

22. Ergo qui Sion circumdederint prudentia sua, et complexi fuerint intellectu ascendentes super turres ejus, narrant desuper ei qui non potuerit ascendere in turres ejus, quid agendum, vel quid cavendum sit. Murata est enim civitas Dei; ideoque alibi dicit Dominus: *Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos (Esai. xlix, 16).* Distincta est turribus, de quibus insidiator possit, si appropinquare cœperit, deprehendi. Habet ille exercitus suos, quibus animas Dei obsidere consuevit, admoveere machinas; ut possit turres expugnare munitas. Sed vos, inquit, prædicate de turribus; est enim in turribus Hierusalem abundantia. Prædicate justitiam, monete custodiam; sapientia enim in exitu canitur, et in murorum altissimis prædicatur. Et alibi iterum dicit: *In muris tuis constitui custodes, diebus ac noctibus in finem non tacebunt (Esai. lxii, 6).* Narrate ergo sine intermissione, sine fine. Adversarius vigilat, circuit, et rabie ferina quærit, quos invenerit, devorare. Ideo semper canendus est Dominus, qui dentes leonum conterat, et ora confringat; ut nobis nocere non possint.

23. (Vers. 14, 15.) *Ponite, inquit, corda vestra in virtute ejus; id est, ut virtutem ejus intelligatis: et distribuite gradus ejus, ut enarretis in progenie*

^a Mss. aliquot, superioris illius Sion ipse est mons.

^b Hic ut alibi non uno loco pro textu Scripturæ ponitur ejus interpretatio; cum enim Judas ac Judæa

confessionem, ut jam observatum est, significant; ideoque quas Scriptura filias Judæ, seu Judææ, has vir sanctus animas confitentes et filias confessionis vocat.

altera. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula. Βάπτει dixit Græcus, hoc est, excelsas et turritas domos; unde Propheta cum de civitate Dei et inhabitantibus eam loqueretur : *Distribuite*, inquit, *gradus ejus*; hoc est, mansiones ejus altas atque sublimes in cœlestibus. Quo docet ordinem servandum esse meritorum. Unusquisque enim in suo ordine (Joan. xiv, 2). Unde et Dominus ire et præparare se dicit Discipulis mansiones; ut pro suorum ratione meritorum digna unusquisque habitacula consequatur, in quibus requiem illam carpat æternam.

24. Sunt etiam sublimia et alta præcepta, in quibus sunt occulta pietatis mysteria, et theoremata sermonum cœlestium. Hæc, inquit, distribuite, et pro capiti uniuscujusque dividite, quantum possit unusquisque ingenio proprio comprehendere. Neque enim omnibus Paulus eadem disputabat. Aliis nihil prædicabat nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum, non in persuasione sapientiæ verbi; sed in ostensione spiritus atque virtutis; inter perfectos autem sapien-

tiam loquebatur; quia non capiebat universus populus percipere sapientiam in mysterio quæ abscondita est.

945 25. Ideo eam Christus abscondit, ut eam stulti non intelligant, prudentes studiosius quærant: et enarrent in progenie altera, quæ spiritus foret virtute perfectior; quoniam generatio superior per infirmitatem fidei, perfectæ sapientiæ cognoscere sacramenta non potuit. Et ideo signum quærebat, veritatem repudiabat; cum utique non veritas signi, sed signum veritatis sit. Unde respondit ei Dominus : *Generatio nequam et adultera 946 signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi Jonæ prophetæ (Matth. xii, 39)*. Ad arguendam itaque perfidiam Judæorum, Jonæ exemplum accersitur; eo quod Niniivitæ signo crediderunt, et prædicationem Jonæ qui fuerat in utero ceti, sequendam putarunt: Judæi autem nec post resurrectionem Domini Jesu crediderunt, qui de corde terræ post triduum resurrexit, et vivit ac regnat per omnia sæcula. Amen.

^a Rom. edit., *Non quibat*. Aliæ autem et mss. hic et multis aliis locis Ambrosii sensum in Rom.

omnes, *non capiebat*, id est, capax non erat. Itaque edit. agnoscimus, nihilo secius tamen verbum antiquum retinemus.

IN PSALMUM XLVIII ENARRATIO.

Hujus titulus est : *In finem filiis Core, Psalmus David.*

1. (Vers. 1, 2.) 945 *Audite hæc, omnes gentes : auribus percipite omnes qui habitatis orbem terræ*. In principio ipso vocem Domini salutaris agnoscimus gentes vocantis ad Ecclesiam; ut errori renuntient, veritatem sequantur, et pii cultus munus agnoscant. Sed quia serpentis venenis infecta erant corda successionis humanæ, et peccatis obnoxia conscientia dum desperat veniam, se revocare non poterat: remedium pollicetur, indulgentiam sponte pietatis suæ largitate promittit; ut reus non timeat, bene conscius gratuletur, quod bono domino exhibeat ministerium servitutis, qui noverit peccata donare, honorare virtutes. Denique eadem serie vocationis etiam in Evangelio nos Dominus adhortatur dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde (Matth. xi, 28 et 29)*. Deinde jugum suum suave, et onus leve esse commemorat; quoniam qui desperaverit medicinam, sanus esse non poterit. Et ideo omnibus grata est mansuetudo, quæ vulnera interiorum curat animorum.

2. Venturus igitur ad ægrotos, venturus ut medicus, qui gravia ulcera nostra curaret; medicamenta ^a proponit, ut videant homines, et ad remedium salutis fida sedulitate concurrant. Sic illa in Evangelio meruit sanitatem, quæ profluvio sanguinis per duodecim annos laborabat. Audivit medicum ve-

nisse, festinavit contingere dicens : *Si tetigero simbriam ejus, salva ero (Matth. ix, 20 et 21)*. Intra se hoc dixit, et Christus audivit : et tetigit simbriam, et virtus de Salvatore processit, quæ curavit ægram, firmavit invalidam, profluvium statuit, pietatem probavit. Similiter ergo et hic omnes gentes vocat ad sapientiæ fontem atque prudentiæ : redemptionem omnibus pollicetur, ut nemo trepidet, nemo desperet, ubi nullus excipitur; sed omnis anima invitatur ad gratiam, ut sine pretio redimatur a crimine, et fructum vitæ adipiscatur æternæ.

3. Hic sensus est psalmi, quem suo ordine digeremus, cum explicuerimus superiorum vim qualitatemque verborum. Præcipiuntur enim audire gentes, et auribus percipere qui inhabitant orbem terræ. Illum utique orbem terrarum, de quo supra dixit : *Domini est terra et plenitudo ejus : orbis terrarum, et qui habitant in eo. Ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit 946 eum (Psal. xxiii, 1 et 2)*. Quam Græci οἰκουμένην dicunt, eo quod inhabitetur a Christo; sicut ipse dixit : *Quoniam inhabitabo in illis*; inhabitat enim, ut impleat quæ vacua videbantur. Quæ est ergo οἰκουμένη; nisi sancta Ecclesia, templum Dei, et habitaculum Christi? Nec incongrue Latini dissono quidem sermone, sed pari sensu, orbem terræ nuncupaverunt; eo quod vita sanctorum qui inhabitantur ab Spiritu, sicut rota in orbem sine ulla cursus sui offensione volvatur.

^a Mss. aliquot, *proponit*, ut audiant homines.

4. In tribulationibus igitur fundatur Ecclesia, in A tempestatibus et procellis, in sollicitudinibus et mœrore, in rebus adversis et in fluminibus præparatur. In quibus fluminibus? Audi dicentem: *Elevaverunt flumina vocem suam (Psal. xcii, 3)*. Audi et in Evangelio: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accipiebant credentes in eum (Joan. vii, 38 et 39)*. In his ergo fluminibus præparatur Ecclesia, in quibus profluit Dei gratia. Hi sunt fluvii qui aure percipiunt verbum Dei, et loquuntur; ut verbum infundant pectoribus singulorum. Ideoque Scriptura discretionem fecit dicendo: *Audite hæc, omnes gentes: auribus percipite, omnes qui habitatis orbem terræ*. Possunt omnes audire, non omnes tamen auribus percipere, nisi Electi Dei. Ideoque B Salvator dicit: *Qui habet aures audiendi, audiat (Luc. viii, 8)*. Illas aures dicit interioris hominis spirituales, cujus et nares legimus, dicente Job: *Spiritus divinus qui est in naribus meis (Job xxvii, 5)*. Non omnes homines has aures, et has nares habent. Alia est enim forma corporis, alia gratiæ spiritualis. Qui spiritualis est, audit omnia, dijudicat omnia: animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. Hic enim terrigena est, ille celestis.

5. (Vers. 3.) Ideoque addidit: *Quique terrigenæ, et filii hominum: simul in unum dives^a et pauper*, ut universos vocaret. Quis est terrigena, nisi filius hominis? Quis est spiritualis, nisi Dei Filius? b Ille ex sanguine concretus, et ex carnis et viri voluptate generatus: iste ex Deo natus. Alius dives in omni verbo, et C scientia: e alius pauper, gratia tamen dives; quia et pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. E contrario est et dives in superbia, et pauper in humilitate. Omnes vocantur ad Ecclesiam, ut omnes redimantur a Christo. Qui æger est, medicum invenit; qui sanus, sapientiam acquirit; captivus redemptorem, liber remuneratorem. Omnes ædificat Scriptura divina. In ea invenit 947 unusquisque, quo aut vulnera sua curet, aut merita confirmet. Simul autem in unum divitis et pauperis facta vocatio, in quamdam humilitatem æqualitatemque nos provocat; ut neque dives fastidiat inopem, neque diviti pauper invidet: sed utrumque sibi gratia una connectat; quia et Dominus pauper factus est, cum dives esset; ut idem et pauperum salvator esset et divitum. D

6. (Vers. 4.) Et sublexuit: *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam*. Merito omnes vocantur, quia omnibus sapientiæ fons abundat, nec thesauro pecuniario comparatur, quæ pretiosior thesauris omnibus declaratur. Ideoque nec dives avertitur, nec pauper excluditur; quia sapientia

non facultates discriminat, sed voluntates. Ille aptior, qui prior affectu, et proximus disciplina. Quod si meditatio cordis prudentiam loquitur, quanto magis perfecta doctrina! Deinde admonemur non tumultuarium proferre sermonem: sed exercitio quodam meditationis, et statera mentis internæ examinare dicenda; quia scriptum est alibi: d Statera fallax non bonum (Prov. xx, 23).

7. (Vers. 5.) *Inclinabo ad parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam*. Sapiens auditor intendit, atque inclinat aurem suam, ut intelligat parabolarum figuras. Ipsum aurem suam dicit Salvator, qui aurem habet audiendi. Aperit etiam Dominus clausam propositionem suam; cum aptum organum sibi et vas electionis invenerit, quod psalterium vocat: cujus similis Paulus dulcis gratiæ cantilenam nervis omnibus sibi concinentibus resultavit, sancti Spiritus plectro interiorem chordam, exteriorumque pulsando, ut et lingua oraret et mente. Ideoque ait: *Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente (I Cor. xiv, 15)*. Hujusmodi ergo virum Christus multo ante promittit, per quem manifestaret abscondita, et involuta prophetici obscuritate sermonis aperiret. Bonum psalterium, cum fidei vita consentit, et caro animæ, virtuti aspirat voluntas. Hoc est dulce psalterium, ubi canora est disciplina vivendi; ut impleatur illud quod scriptum est: *Clara erit lingua mutorum (Esai. xxxiii, 6)*.

8. (Vers. 6.) Sequitur: *Ut quid timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me*. Hoc est, cum os meum loquatur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam, in die judicii timere quid possum; nisi forte calcanei mei iniquitas mihi sit abluenda (Cf. August. l. i contr. Jul. Pel., cap. 5)? Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, et obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. Unde Dominus discipulis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis: et Petrus reprehenditur quod excusabat, ne sibi Dominus pedes lavaret. Ideoque dictum est ei: *Nisi laverō tibi pedes, non habebis mecum partem (Joan. xiii, 8)*. Quo audito, non solum pedes, sed etiam manus obtulit abluendas. 948 Cui Dominus respondit: *Qui lotus est, non habet necesse ut iterum lavet, nisi ut pedes lavet: sed est mundus totus (Ibid., 10)*.

9. Ergo David dicit: *Iniquitates meæ superposuerunt caput meum (Psal. xxxvii, 5)*; qui se noverat in iniquitate esse conceptum, et in delictis a matre esse generatum. Dominus autem qui sua peccata non habuit, nec cognovit proprias iniquitates, ait: *Ini-*

^a Rom. edit., et pauper. Hoc dicit, ut ostendat quod universos vocat.

^b Rom. edit. cum vet. in marg. ac mss. duo, Ille ex sanguine concretus et ex carne.

^c Sic. edit. ac mss. Vict. et Colb.; Reg. autem, Alius pauper gratia. Tamen quia, etc. Quatuor alii,

Alius pauper gratia. Habes tamen quia et pauper clamavit, etc.

^d Edit. Rom: sola, Abominatio Domino duplex statera, et jugum dolosum non bonum coram me. Sed locum integrum reddere voluit, cujus ultimam tantum partem proposuerat Ambrosius. Vide eundem locum infra col. 966, num. 31.

quitas calcanei mei circumdabit me; hoc est, iniquitas Adæ, non mea. ^a Sed ea non potest mihi esse terrori; in die enim iudicii nostra in nobis, non alienæ iniquitatis flagitia puniuntur. Unde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti. Meritoque Dominus qui pro nobis universa suscepit: Lavemus, inquit, et pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre; quo fida statio possit esse virtutum, et ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito: et non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis. Iniquitas ergo calcanei nostri prævaricatio est Adæ, per quam prolapsus est in contemptum et dissimulationem cœlestium mandatorum.

10. Est etiam iniquitas calcanei, Judæ ^b hæsitanda proditio. Calcanei ideo, quia scriptum est: *Qui manducat mecum panem, levabit super me calcaneum suum* (Psal. xxxvii, 18). Bene et ibi suum, et hic meum dixit: suum, quia Christus sine iniquitate, hæc autem solius iniquitas proditoris: meum autem calcaneum, quasi ultimum sui corporis Judam Christus appellat, cujus nos sumus corpus et membra. Apostoli præstantiora et actiosa membra sunt Christi: Judas calcaneum, quasi extrema pars corporis serpenti obnoxia, et patens vulnere. Primum ergo calcaneum Adam, secundum calcaneum Judas. Ille lapsus totius hæreditatis, hic solius proditoris, qui hæreditatem implicare non potuit; quia jam non carnales sumus, sed Redemptoris hæreditas, Scriptura dicente: ^c *Est hæreditas credentibus in Domino* (Esai. liv, 17).

11. Est et illa iniquitas calcanei sui, quæ circumdedit Christum: *Circumdantes, inquit, circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum in eos* (Psal. cxvii, 11). Calcaneum ejus Synagoga est, decor et gloria vultus ejus Ecclesia; sicut scriptum est: *Dominus regnavit, decorem induit* (Psal. xcii, 1).

12. (Vers. 7.) Illi ergo sunt calcaneum, de quibus dicit: *Qui confidunt in virtute sua, quique in abundantia divitiarum suarum gloriantur. Divites eguerunt et esurierunt* (Psal. xxxiii, 11). Quod de Judæis dictum est. Sed et omnes qui luxuriose vivunt, et non tenent caput, calcaneum Christi sunt. Sed hæc generalia, quæ late patent. Cæterum specialiter de Juda locutus est proditore, qui sibi validus et dives apostolatus gloria videbatur.

13. (Vers. 8, 9.) Denique de Passione Domini sermo contextitur *Frater non redimit, redimet homo; nec dabit Deo propitiationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ*; hoc est, ut quid timebo in

^a Agitur hic de fidelibus adultis, qui iudicium non de originali peccato, sed de actualibus subituri sunt. Quod vero subditur *iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti*, hoc nimirum significatur, quod postea in Trident. synodo sess. 5, can. ult., sancitum est, concupiscentiam ab Apostolo peccatum appellari non, *quod vere et proprie in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Confer*

A die mala? Quid enim potest mihi nocere, qui non solum non indigeo **949** redemptore, sed ipse omnium sum redemptor? Alios liberos faciam, et pro me ipso ipse trepidabo? Ecce faciam nova omnia, quæ supra ipsum germanitatis affectum sint atque pietatem. Quem frater eodem matris utero effusus in lucem redimere non potest, quia parilis naturæ infirmitate retinetur, redimet homo: sed ille homo de quo scriptum est: *quia mittet illis Dominus hominem, qui salvabit eos* (Esai. xix, 20); qui de se ipso dixit: *Quæritis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis* (Joan. viii, 40). Sed quamvis homo sit, quis cognoscet eum? Quare nemo cognoscet? Quia sicut unus Deus, ita et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Ipse est solus qui redimet hominem, vincens pietate germanos; quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro fratre. Itaque corpori proprio non pepercit, ut nos redimeret a peccato: et dedit semetipsum redemptionem pro omnibus; sicut verus ejus testis asseruit apostolus Paulus, qui ait: *Veritatem dico, non mentior* (Rom. ix, 1). Sed quare solus hic redimet? Quia nemo potest eum æquare pietate; ut pro servulis suis animam suam ponat: nemo integritate; omnes enim sub peccato, omnes Adæ illius subjacent prolapsioni. Solus Redemptor eligitur, qui peccato veteri obnoxius esse non possit. Ergo per hominem, Dominum Jesum intelligamus, qui suscepit hominis conditionem; ut in carne sua peccatum omnium crucifigeret, et chirographum universorum suo cruore deleret.

14. Sed forte dicas: Quomodo redempturus frater negatur, cum ipse dixerit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (Psal. xxi, 23)? Sed non quasi frater nobis, sed quasi homo Christus Jesus, in quo Deus erat; nobis peccata dimisit. Sic enim scriptum est: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II Cor. v, 19). In illo Christo Jesu, de quo solo dictum est: *Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. i, 14). Non ergo quasi frater, sed quasi Dominus habitavit in nobis, cum habitaret in carne. Cum igitur reconciliaverit Deo mundum, utique ipse reconciliatione non eguit. Pro quo enim peccato suo propitiaret Deum, qui nulla peccata cognovit? Denique didrachma poscentibus Judæis, quod pro peccato dabatur ex Lege, dixit ad Petrum: *Simon, reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis, aut ab alienis? Respondit Petrus: ab alienis. Cui dixit Dominus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non faciamus illis offendiculum.... mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore*

sodes hunc nostri locum cum iis quæ lib. ii, cap. 40, de Gratia et Peccato originali tradit Augustinus. Verum loquendi hac de re alibi adhuc se dabit occasio.

^b *Hæsitanda*, quæ proferenda non est, nisi reluctante ac prope invita lingua; ut evenit iis qui hæsitantia laborant.

^c Rom. edit. sola, *Est hæreditas servientibus Domino.*

ejus, invenies staterem: illum tollens dabis pro me et pro te (Matth. xvii, 24 et seq.). Ostendit quod non pro se propitiationem debeat peccatorum; quia servus peccati non erat, sed ab omni erat liber errore Filius Dei. Filius enim liber, servus est in reatu. Ergo liber iste ab omnibus, nec pretium redemptionis animæ suæ dat, cujus sanguinis pretium poterat abundare ad universa mundi totius redimenda peccata. Recte ergo alios liberat, qui pro se nihil debeat.

15. (Vers. 10.) Plus adjicio. Non solum pro se Christus pretium non debet suæ redemptionis aut propitiationem pro peccato, sed etiam si de fidei quocumque homine accipias, possit intelligi quia non debeant singuli propitiationem suam; quia propitiatio omnium Christus est, et ipse est universorum **950** redemptio. Cujus enim hominis sanguis jam idoneus est ad redemptionem sui, cum pro redemptione omnium suum sanguinem Christus effuderit? Est ergo cujusquam sanguis qui Christi possit sanguini comparari? Aut quis tam potens homo, qui pro se propitiationem suam dare possit supra eam propitiationem, quam in se obtulit Christus, qui solus Deo mundum reconciliavit per suum sanguinem? Quæ major hostia; quod præstantius sacrificium; qui melior advocatus, quam qui pro peccatis omnium factus est deprecatio, et animam suam dedit pro nobis redemptionem? Non quæritur ergo propitiatio, aut redemptio singulorum; quia omnium pretium sanguis est Christi, quo nos redemit Dominus Jesus, qui solus Patrem reconciliavit: et laboravit usque in finem; quia nostrum laborem ipse suscepit dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis... et ego reficiam vos* (Matth. xi, 28). Vide laborantem: *Laboravi clamans, raucae factæ sunt fauces meæ* (Psal. lxxviii, 4). Et alibi: *Issachar quod bonum est, concupivit requiescens inter fortes. Et infra: Supposuit humerum suum ad laborandum, et factus est vir agricola* (Gen. xlix, 14 et 15). Ergo homo non dabit jam propitiationem suam, nec redemptionem; quia semel ablutus est a peccato per sanguinem Christi. Laborabit tamen, ut servet præcepta vivendi, et a mandatis cœlestibus non recedat. Dum vivit, in labore sit, et perseveret in eo; ut vivat in finem, ne et ipse morte moriatur, cum sit jam redemptus a morte.

16. (Vers. 11.) Qui autem servaverit mandata vitæ, non videbit interitum, cum viderit mori eos, qui sibi sapientissimi et prudentissimi in hoc sæculo videbantur. Quod specialiter ad scribas et pharisæos spectat, qui sibi cathedras in synagogis vindicant, quasi sapientiæ principatum. Qui vere frustra laborant, cum putant quia per didrachmam liberentur, cum spiritale pretium animæ suæ, atque illud singulare Domini corporis sacrificium, inani quadam Legis interpretatione contempserint, refugientes baptismatis sacramentum. Neminem enim sanguis redemit hircorum atque taurorum: sed omnes unus sanguis liberat Christi, cujus in Levitico figura,

^a Mss. duo, non habent divitias in fide, non in possessione.

A non veritas est. Non enim per didrachma, sed illius solius sanguinis pretio liberamur.

17. Simus ergo docibiles Dei; ut nemo nostrum videat interitum in illo die, quando damnabuntur morte perpetua sapientes istius mundi, vel principes Judæorum, quando *simul insipiens et stultus peribunt*. Non idem est utrumque. Stultus est qui nihil sapit, et stulta intelligit: insipiens, qui male sapit. Dixit insipiens, quia non est Deus. Quomodo iniquus, non quia æquitatem nesciat, sed quia improbitate cordis sui iniqua committat: improbus quoque dicitur; eo quod probitatem malitia sua destruere velit, non quia probitatem ignoret. Ipse ergo insipiens et stultus quando pereunt, alienis relinquunt divitias suas; suum enim et legitimum stultitiæ et improbitatis hæredem reperire non possunt. Legitimi enim dicunt: *Quia filii Dei sumus. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et simul glorificemur* (Rom. viii, 16 et 17). Insipientes ergo divitias non habent, quia nec hæreditatem habent. ^a Non habent divitias infidi, non **951** possessionem; fidei enim totus mundus possessio est. Non habent hæreditatem, quia sola est ^b hæreditas credentibus in Domino. Suas autem divitias habent. Ideoque avarus dicit: *Non habeo quo congregem fructus meos* (Luc. xii, 17); non enim verus fructus, sed avari fructus, pecunia est. Et Dominus avaro dicit: *Vade, vende bona tua... et veni; sequere me* (Matth. xix, 21). Non enim perfectum bonum est patrimonium, sed hæc sunt avari bona, quæ in emolumento aliquo constituta sunt. Vende, inquit, quæ putas tua esse; cum tua non sint, quia ad alios fluminis modo transeunt: et sequere me, ut bonum immortale cognoscas. Sapientes ergo in interitum deducuntur, quibus Deus abscondit, quæ parvulis revelavit. Peribunt simul, et in uno eodemque loco erunt insipiens et stultus, et alienis relinquent divitias suas; quia non invenit nequitia legitimum successorem.

18. (Vers. 12.) *Et sepulcra eorum domus illorum in sæculum, tabernacula eorum in progenie et generatione: invocaverunt nomina eorum in terris ipsorum*. Ubique Scriptura sepulcra pro vilibus ducit, quibus degeneres, et vitæ hujus cupidi comparantur. *Sepulcrum patens est guttur eorum* (Psal. v, 11). His ergo qui ad diem et de die vivunt, sepulcra pro domibus sunt. Domus enim justorum non in terra est, sed in cœlo; sicut Apostolus docuit dicens: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (Philip. iii, 20). Ipsa est domus nostra, quæ domus est Christi. Unde ait Scriptura: *Et Moyses quidem fidelis in tota domo ejus, tamquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda essent: Christus vero tamquam filius in domo sua* (Heb. iii, 5 et 6). Piis ergo domus est Ecclesia, piis patria cœlum est. Ideoque justus ait: *Advena ego sum apud te in terra et peregrinus, sicut omnes patres mei* (Psal. xxxviii, 13). Luxuriosis domus sepul-

^b Rom. edit., hæreditas servientibus Domino.

crum est. Denique tamquam in sepulcro vivunt, qui possunt dicere: *Manducemus et bibamus; cras enim moriemur* (Esai. xxii, 13), resurrectionem ante oculos non habentes. Ideoque tumulis suis affixi atque attumulati adhærent, quia resuscitari se posse non crediderunt. Habitaculum ergo illis in suo busto est, et tabernaculum eorum in progenie et generatione^a terrena est; qui vermes sui corporis hæredes relinquunt; ut hic tantum sit memoria eorum, et in æternum transire non possit.

19. Denique *nomina eorum in terris ipsorum*; quia opera eorum corruptibilia atque terrena. Et ideo ibi scribuntur eorum nomina, ubi vivere maluerunt. Qui autem elevaverunt opera sua, iis dicitur: *Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt: sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo* (Luc. x, 20). Hinc ergo intelligamus quia non otiose Dominus eos arguit, qui ædificabant sibi sepulcra, vel tumulos prophetarum, et exornabant ea (Matth. xxiii, 28). Condemnantur enim Judæi, qui prophetis quos occiderant, terrena solatia, non æterna præmia deferebant. Ideoque prohibet, ut discipulus suus sepeliat patrem (Matth. vii, 22); quia æterno Patri sine cessatione esse debet intentus. Et in Esaiæ libro scriptum est: *Quid, inquit, quia ædificasti et excidisti tibi sepulcrum* (Esai. xxii, 6)? Et reprehenditur Maria, quæ Christum in tumulo requirebat. Relinque sepulcra, quæ reliquerunt, qui audita voce Domini in ipsius passione surrexere de tumulis. Noli inter **952** mortuos habitare, qui vivis. Audi vocem resuscitantis Jesu: *Surge qui dormis, et exurge a mortuis; ut lumen tibi Christi infundatur* (Ephes. v, 14). Alterum lumen ejus Spiritus sanctus est, qui apostolis sanctis in dispersione linguarum tamquam ignis illuxit.

20. (Vers. 13, 14.) Sequitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis quæ sine sensu sunt; et similis factus est illis. Hæc via eorum in offendiculum ipsis: et postea in ore suo complacent.* Quia non intellexit homo, cum in honore esset (est autem honor, quia ad imaginem Dei factus est, factus est rationis capax), comparatus est jumentis, quæ sensum non habent: qui autem intellexit, angelis comparatur. Et ideo hic honorum operum claritate magnificatus est: ille sicut equus ad hinniens æstimatur colluvione vivendi, quæ viæ offendiculum affert in turpitudine et obscenitate viventibus. Insipientia enim viri contaminat vias ejus. Hujusmodi autem viri vivunt secundum appetentiam suam, quæ offendiculum creat, et post offendiculum complacent in ore suo, sed non in corde. Non enim boni, de quibus dicitur: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant* (Psal. lxi, 5). Quo responsum est etiam iis qui habent in codicibus suis ita scriptum: *Et postea in ore suo benedicent.* Verbum enim tuum prope, et in ore tuo sit, et in corde.

21. (Vers. 15.) *Sicut oves in infernum deducuntur: mors depascet eos. Et dominabuntur eorum justi in*

^a Mss. aliquot, *terreni sunt, qui vermes sui corporis, etc.*

matulinum; et auxilium eorum veterascet in inferno, a gloria eorum. Qui noluerunt ut pasceret eos Christus, depascet eos mors. Quis ergo dimittat bonum pastorem, qui pro ovibus suis animam suam ponit, quia pertinet ad eum gregis sui cura? Aut quis eligat mercenariam mortem, quæ operum pessimorum digna mercede referatur? Simul cognosce, o homo, quia Christus verus est pastor, qui suos pascit ad vitam. Mors subintravit, quæ ad interitum adducit alienos, et devorat eos, quibus potest propter eorum flagitia prævalere. Quibus licet in hac vita studium potentiæ fuerit et divitiarum, ut aliis dominarentur: sed in resurrectione erit servitus, cum justis matutinus splendor illuxerit: quorum figura est, quod Jacob dominus^b præponitur fratri. Miserabilis itaque servitus, ut eo tempore quo alii vocantur in gloriam splendoris et luminis, horum gloria veterascet et consumatur in tenebris inferorum. Meritoque de his dicitur: *De honore suo et gloria sua expulsi sunt; quia temporalis hæc gloria.*

22. (Vers. 16.) *Verumtamen Deus liberabit, inquit, animam meam de manu inferni; cum acceperit eam.* Bene hoc dicit, qui sciebat animam suam in inferno non derelinquendam. Descendit enim, ut captivos absolveret de faucibus inferorum, non ut in his captiva remaneret.

23. (Vers. 17.) Ergo quoniam hæc, quæ in isto sæculo sunt, nobiscum transire non possunt; ideo tibi dicitur: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo: et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam non cum morietur, accipiet omnia: neque simul descendet cum eo gloria domus ejus.* Noli, inquit, expavescere divitiis, et potentiam divitis, et gloriam sæcularem; quoniam caduca illa sunt, et citius **953** abeunt quam venerunt. Somnium est iste thesaurus: evigilas, et recessit; quoniam qui potuerit crapulam mundi istius edormire, et sobrietatem virtutis assumere, ista contemnit, et pro nihilo pecuniam ducit. Neque timueris cum multiplicatam gloriam domus alicujus potentis audieris. Inspice diligenter, et vacua est, quæ nihil habeat in se de fidei plenitudine. Et quid de domo dicam? Vacuus erat totus hic mundus antequam numero credentium eum Christus impleret. Ideoque scriptum est: *Judicabit inter gentes, replebit ruinas* (Psal. cix, 6). Quid enim aliud erat ante in hoc mundo, nisi ruina perfidiæ? Quid est ruina? Audi dicentem: *Ubi ruina, ibi et aquilæ* (Matth. xxiv, 28); id est, ubi ruina, ibi et resurrectio. Ruina, vacua firmitatis est: resurrectio, plenitudo vivendi est. Ideoque nos Adæ illius ruina vacuavit, sed Christi replevit gratia. Ideo se ille exinanivit; ut nos repleret, atque in carne hominis plenitudo virtutis habitaret. Quid sit ruina, cognosce. Dum vivit homo, infusus est spiritu: ubi mortuus fuerit, vacuus utique hujus vitalis est spiritus. Multo magis vacuum facit amissio gratiæ spiritalis, quem gratia replere consuevit;

^b Mss. Vat. et quatuor Gallie., *præponitur fratri miserabili. Itaque mala servitus, etc.*

ut possimus dicere : *Quoniam nos omnes de plenitudine ejus accepimus, et gratiam pro gratia (Joan. I, 16).* De alio dicitur : *In vacuum laboravi (Esai. XLIX, 4)* : justus autem sicut odor agri pleni.

24. (Vers. 18.) Quid autem non vacuum, quod sæculare atque mundanum ; cum recte dixerit, qui mundum istum sobria virtute contempsit : *nudus sum natus, nudus et moriar (Job. I, 21)* ? Numquid secum quis potest auferre quæ possidet ? Hic omnia derelinquit, solus intrat in tumulum, et vacuum illius divitis est sepulcrum, quem nec ^a ipsa terra capiebat. Unde dictum est : *Numquid soli habitabitis super terram ? Numquid descendit in illud sepulcrum gloria domus ejus aut copię. (Esai. V, 8)* ? Vide vim Scripturæ. Gloria sæculi non descendit cum peccatore, sed gloria virtutis ascendit cum innocente. Et ut compendiosius dicamus, gloria hominis cum ascendente ascendet : cum descendente non descendet. Quod gratiæ est ac virtutis, ascendet. In paradysum ascenditur, in infernum descenditur. *Descendant, inquit, in infernum viventes (Psal. LIV, 16)*. Ideoque Lazarus pauper per angelos in Abrahamæ sinum est elevatus. Dives luxuriosus elevans in inferno oculos suos rogat Abraham ut mittat pauperem, et digito suo contingat linguam ejus, quo requiem aliquam in ardore maximo constitutus posset adipisci. Vide illum pauperem bonis omnibus abundantem, quem sancti Patriarchæ requies beata circumdabat. Vide hunc vacuum, qui sibi in hoc sæculo abundare omnibus videbatur, cujus anima in vita ipsius benedicebatur : sed **954** nunc iners morte cruciatur (*Luc. XVI, 22 et seq.*).

25. (Vers. 19.) Unde pulchre sequitur : *Quoniam anima ejus in vita ipsius benedicetur : confitebitur tibi, cum benefeceris ipsi.* Benedicent, inquit, eum benedictione terrena. Stulti homines, qui præsentia, non futura considerant. Benedicent eum assecræ ejus atque ^b parasiti. Ipse quoque beatum se putat, si agrum aliquem quem desiderabat, invaserit. Confitebitur tunc Deo, cum ei in hoc sæculo secunda succedunt : quando autem adversa contingunt, impio ore maledicit. Hoc ergo dicit, quia sæcularis non agit gratias in paupertate positus et adversis ; justus au-

^a Videntur hæc proprie cadere in Alexandrum Macedonem, quem Plutarchus et Val. Maximus narrant, cum de infinitate mundorum philosophum quemdam disputantem audivisset, flevisse, quod vix unum possideret. Hinc de illo Juven. Sat. 10 :

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Æstuat infelix angusto limite mundi, etc.

^b Parasiti. Sunt, qui ciborum gratia magnatibus atque divitibus adulantur, ἀπὸ τοῦ παρά, καὶ τοῦ σίτου.

^c Mss. duo. inconsummati erunt.

tem in angustiis magis Dominum grato benedicit affectu. Denique diabolus ad Deum dicit : *Quid mirum, si te benedicit Job ? Abundant ei omnia. Sed mitte, inquit, manum tuam, et tange ea quæ possidet, videamus si in faciem te benedicet (Job. I, 11).* Et dedit ipsi Dominus potestatem, ut quæ sæculi essent hujus, auferret : carnem ipsius ulceris atrocitate perfunderet. Job tamen benedicebat dicens : *Dominus, dedit, Dominus abstulit . . . sit nomen Domini benedictum (Ibid., 21).*

26. (Vers. 20, 21.) *Introibit usque in progeniem patrum ejus : usque in sæculum non videbit lumen. Homo cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis, quæ sensum non habent, et similis factus est illis.* Ideo, inquit, iste in progeniem patrum suorum introibit. Qui est pater impiorum, Dominus declaravit dicens : *Vos ex patre diabolo estis (Joan. VIII, 44).* Sunt et illi patres de quibus dicitur : *Relinque mortuos sepelire mortuos suos (Matth. VIII, 22).* Ideo et Moabitæ usque in tertiam et quartam generationem prohibiti sunt introire in Ecclesiam Domini (*Deut. XXIII, 3*) ; ut filii eorum propter peccata patrum suorum introirent in eorum generationem, quorum facta imitabantur et mores. Unde et scriptum est : *Filii adulterorum ^c in consummatione erunt (Sap. III, 16).* Ergo qui non illum patrem qui in caelo est, sequitur ; sed illum terrena colluvione viventem, in progenie terreni patris intrat. Qualis enim terrenus, tales et terreni ; ut sit ejus vita terrena, requies nulla post mortem. In æternum non videbit lumen ; quoniam temporale quæsivit. Ille autem qui Christi secutus est gloriam, qui desideravit illud lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, inveniet et videbit lumen æternum ; quia eum Christus redemit a morte.

27. Tunc ergo cogitabit secum, quia *cum in honore esset, non intellexit ; et ideo erit similis jumentorum, qui similis debuit esse angelorum, per Domini nostri Jesu Christi gratiam : cui est honor, gloria, perpetuitas a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.*

IN PSALMUM LXI ENARRATIO.

Titulus : *In finem, pro Idithum, Psalmus ipsi David.*

955 *In hujus psalmi tractatu B. Ambrosius infidelitatem et impietatem Mæximi tyranni graviter redarguit, qui ausus est dominum suum Gratianum imperatorem fraude et dolo perimere : quem imperatorem in Domini tabernaculo habitare, et in monte ejus requiescere dicit.*

1. (Vers. 1.) Omnium nostrum indubia consuetudo est, ut festinemus ad finem, et eorum quæ legimus vel vidimus et audivimus, velimus summam cognoscere. Unde titulus ipse otiosos nos esse non patitur, nec feriatis præterire auribus desiderii communis indicium. Præ cæteris enim, licet etiam in cæteris cla-

reat, divinum tamen in huiusmodi psalmo resulget oraculum. Unde diligentius quid sit finis consideremus; finis enim dicitur τέλος, et summa rei ejus quam volumus explicare. Finis dicitur Christus, quia ipse est finis Legis; sicut scriptum est: *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti* (Rom. x, 4). Finis etiam dicitur, quia ipse est principium et finis. Ergo isti psalmi qui titulantur: *In finem*; aut de Christo sunt, aut ipsius Christi: de Christo, cum ipse annuntiatur: ipsius Christi, cum ipse se nuntiat, venturumque promittit in terras, et futuram nobis revelare dignatur proprii corporis passionem.

2. Ideoque ipsi David inscribuntur in titulo, quasi vero David, ipsi Domino prophetici oris ministeria deputentur, per quem humanæ vocis officio vis cœlestis increpuit, et divina sententia resultavit.

3. Meritoque pro Idithum, qui fuit propheta, et psalmos cum sex filiis canebat suis, velut quædam præfatio est; eo quod esset his venia prophetanda, qui in psallendi ministerio constituti, divina oracula humana voce loquerentur. Et quia pro totius mundi abolendo errore suscipienda Dominici corporis passio foret, hujus licet nomine ejus sedulitas probaretur, commendatiorem eruditionem plebis expressit. Itaque ipsum audiamus loquentem.

4. (Vers. 2.) *Nonne Deo subdita erit anima mea?* Suscepturus carnem hominis Dominus noster Jesus, ut in se eam ipse mundaret, quid prius quam peccati veteris primum debuit abolere contagium? Nam quia per inobedientiam culpa irrepserat, dum mandata divina temerantur, obedientiam utique præ cæteris debuit reformare, ut seminarium erroris excluderet. Fibra enim peccati inde manaverat: et ideo sicut bonus medicus radices prius ulceris debuit amputare; ut medicamentorum salubre remedium vulneris ora sentirent. Frustra enim cicatricem curaveris, si serpent interiora contagia; immo acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interius virus exæstuat. Nam quid proderat donasse peccatum, si peccandi maneret affectus? Hoc erat non sanare cicatricem, sed **956** claudere. Voluit itaque mundare vulnus, ut affectum sanaret; ne inobedientiæ sors ulla remaneret. Suscepit ipse obedientiam, ut nobis eam transfunderet. Sic enim oportebat, ut quoniam per inobedientiam unius hominis peccatores constituti erant plurimi, per unius rursus obedientiam justii constituerentur multi.

5. Unde valde errare eos res indicat, qui carnem hominis a Christo aiunt esse susceptam, affectum negant: et contra ipsius Domini Jesu venire consilium, qui hominem ex homine tollunt; cum homo sine affectu hominis esse non possit. Nam caro sine

A affectu et præmii immunis et culpæ est. Illud ergo suscipere debuit et sanare, unde culpa manaverat; ut originem erroris et quædam prorumpentis delicti fores clauderet. Unde ego hodie hominem agnoscerem Dominum Jesum, cujus carnem non video, affectum lego: unde, inquam, hominem eum agnoscerem; nisi esurisset, nisi sitisset, nisi flevisset, nisi dixisset: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Matth. xxvi, 38). Denique scriptum est: *Et homo est, et quis cognoscat eum* (Hier. xvii, 9)? Sed homo per ista cognoscitur, qui per opera divina supra homines æstimatur. Itaque ipse eo usque se hominem credi volebat, cum Deus esset; ut se appellaret hominem dicens: *Quid me queritis occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis* (Joan. viii, 40)? Nec solum hominem, sed etiam filium hominis diceret, sicut ait: *Quid me dicunt esse homines filium hominis* (Matth. xvi, 15)? Unde ille summam tenere fidei pronuntiatus est, qui et Dei Filium cognovit, et hominem non negavit. Ipse igitur utrumque unus, inseparabilis numero, et agnoscendus operis distinctione, non varietate personæ. Non enim alter ex Patre, et alter ex Maria: sed qui erat ex Patre, carnem sumpsit ex Virgine: affectum assumpsit ex matre, ut infirmitates nostras ipse susciperet. Unde ait Propheta: *Et pro nobis dolet* (Esai. liii, 4). Quomodo dolebat meo dolore, si meum non gerebat affectum? *Homo, inquit, in plaga, et sciens ferre infirmitatem* (Ibid., 3).

6. Itaque quasi homo infirmatus est, quasi homo doluit; et nos quasi hominem æstimavimus eum esse in doloribus: sed quasi victor infirmitatum, non infirmitatibus victus, pro nobis non pro se dolebat; et infirmatus est non propter sua, sed propter nostra peccata, ut nos suo livore sanaret. Quid utique est *homo in plaga, et sciens ferre infirmitatem*; nisi quia plagæ habebat compassionem? Aut quomodo sciebat ferre infirmitatem, si sensum infirmitatis excluderat? Quod enim portamus, hoc pro onere sustinemus. Suscepit ergo peccata nostra, ut portaret: suscepit etiam, ut purgaret. Denique scriptum est: *Et peccata eorum ipse purgavit. Ideo ipse hæreditate possidebit multos, et sortium partietur spolia* (Ibid., 11 et 12). Ibi enim major triumphus, ubi mens interna mundatur. Quod portat igitur ad remissionem pertinet: **957** quod purgat, ad correctionem. Suscepit itaque compassionem nostram, suscepit et subjectionem. Quod enim subjecit sibi omnia, suum est: quod subjectus est, nostrum est. Ideoque ait: *Nonne Deo subdita erit anima mea?* Anima, inquit, subdita, non divinitas: anima subjecta, non Dei virtus. Virtus enim Dei non potestati subdita est; sed unitate, et consortio ejus aiuntur potestatis. Illa subjecta est,

^a Rom. edit. sola, quasi vero David ipsi a Domino; cum ant. edit. ac mss. aliquot, prophetici oris ministerio deputentur. Piures codices, et quædam edit. Paris. . . ministeria deputentur. Melius; totus enim hic locus explicari debet eo sensu: Quasi ipsi Domino qui verus est David, prophetiarum psalmodum cantus attribuitur. Quamquam nec sensu crearet, si vocem ministerio retineas.

^b Horum nomina reperias licebit lib. I Paral. c. xxv, vers. 5.

^c Fibra peccati, dicitur per metaphoram a radice fibris.

^d Rom. edit., *Et peccata multorum ipse purgavit.*

^e Cunctæ edit. ac plerique mss., *non potestati subdita est, sed unitati, etc.* Melius cod. Reg. alter, . . . *sed unitate, etc.*

quæ humanæ conditionis fragilitate plerumque mutatur, non quæ mutari non potest. Anima carni compatitur, et animæ caro, quæ sibi quodam contubernio copulantur. Illa subjicitur, quæ tristis est; quia scriptum est: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Matth. xxvi, 38). Illa subjicitur quæ suscepta, non ex Deo Patre nata: quamquam ipsa subjectio non in specie quidem infirmitatis sit, sed in operatione virtutis; dispensationis magis temporariæ^a arbitra, quam perpetuo servitio mancipata. Unde et ait: *Nonne Deo subdita erit anima mea?*

7. Cur dixit, *erit*, si sempiterna subjectio est? Sed quia Filius Dei qui loquebatur æternus est, animam autem suscepit ex tempore; ideo futuram subjectio- nem animæ suæ dicit. Per ipsam ergo obedientiam, per ipsam humilitas; quæ tamen non ad infirmitatem potentiae suscepta sunt, sed ad magisterium disciplinæ. Ipse enim Dominus Jesus *cum esset in Dei forma, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, in specie inventus ut homo: humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (Philip. ii, 6-8). Sicut Apostolus dicit, non jugem et perpetuam, sed temporalem subjectio- nem cupiens declarare: qualis sit suscepta cum carne, et deposita cum ipsius^b corporis servitute. Sic etiam ad Hebræos scriptum est. Nam cum proposuisset exemplum dicens: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*; subiecit idem Paulus: *Qui in diebus carnis preces et supplicationes adhibuit ei, qui posset liberare eum de morte, cum magna voce et lacrymis: et exauditus ab illo metu. Quamquam esset Filius, didicit ex his quæ passus est obedientiam: et consummatus obtemperantibus sibi causa factus est salutis æternæ: vocatus a Deo sacerdos secundum ordinem Melchisedech* (Hebr. v, 6-10). Nonne igitur evidenter clamavit Apostolus dicens obedientiam illam et humilitatem non divinitatis fuisse, sed carnis? Quod enim discitur, temporale est. Quasi homo ergo ex his quæ passus est, didicit obedientiam; ut consummaretur in carne, et per obedientiæ transfusam in nos successionem causa fieret nobis salutis æternæ, quibus ante per inobedienciæ hæreditatem primus ille Adam causa factus est mortis.

8. Subjectio ergo magisterium virtutis humanæ, non diviniæ imminutio potestatis est. Nam si illum minorem Filium et inæqualem Patri dicunt, quia erat subditus Patri Deo; numquid et matre ideo minor, quia subditus erat matri? Lectum est enim de Joseph et Maria: *Et erat subditus illis* (Luc. ii, 51).

958 Sed pietas omnibus nobis non dispendio, sed

^a *Arbitra*, id est, testis; per hanc enim animæ Christi subjectionem dispensatio humanæ redemptionis manifestata est; cum inde consilium divinum inobedienciæ primi Adæ per secundi obedientiam reparandæ intellexerimus. Aut forte *arbitra* idem quodammodo est ac moderatrix; quia dispensationem illam anima Christi Domini suscepit non coacta, sed volens. Quippe oblatu est, quia ipse voluit, ut Eſaias liti, 7, vaticinatur.

A incremento est, per quam omnibus nobis Dominus Jesus fidem infudit et gratiam; ut nos spiritu fidei subditos Patri faciat Deo. Et ideo novo et profundo consilio Apostolus ait quod ipse Patri erit subjectus in nobis, cum fuerit in omnibus plenitudo fidei, et quædam devotionis unitas. Nunc enim quamdiu sententis discrepamus, quodammodo regnum Christi minoramus; quia nondum ei subjecta sunt omnia, cujus regnum unitas est: *Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc et ipse subjectus erit illi, qui sibi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I Cor. xv, 28); sicut scriptum est. Nunc enim potestate supra omnes est, sed opus est ut sit in omnibus voluntate: volet autem, cum omnia in nobis cognoverit sui plena, et vacua delictorum. Nondum igitur subjectus est Patri; quia nondum omnia et in omnibus Christus: cum autem fuerit omnia et in omnibus Christus, erit omnia et in omnibus Deus. Unde colligitur unum esse regnum Patris et Filii, et etiam Spiritus sancti; quia qui Filium receperit, recipit et Patrem, recipit et Spiritum sanctum; quia una potestas, una gratia, una operatio Trinitatis est.

9. Meritoque addidit Dominus: *Ab ipso enim salutare meum*. Quasi diceret: Nolite turbari quia dixi animam meam fore Deo subditam. Anima erit subdita, quæ vestri est portio: salutare autem meum ab ipso; hoc est, quia a Patre et in Patre semper sum. A Patre enim veni in hunc mundum: etsi videtis hominem, Dei Filium credite. *Cum venerit autem Paracletus quem ego mittam vobis a Patre meo, spiritus veritatis, qui a Patre meo procedit, ille testimonium perhibebit de me* (Joan. xv, 26). Et Filius a Patre procedit, et Spiritus ab ipso procedit. De unitate ergo divinitatis ambiguum nihil. Ideoque concupivit David hoc salutare Dei nobis dari; quia ipse est vita æterna, si et Patrem verum Deum cognoscamus et Filium, quem pro nostra certum est salute venisse: sed non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Assertionem suæ divinitatis sequestrat, et dispensationis humanæ representat officium.

10. (Vers. 5.) Ideoque adjunxit statim: *Etenim ipse est Deus meus, adjutor meus, defensor meus: non movebor amplius*. Hæc utique quasi homo loquitur; quia in Deo spem nostram debemus reponere, ne facile labamur: quamquam in eo quod locutus est: *Non movebor amplius*; ostendat habere se diviniæ insignia potestatis. Habes enim alibi dicentem: *Adhuc ego semel terram movebo* (Aggæ. ii, 7). Movit diluvio, quando præter arcam Noe caro omnis interiit: movit cum Sodoma et Gomorraha sacro igne consumptæ sunt. Hæc supernæ indignationis indicia sunt. Sed

^b Dei Filius subjectionem quidem cum corpore suscepit, sed non deposuit cum corpore; quia illud quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Deposuit vero eam corporis servitute; quando scilicet corpus, excusso mortalitatis jugo, immortalitatis dotibus præditum resurrexit.

^c Rom. edit., *Deus meus, et salutaris meus*. Sic et infra num. 18. Nimirum ex LXX; apud quos legas, *Θεός μου και σωτήρ μου*, etc.

quia elegit genus hominum Dominus magis servare quam perdere, non movebitur amplius ad indignationem, qui venit ad misericordiam : venit ut redimeret nos suo sanguine, non ut nostrum effunderet : venit ut se offerret pro nobis, et quasi negotiator **959** mercem suam proprii corporis passione servaret.

11. (Vers 4.) Et cum hoc diceret, levavit oculos suos, et vidit hinc persecutores, inde nequitas spiritales in unum convenire, et ait : *Quousque irrucitis in hominem, interficientes universos, hoc est : Quid delere genus festinatis humanum? Hominem nescitis me pro omnium redemptione venisse? Obtuli me pro cunctis, ut omnes mea oblatione protegerem. Hominem ergo aut pro humana omni accipimus multitudine : aut si de uno accipimus, de ipso dictum intelligimus : Irrucitis, sed in hominem; quia supra Deum irrucere non potestis; sicut habes alibi : *Quid me quæritis occidere hominem* (Joan. viii, 40)? Neque enim divinitas morti poterat esse subjecta, sed humana susceptio. Si ergo in me irrucitis, et me vultis tenere; quid eos qui mecum sunt, vultis occidere? Satis est vobis habere quem quæritis. Neque quæro consortem passionis, qui ad salutem omnium adiutore non egeo. Non requiro legatum, nuntium non præmitto; sed ipse me nuntius obtuli non quærentibus : me tradidi non comprehendentibus; ut liberarem eos qui mortis laqueis fuerant comprehensi. Irrucitis igitur tamquam parieti inclinato et maceræ impulsæ, ignari quia veni non ut inclinarem parietem, et maceriam impellerem; sed ut solverem. Veni enim pax, ut faciam utraque unum; et medium parietem maceræ solvens, qui carnem et animam dividebat, ut unum sentire non possent : et ideo caro animæ repugnabat, et subdita imperio ejus esse non poterat; quia objecti parietis obstaculo gubernaculis ejus parere non poterat.*

12. Lex igitur carnis legi mentis adversabatur. Hunc parietem veterum inimicitiarum velut murum sustulit Dominus Jesus, et pervios fecit esse conventus mentis et carnis; ut in unum coeuntes, id quod erat utrique salutare, sequerentur. Paries ergo quædam eminentia delictorum est. Unde ad pontificem Judæorum dicit Paulus : *Percutere te incipiet Deus, paries dealbate* (Act. xxiii, 5); paries enim luto cementisque construitur. Hinc ædificabant Ægyptii civitates, quando Judæi lateres facere cogebantur. In Ægypto lutum conficiebatur, et populus Dei peccatum illic operabatur. Ideo gemebat, ideo exauditus et liberatus est a peccato. Ideo Lex data, promissa gratia; ut Lex peccatum ex parte reseccaret, gratia omne donaret.

13. (Vers. 5.) Et cum hæc nobis conferret, hæc pro nobis subiret, nos pretium ejus repellebamus. Unde ait : *Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere*; quando pretium referente Juda proditore, Judæi in loculum mittere noluerunt dicentes : *Non licet nobis mittere in loculum; quia pretium sanguinis est* (Matth. xxvii, 6). Damnatur hic iudicio suo

proditor, qui refudit pretium quod accepit, infirmus ad sacri muneris testimonium, sed validus sceleris sui testis. Unusquisque enim gravior accusator est sui, et inexcusabilem in se fert ipse sententiam. Principes Synagogæ suo condemnant se iudicio. Profitentur enim pretium esse sanguinis quod dederunt, dum arguunt refundentem. Nam si recipiendum non fuit, nec solvendum fuit. Atque utinam aut non dedissent, aut quia dederant, nec recepissent. Repudiaverunt enim quod **960** in loculum mittere noluerunt, et emerunt inde agrum in sepulturam peregrinorum. Merito ergo gentiles, quibus agri ejus qui morte emptus est Christi, sepultura profecit, jam non sunt advenæ, atque peregrini : sed cives sanctorum facti sunt, et domestici Dei; quia consepeliuntur Dei Filio : Judæi autem qui passionis ejus pretium repudiaverunt, peregrinantur a Christo. Tolerabilior illis vel in hoc proditor, quod confitetur errorem : illi autem crimen suum excusando acerbant. Verecundior est enim confessio post delictum. Impudenter igitur refellebant commune sacrilegium confitentem dicentes : *Quid ad nos? Tu videris* (Ibid., 4). Quid enim dicebat proditor, nisi hoc : *Peccavi quod tradiderim sanguinem justum* (Ibid.)? Quod erat crimen tradentis, quomodo suscipientis non poterat esse peccatum; cum scelus sceleri sit adjunctum, ut quem scelerate emerunt, sceleratius trucidarent?

14. *Cucurri, inquit, in siti.* Verum est quidem quod Dominus noster Jesus sitivit. Beata Domini sitis; quia sitivit pro nobis, et maxime in passione. Denique dixit : *Sitio* (Joan. xix, 28). Tunc itaque sitiebat, quando de latere suo restinctura sitim omnium vivæ aquæ fluentia fundebat. Denique scriptum est : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (Joan., vii, 38). Sed in Græco medie positum est; quia ἔδραμον et singularem et pluralem numerum significat. Ergo etiam *cucurri*; et *cucurrerunt*, juxta Græcum possumus intelligere. Diximus autem quid exprimat, *cucurri*, hoc est, festinavi sitim omnium suscipere, ut universos perpetui fontis ubertate satiare (cui enim dederam aquam, non sitiet, neque hic, neque in futurum (Joan. iv, 15), sicut dictum est ad Samaritanam); nunc dicamus quid significet : *Cucurrerunt in siti.* Hoc est, festinaverunt ut perfidiæ suæ æstu fontem vivum negantes, æterna fauces suas ariditate sicarent; sicut ipse Dominus ait : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et fecerunt sibi contritos lacus* (Jerem. ii, 13). Nec mirum si sitierunt, qui aquam fontis æterni tenere non poterant lubrici perfidiæ suæ rimis. Sitierunt ergo; quia se potu privaverunt spirituali, quem hauserant de consequenti petra. Unde et Symmachus ait : *Τῶ δόλω αὐτῶν εὐλόγουν*, hoc est, placuit illis in mendacio, cum objicerent falsa pro veris. Omne mendacium sitim habet, veritas ubertatem, quæ in perpetuum perseverat.

15. Et quam cito probavit, quia *cucurrerunt in mendacio! Ore suo, inquit, benedicebant, et corde suo maledicebant.* Misera perfidorum sitis, qui aliud tenebant corde, et ore aliud loquebantur. Ubi autem

fidei exundat ubertas, corde creditur ad justitiam, A ore confessio fit ad salutem. Quomodo autem benedixerint ore, et corde maledixerint, series Passionis ostendit, cum dicerent : *Descendat de cruce et credimus ei* (Matth. xv, 32). Stulti! De morte surrexit, et non crediderunt; quomodo si de cruce descenderet, credidissent? *Speravit in Domino, eripiat eum : liberet nunc eum, quoniam vult eum* (Psal. xxi, 9); quia illudentes potius quam optantes ista dicebant, et interrogabant utrum esset Dei Filius, verbis pacifica loquentes, corde accusationem sacrilegii cogitantes.

16. Sed hæc mystica, veniamus ad moralia. Etenim quoniam non semel appetitur Christus, **961** appetitus est semel in suo corpore quod suscepit in Virgine, appetitus est frequenter in eo corpore, quod est Ecclesia; nos enim sumus corpus Christi et membra. B Appetitur et in singulis sanctis suis et innocentibus, qui Domino se dicarunt.

17. Recordamur aliquem (*Gratiano imperat.*) proxime ab omnibus appetitum, a suis destitutum ac proditum : qui dudum in suggestu locatus imperii, subito egens omnium ab ipsis quorum hæreditarium fuerat sortitus obsequium, cœpit urgeri; ingruentibus in exitum, inferentibus mortem, nullo auxiliatore, nullo jam socio sui, nullo comite. Quid aliud melius dixerit, quam quod ex ipso cui se devovit, acceperat : *Nonne Deo subdita erit anima mea?* Hoc est, quid persequimini; quid furitis; quid insultatis? Carnem potestis interficere, animam non potestis. Vitam illam corporis potestis eripere, meritum non potestis extinguere. Scriptum est enim : *Nolite timere eos C qui possunt occidere carnem, animam autem non possunt : sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (Matth. x, 28). Anima ergo quæ Deo subdita est, non est humanæ subdita potestati; ab ipso enim vitæ fructum sperat æternæ, et perpetuæ salutis auxilium. Ille ergo cui me tradidi, et necatum tuebitur, et mortuum resuscitabit, et ulciscetur occisum. Raptus est justus, ne malitia mutaret cor ejus. Mors ergo ista magis peccati fuga, quam morientis est detrimentum.

18. Etenim ipse est *Deus meus, adjutor meus, defensor meus : non movebor amplius*. Qui labitur, commovetur; eo quod de integritatis et innocentiae suæ quadam statione defluat. Semel enim in petra Christi locatus lubricum non debet habere vestigium; sed D tenere status proprii firmamentum. Unde immobilis dicitur, qui servat immobilem voluntatem, et propositum aliquod intentione animi fidelis exsequitur. Nam et Dei immobilem voluntatem legimus, sicut habes ad Hebræos : *In quo amplius Deus ostendere volens hæredibus repromissionis immobilitatem voluntatis suæ, interposuit jusjurandum* (Hebr. vi, 17).

^a Edit. Rom., *Eget enim et mendicat, qui movetur*. Aliæ, ac mss. omnes, *Eget enim medico*, etc. Bonus sensus licet aliquantulum reconditus : quem ut probe intelligas, adverte hic prima duo istius versiculi verba explicari; *commoti amoveantur* : commotiones autem morbos atque ægritudines animi esse; unde a

Recte ergo immobilis voluntas Dei, quæ nullius peccati movetur illecebris. Homines vero mobiles, lubrici ad delinquendum, faciles ad errandum. Denique de Judæis dictum est : *Transeuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua* (Matth. xxvii, 39). Et ipse Dominus in psalmo ait : *Omnes qui videbant me, aspernabantur me : et locuti sunt labiis, et moverunt caput* (Psal. xxi, 8). Caput omnium Christus est. Melius est igitur ut maneat Christus in nobis, quam aliqua nostri commotione moveatur. Unde Judæi moventes capita sua dicebant : *Tolle a terra talem hunc* (Act. xxii, 22). Geraseni rogabant, ut de sinibus eorum recederet (*Luc.*, viii, 57) : Ecclesia autem tenuit eum, nec dimisit eum. Ideo illa quæ tenuit eum, possidet : illi qui moverunt, tenere non possunt. Pulchre autem ait evangelista quia transeuntes movebant capita sua (*Matth.* xxvii, 39) : transeuntes, non stantes. Stamus in atriis sanctis, præterimus in plateis. Sacerdos præteriit, levita pertransivit : stetit ille qui vulnera inflicta curavit. **962** Et ideo illi non dixerunt qui transibant viam : *Benedictio Domini super vos : benedicimus vos de domo Domini* (Psal. cxxviii, 8); stantes enim, non transeuntes sunt pedes benedicientium. Denique et vineam cujus soluta munitio est, transeuntes vindemiant, non manentes. Transeuntes sibilant, sicut in Threnis Hieremiæ legimus : *Tenuerunt super te manus omnes transeuntes per viam : sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Hierusalem* (Thren. ii, 15). Ideo sacerdos non potuit coronari, levita non potuit, quia transierunt, et tamquam umbra præterierunt. Stephanus autem martyrio coronatus est; quia stantem videbat Dominum Jesum, immobilem, non prætereuntem. Immobilis ergo fide Stephanus immobilem Christum videbat : nullo erat mortis timore commotus. Non movit se Stephanus, non movit se Christus. Commoti sunt filii proditoris, de quibus dicitur : *Commoti amoveantur filii ejus, et mendicent* (Psal. cviii, 10). ^a Eget enim medico qui movetur. Inops peccator, dives est justus; quia nullo bono deficit, qui Dominum semper inquirat.

19. Et quia inde tractus est sermo, qui dixit : *Non movebor amplius*; quod moveri ad culpam sit, ostendit ipse David dicens : *Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit commoveri pedes meos* (Psal. lxxv, 9). Unde et sancto dicitur a Domino Deo nostro : *Tu autem hic sta mecum* (Deut. v, 51); quoniam qui Deo proximus est, lapsi non potest esse vicinus. Omnis enim culpa velut adversario nisu de loco dejicere, et de proprio statu mentem movere consuevit : quod vel ab hoste, vel ab luctamine tractum videtur. Perturbat ira, incendit libido, stimulat invidia, excruciat avaritia, timor dejicit, mœror affligit. Et Pe-

Græcis *πέδη* vocatæ sunt. Innuitur itaque hoc toto versiculo peccatores et in ægritudine et in egestate ac penuria esse positos. Hanc interpretationem confirmant quæ infra de ira, libidine atque aliis perturbationibus dicuntur.

tro dictum est a Domino Jesu : *Veni retro post me* (Marc. viii, 33). ^a Non dixit : *Veni retro*. (hoc enim diabolo soli dixit) sed : *Veni retro post me*; non est enim retro, qui post Christum est. Sed quia errabat Petrus, sicut Dominus ipse ait ad ipsum : *Quia non sapis*, inquit, *quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (Ibid.); ideo post me veni, ut incipias non humana, sed divina sentire. Ideo et hic justus rapiendus e terris ait : *Non movebor amplius. Dissolvi enim, et cum Christo esse, multo melius* (Philip. i, 23). Non enim labi poterit qui cœperit esse cum Christo; quia mors justo non naturæ finis, sed culpæ est.

20. Inter has voces subito videt agmina persequentium, et inter pericula positus non de se sollicitus; sed de his quos liberare cupiebat, ait : *Quousque irrutis in hominem, interficientes universos* (Supra, B vers. 4)? Si me quæritis, cur alios vultis occidere? Offero me ipse pro multis; quia pro omnibus solus se ille potuit offerre, qui auctor est omnium. Ipsius ergo quem sequebatur imitator ait (Joan. xviii, 8 et 9) : *Si me quæritis, sinite hos abire; ut impleatur sermo quem dixit Jesus : Quia non perdidit ex ipsis quemquam præter unum* (hoc enim in alio libro sententia Domini comprehendit); qui tamen sua magis periit voluntate, quam mea, inquit, severitate punitus est. Et cum ego me sponte offeram, irrutis et incumbitis *tamquam parieti inclinato, et maceris impulsæ* (Psalmi vers. 4); hoc est : Apex dudum nobilis sedis **963** augustæ, et circumfusi toto orbe Romano validus quondam murus imperii, sicut paries inclinatus, aut maceries impulsa collabor.

21. Sed esto, ad mortem me usque appetierunt, quæsierunt ad necem dicentes : Tollamus justum, tollamus misericordem; quia gravis est nobis etiam ad videndum : sed etiam ^b existimationem meam, castimoniam meam sauciendam falsis calumniis putaverunt; hoc est enim : *Pretium meum cogitaverunt repellere*; quia ^c pretium nostrum pudicitia est, quæ nos separat a pecudibus, angelis jungit. Pretium nostrum misericordia est, quæ nos dum confertur inopibus, redimit a morte. Pretium nostrum fides est, quæ omnes homines gentili errore et servitute depressos Christo acquisivit. Pretium nostrum bona existimatio est; quia uniuscujusque nostrum meritum series æstimatur. Pretium nostrum munditia

atque simplicitas est; quia scriptum est : *Possessio pretiosa vir mundus* (Prov. xii, 27); nihil enim pretiosius viro simplici. Unde Apostolus pulchre : *Abundavit, inquit, in divitiis simplicitatis suæ* (II Cor. viii, 2). Quid enim simplicitate ditius : quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, et sua puritate contenta, non quærit alienum, nec abrodit; sed de se cæteros lingit? Innocens enim credit omni verbo, nec se in artes varias sæpe commutat; sicut astutia quæ ut sit cauta, timet omnia, nec se consiliis suis credit : versat suas ipsa sententias. Simplicitas autem timere nil novit. Hoc igitur genere pretium justum repellere tentaverunt; etsi possit et illud intelligi, quia aurum ejus manibus accipiebant, corde intimo repellebant, prædam tenentes, fidem negantes.

22. Unde et ait : *Cucurri in siti*; eo quod fidem quæreret, et invenire non posset, destitutus a sociis, a propriis derelictus. Sic Dominum Jesum legimus in Evangelio et esurisse, et sitisse (Matth., iv, 2, et Joan. xix, 28); cum esuriret fidem nostram, sitiret opera nostra, quærerere videretur aliena. Aut ut ad sitim corporis referamus, quanta indignitate dicit : *Cucurri in siti?* hoc est : Ego sitiebam, cum alii mea vina ructarent; et ex illo suggestu sublimis imperii, opulentiaque regali, ad extrema sitis plebeia quadam vilitate deductus sum.

23. Et quia Græcus habet *ἔδραμον*, quod significat et cucurri singulariter, et cucurrerunt pluraliter, potest et sic intelligi : *Cucurrerunt in siti*, quorum C fauces æstu nimio fundendi mei sanguinis aruerunt. Sicut enim est sitis fidei, ita et perfidiæ. Sitim illam justus sitit, qui ait : *Sitit anima mea ad te, Deus* (Psal. xli, 3). Istam perfidi, quorum lingua præ siti aruit. Quam sitivit ^d ille qui inter convivii dapes et pocula constitutus, innocentis convivæ necem moliebatur Augusti? Nonne tibi videbatur, impie, cum manducares, cædem parares, quod humana sub dentibus tuis ossa crepitarent? **964** Cum vinum biberes, et parricidium cogitares, quod illis poculis sanguinem tibi innocentis infunderes? Ita prorsus alienus non solum ab imitatione, sed etiam a lectione divina; ut non tibi veniret in mentem versiculus ille psalmodum : *Tu vero homo unanimes, dux meus et D notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*

^a Sic omnes mss. ac vet. edit. Rom. vero, non dixit : *Vade retro*. Sed discrimen de quo agitur, in vocibus, *post me*, situm est : non autem in verbis, *vade et veni*; cum eodem verbo Scriptura utrobique usa fuerit. Nam de diabolo ait Matth. iv, 10; Ἔπαγε, Σατανᾶ; de Petro autem Marc. viii, 33 : Ἔπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ.

^b Hoc atrocior ea calumnia fuit, quod in confesso est apud omnes historicos Gratianum insigni castitate ornatum fuisse. Quia immo fuere etiam qui nimiam ejus verecundiam reprehenderent, quasi gerendis imperii rebus parum commodam.

^c *Pretium*, hic dignitatem atque honorem signat; nam in sequentibus etiam pro mercede accipitur. LXX, πλὴν τὴν τιμὴν μου ἐβουλεύσαντο ἀπίσασθαι.

^d Hæc necis Gratiani imperatoris adjuncta apud nullum alium ex antiquis reperire est, quam apud hunc nostrum. Orosius tantum memorat ipsum, dum in Italiam transire meditaretur, dolis circumventum a Maximo tyranno interfectum fuisse. Socrates, Sozomenus, Paulus Diac. et alii referunt Andragathium quem ad illum persequendum miserat tyrannus, rumorem sparsisse quo ejusdem conjux adventare ad eum diceretur : Gratianum autem fama hujusmodi deceptum ad lecticam, uti putabat, uxoriam accessisse, atque ab Andragathio ex eadem exiliente fuisse interemptum. Sozomenus tamen facile cum Ambrosio potest conciliari. Is enim non statim, sed haud multo post trucidatum scribit : Καὶ σὺλληθη, οὐκ εἰς μακρὰν ἀνηρέθη. Quidquid sit Ambrosio tamquam testis tantum non oculato credendum est.

(Psal. LIV, 14 et 15). Atque ille alius, cujus meminit in Evangelio ipse Dominus Jesus : *Qui edebat mecum panem, levabit super me calcaneum suum* (Joan. VIII, 18).

24. *Quid tibi faciam Ephræm; quid tibi faciam Juda* (Ose. VI, 4)? Plures reliquisti nobis proditoris tuæ et fraudis hæredes; hæc enim etiam ad proditorem Judam potest^a per apostrophem derivari. Prodidisti vitam, regnum, Dominum. Sed Jesus Dominus semel in se, frequenter in servulis suis proditur. *Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi*, inquit, *fecistis* (Matth. XXV, 40). Tu commissos tibi oculos et pecunias pauperum suscepisti, iste provincias sibi creditas. Tu apostoli honorem, ille militiæ dignitatem, administrationis infulas. Numero honores ejus, ut crimen exaggerem. Convivii violentis uterque consortium: tu tamen de convivio ad proditorem surrexisti, iste ad necem; hoc est, tu, licet in scelere, verecundior, qui negasti quod inferendam necem credideris Domino quem prodebas, qui pretium refudisti; ne residere apud te merces parricidii videretur. Iste non solum tenuit acceptam, verum etiam extorsit non oblatam mercedem proditoris. Iste non solum deceptus non est alieno mendacio: sed sefellit suo, et sefellit ut occideret. Et cum ille convivium recusaret, qui se videret esse perimendum, iste sacramentum obtulit; ne qua periret sibi cumulandi pars criminis. Postremo superioris proditoris pecunia profecit ad sepulturam peregrinorum: iste sepulturam integram suo principi denegavit.

25. Nec defuit qui manus lavaret dicens: *Innocens sum a sanguine justis hujus* (Matth. XXVII, 24); in quo se Pilatus non diluit, sed inquinavit: et implicavit, non exuit. Nam etsi nullum pondus in perditorum judiciis, tamen vinculum majus in confessionibus. Justos enim non aliena absolvit sententia, sed sua vita: injusti se ipsos vehementius suis vocibus alligant, qui alios alligare non possunt. Tamen ne huic quoque deesse confessio propria videretur, juravit ut pejeraret.^b Lavit manus, cum Evangelium tangeret: ne quid deesset exemplo. Lavit aqua manus, ut sceleratius inquinaret innocentis sanguine.^c Nec Herodes defuit, cui alter Pilatus se placitum credidit, si captum principem destinasset. Quid illud quoque dicam, quod is quoque vestem dealbatam indutus est ad illudendum: postea quoque regia veste donatus est ad moriendum; ne amisisse honorem

debitum **965** videretur? Nam etsi scelere interiit, jus tamen collatæ sibi potestatis etiam mortuus reservabat, eorum ipsorum a quibus negabatur, vel ministerio, vel assensu.

26. Addebatur huic tanto sceleri pompa feralis; nisi is qui impatienter ista deflebat, cognitis quæ parabantur, justo commotus dolore increpasset victorem superbum, tyrannus illa, non regibus inferri solere.^d Sic horrore flagitii territus deposuit teterimi sceleris apparatus. Nec petitor igitur sepulturæ defuit, etsi Joseph ille qui justus dicebatur, defuit. Sed longe Maximus sævior denegabat, quod ipse Pilatus auferre non potuit. In quo parricidæ humanitas defuit, innocenti tamen non defuit gratia: et ad tempus assumpta patientia,^e vindicta paululum comperendinata est.

27. (Vers. 6, 7.) Ideoque ait: *Verumtamen Deo subjecta est anima mea; quoniam ab ipso est patientia mea. Quia ipse est Deus meus, et salutaris meus, susceptor meus, non emigrabo.* Hoc est, numquid sepultura corporis negata perpetuæ quietis mansionem mihi abstulit? Habeo habitaculum meum in Domini tabernaculo, et in sancto monte ejus requiescam. Non emigrabo humano scelere; quia Domini favore susceptus sum; quia neque mors, neque gladius, neque tribulatio a charitate Christi me separare poterunt. Non enim innocens de tabernaculis justorum, sed peccator emigrat. Migrant Judæ proditoris hæredes, de quibus et similibus eorum merito dicitur: *Commoti amoveantur filii ejus, et mendicent; ejiciantur de habitaculis suis* (Ps. CVIII, 10).

28. Quod bene et ad Dominum Jesum Christum refertur, qui cum descendisset in terras, ut crucifigeretur, ut sepeliretur; non emigravit a Patre, sed in Patre mansit. *Traditus sum, et non egrediebar* (Ps. LXXXVII, 9). Nec deposuit quod erat, sed reservavit: nec desivit esse in Dei forma, sed perseveravit: non immutata per susceptionem corporis Dei gloria, sed manente, triumphum acquisivit, potentiam non amisit. Unde ipse ait: *Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis* (Marc. XIV, 62).

29. (Vers. 9.) Unde convocatos gentium populos, et acquisitos Patri, suo sanguine, hortatur ad fidem dicens: *Sperate in eum omnes conventus plebis meæ; hoc est, non solus Israel, sed omnes, inquit: nec solæ*

^a *Apostrophe*, Latine *Aversio*, figura qua sermonem a re proposita ad alloquendum aliquem convertimus.

^b Observandum obiter quam antiqua sit ea consuetudo, qua gravibus in causis contacto sacrosancto Evangelio juramus. Vide Annot. H. Valesii in lib. VI Sazomeni cap. 30, pag. 145.

^c Intellige Andragothium priusquam necem Gratiano inferret, ut duceretur ad Maximum, operam dedisse.

^d Ita Cod. Reg. unus. Alii et vet. edit., *Sic horrere flagitiis et sic citus*. Rom., *Sic horrorem flagitii, sic citus*, etc. Neutrum satis commode. Attamen valde suspicamus communem vet. edit. ac mss. lectionem emendandam esse hoc pacto; sic horrore flagitii excitus. Caterum hic de se ipso loqui Ambrosium palam faciunt non modo quæ in ejus vita de secunda

ipsius ad Maximum legatione Paulinus tradit; verum etiam quæ ipsemet Sanctus epist. ad Valent. et in Orat. de ejusdem Obitu scripsit, ambigere nos non patiuntur. Mirare interim cum sancti viri constantiam, qua tyrannum ferocientem tanta cum libertate compevit; tum summam ejusdem modestiam, qua cum Josepho justo se negat esse comparandum.

^e Vindicta illa Gratiani per summum scelus trucidati sic peracta est. Occupaverat magnis copiis Alpium angustias comes Andragathius. Has cum divinitus obsecratus deseruisset, Theodosius, exercitum suum licet multo inferiorem traducens, Maximum qui tanquam victoriæ suæ spectator Aquileiæ insederat, cepit atque occidit; quo comperto Andragathius in mare se præcipitem armatus dedit. Vide Orosium lib. VII, cap. 35; et alios.

gentes, sed Israel; cum enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit. Quis potest divina mysteria comprehendere? Quorum tanta multitudo est, ut jure Paulus miretur, meritoque dixerit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (Rom. xi, 33)! Repulsæ gentes sunt, **966** ut eligeretur Israel: cæcatus est postea Israel propter vocationem gentium; et cæcati Israel reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt, postquam intravit gentium plenitudo. Ita culpa Israel profuit gentibus: fides gentium Israelitem populum liberavit.

50. *Effundite, inquit, coram illo corda vestra.* Qui induit fidem, prius perfidiam debet exuere, evacuare cor suum omni labe malitiæ; ut capax fiat cor ejus gratiæ spiritalis. Ideoque Apostolus ait: *Renovamini spiritu mentis vestræ* (Ephes. iv, 23). Cum enim effunditur vetus malitia, nova sumitur gratia, qua unusquisque renovatur. Dicit ergo Filius Dei: *Effundite coram illo corda vestra*; quia sciebat Patrem esse dicturum: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (Joel. ii, 28). Est etiam illa traditio, ut cor nostrum videamur effundere, quando omnes cogitationes alicui et voluntates nostri cordis aperimus. Ergo jactemus in Deum cogitationes nostras, nec aliquid eum latere credamus. Effundimus cor nostrum coram ipso, cum disceptationes exanimus humanas.

51. (Vers. 10.) *Veruntamen vani filii hominum: mendaces filii hominum in stateris ut decipiant.* Si vani filii hominum, et mendaces filii hominum, possunt non vani esse filii Dei; qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt. Nam filii hominum videntur sibi ponderare æquitatem et gravitate superioris judicii examinare justitiam, ^a duri aliis, sibi remissi, operibus iniqui, sermone censores. Unde Salomon ait: *Exsecrabile Domino duplex pondus, et statera fallax non bona* (Prov. xx, 23). In quo significat eos qui rapinam inexplebili corde meditantur, et sobrietatem fronte prætendunt. Tales scribæ Judæorum sunt, qui onera gravia aliis observantiæ durioris imponunt, non habentes rectum ^b jugum animæ suæ; sed propensa iniquitate curvati: ipsi autem suorum refugi præceptorum sunt. Invenitur itaque in avaritia tamquam in radice vitiorum omnium, quæ sit caput iniquitatis et fomes: quam homo renuntians mundo, et consepultus Christo per baptismatis sacramentum, ^D qui sit mortuus sæculo, declinare debet atque defugere.

52. (Vers. 11.) *Nolite, inquit, sperare in iniquitate, et rapinam nolite concupiscere: divitiæ si fluant, nolite cor apponere.* Vides quia affluunt, non vides quia

^a Ita Reg. ms. jam ante non semel laudatus. Alii autem ac edit., *Duri aliis, remissi operibus iniquis, etc.*

^b *Jugum* in trutina scapus est ex cujus extremis binæ lauces pendent; unde translata est hæc metaphora.

^c Descendimus omnes in Jordanem cum Christo capite nostro, cujus contactus aquam non solum Jordanis, sed omnino omnem sanctificavit; ut dignum regenerationis nostræ fieret instrumentum. Alioquin autem multi olim in ipso Jordane baptizari peroptabant; quemadmodum de sanctis quibusdam in ipsorum vitis legere est, ac de Constantino Magno Hie-

^A præterfluunt? Nudus es natus, nudus moriturus es. Quid excipere quæris quod tecum auferre non possis? Fluente sunt quæ miraris: quomodo veniunt, sic transeunt et recedunt. Solus Jordanis retrorsum conversus est, ^e in quem descendisti: **967** qui te admonet, ut in ipsum naturæ fontem et originem revertaris, quæ te nudum, non veste amictum edidit; ut discas superflua non requirere. Hoc, quod erubescis, ^d esse te nudum, culpa docuit, non natura. Nulla enim esset verecundia genitalium, si culpa non esset. Neque enim cætera animalia vestiuntur, ut tegantur; neque vestiuntur, ut muniantur. Satis munita sunt omnia naturæ suæ tegmine; nos dum superflua quærimus, tegmen naturæ amisimus, jus commune perdidimus. Ideoque in hoc psalmo ascribitur doctrina medicabilis; quia vel Idithum, vel se ipsum illius nomine, exercitio spiritali, subeundis tentationibus erudit, ut in angustiis quis positus subjiciat se Deo; et si peccavit ante, peccare desistat, nec recidivo errore moveatur.

53. (Vers. 12.) *Semel locutus est Deus, duo hæc audi.* Semel locutus est Deus, et plura audita sunt; quia non per litteras et syllabas est locutus. Locutus est per ænigmata, locutus est per visiones, locutus est per divisiones gratiarum, locutus est per Spiritum singulorum. Nos autem plura loquimur, et vix audimur. Semel locutus in Lege est, eadem iterum locutus est in Evangelio. **968** Aut fortasse, ut ego puto, quia multifariam locutus est in prophetis, novissime autem locutus est in filio suo. Semel ^C locutus est, quando locutus in Filio est; et audita sunt etiam illa quæ ante audita non erant ab iis quibus locutus fuerat per prophetas. Semel ergo locutus est in novo Testamento, et vetus auditum est Testamentum, quod non audiebatur; quia ipse Dominus dixit de populo Judæorum: *Videbunt, et non videbunt: audient, et non audient* (Marc. iv, 12). Audient aure corporea, sed non audient mentis auditu.

54. Nobis ergo, hoc est, Ecclesiæ, semel locutus est, et duo audita sunt; quia et illa audivimus et intelleximus, quæ non intellexerunt, qui legerunt: non audierunt, qui audierunt. Solus enim Christus aurem aperuit humanam ad cognoscenda mysteria; solus libri signaculum solvit, et resolvit ænigmata prophetarum.

55. (Vers. 13.) Ideoque ipse reddet unicuique secundum opera, in quo et qualitatem operum comprehendit; ut aut complurium et meliorum restituat præmia meritis singulorum; aut contra et numero gravemur, et acerbitate meritorum.

onymus ex Eusebio tradit. Vide Annotationem H. Valesii in lib. iv Eusebii de vita Constantini in cap. 62, ubi inter alia scitu dignissima legitur et istud ex itinerario Antonini, quod cum hoc loco non parum habet affinitatis: *Descendit sacerdos in flumen, et hora qua cœpit benedicere aquam, mox Jordanis cum magno rugitu post se revertitur; et stat aqua superior in se usque dum baptismus perficitur: inferior autem fugit in mare.*

^d His plane gemina docet Augustinus lib. ii de *Pecata orig.*, c. 34; l. i de *Nupt. et Concup.*; lib. v, cap. 5, *Contra Jul. Pelag.*, atque alibi.

INDEX

RERUM QUÆ IN HAC PRIORIS TOMI PARTE CONTINENTUR.

- EPISTOLA DEDICATORIA. 9
 PRÆFATIO. 15
 VITA SANCTI AMBROSII a Paulino, ejus notario, ad beatum Augustinum conscripta. 27
 VITA ET INSTITUTUM S. AMBROSII ab auctore anonymo. 45
 VITA S. AMBROSII, ex ipsius potissimum scriptis collecta et secundum chronologiæ ordinem digesta. 65
 VETERUM TESTIMONIA DE S. AMBROSIO. 115
In sex libros Hexaemeron admonitio. 119
 HEXAEMERON.
 LIBER PRIMUS. — DE OPERE PRIMI DIEI. 123
 CAPUT PRIMUM. — De mundi principio, duratione et unitate. *Ibid.*
 CAP. II. — Moysis opinio de initio rerum, auctore mundi et creatione materiæ. 124
 CAP. III. — Principium unum a Deo mundum habere, ac proinde eum æternum non esse. 126
 CAP. IV. — Principiorum varia genera, et in quo Deus fecisse cælum ac terram intelligendus. 127
 CAP. V. — Mundum divinæ operationis specimen esse; a gentilibus eum Dei umbram non recte dici. 130
 CAP. VI. — In cælo et terra quatuor elementa creata esse. Qualis cæli substantia, qualisve terræ positio. 132
 CAP. VII. — Occurritur iis qui materiæ æternitatem e Scripturæ verbis conantur astruere. Terram eo invisibilem dici, quod aquis cooperta esset. 155
 CAP. VIII. — Terram incompositam fuisse, tum quia in ea nihil distincti, tum quia tenebris esset velata. Malitiam per tenebras non intelligendam ex eo concluditur quod malitia non nisi a nobis oriatur. 157
 CAP. IX. — Creatur lux: eadem a tenebris discernitur, atque approbatur; et qua causa lux *dies* ac tenebræ *nox* appellatæ. 141
 CAP. X. — Diem nocti contra quam nonnullis videatur hic anteponi. Cur dies unus potius dicatur quam primus, ac matutino fine concludatur. 143
 LIBER II. — DE OPERE SECUNDI DIEI. *Ibid.*
 CAPUT PRIMUM. — Operibus primi diei strictim recensitis, transit ad secundum diem; et in rerum creatione non naturæ possibilitatem, sed potentiam Dei spectandam docet. *Ibid.*
 CAP. II. — De firmamento cæli et orbium concentu. 146
 CAP. III. — Firmamentum non idem esse ac cælum: veras aquas super ipso residere perperam negari. 148
 CAP. IV. — Cælum, nomen commune; speciale vero, firmamentum. Moralis interpretatio. 152
 CAP. V. — Quam perfecta Patris ac Filii in operibus suis conjunctio. 154
 LIBER III. — DE OPERE TERTII DIEI. 155
 CAPUT PRIMUM. — In aquarum congregatione Ecclesiæ figuram exprimi, et quomodo super flumina fundata sit. *Ibid.*
 CAP. II. — Terram superfusus aquis prius invisibilem, iisdem unum in locum confluentibus apparuisse. Quam nigrum aquas omnes uno loco contineri. 158
 CAP. III. — Collectionem aquarum unam et continuam esse. Item de lacubus et stagnis. 161
 CAP. IV. — Terræ præcipuam qualitatem, cum *arida* vocatur, significari. Quæ sint elementorum quibus invicem connectuntur proprietates. 163
 CAP. V. — Maris commendatio. Coetus ecclesiastici figuram refert. 164
 CAP. VI. — Terræ suam speciem, quæ in germinatione ac viriditate posita est, percommode additam esse; vocem Dei fecunditatis causam præbere. 166
 CAP. VII. — Cur pabulum pecori prius creatum quam cibus homini. Herbam virentem humanæ imaginem esse conditionis. 167
 CAP. VIII. — De virtute seminaria, deque germinandi ac fructificandi modo admirabili. 169
 CAP. IX. — Noxia cum utilibus non sine ratione generari. Ordo in terræ fructificatione servatus. 171
 CAP. X. — Semina nunquam propria degenerare. Verbum Dei miram terræ fecunditatem contulisse antequam homo peccaret. 173
 CAP. XI. — De ortu arborum, atque de rosa, quæ primo sine spinis nata, illis postmodum inhorruit, et vitæ nostræ speculum facta est. 175
 CAP. XII. — Laudatur vitis, et cum ecclesia comparatur: nec non exemplum ejus nobis ad imitationem proponitur. 176
 CAP. XIII. — De arborum utilitate, diversitate, cultura; cum morali ad singula expositione. 178
 CAP. XIV. — De simplicium pomorum differentia, foliorumque diversitate. 181
 CAP. XV. — Stupendæ aquæ diversitatis effectus. 182
 CAP. XVI. — Quomodo ad vocem Domini subito omne virgultorum genus efflorescens victum, delicias ac medicinam ministraverit. Quo etiam modo plantæ aut semen aut aliquid quod seminis vicem suppleat, in se habeant. 184
 LIBER IV. — DE OPERE QUARTI DIEI. 187
 CAPUT PRIMUM. — Lectorem parat ad creationem solis recte intelligendam, declinandamque idolomaniam. *Ibid.*
 CAP. II. — Solem Dei Filio servire, a quo ad ornamentum cæli cum aliis luminibus creatus fuit. Fecunditatem a Deo terris inditam, non a sole. Sol de Christo, luna de Ecclesia interpretatur. 189
 CAP. III. — Aliud esse lumen diei, aliud siderum. Duplicem esse ignis operationem, illuminare et urere, quæ in retributione meritorum separabuntur. Deum dici ignem exurentem et qua causa. 191
 CAP. IV. — Mathematicorum scientia refellitur. 192
 CAP. V. — Luminarium vicinitate vel remotione annuas tempestates definiiri: quod Christo, synagogæ atque Ecclesiæ accommodatur. 197
 CAP. VI. — Solis ac lunæ magnitudo ex illorum aspectu probatur. Solvitur objectio, et de remotorum aspectu pulchre disputatur. 200
 CAP. VII. — Plurima quæ de sole dicuntur, lunæ etiam convenire; eam tamen proprios quoque habere effectus, quorum aliqui hic recensentur. 202
 CAP. VIII. — Lunæ mutatio rerum instabilitatem docet: at ipsa turpiter in moribus nostris exprimitur. Christi mysterium atque Ecclesiam eadem repræsentat; quam qui magicis cantibus de cælo detrahi credunt irridendi. 203
 CAP. IX. — Conclusio quarti diei; quam vanum sit eum cavere, et unde in eundem dæmonum ac gentilium offensio derivata. 205
 LIBER V. — DE OPERE QUINTI DIEI. *Ibid.*
 CAPUT PRIMUM. — Ornatis superioribus duobus elementis, mari propria prærogativa conceditur. Describitur aquarum obedientia ac fecunditas. Reptilia quid sint. *Ibid.*
 CAP. II. — Virtute hujus vocis, *Producant aquæ reptilia*, multo plura in mari quam in terra esse producta; eamque gratiam aquis additam ut quæ in terris noxia in mari innoxia generentur. 207
 CAP. III. — Multiplicem piscibus rationem esse generandi, ac singularem in prolem pietatis sensum. Quanta sit eorum puritas. 208
 CAP. IV. — Mutuam aquæ ac piscium necessitudinem docere qualis parentum et filiorum necessitudo esse debeat. Quomodo respirationis usum aqua suppleat in piscibus. 210
 CAP. V. — Pisces cur tam bene dentati. Avari quomodo piscibus comparentur. *Ibid.*
 CAP. VI. — Hominem esse piscem; sed piscem alium bonum, alium malum inveniri; bonum vero Petri hamum ac sinum timere non debere. 212
 CAP. VII. — Per mare Evangelium et Ecclesiam designari. Conjuges ad mutuam charitatem impelluntur. *Ibid.*
 CAP. VIII. — De astutia polypi et cancri, quibus fraudulentis homines adumbrantur. 215
 CAP. IX. — De præscientia echini. 216
 CAP. X. — Exemplo piscium humana levitas et incontinentia reprehenditur. 217
 CAP. XI. — De piscibus Atlantici maris: item de sale, corallio et aliis quibusdam. Ob ea, sed maxime ob navigationem mare terris præstare. De Jona et Petro. 220
 CAP. XII. — De variarum avium suavitate disserit. 222
 CAP. XIII. — De alcyone, et quod a Deo opem expectare

debeamus. De avibus imbrum aut ventorum præsis,
deque fida anserum custodia. 224

CAP. XIV. — Aves cum piscibus multiplici cognatione conjungi. De variis avium generibus et differentiis. 225

CAP. XV. — De gruibus; et, hac occasione, de prisca reipublicæ statu, humanæque incuriæ causis. 227

CAP. XVI. — Quomodo ciconiæ proficiscantur atque a cornicibus deducantur ac defendantur. Laudatur earumdem cornicem hospitalitas, ciconiarumque pietas filialis. 228

CAP. XVII. — De hirundinis sedulitate, industria, pietate in filios, et ipsius paupertate. 250

CAP. XVIII. — Amorem in filios a cornicibus homines edoceri, eorumque damnari impietatem. Accipitres et aquilas inclementiæ nequiquam accusandos; sed fulicam, quæ abdicatum aquilæ pullum nutrit, commendandam. 252

CAP. XIX. — Laudatur ob viduitatem turtur, et hoc nomine mulieribus anteponitur etiam christianis. 252

CAP. XX. — Vultures, quæ siue maris copula gignere dicuntur, virginæ partus possibilitatem astruere. 253

CAP. XXI. — De avibus sub quadam reipublicæ forma constitutis. *Ibid.*

CAP. XXII. — Volatilia cur dicantur *volantia super terram secus firmamentum cœli*; atque ibidem de corporis diversitate quæ observatur in avibus. 256

CAP. XXIII. — De verme Indico, chamæleonte, lepore ac phœnice, quibus ad fidem resurrectionis ac mortis præparationem informamur. De vulture et locusta. 257

CAP. XXIV. — De nocturnis avibus; in primis de luscinæ incubantis cantu; de noctua, vespertione et gallo; unde nonnulla ad nostros mores accommodantur. 259

CAP. XXV. — Pia Auctoris precatio; lacrymarum commendatio; ad mysteria Domini corporis invitatio. 241

LIBER VI. — DE OPERE SEXTI DEI. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. — Exordio eleganti conciliatur attentio. *Ibid.*

CAP. II. — De bestiarum natura. Scripturam simpliciter accipiendam, et curiosas quæstiones fugiendas monet. 245

CAP. III. — Animantibus inditam Dei verbo generationis legem in specierum successione perseverare. 245

CAP. IV. — De mira indole nonnullorum animalium et de naturalibus virtutibus quos nos in illis imitari oporteat. 247

CAP. V. — Qua ratione Dominus aliis bestiis colla breviora, aliis longiora creaverit; de elephanto. 255

CAP. VI. — Bestias ferocissimas homini subditas: eisdem minutissima animalia terrori esse, De serpentum utilitate. Homo ad sui cognitionem excitatur. 255

CAP. VII. — Homini creationem a consideratione Creatoris auspiciatur, Filium Patris imaginem esse, inter eos unitatem distinctionemque inveniri demonstrat. 257

CAP. VIII. — Corporis et animæ dotes examinantur. Ostenditur totum hominem animæ vocabulo designari. Exhortatio ad vigilantiam contra vitia. 259

CAP. IX. — De corporis humani præstantia. 260

CAP. X. — Quomodo Deus requiescere dicatur, aperit, et Creatoris laudibus sermonem coronat. 272

In librum de Paradiso admonitio. 275

LIBER DE PARADISO.

CAPUT PRIMUM. — Paradisi auctor, natura, situs, incolæ indicantur; et res ad mysticum sensum traducitur. 275

CAP. II. — Quod lignum scientiæ boni et mali in paradiso fuerit, quodque ibidem serpens exstiterit, non reprehendendum; et quid nonnulli per serpentem, Adamum et Evam intellexerint. 277

CAP. III. — Per fontem paradisi, Christum; per quatuor flumina inde orientia, virtutes cardinales et quatuor mundi ætates designari. 279

CAP. IV. — Virum in paradiso non factum, sed positum; at in eo factam mulierem. 283

CAP. V. — Examinatur præceptum de non edendo de ligno scientiæ boni et mali, et difficultates resolvuntur. 285

CAP. VI. — Alias dubitationes circa præceptum Adæ datum et Evæ prævaricationem excitas diluit. 287

CAP. VII. — Utrum a Deo mors homini acciderit. 290

CAP. VIII. — De præscientia Dei, et quod sit opinio boni et mali humanis mentibus divinitus impressa. 291

CAP. IX. — An decuerit præceptum homini de cibo dari; et cur non dictum *moriemini*, sed *morte moriemini*. 294

CAP. X. — Cur Deus hominem non approbavit nisi post factam mulierem, et cur de costa creatâ sit. 297

CAP. XI. — Quomodo animalia ducta fuerint ad Adam; quid sopor ejusdem et costæ ædificatio doceat; et quo pacto justi in paradysum rapiantur. 298

CAP. XII. — Serpentis sapientia; quomodo mulierem aggressus sit, qualisve hujus responsio. 301

CAP. XIII. — Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacii; et de deceptione mulieris et lapsu Adæ. 306

CAP. XIV. — De increpatione, *Ubi es?* De mulieris excusatione et de mysteriis per hæc significatis. 308

CAP. XV. — Peccatum mulieris quare venia dignum, quidve per serpentem, feminam et virum significetur. Qualis serpentis condemnatio. 311

In libros de Cain et Abel admonitio. 313

DE CAIN ET ABEL LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS. 315

CAPUT PRIMUM. — De ortu Cain et Abel, et quod per hos duæ sectæ hominum significantur. *Ibid.*

CAP. II. — Cain Judæorum figuram esse, Abel Christianorum. De sepultura Isaac et Moysis. Moysis et Christi sepulturarum comparatio. 318

CAP. III. — Per Abel et Cain sapientiæ humanæ processus designari; per ordinem quo uterque frater nominantur nec non per eorundem officia significari Abelem esse præstantiorem. 320

CAP. IV. — Malitiam tempore priorem esse, virtutem dignitate. 321

CAP. V. — Sollicitato a voluptate virtus meliora consulit; quomodo diabolicis tentationibus resistendum. Invitatio ad convivium sapientiæ, et quo ejus ebrietas a violentia discrepet. 324

CAP. VI. — Virtutem studio et labore comparari. Mystica quædam de Abraham, Moysæ, Jacob et Esau. 328

CAP. VII. — Duplex defectus sacrificii Cain; oblationum nostrorum tria vitia. 329

CAP. VIII. — De dotibus oblationis. 331

CAP. IX. — Commendatur in oratione humilitas, secretum ac brevitatis. Forma orandi; pro quibus orandum. 333

CAP. X. — De primitiis animæ Deo offerendis. De juramenti Dei. Qui fuerint Chanaanæi. Non possunt sine ope Domini animi motus pacari. 336

LIBER II. 359

CAPUT PRIMUM. — De partibus animæ. Plebeior sensus mentis imperio domitari posse. De commixtione qua constamus, ejusque primitiis Deo offerendis. *Ibid.*

CAP. II. — Primitias non tempore, sed sanctitate æstimari. Bona opera fidei jungenda sunt. 342

CAP. III. — Laborem fructu esse mutandum. Quod Christus verus Levita sit, et quam utilis justorum familiaritas. 345

CAP. IV. — Quare Moyses levitas *primogenitos et redemptores*, eorumque urbes *redemptrices* appellaverit. 347

CAP. V. — Adipes et pinguedo sacrificiorum et hostiarum quid significant. 349

CAP. VI. — Explicatio verborum: *Si recte offeras, non recte autem divides, peccasti, quiesce*. De quatuor generibus quibus sacrificia commendabantur. 350

CAP. VII. — Deus in Adam docuit, non peccandum; in Caino, non defendendum peccatum. 353

CAP. VIII. — Cain admonitione spretâ crimen auget. Ejus verbis, *Equus in campum*, ostenditur pravis actionibus deserta et sterilia loca convenire. *Ibid.*

CAP. IX. — Responsio Cain impia in Deum et naturam: responsio Dei germanitatis docet pietatem. Deus justos audit etiam mortuos. 354

CAP. X. — Verba Dei, *Si quis occiderit Cain*, moraliter explicantur. Dementia Caini. 357

In librum de Noe et arca admonitio. 359

LIBER DE NOE ET ARCA.

CAPUT PRIMUM. — Noe omnium exemplar. Nobis ab operibus iniquitatis requiescendum. 361

CAP. II. — Quid nomina filiorum Noe significant, quidve ordo quo illa recensentur. 363

CAP. III. — Secuturo diluvio ideo abundasse filiorum procreationem, ut bona concessa divinæ benignitati, poenas vero nostræ iniquitati imputemus. 364

CAP. IV. — Gigantibus qui vixerunt ætate Noe similes esse homines cultu carnis suæ studentes. Qui dicantur filii Dei, et quo pacto Deus dicatur irasci et moveri; quare, etiam irrationabilibus propter hominis peccatum delictis, Noe gratiam apud Deum invenerit. 365

CAP. V. — Terram iniquitate hominum fuisse corruptam; pro toto homine carnem sumi, cujus illecebris anima nostra corrumpitur. 367

CAP. VI. — De constructione arce, in qua humani corporis figura describitur. 368

CAP. VII. — Arca Noe cum arca fœderis comparatur; cujus dimensionibus denotari ostenditur, singulas humani corporis partes ad usum et decorem esse compositas. 370

CAP. VIII. — Per ostium e transverso in arca positum decenter exprimit partem corporis ignobiliorem. 372

CAP. IX. — Per inferiora arce nos edoceri ciborum receptacula minimi esse faciendâ; et hac occasione de intestinorum conformatione ac usu disputatur. 373

CAP. X. — De tribus causis ob quas inuta animalia diluvii subjecta sint poenæ. 375

CAP. XI. — Virum justum sibi ac suis saluti esse, licet nonnumquam studium relaxanti obrepat error. Non semper justum esse apud Deum qui justus sit apud homines. 376

CAP. XII. — Quod septimus numerus sacer ac plenus sit. In nobis septenarium quoddam feminine esse, sed ad virilem conditionem ab erudito viro promoveri. 378

CAP. XIII. — Cur ingresso Noe in arcam, post septem dies diluuium factum sit. Cur Moyses dixerit illud *quadraginta diebus et quadraginta noctibus* duravisse. 379

CAP. XIV. — Diluuium verno tempore accidisse, ut majus eo cruciarentur homines; et sexcentesimo anno Noe ut hominum interitus cum eorum creatione congrueret. 383

CAP. XV. — Per arcam a foris clausam et in aquis fluctuantem, corpus hominis; per quindecim aquæ cubitos humanus sensus; denique per mortem omnis carnis, animæ passionibus corruptæ interitum adumbrari. 384

CAP. XVI. — Cur dictum sit: *Memor fuit Dominus Noe*, nulla ejus uxoris ac filiorum ejus facta mentione. 387

CAP. XVII. — Quid sensu mystico significant cataractæ, ostium arcæ reseratum, emissio corvi. 388

CAP. XVIII. — Ut corvus malitiam, sic virtutem columba exprimit. Ad hanc recipiendam semper justum esse paratum ostendit Noe; idemque columbam septem aliis diebus retinens patientiam in corrigendo necessariam docet. 391

CAP. XIX. — Columba quare dicatur ad vesperam regressa cum olivæ ramo in ore; item unde aquas defecisse Noe cognoverit: tandem cur eadem columba post dies septem tertio emissã non reversa sit. 393

CAP. XX. — Quod alio die imminuta aqua, alio siccata terra memoretur, accommodative explicatur. De denudatione arcæ. Quare primus vel secundus mensis vernalis dies dicitur. 395

CAP. XXI. — Cur Noe ut exiret ex arca Dei præceptum exspectaverit. Ordinem quo idem ingressus atque egressus describitur spiritualiter explicatur. 397

CAP. XXII. — Qua de causa Noe aram injussus Deo ædificavit, quidve *Deo* et non *Domino*. Quare e bestiis ac volatilibus mundis obtulerit; et quid sit quod ait Dominus: *Recogitans non adjiciam maledicere terram*, etc. 398

CAP. XXIII. — Quod ait Dominus: *Semen et messis, frigus et aestus non requiescent*, duplici sensu explicatur. 399

CAP. XXIV. — De prærogativa potestatis hominibus in cætera animalia per benedictionem qua Noe cum suis donatus est, divinitus attributa. 401

CAP. XXV. — An oleribus magis quam carnibus vescendum Dominus præceperit; et quemadmodum nos munierit Moyses contra opiiones philosophorum de anima, quorum varia placita referuntur. 402

CAP. XXVI. — Pejorem bestiis esse qui fratrem occiderit. Cuique a propriis cogitationibus ac verbis cavendum. Quomodo dictum de homine: *Ad imaginem Dei fecit eum*. 403

CAP. XXVII. — Promittitur diluuium nunquam ejusmodi futurum esse, ut terram omnem corrumpat; idque ad animi passiones traducitur. De arcu cœlesti. 407

CAP. XXVIII. — Generationem Cham ideo prius esse memoratam, ut ejus peccatum amplificetur, et ex eodem profecta impia generatio demonstretur. 408

CAP. XXIX. — Quomodo Noe factus sit agricola; quodve inter agricolam et operatorem terræ discrimen; et quomodo terram suam alter excolit, alter operatur. Quare idem Noe vineam primum plantaverit; id est, rem non necessariam, cum fontes ad potum sufficient. Cur etiam de illo scriptum: *Et bibit de vino*: ubi de gemina ebrietate; postremo de gemina animæ nudatione disseritur. 409

CAP. XXX. — Quare Cham tum dictus sit pater Chanaan cum hic nundum esset genitus; et qui in persona Cham patrem deridentis intelligendi sint. 411

CAP. XXXI. — Sem et Japhet pietas commendatur. Quomodo sobrius factus sit Noe. 412

CAP. XXXII. — Cur in benedictione Sem dictum fuerit: *Benedictus Dominus Deus Sem*; et cur hujus servituti non Cham, qui peccavit, sed filius ejus addatur. 414

CAP. XXXIII. — De cœclis annis quos Noe post diluuium vixisse traditur; tum de posteritate Japhet. 415

CAP. XXXIV. — Qualis Cham illius improbi filius senior fuerit, et de filio Chus Nembroth gigante et venatore. *Ibid.*

FRAGMENTUM LIBRI DE ARCA NOE.

In libros de Abraham admonitio.

DE ABRAHAM LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Quæ utilitas ex Abrahami exemplis petenda sit, auctoritate divina et philosophorum collatione demonstratur. 419

CAP. II. — Devotio Abrahamæ quomodo divini præcepti verbis probata. Exemplum Pharaonis quantum sit scelus adulterium demonstrat. 421

CAP. III. — De cæteris Abrahamæ virtutibus; ubi et de imprudentia Lot, de patris in ipsum charitate, ac tandem de

accepto futuræ posteritatis et Christi nascituri promisso. 424

CAP. IV. — Abraham ab adulterii crimine defenditur. Multa contra adulterium disputantur. Ad extremum quæritur an decuerit circumcisionem institui, postea revocandam et minimum in se perfectionis continentem. 428

CAP. V. — De hospitalitate Abraham: quomodo uxorem in meriti partem adsciverit. 435

CAP. VI. — Sodomorum excidium Abrahamæ prædicitur, prædicaturque di ina in tolerandis peccatoribus ac peccatis examinandis ei condonandis indulgentia. Variis excidii Sodomorum circumstantiis breviter tactis excusatoque filiarum Lot incestu, ebrietatis mala describuntur. 438

CAP. VII. — Mors Abimelech ob tentatam Saræ pudicitiam a Deo intentata quantum sit adulterii crimen monstrat. Mystera in Abimelech, Isaac et Ismael. 442

CAP. VIII. — Abrahamum Deus varie tentat, sed maxime dato immolandi filii præcepto. Præcepti singula verba expenduntur. Mystere in ariete Isaaci. 443

CAP. IX. — Moritur Sara ac sepelitur. Abraham filio suo uxorem providet, eamque ad rem delectum servum sibi juramento obligat. Quid in his mysterii et moralis discipline. 449

LIBER II.

CAPUT PRIMUM. — A quibus ad perfectam purgationem recedendum sit animæ explicat; deinde promissam Abrahamæ posteritatem refert. *Ibid.*

CAP. II. — Post Abrahami exitum Deus illi tanquam amico loquitur: moralis sensus. Quid sexagesimo anno significetur. Quo pacto sapiens animam suam possideat. 437

CAP. III. — Perambulatur Abraham usque ad Sichem. Hic Deum cernit: aram exstruit, sed non sacrificat, et cur. Iterum tamen, excitata ara, nomen Domini invocat. 438

CAP. IV. — Abraham ubi commoratus esset in deserto, quo mentis tranquillitas adumbratur, in Ægyptum, quæ tentatio est, descendit fame compulsus. Cur ibi Saram sororem appellaverit. 461

CAP. V. — Discedit Abraham ex Ægypto cum veris animæ divitiis. Ejus reditus in Bethel quid significet. Quare Lot auro et argento dives non dicatur. 465

CAP. VI. — Quo sensu scriptum sit: *Et Lot qui ambulabat cum Abram*; itemque: *Non capiebat eos terra*. De Abraham et Lot pastoribus et de rixa inter eos. 465

CAP. VII. — Ex verbis Domini ad Abraham suum dogma, *Omnia esse sapientis*, hauserunt philosophi. Pugna Abrahamæ explicatio mystica. 471

CAP. VIII. — Quid nos doceat Melchisedech, rex Sodomorum. Abrahamo ab aruspiciis superstitionibus defenso, sacrificii ab ipso oblato multiplex interpretatio subjungitur. 475

CAP. IX. — Quare ceciderit excessus super Abraham; quidve redditum eidem oraculum significet. 483

CAP. X. — Cum dicitur Abraham: *Semini tuo dabo terram hanc*, ei vera beatitudo promittitur: magis tamen præfiguratur Ecclesia, cujus typus in Sara sterili, ut synagogæ atque hæresum in Agar ancilla exprimitur. 489

CAP. XI. — Præceptum circumcisionis Abrahamæ datum quid significet; quidve etiam infantibus octavo die non circumcisis intentatum sit exitium. Saræ nomini una littera additur. Abraham in faciem cadit, et ridet. Num dubitaverit. Ipsi pro Ismaele oranti annuit Dominus, ac filium ex Sara promittit. 493

In librum de Isaac et anima admonitio.

DE ISAAC ET ANIMA LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. — Commendatur sanctus Isaac tam ex paterna origine et gratia quam ex Dominicæ generationis et passionis præfiguratione. 501

CAP. II. — Quid sit homo, et in qua potissimum parte consistat; qualisve sit anima ejus tam secundum sui naturam quam per irrationabilem sui partem, qua obnoxia sit corruptioni. 503

CAP. III. — Perfecta anima, terrenis abdicatis, vitis que domitis Verbum osculari desiderat: cui se Deus Verbum totus infundit. 505

CAP. IV. — Anima justa equæ Salomonis comparatur. Putei quos fodit Isaac quid significet. 507

CAP. V. — Sponsus denuo sublapsus ab anima in cubili in noctibus, etc., in cassum quæritur, et quare. Idem tamen postea invenitur; quomodo ipse teneri debeat. Ipse quoque animam variis laudibus exornat. 515

CAP. VI. — Anima dormiens a sponso excitatur; sed dum moras trahit in surgendo, transit Verbum. Ipsa exiens per vulnera charitatis requisitum vix tandem invenit. 519

CAP. VII. — Anima laudatur a sponso ob constantiam in quærendo aliasque virtutes. 523

CAP. VIII. — Eadem anima reugiens coram laudari, ait se descendisse in hortum nucis, etc., quibus amaritudines ac tentationes designantur. Mysticam interpretationem sequitur ad charitatem exhortatio. 526

- In librum de Bono mortis admonitio.* 555
DE BONO MORTIS LIBER UNUS.
CAPUT PRIMUM. — Quomodo mors non dicatur mala, licet sit vitæ contraria. 559
CAP. II. — Præmissa distinctione de triplici genere mortis, ostendit tertium genus bonum esse. 540
CAP. III. — Mors naturalis definitur ac laudatur. Item mortificatio, quæ mortis quædam imitatio est. 542
CAP. IV. — Mortem multis nominibus esse bonam. 546
CAP. V. — Hortatur ad contemptum mortis, mortificationisque usum. Dein quemadmodum anima ad similitudinem Dei exaltetur aperit. 547
CAP. VI. — Hic omnia laqueis principatum aeriorum et potestatum mundi plena esse. 551
CAP. VII. — Corpus regi oportere ab anima, quæ tamen ipsi nonnunquam compatitur. 552
CAP. VIII. — Nihil terroris habere ipsam mortem, sed opinionem de morte terrori esse. 554
CAP. IX. — Concluditur mortis bonum ex interitu corporis et immortalitate animæ. 557
CAP. X. — Scriptura quoque animarum immortalitas probatur. Exploditur philosophorum metempsychosis; ac deinde querela de justorum dilata mercede diluitur. 559
CAP. XI. — Septem ordine quibus digesta erit post hanc vitam justorum lætitia exponit; atque ut studiose ad Deum accedamus, hortatur. 561
CAP. XII. — Æternam felicitatem describit, quam nobis etiam destinatum esse demonstrat. 565
In librum de Fuga sæculi admonitio. 567
DE FUGA SÆCULI LIBER UNUS.
CAPUT PRIMUM. — Hominem non posse terrenas illecebras fugere nisi divinum adsit præsidium. 569
CAP. II. — Sæculum fugiendum docet lex de civitatibus refugii, de quibus quatuor quæstiones discutuntur. 571
CAP. III. — Memorata superiori capite virtutum genera etiam in apostolo non tam adumbrata quam expressa haberi, collectis ejusdem variis testimoniis demonstrat. 576
CAP. IV. — Quid sit fugere sæculum cum exhortatione ad illud, ejusque contagionem fugiendam. 578
CAP. V. — Cur hinc fugere debeamus, et quomodo transire cum Moyse, ut videamus Deum. 581
CAP. VI. — Quæ ratione qui velit fugere, cum velociter fugere oporteat: quo etiam fugiendum sit, et ad quod bonum animas nostras erigere debeamus. 584
CAP. VII. — Maximam esse causam quare hinc fugiamus, cum hæc propria sit malitiæ sedes. 586
CAP. VIII. — Quomodo, licet hic retineamur corpore, tamen animo fugere possimus, atque adeo debeamus. 590
CAP. IX. — Urget ut hinc fugiamus, sicut fugit Jacob de patria, et sicut cervi ad fontes; quos qui desiderat, super se animam suam exemplo Susannæ effundat oportet. 593
In libros de Jacob et vita beata admonitio. 595
DE JACOB ET VITA BEATA LIBRI DUO.
LIBER PRIMUS. 597
CAPUT PRIMUM. — Ad virtutum disciplinam, passionesque coercendas necessarium esse sermonem prudentem, ac mentem rationi intentam. *Ibid.*
CAP. II. — Temperantia commendatur. 600
CAP. III. — Temperantiam, sapientiam et disciplinam a Domino doceri; ad studium cohortatio: item culpam nostram ascribendam esse soli nostræ voluntati. 602
CAP. IV. — Quantum Deus homini concesserit, cum ei legem dedit, et gratiam adjunxit. 604
CAP. V. — Quæ ratione lex non suffecerit, sed necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata; cum quo nos etiam mori, resurgere, et versari debeamus. 606
CAP. VI. — Promulgatæ legis fructus esse peccati confessionem ac humilitatem, immo et gratiam ipsam, et charitatis pignus. 607
CAP. VII. — Eam in nobis debere esse charitatem, ut nullis adversis a Christo separemur, cum illis non minuat beata vita. 609
CAP. VIII. — Sapientem ita delectari sanitate corporis aut liberis, ut si illa amittat, non ideo minus beatum se putet. 611
LIBER SECUNDUS. 615
CAPUT PRIMUM. — Jacob, etiam in exilio fuisse beatum. *Ibid.*
CAP. II. — Excusat parentes beati Jacob, et eorum exemplo quemadmodum alii parentes sese erga liberos gerere debeant docet. 616
CAP. III. — Post benedictionem fratris junioris quare senior ad serviendum fratri fuerit damnatus. 618
CAP. IV. — Fratri necem minuitur Esau, qua occasione placandæ invidiæ præcepta proponuntur. 620
CAP. V. — Jacob in patriam revertitur ob Labani invidiani. Hæc si exorta sit, quomodo declinanda. 621

- CAP. VI.** — Angelos in itinere videt S. Jacob. Jacob et Esau congressus. Quæ omnia quid significant aperitur. 624
CAP. VII. — Jacob cum Deo luctatur, et, claudicat. Vim Dinæ illatam ulciscuntur, quos Jacob pater improbat. Bethel Ecclesiam præfiguratur. 626
CAP. VIII. — De laudabili S. Jacob senectute. 628
CAP. IX. — Jacob morti proximus atque oculis captus, tamen beatus ostenditur; cujus præterea multiplex commendatio. 629
CAP. X. — Quantæ laudi fuerint Eleazaro supplicia tolerata, propter quæ vere beatus sit judicandus. 652
CAP. XI. — De admirabili fortitudine septem Machabæorum, quibus mater octava addita fuit. 635
CAP. XII. — Elegantissima beatæ illius feminae septem filiorum martyrum parentis commendatio. 656
In librum de Joseph patriarcha admonitio. 657
DE JOSEPH PATRIARCHA LIBER UNUS.
CAPUT PRIMUM. — Joseph tanquam speculum castitatis proponitur; ubi etiam de parentum amore ac fratrum invidentia adversus eum, necnon de ejusdem oblivione injuriarum paucis agitur. 641
CAP. II. — Æqualem esse debere parentum affectum et filiorum gratiam. Excusatur tamen B. Jacob, ut qui Joseph pluribus virtutibus ornatum aliis prætulit. 645
CAP. III. — Quod supra Jacob dictus sit Josephum objurgasse, id non fecisse ob incredulitatem. 644
CAP. IV. — Joseph ducitur in Ægyptum, atque a præposito coquorum emittitur, in quo Christi sua servitute nos liberantis figura est. 649
CAP. V. — Josephi commendatio, Putipharis uxori resistentis. 650
CAP. VI. — Post brevem invectivam in mulierem, ad spadones, hujus etiam injuriæ auctores, transit; et, demonstrato quam fragilis sit eorum status, alterius somnium ejusque expositionem refert. Hinc sæculi potentiam somnii similem esse ostendit. 655
CAP. VII. — Josephi præmia, conjugium, liberos, frumenti distributionem mystice de Christo explicat. 657
CAP. VIII. — Exhortatio Jacob ad filios, ut in Ægyptum ad escas coemendas sese conferant, quid significet. 659
CAP. IX. — Itineris filiorum Jacob a Josepho exceptorum variæ circumstantiæ de Pauli vocatione ac prædicatione non Judæorum infidelitate exponuntur. 660
CAP. X. — Josephi cum fratribus congressus mystica et moralis interpretatio. 665
CAP. XI. — Historia scyphi in sacco Benjamin reperti mystice explicatur. 665
CAP. XII. — Joseph fratribus se ipsum manifestans, quem adversus Judæos adhibiturus erat Christus agendi modum exprimit. 666
CAP. XIII. — Inventos a Joseph fratres gaudet Pharaon, cujus erga eosdem humanitas explicatur. Quid munera quæ Joseph suis confert significant. 668
CAP. XIV. — Israel ad puteum juramenti, sacrificat. Hunc Deus promissis consolatur. Ingrediuntur in Ægyptum septuaginta quinque animæ, ac demum filios ad se convocat Israel: et horum omnium quæ mysteria. 670
In librum de Benedictionibus patriarcharum admonitio. 671
DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM LIBER UNUS.
CAPUT PRIMUM. — Quare tantam vim horum benedictioni Deus indiderit. Paternam benedictionem accipere Josephum festinasse, atque etiam filios patri obtulisse benedicendos; et quæ in his mysteria. 675
CAP. II. — De benedictione Ruben primogeniti, quæ non tam benedictio quam prophetia est. 675
CAP. III. — Prædicuntur quæ filiis Simeon et Levi erant eventura; nec non opinio Judæorum circa mysticam istius benedictionis interpretationem confutatur. 676
CAP. IV. — De benedictione Judæ, quæ Christo accomodatur. 678
CAP. V. — Benedictione Zabulon Ecclesiam atque ejus principes designari. 682
CAP. VI. — De benedictione Issachar, quæ mystice de Christo Domino exponitur. 685
CAP. VII. — De benedictione Dan, quæ futurum ex ea tribu Antichristum præauniat. 684
CAP. VIII. — De benedictione Gad. 685
CAP. IX. — De benedictione Aser. 686
CAP. X. — De benedictione Nephtali. 687
CAP. XI. — De benedicendo Joseph longiorem fuisse Jacob, quia præfigurata in eo videbat mysteria. 688
CAP. XII. — De benedictione Benjamin. 692
In librum de Elia et jejuniis admonitio. 695
DE ELIA ET JEJUNIO LIBER UNUS.
CAPUT PRIMUM. — Sicut patres, in neomeniis diebusque lætitiæ aut pugnæ tuba canebant, ita et nobis in diebus jejunii paschali festo tuba canendum. 697

- CAP. II.** — Quam magna virtus sit jejunii. 698
CAP. III. — Jejunii commendatio, deque jejunio sancti Joannis; et qualis esca a nobis quaerenda sit. 699
CAP. IV. — De origine et antiquitate jejunii. 700
CAP. V. — Noe quod inebriatus fuerit ob ignorantiam excusatur: quæ mala ex vini usu, quæ bona ex ejusdem abstinentia mala sint. 701
CAP. VI. — De lege jejunii a Moysæ data, et de jejunio ejusdem. Quomodo matrum Samson et Samuelis sterilitatem abstinentia fecundaverit. 703
CAP. VII. — In jejunio tribus pueris et Danieli salus. *Ibid.*
CAP. VIII. — Jejunii commoda. 704
CAP. IX. — Cur potentes vinum bibere prohibeantur. Variæ jejunii laudes enumerantur. 707
CAP. X. — Mystica mensa jejunio comparatur. Hæc: *Cum jejunatis, ungite caput vestrum*, moraliter ac mystice exponuntur. 708
CAP. XI. — Jejunii virtus amariorum exemplo illustratur, et esca, licet dulcis, quam noxia sit. 710
CAP. XII. — In ebrietatem et de luxurioso adolescente ad philosophiam converso. 711
CAP. XIII. — Militarium hominum convivia cum pugna quadam atque spectaculo comparantur. 715
CAP. XIV. — Reprehenduntur qui convivia ad temulentiam præparant. 715
CAP. XV. — Exposito Isaïæ loco, in lasciviam popinorum invehitur. 716
CAP. XVI. — Ebrios dæmoniacis ipsis esse miseres. 717
CAP. XVII. — De obtestationibus, sacramentis ac propinationibus compotantium. De prodigiosa quadam bibendi ratione. 719
CAP. XVIII. — Feminarum ebrietas quam sit ipsis propudiosa ac perniciose spectantibus. Quantum bonum sit sobrietas et quantum malum intemperantia. 720
CAP. XIX. — Luxuriosis exitium Isaïæ prophetia denuntiari: mare a mercatoribus sollicitari non debere. Qua ratione navibus comparantur voluptuosi. 721
CAP. XX. — In verborum vititate sæpius majorem inesse efficaciam. Quomodo canticum meretricis nationum congregatio cantaverit. 725
CAP. XXI. — Prophetis futura præsentia esse: nos Athletas esse atque ad coronam exerceri oportere. 725
CAP. XXII. — Fugiendas comessationes. Nondum baptizati ad hanc gratiam invitantur. 726
In librum de Nabuthe Jezraelita admonitio. 727
DE NABUTHE JEZRAELITA LIBER UNUS.
CAPUT PRIMUM. — Fastum, cupiditatem ac stultitiam divitum insectatur Ambrosius. 731
CAP. II. — Divites quanto magis abundant censu, tanto pauperiores esse effectum. Petitio illa, *Da mihi*, quam abjecta sit perpenditur. 732
CAP. III. — Divites aliena concupiscere, ut alios homines excludant. Quam etiam turpe sit paternam possessionem ob luxuriam dividere. 734
CAP. IV. — Cur dicatur Achab panem suum non manducasse. Abstinentiæ divitum ac pauperum elegans comparatio. 735
CAP. V. — Multorum pauperum sanguine ac vita constare divitum mensas; atque inibi de patre quodam, cujus, a divite coacti ad vendendum filium dolor ac æstus animi pulcherrime describuntur. 736
CAP. VI. — Quam nulla sit opum efficacia, et cur illæ divitiæ appellentur. Locus Evangelii, *Quid faciam..... destruam horrea mea*, etc., expenditur. 738
CAP. VII. — Ostendit avaros, cum de bonis benefacere deberent, malle pecunias in ædificando consumere. 740
CAP. VIII. — Quam inepte sese ab impertienda eleemosyna divites excusent. 742
CAP. IX. — Quomodo Jezabel, quæ est avaritia, divitibus possessionem quam contra justitiam desiderant pollicetur. 743
CAP. X. — Divites, cum aliena rapere non possunt, præ tristitia cibum non capere. Quid jejunium aut preces Deo acceptas reddat. 744
CAP. XI. — Cur meretrices in sanguine Achab dicantur sese lavaturæ. De supplicio Jezabel. 745
CAP. XII. — Quam abjectus fuerit rex Achab coram Elia; et quomodo peccator semper deprehendatur. 746
CAP. XIII. — Divites in prosapia insulse gloriari: aurum offensionis lignum esse. 747
CAP. XIV. — Quo divites ad emendam auro libertatem ac salutem inducat, varias rationes proponit. 749
CAP. XV. — Qui divitiis uti non noverint, eos illarum servos esse. 751
CAP. XVI. — Divites ut Domino confiteantur impellit. 753
CAP. XVII. — Cur Achab, promissa venia, victus atque occisus fuerit. 754
In librum de Tobia admonitio. 755

DE TOBIA LIBER UNUS.

- CAPUT PRIMUM.** — Tobia in mortuos pietas. Sepeliendi munus prædicatur. 759
CAP. II. — Qua ratione Tobias cæcitatem tulerit, ne quid furti admitteretur caverit, et commodatam Gabelo pecuniam non repetierit nisi senio fessus. 761
CAP. III. — Ambrosius feneratorum inhumanitatem eorumque artes oculis subjicit. 762
CAP. IV. — Qua ratione feneratores Judæ et diabolo comparentur. 763
CAP. V. — Pecunia feneratorum mari comparatur. De sortibus utriusque Testamenti. Quanta mala feneratoribus generentur. 765
CAP. VI. — Quanta moliantur feneratores, ut incautos adolescentes deprædentur. 767
CAP. VII. — Miserrima debitoris sors describitur. *Ibid.*
CAP. VIII. — Ejusdem thematis continuatio, et quomodo feneratio prævaricationis materia sit. 769
CAP. IX. — Peccati feneratorem diabolum esse. De centesima usuræ ac centesima ove; deque creditoris nomine, quod sibi imponit verus exactor. 770
CAP. X. — Feneratoris ne debitoris cadaver ad sepulturam efferretur prohibentis història. 771
CAP. XI. — Feneratoris in aleatores tyrannis, et quæ leges aleatorum. 772
CAP. XII. — De feneratorum exactione et variis vocabulis quibus utuntur. 774
CAP. XIII. — Ostenditur usuram leporibus ac plantis quibuslibet fecundiores esse, feneratorisque aviditate omnem aliam superari. 775
CAP. XIV. — Usuram prohiberi lege divina. Vestimentum pignori acceptum ante noctem reddendum esse. 777
CAP. XV. — Alienigenam a quo usuras licet exigere, solum esse eum quem licet occidere. Quamlibet usuram proscribi. 779
CAP. XVI. — Ex Evangelico præcepto fenerandum his a quibus nihil expectetur, immo etiam inimicis. 780
CAP. XVII. — Occurritur objectioni qua nonnulli negant generaliter prohibitum ne pignus retineatur, sed ad pauperum pignora Legem restringant. 781
CAP. XVIII. — Ut objicientibus nos divina lege ad fenerandum incitari fiat satis, inquiritur quid justus, v. g. Petrus, feneratori dare valeat. 782
CAP. XIX. — Judæos primo gentibus fenerasse, postmodum gentes in Christum credentes vicem illis reddidisse. 784
CAP. XX. — Præmisso pignoris, commendati ac depositi discrimine, ostendit spirituale pignus esse, quod reddi lege jubeatur. Bonum amictum esse Dei verbum. 785
CAP. XXI. — Reprehenduntur qui cum solvendo non sint pares mutuum sumunt. 789
CAP. XXII. — Quem feneratorem imitari debeamus. 791
CAP. XXIII. — Oggerentes usuræ antiquitatem refelluntur. Quam cavendum sit ne quis pro alio se obliget. *Ibid.*
CAP. XXIV. — Quomodo Tobias nobis imitandus; quodve fenerandi genus idem nos doceat. 795
In libros de Interpellatione Job et David admonitio. *Ibid.*
DE INTERPELLATIONE JOB ET DAVID LIBRI QUATUOR.
LIBER PRIMUS. — DE INTERPELLATIONE JOB ET DE HOMINIS INFIRMITATE. 797
CAPUT PRIMUM. — Multas in hac vita perturbationes esse, multas consolationes, sed his illas longe superari. David et Jobum pro nostris infirmitatibus interpellasse, unde hujus operis argumentum. *Ibid.*
CAP. II. — Quomodo beatus Job, amissis omnibus præter uxorem, tamquam bonus Athleta perturbationibus non cesserit, nec certare recusaverit. 798
CAP. III. — De misera conditione hominis, quamque stulte cogitet peccata sua Dei cognitionem fallere posse. 799
CAP. IV. — Quomodo amici Job dolorem ejus acerbaverint; et quam magnifice idem senserit de divina potestate ac redemptionis mysterio. 801
CAP. V. — Deum fecisse montes inveterascere, id est litteram veteris Testamenti in spiritalem sensum convertisse. De conterendis navibus Tharsis, quibus corpora nostra designantur. *Ibid.*
CAP. VI. — Verba Job, quibus humanas infirmitates aperit, expenduntur. Confitenti veniam promitti, ac justum iniquitates suas agnoscere ostenditur. 804
CAP. VII. — Omnium ælatum maxime lubricam adolescentiam: nos eorum etiam peccatorum quæ vitare nequiverimus rationem esse reddituros. 806
CAP. VIII. — Quomodo beatus Job resurrectionem atque viam Domini in consummatione futuram significaverit; et quam desideraverit ex hac vita evolare. 808
CAP. IX. — Non curiosius sapientiæ adyta rimanda. Ejus

cognitionem soli Deo, et quibus eam ille revelaverit, patere. 809

LIBER II. — DE INTERPELLATIONE DAVID. 811

CAPUT PRIMUM. — Post absolutam vehementiorem interpellationem Job sequitur placidior interpellatio David. Hunc non inepte cervo comparari. *Ibid.*

CAP. II. — Quam desideraverit David ex hac vita liberari, et lacrymarum utilitas. Ejusdem aulæ paucis tanguntur deliciae, cum qua etiam Ecclesia comparatur. 813

CAP. III. — Non mirum si David hujus vitæ malis, etsi consolatione sua minime careant, turbatus sit, cum ipse Christus, turbari voluerit. 815

CAP. IV. — Per Jordanem adumbrari Christum. Christum montem fuisse magnum per divinitatem, modicum per incarnationem. 816

CAP. V. — Deum hominis susceptorem esse, tum ob creationem, tum ob conservationem. 819

CAP. VI. — Quam beatum sit ex utero in Deum projici, et qua ratione illud Christo accommodetur. 820

CAP. VII. — Dum exoptatus Christo adventus differtur, sævisse diabolum, ut in Christum credituros obtereret, et in ipsis signa deligeret sua: ubi de signis quæ sequi et quæ fugere nos oporteat, disseritur. 821

CAP. VIII. — David ab iniquorum causa suam discerni postulat, non autem Christus. 824

CAP. IX. — Prophetæ verbis significari Deum hominibus per passionem Christi reconciliatum. Item ut in domum Dei ingrediamur, nos multiplici ratione fuisse a Christo renovatos. 825

LIBER III. — DE INTERPELLATIONE JOB. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. — Moveri plerosque etiam prudentes, cum prosperis hic affluere injustos, justos autem affligi viderint, quæ librorum sequentium materia est. 827

CAP. II. — Quomodo Job conviciatores suos redarguerit; ubi præsertim silentium ejus necnon Davidis atque Apostoli nobis proponitur ad imitandum. 829

CAP. III. — Job verborum certamine victor renuntiatur; et quemadmodum post responsum lenius, idem fortioribus verbis importunius calumniantes repulerit. 850

CAP. IV. — Amicos mala semper delictorum causa evenire asserentes retundit Job. Quis vere beatus. Denique impios non æternitate, sed falsa ejus imagine potiri demonstrantur. 852

CAP. V. — Impios in bonis sæculi finire vitam, at postea requie cœlesti carere: contrarium vero nobis optandum. Impiorum amentia. 854

LIBER IV. — DE INTERPELLATIONE DAVID. 857

CAPUT PRIMUM. — David frequenter de sæculi vanitate disseruisse in psalmis, sed maxime in LXXII, ubi se ob improborum prosperitates et calamitates proborum graviter initio commotum esse, ac tamen postea correctum significat. *Ibid.*

CAP. II. — Deum justis, etiam dum affligi permittit, esse bonum: bonum etiam improbis esse Deum. 858

CAP. III. — Fateri Prophetam se tantum non esse prolapsum, dum peccatorum pacem æmularetur, flagellari post mortem inutile, in hac vita perutile. 840

CAP. IV. — Peccatores iniquitate propria vestiri. Judæorum iniquitatem magnam ac deliberatam exstitisse. 841

CAP. V. — Qui os suum in cœlum ponunt, eos esse qui omnia stellarum necessitati attribuunt. Israel reditus mysterium declaratur. 842

CAP. VI. — Prophetam, cum primo animo despondisset, postea cognovisse omnia evenire dispositione divina. 845

CAP. VII. — Emendato errore David hunc unum laborem sibi cognoscit superesse, ut ingrediatur in adyta divinæ cognitionis. Quis sit sanctorum fluis. 844

CAP. VIII. — Impios in interitu suo cum somnio bene comparari. 846

CAP. IX. — Prophetam cognitione divinæ providentiæ recreatum: ipsum et cum eo omnes homines comparatione cœlestium civium jumentis hanc esse absimiles; eosdem tamen Dei gratia ad humanam revocari dignitatem. 847

CAP. X. — Si Deus nobis ad dexteram non fuerit, eum locum a diabolo occupatum iri. Christus diabolum sibi ad dexteram statuit quo gloriosius prosterneret. *Ibid.*

CAP. XI. — Davidem possessione Dei contentum nihil præter eum exoptare; debere enim terrena deleri oblivione ut succedant cœlestia, atque etiam ad Deum, qui neminem repellit, accedatur. 848

In Apologiam prophetæ David admonitio. 849

APOLOGIA PROPHETÆ DAVID.

CAPUT PRIMUM. — Quare apologiam David scribere aggreditur Ambrosius. Judicandus non esse ostenditur, quem Deus justificaverit: contra vero etiam laudandus. 851

CAP. II. — Laudatur David ab humilitate confessionis; ac tres causæ cur sanctis peccatum obrepere utile sit, adque

Deus permittat afferuntur. 853

CAP. III. — Davidem eo tentationi expositum fuisse quod athletas suos variis certaminibus exerceri, et nobis exemplo esse Deus velit. 855

CAP. IV. — Neminem a lapsu immunem inveniri Davidis poenitentia commendatur. 857

CAP. V. — Parabola quam Davidi proposuit Nathan exponitur, et Christo accommodatur. 859

CAP. VI. — Quo differant boni et mali. Quibus operibus David peccatum suum texerit. 860

CAP. VII. — De pugnis David contra gigantes et aquæ Bethleemici lacus libatione: ex quibus aliisque indiciis concluditur suum ab eo peccatum tectum fuisse. 865

CAP. VIII. — Cur psalmum L alis quibusdam in res anteriores compositis præmissus; et quæ mysteria in quinquagesimo numero comprehensa. 866

CAP. IX. — Paucos peccata sua agnoscere, plures de illis glorari; sapientem delicti sui numquam deponere memoriam; conscientia vis. 868

CAP. X. — David, licet humanis legibus liberum, se tamen Deo subjecisse, cui soli peccavit; et quot modis hoc intelligendum. Qui peccatorem se negat, mendacii ab eo accusari ipsum Deum, cujus patientia commendatur. 871

CAP. XI. — Prophetæ verbis doceri, qui in iniquitate non concipiatur esse neminem. Utrum parentum an prolis ea sit iniquitas. 873

CAP. XII. — Confitenti peccatum cœlestia sacramenta divinitus patetieri: cum hæc incerta in psalmo dicuntur, significari non esse manifesta; sed præcipue hoc loco baptismatis lavacrum præfigurari. 874

CAP. XIII. — David solo futuræ remissionis auditu recreatus, fore ut ossa humiliata exsultent prædicat; et quæ sint illa. 876

CAP. XIV. — Quænam sint viscera, quisve spiritus quorum hic loci sanctus Propheta meminit. 878

CAP. XV. — Rationalem naturam lætitiæ salutaris solam capacem esse. Quis spiritus principalis. 879

CAP. XVI. — Periti doctoris esse iniquos vias Domini edocere. Quomodo id tum Christi, tum Davidis personæ accommodetur. 880

CAP. XVII. — Davidem verbis suis peccatum sibi dimissum significare cum Deus peccatori os ocludat. Nonnulla de sacrificio Christi atque martyrum propositis. 881

In alteram Davidis apologiam admonitio. 885

APOLOGIA ALTERA PROPHETÆ DAVID.

CAPUT PRIMUM. — Quosdam offendi posse quod in adulterium inciderit David, et Christus oblatam sibi adulteram absolverit. Sed, ut David erraverit, Christum errare non potuisse ostenditur. 887

CAP. II. — Ambrosius quo ordine et apud quos homines David errantis causam sit defensurus explicat. 888

CAP. III. — Gentiles monet ne tam errantem quam poenitentem David respiciant. 889

CAP. IV. — Judæos perperam credentes David qui obnoxius fuit peccato, vel Salomon cui dicta de Christo non conveniunt, esse Filium Dei, redarguit. 895

CAP. V. — Confirmat rationes adversus Judæos atque Gentiles adductas, et sermonem ad Ecclesiam convertit. 897

CAP. VI. — Cur David ac plerique alii Dominici generis auctores in errorem labi permissi sint. De homicidio et adulterio Davidis. 899

CAP. VII. — Mysteria sub Davidiac Bethsabée adulterio, necnon sub ipsius partu velata. 900

CAP. VIII. — Quid domus regia in qua deambulat David: quid nudatio et lavatio Bethsabée; quidve quod statim nuda visa amata sit, significet. 902

CAP. IX. — Eandem materiam mystice prosequitur. 905

CAP. X. — De mysterio Incarnationis per adulterium Davidis significato. 907

CAP. XI. — Parabola Nathan proponitur atque ad sensum moralem, moxque ad allegoricum traducitur. 909

CAP. XII. — David peccatum suum Deo confitetur, composito psalmo L, cujus hic versus aliquot explicantur. 911

In duodecim psalmorum enarrationes admonitio. 915

ENARRATIONES IN XII PSALMOS DAVIDICOS.

In psalmum primum enarratio. 921

In psalmum XXXV enarratio. 951

In psalmum XXXVI enarratio. 965

In psalmum XXXVII enarratio. 1009

In psalmum XXXVIII enarratio. 1059

In psalmum XXXIX enarratio. 1057

In psalmum XL enarratio. 1067


In psalmum XLIII enarratio. 1087

In psalmum XLV enarratio. 1155

In psalmum XLVII enarratio. 1145

In psalmum XLVIII enarratio. 1155

In psalmum LXI enarratio. 1165





ELENCHUS

Hexaameron libri sex, scripti circa annum 389.

De Paradiso liber unus, script. circ. an. 375.

De Cain et Abel libri duo, script. circ. an. 375.

De Noe et Arca liber unus, script. circ. an. 379.

De Abraham libri duo, script. circ. an. 387.

De Isaac et Anima liber unus, script. circ. an. 387.

De Bono Mortis liber unus, script. circ. an. 387.

De Fuga Saeculi liber unus, script. circ. an. 387.

De Jacob et Vita beata libri duo, script. circ. an. 387.

De Joseph patriarcha liber unus, script. circ. an. 387.

De Benedictionibus patriarcharum liber unus, script. an. 387.

De Elia et Jejunio liber unus, script. circ. an. 390.

De Nabuthe Jezraelita liber unus, script. forte circ. an. 395.

De Tobia liber unus, script. circ. an. 377.

De interpretatione Job et David libri quatuor, script. forte circ. an. 383.

Apologia prophetae David script. forte circ. an. 384.

Apologia altera prophetae David.

Enarrationes in psalmos duodecim: quarum prior non ultra annum 390; quinque sequentes, non nisi post VIII idus Sept. anni 393, scriptae sunt; in psalmum vero XLIII anno 397; quatuor ultimae circ. annum 390.

INDEX RERUM QUAE IN HAC PRIORIS TOMI PARTE CONTINETUR.

EPISTOLA DEDICATORIA.

PRAEFATIO.

VITA SANCTI AMBROSII a Paulino, ejus notario, ad beatum Augustinum conscripta.

VITA ET INSTITUTUM S. AMBROSII ab auctore anonymo.

VITA S. AMBROSII, ex ipsius potissimum scriptis collecta et secundum chronologiae ordinem digesta.

VETERUM TESTIMONIA DE S. AMBROSIO.

In sex libros Hexaameron admonitio.

HEXAEMERON.

LIBER PRIMUS. - DE OPERE PRIMI DIEI.

CAPUT PRIMUM. - De mundi principio, duratione et unitate.

CAP. II. - Moysis opinio de initio rerum, auctore mundi et creatione materiae.

CAP. III. - Principium unum a Deo mundum habere, ac proinde eum aeternum non esse.

CAP. IV. - Principiorum varia genera, et in quo Deus fecisse coelum ac terram intelligendus.

CAP. V. - Mundum divinae operationis specimen esse; a gentilibus eum Dei umbram non recte dici.

CAP. VI. - In coelo et terra quatuor elementa creata esse. Qualis coeli substantia, qualisve terrae positio.

CAP. VII. - Occurritur iis qui materiae aeternitatem e Scripturae verbis conantur astruere. Terram eo invisibilem dici, quod aquis cooperta esset.

CAP. VIII. - Terram incompositam fuisse, tum quia in ea nihil distincti, tum quia tenebris esset velata. Malitiam per tenebras non intelligendam ex eo concluditur quod malitia non nisi a nobis oriatur.

CAP. IX. - Creatur lux: eadem a tenebris discernitur. atque approbatur; et qua causa lux *dies* ac tenebrae *nox* appellatae.

CAP. X. - Diem nocti contra quam nonnullis videatur hic anteponi. Cur dies unus potius dicatur quam primus, ae matulino fine concludatur.

LIBER II. - DE OPERE SECUNDI DIEI.

CAPUT PRIMUM. - Operibus primi diei strictim recensitis, transit ad secundum diem; et in rerum creatione non naturae possibilitatem, sed potentiam Dei spectandam docet.

CAP. II. - De firmamento coeli et orbium concentu.

CAP. III. - Firmamentum non idem esse ac coelum: veras aquas super ipso residere perperam negari.

CAP. IV. - Coelum, nomen commune; speciale vero, firmamentum. Moralis interpretatio.

CAP. V. - Quam perfecta Patris ac Filii in operibus suis conjunctio.

LIBER III. - DE OPERE TERTII DIEI.

CAPUT PRIMUM. - In aquarum congregatione Ecclesiae figuram exprimi, et quomodo super flumina fundata sit.

CAP. II. - Terram superfusus aquis prius invisibilem, iisdem unum in locum confluentibus apparuisse. Quam mirum aquas omnes uno loco contineri.

CAP. III. - Collectionem aquarum unam et continuam esse. Item de lacubus et stagnis.

CAP. IV. - Terrae praecipuam qualitatem, cum *arida* vocatur, significari. Quae sint elementorum quibus invicem connectuntur proprietates.

CAP. V. - Maris commendatio. Coetus ecclesiastici figuram refert.

CAP. VI. - Terrae suam speciem, quae in germinatione ae viriditate posita est, percommode additam esse; vocem Dei fecunditatis causam praebere.

CAP. VII. - Cur pabulum pecori prius creatum quam cibus homini. Herbam virentem humanae imaginem esse conditionis.

CAP. VIII. - De virtute seminaria, deque germinandi ac fructificandi modo admirabili.

CAP. IX. - Noxia cum utilibus non sine ratione generari. Ordo in terrae fructificatione servatus.

CAP. X. - Semina nunquam propria degenerare. Verbum Dei miram terrae fecunditatem contulisse antequam homo peccaret.

CAP. XI. - De ortu arborum, atque de rosa, quae primo sine spinis nata, illis postmodum inhorruit, et vitae nostrae speculum facta est.

CAP. XII. - Laudatur vitis, et cum ecclesia comparatur: nec non exemplum ejus nobis ad imitationem proponitur.

CAP. XIII. - De arborum utilitate, diversitate, cultura; cum morali ad singula expositione.

CAP. XIV. - De simplicium pomorum differentia, foliorumque diversitate.

CAP. XV. - Stupendae aquae diversitatis effectus.

CAP. XVI. - Quomodo ad vocem Domini subito omne virgultorum genus efflorescens victum, delicias ae medicinam ministraverit. Quo etiam modo plantae aut semen aut aliquid quod seminis vicem suppleat, in se habeant.

LIBER IV. - DE OPERE QUARTI DIEI.

CAPUT PRIMUM. - Lectorem parat ad creationem solis recte intelligendam, declinandamque idolomaniam.

CAP. II. - Solem Dei Filio servire, a quo ad ornamentum coeli cum aliis luminibus creatus fuit. Fecunditatem a Deo terris inditam, non a sole. Sol de Christo, luna de Ecclesia interpretatur.

CAP. III. - Aliud esse lumen diei, aliud siderum. Duplicem esse ignis operationem, illuminare et urere, quae in retributione meritorum separabuntur. Deum dici ignem exurentem et qua causa.

CAP. IV. - Mathematicorum scientia refellitur.

CAP. V. - Luminarium vicinitate vel remotione annuas tempestates definiri: quod Christo, synagogae atque Ecclesiae accommodatur.

CAP. VI. - Solis ac lunae magnitudo ex illorum aspectu probatur. Solvitur objectio, et de remotorum aspectu pulchre disputatur.

CAP. VII. - Plurima quae de sole dicuntur, lunae etiam coavenire; eam tamen proprios quoque habere effectus, quorum aliqui hic recensentur.

CAP. VIII. - Lunae mutatio rerum instabilitatem docet: at ipsa turpiter in moribus nostris exprimitur. Christi mysterium atque Ecclesiam eadem repraesentat: quam qui magicis cantibus de coelo detrahi credunt irridendi.

CAP. IX. - conclusio quarti diei; quam vanum sit eum cavere, et unde in eumdem daemonum ac gentilium offensio derivata.

LIBER V. - DE OPERE QUINTI DIEI.

CAPUT PRIMUM. - Ornatis superioribus duobus clementis, mari propria praerogativa conceditur. Describitur aquarum obedientia ac fecunditas. Reptilia quid sint.

CAP. II. - Virtute hujus vocis, *Producant aquae reptilia*, multo plura in mari quam in terra esse producta; eamque gratiam aquis additam ut quae in terris noxia in mari innoxia generentur.

CAP. III. - Multiplicem piscibus rationem esse generandi, ae singularem in prolem pietatis sensum. Quanta sit eorum puritas.

CAP. IV. - Mutuam aquae ac piscium necessitudinem docere qualis parentum et filiorum necessitudo esse debeat. Quomodo respirationis usum aqua suppleat in piscibus.

CAP. V. - Pisces cur tam bene dentati. Avari quomodo piscibus comparentur.

CAP. VI. - Hominem esse piscem; sed piscem alium bonum, alium malum inveniri; bonum vero Petri hamum ac sinum timere non debere.

CAP. VII. - Per mare Evangelium et Ecclesiam designari. Conjuges ad mutuam charitatem impelluntur.

CAP. VIII. - De astutia polypi et cancri, quibus fraudulentum homines adumbrantur.

CAP. IX. - De praescientia echini.

CAP. X. - Exemplo piscium humana levitas et incontinentia reprehenditur.

CAP. XI. - De piscibus Atlantici maris: item de sale, corallio et aliis quibusdam. Ob ea, sed maxime ob navigationem mare terris praestare. De Jona et Petro.

CAP. XII. - De variarum avium suavitate disserit.

CAP. XIII. - De alcyone, et quod a Deo opem expectare debeamus. De avibus imbrum aut ventorum praesagis, deque fida anserum custodia.

CAP. XIV. - Aves cum piscibus multiplici cognatione conjungi. De variis avium generibus et differentiis.

CAP. XV. - De gruibus; et, hac occasione, de priscae reipublicae statu, humanaeque incuriae causis.

CAP. XVI. - Quomodo ciconiae profiscantur atque a cornicibus deducantur ac defendantur. Laudatur carumdem coraicum hospitalitas, ciconiarumque pietas filialis.

CAP. XVII. - De hirundinis sedulitate, industria, pietate in filios, et ipsius paupertate.

CAP. XVIII. - Amorem in filios a cornicibus homines edoceri, eorumque damnari impietatem. Accipitres et aquilas inclementiae neutiquam accusandos; sed fulicam, quae abdicatum aquilae pullum nutrit, commendandam.

CAP. XIX. - Laudatur ob viduitatem turtur, et hoc nomine mulieribus anteponitur etiam christianis.

CAP. XX. - Vultures, quae siue maris copula gignere dicuntur, virginei partus possibilitatem astruere.

CAP. XXI. - De avibus sub quadam reipublicae forma constitutis.

CAP. XXII. - Volatilia cur dicantur *volantia super terram secus firmamentum coeli*; atque ibidem de corporis diversitate quae observatur in avibus.

CAP. XXIII. - De verme Indico, chamaeleonte, lepore ac phoenice, quibus ad fidem resurrectionis ac mortis praeparationem informamur. De vulture et locusta.

CAP. XXIV. - De nocturnis avibus; in primis de lusciniæ incubantis cantu; de noctua, vesperilione et gallo; unde nonnulla ad nostros mores accommodantur.

CAP. XXV. - Pia Auctoris precatio; lacrymarum commendatio; ad mysteria Domini corporis invitatio.

LIBER VI. - DE OPERE SEXTI D EI.

CAPUT PRIMUM. - Exordio eleganti conciliatur attentio.

CAP. II. - De bestiarum natura. Scripturam simpliciter accipiendam, et curiosas quaestiones fugiendas monet.

CAP. III. - Animantibus inditam Dei verbo generationis legem in speci rum successionibus perseverare.

CAP. IV. - De mira indole nonnullorum animalium et de naturalibus virtutibus quos nos in illis imitari oporteat.

CAP. V. - Qua ratione Dominus aliis be-tiis colla breviora, aliis longiora creaverit; de elephanto.

CAP. VI. - Belluas ferocissimas homini subditas: eisdem minutissima animalia terrori esse. De serpentum utilitate. Homo ad sui cognitionem excitatur.

CAP. VII. - Hominis creationem a consideratione Creatoris auspicatur, Filium Patris imaginem esse, inter eos unitatem distinctionemque inveniri demonstrat.

CAP. VIII. - Corporis et animae dotes examinantur. Ostenditur totum hominem animae vocabulo designari. Exhortatio ad vigilantiam contra vitia.

CAP. IX. - De corporis humani praestantia.

CAP. X. - Quomodo Deus requiescisse dicatur, aperit, et Creatoris laudibus sermonem coronat.

In librum de Paradiso admonitio.

LIBER DE PARADISO.

CAPUT PRIMUM. - Paradisi auctor, natura, situs, incola indicantur; et res ad mysticum sensum traducitur.

CAP. II. - Quod lignum scientiae boni et mali in paradiso fuerit, quodque ibidem serpens exstiterit, non reprehendendum; et quid nonnulli per serpentem, Adamum et Evam intellexerint.

CAP. III. - Per fontem paradisi, Christum; per quatuor flumina inde orientia, virtutes cardinales et quatuor mundi aetates designari.

CAP. IV. - Virum in paradiso non factum, sed positum; at in eo factam mulierem.

CAP. V. - Examinatur praeceptum de non edendo de ligno scientiae boni et mali, et difficultates resolvuntur.

CAP. VI. - Alias dubitationes circa praeceptum Adae datum et Evae raevaricationem excitatas diluit.

CAP. VII. - Utrum a D o mors homini acciderit.

CAP. VIII. - De praescientia Dei, et quod sit opinio boni et mali humanis mentibus divinitus impressa.

CAP. IX. - An decuerit praeceptum homini de cibo dari; et cur non dictum *moriemini*, sed *morte moriemini*.

CAP. X. - Cur Deus hominem non approbavit nisi post factam mulierem, et cur de costa creata sit.

CAP. XI. - Quomodo animalia ducta fuerint ad Adam; quid sopor ejusdem et costae aedificatio doceat; et quo pacto justi in paradisum rapiantur.

CAP. XII. - Serpentis sapientia; quomodo mulierem aggressus sit, qualisve hujus responsio.

CAP. XIII. - Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacii; et de deceptione mulieris et lapsu Adae.

CAP. XIV. - De increpatione, *Ubi es?* De mulieris excusatione et de mysteriis per haec significatis.

CAP. XV. - Peccatum muheris quare venia dignum, quidve per serpentem, feminam et virum significetur. Qualis serpentis condemnatio.

In libros de Cain et Abel admonitio.

DE CAIN ET ABEL LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. - De ortu Cain et Abel, et quod per hos duae sectae hominum significantur.

CAP. II. - Cain Judaeorum figuram esse, Abel Christianorum. De sepultura Isaac et Moysis. Moysis et Christi sepulturarum comparatio.

CAP. III. - Per Abel et Cain sapientiae humanae processus designari; per ordinem quo uterque frat [...] r nominantur nec non per eorumdem officia significari Abelem esse praestantiozem.

CAP. IV. - Malitiam tempore priorem esse, virtutem dignitate.

CAP. V. - Sollicitato a volaptate virtus meliora consulit; quomodo diabolicis tentationibus resistendum. Invitatio ad convivium sapientiae, et quo ejus ebrietas a vinolentia discrepet.

CAP. VI. - Virtutem studio et labore comparari. Mystica quaedam de Abraham, Moysae, Jacob et Esau.

CAP. VII. - Duplex defectus sacrificii Cain; oblationum nostrorum tria vi [...] ia.

CAP. VIII. - De dotibus oblationis.

CAP. IX. - Commendatur in oratione humilitas, secretum ac brevitatis. Forma orandi; pre quibus orandum.

CAP. X. - De primitiis animae Deo offerendis. De juramentis Dei. Qui fuerint Chananaei. Non possunt sine ope Domini animi motus pacari.

LIBER II.

CAPUT PRIMUM. - De partibus animae. Plebeior sensus mentis imperio domitari posse. De commixtione qua constamus, ejusque primitiis Deo offerendis.

CAP. II. - Primitias non tempore, sed sanctitate aestimari. Bona opera fidei jungenda sunt.

CAP. III. - Laborem fructu esse mutandum. Quod Christus verus Jevita sit, et quam utilis justorum familiaritas.

CAP. IV. - Quare Moyses levitas *primogenitos et redemptores*, eorumque urbes *redemptrices* appellaverit.

CAP. V. - Adipes et pinguedo sacrificiorum et hostiarum quid significant.

CAP. VI. - Explicatio verborum; *Si recte offeras, non recte autem divides, peccasti, quiesce*. De quatuor generibus quibus sacrificia commendabantur.

CAP. VII. - Deus in Adamo docuit, non peccandum; in Caino, non defendendum peccatum.

CAP. VIII. - Cain admonitione spreto crimen auget.

Ejus verbis, *Eamus in campum*, ostenditur pravis actionibus deserta et sterilia loca convenire.

CAP. IX. - Responsio Cain impia in Deum et naturam: responsio Dei germanitatis docet pietatem. Deus justos audit etiam mortuos.

CAP. X. - Verba Dei, *Si quis occiderit Cain*, moraliter explicantur. Dementia Caini.

In librum de Noe et arca admonitio.

LIBER DE NOE ET ARCA.

CAPUT PRIMUM. - Noe omnium exemplar. Nobis ab operibus miqunitatis requiescendum.

CAP. II. - Quid nomina filiorum Noe significant, quidve ordo quo illa recensentur.

CAP. III. - Secuturo diluvio ideo abundasse filiorum procreationem, ut bona concessa divinae benignitati, poenas vero nostrae iniquitati imputemus.

CAP. IV. - Gigantibus qui vixerunt aetate Noe similes esse homines cultui carnis suae studentes. Qui dicantur filii Dei, et quo pacto Deus dicatur irasci et moveri; quare, etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe gratiam apud Deum invenerit.

CAP. V. - Terram iniquitate hominum fuisse corruptam; pro toto homine carnem sumi, cujus illecebris anima nostra corrumpitur.

CAP. VI. - De constructione arcae, in qua humani corporis figura describitur.

CAP. VII. - Arca Noe cum arca foederis comparatur; cujus dimensionibus denotari ostenditur, singulas humani corporis partes ad usum et decorem esse compositas.

CAP. VIII. - Per ostium e transverso in arca positum decenter exprim partem corporis ignobiliorem.

CAP. IX. - Per inferiora arcae nos edoceri ciborum receptacula minimi esse faciendae; et hac occasione de intestinorum conformatione ac usu disputatur.

CAP. X. - De tribus causis obquas muta animantia diluvil subjecta sint poenae,

CAP. XI. - Virum justum sibi ac suis saluti esse, licet nonnumquam studium relaxanti obrepat error. Non semper justum esse apud Deum qui justus sit apud homines.

CAP. XII. - Quod septimus numerus sacer ae plenus sit. In nobis septenarium quoddam femineum esse, sed ad virilem conditionem ab erudito viro promoveri.

CAP. XIII. - Cur ingresso Noe in arcam, post septem dies diluvium factum sit. Cur Moyses dixerit *illud quadraginta diebus et quadraginta noctibus duravisse*.

CAP. XIV. - Diluvium verno tempore accidisse, ut majus eo cruriarentur homines; et sexcentesimo anno Noe ut hominum interitus cum eorum creatione congrueret.

CAP. XV. - Per arcam a foris clausam et [...] aquis fluctuantem, corpus hominis; per quindecim aquae cubitos humanos sensus; denique par mortem omnis carnis, animae passionibus corruptae interitum adumbrari.

CAP. XVI. - Cur dictum sit: *Memor fuit Dominus Noe*, nulla ejus uxoris ac filiorum ejus facta mentione.

CAP. XVII. - Quid sensu mystico significant cataractae, ostium arcae reseratum, emissio corvi.

CAP. XVIII. - Ut corvus malitiam, sic virtutem columba exprimit. Ad hanc recipiendam semper justum esse paratum ostendit Noe; idemque columbam septem aliis diebus retinens patientiam in corrigendo necessariam docet.

CAP. XIX. - Columba quare dicatur ad vesperam regressa cum olivae ramo in ore; item unde aquas defecisse Noe cognoverit: tandem cur eadem columba post dies septem tertio emissa non reversa sit.

CAP. XX. - Quod alio die imminuta aqua, alio siccata terra memoretur, accommodative explicatur. De denudatione arcae. Quare primus vel secundus mensis verni temporis dies dictus.

CAP. XXI. - Cur Noe ut exiret ex arca Dei praeceptum exspeclaverit. Ordinem quo idem ingressus atque egressus describitur spiritualiter explicatur.

CAP. XXII. - Qua de causa Noe aram injussus Deo aedificavit, quidve *Deo* et non *Domino*. Quare e bestiis ac volatilibus mundis obtulerit; et quid sit quod ait Dominus: *Recogitans non adjiciam maledicere terram*, etc.

CAP. XXIII. - Quod ait Dominus: *Semen et messis, frigus et aestus non requiescent*, duplici sensu explicatur.

CAP. XXIV. - De praerogativa potestatis hominibus in caetera animalia per benedictionem qua Noe cum suis donatus est, divinitus attributa.

CAP. XXV. - An oleribus magis quam carnibus vescendum Dominus praeceperit; et quemadmodum nos munierit Moyses contra opiniones philosophorum de anima, quorum varia placita referuntur.

CAP. XXVI. - Pejorem bestiis esse qui fratrem occiderit. Cuique a propriis cogitationibus ae verbis cavendum. Quomodo dictum de homine: *Ad imaginem Dei fecit eum*.

CAP. XXVII. - Promittitur diluvium numquam ejusmodi futurum esse, ut terram omnem corrumpat; idque ad animi passiones traducitur. De arca coelesti.

CAP. XXVIII. - Generationem Cham ideo prius esse memoratam, ut ejus peccatum amplificetur, et ex eodem profecta impia generatio demonstraretur.

CAP. XXIX. - Quomodo Noe factus sit agricola; quodve inter agricolam et operatorem terrae discrimen; et quomodo terram suam alter excolit, alter operatur. Quare idem Noe vineam primum plantaverit; id est, rem non necessariam, cum fontes ad potum sufficiant. Cur etiam de illo scriptum: *Et bibit de vino*: ubi de gemina ebrietate; postremo de gemina animae nudatione disseritur.

CAP. XXX. - Quare Cham tum dictus sit pater Chanaan cum hic nundum esset genitus; et qui in persona Cham patrem deridentis intelligendi sicut.

CAP. XXXI. - Sem et Japhet pietas commendatur. Quomodo sobrius factus sit Noe.

CAP. XXXII. - Cur in benedictione Sem dictum fuerit: *Benedictus Dominus Deus Sem*; et cur hujus servituti non Cham, qui peccavit, sed filius ejus addicatur.

CAP. XXXIII. - De CCCL annis quos Noe post diluvium vixisse traditur; tum de posteritate Japhet.

CAP. XXXIV. - Qualis Cham illius improbi filius senior fuerit, et de filio Chus Nembroth gigante et venatore.

FRAGMENTUM LIBRI DE ARCA NOE.

In libros de Abraham admonitio.

DE ABRAHAM LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. - Quae utilitas ex Abrahami exemptis petenda sit, auctoritate divina et philosophorum colla [...] ione demonstratur.

CAP. II. - Devotio Abrahae quomodo divini praecepti verbis probata. Exemplum Pharaonis quantum sit scelus adulterium demonstrat.

CAP. III. - De caeteris Abrahae virtutibus; ubi et de imprudentia Lot, de patri in ipsum charitate, ac tandem de accepto futurae posteritatis et Christi nascituri promisso.

CAP. IV. - Abraham ab adulteri crimine defenditur. Multa contra adulterium disputantur. Ad extremum quaeritur an decuerit circumcisionem institui, postea revocandam et minimum in se perfectionis continentem.

CAP. V. - De hospitalitate Abraham: quomodo uxorem in meriti partem adsciverit.

CAP. VI. - Sodomorum excidium Abrahae praedicatur, praedicaturque diu in tolerandis peccatoribus ac peccatis examinandis ei condonandis indulgentia. Variis excidii Sodomorum circumstantiis breviter tactis excusatoque filiarum Lot incestu, ebrietatis mala describuntur.

CAP. VII. - Mors Abimelech ob tentatam Sarae pudicitiam a Deo imentata quantum sit adulterii crimen monstrat. Mystera in Abimelech, Isaac et Ismael.

CAP. VIII. - Abrahamum Deus varie tentat, sed maxime dato immolandi tibi [...] ii praecepto. Praecepti singula verba expenduntur. Mysterium in ariete Isaaci.

CAP. IX. - Moritur Sara ac sepelitur. Abraham filio suo uxorem providet, eamque ad rem delectum servum sibi juramento obligat. Quid in his mysterii et morales discipline.

LIBER II.

CAPUT PRIMUM. - A quibus ad perfectam purgationem recedendum sit animae explicat; deinde promissam Abrahae posteritatem refert.

CAP. II. - Post Abrahami exitum Deus illi tanquam amico loquitur: moralis sensus. Quid sexagesimo anno significetur. Quo pacto sapiens animam suam possideat.

CAP. III. - Perambulat Abraham usque ad Sichem. Hic Deum cernit: aram extruit, sed non sacrificat, et cur. Iterum ramem, excitata ara, nomen Domini invocat.

CAP. IV. - Abraham ubi commoratus esset in deserto, quo mentis tranquillitas adumbratur, in Aegyptum, quae tentatio est, descendit fame compulsus. Cur ibi Saram sororem appellaverit.

CAP. V. - Discedit Abraham ex Aegypto cum veris animae diviti [...] s. Ejus reditus in Bethel quid significet. Quare Lot auro et argento dives non dicatur.

CAP. VI. - Quo sensu scriptum sit: *Et Lot qui ambulabat cum Abram*; itemque: *Non capieb [...] eos terra*. De Abraham et Lot pastoribus et de rixa inter eos.

CAP. VII. - Ex verbis Domini ad Abraham suum dogma, *Omnia esse supientis*, hauserunt philosophi. Pugnae Abrahae explicatio mystica.

CAP. VIII. - Quid nos doceat Melchisedech, rex Sodomorum. Abrahamo ab aruspice [...] s superstitionibus defenso, sacrificii ab ipso oblato multiplex interpretatio subjungitur.

CAP. IX. - Quare ceciderit excessus super Abraham; quidve redditum eidem oraculum significet.

CAP. X. - Cum dicitur Abraham: *Semini tuo dabo terram hanc*, ei vera beatitudo promittitur: magis tamen praefiguratur Ecclesia, cujus typus in Sara sterili, ut synagogae atque haeresum in Agar anc [...] illa exprimitur.

CAP. XI. - Praeceptum circumcissionis Abrahae datum quid significet; quidve etiam infantibus octavo die non circumcisis intentatum sit exitium. Sarae nomini una littera additur. Abraham in faciem cadit, et ridet. Num dubitaverit. Ipsi pro Ismaele oranti annuit Dominus, ac filium ex Sara promittit.

In librum de Isaac et anima admonitio.

DE ISAAC ET ANIMA LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. - Commendatur sanctus Isaac tam ex paterna origine et gratia quam ex Dominicae generationis et passionis praeliguratione.

CAP. II. - Quid sit homo, et in qua potissimum parte consistat; qualisve sit anima ejus tam secundum sui naturam quam per irrationabilem sui partem, qua obnoxia fit corruptioni.

CAP. III. - Perfecta anima, terrenis abdicatis, vitiisque domitis Verbum osculari desiderat: cui se Deus Verbum totus infundit.

CAP. IV. - Anima justa equae Salomonis comparatur. Putei quos fodit Isaac quid significant.

CAP. V. - Sponsus denuo sublapsus ab anima *in cubili in noctibus*, etc., in cassum quaeritur, et quare. Idem tamen postea invenitur; quomodo ipse teneri debeat. Ipse quoque animam variis laudibus exornat.

CAP. VI. - Anima dormiens a sponso excitatur; sed dum moras trahit in surgendo, transit Verbum. Ipsa exiens per vulnera charitatis requisitum vix tandem invenit.

CAP. VII. - Anima laudatur a sponso ob constantiam in quaerendo aliasque virtutes.

CAP. VIII. - Eadem anima refugiens coram laudari, ait se descendisse in hortum nucis, etc., quibus amaritudines ac tentationem designantur. Mysticam interpretationem sequitur ad charitatem exhortatio.

In librum de Bono mortis admonitio.

DE BONO MORTIS LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. - Quomodo mors non dicatur mala, licet sit vitae contraria.

CAP. II. - Praemissa distinctione de triplici genere mortis, ostendit tertium genus bonum esse.

CAP. III. - Mors naturalis definitur ac laudatur. Item mortificatio, quae mortis quaedam imitatio est.

CAP. IV. - Mortem multis nominibus esse bonam.

CAP. V. - Hortatur ad contemptum mortis, mortificationisque usum. Dein quemadmodum anima ad similitudinem Dei exalletur aperit.

CAP. VI. - Hic omnia laqueis principatum aeriorum et potestatum mundi plena esse.

CAP. VII. - Corpus regi oportere ab anima, quae tamen ipsi nonnunquam compatitur.

CAP. VIII. - Nihil terroris habere ipsam mortem, sed opinionem de morte terrori esse.

CAP. IX. - Concluditur mortis bonum ex interitu corporis et immortalitate animae.

CAP. X. - Scriptura quoque animarum immortalitas probatur. Exploditur philosophorum metempsychosis; ac deinde querela de justorum dilata mercede diluitur.

CAP. XI. - Septem ordine quibus digesta erit post banc vitam justorum laetitia exponit; atque ut studiose ad Deum accedamus, hortatur.

CAP. XII. - Aeternam felicitatem describit, quam nobis etiam destinatum esse demonstrat.

In librum de Fuga saeculi admonitio.

DE FUGA SAECULI LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. - Hominem non posse terrenas illecebras fugere nisi divinum adsit praesidium.

CAP. II. - Saeculum fugiendum docet lex de civitatibus refugii, de quibus quatuor quaestiones discutiuntur.

CAP. III. - Memorata superiori capite virtutum genera etiam in apostolo non tam adumbrata quam expressa haberi, collectis ejusdem variis testimoniis demonstrat.
CAP. IV. - Quid sit fugere saeculum cum exhortatione ad illud, ejusque contagionem fugiendam.
CAP. V. - Cur hinc fugere debeamus, et quomodo transire cum Moyse, ut videamus Deum.
CAP. VI. - Qua ratione qui velit fugere, eum velociter fugere oporteat: quo etiam fugiendum sit, et ad quod bonum animas nostras erigere debeamus.
CAP. VII. - Maximam esse causam quare hinc fugiamus, cum haec propria sit malitiae sedes.
CAP. VIII. - Quomodo, licet hic retineamur corpore, tamen animo fugere possimus, atque adeo debeamus.
CAP. IX. - Urget ut hinc fugiamus, sicut fugit Jacob de patria, et sicut cervi ad fontes; quos qui desiderat, super se animam suam exemplo Susannae effundat oportet.
In libros de Jacob et vita beata admonitio.

DE JACOB ET VITA BEATA LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. - Ad virtutum disciplinam, passionesque coercendas necessarium esse sermonem prudentem, acmentem rationi intentam.

CAP. II. - Temperantia commendatur.

CAP. III. - Temperantiam, sapientiam et disciplinam a Domino doceri; ad studium cohortatio: item culpam nostram ascribendam esse soli nostrae voluntati.

CAP. IV. - Quantum Deus homini concesserit, cum ei legem dedit, et gratiam adjunxit.

CAP. V. - Qua ratione lex non suffecerit, sed necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata; cum quo nosetiam mori, resurgere, et versari debeamus.

CAP. VI. - Promulgatae legis fructus esse peccati confessionem ac humilitatem, immo et gratiam ipsam, et charitatis pignus.

CAP. VII. - Eam in nobis debere esse charitatem, utnullis adversis a Christo separemur, cum illis non minuatur beata vita.

CAP. VIII. - Sapientem ita delectari sanitate corporis aut liberis, ut si illa amittat, non ideo minus beatum se putet.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM. - Jacob, etiam in exsilio fuisse beatum.

CAP. II. - Excusat parentes beati Jacob, et eorum exemplo quemadmodum alii parentes sese erga liberos gerere debeant docet.

CAP. III. - Post benedictionem fratris junioris quare senior ad servieudum fratri fuerit damnatus.

CAP. IV. - Fratri necem minitatur Esau, qua occasione placandae invidiae praecepta proponuntur.

CAP. V. - Jacob in patriam revertitur ob Labani invidiam. Haec si exorta sit, quomodo declinanda.

CAP. VI. - Angelos in itinere videt S. Jacob. Jacob et Esau congressus. Quae omnia quid significant aperitur.

CAP. VII. - Jacob cum Deo luctatur, et, claudicat. Vim Dinae illatam ulciscuntur, quos Jacob pater improbat. Bethel Ecclesiam praefiguratur.

CAP. VIII. - De laudabili S. Jacob senectute.

CAP. IX. - Jacob morti proximus atque oculis captus, tamen beatus ostenditur; cujus praeterea multiplex commendatio.

CAP. X. - Quantae laudi fuerint Eleazaro supplicia tolerata, propter quae vere beatus sit judicandus.

CAP. XI. - De admirabili fortitudine septem Machabaeorum, quibus mater octava addita fuit.

CAP. XII. - Elegantissima beatae illius feminae septemfiliorum martyrum parentis commendatio.

In librum de Joseph patriarcha admonitio.

DE JOSEPH PATRIARCHA LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. - Joseph tanquam speculum castitatis proponitur; ubi etiam de parentum amore ac fratrum invidentia adversus eum, necnon de ejusdem oblivione injuriarum paucis agitur.

CAP. II. - Aequalem esse debere parentum affectum et filiorum gratiam. Excusatur tamen B. Jacob, ut qui Joseph pluribus virtutibus ornatum aliis praetulerit.

CAP. III. - Quod supra Jacob dictus sit Josephum objurgasse, id non fecisse ob incredulitatem.

CAP. IV. - Joseph ducitur in Aegyptum, atque a praeposito coquorum emitur, in quo Christi sua servitute nos liberantis figura est.

CAP. V. - Josephi commendatio, Putipharis uxori resistentis.

CAP. VI. - Post brevem invectivam in mulierem, ad spadones, hujus etiam injuriae auctores, transit; et, demonstrato quam fragilis sit eorum status, alterius somnium ejusque expositionem refert. Hiac saeculi potentiam somnii simitem esse ostendit.

CAP. VII. - Josephi praemia, conjugium, liberos, frumenti distributionem mystice de Christo explicat.

CAP. VIII. - Exhortatio Jacob ad filios, ut in Aegyptum ad escas coemendas sese conferant, quid significant.

CAP. IX. - Itineris filiorum Jacob a Josepho exceptorum variae circumstantiae de Pauli vocatione ac praedicatione n c non Judaeorum infidelitate exponuntur.

CAP. X. - Josephi cum fratribus congressus mystica et moralis interpretatio.

CAP. XI. - Historia scyphi in sacco Benjamini reperti mystice explicatur.

CAP. XII. - Joseph fratribus se ipsum manifestans, quem adversus Judaeos adhibiturus erat Christus agendi modum exprimit.

CAP. XIII. - Inventos a Joseph fratres gaudet Pharao, cujus erga eosdem humanitas explicatur. Quid munera quae Joseph suis confert significant.

CAP. XIV. - Israel ad puteum juramenti, sacrificat. Hunc Deus promissis consolatur. Ingrediuntur in Aegyptum septuaginta quinque animae, ac demum filios ad se convocat Israel: et horum omnium quae mysteria.

In librum de Benedictionibus patriarcharum admonitio.

DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. - Quare tantam vim horum benedictioni Deus indiderit. Paternam benedictionem accipere Josephum festinasse, atque etiam filios patri obtulisse benediceudos; et quae in his mysteria.

CAP. II. - De benedictione Ruben primogeniti, quae non tam benedictio quam prophetia est.

CAP. III. - Praedicuntur quae filiis Simeon et Levi erant eventura; nec non opinio Judaeorum circa mysticam istius benedictionis interpretationem confutatur.

CAP. IV. - De benedictione Judae, quae Christo accommodatur.

CAP. V. - Benedictione Zabulon Ecclesiam atque ejus principes designari.

CAP. VI. - De benedictione Issachar, quae mystice de Christo Domino exponitur.

CAP. VII. - De benedictione Dan, quae futurum ex ea tribu Antichristum praenuntiat.

CAP. VIII. - De benedictione Gad.

CAP. IX. - De benedictione Aser.

CAP. X. - De benedictione Nephtali.

CAP. XI. - De benedicendo Joseph longiorem fuisse Jacob, quia praefigurata in eo videbat mysteria.

CAP. XII. - De benedictione Benjamin.

In librum de Eliu et jejunio admonitio.

DE ELIA ET JEJUNIO LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. - Sicut patres, in neomeniis diebusque laetitiae aut pugnae tuba caneant, ita et nobis in diebus jejunii paschali festo tuba canendum.

CAP. II. - Quam magna virtus sit jejunii.

CAP. III. - Jejunii commendatio, deque jejunio sancti Joannis; et qualis esca a nobis quaerenda sit.

CAP. IV. - De origine et antiquitate jejunii.

CAP. V. - Noe quod inebriatus fuerit ob ignorantiam excusatur: quae mala ex vini usu, quae bona ex ejusdem abstinentia nata sint.

CAP. VI. - De lege jejunii a Moyse data, et de jejunio ejusdem. Quomodo matrum Samson et Samuelis sterilitatem abstinentia fecundaverit.

CAP. VII. - In jejunio tribus pueris et Danieli salus.

CAP. VIII. - Jejunii commoda.

CAP. IX. - Cur potentes vinum bibere prohibeantur. Variae jejunii laudes enumerantur.

CAP. X. - Mystica mensa jejunio comparatur. Haec: *Cum jejunatis, ungit caput vestrum, moraliter ac mystice exponuntur.*

CAP. XI. - Jejunii virtus amariorum exemplo illustratur, et esca, licet dulcis, quam noxia sit.

CAP. XII. - In ebrietatem et de luxurioso adolescente ad philosophiam converso.

CAP. XIII. - Militarium hominum convivia cum pugna quadam atque spectaculo comparantur.

CAP. XIV. - Reprehenduntur qui convivia ad temulentiam praeparant.

CAP. XV. - Exposito Esaiiae loco, in lasciviam popinorum invehitur.

CAP. XVI. - Ebrios daemoniis ipsis esse miseres.

CAP. XVII. - De obtestati nibus, sacramentis ac propinationibus compotantium. De prodigiosa quadam bibendi ratione.

CAP. XVIII. - Feminarum ebrietas quam sit ipsis propudiosa ac perniciose spectantibus. Quantum bonum sit sobrietas et quantum malum intemperantia.

CAP. XIX. - Luxuriosis exitium Esaiiae prophetia denuntiari: mare a mercatoribus sollicitari non debere. Qua ratione navibus comparentur voluptuosi.

CAP. XX. - In verborum viatate saepius majorem inesse efficaciam. Quomodo canticum meretricis nationum congregatio cantaverit.

CAP. XXI. - Prophetis futura praesentia esse: nos Athletas esse atque ad coronam exerceri oportere.

CAP. XXII. - Fugiendas comessationes. Nondum baptizati ad hanc gratiam invitantur.

In librum de Nabuthe Jezraelita admonitio.

DE NABUTHE JEZRAELITA LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. - Fastum, cupiditatem ac stultitiam divitum insectatur Ambrosius.

CAP. II. - Divites quanto magis abundant censu, tanto pauperiores esse effectu. Petitio illa, *Da mihi*, quam abjecta sit perpenditur.

CAP. III. - Divites aliena concupiscere, ut alios homines excludant. Quam etiam turpe sit paternam possessionem ob luxuriam dividere.

CAP. IV. - Cur dicatur Achab panem suum non manducasse. Abstinentiae divitum ac pauperum elegans comparatio.

CAP. V. - Multorum pauperum sanguine ac vita constare divitum mensas; atque inibi de patre quodam, cujus, a divite coacti ad vendendum filium dolor ac aestus animi pulcherrime describuntur.

CAP. VI. - Quam nulla sit opum efficacia, et cur illae *divitioe* appellentur. Locus Evangelii, *Quid faciam... destruam horrea mea*, etc., expenditur.

CAP. VII. - Ostendit avaros, cum de bonis benefacere deberent, malle pecunias in aedificando consumere.

CAP. VIII. - Quam inepte sese ab impertienda eleemosyna divites excusent.

CAP. IX. - Quomodo Jezabel, quae est avaritia, divitibus possessionem quam contra justitiam desiderant polliceatur.

CAP. X. - Divites, cum aliena rapere non possunt, prae tristitia cibum non capere. Quid jejunium aut preces Deo acceptas reddat.

CAP. XI. - Cur meretrices in sanguine Achab dicantur sese lavaturae. De supplicio Jezabel.

CAP. XII. - Quam abjectus fuerit rex Achab coram Elia; et quomodo peccator semper deprehendatur.

CAP. XIII. - Divites in prosapia insulse gloriari: aurum offensionis lignum esse.

CAP. XIV. - Quo divites ad emendam auro libertatem ac salutem inducat, varias rationes proponit.

CAP. XV. - Qui divitiis uti non noverint, eos illarum servos esse.

CAP. XVI. - Divites ut Domino confiteantur impellit.

CAP. XVII. - Cur Achab, promissa venia, victus atque occisus fuerit.

In librum de Tobia admonitio.

DE TORIA LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM.-Tobiae in mortuos pietas. Sepeliendi munus praedicatur.

CAP. II. - Qua ratione Tobias caecitatem tulerit, ne quid furti admitteretur caverit, et commodatam Gabelo pecuniam non repetierit nisi senio fessus.

CAP. III. - Ambrosius feneratorum inhumanitatem eorumque artes oculis subjicit.

CAP. IV. - Qua ratione feneratores Judae et diabolo comparentur.

CAP. V. - Pecunia feneratorum mari comparatur. De sortibus utriusque Testamenti. Quanta mala feneratoribus generentur.

CAP. VI. - Quanta moliantur feneratores, ut incautos adolescentes depraedentur.

CAP. VII. - Miserrima debitoris sors describitur.

CAP. VIII. - Ejusdem thematis continuatio, et quomodo feneratio praevaricationis materia sit.

CAP. IX. - Peccati feneratorem diabolum esse. De centesima usurae ac centesima ove; deque creditoris nomine, quod sibi imponit verus exactor.

CAP. X. - Feneratoris ne debitoris cadaver ad sepulturam efferretur prohibentis historia.

CAP. XI. - Feneratoris in alcatores tyrannis, et quae leges aleatorum.

CAP. XII. - De feneratorum exactione et variis vocabulis quibus utuntur.

CAP. XIII. - Ostenditur usuram leporibus ac plantis quibuslibet fecundiores esse, feneratorisque aviditate omnem aliam superari.

CAP. XIV. - Usuram prohiberi lege divina. Vestimentum pignori acceptum ante noctem reddendum esse.

CAP. XV. - Alienigenam a quo usuras licet exigere, solum esse eum quem licet occidere. Quamlibet usuram proscribi.

CAP. XVI. - Ex Evangelico praecepto fenerandum his a quibus nihil exspectetur, immo etiam inimicis.

CAP. XVII. - Occurrit objectioni qua nonnulli negant generaliter prohibitum ne pignus retineatur, sed ad pauperum pignora Legem restringant.

CAP. XVIII. - Ut objicientibus nos divina lege ad fenerandum incitari fiat satis, inquiritur quid justus, v. g. Petrus, fenori dare valeat.

CAP. XIX. - Judaeos primo gentibus fenerasse, postmodum gentes in Christum credentes vicem illis reddidisse.

CAP. XX. - Praemisso pignoris, commendati ac depositi discrimine, ostendit spirituale pignus esse, quod reddi lege jubeatur. Bonum amictum esse Dei verbum.

CAP. XXI. - Reprehenduntur qui cum solvendo non sint pares mutuuum sumunt.

CAP. XXII. - Quem feneratorem imitari debeamus.

CAP. XXIII. - Oggerentes usurae antiquitatem refelluntur. Quam cavendum sit ne quis pro alio se obliget.

CAP. XXIV. - Quomodo Tobias nobis imitandus; quodve fenerandi genus idem nos doceat.

In libros de Interpellatione Job et David admonitio

DE INTERPELLATIONE JOB ET DAVID LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS. - DE INTERPELLATIONE JOB ET DE HOMINIS INFIRMITATE.

CAPUT PRIMUM. - Multas in hac vita perturbationes esse, multas consolationes, sed his illas longe superari. David et Johum pro nostris infirmitatibus interpellasse, unde hujus operis argumentum.

CAP. II. - Quomodo beatus Job, amissis omnibus praeter uxorem, tamquam bonus Athleta perturbationibus non cesserit, nec certare recusaverit.

CAP. III. - De misera conditione hominis, quamque stulte cogitet peccata sua Dei cognitionem fallere posse.

CAP. IV. - Quomodo amici Job dolorem ejus acerbaverint; et quam magnifice idem senserit de divina potestate ac redemptionis mysterio.

CAP. V. - Deum fecisse montes inveterascere, id est litteram veteris Testamenti in spiritalem sensum convertisse. De conterendis navibus Tharsis, quibus corpora nostra designantur.

CAP. VI. - Verba Job, quibus humanas infirmitates aperit, expenduntur. Confidenti veniam promitti, ac justum iniquitates suas agnoscere ostenditur.

CAP. VII. - Omnium aetatum maxime lubricam adolescentiam: nos eorum etiam peccatorum quae vitare nequiverimus frationem esse reddituros.

CAP. VIII. - Quomodo beatus Job resurrectionem atque viam Domini in consummatione futuram significaverit; et quam desideraverit ex hac vita evolere.

CAP. IX. - Non curiosius sapientiae adyta rimanda, Ejus cognitionem soli Deo, et quibus eam ille revelaverit, patere.

LIBER II. - DE INTERPELLATIONE DAVID.

CAPUT PRIMUM. - Post absolutam vehementiorem interpellationem Job sequitur placidior interpellatio David. Hunc non inepte cervo comparari.

CAP. II. - Quam desideraverit David ex hac vita liberari, et lacrymarum utilitas. Ejusdem aulae paucis tanguntur deliciae, cum qua etiam Ecclesia comparatur.

CAP. III. - Non mirum si David hujus vitae malis, etsi consolatione sua minime careant, turbatus sit, cum ipse Christus, turbari voluerit.

CAP. IV. - Per Jordanem adumbrari Christum. Christum moutem fuisse magnum per divinitatem, modicum per incarnationem.

CAP. V. - Deum hominis susceptorem esse, tum ob creationem, tum ob conservationem.

CAP. VI. - Quam beatum sit ex utero in Deum projici, et qua ratione illud Christo accommodetur.

CAP. VII. - Dum exoptatus Christo adventus differtur, saevisse diabolum, ut in Christum credituros obtereret, et in ipsis signa deligeret sua: ubi de signis quae sequi et quae fugere nos oporteat, disseritur.

CAP. VIII. - David ab iniquorum causa suam discerni postulat, non autem Christum.

CAP. IX. - Prophetarum verbis significari Dauid hominibus per passionem Christi reconciliatum. Item ut in domum Dei ingrediamur, nos multiplici ratione fuisse a Christo renovatos.

LIBER III. - DE INTERPELLATIONE JOB.

CAPUT PRIMUM. - Moveri plerosque etiam prudentes, cum prosperis hic affluere injustos, justos autem affigi viderint, quae librorum sequentium materia est.

CAP. II. - Quomodo Job conviciatores suos redarguerit; ubi praesertim silentium ejus neenon Davidis atque Apostoli nobis proponitur ad imitandum.

CAP. III. - Job verborum certamine victor renuntiatur: et quemadmodum post responsum lenius, idem fortioribus verbis importunius calumiantes repulerit.

CAP. IV. - Amicos mala semper delictorum causa evenire asserentes retundit Job. Quis vere bratus. Denique impios non aeternitate, sed falsa ejus imagine potiri demonstrantur.

CAP. V. - Impios in bonis saeculi finire vitam, at postea requie coalesci carere: contrarium vero nobis optandum. Impiorum amentia.

LIBER IV. - DE INTERPELLATIONE DAVID.

CAPUT PRIMUM. - David frequenter de saeculi vanitate disseruisse in psalmis, sed maxime in LXXII, ubi se ob improborum prosperitates et calamitates proborum graviter initio commotam esse, ac tamen postea correctum significat.

CAP. II. - Deum justis, etiam dum affigi permittit, esse bonum: bonum etiam improbis esse Deum.

CAP. III. - Fateri Prophetam se tautum non esse prolapsus, dum peccatorum pacem aemularetur, flagellari post mortem inutile, in hac vita perutile.

CAP. IV. - Peccatores iniquitate propria vestiri. Judaeorum iniquitatem magnam ac deliberatam exstitisse.

CAP. V. - Qui os suum in coelum ponunt, eos esse qui omnia stellarum necessitati attribuunt. Israel reditus mysterium declaratur.

CAP. VI. - Prophetam, cum primo animo despondisset, postea cognovisse omnia evenire dispositione divina.

CAP. VII. - Emendato errore-David hunc unum laborem sihi cognoscit superesse, ut ingrediatur in adyta divinae cognitionis. Quis sit sanctorum finis.

CAP. VIII. - Impios in interitu suo cum somnio bene comparari.

CAP. IX. - Prophetam cognitione divinae providentiae recreatum: ipsum et cum eo omnes homines comparatione coelestium civium jumentis haud esse absimiles; eosdem tamen Dei gratia ad humanam revocari dignitatem.

CAP X. - Si Deus nobis ad dexteram non fuerit, eum locum a diabolo occupatum iri. Christus diabolum sibi ad dexteram statuit quo gloriosius prosterneret.

CAP. XI. - Davidem possessione Dei contentum nihil praeter eum exoptare; debere enim terrena deleri oblivione ut succedant coelestia, atque etiam ad Deum, qui neminem repellit, accedatur.

In Apologium prophetae David admonitio.

APOLOGIA PROPHETAE DAVID.

CAPUT PRIMUM. - Quare apologiam David scribere aggrediatur Ambrosius. Judicandus non esse ostenditur, quem Deus justificaverit: contra vero etiam landandus.

CAP. II. - Laudatur David ab humilitate confessionis; actres causae cur sanctis peccatum obrepere utile sit, idque Deus permittat afferuntur.

CAP. III. - Davidem eo tentationi expositum fuisse quod athletas suos variis certaminibus exerceri, et nobis exemplo esse Deus velit.

CAP. IV. - Neminem a lapsu immunem inveniri Davidis poeaitentia commendatur.

CAP. V. - Parabola quam Davidi proposuit Nathan exponitur, et Christo accommodatur.

CAP. VI. - Quo differant boni et mali. Quibus operibus David peccatum suum legerit.

CAP. VII. - De pugnis David contra gigantes et aquae Bethleemiti lacus libatione: ex quibus ahisque indiciis concluditur suum ab eo peccatum tectum fuisse.

CAP. VIII. - Cur psalmum L ahis quibusdam in res anteriores compositis praemissus; et quae mysteria in quinquagesimo numero comprehensa.

CAP. IX. - Paucos peccata sua agnoscere, plures de illis gloriari; sapientem delicti sui numquam deponere memoriam; conscientiae vis.

CAP. X. - David, licet humanis legibus liberum, se tamen Deo subjecisse, cui soli peccavit; et quot modis hoc intelligendum. Qui peccatorem se naget, mendacii ab eo accusari ipsum Deum, cujus patientia commendatur.

CAP. XI. - Prophetarum verbis doceri, qui in iniquitate non concipiatur esse neminem. Utrum parentum an prolis ea sit iniquitas.

CAP. XII. - Consiteati peccatum coelestia sacramenta divinitus patefieri: cum haec incerta in psalmo dicuntur, significari non esse manifesta; sed praecipue hoc loco baptismatis lavacrum praetigurari.

CAP. XIII. - David solo futurae remissionis auditu recreatus, fore ut ossa humiliata exsultent praedicat; et quae sint illa.

CAP. XIV. - Quae sint viscera, quisve spiritus quorum hic loci sanctus Propheta meminit.

CAP. XV. - Rationalem naturam laetitiae salutaris solam capacem esse. Quis spiritus principalis.

CAP. XVI. - Periti doctoris esse iniquos vias Domini edocere. Quomodo id tum Christi, tum Davidis personae accommodetur.

CAP. XVII. - Davidem verbis suis peccatum sibi dimissum significare cum Deus peccatori os occludat. Nonnulla. de sacrificio Christi atque martyrum propositis.

In alteram Davidis apologiam admonitio.

APOLOGIA ALTERA PROPHETAE DAVID.

CAPUT PRIMUM. - Quosdam offendi posse quod in adulterium inciderit David, et Christus oblatam sibi adulteram absolverit. Sed, ut David erraverit, Christum errare non potuisse ostenditur.

CAP. II. - Ambrosius quo ordine et apud quos homines David errantis causam sit defensurus explicat.

CAP. III. - Gentiles monet ne tam errantem quam poenitentem David respiciant.

CAP. IV. - Judaeos perperam credentes David qui obnoxius fuit peccato, vel Salomon cui dicta de Christo non conveniunt, esse Filium Dei, redarguit.

CAP. V. - Confirmat rationes adversus Judaeos atque Gentiles adductas, et sermonem ad Ecclesiam convertit.

CAP. VI. - Cur David ac plerique alii Dominici generis auctores in errorem labi permissi sint. De homicidio et adulterio Davidis.

CAP. VII. - Mysteria sub David ac Bethsabée adulterio, necuon sub ipsius partu velata.

CAP. VIII. - Quid domus regia in qua deambulat David: quid nudatio et lavatio Bethsabée; quidve quod statim nuda visa amata sit, significet.

CAP. IX. - Eandem materiam mystice prosequitur.

CAP. X. - De mysterio Lucarnationis per adulterium Davidis significato.

CAP. XI. - Parabola Nathan proponitur atque ad sensum moralem, moxque ad allegoricum traducitur.

CAP. XII. - David peccatum suum Deo confitetur, composito psalmo L, cujus hic versus aliquot explicantur.

In duodecim psalms enarrationes admonitio.

ENARRATIONES IN XII PSALMOS DAVIDICOS.

In psalmum primum enarratio.

In psalmum XXXV enarratio.

In psalmum XXXVI enarratio.

In psalmum XXXVII enarratio.

In psalmum XXXVIII enarratio.

In psalmum XXXIX enarratio.

In psalmum XL enarratio.

In psalmum XLIII enarratio.

In psalmum XLV enarratio.

In psalmum XLVII enarratio.

In psalmum XLVIII enarratio.

In psalmum LXI enarratio.

FINIS INDICIS.